


Cum varijs ad finem Indicibus, & Apologijs, pro Doctrina Irrefragabili S. AVGVSTINI:
Contra nouas & intolerabiles eius calumnias.

BIBLIOTECA N. C.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLATIO
TOTIVS THEOLOGIÆ
INTER MAIORES NOSTROS,
F. ALEXANDRVM ALENSEM
PATRIARCHAM THEOLOGORVM,
DOCTOREM IRREFRAGABILEM,
SANCTVM BONAVENTVRAM
DOCTOREM SERAPHICVM,
F. IOANNEM DVNS-SCOTVM
DOCTOREM SVBTILEM.

Ad Mentem S. AVGVSTINI: ſub Magiſterio CHRISTI; interiore, per Gratiam; exteriore, per ECCLESIAM.



Per F. MATTHIAM HAVZEVR; *Theologum Franciſcanum Prouinciæ Flandriæ FF. Min. Reçollectorum.*

Typis eiuſdem Prouinciæ.

In Conuentu LEODIENSI, & NAMVRCENSI,
Ab anno 1646. ad 1652.

Digitized by Google

8-9-L-9

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

PRiuilegio Cæſareæ Maieſtatis cautum eſt, ne quis per vniuerſum Imperium, Libros à Patribus Ordinis *S. Franciſci* Strictioris Obſeruantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intra limites Sacri Imperij, Regnorumque ac Dominiorum hæreditariorum Domus Auſtriacæ adducat, vendat, aut diſtrahat, abſque conſenſu, & facultate eorundem Patrum: ſub pœna confiſcationis Librorum, & mulcta viginti Marcarum auri puri. Ita ſancitum & decretum in Ciuitate Ratiſponenſi, pridie nonas Decembris. 1630.

Signatum

FERDINANDVS.

Infra.

Ad Mandatum proprium Sacræ Cæſareæ Maieſtatis.

P. H. A. STRALENDORFF.

A latere.

IOANNES WALDERODE.

Digitized by Google

REGI CATHOLICO
SPECVLVM THEOLOGICVM IDEÆ DIVINÆ.

QVID vermiculo terra, cum byſſo, purpura, & Diademate? Minori Monacho, cum tanto Monarcha? Rudi Theologia, cum tanta Maieſtate? Quid? Imò verò qui, niſi vermiculi, nendo & texendo ipſis Regibus byſſo, ſeipſos euiſcerant, tingendis purpuris ſanguinem fundunt, ipſaq; Diademata ſuis figuris, ſeu opere vermiculato adornant? Qui, pra Minoribus Pygmaolis, apud ipſos Monarchas in delitijs ſunt? Qui Regibus ſapientibus gratiores: quàm Moroſophi illi, qui ſapiendo deſipiunt, vt veritatem liberiùs commendent? Qua eſt hac Moroſophia, niſi ſacra Theologia? Politicis Anti-Chriſtianis, & Anti-Monachis ſtultitia; ſed Regi Catholico, eiuſq; Miniſtris ſapientiſſima. Quod enim ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, 1. Cor. 1. *Qua* Veritas omnibus præualet, 3. Eſd. 4. *& Regios animos ſuauiùs monere, & mouere poteſt: quàm ipſa Idaa Diuina Regum; ſed pra omnibus,* Regis Catholici? *Non ſolùm vt eſt imitabilis à quouis Dei Veſtigio & Imagine: nec ſolùm vt repraſentat omnia poſſibilia, vel etiam futura, in ſuo primo eſſe cognito, vel etiam volito; ſed eminenter* Regem Catholicum, *in perfectiſſimo ſtatu & vſu Dominij. Quam Idaā ſola Theologia in obiecto ſuo ſuſpicere, indeq; verā eius imaginem exprimere, vel hoc quaſi ſpeculo excipere poteſt. De qua* Matt. 22. Cuius eſt hæc Imago, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

Quo iure, & nos inopes Franciſcani, & Moroſophi Theologi, Deo Regiq; noſtro tributum totius vita Religioſa, & ſtudioſa debemus: cuius beneficio, nobis chariſſimo, ſed illi cariſſimo, Parentibus Catholicis in Belgio naſcimur, Catholici renaſcimur, libertate Fidei, & vita religioſa, otioq; Sapientia fruimur. Ne ergo videamur vt eruca vermiculando omnia depaſcere, & corrodere: ſed vt bombyces per arbores vita & ſapientia paſcentes, vera do-

Digitized by Google

ctrinæ byſſum ore rependere. Qui per eminentiorem Arborem Doctrinæ Auguſtinianæ *repentes, paſcentes, nentes, texentes: quodam Eccleſiæ tonitruo, vt ſolent attoniti & concuſſi, ab opuſculis ſuis ſtupebant. Sed Edicto Regio verè Catholico, præſtitâ Eccleſiæ obedie̅tiâ,* Sine præiudicio Doctrinæ Auguſtinianæ, *ab omni periculo & timore illius tonitrui ac fulminis ſecuri: vt* Prou. 30. *non ſolùm lanam & linum in veſtes Eccleſiæ; ſed & byſſum doctrinæ ſubtilioris ad eiuſdem ornatum ſtudioſiſſimè elaborant.*

Cui beneficio, poſt Primitias Deo, Decimas Eccleſiæ, quid hoc Speculo *gratius et glorioſius* Regi *noſtro referre poſſumus: quo & ſeipſum in Deo, & Deum in ſeipſo contempletur, ac imitetur? Nec vitio adulationis tribuendum: quòd vt* Speculum ſine macula, *Eſſentiæ & Ideæ Diuinæ,* Sap. 7. *ſolas perfectiones formaliter repræſentat; ſic & hoc, ſolum ſtatum perfectum* Regis Catholici, *nullas autem maculas perſonales, niſi per oppoſitas perfectiones.*

Cuius ſtatus figuram prælineauit Sapientia, Opulentia, & Potentia Salomonis. *Qui vt præcurſor,* 3. Reg. 4. 5. 9. 10. *ſua illa claſſe & nauigatione in* Ophir, *ex portu* Aſion-gaber *ad ſinum maris rubri: tantum inde ac aliunde auri & argenti comparauit; vt* 3. Reg. 10. tanta eſſet copia argenti in Hieruſalem, quanta & lapidum; *ſuffeceritq́; in tantillo* Regno, *ſub illa œconomia et politia Sapientiæ infuſæ, ad incomparabiles expenſas quotidianas aulæ Regiæ, ad alenda et in promptu habenda* quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium, 3. Reg. 4. *ſimulq́; ad fabricam illam admirabilem* Templi, *pluriumq́; palatiorum, vrbium, & munitionum circumquaque. Quam nauigationem* Rex Ioſaphat *proſequi non potuit: etſi* ad manum haberet *vltra millionem militum,* 2. Paral. 17. Quia claſſis eius confracta fuit in Azion-Gaber, *ob confœderationem cum impio* Ochoſia, 3. Reg. 22.

Sed illius figuræ veritas, & perfectio deſtinata erat Eccleſiæ, & Regi Catholico. *Cùm enim* Synagoga Iudaica *eſſet ſterilis aliarum Nationum: non potuit à* Salomone *per vllam aliam propagari. Sed Eccleſia ab ortu ſuo omnium Gentium fœcunda, & iure proprio Catholica, poſt tot ſæculorum incrementa, denominauit & adoptauit ſibi* Regem Catholicum: *per quem, & quocum totius orbis poſſeſſionem ab Oriente in Occidentem occuparet; indeq́; poſt illas* Magorum *primitias, tandem etiam tot ſæculorum Decimas perciperet. Quibus* Rex Catholicus, *non ſolùm vt* Salomon *Templum inaurauit: ſed totam Eccleſiam laminis aureis texit, ſeu protexit;*

texit;

Digitized by Google

texit; verificato, tanto cum fœnore, Catholici nominis præſagio, nemini iniurioſo, nec vllo iure odioſo, aut ſuſpecto.

Vt enim Eccleſia, ſic & Rex Catholicus denominatur à toto, ſed non à qualibet eius parte. Vt illa neminem raptu, ſed materno ſinu omnes excipit, fouetq́; : ſic & hic ſuo totius orbis amplexu, neminem opprimit; ſed ſuos ſubditos ac vicinos amicitia & beneficentia ſtringit, obſtringit. Vtinam vt illa eſt Catholica, à totalitate Fidei, & temporis futuri: ſic & hic nec vnquam deficiat Fide, nec tempore. Denique, vt vnitas Eccleſiæ, ſic & Regni Catholici, ex tanta Gentium, & Linguarũ varietate non diſſoluitur, ſed coaleſcit.

Neq́; hanc ſolius Eccleſiæ, ſed ipſius Dei phyſionomiam imitatur. Vt enim Deus, ſic nec Rex Catholicus, ſua totalitate priuat vllũ ſua participatione. Vt ſolus Deus שדי .i. ſufficiens, bonorum noſtrorum non eget: ſed omnibus ſua cõmunicat; quia Beatius eſt dare quàm accipere, Act. 20. Sic & ſolus Rex Catholicus non indiget vlla exactione, nec gerit purpuram alieno ſanguine tinctam: ſed ſibi ſuiſq́; ſufficit, imò & in omnes ſuperfluit. Quia Deo prouidente, viſcera Orientis & Occidentis ei Theſauros annuos pariunt: quibus totam Eccleſiam, & Orbem Chriſtianum terra mariq́; tuetur.

Nec in hoc à ſua illa figura, & hac Idea Pacis deficit: ſed vt Eccleſia hæres pacis, Ioan. 14. inter tot Hæreticos, omnes ad vnitatem reuocat; idemq́; Deus pacis 1. Cor. 14. eſt & Deus exercituum, ad finem pacis omnes præueniens. Sic & Rex Catholicus, nulla vnquam potentia aut victoria inſolens, ſed Pacis Chriſtianæ ſtudioſiſſimus: per ſuum illum Penerandam, vt Clementiæ & Sapientiæ ſuæ pacificæ radium, toti Orbi illuxit, & oculos pacis inuidos perſtrinxit. Quibus Antropophagis, ad Bellonæ incendia ſulphuratis: væ à tranſlatione Regnorũ, Eccli. 10. à Mane, Thecel, Phares, Dan. 5.

Deniq́; vt Deus quos liberos creauit, liberè moderatis legibus regit: quibus ita potentiam ſuam ordinariam præcingit, vt eam rariſſimè in abſolutã Omnipotentiã relaxet. Sic & Rex Catholicus ſuos ſubditos: per æquiſſimos Politiæ, et Militiæ ſuæ Miniſtros. Quales in Belgio fuerunt veterani illi Duces & Milites, Fidei Catholicæ zeloſiſſimi: ſed & recentiores ac ſuperſtites, in ſuis hybernis tam benigni, vt à toto populo in Conſules Patriæ acclamati ſint. Inter quos eminent glorioſæ apud nos memoriæ, Philippus ille Syluius, et Diegus Sarmientus: qui dignati ſunt cenſeri inter Conſules Municipij noſtri Heruienſis, Prouinciæ Lymburgenſis. Cuius tres partes inter vngues Hæreticos palpitãt: reliqua oppignorata ſeipſam euiſcerauit, vt Regi ſuo ſe redimeret.

Hi

Digitized by Google

Hi ſunt per quos Sua Maieſtas, *Chariſſimo* Catholici *Nominis, Fidei, & Clementis æquitatis vinculo, totius Fidelis Belgij affectum ſibi ita deuinxit: vt pleriq; malint mori eius ſubditi, quàm ſub alijs viuere; nec pauci mortui ſint ſolo dolore & timore oppoſiti, maluerintq; extremo ſupplicio perire, quàm vel verbo deficere.*

Ex quibus noſter pius P. de Vinck, Moſæ-Traiecti, *poſt grauiſſimos torturæ cruciatus, ſuam in Deum &* Regem noſtrum *Fidem, ſigilliq; ſacramentalis ſecretum, publica capitis truncatione obſignauit: eiuſdemq; trunci Capitis eminentiâ, non infami, ſed glorioſa, ab annis* 16. *ore hiante profitetur.*

Sed ne hæc bellorum calamitas ſua Ideæ Diuinæ *ſimilitudine carere videatur: ipſe Deus Exercituum, per eoſdem varia mala pœna, ſuis beneficijs ordinarijs contraria, permittit & immittit; vt hæc nobis illorum experientiâ & comparatione notiora, & chariora ſint. Quid-ni ergo Rex Catholicus Iure ſuo vtatur quibuſdam Copijs auxiliarijs etſi ab eis ſubditi & vicini tanta, quanta vnquam ab hoſtibus barbaris, patiantur? Vnde oppoſita æquitas militiæ Regiæ eluceſcit ac commendatur: diſcuntq; tam vicini quàm ſubditi, à quantis malis fuerint hoc ſæculo in Belgio & circa præſeruati, vel liberati, beneficio* Regis Catholici.

Cuius beneficij publica confeſſione, ſupplices deprecamur: ne Copiæ illæ auxiliares, ſuis rapinis, ſacrilegijs, Eccleſiarum incendijs, ſacrarum Imaginum ludibrijs, Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ conculcatione, & ſanguinis Catholici ac innocentis effuſione, Regis noſtri *purpuram cruentent; nec hanc Imaginē Ideæ Diuinæ commaculent.*

Ex angulo Conuentus noſtri Namurcenſis FF. Minorum Recollectorum: vnde glorioſiſſimæ memoriæ Ioannes *ille* Auſtriacus, *expiatis ad pugnam Ducibus, & ſacro Viatico munitis, primam illam in Belgio de Hæreticis rebellibus victoriam à Deo meruit; ſed vltimam & triumphalem alteri* Auſtriaco *reſeruauit,*

Hoc noſtro præſagio, & voto deuotiſſimo.

F. Matthias Havzevr.

Digitized by Google

FACVLTATES SVPERIORVM.

ORDINARIVS LEOD.

INſra-ſcriptus, licentiam facio R. P. F. MATTHIÆ HAVZEVR S. Theol. Lectori Iubilato, & Prouinciæ Flandriæ FF. Minorum Recollectorum Prouinciali, edendi prælo ſcripta Theologica in 4. Libros Sententiarum, ab hinc 20. annis Leodij publicè expoſita, à Theologis examinata, & approbata. Datum *Leodij* in Ædibus noſtris Clauſtralibus, hac 20. *Auguſti*, 1646.

IOANNES A CHOKIER.
Canonicus Leodienſis & Vicarius Generalis.

ORDINARIVS NAMVRCEN.

VIſis decem Theologorum teſtimonijs, quibus Opus hoc Commentariorum in 4. Libros *Sententiarum*, Authore *R. P. F. Matthia Hauzeur*, tanquam Fidei Catholicæ, Chriſtianæ pietati, ac modeſtię cõſentaneum iudicatur, nihilq; ab Eccleſiæ Cenſuris in eo alienũ reperiri: facultatẽ concedimus eã in lucem edendi. Datum *Namurci*, die 3. *Martij* 1652.

R. DV LAVRY Prępoſitus,
Vicarius Generalis, & Offic. Namurc. ſede vacante.

CENSOR TORNACENSIS:

HOc Opus in 4. Libros ſeu partes totius Theologiæ, Authore *R. P. F. Matthia Hauzeur*, in ſuo Ordine S. FRANCISCI S. Theol. Lectore Iubilato, & ſæpius Prouinciali, diligenter perluſtraui: nihilque in eo à fide Catholica, bonis moribus, vel Eccleſiæ cenſuris alienum inueni; ſed totum Doctrinæ Catholicæ, & Auguſtinianæ, Chriſtianæque pietati, ac modeſtiæ conſentaneũ. Ideoque ad maiorem Dei gloriam, & Eccleſię ædificationem, luce publica dignisſimum opus iudicaui. *Tornaci*, die 21. *Ianuarij* 1652.

MATTHIAS NAVEVS.
S. Theol. Doctor, Canonicus Theologalis, & Lib. Cenſor.

MINISTER GENERALIS.

FRater PETRVS MANERO *Miniſter Generalis Ordinis* totius S. FRANCISCI, *S. Theol. Lector Iubilatus.*

Facultatem facio *R. P. F. Matthiæ Hauzeur* S. Theol. Lectori Iubilato, & Prouinciæ noſtræ Flandriæ ſæpiùs Prouinciali, edendi hoc opus Theologicum in 4. Libros, ſeu partes totius Theologiæ, à multis S. Theol. Doctoribus ac Profeſſoribus examinatum, & approbatum, præuia facultate Ordinarij: eundemq; hortor, vt ad Dei & Ordinis noſtri Seraphici gloriam, talenta à Deo tam liberaliter donata ſemper impendat. *Datum Romæ*, in Conuentu noſtro Araçœlitano, die 11. *Iunij* 1651. Iteratum *Saonæ*, die 22. Octobris.

Frater PETRVS MANERO.
Miniſter Generalis.

COMMISSARIVS GENERALIS.

HArum virtute facultatem facio *R. P. F. Matthiæ Hauzeur* S. Theol. Lectori Iubilato, & Prouinciæ noſtræ Flandriæ FF. Minorum Recollectorum ſæpius Prouinciali, edendi hoc Opus in Libros Sent. ſeruatis legibus S. Conc. Trid. Datum Gandaui 3. Sept. 1650.

F. PETRVS MARCHANT.
Commiſſarius Generalis.

PROVINCIALIS.

AD maiorem Dei gloriam, & Eccleſiæ ædificationem, facultatem facio *R. P. F. Matthiæ Hauzeur* S. Theol. Lectori Iubilato, &c. & exhortor vt feſtinet edere in lucem Opus à multis deſideratum, & à probatiſſimis S. Theol Lectoribus ac Profeſſoribus examinatum & approbatum: cuius Titulus eſt, *Collatio totius Theologiæ inter Maiores noſtros, &c.* Datum *Namurci*, die 12. *Feb.* 1652.

F. ARNOLDVS A MERCIA.
Vicarius Prouincialis.

Digitized by Google

APPROBATIONES THEOLOGORVM.

INfraſcripti, Sacræ Theologię Lectores, perlegimus Opus *R.P.F. Matthiæ Hauzeur* S. Theol. Lectoris Iubilati: quo totam Doctrinam noſtri *Alenſis, S. Bon.* & *Scoti* ſingulari eruditione, acumine, & breuitate cõfert, & inter ſe ſatigit operosè & ingeniosè conciliare; ſimulque oſtendere, nec illos ab *Auguſtini*, nec *Auguſtinum* ab Eccleſiæ, ſacrorum Conc. aut Summorum Pontificum ſenſu diſſidere. Inſuper religiosè & modeſtę ſtudet declinare à cenſurandis & impugnandis Catholicorum Doctorum ſententijs, quoad ea quæ Gratiam & liberum Arbitrium concernunt: imò potiùs Hæreticorum errores ab Eccleſia damnatos neruosè impugnat, & confutat. Opus totum eſt ab omni errore in fide, & moribus purum, varia ſubtilitate, & ſingulari eruditione reſperſum, & Theologiæ ſtudioſis longè proficuum. Ita cenſemus. Datum in Conuentu *S. Antonij de Padua* FF. Minorum ſtrictioris Obſeru. *Louanij*, an. 1652. die 2.

F. BONAVENTVRA MICHANVS.
S. Theol. Lector, & Collegij præfati Guardianus.
F. AVGVSTINVS AFGANVS
F. THOMAS SIRINVS.
F. ANTONIVS CONMEVS
S. Theol. Lectores.

INfraſcriptus attentè legi & perpendi totam hanc doctrinam *R.P.F. Matthiæ Hauzeur* Lectoris Iubilati, à 34. annis mei in Philoſophia & Theologia Profeſſoris eximij: dogmaticè poſitam, Scholaſticè expoſitàm, Tropologicè compoſitam. Præclarum ſanè Opus: in quo nihil deprehendi à Fide, Cenſuris Eccleſiæ, aut probis moribus alienum. Ideoq; cenſeo prælo digniſſimum: vt ſingulari eruditione concinnatum, diligenti opera elaboratum, ſubtilibus conceptibus elegantiori ſtilo expreſſis refertum; ſolidis reſolutionibus, neruoſis argumentationibus, acutis reſponſionibus, ad aliquam Doctorum noſtrorum, *Alenſis, S. Bonauenturæ*, & *Scoti* inter ſe, & cum Principe Theologorum *Auguſtino* concordiam, ingeniosè excogitatis cõpactum, ſacræ Script. teſtimonijs, legitimorum Conciliorum definitionibus, *S. Auguſtini* ſelectioribus ſententijs contextum; quibus Catholicæ veritates firmiter adſtruuntur, Nouatorum errores potenter deſtruuntur, probitatis amatores vtiliter inſtruuntur, gloria Dei & Chriſti, excellentia Virginis Matris, dignitas & fructus Venerabilis Sacramenti mirificè illuſtrantur.

Actum *Niuellis* 1652. die 2. *Febr.*

F. ANTONIVS BVRON.
S. Theologiæ Lector Iubilatus.

HOc Opus in 4. Libros ſeu Partes Theologiæ, ſtudiosè legimus, & contulimus cum Doctoribus noſtris, Irrefragabili, Seraphico, & Subtili: ſummaque animi admiratione & voluptate harmonicum illum concentum ſeu conciliationem ſuſpeximus; quâ hi tres maximi Doctores noſtri, ex communi opinione in multis diſſentientes, in vnam eandemque ſententiam coaluiſſe videntur. Quibus accedens *S. Aug.* ſymphoniam veluti complet, ac pondere ſententiarum fœdus hoc ſacrum ſancit, & authoritate fulſit. Opus tam præclarum: vt *Alenſem* à tenebroſa prolixitate ad lucidiſsimam breuitatem euoluat, *S. Bonauenturam* ab illius Magiſtri ſui ore pendentem exhibeat, *Scoto* autem ab vtroque accenſam facem præferat. Quorum Authorum ſtudio, Theologus Irrefragabilis, Seraphicus, & Subtilis euadet: omnis denique fidelis contra omnes huius temporis Hæreſes omnibus armis omni ex parte inſtructus. Actum *Namurci*, in Conuentu noſtro FF. Min. Recol. 1652. die 1. Martij.

F. AMBROSIVS PEVPLVS.
F. BONAVENTVRA PERSAN,
S. Theol. Lectores.

INfraſcripti S. Theologiæ Lectores, attentè legimus, & examinauimus hoc præclarum Opus *R.P.F. Matthiæ Hauzeur* in 4. Libros ſeu Partes totius Theol. Quod vt in Sacræ Scripturæ & Eccleſiæ petra fundatiſsimum: SS. Patrũ, præ omnibus Auguſtiſsimi *Auguſtini* authoritate erectum, directum, protectum; conſenſu Maiorum noſtrorum, abſque vllo aliorum præiudicio, compactum; mira doctrinæ ac rationum copia cumulatum, meritò inter Spiritualia S. Eccleſiæ ædificia conſpici ac ſuſpici poſſe cenſemus. Datum *Leodij* in Conuentu noſtro FF. Min. Recol. hac *19. Decemb.* 1651.

F. BARTHOLOMÆVS d'ASTROY.
F. CAROLVS MATTHÆI.
F. FRANCISCVS LORNIART,
S. Theol. Lectores.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

1. De ſtudio Chriſtiano Sacræ Theologiæ.

HOc ſtudium ab obiecto ſuo commendatiſsimum, exigit animum humillimum, & deuotiſsimum: ad ſuſpiciendum ſupra ſuum captum, obiectum illud infinitum, de quo 1. *Ioan.* 2. *Maior eſt Deus corde noſtro*, & 1. Cor. 8. *Qui ſe exiſtimat aliquid ſcire, necdum ſcit quomodo oporteat eum ſcire*: & ad ſupplendum ac perficiendum affectu fidei, ſpei, & charitatis, defectum intellectus cæcutientis; eò plùs intenſiuè, & plus obiectiuè credendo, ſperando, diligendo, imò & fruendo ſuo obiecto, quò minus & minus capi vel attingi poteſt cognoſcendo. Quo ſenſu & affectu, *S. Aug. 12. Conf. 13.* de ſtudio ſacræ Script. *Mira profunditas eloquiorum tuorum Deus, mira profunditas: horror eſt intendere in eam; ſed horror honoris, & tremor amoris.* Vt infrà, de ſtudio Theologiæ myſticæ, *à col. 199. ad 206. 278. 279. In 2. 223. 414. 418. 424.*

Ne tamen animus à luce obiecti ſui, ad proprias tenebras, quaſi ad ipſam caliginem Diuinam reſiliat: nec ex ſolo libro aut luce eiuſdem obiecti, nec ſolo proprio lumine intellectus, imò nec fidei infuſæ ſtudere præſumat; ſed etiam auditu fidei acquiſitæ, & quaſi viuæ vocis Oraculo Diuino, è ſummo cœlo ſeu fornice Eccleſiæ, per totam eius ſcholam, libros, & ora Doctorum reſonantis. Exemplo ipſius *B. Aug. 1. Trin. 3. Omnes quos legere potui, qui ante me ſcripſerunt, &c.* Lib. 1. Doct. Chriſt. in Prologo. *Non tentemus eum cui credidimus: ne ad ipſum quoque Euangeliū audiendum atq; diſcendum nolimus ire in Eccleſias, aut codicem legere, aut legentem, prædicantemq; hominem audire, & expectemus rapi vſq; in tertium cœlum*, vt 2. Cor 12. *Caueamus tales tentationes ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas, &c. Quomodo enim verum eſſet, 1. Cor. 3.* Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos: *ſi Deus de humano templo reſponſa non redderet? Deinde ipſa Charitas non haberet aditum recondendorum, & quaſi miſcendorum ſibimet animorum, ſi homines per homines nihil diſcerent.*

Nec auocat ſtudioſos lectores & auditores à ſtudio exteriori, ad ſolum internū, Libro de Magiſtro c. 11. *De ijs quæ intelligimus, non loquētem qui perſonat foris: ſed intus præſidentem conſulimus veritatem, verbis fortaſſe vt conſulamus admoniti. Ille autem qui conſulitur, docet* .i. Chriſtus, *Dei Virtus & Sapientia. Quam quidem omnis anima rationalis conſulit: ſed tantum cuiq; panditur, quantum capere pro bona vel mala volūtate poteſt.* Libro 1. Retr. 12. *Scripſi librum de Magiſtro: in quo quæritur & inuenitur, Magiſtrum non eſſe qui docet hominem ſcientiam,* Pſal. 93. *niſi Deum.* Matt. 23. *Vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.* Sed per ſtudium externum, dirigit ac erigit attentionem & intentionem ad illam Lucem, quæ ſola refulgens in apice mentium, illuminat eas lumine naturali & ſupernaturali, habituali & actuali veritatis: & ad illud Verbum Diuinum, cuius velut Echo reſonat in fundo earundem mentiū. Monetque ad pandendum, & conuertendum ei affectum veritatis, quo excipiatur: non autem propriæ aut alienæ opinionis vel voluntatis, quo inficiatur & confundatur. Vt ſubdit ibidem cap. 12. *Si quando fallitur, non fit vitio conſultæ veritatis: vt neq; huius quæ foris eſt Lucis vitium eſt, quòd oculi ſæpè falluntur.* Et 10. Conf. 23. *Cur veritas odium parit: niſi quia ſic amatur, vt quicunq; aliud amant, velint eſſe veritatem.* Et 10. Conf. 26. *Vbiq; veritas præſides omnibus conſulentibus te: liquidè tu reſpondes; ſed non omnes liquidè audiunt. Omnes vnde volunt conſulunt: ſed non ſemper quod volunt audiunt.* Lib. 12. cap. 25. *Non nouerunt* Moyſis *ſententiam, ſed amant ſuam: non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt; alioquin & aliam veram pariter amarent, &c. Si ambo videmus verum: nec ego in te, nec tu in me; ſed ambo in ipſa quæ ſupra mentes eſt incommutabili Veritate.* Non in ipſa obiectiuè, ſaltem clarè & diſtinctè: ſed ab ea cauſabiliter, ex ea participatiuè, in ea finaliter, ad eam relatiuè.

Quòd ſi quæ de Deo veritates, naturaliter, ſeu ex ſolo lumine naturali, & obiecto interno, aut ſpecie connaturali, vſque

Digitized by Google

vſq; ad aliquos primos motus intellectus & voluntatis in animo ſcintillant: non tamen vſque ad conſenſum voluntatis, nec aſſenſum intellectus; nec vſque ad vllam primam apprehenſionem myſteriorum SS. Trinitatis, Incarnationis, vel vllius effectus ſupernaturalis; imò, in natura ſaltem corrupta, nec vſque ad ipſos primos motus, niſi ex aliqua præmotione, aut præmonitione ſenſuum. Vt ex profeſſo *in 2. à col. 417. ad 425. De cognitione naturali animæ humanæ.* Vnde patet quanta ſit neceſsitas Doctrinæ reuelatæ, & diſciplinæ ſtudioſæ.

De motiuo & fine huius Operis.

ECcli.12. *Faciendi plures libros nullus eſt finis.* Ioan.21. *Nec ipſũ mundũ arbitror capere poſſe, &c.* Quia ALPHA & OMEGA noſtri *Alphabeti*, ſeu principium & finis omnis Doctrinæ, eſt infinita Sapientia Dei, vt in infinitũ participabilis: ideoq; *Eccli.13.* non improbatur, ſed potiùs approbatur eius in infinitum communicatio, & participatio.

Sed præter hunc finem communem: plura ſunt motiua, & fines proprij huius Operis. 1. Ad exponendam Doctrinam Ordinis noſtri iudicio publico Eccleſiæ: ne de vllo ſecreto errore, aut periculo ſuſpecta eſſe poſsit. Contra hanc calumniam in Conſilio Regio Brabantiæ ab æmulis Religioſorum oppoſitam. Cùm tamen in his Doctrina ſacra ſit antiquior, conſtantior, vniuerſalior, & ab omni periculo grauis erroris ſecurior, quã extra.

2. Ad renouandam & cõciliandam Maiorum noſtrorum Doctrinam: contra tam varias & nouitias opiniones, auribus prurientes, & animis luxuriantes. Cùm enim Veritas conſiſtat in centro indiuiſibili, ad quod omnes collimant, & cuius prima notitia eſt ab antiqua reuelatione oriunda: quo plures & recentiores circa eam opiniones, eò ſuſpectiores, & ab ipſa Veritate diſtantiores. Hinc præſtat omnes ad eandem Veritatem reducere: quàm in infinitum variè opinando conſcindere.

3. Ad confirmandam noſtrã Anatomiã, ſeu Commentarium in omnia & ſingula Opera *Beati Auguſtini*: eadem in pleriſque & difficilioribus interpretatione Maiorum noſtrorum. Ab annis enim circiter 30. paulatim ſtudio priuato commentatus, ex ſolo contextu, & collatione *B. Auguſt.* ſecum ipſo, & cum poſterioribus Concilijs ac Cenſuris Eccleſiæ, pauciſque eius prioribus diſcipulis: poſtea reflectendo & conferendo difficiliora cum noſtris Authoribus, magna animi ſatisfactione, incidi in eundem eorum ſenſum. Quem ideo confido eſſe ipſiſſimum ſenſum *B. Aug.* & Eccleſiæ.

4. Ad perfectiorem obſeruantiã *S. Conc. Trid. ſeſſ.* 4. contra ſecretas doctrinas manuſcriptas: ſub quibus varij errores facilè ſerpere poſſunt; ex malitia, errore, inaduertentia, vel ignorantia, ſub alicuius, vel nullius nomine. Prout aliquando comperi, ex dictatis, vel dictis, ſcripto alieno vitioſè exceptis, & ſic publicatis.

5. Ad inſtantiam omnium Lectorum noſtræ Prouinciæ, anno 1646. in ſolatium Studioſorum, ſæpè nimio labore ſcribendi, vltra alia diurna & nocturna Religionis exercitia, pectore deficientium. Quibus tunc ex proprio Officio Prouincialis, & conſilio Diffinitorij noſtri, conſenſum præbui: ſed tantam copiam Doctrinæ noſtrorum Authorum, neceſſariò magna breuitate cumulaui; non ſolùm in materiam ſtudendi & diſcendi, ſed & viua voce docendi, explicandi, corrigendi, perficiendi.

De Authoribus noſtris.

NOn ſumus de quibus dicatur, *Autos Epha* .i. ipſe dixit: nec qui propria ſententia aut opinione in nobis ipſis ſubſiſtamus, quantominùs alios fulciamus. Sed in Dogmaticis & certis, nitimur communi fundamento ſacræ Script. & Eccleſiæ,: Scholaſtica autem, quaſi *Balſamo* Doctrinæ *Auguſtinianæ* condimus; & ad trium *Maiorum* noſtrorum, præ alijs, ſenſum collimamus.

Quorum 1. eſt *F. Alexander Alenſis*, ex *Patriarcha Theologorum* Scholaſticorum, & *Doctore irrefragabili*, amore Dei, & B.M.V. ad Ordinem *S. Franciſci* Fratrum Minorum, conuerſus. Cuius Doctrina Scholaſtica, & moralis, ſine vllius præiudicio, omnibus præeminet: non ſolùm antiquitate; ſed & copia, ordine, & authoritate *Innocentij 4.* cuius iuſſu ſcripta, & *Alexandri 4.* à quo, præuio examine ſeptuaginta Doctorum, approbata fuit. Vt ex *Poſſeuino*, & alijs, noſter *Wadingus* ad annum 1245. ſuorum Annalium.

2. Eſt *F. Euſtochius* ſeu *S. Bonauentura, Doctor*

Doctor Seraphicus,& *S. Thomæ*, ſub eodem Magiſtro *Alenſi*,Condiſcipulus. De quibus ſimul *Ioannes Gerſon Cancel.Pariſ.* Epiſtola ad quendam Fratrem Minorem. *Noſter Euſtochius, Bonauentura,voluit eſſe Doctor ardens, &c. Idcirco,ſecundùm laudem vitæ & doctrinæ, antonomaſticè Doctor Seraphicus nominatur, &c. Secutus eſt Doctrinam communem & ſolidam ſui temporis. Vnde & allegat Articulos damnatos à G. Epic. Pariſienſi, de conſilio & conſenſu omnium Magiſtrorum. Viuente tunc & conſentiente F. Alexandro de Ales. Cuius Doctrina, quantæ ſit vbertatis,dici ſatis nequit. De quo fertur reſpondiſſe S. Thomas: Optimus modus ſtudendi,eſt exercere ſe in vno Doctore, Alexandro de Halis*,&c. *Sed ecce, proh dolor, Doctores iſti duo, Alenſis & S. Bonauentura, videntur quaſi ſepulti. Extolluntur alij*,&c.

3. Eſt *F. Ioan. Duns Scotus*, titulo meritiſsmo *Doctoris Subtilis*, ab *Vniuerſitate Pariſienſi*, approbante *Papa*, celebratus: non quaſi ſit in ſe obſcurus & confuſus,vt à ſolis imperitis, & in ſeipſis obſcuris ac confuſis æſtimatur. Sed vt acus ſua ſolida ſubtilitate penetrat, & filum traducit: ſic & ipſe ſuos ſtudioſos diſcipulos, per quaſuis difficultates ſcholaſticas. Quas & penetrando, non vt *Nodos Gordios* acie ingenij conſcindit: ſed diſſoluit, & in ſuas diſtinctiones formales reſoluit.Hinc vt rudia & rubigine infecta, cote aquaria vel olearia affricantur, poliuntur, & ad omnem vſum acuuntur: ſic & ingenia ſtudio Doctoris Subtilis; non tamen nimio & continuo eiuſdem ſolius, quaſi in atomos,& puluerem conterenda ſunt. Ad quam cotem liniendam,oleum,& opellam noſtram impendimus.Nec vt *Magiſterium*, ſic & hoc *Miniſterium* docendi in Eccleſia, eſt contra aut ſupra ſtatum humilem & pauperem Mendicantium: ſed medium honeſtiſſimè victitandi, & ab Eccleſia merendi titulum,non otioſè, odioſè, impudenter, ſed Religioſè mendicandi.

De ordine Doctrinæ.

ORdo materialis *Magiſtri Sententiarum, Petri Lombardi quondam Epiſc. Pariſienſis*:quoad diuiſionem in 4.Libros, eſt optimus. Quorum 1. eſt, *De Deo Vno & Trino.* 2. *De creatione, & creaturis: præcipuè rationali, & humana; deq; eius primo ſtatu, & lapſu.* 3. *De Chriſto vt Filio Dei, & homine, naturaq; humanæ Saluatore, per ſua merita,gratiam, & virtutes.* 4. *De medijs & remedijs Sacramentalibus ad ſalutem: deq; 4. Nouiſſimis, ſeu Fine ſalutis æternæ, vel defectu æterno ab hoc fine.* Sed eius ſubdiuiſio in Diſtinctiones, eſt nimis promiſcua & confuſa: ideoq; eam *Alenſis* primus correxit in Quæſtiones ordinatiſsimas. Quem per pauciores, ſed ampliores quæſtiones imitamur.

Ordo noſter formalis eſt: vt præponamus Compendium ſingulorum trium *Authorum* noſtrorũ in *Librũ* ſeu *Partem* 1. Non per ſolos titulos, nec per eaſdem ambages: ſed ſaltem per *Reſponſiones* titulares .i. *De hoc, aut illo*; non quaſi inquirendo, ſed reſoluendo, & ſubijciendo ſelectiorem Doctrinam ad argumenta, non propoſita, ſed indicata. Vt eodem quaſi aſpectu, omnia conferri poſſint:per indicia relatiua *Scoti* ad *S.Bon.* & vtriuſq; ad *Alenſem*. Quibus ſubijcimus noſtras Quæſtiones ſub titulis amplioribus:ad recolligendum, conferendum, nouis controuerſijs ſupplendum, & conciliandum Doctrinam noſtrorum *Authorum* inter ſe, cum *B.Aug.* & poſterioribus *Concilijs*, ac *Cenſuris Eccleſiæ*. De quo ordine ſingularum Quæſt. noſtrarum *col.69. Indicum.*

Quo ordine procedimus in 1. eodem & in 2. ex quibus componimus *Tomum 1.* Eodem in 3. & 4.ex quibus componimus *Tomum 2.* Excepto quòd in 4.ob nimiam materiæ copiam, breuiùs, & diſtinctiùs indicemus doctrinam noſtrorum Authorum de *Sacramentis* in genere, deinde de ſingulis, demum de 4. *Nouiſſimis*: Sed eam latiùs reſumamus per noſtras *Quæſtiones.* Quòdque in 1. & 3. non tam diſtinctè & expreſsè proponamus aut reſoluamus Quæſtiones noſtras. *Dogmaticè, Scholaſticè, & Moraliter*, quàm in 2.& 4.

Ne autem nimia copia materiæ, breuitas dictionis noſtræ Laconica & *Tertulliana*, nominum & verborum ſubintelligẽtibus parciſſima,paucitas, ac longitudo Quæſtionum noſtrarum,confuſionem, & tædium pariat,vel vſum huius Operis difficilem reddat: totum diſtinguimus,& ad ſingula lectorem dirigimus, per aliquot Indices doctrinæ,quos *Tomo 1.* vt breuiori ſubnectimus.

Index 1. A n.1. *Indicum* ad 29.eſt Controuerſiarum Scholaſticarũ, inter Scholam *S. Thomæ* & *Scoti*, ſeu noſtram: ex Conciliatione *Cardinalis Sarnani*; non

Digitized by Google

tam ad hanc in omnibus approbandam, quàm ad indicem, & quandam noſtrarum Conciliationum excuſationem.

2. Eſt conciliationũ *Scoti* ſecũ ipſo, à 29.

3. Eſt noſtrarum conciliationum inter *Alenſem*, *S. Bon.* & *Scotum*, cum S. *Aug.* Sacris *Conc. Decretis* & *Cenſuris Eccleſiæ*. à 34.

4. Eſt ſingularum Quæſtionum, & Titulorum *Alenſis* in ſuas 4. *Partes*: addito ad calcem *Indice* opinionum, illo, & ab illo tempore cenſuratarum. A *col.* 41.

5. Eſt S. *Bon.* in 4. *Libros Sent.* à 53. *ad* 62.

6. Eſt *Scoti*, in eoſdem Libros 4. à 62.

7. Eſt noſtrarum Quæſtionum in ſingulos 4. Libros ſeu Partes Theol. à *col.* 69.

Nullus autem *Alphabeticus*: ob nimiam materiæ copiam, cui vix vllus mediocris *Index alphabeticus* ſufficeret. Sufficiunt autem *Indices doctrinales*, Theologo ſaltem mediocri: ſcienti quid, quo Libro, vel Parte Theologiæ tractari ſoleat, & quæri debeat. Equidem etiam in *Alphabeticis* ſæpè quærendum eſt per varia nomina. Facilitat etiam vſum principalem huius Operis, Index ſequens: De praxi, & principijs Theologicis huius totius Operis: contra pleraſque *Hæreſes*, & Opiniones *cenſuratas*, & hic indicatas.

De Vſu & Praxi Theologica huius totius Operis.

NE videatur ad ſolam ſpeculationem: ſed potiùs ad ſolam praxim, *Fruitionis*, & *Vſus*. *De modeſtia, pietate, & modo practico docendi Alenſis*, P. 1. De Deo Vno & Trino, vt colendo. *In Titulo.* *ALPHA, & OMEGA Chriſti nomine inuocato, &c.* Q. 1. m. 1. *Sapientia ſecundùm ſuum nomen eſt, Eccli. 6.* .i. ſapida ſcientia. *Quæſt.* 10. m. 5. art. 3. *An ſit Deo poſſibile, &c.* Reſp. *Nihil temerè aſſerendo, cum omni modeſtia &c.* q. 68. *Nõ eſt credibile iſ peritos viros hæreſim ſenſiſſe.*

Parte 2. Nihil moraliùs, & practicabiliùs, quàm de Cauſa prima, etiam vt finali, omnibuſq; creaturis, præcipuè rationali & humana, à primo eius ſtatu naturæ, & gratiæ, vſque ad lapſum in primum peccatum, & inde: in omnia vitia: ſtudioſè & diſtinctè, ad ea practicè per gratiam cauenda & corrigenda. Inter quæ: quàm modeſtè *q.* 91. *m.* 1. *art.* 2. Reſp. *Videtur inſipientia mea, &c.*

Parte 3. Quid etiam moraliùs, & practicabiliùs: quàm de Chriſto, vt Deo & homine Saluatore, eiuſque Deipara Matre, Meritis, Gratia, omnibus Legibus, Præceptis, Conſilijs, Virtutibus, Theologicis, & moralibus, vt per Chriſtum ſalutaribus? Quàm modeſtè, deuotè, doctè ſimul & practicè, q. 2. m. 3. *Si quis intelligat, ego non intelligo, &c.* q. 4. m. 2. *Vt Pater accipiens vxorem Filio ſuo, non eam ſibi accipit, nec inde vxoratur: ſic Pater, Filius, & Spiritus aſſumunt naturam humanam; ſed ſoli Filio, q., & ſolus incarnatur.* q. 7. m. 1 *Non ſumus digni corrigiam calceamenti eius ſoluere* .i. vnionem hypoſtaticam. M. 3. *Eſt quaſi inſertio: quâ vnum non fit alterum, nec in altero vt ſubiecto; ſed fit de eſſe alterius, &c.* q. 19. *De morte Chriſti: de qua*, inquit, *potiùs lugendum, quàm diſputandum.*

Pars 4. eſt tota, & proximè practica, ſeu dirigens vſum actualem. Sacramentorum, & omnium bonorum operum, *à col.* [illegible]1. *ad* 692. ad iuſtificationem, ſatisfactionem, & ſalutem finalem.

Sic & S. *Bon.* Vt in 1. d. 1. a. 1. q. 2. *De Fruitione & Vſu.* D. 19. a. 2. q. 4. *Scio de Chriſto, quòd tantum habet gloriæ, quantum poteſt recipere creatura: & credo hoc ipſum de Matre dulciſſima.* d. 41. art. 1. q. 2. ad 6. *An & ob quorum bonorum præuiſionem Deus prædeſtinauerit: nec ſcio, nec volo quærere nec eſt ratio niſi congrua.*

In 2. d. 23. art. 2. q. 3. *Poteſt mens ità in Deum ferri, vt eleuetur in caliginem per omnium obliuionem, &c.* de myſtica Theol. *Hunc modum arbitror cuilibet viro iuſto in hac vita eſſe quærendum. Tempore Alexandri de Ales Patris & Magiſtri noſtri.*

In 3. d. 1. art. 1. q. 2. *Vt tres puellæ poſſunt vnicam veſtire eadem veſte, & vnica à tribus veſtiri: ſic & tres Perſonæ Diuinæ ſolum Filium incarnare, & hic à tribus incarnari.* Art. 2. q. 2. *Quis horum modorum melior ſit, nouit qui pro nobis incarnatus eſt, &c. Secundus, vt apparet, plus conſonat pietati.* Diſt. 3. art. 1. q. 1 *Confido quod ſi quis hanc ſolemnitatem* .i. Conceptionis B. V. M. *celebrat ex deuotione: Benedicta Virgo eius deuotionem acceptet.* Diſt. 16. *De* Paſſione, & Dolore Chriſti, pijſſimè. In Epilogo. *Gratias Chriſto, qui adiuuit me ad conſummationem huius opuſculi, miſeratus paupertatem ſcientiæ, &c.*

In 4. d. 1. q. 4. *Neſcio quæ ſit verior opinio: quia cum loquimur de eis quæ ſunt miraculi, non multum adhærendum eſt rationi.* Diſt. 21. p. 2. q. 3. *Confeſſores qui ramuſculos in confeſſionibus inquirunt, & audiunt, &c. vix aut nunquam à peccato detractionis excuſantur.*

Nec *Scotus* caret ſua modeſtia, deuotione, & modo practico. Vt in 1. tota diſt. 1. De *Fruitione*, & *Vſu*: explicando etiam metaphoricè. *Diſt.* 2. q. 4. d. 28. q. 3. Quantam difficultatem explicat, comparatiuè, exceptis imperfectionibus. *Diſt.* 3 q. 1. Quàm modeſtè opinatur: *Non aſſerendo, quia non conſonat communi opinioni. Diſt.* 8. q. 5. Quàm modeſtè alios cenſurat. *De intentione illorum neſcio: ſed nolo eis imponere abſurdiora quàm dicant, vel inde neceſſariò ſequantur. Diſt.* 11. Quàm pacificè, & fideliter. *Si fortè duo, &c. Diſt.* 23. 25. 26. 28. Quàm non eſt propriæ opinionis, ſed potiùs communis. Sic & *Diſt.* 41. q. 1. De Prædeſt. quã procul à præſumptione, & temeritate. *De his opinionibus, neſcrutando de profundo eatur in profundũ, eligatur quæ magis placet.*

In 2. d. 11. Quàm practicè, & expertè, de raptu animi à Deo, Diabolo, vel natura. *In* 3. d. 3. q. 1. Quàm modeſtè, piè, & fideliter. *Quod horum factum ſit, Deus nouit. Si authoritati Eccleſiæ, vel Scripturæ non repugnet: videtur probabile, quod excellentiùs eſt attribuere Mariæ. Diſt.* 9. Quàm practicè & cautè. *Conſultum eſt in adoratione Chriſti non nimis diſtinguere*

Digitized by Google

Digitized by Google

tam ad hanc in omnibus approbandam, quàm ad indicem, & quandam noſtrarum Conciliationum excuſationem.

2. Eſt Conciliationum *Scoti* ſecũ ipſo, à 29.
3. Eſt noſtrarum Conciliationum inter *Alenſem*, *S. Bon.* & *Scotum*, cum *S. Auguſt.* Sacris *Conc. Decretis*, & *Cenſuris Eccleſiæ*. à 34.
4. Eſt ſingularum Quæſtionum, & Titulorum *Alenſis* in ſuas 4. *Partes*: addito ad calcem *Indice* opinionum, illo, & ab illo tempore cenſuratarum. A *col. 41.*
5. Eſt *S. Bon.* in 4. *Libros Sent. à 53. ad 62.*
6. Eſt *Scoti*, in eoſdem Libros 4. *à 62.*
7. Eſt noſtrarũ Quæſtionum in ſingulos 4. Libros ſeu Partes Theol. *à col. 69.*

Nullus autem *Alphabeticus*: ob nimiam materiæ copiam, cui vix vllus mediocris *Index alphabeticus* ſufficeret. Sufficiunt autem *Indices* doctrinales, Theologo ſaltem mediocri: ſcienti quid, quo Libro vel Parte Theologiæ tractari ſoleat, & quæri debeat. Equidem etiam in *Alphabeticis* idem ſæpè quærendum eſt per varia nomina.

Nec vllus Index correctorius: quia non exponitur Literionibus, apicum mordacibus; ſed Theologis peritis ac beneuolis, qui errores typographicos, etiam à vero ſenſu alienos, faciliùs per ſeipſos ex toto contextu corrigent, quàm per vllum Indicem correctorium.

Facilitat etiam vſum principalem huius Operis, Index ſequens: De praxi, & principijs Theologicis huius totius Operis: contra pleraſque *Hæreſes*, & Opiniones *Cenſuratas*, & hîc indicatas.

De Praxi & Vſu huius Operis.

NE videatur ſua breuitate, quadam verborum parcitate, & doctrinæ cumulatione, nimis confuſum, ſpeculatiuum, ineptum, aut difficile ad praxim fruendi Deo quietè, vtendi medijs diſtinctè, diſcendi & docendi ſtudiosè: nec ſua ſola conciliatione, ingenia & ſtudia ab exercitio relaxare. Quia non eſt minùs ſtudioſa & ingenioſa conciliatio, quàm contentio: ipſaque breuitas, difficultas, cumulatio, & inuolutio rarioris doctrinæ, animum colligit, intendit, & delectat. Nec vlla eius doctrina eſt tam breuis, promiſcua, confuſa, vel difficilis: quin ſub diſtinctis titulis aut difficultatibus ſtudioſis ac ingenioſis ſatis explicetur, vel relatiuè ad noſtrum *Cõmentarium* totius Doctrinæ Auguſtinianæ indicetur. Rudiores autem habent etiam hîc plurima & facilia moralia, quibus practicè erudiantur.

Vt patet ex modeſtia, pietate, & doctrina practica noſtri *Alenſis*. P. 1. de Deo vno & Trino, vt colendo. In Titulo. *ALPHA & OMEGA CHRISTI nomine inuocato, &c.* q. 1. m. 1. *Sapientia ſecundùm ſuum nomen eſt* .i. Sapida ſcientia. q. 20. m. 5. a. 3. *Nihil temerè aſſerendo, cum omni modeſtia, &c.* q. 68. *Non eſt credibile tam peritos viros hæreſim ſenſiſſe.*

P. 2. De Deo vt cauſa prima, & fine vltimo omnium, ſed ſupernaturali creaturæ rationalis, præcipuè humanæ: eiuſque primo ſtatu naturæ & gratiæ, ſed lapſu in primam culpam, indeque in omnia vitia. De quibus ſingulis diſtinctiſſimè, & practicè: ad ea cauenda, & corrigenda. Inter quæ, quàm modeſtè q. 91. m. 1. a. 2. Reſp. *Videtur inſipientia mea, &c.*

Parte 3. De Chriſto vt Deo & homine Saluatore, eiuſque Deipara Matre, Meritis, Gratia, omnibus Legibus, Præceptis, Cõſilijs, Virtutibus, Theologicis, & moralibus, vt per Chriſtum ſalutaribus. Inter quæ, quàm modeſtè, q. 2. m. 3. *Si quis intelligat, ego non intelligo, &c.* Quàm moraliter & facilè, in re difficillima, q. 4. m. 2. q. 7. m. 3. Quàm piè q. 7. m. 1. *Non ſumus digni corrigiam calceamenti eius ſoluere* .i. vnionem hypoſtaticã. q. 19. *De morte Chriſti potiùs lugendum, quàm diſputandũ.*

Pars 4. Eſt tota, & proximè practica, ſeu dirigens vſum actualem Sacramentorum, & omnium bonorum operum, *à col. 671. ad 692.* ad iuſtificationem, ſatisfactionem, & ſalutem finalem.

Sic & *S. Bon.* In 1. d. 1. *De praxi fruendi & vtendi.* d. 19. a. 2. q. 4. *De ſumma gloria Chriſti & dulciſſimæ Matris eius.* d. 41. Quàm humiliter de Prædeſtinat.

In 2. d. 23. a. 2. q. 3. quàm practicè & myſticè: Quàmq; reuerenter de *Alexandro ab Ales, Patre,* inquit, *& Magiſtro noſtro.*

In 3. d. 1. a. 1. q. 2. Quàm facili metaphorâ ad rem difficillimam! Art. 2. q. 2. Quàm modeſta ſententia! d. 3. a. 1. q. 1. Quàm piè de ipſa Conceptione B. V. M. & d. 16. De Paſſione & Dolore Chriſti. In Epilogo. *Gratias Chriſto, qui adiuuit me ad conſummationem huius opuſculi, miſeratus paupertatem ſcientiæ & ingenij mei, &c.*

In 4. Quàm practicè de Sacramentis! Vt d. 21. a. 2. q. 3. *Confeſſores qui ramuſculos in confeſſionibus inquirunt, & audiunt, &c. vix aut nunquam à peccato detractionis excuſantur.*

Sic & ipſe *Scotus* in 1. d. 1. quàm præclara metaphorâ explicat *fruitionem, & vſum* vel abuſum. d. 2. q. 4. d. 27. q. 3. Quàm facili comparatione explicat Vnitatem Dei & Trinitatem Perſonarum! d. 3. q. 1. Quàm modeſtè opinatur. d. 8. q. 5. Quàm modeſtè alios cenſurat! d. 11. Quàm pacificè & fideliter: *Si fortè duo, &c.* d. 23. 25. 26. 28. Quàm non eſt propriæ opinionis! d. 41. q. 1. Quàm procul à temeritate, de Prædeſtinatone.

In 2. d. 11. quàm practicè, & expertè, de raptu animi à Deo, Diabolo, vel natura! In 3. d. 3. q. 1. quàm modeſtè, piè, & fideliter! *Quod horum factum ſit, Deus nouit. Si authoritati Eccleſiæ, vel Scripturæ non repugnet, &c.* d. 9. Quàm practicè & cautè: *Conſultum eſt in adoratione Chriſti non nimis diſtinguere*

Digitized by Google

guere naturam humanam à Verbo. Diſt. 13.q.1. Quo ſpiritu, pluſquam literâ. *In commendando Chriſtum, malo excedere, quàm deficere.* d. 18.19. & *quod.* 20. Quam diſtinctè & practicè, de merito Chriſti eiuſque à Deo acceptatione, &applicatione. Sic & in d.25. de obligatione credẽdi actu, quæ, &quãdo

In 4. d. 15. Quàm peritè & practicè de omni Iure, Iniuria, & Reſtitutione, &c.

Nec nos profuſis noſtris Quæſtionibus in ſpeculationes euaneſcimus: ſed ſingulis ad ſcopum, ſeu praxim communem aut propriam collimamus. Vt patet ex ſpecimine ſingularum.

De praxi Theologica libri 1.

CVius omnes QVÆSTIONES ſunt practicæ, ſeu directiuæ Fidei, Spei, Charitatis, & cultus Dei: ſed ſingulæ alicuius praxis ſpecialis; ex varijs Sententijs *S. Script.* & *SS. PP.* quibus conditæ ſunt.

VT QVÆSTIO 1. *Proæmialis*, eſt practica contemplandi myſticè, fruendi affectiuè, loquendi & viuendi Theologicè ſeu *ſapienter*: non ſolùm ſpeculando, ſapiendo, guſtando, & quaſi circa Deum vt obiectum luxuriando; ſed ex eo vt exemplari omnium agendorum, quaſi concipiendo, pariendo, exprimendo, & participando. Hinc *Matt.* 12. *Quomodo poteſtis loqui bona, cùm ſitis mali, &c.* contra eos qui non viuunt ſecundùm ſuam fidem, ſcientiam, & doctrinam.

QVÆST. 2. *De Eſſentia, & nomine Dei, Qui eſt.* Præter illam praxim communem, monet practicè, nos quaſi nihil eſſe; &tamen debere eſſe ipſo facto quod ſumus naturâ, gratiâ, ſtatu, nomine, &c.

QVÆST. 3. *De infinita perfectione Dei: non perſonali, & relatiua, ſed communi, & abſoluta, & in ſeipſa formaliter diſtincta*: eſt practica diſtinctè imitandi, & participandi, nec affectandi perfectiones quaſi proprias, nec relatiuas ad alios, ſeu ſupra.

QVÆST. 4. *De perfectiſſima Simplicitate Dei, identificante realiter omnes perfectiones diuinas*: eſt practica noſtræ ſimplicificationis moralis, in loquendo, intendendo, & adhærendo ſoli Deo, vſq; ad aliquam identitatem affectiuam: contra omnem duplicitatem, ſeu fictionem, multiplicitatem intentionum & affectuum, quaſi compoſitionem, ſeu vnionem & affectationem alterius obiecti.

QVÆST. 5. *De Incommutabilitate Dei*: quam *S. Dion.* vocat *eundem ſtatum, motum, & ſeſſionem Dei.* Eſt practica conſtantiæ in ſtatu gratiæ, & virtutis: non ſolùm habituali, ſed quaſi actuali, adhærendi ſoli Deo affectiuè; inde tamen extendendi ſe ad alia effectiuè, terminatiuè, attractiuè, non adhæſiuè.

QVÆST. 6. *De Æternitate Dei*: Eſt practica vt ſupra, & vltra vt *S. Aug.* in *Pſal.* 101. *Iunge cor tuũ æternitati Dei, & cum illo æternus eris* .i. gratulando Deo de ſua æternitate, pluſquam ſi noſtra eſſet; & eminendo mente æſtimatione & affectu ſtabili ſuper omnia mobilia & temporalia.

QVÆST. 7. *De Immenſitate, & Vbiquitate Dei*: non extenſiuè per ſpatia, etiam imaginaria; ſed quaſi intenſiuè, infinitâ ac intimiſſimâ præſentiâ reali & morali in ſeipſo, & neceſſariò terminatiuâ omnis poſſibilis præſentiæ & ſubexiſtentiæ ſibi. Corrigit noſtram imaginariam præſentiam Dei: dirigit ſiſtit & moderatur noſtram tam moralem, quàm realem ſubexiſtentiam, & neceſſariam, immediatam, ac intimam ad Deum præſentiam; vt ad terminum huius noſtræ formalis dependentiæ.

QVÆST. 8. *De Incomprehenſibilitate, Inuiſibilitate, & Ineffabilitate naturali Dei à nobis*: ex infinita eius perfectione obiectiua. Moderatur omnem curioſitatem & præſumptionem intellectus, ac voluntatis noſtræ circa Deum vt obiectum.

QVÆST. 9. *De vnitate Dei ſingulariſſima*: eſt practica vnicè colendi eum, vt vnicum Deum, noſq; omnes, & omnia noſtra vniendi, & referendi ad eum, vt lineas rectas circumferentiæ noſtræ ad vnum idemque centrum.

QVÆST. 10. *De infinita Veritate obiectiua intellectus*, velut Facie & infinita pulchritudine Dei. Eſt practica omnis noſtræ veræ cognitionis, & ordinati affectus. Cùm & noſtra etiam cognitio vt dirigibilis, ſit quædam, ſaltem per accidens, praxis. Reddit nobis omnem veritatem obiectiuam amabilem: vt participem illius faciei ſeu pulchritudinis diuinæ. De qua toties *S. Aug. Serò te amaui veritas, & pulchritudo æterna, &c.*

QVÆST. 11. *De infinita Bonitate Dei obiectiua voluntatis, & fruitionis*: eſt propriiſſimè practica noſtræ fruitionis Dei. De qua *q.* 1. *col.* 2.3. *Q.* 8. *col.* 289. & hac *q.* 11. *col.* 342.343.

QVÆST. 12. *De infinita perfectione Intellectus Diuini*: quæ eſt ipſa eius Veritas formalis, in cognoſcendo, & dicendo ſeipſum adæquatè, & omnia ex ſeipſo, & in ſeipſo. Eſt practica noſtri maximi reſpectus & affectus ad illam infinitam veritatem formalem, & ad omnem eius participem: Specialiter ad noſtram illam in Deo Ideam, & intimam coram illa Veritate intuente præſentiam.

QVÆST. 13. *De infinita perfectione Voluntatis Dei: in amando adæquatè ſeipſum propter ſe, & ſpirando amorem ſibi æqualem; volendo autem vel nolendo ab æterno omnia, in, ex, propter, & extra ſe.* Eſt propriè practica omnis obedientiæ, reſignationis, confidentiæ, ſub illa prima voluntate, vt liberrima, æquiſſima, & optima.

QVÆST. 14. *De Sanctitate Dei impeccabili, omnium virtutum, & infinita beatitudine ac gloria eius obiectiua & formali: ſed formaliore fruitionis, quàm Viſionis; conſequẽte autem gaudio adæquato, vt fructu refuſo ab obiecto.* Eſt propriè practica imitationis, participationis, confruitionis, & congaudij, ſeu congratulationis de tanto Dei Bono.

QVÆST. 15. *De Prouidentia, Prædeſtinatione, & Reprobatione Dei, &c.* Eſt propriè practica Timoris, Spei maioris, & omnium mediorum, ſiue vt prouiſorum, ſiue vt præuiſorum, *&c.* vt à *col.* 519. ad 526. *De conſolatione & terrore rationabili, &c.*

QVÆST. 16. De *Omnipotentia* Dei: eſt practica omnis ab ea tam voluntariæ, quàm realis dependentiæ, & ſuboperationis.

QVÆST. 17. *De Dominio Dei, &c.* Eſt propriè practica *latriæ*, &omnis Dominij ſubalterni Regũ, Principium, Pacis, Belli, *&c.* ibi.

QVÆST. 18. *De SS. Trinitate, vt credenda*: eſt propriè practica captiuandi omnem rationem humanam, contra omnem infidelitatem, hæreſim, dubium: & imitandi ac repræſentandi eam vt noſtrum prototypum; habendo intellectum fœcun-

Digitized by Google

dum veritatis,& voluntatem fœcundam charitatis.

QVÆST. 19. De *eadem vt intelligenda*: eſt practica & ſtudioſa omnium rationum pro hac fide, contra omnes huic fidei oppoſitas.

QVÆST. 20. De *eadem vt eloquenda*: Eſt practica verè, fideliter, & reuerenter de ea loquendi.

De praxi Theologica totius Libri 2.

QVÆSTIO 1. De *Fide Christiana Creatoris, creationis, & creaturarum*. QVÆST. 2. *Scholaſtica. De eiſdem*. Vtraque eſt practica. 1. Fidei contra infideles 2. Vſus ordinati creaturarum, ad gloriam Dei. 3. Humiliationis noſtræ ſub Deo. 4. Cultus Deo debiti, vt Creatori, & Supremo Domino. 5. Vtendi, & parendi omni dominio ſubordinato, *&c.* De quibus ex profeſſo QVÆST. 3. morali: præcipuè, de nihilo morali creaturarum, multiplici ſenſu, *col.* 223. 224. Deque vſu actiuo, ac paſſiuo omnis dominij ſubordinati, & moderati, *col.* 224.

QVÆST. 4. *Quid de Angelis credendum*. *Q.* 5. *Scholaſtica, de eiſdem*: ſunt practicæ. 1. Ad fidem, contra infideles, & hæreticos. 2. Ad timorem Dei. 3. Ad horrorem malitiæ Diabolicæ, & ſimilis. 4. Ad magnam fiduciam in Deum, per SS. Angelos, contra Diabolos. 5. Ad *Latriam* ſolius Dei & Chriſti, ac *Duliam* SS. Angelorum: contra omnem cultum Dæmonum. 6. Ad cauendam omnem malitiam Diabolicam, & imitandas virtutes Angelicas. De quibus 7. ex profeſſo q. 6. morali: *de ſincta & praxi doctrina de Angelis, à col.* 269. *ad* 273.

QVÆST. 7. *Quæ ſint credenda, vel in fide cauenda, de Corpore, Anima, Natura humana, eiuſq; gratia, meritis & peccatis. à col.* 273. *ad* 388. QVÆST. 8. *Scholaſtica, de conciliandis omnibus ſententijs Catholicis, &c. à col.* 388. *ad* 532. Vtraq; eſt proprijſſimè practica, contra omnia vitia, & ad omnes virtutes, ac bona opera, per gratiam neceſſariam. De qua Praxi, per totam vtramq; quæſt. breuiter reſumptà q. 9. morali. QVÆST. 10. *De creaturis corporeis*: eſt breuiſſima, vt relatiua ad doctrinam & praxim *quæſt.* 1. 2. 3. *De creaturis in communi.*

De Praxi totius Libri 3.

VTendi ſcilicet tota doctrina ad Fidem, Spem, Chritatē, & cultum debitum Chriſto, eiuſq; Deiparæ Matri, & ad participationem gratiæ, ac imitationem virtutum. Quæ praxis, vt ait *B. Aug. Lib. de Vera Relig. c.* 16. *Eſt diſciplina naturalis Chriſtianorum* .i. imbibitur ab infantia.

Sed *Quæſtio* 1. huius Operis, eſt practica, ad credendum, & profitendum omnia de Chriſto credenda, contra ſingulas hæreſes oppoſitas.

Quæſt. 2. Eſt practica, ad conciliandum omnes rationes Catholicorum in vnam perfectiorem, de Chriſto, eiuſque myſterijs credendis.

Quæſt. 3. Eſt practica, ad præferendum, & eleuandum Chriſtum, ſeu eius incarnationem, & noſtram de eo æſtimationem & affectum ſupra omnem occaſionem peccati, vſque ad primam intentionem, & intentum Dei.

Quæſt. 4. & 5. Sunt practicæ ad facilitandam credibilitatem vnionis hypoſtaticæ.

Quæſt. 6. & 7. Sunt practicæ, ad ſuſpiciendam, & ſummè æſtimandam vnionem Chriſti hypoſtaticā.

Quæſt. 8. Eſt practica, ad fideliter & dignè de Chriſto loquendum.

Qu. 9. Eſt practica fidei & cultus *Deiparæ Matris.*

Quæſt. 10 & 11. Sunt practicæ, ad erigendam noſtram æſtimationem & affectum naturæ humanæ Chriſti, ad ſummam perfectionem, & impeccabilitatem poſſibilem.

Quæſt. 12. & 13. Sunt practicæ, ad erigendam noſtram ſpem, & fiduciam, in merita Chriſti & gratiam per Chriſtum.

Qu. 14. Eſt practica, Latriæ Chriſto debitæ, &c.

Quæſt. 15. Eſt practica, non ad fidem vt 9. ſed ad piam æſtimationem, & cultum Deiparæ Matris, vt Immaculatæ, pro quouis inſtanti vitæ.

Quæſt. 16. Non ſolùm eſt ſpeculatiua virtutum infuſarum, aut acquiſitarum: ſed etiam earum practica, ſeu dirigēs ad eas habendas & exercēdas.

Quæſt. 17. 18. 19. 20. De virtutibus Theologicis, & moralibus, ſunt practicæ, ad vtendum eis, earumque motiuis, contra omnia oppoſita.

Suntque plures in infinitum notitiæ practicæ, & praxes interiores ac exteriores, colendi Chriſtum *Latria*, Deiparam *Hyperdulia*: quas ipſamet præ omnibus *contulit in corde ſuo, Luc* 2. præcinit ore ſuo, *Luc.* 1. eique prædictæ ſunt *ex multis cordibus reuelanda, Luc.* 2. Quæ facilè elici poſſunt ex ſacris Script. Conc. Patribus ad ſingulas Quæſt. Vt plurimæ eliciuntur in 4. ſub *Breuiario* noſtro.

De praxi totius Libri 4.

VT patet, *De Sacramentis in genere*. *Quæſt.* 1. Ex ipſo nomine *Sacramenti, à ſacranda mente.*

Quæſt. 2. Ex definitione, à *continendo gratiam*: non vt vaſa inania, ſed plena formaliter vel virtualiter: *ab habendo vim ſanctificandi*; à *ſigno ſeu forma viſibilis* non ſolùm ſpeculatiua, ſed practica gratiæ; non vt abſentis, ſed præſentis, & actu ſanctificantis, vniendo nos Deo, vt obiecto, principio, & fini realiter præſentiſſimo. Vnde ſi vtendum eſt deuotè ſacris Imaginibus ſpeculatiuis, affectu debito ſuis prototypis, & fruendo Deo: quantò potiùs Sacramentis, fruendo Deo realiter præſente, & principaliter ſanctificante.

Quæſt. 3. 4. Siue Sacramenta habeant vim aliquam realem, ſiuè ſolùm moralem ſanctificandi, & infundendi gratiam: nonniſi tamen inſtrumentaliter; Deo principaliter ſanctificante, & ex ſeipſo gratiam nobis infundente. Quanta ergo deuotione Fidei, Spei, & Charitatis, ſeu fruitionis, vtendum eſt Sacramentis, miniſtrando & recipiendo per ea gratiam infuſam à Deo ex ſeipſo, & ſeipſum infundente. Sic enim *Rom.* 5. *Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui & per eam datur nobis.*

Quæſt. 5. Ex eminentia Sacramentorum nouæ Legis præ antiquis: ad praxim illorum deuotiorē.

Quæſt. 6. Ex numero tam ordinato & prouiſo à Deo ad ſuos fines tam ſalutares.

Quæſt. 7. Ex tanta neceſſitate & vtilitate materiæ, & formæ Sacramentalis: vtendum eſt eis deuotè; non ſolùm in ipſis Sacramentis actualibus, ſed & extra; nec ſolùm ipſâ materiâ & formâ vt conſecratâ, & conſecrante, ſed etiam vt conſecrabili, & à Deo adhoc inſtituta. Si enim vtendum eſt cibo & potu, & omnibus huius vitæ neceſſa-

Digitized by Google

ceſſarijs, ad gloriam Dei: quanto potiùs rebus à Deo ſpecialiter inſtitutis,nobiſq; tam ſalutaribus.

Quæſt. 8. Ex cauſa *principali meritoria*, *inſtrumentali*, *& miniſteriali*: vtendum eſt Sacramentis, miniſtrando ea deuotiſſimè, & dependentiſſimè à Deo vt cauſa principali præſentiſſima, realiter & moraliter aſſiſtente, mouente, & per miniſtrum gratiam ſeu charitatem ſuam influente: à Chriſto vt cauſa meritoria, non ſolùm vt præterita, & abſente, ſed etiam vt moraliter præſente, merita ſua diſpenſante ſeu applicante, & ſeipſum in Miniſtris repræſentante. Quanta ergo deuotione fidei, timoris Dei, vel reuerentiæ, ſpei,& charitatis debet quis miniſtrare Sacramenta: non ſolùm vt ſubiectis,ſed vt ipſi Deo præſenti ac influenti;& Chriſtum repræſentare, ſeu eius perſonam gerere? De qua praxi, eadem q. 8. *col.*83.

*Quæſt.*9. Vt de miniſtrandis, ſic & de recipiendis Sacramentis, deuotiſſimè,& dependentiſſimè à Deo, actualiſſimè gratiam ſeu Charitatem,in eaq; ſeipſum nobis per Sacramēta,& Miniſtros influente, ac vniente. Vnde ſi quando hîc fruendum eſt Deo, diligendo eum vt ſummum bonum in ſe,nobiſque præſentiſſimum: quando potiùs, quàm dum nobis ſuam adhoc gratiam, ſeu charitatem, & per eam ſeipſum nobis influit? Ne charitas infuſa,in ipſa ſua actuali infuſione ſit otioſa, ſeu ſine ſuo, & noſtro actu proprio circa Deum infundentē, infuſumq;.

Quæſt. 10. Ex effectu gratiæ ſacramentalis, & characteris, expreſſo *à col.* 120 *ad* 123. vtendum eſt Sacramentis,non ſolùm ea miniſtrando, & recipiendo à Deo,vt ſupra: ſed etiam per ea,gratiam vt inhærentem, permanentem, & nos Deo vnientem non ſolùm vt obiecto affectus & fruitionis, ſed etiam vt principio gratiarum actualium, & actionum ad quas gratia inclinat, ſeu ad finem communem Sacramentorum,& proprium cuiuſq;. Vnde in ipſa maximè infuſione gratiæ,refundēda eſt in Deum, vt ſuum obiectum ac principium, ad ſuum finem, & effectum Sacramentalem: confidendo de Deo, vt principio coniunctiſſimo, ad omnes fructus, ſeu effectus ſacramentales. Nec character ſacramentalis ab adultis ſine deuotione excipiendus eſt: tanquam ab ipſo Deo ſeipſum, ſuamque poteſtatem nobis applicante, & indelebiliter imprimente.

Quæſt. 11. Vtendum eſt cæremonijs ſacramentalibus, vt ſignis & motiuis externis deuotionis interioris, &c. Vt eadem *q.* 11. *à col.* 126. *ad* 130. Vbi& optimè recolligitur tota doctrina deSacramentis in genere.

Quæ praxis Theologica, vtendi Sacramentis, & confruendi Deo, facilè applicari poteſt *Sacramento Baptiſmi*: ex gratia & effectu ſpeciali regenerationis. De cuius 21. modis deuotiſſimis, *q.* 1. *col.* 140. 141. 142. & alio adhuc modo deuotè recolendi, ac renouandi memoriam & fructum baptiſmi præteriti, *col.* 219. ſub finem.

Poteſt applicari *Sacramento Confirmationis*: ex eius ſpeciali gratia, & effectu ſacramentali. De qua deuotione, *col.* 238. 239.

Poteſt applicari,& copioſiſſimè applicatur *Sacroſancto Sacrificio, & Sacramento Euchariſtiæ. à col.* 591. *ad* 626. ſub titulo *Breuiarij Hieroglifici, Sanguine Chriſti rubricati*: & per plurima *Exemplaria imitandi, concionandi, & meditandi* omnes virtutes Chriſti in & ex ſacra *Euchariſtia*.

Poteſt ſpecialiter applicari, & applicatur *Sacramento Pœnitentiæ, à col.* 792. *ad* 798. ſub nouem prioribus *Obligationibus Confeſſariorum. A col.* 819. *ad* 822. ſub decem *Monitionibus* eorundem. Et *à col.* 753. *ad* 777. de neceſſaria *Contritione*, vel *Attritione* pœnitentium. *A col.* 787. *ad* 791. ſub Quæſt.8. De capacitate,diſpoſitione,&obligatione ad hoc Sacramentum. Quibus addi poteſt pro Miniſtris Verbi Dei, & huius Sacramenti, omnibuſq; peccatoribus,ex 2. *Cor.* 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi,&c. Et poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Et ex *S. Aug. toto libro de Catheciȝandis Rudibus*; quibus modis excutiendum ſit tædium,& fouenda ac renouanda deuotio,ad inſtruendum, & diſponendum rudiores. Sed quid deuotiùs afficere & mouere poteſt Confeſſarios & pœnitentes: quàm illa Chriſti parabola *Luc.* 15. de Patre ſibi Filium ſuum prodigum oſculo reconciliante: Filio oſculum illud recipiente, & ſeruis hilariter miniſtrantibus.

Poteſt applicari *Sacramento Extremæ Vnctionis*. Vt *col.* 834. 835. 836. Adde, vtendum hoc Sacramento, non ſolùm vt vnctione medicinali: ſed & vt Balſamo animum ad mortem condiente, ſuoq; odore reliquum peccatorum fœtorem abolente,ad expirandum & reſtituendum Deo ſuum illud *Spiraculum*, ſeu habitum vitæ, ſine vllo fœtore in nobis contracto.

Poteſt applicari *Sacramento Ordinationis*: vt *à col.*857. *ad* 860. Adde, quòd cùm Deus per hoc Sacramentum nos eleuet ad ſtatum Angelicum & ſupra, imo & transformet nos in ſeipſum & Chriſtum,tanta poteſtate,vt ex Perſona Dei & Chriſti Baptizemus, Abſoluamus, imò & Conſecremus Corpus Chriſti, ac ſi eſſet noſtrum: quanta deuotione hoc Sacramentum eſt miniſtrandum & recipiendum? Quo affectu eo vtendum? Quàm & pluſquam Angelico? Quàm Deiformi & Chriſtiformi,ſeu trāſformato in ipſū affectū Dei,& Chriſti?

Denique,poteſt applicari *Sacramento Matrimonij*. Vt *à col.* 907 *ad* 914. ex Matrimonio *S. Ioſeph* cum *B. V. M.* & obligationibus contrahentium, præcipuè 10. *col.* 914. Adde,quòd cùm hoc ſit *Magnum Sacramentum in Chriſto & Eccleſia*, *Eph.* 5. quàm deuotè eſt ſignificandum tam ſacrum & deuotum ſignificatum vnionis hypoſtaticæ *Filij Dei* cum natura humana, & per charitatem cum *Eccleſia*? Cùmque hæc vnio, & vnitas coniugalis,generatio, & paternitas naturalis, ſint quædam participationes vnitatis Dei, & generationis ac ſpirationis Perſonarum Diuinarum: quàm deuotè,& anagogicè,ab illis ſignis, & affectu, ac vſu carnali, reſiliendum, & euolandum eſſet ad illa Diuina?

De 4. *Nouiſſimis*, *Quæſtio* 13. eſt expreſsè *de Praxi,& fructu huius Doctrinæ, à col.* 999. *ad* 1002. reſoluta in hanc clauſulam finalem. *Principium,& finis, ALPHA, & OMEGA huius quaſi Alphabeti, ſeu potius ignorantiæ, quàm doctrinæ noſtræ ſit gloria extrinſeca,& intrinſeca* DEI, *ſeu* DEVS *ipſe. Amen.*

Digitized by Google

De principijs Theologicis. In 1. *col.* 210.

1. *Ex Sacra Scriptura.*

DE qua Sacra Conc. & Patres infra citandi. Et *Alenſis* P.1.*q*.1.*col*.1.2. De modo ſciendi ex ſacra Script. eiuſque veritate, certitudine, & quadruplici ſenſu. *P*.2. *à q*. 44.*ad* 61. *à col*.19. *ad* 24.in *Cap*. 1.2. 3. *Geneſeos*. Alibi promiſcuè.

S.Bon. De ſacris Script. nonniſi promiſcuè, prout ſingulæ materiæ exigunt.

Scotus in 1. q.2. *Prologi col*.119.120. De ſumma authoritate, quadam ſufficientia totius, & ſenſu aliquo literali cuiuſuis ſacræ Script.

Nos in 1. q. 1. *col*. 207.208. *De ſuffi rientia virtuali ſacræ Script.& ſenſu aliquo literali, non tamen ſemper claro, ſed ſæpè obſcuro.* 210. *De ea vt principio Theologico, eiuſq́, interpretatione, & triplici ſenſu literali, triplici figurato.* Ex *S. Bern. Certior eſt eius interpretatio ab Eccleſia, quàm ipſa verborum expreſſio.* Sed ex profeſſo in 3.q.17.à *col*.490.ad 501. *De ſacra Script. vt motiuo exteriore fidei, eiuſq́, ſenſu quadruplici, difficultate, & facilitate, Traditione, ac Interpretatione*. Ad ſingulas autem Quæſt. Scripturæ accumulatæ & appllicatæ.

2. *Ex Traditione Verbi Dei.*

DE qua nos ex profeſſo in 3. q. 17. à *col*.501. ad 504. Sub qua,& *De Symbolis Fidei*, *Alenſis* P. 3. q. 82. *col*.75. 76. Plura autem à nobis referuntur in 1. à *col*.560.ad 568.& in 3.à 230.ad 236. Vt *Symbolum Apoſtolicum, Nicænum, S. Athan. Conſtantinop. Chalcedonenſe*, & aliorum Conciliorum. Quæ & ad pleraſque noſtras Quæſt. applicamus.

3. *Ab authoritate Eccleſiæ.*

DE qua eiuſque certis indicijs, nos ex profeſſo, in 3. à *col*. 504. ad 528. Sed noſtri Authores nonniſi promiſcuè, eâ ad ſuam doctrinam vtendo.

4. *Ab authoritate Papæ.*

DE qua nos ex profeſſo in 3.à *col*.528.ad 538: Et qua cum noſtris Authoribus ad grauiores quæſtiones vtimur. Referuntur autem quorundam Epiſtolæ, Decreta, Cenſuræ. *In* 1. 567. *In* 2. à 275. ad 280. 286. 298. 304. *In* 3.à 221. ad 224.

5. *Ex Sacris Concilijs.*

DE quibus in 3. ex profeſſo: à *col*.528.ad 539. Pleraq; autem vel celebriora magna ex parte referimus, & ad grauiores quæſtiones applicamus. Vt in 1. *Quæſt*. 18. *De SS.Trin*. à *col*. 560. ad 568. Ex *Conc. Nicæno, Conſtantinop*. 1. *Chalcedonenſi, Conſtantinop*. 5. *Toletano* 11. *Conſtantinop*. 6. *Synodo* 7. ſeu *Nicæna* 2. *Conc. Arelatenſi, Rhemenſi, Sueſſonienſi, Senonenſi, Lateranenſi maximo, Lugdunenſi generali, Flor*. & *Trid*. Sed ex toto *Flor*. *à col*. 630. *ad* 638.

In 2. Ex *Conc. Milenitano* ſub *Innoc*. 1. *col*. 281.

Ex *Arauſino* ſub *Leone* 2. vel *Felice* 4. *à* 282. *ad* 286.

Ex *Trid. Seſſ*. 5. 6. à *col*. 287. *ad* 298.

In 3. Ex *Conc*. *Epheſino*. 232. 233.

Ex *Conſtantinop*. 5. *à* 235. *ad* 239.

Ex *Synodo* 6. *col*. 307. contra *Monothelitas*. *à* 321.

Ex *Conc. Later*. ſub *Martino* 1. *col*. 309. 310.

Ex *Synodo* 7. contra *Iconomachos*. à 401. *ad* 422.

Ex quodam *Conc. Francfordienſi*. 424.

Viennenſi.290. *Conſtantienſi*.494. *Baſilienſi*. † 3. 221.

In 4. *Ex Conc. Florentino, De Sacramentis*. *à* 2. *ad* 4.

Ex Conc. Trid. De eiſdem. *à* 4. *ad* 36.

6. *Ex SS. vel Antiquis Patribus.*

EX pleriſque ſimul, in 1. q. 9. 13. 18.

Ex *S. Dion. Areop. In* 1. ad ſingulas quæſt.

Ex *S. Iuſtino Martyre*, *col*. 309.381.569.

Ex *Tertulliano*, libro dubio. 552. ſed certo. 303.

Ex *Origene*. 573. 574.

Ex *S. Cypriano*. 304. 305. 574.

Ex *S. Athanaſio*. à 574. ad 580.

Ex *S. Hilario*. à 580. ad 596.

Ex *S. Baſilio*. 428.429. à 596. ad 606.

Ex *S. Greg. Nazianzeno*. 606. 607.

Ex *S. Greg. Niſſeno*. 607. Sed plùs libro dubio. 382.

Ex *S. Epiphanio*. 608. 609.

Ex *S. Ioan. Chryſoſtomo*. 384. 471. 608.

Ex *S. Ambroſio*. à 609. Et libro dubio. 461.

Ex *S. Hieronimo*, & *Didimo*. à 468. & à 612.

Ex *Lactantio*. 306. 427. 428.

Ex *S. Auguſtino* præ,& pro omnibus, copioſiſſimè ad ſingulas quæſtiones. Vt patet ex earum *Indice*, à *col*.69. ad 80. *Indicum*. Ita vt ſint potiùs ipſius *B. Aug*. quàm noſtræ.

Ex *S. Cyrillo Alexandrino*. in 1. 626. 627. 628.

Ex *S. Proſpero*. in 1. 390. 434. 480. 495.

Ex *S. Fulgentio*. 680.

Ex *Boetio*. in 1. 261.264.337.390.481. à 642.

Ex *S. Iſidoro*. 482.

Ex *S. Ioan. Damaſceno*. 482. 483. 271. 338. à 390.

Ex *V. Beda*. 491. à 645. Sed libro falſo.

Ex *S. Anſelmo*. à 483. ad 490. 271. 272. 338. 392.

S. Bernardo. 233. 245. 272. 395. 490. 628. *In* 3. 584.

Ex *Richardo à S. Victore*. à 650. ad 656.

Ex *S. Thoma*. 491. 492. 493. Et à *col*. 1. ad 20. Ind.

Contra omnes Infideles, & Hæreſes.

QVarum pleræq; recenſentur. *In* 1. *col*. 280. 290. 302. à 455. ad 458. 494. 565. 608. 609. 615. 616. 628. 629. 630.

In 2. *col*. 198. 225. 226. 273. 274. 275. 276. 398. 514.

In 3. à 239. ad 244. à 411. ad 427. contra *Iconom*.

In 4. Ad pleraſq; Quæſt. contra Hæreticos antiquos,& nouos: *Berengarium, Huſſitas, VVicleff, Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas, &c*. Vt 197. 198. 269. 270. 726. 727. 746. 830. 846. 857. 890. 950. 954. 965. 969. 977.

Contra ſententias cenſuratas.

QVarum 76. cenſuratæ à *Pio V*. referuntur, in 2. à *col*. 298. ad 304. totoque Opere improbâtur. Vt in 1. *col*. 13. 18. 413.

In 2. 256. 390. 391. 423. 426. 448. 456. 463. 466. 476. 478. 471. 488. 490. 502. 514. 524. 530. 532.

In 3. *col*. 368. 369. 446. 476. 569. 591. 592. 593. 594. 603. 514.

In 4. *col*. 749. 761. 823. & alibi.

Cenſura Clementis VIII. in quendam modum confitendi. 743.

Cenſuræ Epiſcopi Pariſienſis. in varias opiniones. *col*. 51. 52 *Indicum*.

EX

Digitized by Google

EX PRINCIPIIS DOCTRINÆ AVGVSTINIANÆ.

QVà cùm totum hoc opus conditum ſit, in eaq; vt in Apoſtolo *2. Pet. 3.* ſint *quædam difficilia*, *quæ* non ſolùm *indocti & inſtabiles deprauant*, ſed etiam docti& fideles in rigidiorem molliorem ue ſenſum diſtrahunt : monitu cuiuſdá R.mi ac Ill.mi Præſulis, hæc indè prælibamus; ad conciliandum ei ſenſum communem, Ieſu ſeu veritate interDoctores mediante; nè quo temerario crudeliatis præiudicio, abhorreat, nec inſipidæ ſuauitatis faſtidio deſipiat, decipiatque.

1. Tanta eſt eminentia,certitudo,& authoritas Doctrinæ Auguſtinianæ : vt nihil in eâ ſit contra cenſuras, inhibitiones, aut ſenſum communem Eccleſiæ, ſed quædam ſupra;nec ideo deſpecta aut ſuſpecta, ſed ab omnibus ſuſpicienda ſit.Vt patet ex *Epiſt.Cæleſtini cap. 1.* Auguſtinum ſanctæ recordationis virum nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit &c. *Cap. 2.* Nonnulli qui Catholico nomine gloriantur Magiſtris noſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur, &c. *Cap. 11.* Profundiores, difficilioreſq; partes quæſtionum, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere. Imò & ex ipſo *B. Aug.* de ſeipſo. *4. Conf. 6.* Omnes libros artium, quas liberales vocant, per meipſum intellexi &c. Erat excellentiſſimus qui me exponentẽ non tardius ſequeretur &c. *1. Trin. 3.* Arbitror nonnullos tardiores, in quibuſdam locis librorum meorum opinaturos me ſenſiſſe, quod non ſenſi, aut non ſenſiſſe, quod ſenſi : quorum errorẽ mihi tribui non debere quis neſciat? *De dono perſeuer. c. 25.* Qui legunt hæc, ſi intelligunt, agant Deo gratias : qui autem non intelligunt, orent &c. Qui verò errare me exiſtimant : etiam atq; etiam diligenter quæ ſunt dicta conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent. Præter ea quæ inPræfat. huius Operis, & in *2. à col. 385. ad 388.*

2. Ad verum & proprium ſenſum *B. Aug.* neceſſaria eſt quædam cum eo ſeu eius ſcriptis familiaritas: quâ prædiſcendi ſunt eius Idiotiſmi, Grammatici, Rhetorici, & Philoſophici .i. Quædam eius propriæ ſignificationes, inuolutę inuerſæq; conſtructiones,&Platonicæ opiniones. De quibus toto *Tomo 2. noſtræ Anatomiæ ſeu Commentarij in B. Aug.* Vt *à col. 21. ad 26. Indicum.*

3. De Deo & Diuinis ſolet Philoſophari Platonicè, ſeu Anagogicè : non quaſi impropriè,ſed propriiſſimè, à noſtris participationibus & imperfectionibus, ad totales Dei perfectiones. Vnde præ omnibus meruit nomen Doctoris Anagogici. Vt *lib. 8 Trin. cap. 3.* Bonum hoc, & bonum illud : tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum ſi potes, itaDeum videbis&c. Non quaſi tribuat nobis realiter & identicè quædam diuina, vel quædam noſtra Deo : nec tamen ſolùm cauſaliter, cùm non æquè omnia tribuat, ſicut æquè à Deo omnia noſtra cauſantur; ſed obiectiuè, nõ ſub ſolo conceptu communi Deo & creaturis,cùm omnia diuina ſint ſingulariſſima; ſed ſub conceptu ſingulari & formali, inadæquato, totali, vel participato. Vt in totum 1. ſed expreſſiùs *col. 244.*

4. De Voluntate Dei actuali & interiore, ad extra, an non ſit niſi efficax, & ex ſe formaliter Omnipotens, vel etiam ſolius ſimplicis complacentiæ, inefficax, & conditionata : vix poteſt ex *S. Aug.* ſatis conſtare ; ideoq; inter ea quæ ſunt ſupra captum & ſenſum communem Eccleſiæ, videtur potiùs ſuſpiciendum, quàm contendendum. Vt patet ex *col. 408. 532. 533.*

5. De Sanctitate Dei,tantum abeſt *S. Aug.* fauere blaſphemijs hæreticis, imputandi Deo vllam coactionem aut impulſum noſtrum ad peccandum, vt habeat occaſionem iuſtitiæ vindicatiuæ : quin potius ſtuſtioſiſſimè propugnet innocentiam Dei ab omni datâ occaſione peccandi. A *col. 422.*

6. De Prædeſtinatione & Reprobatione, tam procul eſt ab illâ fatali neceſſitate, & creatione vllius ad damnationem : vt ſæpè & expreſsè ſupponat Deum non ſolùm creaſſe omnes ad beatitudinem; ſed etiam Angelos & primos Parentes ſuo modo formaliter beatos, horum autem poſteros virtualiter in ipſis. Vnde nulla eſt reprobatio, nequidem negatiua, ab omni gratiâ & beatitudine, niſi ex aliquâ culpâ. Reliqua in ſenſum certiorem Fidei, Deo digniorẽ, nobis fauorabiliorem, & Eccleſiæ cõmuniorem. *A col. 455. ad 459. à 493. ad 526.*

7. Doctrina eiuſdem de Reprobatione quorumdam puerorum à ſalute & gratiâ Baptiſmali, non ex defectu Majorum,nec cauſarum naturalium, ſed quia Deus non vult eis hanc ſalutem & gratiam Baptiſmalem; non eſt nimis rigida : quia Deus voluit & dedit eis gratiam in Adamo; ſed per peccatum originale ſunt indigni omni gratiâ Chriſti, quæ non eſſet gratia ſi om-

Digitized by Google

omnibus eſſet tam communis, æqualis, & quaſi debita. Nec *B. Aug.* vt quidam ineptiunt, aberrauit ex hac reprobatione puerorum, ad ſimilem omnium reproborum : quia pleriq; reprobantur, non ob ſolũ originale, ſed ob ſua propria peccata actualia.

8. Doctrina eius de culpa originali, & pœnâ æternâ puerorum ſine Baptiſmo morientium, à noſtris authoribus intelligitur de ſola pœna priuatiua damni : facileq; explicatur ad mentem *S. Aug.* per idem obiectũ & cauſam pœnæ ; ſed ſolâ actione intentionali ignis, quâ non cauſatur dolor niſi per aliquam organi corruptionem, nec triſtitia niſi per nolitionem volũtatis. Pueri autem nec auerſantur illum ignem voluntate, nec indè patientur vllam corruptionem corporum per quæ non peccarunt. Ergo nec patientur indè triſtitiam nec dolorem &c. Vt *To.2. in 4.col.961.962.*

9. De natura noſtrâ & naturalibus, quid ab omni errore ſecurius ? Suppoſita tam ſæpè à *B. Aug.* expreſsâ ſignificatione propriâ *Naturæ* & *Naturalis*, ſecundùm primam Dei inſtitutionẽ .i. Pro ſubiecto & principio affecto, perfecto, & adiuto gratia originali & actuali. Vt in *2. à 388. ad 424.*

10. Quid facilius doctrinâ de Libertate Arbitrij : non ſolùm eſſentiali ; ſed & flexibili huius viæ & vitæ, etiam inter bonum & malum ; ſed perfectâ in ſtatu Innocentiæ, & proniore ad bonum ; imperfectâ poſt lapſum, ſeu proniore ad malum, & inſufficiente ad vllum bonum ſine auxilio gratiæ actualis. Quo ſenſu & perijt liberũ Arb. vt perfectũ, & reliquum eſt vt imperfectum, &c. Vt *à 245. ad 251. à 425. ad 467.*

11. Quid gratius & gratioſius doctrinâ *B. Aug.* de gratia Dei, eiuſq; neceſſitate : ſed tantâ Dei liberalitate ; vt nullum vnquam priuet gratiâ habituali, nec actuali neceſſariâ, niſi ex aliquâ culpâ ſufficiente, & irremiſsâ ? Vt *à col. 456. ad 500.*

12. Quid ſuauius doctrinâ *B. Aug.* de efficaciâ gratiæ, per victricem illam delectationem ? *à col. 502. ad 513.* Abſq; vllâ deſuper contentione, aut vllius ſententiæ præiudicio. Quod ſi liceret, imò quia licet certam *B. Aug.* & Eccleſiæ doctrinam de gratiâ & Libero Arb. contra hæreticos commendare : illa certiſſima eſt, quæ omnem veram gratiam Dei præfert ad omne bonũ libero Arb. non ſolùm occaſione lapſus, ſed ex hâc neceſſariâ ſubordinatione, & dependentiâ liberi Arb.

Nec obſtat quod liberum Arb. videatur liberè vti gratia, non hæc illo. Quia gratia vel eſt principium quo, vel actio qua Deus ipſe liberrimè mouet noſtrum liber. Arb. non antè ab eo mouetur. Nec liberũ Arb. vtitur gratiâ quaſi ſubditâ, eam mouendo: ſed conſentiendo ; & adhoc ſeipſum per eam mouendo. Vt *Tom.1, in 2. col. 459. 460.*

13. Doctrina de peccatis ignorantiæ & neceſſitatis inter viatores, eſt difficilis de peccatis actualibus, ex neceſſitate abſoluta, & ſola libertate eſſentiali : ſed facilis de ſola libertate morali, facilior de ſolis peccatis materialibus, facillima & ſæpè à *B. Aug.* formaliter intenta, de varijs motibus peccati originalis ſeu concupiſcentiæ, ad idem peccatum imputatis ante eius remiſſionem, non autem poſt. *A 524. ad 530.* Vt patet ex *Libro 1. de pecc. orig. c. 39. 40. Lib. 1. de Nuptijs & Concup. à cap. 23. ad 33.* Imo *libro 1. Conf. cap. 7. 8.* referens & confitens peccata infantiæ ſuæ, non ſolum concupiſcentiam originalem, ſed & motus eius vitioſos : *Tantillus puer*, inquit, *& tantus peccator.* Vt *Tomo 1. in 2. col. 333. 525. 526.*

Cuius inaduertentiâ & temporis ac moris differentiâ, tunc pleroſq; adultos, nunc autem pueros baptizandi : graues etiam Theologi aberrarunt à verò ſenſu *B. Aug.* & Eccleſiæ ad varias propoſitiones meritò cenſuratas : vt ad 48. 49. 63. 64. 65. 71. 72. 73. Domini Baij.

14. Doctrina eiuſdem, de neceſſaria charitate, non autem ſufficiente timore, ad iuſtificationem : nullatenus eſt contra *Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* de vera attritione ex timore Dei, ſufficiente cum Sacramento ad iuſtificationem. Vt *Tom. 2. in 3. à col. 590. ad 605.* Et *in 4. à col. 756. ad 772.*

In quos ſenſus communes Eccleſiæ, cùm & Maiores noſtri interpretati ſint *B. Aug.* cui poteſt eſſe ſuſpecta aut odioſa eius doctrina, vel hæc eius expoſitio : niſi ex nimiâ eius ignorantiâ, vel affectu vitioſo propriæ, & inuido alienæ ?

Ne quis tamen ſerpens inſidietur calcaneo noſtro : muniemus hoc opus eiuſdem Doctrinæ cum Commentario noſtro in omnia & ſingula *B. Auguſtini* Opera, eadem *Abſolutione finali*, confirmata ab ipſo S. D. N. *Innoc. X.* cuius pedibus & hoc totum Opus in ſcabellum ſubſternimus.

Digitized by Google

LVSTRVM TOTIVS OPERIS

TOmo 1. in I. *Col.* 5. à lin. 2. Dele, *Si nummus*, vſq; ad, *Sed poſſibili*, excluſivè.

Col. 12. & 13. Supple defectum Quæſt. 15. *De Veritate*: & corrige ordinẽ Quæſt. vſque ad 29.

133. *l.* 10. 11. 12. Dele. *i. viſio*: & muta *hanc*, in, *illam*.

A 196. ad 213. Corrige numeros Columnarum.

210. *A lin.* 12. *ad* 17. Non eſt contentio, ſed conciliatio: per diſtinctionem eiuſdem veritatis objectiuæ in plures quaſi partiales, non vt diviſim cōgenitas, ſed quaſi ex illa genitas; & conſequenter in plures actuales, ſive ſolius fidei, ſiue etiam ſcientiæ. Vt eadem planta per ſolam diviſionem partium propagatur. Supple ex *Tomo* 2. *col.* 256. 500. 501. 502. 503.

215. *l.* 40. poſt *eſſe*, dele, 10.

227. *l.* 2. 4. *Communicabilis*, non, *incommunicabilis*.

230. *l.* 28. non, *finitis*, ſed, *infinitis*.

237. *l.* 58. non, *perfectionis*, ſed, *imperfectionis*.

238. *l.* 18. non, *tales*, ſed, *totales*.

265. *l.* 9. non, *tua*, ſed, *tua qua* &c.

268. *l.* 21. non, *incompoſſibilis*, ſed, *compoſſibilis*.

271. *l.* 40. dele, *ſi*. 273. *l.* 17. *ſub*, non, *ſed*. *l.* 32. *Phil.* non, *Pſal.* *l.* 56. non, *in*, ſed, *non*.

274. *l.* 32. *immutabilitas*, non, *immutabilitatis*.

276. *l.* 19. non, *Deus*, ſed, *Deum*.

280. *l.* 49. *qui ob*, adde *hoc*.

284. *l.* 34. dele. 2. *Ad extra*.

285. *l.* 34. non *quaſi*, ſed, *quod*.

286. *l.* 55. vel 56. adde, *viſio*.

291. *l.* 41. non *obiecti*, ſed, *luminis*.

292. *l.* 14. poſt *cenſet*, dele *ad*.

314. *l.* 17. Corrige *nam*, in *non*.

405. *l.* 44. non *ſoles*, ſed, *ſolos*. 417. *l.* 5. dele *niſi*.

420. *l.* 20. *vt*, non *vr*. *l.* 23. *bonorum*, non *bonarum*.

421. *l.* 13. dele, *& nolendi*.

505. *l.* 23. poſt, *aliquos*, dele, *non*.

507. *l.* 45. non *Deum*, ſed, *Deus*.

508. *l.* 32. non *conſitendi*, ſed, *confidendi*.

512. *l.* 9. non *approbat*, ſed, *approbatur*.

519. *l.* 26. *naturalis*, non *-li*. *l.* 55. *ſit*, non *fit*.

524. *l.* 60. *conſecutiua*, non, *conſecatiua*.

525. De Præfinitione & Prædeterminatione, ſupple ex 2. à 506. ad 510.

611. *l.* 20. *præmia*, non, *eorum merita*.

641. *l.* 27. poſt *Authoribus*, dele *comma*.

642. *l.* 2. non *qui*, ſed, *quia*.

671. *l.* 42. non *ſubſtantia*, ſed, *ſubſiſtentia*.

IN II. *Col.* 124. *ſuperioris*, non, *inferioris*. 199. *l.* 25. *multò*, non *nullo*. *l.* 62. *melius*.

200. *l.* 62. *minùs*, non, *nimis*.

A 200. ad 209. corrige numeros col.

202. *l.* 12. *vniuerſitatis*, non, *diuerſ.*

203. *l.* 37. *finit*, non, *ſint*.

210. *l.* 5. *incompletum*, non *completum*.

211. *l.* 13. *reali*, non l. 14.

214. *l.* 39. *fruſtra conſeruarentur*.

217. *l.* 55. *creaturæ*, non, *creatori*.

220. *l.* 30. Deeſt, *Alenſis*.

223. *l.* 45. *Monol.* 27. nō 2. *moral.* 31. *Scot.* in 1. nō 2.

228. *l.* 10. *hunc mundum*, non, *hanc*.

229. *l.* 5. *ſuæ*, non, *ſine*. 245. *l.* 26. non ? ſed.

251. *l.* 32. *alios*, non, *alio*.

260. *l.* 1. 2. Muta *illi*, in, *huic*.

263. *l.* 46. *dote cedunt*, non, *docte cadunt*.

276. *l.* 16. non, *fuiſſe*, ſed *non fuiſſe*.

282. *l.* 4. non ſub *Innoc.* ſed ſub *Leone*.

283. *l.* 9. Dele *non*. Sed totus ille textus *Arauſic.* & ſequens *Trid.* eſt valde confuſus, & corrigendus ad exemplaria correctoria.

286. *l.* 12. *ſummam*, non *ſumma in*.

305. *l.* 62. dele *ab*. 330. *l.* 62. Cira 344. 431.

249. *l.* 47. dele *in*. 369. *l.* 41. dele, *ab*.

373. *l.* 56. *reſiſtit*, non, *deſiſtit*.

377. *l.* 40. *hominis*, non *nominis*.

383. *l.* 40. *præſcientia*, non, *præſentia*.

435. *l.* 13. *ei*, non, *&*. 451. *l.* 22. *aliquo*, non *aliquando*.

458. *l.* 53. *Bern.* non, *Bon.*

463. *l.* 11. *fine*, nō, *ex*. 474. *l.* 29. Adde, *nec*. poſt, *Aug.*

487. *l.* 9. *præmouet*, *ac promouet*.

490. *l.* 40. *ſed*, non, *ed*. 491. *l.* 10. non *6*. ſed, *hoc*.

494. *l.* 8. nō, *nec*, ſed *Hac*. 498. *l.* 15. *fieri poteſt*, nō *fit*.

509. *l.* 37. *infallibilis*. 510. *l.* 60. *ſummè*, non per *æ*.

A 518. ad 525. Corrige numeros.

532. *l.* 65. non, *ex*, ſed *Ab*.

IN III. *Approb.* 3. *l.* 8. *fulcit*, nō, *fulſit*. *l.* 14: *armis* *Col.* 6. *l.* 43. non, *& tempore*, ſed, *non tempore*.

55. *l.* 12. de *Præceptis*, non, *peccatis*.

57. *l.* 58. *gratiâ*, non, *gratiæ*. *l.* 60. *Si non*.

58. *l.* 1. *Deus det*. *l.* 39. *Eſt ipſa anima nobilior*, *non vt eſt eius diſpoſitio*. [201. *l.* 21. *finito*, non, *infinito*.

204. *l.* 19. *creditur*, non, *videtur*. *l.* 58. 59. 60. .i. Hic *actus eſt adæquatior obiecto ſuo finito, quam ille infinito*. [207. *l.* 17. *poſitiua*, non, *paſſiua*.

210. *l.* 38. Adde, *ſibi proportionatam*. *l.* 39. *Quia geometricè eſt æqualitas*. *l.* 57. *integræ*, non, *lapſæ*.

209. *l.* 25. *optimum, &*. *l.* 26. dele *mum &*.

214. *l.* 63. & 215. *l.* 1. muta, *illius*, in *huius*.

241. *l.* 13. *Es.* 45. non 49. *l.* 14. *Chriſto*, non, *Ciſt.* Sed nunc legitur, *Chriſt a meo Ciro*.

243. *l.* 25. *pſeudo-fidei*, non, *pſeudo-fide*.

246. *l.* 52. *Nullo*, non, *Nulo*.

268. 269. 277. Cur non poſſit eadem natura, humana ſimul aſſumi à tribus Perſonis Diuinis quamuis condignis, dependendo ſufficienter à ſingulis: cùm ſingulæ ſint ſufficientes ad terminandam hanc dependentiam? *Reſp.* Quia tota perfectio creaturæ rationalis finitur, ſeu finitè & quaſi punctualiter terminatur ad vnicam perſonam, nec poteſt plures naturare, vt natura infinita, quæ non finitur, ſed quaſi ſiſtitur tribus perſonis, eaſque infinitat.

269. *perſona*, non, *perſon.*

271. *l.* 10. non, *rationale*, ſed, *irrationale*.

273. *l.* 4. Adde, *nunc de natura, &c.*

275. *l.* 54. *cur diſtinguerent, &c.*

285. *l.* 4. *Cadauera*, non, *Cadauer.*

313. *l.* 23. 26. & 28. Videntur eædem rationes: ſed poſteriores ſunt expreſſiores.

314. *l.* 38. non, *filiatio*, ſed, *relatio*.

317. *l.* 39. *Hinc ad* 4. non, *ad* 5.

318. *l.* 34. *Non eſt*, pro, *eſt*.

322. *l.* 43. *copulatas*, non, *copulatus*.

335. *l.* 63. *Honorij vt Fautoris*, non, *Honorius*.

338. *l.* 27. *Anima humana non videtur informare immediatè vt rationalis & libera, &c.* Non contra *Conc. Vien.* relatum *Tomo* 1. in 2. *col.* 273. Sed vt ſatis explicatur ibidem, à *col.* 403. ad 425. Quòd ſubſtantia quidem animæ rationalis ſit verè &

Digitized by Google

per ſe humani corporis forma, informans corpus, & conſtituens hominem: non tamen vt intellectualis & libera habeat proprium organum quod informet, & per quod operetur, ſicut habet vt eſt vegetatiua & ſenſitiua.

358. *l.* 56. non, *perſonam*, ſed, *naturam.*

560. *l.* 19. poſt, *habitualí*, deeſt, *ſed actuali.*

A 584. ad 589. Supple ex doctrina *S. Bernardi Serm.* 50. *in Cantica*, de duplici charitate, actuali & affectuali. *Eſt charitas in actu, eſt & in affectu: De illa, quæ operis eſt, puto datam eſſe legem, &c. Nam in affectu quis ita habeat vt mandatur?* Infra. *Aut ſi placet tibi magis de affectuali datum fuiſſe mandatum: non inde contendo, dummodo acquieſcas & tu mihi, quod minimè in vita iſta ab aliquo hominum poſſit vel potuerit adimpleri. Ergo mandando impoſſibilia* .i. naturaliter, *non prævaricatores homines fecit, ſed humiles, &c. Atque hoc dixerim ſiquidem conſenſerimus affectualem fuiſſe lege mandatam: ſed actuali potiùs conuenire, vel maximè apparere videtur* ex Luc. 6. *Diligite inimicos veſtros, bene facite his qui oderunt vos.* Ioan. 14. *Si diligitis me ſermones meos ſeruate, &c. Neq; hoc dico vt ſine affectione ſimus, & corde arido ſolas moueamus manus ad opera. Legi* Rom. 1. *inter grauia hominum mala*, ſine affectione. *Sed eſt affectio quam caro gignit, & eſt quam ratio gerit, & eſt quam condit ſapientia, &c. Prima dulcis, ſed turpis: ſecunda ſicca, ſed fortis: vltima pinguis, & ſuauis eſt. Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa charitas ſedet: non illa affectualis quæ ſapientiæ ſale condita pingueſcens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; ſed quædam potiùs actualis, quæ etſi nondum dulci illo amore ſuaviter reficit, amore tamen amoris ipſius vehementer accendit.* 1. Ioan. 5. Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. .i. *moueamur ad bene operandum, magis quodam viuidæ veritatis impulſu, quàm ſapidæ illius charitatis affectu.* Ordinauit in me charitatem, *Cant.* 2. *Quam putas harum? Vtramque, ſed ordine oppoſito, &c. Agit ſuum actualis charitas ordinem iuxta Patris familias inſsionem, incipiens à nouiſſimis*, Matt. 20. *At non ita affectualis: nam à primis ipſa ducit originem.*

589. *l.* 40. *S. Bernardus de diligendo Deo*, non citat ipſam epiſtolam ad Fratres Carthuſianos de monte Dei, ſed aliam epiſtolã ad Carthuſienſes & Guitoni Priori: ex qua, non ex illa, refert, verbatim integras ſententias. Vt, *Nec timor nec privatus amor conuertit animam: mutant interdũ, vultum vel actum, affectum nunquam, &c. Vbi proprietas, ibi ſingularitas: vbi ſingularitas, ibi angulus; vbi angulus, ibi ſine dubio ſordes &c.*
Itaq; ex illo opere non ſatis certò conſtat de Epiſtola ad Fratres de monte Dei.

Col. 591. *l.* 52. Corrige vt 204. 210. 506. Quia licet ſic poſſet intelligi, vt in 4. *col.* 942. *q.* 11. *n.* 4. de omni improportione geometrica noſtræ potentiæ & actus ad Deum, vt ens & obiectum infinitum, ſed de aliqua proportione arithmetica, in infinitum. *Scotus* tamen in 3. d. 23. & 27. ſupra, non tam agit de proportione noſtræ potentiæ & actus ad Deum vt obiectum, quàm perfectioris & imperfectioris potentiæ, habituatę vel non, ad perfectiorem vel imperfectiorem actum circa Deum. Vt ſic *Proportio Geometrica* ſit ſecundum aliquotam partem ſimilem perfectionis vel imperfectionis: *Arithmetica*, ſit ſecundum æqualem exceſſum vel defectum vnius ſupra vel infra aliud. Prout latè explicat noſter *Lychetus* in diſt. 17. q. 3.

Sed *S. Bon.* in 3. diſt. 3. q. 1. ad 4. diſtinguit inter Proportionem ordinis, & quantitatis. *Diſt.* 29. *q.* 1. inter proportionem ſtrictè ſumptam, pro quadam commenſuratione rerum eiuſdem generis; & largè, pro quauis earum Analogia. *Scotus* in 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *n.* 13. ſupponit proportionem eſſe propriè ſecũdùm quantitatem, differreq; à ſimilitudine ſecundùm æqualitatem, imò & à perfecta æqualitate quantitatis. Ideo enim docet ſolum finitum, aut non quantũ, eſſe improportionabile infinito vel quãto. *Diſt.* 46. *q.* 1. *n.* 16. diſtinguit inter Proportionem *propriè, & impropriè, non ſecundùm excedentiam & exceſſum, ſed aliquo alio modo. Diſt.* 49. *q.* 11. *n.* 6. Diſtinguit *proportionem Geometricam, qua continens excedit contentum in certo aliquo gradu finito, à proportione alterius generis, vt potentiæ vel operationis ad obiectum.* Vnde patet quàm ſit varius huius nominis vſus. Quibus adde, quod *Proportio* ſit comparatio duorum inter ſe: ſed *Proportionalitas* propriè ſit comparatio duarũ vel plurium proportionũ

598. *l.* 42. *Animæ*, non, *Animo.*

600. *l.* 30. *amans l.* 32. *humanum.*

IN IV. Sent. *Col.* 2. *l.* 5. *qua*, non, *aqua.*

27. *l.* 62. *ſubmiſſa.* c. 49. *l.* 27. dele, *non.*

A *col.* 89. ad 100. deeſt ſolus numerus.

118. *l.* 58. *inclinare.* non, *inclare.*

189. *l.* 21. *Principis*, non, *Princepes.*

202. *l.* 8. *Infidelis per fidelem*: non è contra.

207. *l.* 57. *merendum*, non, *mærendum.*

217. *l.* 25. *contunditur*, non, *contenditur.*

221. *l.* 50. *imperet*, non, *impetret.*

232. *l.* 48. *fragrantia*, non, *flagrantia.*

249. Corrige duos numeros.

251. *l.* 19. *Coph* hebraicè, non, *Phe.*

302. *l.* 9. Transfer, *Cùm non eſſet &c.* per *lineas* 29. vſque ad *col.* 303. poſt *lineam* 49.

403. *l.* 45. dele, *non.* A 431. ad 448. corr. numeros.

434. *l.* 63. *Eſſet corporalis*, non *ſpiritualis.*

445. *l.* 61. *proprios motus.* non, *proprias motu.*

478. *l.* 11. *non animat.*

756. *l.* 26. *ſine illa, nec hunc*, non, *ſine hac, nec illam.*

758. *l.* 60. *acquiſita*, non, *infuſa.*

759. *l.* 23. *imperfectione*, non, *perfectione.*

770. *l.* 55. Adde: *Ergo eſt.*

849. *l.* 65. dele *nec*, & ſupple ex *col.* 844.

A 614. ſupple ex *S. Aug.* Epiſt. 5. *Valent etiam ciuiles ſine vera Religione virtutes, &c.*

A col. 964. *ad* 969. De præſenti viſione & fruitione Dei: ſupple ex *Tomo* 1. in 1. *à col.* 278. *ad* 300. De inuiſibilitate naturali Dei, &c. ex *Tomo* 2. in 3. *à col.* 597. *ad* 600. De vero quoad hoc ſenſu *S. Bernardi.*

A col. 977. *ad* 989. De cultu SS. & ſacrarum Imaginum, &c. Supple ex *Tomo* 2. in 3. à 411. ad 427.

DOCT.

DOCTORIS IRREFRAGABILIS ALEXANDRI AB ALES PROFESSIONE FRANCISCANI

PRIMA PARS SVMMÆ THEOLOGICÆ.

QVÆSTIO 1. *De Doctrina Theologica.*

MEmbro 1. Non eſſe tantùm ſcientiam: ſed propriè & principaliter ſapientiam: quia eſt de Deo ſeu cauſa prima, perficiendo animam etiam ſecundùm affectum, ad eius timorem & amorem. Ex *Deut.* 4. Hæc eſt noſtra Sapientia, &c. *Eccli.* 6. Sapientia ſecundùm nomen ſuum eſt .i. à ſapore affectionis, quaſi ſapida ſcientia. *Ad* 1. *&* 2. *Arg. oppoſitum.* Credibilia ſunt etiam Theologicè ſcibilia: ex fide neceſſaria & diſponente ad intelligendum. *Eſ.* 7. *Niſi credideritis non intelligetis*: ex quadam verſione. *Ad vlt.* Modus ſciendi de Deo, eſt ab operatione ad virtutem, à virtute ad Diuinitatem. *Rom.* 1. *Sap.* 13.

Mem. 2. Differre ab alijs ſcientijs, ipſaq; prima Philoſophia ſeu Sapientia Naturali: quamuis omnes vt veræ ſint à Deo, & hæc etiam de Deo. 1. Quòd illæ ſint ſola ratione acquiſitæ, hæc à Deo inſpirata. 2. *Tim.* 3. 1. *Cor.* 2. 2. Quòd illæ oriantur ab aliqua experientia, hæc à fide. 3. Quod illæ ſint tantùm ad docendum intellectum, hæc etiam ad mouendum affectum. 4. Quòd illæ ſint de vero vt vero, vel bono morali: hæc de vero vt bono gratuito, ideoq; antonomaſticè à Spiritu S. 5. Quòd hæc ſit de ſupernaturalibus, non illæ.

Mem. 3. De quo obiecto ſit. *Reſp.* Theologia eſt ſcientia de ſubſtantia diuina, cognoſcenda per Chriſtum in opere reparationis. *Ad.* 1. Non agit de creatione niſi ad lapſum hominis, nec de eius lapſu niſi ad reparationem. *Ad* 2. Scientiæ ſeculares habent pro ſua materia opera creationis: hæc reſtaurationis. *Ad* 3. ex *B. Aug.* 1. *Doct. Chriſt.* 2. Res & ſigna ſunt materia *circa quam*: ſed *de qua*, eſt ſubſtantia diuina cognoſcenda in opere reparationis. *Ad.* 4. Hæc eſt vna ſcientia rerum & ſignorum, ad vnam per Chriſtum reparationem. *Ad* 5. ex 1. *doct. Chriſt.* 3. Eſt de reparatione hominis, vtendo vtendis, ad fruendum fruendis. Chriſtus poteſt eſſe eius materia & finis. *Rom.* 10. vt virtutes circa finem, habent eum etiam pro materia & obiecto.

Mem. 4. De modo huius ſcientiæ ex ſacra ſcript. *Art.* 1. Quòd non ſit artificialis ratione humana: ſed ſalutaris ex diſpoſitione ſapientiæ Dei. Vt *B. Aug.* 14. *Trin. cap.* 1. Ad 1. ex *S. Dyon. de Ang. Hier.* Sacra Script. vtitur modo quaſi Poëtico ſeu Metaphorico, ad captum humanum, & ad velanda indignis myſteria. *Ad* 2. Modus ſciendi intellectualis eſt per definitiones, diuiſiones, ratiocinationes: ſed hic affectiuus, eſt per reuelationes, præcepta, exempla, &c. *Ad* 3. Eſt huic proprium 1. *Cor.* 2. tradi in myſterio. 1. Ad meritum Fidei. 2. Ad ſtudium. 3. Ad reuerentiam.

Art. 2. Quòd ſit alijs certior experimentaliter ſecundùm affectum & hominem ſpiritualem: non ſpeculatiuè, ſecundùm intellectum & hominem animalem. *Ad* 1. Fides eſt certior affectiuè, non ſpeculatiuè. *Ad* 2. Hæc eſt potius virtus & ſapientia, quàm ars & ſcientia: quia procedit ex principijs per ſe notis veritatis, vt Bonitatis, ſed occultis vt veritatis. *Ad vlt.* Hæc non arctatur ad vnicum ſenſum Sacræ Script. vt aliæ Scientiæ.

Art. 3. Quod ſit multiformis. 1. Ex *Heb.* 1. *& Eph.* 3. 2. Ex quadruplici ſenſu Sacræ Script. 3. Ex multiplici ſpiritu ſapientiæ. 4. Ex multiplici materia. 5. Ex multiplici hominū capacitate.

Art. 4. De hac multiformitate, ſeu de quadruplici ſenſu Sacræ Script. relatiuè ad vnitatem & Trinitatem in Deo. 1. De vnico ſenſu literali 2. De Anagogico ſeu eleuante ad Deum. 3. Allegorico, de Fide Chriſti ſeu ſacræ humanitatis. 4. Tropologico ſeu morali. *Ad B. Auguſt. De vtil. credendi cap.* 3. Non diſtinguit. ibi. 4. ſenſus intellectos, ſed 4. modos intelligendi: Quorum tres primi, ſecundum *Hiſtoriam, Æthiologiam, & Analogiam*, non Ethymologiam vt habet hic textus vitiatus, continentur ſub ſenſu literali; ſed quartus ſeu Allegoricus continet tres Spirituales.

Art. 5. De veritate ſenſus literalis: hyſtoricè, ex propria & prima vocum ſignificatione; parabolicè, ex ſecundaria; myſticè, ex ipſa potius rerum ſignificatarū diſſimilitudine. 1. Quia negationes de Deo ſunt veriores, quàm affirmationes. 2. Quia intellectus potiùs tranſilit ad Deum per diſſimilia, quàm per ſimilia quibus inhæret. 3. Nil eſt tam diſſimile, quin elici poſſit ſimilitudo. 4. Ad velanda indignis myſteria. 5. Ad manuducendum intellectum.

QVÆSTIO 2. *De Cognitione Dei in ſe.*

Memb. 1. Ex parte obiecti. *Art.* 1. An Deus ſit cognoſcibilis homini.

Reſp. affirm. cum *B. Aug. Epiſt.* 112. ex *Matth.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbūt. *Ad* 1. 2. 3. De ſola inuiſibilitate naturali, corporali, aut comprehenſiua Dei. *Ad* 4. Cognitio non eſt neceſſariò adæquata obiecto infinito: ſed proportionata intellectui finito. *Ad* 5. Nulla vis materialis, ſed ſpiritualis eſt capax cognitionis ſpiritualis.

Art. 2. An Deus ſit cognoſcibilis in ſua infinitate. *Reſp.* Non poſitiuè, quid ſit: ſed negatiuè, quid non ſit. *Ad* 1. Æternus .i. ſine principio & fine. Incircumſcriptus .i. ſine loco vel vbi. Immenſus .i. ſine menſura ſuæ virtutis. *Ad* 2. ex *Eph.* 3. Non de ipſa plenitudine Dei, ſed noſtra Deo. *Ad* 3. ex *Ioan.* 18. Omnia nota feci vobis .i. finita & pertinentia, ſtatui vobis nota facere. Vel infinitum eſt cognoſcibile quod ſit: ſed non ſecundùm ſuam infinitatem. *Ad vlt.* Omnia in Deo ſunt vnum: non tamen idem dicitur de quolibet; quia licet ſignificent idem principale, differunt connotatis & modo ſignificandi.

Digitized by Google

Art. 3. An ſit naturali ratione cognoſcibilis in ſua Trinitate. *Reſp.* Non propriè niſi auxilio gratiæ gratis datæ, aut gratum facientis. Quia vt ſenſus circa maxima & minima ſenſibilia: ſic intellectus noſter peccato orig. obtenebratus, deficit circa perfectiſſima & minima intelligibilia, vt motum, tempus, &c. *Ad* 1. Philoſophi dicuntur defeciſſe cognitione tertiæ Perſonæ. 1. Quoad præcipuos effectus bonitatis Dei. 2. Quoad veram eius recognitionem. 3. Quoad eius imitationem. *Ad* 2. ex illo Triſmegiſti, *Monas Monadem genuit, & ſuum in ſe reflexit ardorem*, &c. nonniſi per aliquam inſpirationem Dei. *Ad* 3. Non eſt ex defectu obiecti: ſed rationis noſtræ.

Art. 4. An Deus ſit cognoſcibilis facie ad faciem in via. *Reſp.* Quòd non in propria forma: ſed in effectu aliquo ſuæ præſentiæ, & ſic in facie ſeu præſentia, vt tamen quaſi à Poſteriori.

Art. 5. An ſit hîc cognoſcibilis in ſua ſpecie .i. ſicuti eſt. *Reſp.* Nec per naturam, nec per gratiam imperfectæ contemplationis, ſed perfectæ: nec tamen tam plenè ac poſt hanc vitam. Ex *S. Greg. in Iob* 26. Et *B. Aug. De Trin. & q. vlt. ad Oroſium.*

Art. 6. An poſſit naturaliter cognoſci eſſe præſens in creaturis.

Reſp. affirm. De præſentia per naturam, ab aliquo effectu perceptibili: non per gratiam, ſeu imperceptibilem Dei acceptationem gratuitam. *Ad S. Ambr.* in *Luc* 6. Deus cùm abſens putatur, videtur: cùm præſens eſt, non videtur. i. Ex humilitate: Vel myſticè, vt *B. Aug. Epiſt.* 112. *cap.* 12. *col.* 479. *noſtra Anat.*

Mem. 2. Ex parte cognoſcentis. *Art.* 1. An ſit in potentia naturali cognoſcere Deum. *Reſp.* Non quoad quid, qualis, quantus ſit propriè: ſed quòd ſit, vt *Rom.* 1 *Sap.* 13. *Art.* 2. Deum nõ poſſe cognoſci à malis quid ſit: ſed quòd ſit, & potens ac iuſtus in ſuis operibus. Ad *Iob.* 1. Deus non venit in conſpectum diaboli: ſed hic in conſpectum Dei, quoad ordinem iuſtitiæ. *Ad vlt.* Videbunt in quem pupugerunt. i. humanitatem Chriſti.

Art. 3. Deum non poſſe cognoſci vllo ſenſu, ſed ſolo intellectu. Ex *B. Aug. Epiſt.* 112. Quia nec charitas, nec vlla res ſpiritualis poteſt percipi ſenſu. §. 2. An ratione vel ſola intelligentia. *Reſp.* Non ratione inferiori, circa creaturas: ſed ſuperiori circa Deum, ſeu ſimplici intelligentia. *Infra.* Modus proprius rationis, eſt colligere vnum ex pluribus, vel ex alio aut poſt aliud: modus intelligentiæ, eſt percipere totum ſimul ac ſimpliciter.

Art. 4. Quòd Adam non videbat Deum in ſe, ſed per creaturas. §. 1. An tunc perfectiùs quã nunc per Fidem. *Reſp.* In Adam fuit cognitio naturalis, & ſuperaddita: illa fuit maior noſtra Fidei, ſpeculatiuè; ſed non meritoriè, nec affectiuè, nec electiuè.

Memb. 3. Ex parte medij. *Art.* 1. An Deus cognoſcatur per medium.

Reſp. Nunc non ſine medio ex 1. *Cor.* 13. An vero in futuro, alibi. *Ad* 1. vt lux videtur ſeipſa effectiuè, non in ſeipſa materialiter, ſed in aere vel colore: ſic Deus ſeipſo, ſed in creatura, &c. *Ad* 2. Viſio intellectualis, vel eſt rei in ſe, vel in ſua ſimilitudine. *Ad* 3. Nulla eſt natura ſubſtantialis inter nos & Deum, qua formemur: ſed accidentalis.

Art. 2. De medio cognoſcendi Deum per naturam creatam: ex *Rom.* 1. inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, &c. 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. *Ad* 1. Non eſt conuenientia inter Deum & creaturam, vniuocè, ſed analogicè .i. Quòd de Deo per naturam, dicitur de creatura per participationem. *Ad* 2. Non eſt proportio finiti ad infinitum in ſe: ſed vt ad cauſam inchoantem, & finem finientem. *Ad* 3. ex *Aug.* Quòd cùm mens conſpexerit Deum obliuiſcetur cætera. i. Non nunc, ſed tunc. Vel cætera obiecta, non media neceſſaria. *Ad* 4. Vt oculus debilis ad ſolem, ſic intellectus ad Deum. *Ad* 5. Vt res videtur per lucem formaliter, per ſpeculum materialiter: ſic Deus per Verbum, & per creaturam.

Art. 3. De medio cognoſcendi Deum per gratiam Fidei. *Ad* 1. ex B. Aug. *Epiſt.* 112. Videntur ea quæ præſto ſunt ſenſibus animi vel corporis: vnde & præſentia dicuntur. Hinc quod creditur non propriè videtur in ſe, ſed in ſuo teſtimonio. *Ad* 2. *Ex eodem.* Videre, eſt ſenſu Corporis vel intuitu mentis: credere, eſt quod nunquam affuiſſe recolitur. *Ad vlt. Ex eodem ibid.* Non immeritò nos ſcire dicimus etiam quæ idoneis teſtibus credimus: loquendo communiſſimè.

Art. 4. De probatione rationali credendorum. 1. Ad intelligentiam veritatis creditæ. 2. Ad augendam Fidem. 3. Ad conuerſionem infidelium. *Ad* 1. Ratione acquieſcimus veritati, ob noſtrum teſtimonium: Fide, ob diuinum. Fides non habet meritum, in eo qui nititur ſoli rationi. *Ad* 2. Fides *Hebr.* 11. eſt Argumentum rationis in Theologicis: cùm in Logicis, Ratio ſit Argumentum Fidei. *Ad* 3. Fides eſt certior affectiuè & voluntariè, Ratio ſpeculatiuè. *Ad* 4. Credenda ſupra rationem, poſſunt probari ratione à poſteriori.

Art. 5. An certior ſit cognitio naturalis Dei, vel creaturæ. *Reſp.* Hæc eſt certior illâ, quoad *quid ſit*: & certitudine actuali ſenſus, ac habituali per ſenſum acquiſita, etiam quòd ſit; ſed illa eſt certior quod ſit, certitudine innata, & fidelibus infuſa.

QVÆSTIO III. *De eſſentialitate Dei.*

Mem. 1. De neceſſitate eſſendi Dei. 1. Ex *Richar. de S. Vict. lib. de Trin.* Conſtat multa incipere eſſe ab alijs: Ergo eſt aliquid ab æterno ex ſe, &c. 2. Ex *Damaſc.* Sunt multa creabilia: Ergo aliquid increabile, &c. 3. Omnes ſimul creaturæ, ſiue finitæ, ſiue infinitæ, ſunt creatæ: Ergo ab aliquo increabili; quia nihil poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, nec idem poteſt eſſe altero prius & poſterius in eſſendo & cauſando ſeinuicẽ circulariter. 4. Ex *Sap.* 13. A creatura ad Creatorem. 5. Ex *Hugone de S. Vict. in* 1. *Sent.* A cognitione animæ noſtræ, ad initium, & principium eius. 6. Ex *Anſelmo l. de veritate*: A veritate omnis præteriti & futuri, ad æternitatem ipſius veritatis. 6. Ex eodem, à neceſſaria veritate ante omne initium & poſt omnem finem ad neceſſariam æternitatem veritatis. 7. Ex *B. Aug. lib.* 1. *Solil.* A vera negatione veritatis, ad neceſſitatem veritatis. 8. Ex neceſſario eſſe optimi. 9. Ex *Anſ. in Monol.* A gradibus bonitatis, ad neceſſarium aliquod optimum. 10. ex *Rich. de Trin.* Ab ordine rerum omnium, ad aliquid ſummum.

Mem. 2.

Digitized by Google

Mem. 2. De neceſſaria cognitione habituali Dei naturaliter impreſſa noſtræ rationi ſuperiori: ſi nũmus poteſt toties dici relatiuè abſis vlla ſui relatione: quanto magis Deus, &c.? ſed poſſibili errore & ignorantia actuali ſecundùm rationem inferiorem, circa ſenſibilia, ex culpa & pœna orig. *Rom.* 1. Cùm Deum cognouiſſent, &c. *Ad Pſal.* 13. Ex *Anſel. in Proſol.* Nemo poteſt cogitare Deum nõ eſſe quod rem ipſam: ſed quoad vocem, aut falſum conceptum Dei. *Ad* 3. Poteſt Deus cognoſci in commune, & ignorari ſub ratione propria. *Ad* 4. & 5. Vt ſupra, de cognitione quod ſit, non quid ſit.

Mem. 3. Eſſe ſoli Deo proprium, non poſſe cogitari non eſſe, vt ſupra: Quia ſolus Deus neceſſariò eſt: reliqua poſſunt non eſſe, ideoque cogitari ſeu concipi, vt non exiſtentia.

QVÆSTIO IV. *De incommutabilitate Dei.*

Memb. 1. Quòd Deus ſit incommutabilis: Quia neceſſariò eſt actu ſummum bonum: non autem in potentia ad non eſſe, aut ad aliud vel melius. *Ad* 1. Deus incipit dici Creator, abſque vlla ſui mutatione, ſed ſolius creaturæ. Quædam enim relatiua dicunt mutuam dependentiam, & tunc relatio fundatur ſuper vtroque extremo: quædam non, & tunc fundatur tantùm ſuper dependente, comparatiuè ad aliud. *Ad* 2. Deus eſt factus homo, ſola mutatione naturæ humanæ. *Ad* 3. Vt ſol ſemper lucet, nec illuminando mutat ſeipſum, ſed illa: ſic Deus eſt ſemper agens ſua virtute, nec inde mutatur ſed ea quæ fiunt. *Ad* 4. Deus vult nunc eſſe quod prius noluit: Nunc & priùs referũtur ad eſſe creaturæ, non ad velle & nolle Dei; quia habet idem velle ab æterno. *Ad* 5. Si Deus inciperet eſſe Pater, mutaretur, quia ab intrinſeco: non ſic de Creatore & Domino ab extrinſeco. *Ad vlt.* Si Spiritus Sanctus fieret Filius, mutaretur ab vna perſona in aliam: Pater autem non fit de generante ſpirans; ſed eſt ſimul ab æterno.

Mem. 2. Quod nec ſit mutabilis cauſaliter, ſeu cauſa mutabilitatis in creaturis: quia hæc non eſt à Deo, ſed ex nihilo, ſeu non ſunt mutabiles quia ſunt à Deo, ſed quia ex nihilo, vt B. Aug. ſæpè. *Ad Sap.* 7. Sapientia Dei dicitur omnibus mobilior actiuè, non paſſiuè.

Mem. 3. Quòd ſolus Deus ſit prorſus immutabilis ad eſſe, & in eſſe: Creaturæ autem ſunt omnes mutabiles ad eſſe, & ſubſtantialiter vel accidentaliter in eſſe.

QVÆSTIO V. *De ſimplicitate Dei.*

Memb. 1. Quòd Deus ſit ſimplex omnimoda ſimplicitate, abſque vlla compoſitione ſubſtantiali vel accidentali. 1. Quia omne compoſitum poteſt concipi non eſſe, per reſolutionem: non ſic Deus. 2. Quia compoſitum dependet à componentibus: non ſic Deus. *Ad* 1. 2. *&* 4. Relationes in Deo nil addunt eſſentiæ: nil vtique cum ea componibile. Vt eſſe alicui dextrum aut ſiniſtrum: & vt idem ſimplex punctum eſt finis vnius lineæ, & principium alterius. *Ad* 3. In Patre innaſcibilitas non eſt paternitas, nationaliter tãtùm.

Ad 5. Deus ſimplex non poteſt videri niſi totus: ſed non comprehendi ſecundùm totum, &c.

Memb. 2. Quòd ſit ſummè ſimplex. *Ad* 1. Eò eſt maior vnitas, quò ſimplicior & virtuoſior: maxima & ſimpliciſſima eſt, eſſe in pluribus ſine ſui multiplicatione. *Ad* 2. Non eo eſt Pater, quo Deus: nec tamen alio; quia paternitas eſt Deitas. *Ad* 3. Idem eſt eſſe diuinum, alio & alio modo habitum à Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Memb. 3. Quòd ſolus Deus ſit ſummè ſimplex, abſque omni compoſitione, componibilitate, ac dependentia compoſitionis. *Ad* 1. *&* 2. Materia & forma ſunt componibiles inter ſe. *Ad* 3. Vnio eſſentiæ diuinæ cum humana, non eſt compoſitio, &c. *Ad* 4. Quædam ſunt Entia, quædam Entium: nec tamen hæc ſunt nihil.

QVÆSTIO VI. *De Immenſitate Dei in ſe.*

Memb. 1. Quod Deus ſit infinitus: non priuatiuè, quaſi finibilis; ſed negatiuè & contrariè, ſeu ex propria perfectione infinibilis, & finiens exceſſu infinito omnia poſſibilia. *Ad* 1. Materia prima dicitur infinita priuatiuè, defectu ſui finis ſeu perfectionis: Peccatum dicitur infinitum, defectu ordinis ad finem: Quantitas dimenſiua dicitur infinita, diuiſione vel additione in infinitum; ſed quantitas virtualis ſeu perfectio Dei eſt infinita actu. *Ad* 2. Deus eſt completus ex ſe, non autem ab alio: imò & omnium complementum. Ad 3. Eſſe finitum non eſt eſſe hoc, diſtinctum ab alijs: ſed eſt terminari ad aliud, vel eſſe propter aliud, vel perfici ab alio. *Ad* 4. Eſt perfectionis in creatura eſſe ad finem meliorem ſe: in Deo autem, eſſe finem omnium. *Ad* 5. Finita magis ducunt ad Deum vt finem: Infinita defectu perfectionis, ad Deum vt cauſam efficientem & exemplarem.

Mem. 2. Quòd ſolus Deus ſit infinitus ſimpliciter. *Sap.* 13. gratia autem Chriſti non ſit infinita principio, fine, ſubiecto; ſed aliquomodo virtute influendi pluribus membris in infinitum, & ſatisfaciendi pro pluribus & maioribus peccatis in infinitum. *Ad Ioan.* 3. Spiritus non eſt datus Chriſto ad menſuram, comparatiuè cum alijs.

QVÆST VII. *De immenſitate Dei obiectiuâ.*

Mem. 1. Quòd Deus ſit quidem à nobis comprehenſibilis cognitione apprehendente & attingente totum obiectum in ſe, eique adhærente. *Pſal.* 3. *Eph.* 3. 1. *Ioan.* 3. Sed incomprehenſibilis cognitione includente, vel cõtinente totum ſecundùm totum, ſeu circumſpiciente finem obiecti, vt *B. Aug. Epiſt.* 112. Comprehendere enim eſt includere totam ſubſtantiam, virtutem, & reſpectum eius: attingere autem, eſt totum ad totum iungi, non ſecundùm totum. Vt linea attingit cẽtrum: ſed non comprehendit eius virtutem ad alias lineas infinitas. Vnde Triſmegiſtus: *Deus eſt ſphæra intelligibilis, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam.* *Ad* 1. Non poteſt cognoſci quantus ſit Deus poſitiuè: ſed negatiuè. *Ad* 2. *Pſal.* 3. De comprehenſione pro apprehenſione. *Ad* 3. Eſſe plenum Deo, eſt ſecundùm captum noſtrum: non ad æqualitatem. *Ad* 4. 1. *Cor.* 2. Scrutari profunda Dei, non eſt comprehendere. *Ad* 5. *&* 6. Anima eſt ſimilitudo totius ſapientiæ Dei, ſed non æqualis. Ex *B. Aug. lib.* 83. *qq.*

Digitized by Google

Memb. 2. De differentia comprehenſorum, ſeu viſionis Dei in Patria: non ex differentia obiecti, nec ex vllo ibi medio; ſed ex inæquali perſpicacitate futura intellectuum in gloria.

QVÆSTIO VIII. *De immenſitate quoad Circumſcriptionem.*

Memb. 1. Quòd ſit ſimpliciter incircumſcriptibilis: quia nec habet vllum terminum eſſentiæ, nec virtutis, nec loci, nec temporis. *Ad Arg.* Deus eſt in omnibus quatenus ſunt, non quatenus deficiunt.

Mem. 2. Quòd ſolus Deus ſit ſimpliciter incircumſcriptibilis, loco, duratione, & fine: quædam autem creaturæ, ſecundùm quid, vt Angeli & ſupremum cælum, loco, & tẽpore, non tamen fine; quia habent terminum ſubſtantiæ & virtutis.

QVÆST. IX. *De localitate Dei.*

Memb. 1. An Deus ſit alicubi, nuſquam, vel in ſeipſo. *Solutio.* Deus non eſt in loco vt contentus loco, nec definitiuè, nec circumſcriptiuè: ſed vt præſens & replens locum; non materialiter, ſed virtualiter, dans ipſi loco virtutem continendi. Vt ſapientia eſt in ſapiente, ex B. Aug. *Epiſt.* 57. *ad Dard.* *Ad* 2. Non eſt nuſquam ſimpliciter: quia hoc negat omnem modum; ſed nuſquam eſt circumſcriptiuè, contentiuè, &c. *Ad vlt.* Deus eſt in ſeipſo .i. independens, nec contentus ab vllo alio.

Memb. 2. An ſit vbique. *Solutio.* Eſt vbique: non diſtinctè, ſeu partibiliter, ſed indiſtinctè ſeu totus in quolibet. .i. Eſt totus præſens ad omnia vbi: vt anima in qualibet parte ſui Corporis. *Ad* 1. Quia virtus eius eſt eſſentia: non congruit vt agat aut conſeruet aliquid abſens per eſſentiam. *Ad* 2. Nihil eſt aut ſit niſi immediate à Deo, vel ſolo, vel principaliter: ideoque neceſſariò præſente etiam per eſſentiam.

Mem. 3. Quid ſit Deum eſſe vbique, in omni loco, in omni re. *Reſp.* Vt eſt locus corporalis, communis & ſpecialis, continens & finiens corpora: ſic & locus ſpiritualis, continens ſpiritus intelligibiliter; communis quidem, virtus ſeu potentia Dei; ſpecialis autem, cuiuſque limitatio. *Ex Damaſc. & Ambr.* Summum cœlum quoad ſuas partes habet locum corporalem: quoad ſe totum, ſpiritualem. *Ad vlt.* Vt Deus virtualiter continet omnia intra, dicitur eſſe in omnibus: vt omnia continet extra, dicuntur omnia eſſe in Deo: vt replet omnem locum, dicitur eſſe in omni loco; vt replet omne vbi, dicitur vbique.

Memb. 4. An ſit vbique ab æterno. *Solutio.* Vt eſt ab æterno, ſic & vbique quo ad principale ſignificatum, & neceſſitatem coexiſtendi omnibus poſſibilibus: non autem quoad actualem coexiſtentiam niſi exiſtentibus. Deum eſſe vbique dicit principaliter plenitudinem bonitatis eius, connotando omnia vbi.

Mem. 5. Quòd ſit ſoli Deo proprium, eſſe vbique independenter, & ſufficienter ad continendum omnia poſſibilia. *Ad* 1. Creatura eſſet vacua, niſi eſſet plena bonitate Dei. *Ad* 2. Sacra humanitas quamuis vnita hypoſtaticè: non eſt tamen immenſa & vbique, vt Deus. Sed hinc poteſt eſſe ſimul ſub pluribus ſpeciebus conſecratis: non tamen vbique, ne quidem ſi omnia eſſent conſecrabilia vel conſecrata; *quia poſſet intelligi materia non conſecrabilis.*] Adde dependentiam à ſpeciebus conſecratis. [*Ad* 3. Etſi nil eſſet niſi vnus homo, anima eius non eſſet vbique: quia non in omni poſſibili. *Ad.* 4. Angelus non poteſt ordinatè velle eſſe vbique.

QVÆST. X. *De exiſtentia Dei in rebus.*

Memb. 1. Quòd Deus ſit in rebus omnibus, & extra omnia alia à ſe.

Mem. 2. Quòd Deus ſit in rebus omnibus eſſentialiter, potentialiter, & præſentialiter. i. Quo ad ſuam eſſentiam, potentiam, & operationem quâ innoteſcit: non autem vt eſſentia aut de eſſentia alicuius rei. *Ad* 1. Deus eſt principium eſſentiale totius eſſe: non formale, ſed cauſale. *Ad* 2. Deus eſt abſtractus ab eſſe creaturæ, non à cauſalitate. Deus erit omnia in omnibus 1. *Cor.* 15. obiectiuè, affectiuè, & finaliter. Eſt omnia, cauſaliter, & exemplariter: non vt forma ſeu perfectio omnium intrinſeca, ſed extrinſeca. *Ad* 3. Deus ab omnibus participatur: non quaſi materialiter, formaliter, partialiter, aut idẽticè; ſed cauſaliter & ſimiliter.

Mem. 3. Quod hi tres modi generales contineant omnes. *Ad* 1. Deus ſiue vt Creator omnium in fieri, ſiue vt rector in eſſe, eſt in omnibus tribus illis modis. *Ad* 2. Ineſſe præſentialiter, non eſt adeſſe, ſeu non abeſſe per eſſentiam: ſed cognoſcibiliter, vt *Rom.* 1. *Sap.* 13. *Ad* 3. Eſſe vt Alpha & Omega, non eſt eſſe in, ſed extra, vt principium & finem. *Ad* 4. Ineſſe per voluntatem, eſt ineſſe per potentiam vel operationem: & eſt potiùs eſſe ad, quàm in; nec ſic ineſt malis, ſed bonis. *Ad* 5. Eſſe in omnibus perſonaliter, ſeu quo ad tres perſonas: non differt ab illis tribus modis.

Mem. 4. Quòd quamuis eſſentia, potentia, & operatio, in Deo non differant niſi intelligentia: hinc tamen diſtinguantur tres illi modi ſupra, quibus Deus omnibus inexiſtit, non ſic omnia illi; quia omnibus Deus ineſt eſſentialiter, vt ens neceſſarium ad eſſe omnium, non ſic vllum ens in Deo; ſed benè omnia in Deo potẽtialiter vt in cauſa, & præſentialiter vt in eius cognitione.

Mem. 5. Quòd Deus ex ſe inſit omnibus æqualiter: ſed participetur inæqualiter. *Ad* 1. Deus ineſt omnibus: ſed habetur tantùm per gratiam.

QVÆST. XI. *De inexiſtentia Dei per gratiam.*

Memb. 1. Quid ſit? *Solutio.* Eſt ineſſe per gratiam creatam, vt per expreſſam Dei ſimilitudinem: ex B. *Aug. Epiſt. ad Dard.* *Ad.* 1. Neceſſaria eſt gratia creata ad increatam, ſeu ad vnionem cum Deo per aſſimilationẽ. *Ad* 2. Vt Deus non ineſt creaturæ niſi ſecundùm naturam creatam: ſic nec inhabitat animam niſi per gratiam creatam.

Mem. 2. An Deus ſit in Sacramentis per gratiam. *Solutio.* Eſt in illis per gratiam: non inhabitantem, vt in ſubiecto; ſed vt in cauſa continente virtutem diſponendi ſubiectum ad gratiam.

Ad 1. Deus immediatè dat gratiam: ſed anima eam recipit mediante Sacramento. *Ad* 2. & 3. Vt ſignificatio vocis non eſt in ſono, ſed inſtitutione: ſic hæc

Digitized by Google

ſic hæc virtus Sacramentalis non eſt in ſubiecto ſecundùm ſuum eſſe naturæ, ſed inſtitutionis.

Mem. 3. Quòd caro ante infuſionem animæ non ſit inhabitabilis à Deo per gratiam: quia non eſt ſuſceptiua gratiæ, cùm non ſit ordinata ad gloriã. *Ad* 1. & 2. ex *Luc.* 1. & *Ier.* 1. De vita pro motu vitali apparente: vel ſecundùm prædeſtinationem. *Ad* 3. Caro non eſt capax peccati formaliter, ſed originaliter. Perſona Adæ corrupit totam naturam: Natura corrumpit originaliter perſonas, & perſonæ actualiter naturam; ſed gratia ſanctificat perſonam, non carnem, niſi vt eſt perſonæ.

Mem. 4. Quod Deus neminem inhabitet ante natiuitatem, per gratiam communem Sacramenti: ſed quoſdam ex priuilegio per gratiam ſingularem. Ex *B. Aug. Ep.* 57. *vt Tomo* 2. *Anat. Col.* 604.

Mem. 5. Quòd Deus ſit in paruulis Baptizatis per inhabitantem gratiam: quia ſicut ſine actu proprio facti ſunt iniuſti, ita & iuſtificantur.

Mem. 6. Quòd Deus necdum inhabitet per gratias gratis datas: ſed per ſolam gratum facientem. Quia hæc ſola vnit animam Deo vt ſummo bono: illæ autem ad hoc tantùm diſponunt.

Qvaestio xii. *De Æternitate.*

Memb. 1. Quid ſit nomine *Art.* 1. An ſit idem quòd ſempiternitas?

Reſp. Si ſemper eſſe ſit tantùm omni tempore, ſempiternitas differt ab æternitate: ſi autem idem ſit quòd eſſe ſine initio & fine, non differt. Hinc B. Aug. 12. *Ciu.* Angeli ſemper fuerunt .i. omni tempore: nec tamen ſunt Deo coæterni. *Art.* 2. Quòd dicatur analogicè: de Deo ſimpliciter, de creaturis per participationem.

Memb. 2. Quid ſit re. *Reſp.* Æternitas propriè dicitur diuturnitas ſine principio, ſine fine, ſine mutabilitate: communiter cum creaturis, duratio ſine fine.

Mem. 3. Quid ſit definitione. *Reſp. ex Boetio,* Æternitas Dei, eſt vitæ interminabilis tota ſimul & perfecta poſſeſſio.

Ad 1. Interminabilis, termino initiali & finali. *Ad* 2. Vitæ, pro actualitate eſſendi abſque vlla mutatione. *Ad* 3. Tota, non quaſi ex partibus, ſed abſque vllo ſui defectu. *Ad.* 4. Simul .i. ſine ſucceſſione. *Ad* 5. Poſſeſſio .i. fruitio. *Ad* 6. Perfecta .i. abſque vllo defectu vel indigentia.

Mem. 4. Quomodo probetur de Deo ſolo. *Reſp.* 1. Ex eo quòd ſolus Deus ſit ex ſeipſo. 2. Quòd ſolus non ſit ex non eſſe, nec habeat quicquam de non eſſe; ideoque nec ſit defectibilis ad non eſſe.

Mem. 5. De eius immenſitate, ſeu immenſurabilitate, & improportione ad omnia tempora & perpetua: Quia hæc non ſunt vlla pars illius. Nam ſi tẽpus præſens permaneret, iam non eſſet tempus.

Mem. 6. De inuariabilitate æternitatis, ſeu coexiſtentia immutabili omnibus ſucceſſiuis.

Mem. 7. De vnitate ſeu ſimplicitate æternitatis indiuiſibilis, virtute infinita omnia durabilia continentis.

Mem. 8. De incommunicabilitate æternitatis: ſeu impoſſibilitate mundi aut vllius creaturæ Deo coæternæ. Quia eſt de ratione creaturæ eſſe à Deo ex nihilo. *Ad* 1. Æternitas eſt eſſentialis: ideo nil poteſt eſſe coæternum niſi ſit eiuſdem eſſentiæ. *Ad* 2. Pes in puluere, eſt ſola origine prior ſuo veſtigio: ſed Idæa mundi eſt eo prior æternitate. *Ad* 3. Voluntas Dei eſt ab æterno: ſed non creandi ab æterno. *Ad* 4. Vt ſol ſemper intrinſecè lucet in ſe, ſed illuminat extrinſecè abſque ſui mutatione: ſic eſt æterna emanatio Dei ad intra, non ad extra. *Ad* 5. Poſſibilia non potuerunt fieri ab æterno, nec omnia ſimul in tempore. 1. Quia materia eſt incapax recipiendi ſimul omnes actiones poſſibiles, ex *libro Apocrypho Eſdræ.* 2. Quia quædam ſunt poſſibilia ſucceſſiuè, per alia agentia creata: Ergo non poſſunt omnia fieri ſimul. *Ad* 6. Actio qua Deus agit, eſt idem quod eius virtus & eſſentia: ſed actio quam efficit, eſt eius effectus, & agere eſt effici in tempore. *Ad* 7. Quædam per ſe creantur, quædam concreantur ad eſſe rei, quædam ſolùm ad fieri eius. *Ad.* 8. Actio creandi eſt ab æterno: ſed terminus eius habet initiũ. *Ad* 9. Vt B. *Aug.* 12. *Ciu.* Non intelligunt Philoſophi Deum non aliter affici animo dum vacat, ac dũ operatur, &c. *Ad* 10. Lux increata non eſt vt creata: quia infinita, & ideo æterna; nec poteſt habere coæternum niſi coinfinitum. *Ad* 12. & 13. Ante creationem omnia ſunt poſſibilia ex potentia Agẽtis, non alicuius ſubiecti. *Ad* 14. Omnis motus habet initium & finem, ex libera Dei volũtate, ſapientia, & bonitate ordinante omnia ad vltimum finem. *Ad* 15. Tempus non incœpit in tempore: ſed à primo nunc. *Ad* 16. Primus motor non mouit ab æterno: quia creatura non eſt capax.

Mem. 9. De cõparatione æternitatis ad æuum. *Art.* 1. Quod æuum variè ſumatur. 1. Pro omni duratione diſtincta à tempore. 2. Pro tota duratione temporis. 3. Pro antiquitate temporis. 4. Pro magna aliqua parte totius temporis. 5. Pro duratione vitæ alicuius. 6. Propriè pro duratione rei habentis eſſe poſt non eſſe, ſed immutabile in non eſſe. *Ad* 1, Eſt triplex nunc. 1. Æternitatis, quod nec poteſt incipere nec deſinire. 2. Æui, quod incipit, ſed manet abſque fluxu ſeu ſucceſſione. 3. Temporis, quod incipit & fluit ſucceſſiuè. *Ad* 2. Semper, vel ſumitur pro toto tempore, vel pro ipſa æternitate. *Ad* 3. Æuum eſt quantum virtute. *Ad* 4. Eſt accidens proprium æuiternorum, vt tempus temporalium. *Art.* 2. Quòd, vt tempus, ſic & æuum ſit vnum: non ab vnitate temporalium nec æuiternorum, ſed à quadam influentia & participatione æternitatis. *Ex. S. Dion. de diu. nom.* *Ad* 1. Eſt vnum æuum omnium æuiternorum, vt vnum tempus temporalium: quamuis alia priùs, alia poſterius incipiant. *Ad* 2. Vt duratio primi motus eſt menſura reliquorum temporalium: ita & duratio alicuius primi æuiterni poteſt eſſe menſura reliquorum; ex perfectiori ac indefectibiliori participatione æternitatis. *Ad reliqua.* Non ſunt plura æua, nec tempora formaliter, ſed materialiter: poſſunt tamen dici vnum æuum, ex ſola conformi imitatione æternitatis, ſine fine & ſucceſſione; quia æuiterna dependent à ſolo Deo immediatè, non ab aliquo primo æuiterno, vt omnia temporalia à primo mobili & motu, vel cœli, vel materiæ primæ.

Art. 3. De ſimplicitate æui, abſque vlla propria ſucceſ-

Digitized by Google

dum veritatis,& voluntatem fœcundam charitatis.

QVÆST. 19. De eadem vt intelligenda: eſt practica & ſtudioſa omnium rationum pro hac fide, contra omnes huic fidei oppoſitas.

QVÆST. 20. De eadem vt eloquenda: Eſt practica verè, fideliter, & reuerenter de ea loquendi.

De praxi Theologica totius Libri 2.

QVÆSTIO 1. De *Fide Chriſtiana Creatoris, creationis, & creaturarum.* QVÆST. 2. *Scholaſtica. De eiſdem.* Vtraque eſt practica. 1. Fidei contra infideles 2. Vſus ordinati creaturarum, ad gloriam Dei. 3. Humiliationis noſtræ ſub Deo. 4. Cultus Deo debiti, vt Creatori, & Supremo Domino. 5. Vtendi, & parendi omni dominio ſubordinato, &c. De quibus ex profeſſo QVÆST. 3. morali: præcipuè, de niſilo morali creaturarum, multiplici ſenſu, *col.* 223. 224. Deque vſu actiuo, ac paſſiuo omnis dominij ſubordinati, & moderati, *col.* 224.

QVÆST. 4. *Quid de Angelis credendum. Q.* 5. *Scholaſtica, de eiſdem:* ſunt practicæ. 1. Ad fidem, contra infideles, & hæreticos. 2. Ad timorem Dei. 3. Ad horrorem malitiæ Diabolicæ, & ſimilis. 4. Ad magnam fiduciam in Deum, per SS. Angelos, contra Diabolos. 5. Ad *Latriam* ſolius Dei & Chriſti, ac *Duliam* SS. Angelorum: contra omnem cultum Dæmonum. 6. Ad cauendam omnem malitiam Diabolicam, & imitandas virtutes Angelicas. De quibus 7. ex profeſſo q. 6. morali: *de fructu & praxi doctrinæ de Angelis, à col.* 269. *ad* 273.

QVÆST. 7. *Quæ ſint credenda, vel in fide cauenda, de Corpore, Anima, Natura humana, eiuſq; gratia, meritis & peccatis. à col.* 273. *ad* 388. QVÆST. 8. *Scholaſtica, de conciliandis omnibus ſententijs Catholicis, &c. à col.* 388. *ad* 532. Vtraq; eſt propriiſſimè practica, contra omnia vitia, & ad omnes virtutes, ac bona opera, per gratiam neceſſariam. De qua Praxi, per totam vtramq; quæſt. breuiter reſumptâ q. 9. morali. QVÆST. 10. *De creaturis corporeis:* eſt breuiſſima, vt relatiua ad doctrinam & praxim *quæſt.* 1. 2. 3. *De creaturis in communi.*

De Praxi totius Libri 3.

VTendi ſcilicet tota doctrina ad Fidem, Spem, Charitatè, & cultum debitum Chriſto, eiuſq; Deiparæ Matri, & ad participationem gratiæ, ac imitationem virtutum. Quæ praxis, vt ait *B. Aug. Lib. de Vera Relig.* c. 16. *Eſt diſciplina naturalis Chriſtianorum* .i. imbibitur ab infantia.

Sed *Quæſtio* 1. huius Operis, eſt practica, ad credendum, & profitendum omnia de Chriſto credenda, contra ſingulas hæreſes oppoſitas.

Quæſt. 2. Eſt practica, ad conciliandum omnes rationes Catholicorum in vnam perfectiorem, de Chriſto, eiuſque myſterijs credendis.

Quæſt. 3. Eſt practica, ad præferendum, & eleuandum Chriſtum, ſeu eius incarnationem, & noſtram de eo æſtimationem & affectum ſupra omnem occaſionem peccati, vſque ad primam intentionem, & intentum Dei.

Quæſt. 4. & 5. Sunt practicæ ad facilitandam credibilitatem vnionis hypoſtaticæ.

Quæſt. 6. & 7. Sunt practicæ, ad ſuſpiciendam, & ſummè æſtimandam vnionem Chriſti hypoſtaticā.

Quæſt. 8. Eſt practica, ad fideliter & dignè de Chriſto loquendum.

Qu. 9. Eſt practica fidei & cultus *Deiparæ Matris.*

Quæſt. 10 & 11. Sunt practicæ, ad erigendam noſtram æſtimationem & affectum naturæ humanæ Chriſti, ad ſummam perfectionem, & impeccabilitatem poſſibilem.

Quæſt. 12. & 13. Sunt practicæ, ad erigendam noſtram ſpem, & fiduciam, in merita Chriſti & gratiam per Chriſtum.

Qu. 14. Eſt practica, Latriæ Chriſto debitæ, &c.

Quæſt. 15. Eſt practica, non ad fidem vt 9. ſed ad piam æſtimationem, & cultum Deiparæ Matris, vt Immaculatæ, pro quouis inſtanti vitæ.

Quæſt. 16. Non ſolùm eſt ſpeculatiua virtutum infuſarum, aut acquiſitarum: ſed etiam earum practica, ſeu dirigēs ad eas habendas & exercēdas.

Quæſt. 17. 18. 19. 20. De virtutibus Theologicis, & moralibus, ſunt practicæ, ad vtendum eis, earumque motiuis, contra omnia oppoſita.

Suntque plures in infinitum notitiæ practicæ, & praxes interiores ac exteriores, colendi Chriſtum *Latria*, Deiparam *Hyperdulia*: quas ipſamet præ omnibus *contulit in corde ſuo, Luc* 2. præcinit ore ſuo, *Luc.* 1. eique prædictæ ſunt *ex multis cordibus reuelandæ, Luc.* 2. Quæ facilè elici poſſunt ex ſacris Script. Conc. Patribus ad ſingulas Quæſt. Vt plurimæ eliciuntur in 4. ſub *Breuiario* noſtro.

De praxi totius Libri 4.

VT patet, *De Sacramentis in genere. Quæſt.* 1. Ex ipſo nomine *Sacramenti*, à *ſacranda mente.*

Quæſt. 2. Ex definitione, à *continendo gratiam:* non vt vaſa inania, ſed plena formaliter vel virtualiter: *ab habendo vim ſanctificandi;* à *ſigno ſeu forma viſibili:* non ſolùm ſpeculatiua, ſed practica gratiæ; non vt abſentis, ſed præſentis, & actu ſanctificantis, vniendo nos Deo, vt obiecto, principio, & fini realiter præſentiſſimo. Vnde ſi vtendum eſt deuotè ſacris Imaginibus ſpeculatiuis, affectu debito ſuis prototypis, & fruendo Deo: quantò potiùs Sacramentis, fruendo Deo realiter præſente, & principaliter ſanctificante.

Quæſt. 3. 4. Siue Sacramenta habeant vim aliquam realem, ſiuè ſolùm moralem ſanctificandi, & infundendi gratiam: nonniſi tamen inſtrumentaliter; Deo principaliter ſanctificante, & ex ſeipſo gratiam nobis infundente. Quanta ergo deuotione Fidei, Spei, & Charitatis, ſeu fruitionis, vtendum eſt Sacramentis, miniſtrando & recipiendo per ea gratiam infuſam à Deo ex ſeipſo, & ſeipſum infundente. Sic enim *Rom.* 5. *Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui & per eam datur nobis.*

Quæſt. 5. Ex eminentia Sacramentorum nouæ Legis præ antiquis: ad praxim illorum deuotiorē.

Quæſt. 6. Ex numero tam ordinato & prouiſo à Deo ad ſuos fines tam ſalutares.

Quæſt. 7. Ex tanta neceſſitate & vtilitate materiæ, & formæ Sacramentalis: vtendum eſt eis deuotè; non ſolùm in ipſis Sacramentis actualibus, ſed & extra; nec ſolùm ipſâ materiâ & formâ vt conſecratâ, & conſecrante, ſed etiam vt conſecrabili, & à Deo adhoc inſtituta. Si enim vtendum eſt cibo & potu, & omnibus huius vitæ neceſſa-

ceſſa-

Digitized by Google

ceſſarijs, ad gloriam Dei: quanto potiùs rebus à Deo ſpecialiter inſtitutis,nobiſq; tam ſalutaribus.

Quæſt. 8. Ex cauſa *principali meritoria*, *inſtrumentali*, & *miniſteriali*: vtendum eſt Sacramentis, miniſtrando ea deuotiſſimè, & dependentiſſimè à Deo vt cauſa principali præſentiſſima, realiter & moraliter aſſiſtente, mouente; & per miniſtrum gratiam ſeu charitatem ſuam influente; à Chriſto vt cauſa meritoria, non ſolùm vt præterita, & abſente, ſed etiam vt moraliter præſente, merita ſua diſpenſante ſeu applicante, & ſeipſum in Miniſtris repræſentante. Quanta ergo deuotione fidei, timoris Dei, vel reuerentiæ, ſpei,& charitatis debet quis miniſtrare Sacramenta: non ſolùm vt ſubiectis,ſed vt ipſi Deo præſenti ac influenti;& Chriſtum repræſentare, ſeu eius perſonam gerere? De qua praxi, eadem q. 8. *col.*83.

*Quæſt.*9. Vt de miniſtrandis, ſic & de recipiendis Sacramentis, deuotiſſimè,& dependentiſſimè à Deo, actualiſſimè gratiam ſeuCharitatem,in eaq; ſeipſum nobis perSacramēta,&Miniſtros influente, ac vniente. Vnde ſi quando hîc fruendum eſt Deo, diligendo eum vt ſummum bonum in ſe,nobiſque præſentiſſimum: quando potiùs, quàm dum nobis ſuam adhuc gratiam, ſeu charitatem, & per eam ſeipſum nobis influit? Ne charitas infuſa,in ipſa ſua actuali infuſione ſit otioſa, ſeu ſine ſuo, & noſtro actu proprio circa Deum infundentē, infuſumq;.

*Quæſt.*10. Ex effectu gratiæ ſacramentalis, & characteris, expreſſo à *col.* 120 *ad* 123. vtendum eſt Sacramentis,non ſolùm ea miniſtrando, & recipiendo à Deo,vt ſupra: ſed etiam per ea,gratiam vt inhærentem, permanentem, & nos Deo vnientem; non ſolùm vt obiecto affectus & fruitionis, ſed etiam vt principio gratiarum actualium, & actionum ad quas gratia inclinat, ſeu ad finem communem Sacramentorum,& proprium cuiuſq;. Vnde in ipſa maximè infuſione gratiæ,refundēda eſt in Deum, vt ſuum obiectum ac principium, ad ſuum finem, & effectum Sacramentalem: confidendo de Deo, vt principio coniunctiſſimo, ad omnes fructus, ſeu effectus ſacramentales. Nec character ſacramentalis ab adultis ſine deuotione excipiendus eſt: tanquam ab ipſo Deo ſeipſum, ſuamque poteſtatem nobis applicante, & indelebiliter imprimente.

*Quæſt.*11. Vtendum eſt cæremonijs ſacramentalibus, vt ſignis & motiuis externis deuotionis interioris, &c. Vt eadem *q.*11. *à col.* 126. *ad* 130. Vbi& optimè recolligitur tota doctrina deSacramentis in genere.

Quæ praxis Theologica, vtendi Sacramentis, & confruendi Deo, facilè applicari poteſt *Sacramento Baptiſmi*: ex gratia & effectu ſpeciali regenerationis. De cuius 21. modis deuotiſſimis, *q.*1. *col.*140. 141. 142. & alio adhuc modo deuotè recolendi, ac renouandi memoriam & fructum baptiſmi præteriti, *col.* 219. ſub finem.

Poteſt applicari *Sacramento Confirmationis*: ex eius ſpeciali gratia, & effectu ſacramentali. De qua deuotione, *col.* 238. 239.

Poteſt applicari,& copioſiſſimè applicatur *Sacroſancto Sacrificio, & Sacramento Euchariſtiæ*. *à col.* 591. *ad* 626. ſub titulo *Breuiarij Hieroglifici, Sanguine Chriſti rubricati*: & per plurima *Exemplaria imitandi, concionandi, & meditandi* omnes virtutes Chriſti in & ex ſacra *Euchariſtia*.

Poteſt ſpecialiter applicari, & applicatur *Sacramento Pœnitentiæ*, *à col.* 792. *ad* 798. ſub nouem prioribus *Obligationibus Confeſſariorum*. *A col.* 819. *ad* 822. ſub decem *Monitionibus* eorundem. Et *à col.* 753. *ad* 777. de neceſſaria *Contritione*, vel *Attritione* pœnitentium. *A col.* 787. *ad* 791. ſub Quæſt.8. De capacitate,diſpoſitione,&obligatione ad hoc Sacramentum. Quibus addi poteſt pro Miniſtris Verbi Dei, & huius Sacramenti, omnibuſq; peccatoribus,ex 2.*Cor.*5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi,&c. Et poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Et ex *S.Aug. toto libro de Cathecizandis Rudibus*: quibus modis excutiendum ſit tædium,&fouenda ac renouanda deuotio,ad inſtruendum, & diſponendum rudiores. Sed quid deuotiùs afficere & mouere poteſt Confeſſarios & pœnitentes: quàm illa Chriſti parabola *Luc.* 15. de Patre ſibi Filium ſuum prodigum oſculo reconciliante: Filio oſculum illud recipiente, & ſeruis hilariter miniſtrantibus.

Poteſt applicari *Sacramento Extremæ Vnctionis*: Vt *col.* 834.835. 836. Adde, vtendum hoc Sacramento, non ſolùm vt vnctione medicinali: ſed & vt Balſamo animum ad mortem condiente, ſuoq; odore reliquum peccatorum fœtorem abolente,ad expirandum & reſtituendum Deo ſuum illud *Spiraculum*, ſeu habitum vitæ, ſine vllo fœtore in nobis contracto.

Poteſt applicari *Sacramento Ordinationis*: vt *à col.*857. *ad* 860.. Adde, quòd cùm Deus per hoc Sacramentum nos eleuet ad ſtatum Angelicum & ſupra, imo & transformet nos in ſeipſum & Chriſtum,tanta poteſtate,vt ex Perſona Dei & Chriſti Baptizemus, Abſoluamus, imò & Conſecremus Corpus Chriſti, ac ſi eſſet noſtrum: quanta deuotione hoc Sacramentum eſt miniſtrandum & recipiendum? Quo affectu eo vtendum? Quàm & pluſquam Angelico? Quàm Deiformi & Chriſtiformi,ſeu trāſformato in ipſū affectū Dei,& Chriſti?

Denique,poteſt applicari *Sacramento Matrimonij*. Vt *à col.*907 *ad* 914. ex Matrimonio *S.Ioſeph* cum *B.V.M.* & obligationibus contrahentium, præcipuè 10. *col.* 914. Adde,quòd cùm hoc ſit *Magnum Sacramentum in Chriſto & Eccleſia*, *Eph.* 5. quàm deuotè eſt ſignificandum tam ſacrum & deuotum ſignificatum vnionis hypoſtaticæ *Filij Dei* cum natura humana, & per charitatem cum *Eccleſia*? Cùmque hæc vnio, & vnitas coniugalis,generatio, & paternitas naturalis, ſint quædam participationes vnitatis Dei, & generationis ac ſpirationis Perſonarum Diuinarum: quàm deuotè,& anagogicè,ab illis ſignis, & affectu, ac vſu carnali, reſiliendum, & euolandum eſſet ad illa Diuina?

De 4. Nouiſſimis, *Quæſtio* 13. eſt expreſsè *de Praxi,& fructu huius Doctrinæ, à col* 999.*ad* 1002. reſoluta in hanc clauſulam finalem. *Principium,& finis, ALPHA, & OMEGA huius quaſi Alphabeti, ſeu potiùs ignorantiæ, quàm doctrinæ noſtræ ſit gloria extrinſeca,& intrinſeca* DEI, *ſeu* DEVS *ipſe*. *Amen.*

Digitized by Google

De principijs Theologicis. In 1. *col.* 210.

1. *Ex Sacra Scriptura.*

DE qua Sacra Conc. & Patres infra citandi. Et *Alenſis* P.1.*q*.1.*col*.1.2. De modo ſciendi ex ſacra Script. eiuſque veritate, certitudine, & quadruplici ſenſu. *P*.2. *à q*. 44.*ad* 61. *à col*.19. *ad* 24.in *Cap*. 1.2. 3. *Geneſeos*. Alibi promiſcuè.

S.Bon. De ſacris Script. nonniſi promiſcuè, prout ſingulæ materiæ exigunt.

Scotus in 1. q.2. *Prologi col.*119.120. De ſumma authoritate, quadam ſufficientia totius, & ſenſu aliquo literali cuiuſuis ſacræ Script.

Nos in 1. q. 1. *col.* 207.208. *De ſufficientia virtuali ſacræ Script. & ſenſu aliquo literali, non tamen ſemper claro, ſed ſæpè obſcuro.* 210. *De ea vt principio Theologico, eiuſq́; interpretatione, & triplici ſenſu literali, triplici figurato.* Ex *S. Bern. Certior eſt eius interpretatio ab Eccleſia, quàm ipſa verborum expreſſio.* Sed ex profeſſo in 3.q.17.à *col.*490.ad 501. *De ſacra Script. vt motiuo exteriore fidei, eiuſq́; ſenſu quadruplici, difficultate, & facilitate, Traditione, ac Interpretatione.*. Ad ſingulas autem Quæſt. Scripturæ accumulatæ & appllicatæ.

2. *Ex Traditione Verbi Dei.*

DE qua nos ex profeſſo in 3. q. 17. à *col.*501. ad 504. Sub qua, & *De Symbolis Fidei, Alenſis* P. 3. q. 82. *col.*75. 76. Plura autem à nobis referuntur in 1. à *col.*560.ad 568.& in 3.à 230.ad 236. Vt *Symbolum Apoſtolicum, Nicænum, S. Athan. Conſtantinop. Chalcedonenſe*, & aliorum Conciliorum. Quæ & ad pleraſque noſtras Quæſt. applicamus.

3. *Ab authoritate Eccleſiæ.*

DE qua eiuſque certis indicijs, nos ex profeſſo, in 3. à *col.* 504. ad 528. Sed noſtri Authores nonniſi promiſcuè, eâ ad ſuam doctrinam vtendo.

4. *Ab authoritate Papæ.*

DE qua nos ex profeſſo in 3.à *col.*528.ad 538: Et qua cum noſtris Authoribus ad grauiores quæſtiones vtimur. Referuntur autem quorundam Epiſtolæ, Decreta, Cenſuræ. *In* 1. 567. *In* 2. à 275. ad 280. 286. 298. 304. *In* 3.à 221. ad 224.

5. *Ex Sacris Concilijs.*

DE quibus in 3. ex profeſſo: à *col.*528.ad 539. Pleraq; autem vel celebriora magna ex parte referimus, & ad grauiores quæſtiones applicamus. Vt in 1. *Quæſt.* 18. *De SS.Trin.* à *col.* 560. ad 568. Ex *Conc. Nicæno, Conſtantinop.* 1. *Chalcedonenſi, Conſtantinop.* 5. *Toletano* 11. *Conſtantinop.* 6. *Synodo* 7. ſeu *Nicæna* 2. *Conc. Arelatenſi, Rhemenſi, Sueſſonienſi, Senonenſi, Lateranenſi maximo, Lugdunenſi generali, Flor.* & *Trid.* Sed ex toto *Flor. à col.* 630. *ad* 638.

In 2. Ex *Conc. Milenitano* ſub *Innoc.* 1. *col.* 281.
Ex *Arauſino* ſub *Leone* 2. vel *Felice* 4. *à* 282. *ad* 286.
Ex *Trid. Seſſ.* 5. 6. à *col.* 287. *ad* 298.

In 3. Ex *Conc. Epheſino.* 232. 233.
Ex *Conſtantinop.* 5. *à* 235. *ad* 239.
Ex *Synodo* 6. *col.* 307. contra *Monothelitas. à* 321.
Ex *Conc. Later.* ſub *Martino* 1. *col.* 309. 310.
Ex *Synodo* 7. contra *Iconomachos. à* 401. *ad* 422.
Ex quodam *Conc. Francfordienſi.* 424.
Viennenſi. 290. *Conſtantienſi.* 494. *Baſilienſi.* † 3. 221.
In 4. *Ex Conc. Florentino, De Sacramentis. à* 2. *ad* 4.
Ex Conc. Trid. De eiſdem. à 4. *ad* 36.

6. *Ex SS. vel Antiquis Patribus.*

EX pleriſque ſimul, in 1. q. 9. 13. 18.
Ex *S. Dion. Areop. In* 1. ad ſingulas quæſt.
Ex *S. Iuſtino Martyre, col.* 309. 381. 569.
Ex *Tertulliano*, libro dubio. 552. ſed certo. 303.
Ex *Origene.* 573. 574.
Ex *S. Cypriano.* 304. 305. 574.
Ex *S. Athanaſio.* à 574. ad 580.
Ex *S. Hilario.* à 580. ad 596.
Ex *S. Baſilio.* 428.429. à 596. ad 606.
Ex *S. Greg. Nazianzeno.* 606. 607.
Ex *S. Greg. Niſſeno.* 607. Sed plùs libro dubio. 382.
Ex *S. Epiphanio.* 608. 609.
Ex *S. Ioan. Chryſoſtomo.* 384. 471. 608.
Ex *S. Ambroſio.* à 609. Et libro dubio. 461.
Ex *S. Hieronimo*, & *Didimo.* à 468. & à 612.
Ex *Lactantio.* 306. 427. 428.
Ex *S. Auguſtino* præ, & pro omnibus, copioſiſſimè ad ſingulas quæſtiones. Vt patet ex earum *Indice*, à *col.*69. ad 80. *Indicum.* Ita vt ſint potiùs ipſius *B. Aug.* quàm noſtræ.
Ex *S. Cyrillo Alexandrino.* in 1. 626. 627. 628.
Ex *S. Proſpero.* in 1. 390. 434. 480. 495.
Ex *S. Fulgentio.* 680.
Ex *Boetio.* in 1. 261. 264. 337. 390. 481. à 642.
Ex *S. Iſidoro.* 482.
Ex *S. Ioan. Damaſceno.* 482. 483. 271. 338. à 390.
Ex *V. Beda.* 491. à 645. Sed libro falſo.
Ex *S. Anſelmo.* à 483. ad 490. 271. 272. 338. 392.
S. Bernardo. 233. 245. 272. 395. 490. 628. *In* 3. 584.
Ex *Richardo à S. Victore.* à 650. ad 656.
Ex *S. Thoma.* 491. 492. 493. Et à *col.* 1. ad 20. Ind..

Contra omnes Infideles, & Hæreſes.

QVarum pleræq; recenſentur. *In* 1. *col.*280. 290. 302. à 455. ad 458. 494. 565. 608. 609. 615. 616. 628. 629. 630.
In 2. *col.* 198. 225. 226. 273. 274. 275. 276. 398. 514.
In 3. à 239. ad 244. à 411. ad 427. contra *Iconom.*
In 4. Ad pleraſq; Quæſt. contra Hæreticos antiquos, & nouos: *Berengarium, Huſſitas, VVicleff, Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas, &c.* Vt 197. 198. 269. 270. 726. 727. 746. 830. 346. 857. 890. 950. 954. 965. 969. 977.

Contra ſententias cenſuratas.

QVarum 76. cenſuratæ à *Pio V.* referuntur, in 2. à *col.*298. ad 304. totoque Opere improbatur. Vt in 1. *col.* 13. 18. 413.
In 2. 256. 390. 391. 423. 426. 448. 456. 463. 466. 476. 478. 471. 488. 490. 502. 514. 524. 530. 532.
In 3. *col.* 368. 369. 446. 476. 569. 591. 592. 593. 594. 603. 514.
In 4. *col.* 749. 761. 823. & alibi.
Cenſura Clementis VIII. in quendam modum confitendi. 743.
Cenſuræ Epiſcopi Pariſienſis. in varias opiniones. *col.* 51. 52. *Indicum.*

Digitized by Google

EX PRINCIPIIS DOCTRINÆ AVGVSTINIANÆ.

QVà cùm totum hoc opus conditum ſit, in eaq; vt in Apoſtolo *2. Pet. 3.* ſint *quædam difficilia*, *quæ* non ſolùm *indocti & inſtabiles deprauant*, ſed etiam docti& fideles in rigidiorem mollioremúe ſenſum diſtrahunt : monitu cuiuſdã R.mi ac Ill.mi Præſulis, hæc indè prælibamus ; ad conciliandum ei ſenſum communem, Ieſu ſeu veritate interDoctores mediante; nè quo temerario crudelitatis præiudicio, abhorreat, nec inſipidæ ſuauitatis faſtidio deſipiat, decipiatque.

1. Tanta eſt eminentia,certitudo,& authoritas Doctrinæ Auguſtinianæ : vt nihil in eá ſit contra cenſuras, inhibitiones, aut ſenſum communem Eccleſiæ, ſed quædam ſupra;nec ideo deſpecta aut ſuſpecta, ſed ab omnibus ſuſpicienda ſit.Vt patet ex *Epiſt.Cæleſtini cap. 1.* Auguſtinum ſanctæ recordationis virum nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit &c. *Cap. 2.* Nonnulli qui Catholico nomine gloriantur Magiſtris noſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntùr, &c. *Cap. 11.* Profundiores, difficilioreſq; partes quæſtionum, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere.]Imò & ex ipſo *B. Aug.* de ſeipſo. *4. Conf. 6.* Omnes libros artium, quas liberales vocant, per meipſum intellexi &c. Erat excellentiſſimus qui me exponentẽ non tardius ſequeretur &c. *1. Trin. 3.* Arbitror nonnullos tardiores, in quibuſdam locis librorum meorum opinaturos me ſenſiſſe, quod non ſenſi, aut non ſenſiſſe, quod ſenſi : quorum errorẽ mihi tribui non debere quis neſciat ? *De dono perſeuer. c. 25.* Qui legunt hæc, ſi intelligunt, agant Deo gratias : qui autem non intelligunt, orent &c. Qui verò errare me exiſtimant : etiam atq; etiam diligenter quæ ſunt dicta conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent.]Præter ea quæ inPræfat. huius Operis, & in *2. à col. 385. ad 388.*

2. Ad verum & proprium ſenſum *B. Aug.* neceſſaria eſt quædam cum eo ſeu eius ſcriptis familiaritas: quâ prædiſcendi ſunt eius Idiotiſmi, Grammatici, Rhetorici, & Philoſophici .i.Quædam eius propriæ ſignificationes, inuolutę inuerſæq; conſtructiones,&Platonicæ opiniones. De quibus toto *Tomo 2. noſtræ Anatomiæ ſeu Commentarij in B. Aug.* Vt *à col. 21. ad 26. Indicum.*

3. De Deo & Diuinis ſolet Philoſophari Platonicè, ſeu Anagogicè : non quaſi impropriè,ſed proprijſſimè, à noſtris participationibus & imperfectionibus, ad totales Dei perfectiones. Vnde præ omnibus meruit nomen Doctoris Anagogici. Vt *lib. 8 Trin. cap. 3.* Bonum hoc, & bonum illud : tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum ſi potes,itaDeum videbis&c.] Non quaſi tribuat nobis realiter & identicè quædam diuina, vel quædam noſtra Deo : nec tamen ſolùm cauſaliter, cùm non æquè omnia tribuat, ſicut æquè à Deo omnia noſtra cauſantur; ſed obiectiuè, nõ ſub ſolo conceptu communi Deo & creaturis,cùm omnia diuina ſint ſingulariſſima; ſed ſub conceptu ſingulari & formali, inadæquato, totali, vel participato. Vt in totum 1. ſed expreſſiùs *col. 244.*

4. De Voluntate Dei actuali & interiore, ad extra, an non ſit niſi efficax, & ex ſe formaliter Omnipotens, vel etiam ſolius ſimplicis complacentiæ, inefficax, & conditionata : vix poteſt ex *S. Aug.* ſatis conſtare ; ideoq; inter ea quæ ſunt ſupra captum & ſenſum communem Eccleſiæ, videtur potiùs ſuſpiciendum, quàm contendendum. Vt patet ex *col. 408. 532. 533.*

5. De Sanctitate Dei,tantum abeſt *S. Aug.* fauere blaſphemijs hæreticis, imputandi Deo vllam coactionem aut impulſum noſtrum ad peccandum, vt habeat occaſionem iuſtitiæ vindicatiuæ : quin potius ſtudioſiſſimè propugnet innocentiam Dei ab omni datâ occaſione peccandi. A *col. 422.*

6. De Prædeſtinatione & Reprobatione, tam procul eſt ab illâ fatali neceſſitate, & creatione vllius ad damnationem : vt ſæpè & expreſsè ſupponat Deum non ſolùm creaſſe omnes ad beatitudinem; ſed etiam Angelos & primos Parentes ſuo modo formaliter beatos, horum autem poſteros virtualiter in ipſis. Vnde nulla eſt reprobatio, nequidem negatiua, ab omni gratiâ & beatitudine, niſi ex aliquâ culpâ.Reliqua in ſenſum certiorem Fidei, Deo digniorẽ, nobis fauorabiliorem, & Eccleſiæ cõmuniorem. *A col. 455. ad 459. à 493. ad 526.*

7. Doctrina eiuſdem de Reprobatione quorumdam puerorum à ſalute & gratiâ Baptiſmali, non ex defectu Majorum,nec cauſarum naturalium, ſed quia Deus non vult eis hanc ſalutem & gratiam Baptiſmalem; non eſt nimis rigida : quia Deus voluit & dedit eis gratiam in Adamo ; ſed per peccatum originale ſunt indigni omni gratiâ Chriſti, quæ non eſſet gratia ſi om-

omnibus eſſet tam communis, æqualis, & quaſi debita. Nec *B. Aug.* vt quidam ineptiunt, aberrauit ex hac reprobatione puerorum, ad ſimilem omnium reproborum: quia pleriq; reprobantur, non ob ſolũ originale, ſed ob ſua propria peccata actualia.

8. Doctrina eius de culpa originali, & pœnâ æternâ puerorum ſine Baptiſmo morientium, à noſtris authoribus intelligitur de ſola pœna priuatiua damni: facileq; explicatur ad mentem *S. Aug.* per idem obiectũ & cauſam pœnæ; ſed ſolâ actione intentionali ignis, quâ non cauſatur dolor niſi per aliquam organi corruptionem, nec triſtitia niſi per nolitionem volũtatis. Pueri autem nec auerſantur illum ignem voluntate, nec indè patientur vllam corruptionem corporum per quæ non peccarunt. Ergo nec patientur indè triſtitiam nec dolorem &c. Vt *To. 2. in 4. col. 961. 962.*

9. De natura noſtrâ & naturalibus, quid ab omni errore ſecurius? Suppoſita tam ſæpè à *B. Aug.* expreſsâ ſignificatione propriâ *Natura* & *Naturalis*, ſecundùm primam Dei inſtitutionẽ .i. Pro ſubiecto & principio affecto, perfecto, & adiuto gratia originali & actuali. Vt in *2. à 388. ad 424.*

10. Quid facilius doctrinâ de Libertate Arbitrij: non ſolùm eſſentiali; ſed & flexibili huius viæ & vitæ, etiam inter bonum & malum; ſed perfectâ in ſtatu Innocentiæ, & proniore ad bonum; imperfectâ poſt lapſum, ſeu proniore ad malum, & inſufficiente ad vllum bonum ſine auxilio gratiæ actualis. Quo ſenſu & perijt liberũ Arb. vt perfectũ, & reliquum eſt vt imperfectum, &c. Vt *à 245. ad 251. à 425. ad 467.*

11. Quid gratius & gratioſius doctrinâ *B. Aug.* de gratia Dei, eiuſq; neceſſitate: ſed tantâ Dei liberalitate; vt nullum vnquam priuet gratiâ habituali, nec actuali neceſſariâ, niſi ex aliquâ culpâ ſufficiente, & irremiſsâ? Vt *à col. 456. ad 500.*

12. Quid ſuauius doctrinâ *B. Aug.* de efficaciâ gratiæ, per victricem illam delectationem? *à col. 502. ad 513.* Abſq; vllâ deſuper contentione, aut vllius ſententiæ præiudicio. Quod ſi liceret, imò quia licet certam *B. Aug.* & Eccleſiæ doctrinam de gratiâ & Libero Arb. contra hæreticos commendare: illa certiſſima eſt, quæ omnem veram gratiam Dei præfert ad omne bonũ libero Arb. non ſolùm occaſione lapſus, ſed ex hâc neceſſariâ ſubordinatione, & dependentiâ liberi Arb. Nec obſtat quod liberum Arb. videatur liberè vti gratia, non hæc illo. Quia gratia vel eſt principium quo, vel actio qua Deus ipſe liberrimè mouet noſtrum liber. Arb. non autẽ ab eo mouetur. Nec liberũ Arb. vtitur gratiâ quaſi ſubditâ, eam mouendo: ſed conſentiendo; & adhoc ſeipſum per eam mouendo. Vt *Tom. 1, in 2. col. 459. 460.*

13. Doctrina de peccatis ignorantiæ & neceſſitatis inter viatores, eſt difficilis de peccatis actualibus, ex neceſſitate abſoluta, & ſola libertate eſſentiali: ſed facilis de ſola libertate morali, facilior de ſolis peccatis materialibus, faciliima & ſæpè à *B. Aug.* formaliter intenta, de varijs motibus peccati originalis ſeu concupiſcentiæ, ad idem peccatum imputatis ante eius remiſſionem, non autem poſt. *A 524. ad 530.* Vt patet ex *Libro 1. de pecc. orig. c. 39. 40. Lib. 1. de Nuptijs & Concup. à cap. 23. ad 33.* Imo *libro 1. Conf. cap. 7. 8.* referens & confitens peccata infantiæ ſuæ, non ſolum concupiſcentiam originalem, ſed & motus eius vitioſos: *Tantillus puer*, inquit, *& tantus peccator.* Vt *Tomo 1. in 2. col. 333. 525. 526.*

Cuius inaduertentiâ & temporis ac moris differentiâ, tunc pleroſq; adultos, nunc autem pueros baptizandi: graues etiam Theologi aberrarunt à verò ſenſu *B. Aug.* & Eccleſiæ ad varias propoſitiones meritò cenſuratas: vt ad 48. 49. 63. 64. 65. 71. 72. 73. Domini Baij.

14. Doctrina eiuſdem, de neceſſaria charitate, non autem ſufficiente timore, ad iuſtificationem: nullatenus eſt contra *Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* de vera attritione ex timore Dei, ſufficiente cum Sacramento ad iuſtificationem. Vt *Tom. 2. in 3. à col. 590. ad 605.* Et *in 4. à col. 756. ad 772.*

In quos ſenſus communes Eccleſiæ, cùm & Majores noſtri interpretati ſint *B. Aug.* cui poteſt eſſe ſuſpecta aut odioſa eius doctrina, vel hæc eius expoſitio: niſi ex nimiâ eius ignorantiâ, vel affectu vitioſo propriæ, & inuido alienæ?

Ne quis tamen ſerpens inſidietur calcaneo noſtro: muniemus hoc opus eiuſdem Doctrinæ cum Commentario noſtro in omnia & ſingula *B. Auguſtini* Opera, eadem *Abſolutione finali*, confirmata ab ipſo S. *D.* N. *Innoc. X.* cuius pedibus & hoc totum Opus in ſcabellum ſubſternimus.

LVSTRVM

Digitized by Google

LVSTRVM TOTIVS OPERIS

TOmo 1. in I. *Col.* 5. à lin.2. Dele, *Si nummus*, vſq; ad, *Sed poſsibili*, excluſivè.

Col. 12. & 13. Supple defectum Quæſt. 15. *De Veritate*: & corrige ordinē Quæſt. vſque ad 29.

133. *l.* 10. 11. 12. Dele. *i. viſio*: & muta *hanc*, in, *illam*.

À 196. ad 213. Corrige numeros Columnarum.

210. *A lin.12. ad 17.* Non eſt contentio, ſed conciliatio: per diſtinctionem eiuſdem veritatis objectiuæ in plures quaſi partiales, non vt diviſim cōgenitas, ſed quaſi ex illa genitas; & conſequenter in plures actuales, ſive ſolius fidei, ſiue etiam ſcientiæ. Vt eadem planta per ſolam diviſionem partium propagatur. Supple ex *Tomo 2. col. 256. 500. 501. 502. 503.*

215. *l.* 40. poſt *eſſe*, dele, 10.

227. *l.* 2. 4. *Communicabilis*, non, *incommunicabilis*.

230. *l.* 28. non, *finitis*, ſed, *infinitis*.

237. *l.* 58. non, *perfectionis*, ſed, *imperfectionis*.

238. *l.* 18. non, *tales*, ſed, *totales*.

265. *l.* 9. non, *tua*, ſed, *tuæ quæ* &c.

268. *l.* 21. non, *incompoſsibilis*, ſed, *compoſsibilis*.

271. *l.* 40. dele, *ſi*. 273. *l.* 17. *ſub*, non, *ſed*. *l.* 32. *Phil.* non, *Pſal.* *l.* 56. non, *in*, ſed, *non*.

274. *l.* 32. *immutabilitas*, non, *immutabilitatis*.

276. *l.* 19. non, *Deus*, ſed, *Deum*.

280. *l.* 49. *qui ob*, adde *hoc*.

284. *l.* 34. dele. 2. *Ad extra*.

285. *l.* 34. non *quaſi*, ſed, *quod*.

286. *l.* 55. vel 56. adde, *viſio*.

291. *l.* 41. non *obiecti*, ſed, *luminis*.

292. *l.* 14. poſt *cenſet*, dele *ad*.

314. *l.* 17. Corrige *nam*, in *non*.

405. *l.* 44. non *ſoles*, ſed, *ſolos*. 417. *l.* 5. dele *niſi*.

420. *l.* 20. *vt*, non *vr*. *l.* 23. *bonorum*, non *bonarum*.

421. *l.* 13. dele, *& nolendi*.

505. *l.* 23. poſt, *aliquos*, dele, *non*.

507. *l.* 45. non *Deum*, ſed, *Deus*.

508. *l.* 32. non *confitendi*, ſed, *confidendi*.

512. *l.* 9. non *approbat*, ſed, *approbatur*.

519. *l.* 26. *naturalis*, non -*li*. *l.* 55. *ſit*, non *fit*.

524. *l.* 60. *conſecutiua*, non, *conſecatiua*.

525. De Præfinitione & Prædeterminatione, ſupple ex 2. à 506, ad 510.

611. *l.* 20. *præmia*, non, *eorum merita*.

641. *l.* 27. poſt *Authoribus*, dele *comma*.

642. *l.* 2. non *qui*, ſed, *quia*.

671. *l.* 42. non *ſubſtantiæ*, ſed, *ſubſiſtentiæ*.

IN II. *Col.* 124. *ſuperioris*, non, *inferioris*. 199. *l.* 25. *multò*, non *nullo*. *l.* 62. *melius*.

200. *l.* 62. *minùs*, non, *nimis*.

A 200. ad 209. corrige numeros col.

202. *l.* 12. *vniuerſitatis*, non, *diuerſ*.

203. *l.* 37. *ſinit*, non, *ſint*.

210. *l.* 5. *incompletum*, non *completum*.

211. *l.* 13. *reali*, non l. 14.

214. *l.* 39. *fruſtra conſeruarentur*.

217. *l.* 55. *creaturæ*, non, *creatori*.

220. *l.* 30. Deeſt, *Alenſis*.

223. *l.* 45. *Monol.* 27. nō 2. *moral.* 31. *Scot.* in 1. nō 2.

228. *l.* 10. *hunc mundum*, non, *hanc*.

229. *l.* 5. *ſuæ*, non, *ſine*. 245. *l.* 26. non ? ſed.

351. *l.* 32. *alios*, non, *alio*.

260. *l.* 1. 2. Muta *illi*, in, *huic*.

263. *l.* 46. *dote cedunt*, non, *doctè cadunt*.

276. *l.* 16. non, *fuiſſe*, ſed *non fuiſſe*.

282. *l.* 4. non ſub *Innoc.* ſed ſub *Leone*.

283. *l.* 9. Dele *non*. Sed totus ille textus *Arauſic.* & ſequens *Trid.* eſt valde confuſus, & corrigendus ad exemplaria correctoria.

286. *l.* 12. *ſummam*, non *ſumma in*.

305. *l.* 62. dele *ab*. 330. *l.* 62. Cita 344. 431.

249. *l.* 47. dele *in*. 369. *l.* 41. dele, *ab*.

373. *l.* 56. *reſiſtit*, non, *deſiſtit*.

377. *l.* 40. *hominis*, non *nominis*.

383. *l.* 40. *præſcientia*, non, *præſentia*.

435. *l.* 13. *ei*, non, *&*. 451. *l.* 22. *aliquo*, non *aliquando*.

458. *l.* 53. *Bern.* non, *Bon.*

463. *l.* 11. *ſine*, nō, *ex*. 474. *l.* 29. Adde, *nec*. poſt, *Aug.*

487. *l.* 9. *præmouet*, *ac promouet*.

490. *l.* 40. *ſed*, non, *ed*. 491. *l.* 10. non *6*. ſed, *hoc*.

494. *l.* 8. nō, *nec*, ſed *Hæc*. 498. *l.* 15. *fieri poteſt*, nō *fit*.

509. *l.* 37. *infallibilis*. 510. *l.* 60. *ſummè*, non per æ.

A 518. ad 525. Corrige numeros.

532. *l.* 65. non, *ex*, ſed *Ab*.

IN III. *Approb.* 3. *l.* 8. *fulcit*, nō, *fulſit*. *l.* 14. *armis* *Col.* 6. *l.* 43. non, *& tempore*, ſed, *non tempore*.

55. *l.* 12. de *Præceptis*, non, *peccatis*.

57. *l.* 58. *gratiâ*, non, *gratiæ*. *l.* 60. *Si non*.

58. *l.* 1. *Deus det*. *l.* 39. *Eſt ipſa anima nobilior, non vt eſt eius diſpoſitio*. [201. *l.* 21. *finito*, non, *infinito*.

204. *l.* 19. *creditur*, non, *videtur*. *l.* 58. 59. 60. .i. Hic *actus eſt adæquatior obiecto ſuo finito, quam ille infinito*. [207. *l.* 17. *poſitiua*, non, *paſsiua*.

210. *l.* 38. Adde, *ſibi proportionatam*. *l.* 39. *Quia geometricè eſt æqualitas*. *l.* 57. *integræ*, non, *lapſæ*.

209. *l.* 25. *optimum, &c.* *l.* 26. dele *mum &c.*

214. *l.* 63. & 215. *l.* 1. muta, *illius*, in *huius*.

241. *l.* 13. *Es.* 45. non 49. *l.* 14. *Chriſto*, non, *Ciſt.* Sed nunc legitur, *Chriſto meo Ciro*.

243. *l.* 25. *pſeudo-fidei*, non, *pſeudo-fide*.

246. *l.* 52. *Nullo*, non, *Nulo*.

268, 269. 277. Cur non poſſit eadem natura, humana ſimul aſſumi à tribus Perſonis Diuinis quamuis condignis, dependendo ſufficienter à ſingulis: cùm ſingulæ ſint ſufficientes ad terminandam hanc dependentiam? *Reſp.* Quia tota perfectio creaturæ rationalis finitur, ſeu finitè & quaſi punctualiter terminatur ad vnicam perſonam, nec poteſt plures naturare, vt natura infinita, quæ non finitur, ſed quaſi ſiſtitur tribus perſonis, eaſque infinitat.

269. *perſona*, non, *perſon*.

271. *l.* 10. non, *rationale*, ſed, *irrationale*.

273. *l.* 4. Adde, *nunc de natura, &c.*

275. *l.* 54. *cur diſtinguerent, &c.*

285. *l.* 4. *Cadauera*, non, *Cadauer*.

313. *l.* 23. 26. & 28. Videntur eædem rationes: ſed poſteriores ſunt expreſſiores.

314. *l.* 38. non, *filiatio*, ſed, *relatio*.

317. *l.* 39. *Hinc ad* 4. non, *ad* 5.

318. *l.* 34. *Non eſt*, pro, *eſt*.

322. *l.* 43. *copulatas*, non, *copulatus*.

335. *l.* 63. *Honorij vt Fautoris*, non, *Honorius*.

338. *l.* 27. *Anima humana non videtur informare immediatè vt rationalis & libera, &c.* Non contra *Conc. Vien.* relatum *Tomo* 1. in 2. *col.* 273. Sed vt ſatis explicatur ibidem, à *col.* 403. ad 425. Quòd ſubſtantia quidem animæ rationalis ſit verè &

Digitized by Google

per ſe humani corporis forma, informans corpus, & conſtituens hominem: non tamen vt intellectualis & libera habeat proprium organum quod informet, & per quod operetur, ſicut habet vt eſt vegetatiua & ſenſitiua.

358. *l.* 56. non, *perſonam*, ſed, *naturam*.

560. *l.* 19. poſt, *habituali*, deeſt, *ſed actuali*.

A 584. ad 589. Supple ex doctrina *S. Bernardi Serm. 50. in Cantica*, de duplici charitate, actuali & affectuali. *Eſt charitas in actu, eſt & in affectu: De illa, quæ operis eſt, puto datam eſſe legem, &c. Nam in affectu quis ita habeat vt mandatur?* Infra. *Aut ſi placet tibi magis de affectuali datum fuiſſe mandatum: non inde contendo, dummodo acquieſcas & tu mihi, quod minimè in vita iſta ab aliquo hominum poſſit vel potuerit adimpleri. Ergo mandando impoſſibilia* .i. naturaliter, *non prævaricatores homines fecit, ſed humiles, &c. Atque hoc dixerim ſiquidem conſenſerimus affectualem fuiſſe lege mandatam: ſed actuali potius conuenire, vel maximè apparere videtur* ex Luc. 6. *Diligite inimicos veſtros, bene facite his qui oderunt vos.* Ioan. 14. *Si diligitis me ſermones meos ſeruate, &c. Neq; hoc dico vt ſine affectione ſimus, & corde arido ſolas moueamus manus ad opera. Legi* Rom. 1. *inter grauia hominum mala*, ſine affectione. *Sed eſt affectio quam caro gignit, & eſt quam ratio gerit, & eſt quam condit ſapientia, &c. Prima dulcis, ſed turpis: ſecunda ſicca, ſed fortis: vltima pinguis, & ſuauis eſt. Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa charitas ſedet: non illa affectualis quæ ſapientiæ ſale condita pingueſcens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; ſed quædam potiùs actualis, quæ etſi nondum dulci illo amore ſuauiter reficit, amore tamen amoris ipſius vehementer accendit.* 1. Ioan. 5. Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. .i. *moueamur ad bene operandum, magis quodam viuidæ veritatis impulſu, quàm ſapidæ illius charitatis affectu.* Ordinauit in me charitatem, *Cant.* 2. *Quam putas harum? Vtramque, ſed ordine oppoſito, &c. Agit ſuum actualis charitas ordinem iuxta Patris familias iuſſionem, incipiens à nouiſſimis,* Matt. 20. *At non ita affectualis: nam à primis ipſa ducit originem.*

589. *l.* 40. *S. Bernardus de diligendo Deo*, non citat ipſam epiſtolam ad Fratres Carthuſianos de monte Dei, ſed aliam epiſtolã ad Carthuſienſes & Guitoni Priori: ex qua, non ex illa, refert, verbatim integras ſententias. Vt, *Nec timor nec priuatus amor conuertit animam: mutant interdũ, vultum vel actum, affectum nunquam, &c. Vbi proprietas, ibi ſingularitas: vbi ſingularitas, ibi angulus; vbi angulus, ibi ſine dubio ſordes &c.*

Itaq; ex illo opere non ſatis certò conſtat de Epiſtola ad Fratres de monte Dei.

Col. 591. *l.* 52. Corrige vt 204. 210. 506. Quia licet ſic poſſet intelligi, vt in 4. *col.* 942. *q.* 11. *n.* 4. de omni improportione geometrica noſtræ potentiæ & actus ad Deum, vt ens & obiectum infinitum, ſed de aliqua proportione arithmetica, in infinitum. *Scotus* tamen in 3. d. 23. & 27. ſupra, non tam agit de proportione noſtræ potentiæ & actus ad Deum vt obiectum, quàm perfectioris & imperfectioris potentiæ, habituatæ vel non, ad perfectiorem vel imperfectiorem actum circa Deum. Vt ſic *Proportio Geometrica* ſit ſecundum aliquotam partem ſimilem perfectionis vel imperfectionis: *Arithmetica*, ſit ſecundum æqualem exceſſum vel defectum vnius ſupra vel infra aliud. Prout latè explicat noſter *Lychetus* in diſt. 17. q. 3.

Sed *S. Bon.* in 3. diſt. 3. q. 1. ad 4. diſtinguit inter Proportionem ordinis, & quantitatis. *Diſt.* 29. *q.* 1. inter proportionem ſtrictè ſumptam, pro quadam commenſuratione rerum eiuſdem generis; & largè, pro quauis earum Analogia. *Scotus* in 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *n.* 13. ſupponit proportionem eſſe propriè ſecũdùm quantitatem, differreq; à ſimilitudine ſecundùm æqualitatem, imò & à perfecta æqualitate quantitatis. Ideo enim docet ſolum finitum, aut non quantũ, eſſe improportionabile infinito vel quãto. *Diſt.* 46. *q.* 1. *n.* 16. diſtinguit inter Proportionem *propriè, & impropriè, non ſecundùm excedentiam & exceſſum, ſed aliquo alio modo. Diſt.* 49. *q.* 11. *n.* 6. Diſtinguit *proportionem Geometricam, qua continens excedit contentum in certo aliquo gradu finito, à proportione alterius generis, vt potentiæ, vel operationis ad obiectum.* Vnde patet quàm ſit varius huius nominis vſus. Quibus adde, quod *Proportio* ſit comparatio duorum inter ſe: ſed *Proportionalitas* propriè ſit comparatio duarũ vel plurium proportionũ.

598. *l.* 42. *Animæ*, non, *Animo*.

600. *l.* 30. *amans l.* 32. *humanum*.

IN IV. Sent. *Col.* 2. *l.* 5. *qua*, non, *aqua*.

27. *l.* 62. *ſubmiſſa*. c. 49. *l.* 27. dele, *non*.

A *col.* 89. ad 100. deeſt ſolus numerus.

118. *l.* 58. *inclinare*. non, *inclare*.

189. *l.* 21. *Principis*, non, *Principes*.

202. *l.* 8. *Infidelis per fidelem*: non ècontra.

207. *l.* 57. *merendum*, non, *mœrendum*.

217. *l.* 25. *contunditur*, non, *contenditur*.

221. *l.* 50. *imperet*, non, *impetret*.

232. *l.* 48. *fragrantia*, non, *flagrantia*.

249. Corrige duos numeros.

251. *l.* 19. *Coph* hebraicè, non, *Phe*.

302. *l.* 9. Transfer, *Cùm non eſſet &c.* per *lineas* 29. vſque ad *col.* 303. poſt *lineam* 49.

403. *l.* 45. dele, *non*. A 431. ad 448. corr. numeros.

434. *l.* 63. *Eſſet corporalis*, non *ſpiritualis*.

445. *l.* 61. *proprios motus*. non, *proprias motu*.

478. *l.* 11. *non animat*.

756. *l.* 26. *ſine illa, nec hunc*, non, *ſine hac, nec illam*.

758. *l.* 60. *acquiſita*, non, *infuſa*.

759. *l.* 23. *imperfectione*, non, *perfectione*.

770. *l.* 55. Adde: *Ergo eſt*.

849. *l.* 65. dele *nec*, & ſupple ex *col.* 844.

A 614. ſupple ex *S. Aug.* Epiſt. 5. *Valent etiam ciuiles ſine vera Religione virtutes, &c.*

A col. 964. *ad* 969. De præſenti viſione & fruitione Dei: ſupple ex *Tomo* 1. in 1. à *col.* 278. *ad* 300. De inuiſibilitate naturali Dei, &c. ex *Tomo* 2. in 3. à *col.* 597. *ad* 600. De vero quoad hoc ſenſu *S. Bernardi*.

A col. 977. *ad* 989. De cultu SS. & ſacrarum Imaginum, &c. Supple ex *Tomo* 2. in 3. à 411. ad 427.

DOCT.

Digitized by Google

DOCTORIS IRREFRAGABILIS ALEXANDRI AB ALES PROFESSIONE FRANCISCANI

PRIMA PARS SVMMÆ THEOLOGICÆ.

Qvæstio 1. *De Doctrina Theologica.*

MEmbro 1. Non eſſe tantùm ſcientiam: ſed propriè & principaliter ſapientiam: quia eſt de Deo ſeu cauſa prima, perficiendo animam etiam ſecundùm affectum, ad eius timorem & amorem. Ex *Deut.* 4. Hæc eſt noſtra Sapientia, &c. *Eccli.* 6. Sapientia ſecundùm nomen ſuum eſt .i. à ſapore affectionis, quaſi ſapida ſcientia. *Ad* 1. *& 2. Arg. oppoſitum.* Credibilia ſunt etiam Theologicè ſcibilia: ex fide neceſſaria & diſponente ad intelligendum. *Iſ.* 7. *Niſi credideritis non intelligetis:* ex quadam verſione. *Ad vlt.* Modus ſciendi de Deo, eſt ab operatione ad virtutem, à virtute ad Diuinitatem. *Rom.* 1. *Sap.* 13.

Mem. 2. Differre ab alijs ſcientijs, ipſaq; prima Philoſophia ſeu Sapientia Naturali: quamuis omnes vt veræ ſint à Deo, & hæc etiam de Deo. 1. Quòd illæ ſint ſola ratione acquiſitæ, hæc à Deo inſpirata. 2. *Tim.* 3. 1. *Cor.* 2. 2. Quòd illæ oriantur ab aliqua experientia, hæc à fide. 3. Quod illæ ſint tantùm ad docendum intellectum, hæc etiam ad mouendum affectum. 4. Quòd illæ ſint de vero vt vero, vel bono morali: hæc de vero vt bono gratuito, ideoq; antonomaſticè à Spiritu S. 5. Quòd hæc ſit de ſupernaturalibus, non illæ.

Mem. 3. De quo obiecto ſit. *Reſp.* Theologia eſt ſcientia de ſubſtantia diuina, cognoſcenda per Chriſtum in opere reparationis. *Ad.* 1. Non agit de creatione niſi ad lapſum hominis, nec de eius lapſu niſi ad reparationem. *Ad* 2. Scientiæ ſeculares habent pro ſua materia opera creationis: hæc reſtaurationis. *Ad* 3. ex *B. Aug.* 1. *Doct. Chriſt.* 2. Res & ſigna ſunt materia *circa quam*: ſed *de qua*, eſt ſubſtantia diuina cognoſcenda in opere reparationis. *Ad.* 4. Hæc eſt vna ſcientia rerum & ſignorum, ad vnam per Chriſtum reparationem. *Ad* 5. ex 1. *doct. Chriſt.* 3. Eſt de reparatione hominis, vtendo vtendis, ad fruendum fruendis. Chriſtus poteſt eſſe eius materia & finis. *Rom.* 10. vt virtutes circa finem, habent eum etiam pro materia & obiecto.

Mem. 4. De modo huius ſcientiæ ex ſacra ſcript. *Art.* 1. Quòd non ſit artificialis ratione humana: ſed ſalutaris ex diſpoſitione ſapientiæ Dei. Vt *B. Aug.* 14. *Trin. cap.* 1. Ad 1. ex *S. Dyon. de Ang. Hier.* Sacra Script. vtitur modo quaſi Poëtico ſeu Metaphorico, ad captum humanum, & ad velanda indignis myſteria. *Ad* 2. Modus ſciendi intellectualis eſt per definitiones, diuiſiones, ratiocinationes: ſed hic affectiuus, eſt per reuelationes, præcepta, exempla, &c. *Ad* 3. Eſt huic proprium 1. *Cor.* 2. tradi in myſterio. 1. Ad meritum Fidei. 2. Ad ſtudium. 3. Ad reuerentiam.

Art. 2. Quòd ſit alijs certior experimentaliter ſecundùm affectum & hominem ſpiritualem: non ſpeculatiuè, ſecundùm intellectum & hominem animalem. *Ad* 1. Fides eſt certior affectiuè, non ſpeculatiuè. *Ad* 2. Hæc eſt potius virtus & ſapientia, quàm ars & ſcientia: quia procedit ex principijs per ſe notis veritatis, vt Bonitatis, ſed occultis vt veritatis. *Ad vlt.* Hæc non arctatur ad vnicum ſenſum Sacræ Script. vt aliæ Scientiæ.

Art. 3. Quod ſit multiformis. 1. Ex *Heb.* 1. *& Eph.* 3. 2. Ex quadruplici ſenſu Sacræ Script. 3. Ex multiplici ſpiritu ſapientiæ. 4. Ex multiplici materia. 5. Ex multiplici hominũ capacitate.

Art. 4. De hac multiformitate, ſeu de quadruplici ſenſu Sacræ Script. relatiuè ad vnitatem & Trinitatem in Deo. 1. De vnico ſenſu literali 2. De Anagogico ſeu eleuante ad Deum. 3. Allegorico, de Fide Chriſti ſeu ſacræ humanitatis. 4. Tropologico ſeu morali. *Ad B. Auguſt. De vtil. credendi cap.* 3. Non diſtinguit. ibi. 4. ſenſus intellectos, ſed 4. modos intelligendi: Quorum tres primi, ſecundum *Hiſtoriam, Æthiologiam, & Analogiam*, non Ethymologiam vt habet hic textus vitiatus, continentur ſub ſenſu literali; ſed quartus ſeu Allegoricus continet tres Spirituales.

Art. 5. De veritate ſenſus literalis: hyſtoricè, ex propria & prima vocum ſignificatione; parabolicè, ex ſecundaria; myſticè, ex ipſa potius rerum ſignificatarũ diſſimilitudine. 1. Quia negationes de Deo ſunt veriores, quàm affirmationes. 2. Quia intellectus potiùs tranſilit ad Deum per diſſimilia, quàm per ſimilia quibus inhæret. 3. Nil eſt tam diſſimile, quin elici poſſit ſimilitudo. 4. Ad velanda indignis myſteria. 5. Ad manuducendum intellectum.

Qvæstio 2. *De Cognitione Dei in ſe.*

Memb. 1. Ex parte obiecti. *Art.* 1. An Deus ſit cognoſcibilis homini.

Reſp. affirm. cum *B. Aug. Epiſt.* 112. ex *Matth.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbũt. *Ad* 1. 2. 3. De ſola inuiſibilitate naturali, corporali, aut comprehenſiua Dei. *Ad* 4. Cognitio non eſt neceſſariò adæquata obiecto infinito: ſed proportionata intellectui finito. *Ad* 5. Nulla vis materialis, ſed ſpiritualis eſt capax cognitionis ſpiritualis.

Art. 2. An Deus ſit cognoſcibilis in ſua infinitate. *Reſp.* Non poſitiuè, quid ſit: ſed negatiuè, quid non ſit. *Ad* 1. Æternus .i. ſine principio & fine. Incircumſcriptus .i. ſine loco vel vbi. Immenſus .i. ſine menſura ſuæ virtutis. *Ad* 2. ex *Eph.* 3. Non de ipſa plenitudine Dei, ſed noſtra Deo. *Ad* 3. ex *Ioan.* 18. Omnia nota feci vobis .i. finita & pertinentia, ſtatui vobis nota facere. Vel infinitum eſt cognoſcibile quod ſit: ſed non ſecundùm ſuam infinitatem. *Ad vlt.* Omnia in Deo ſunt vnum: non tamen idem dicitur de quolibet; quia licet ſignificent idem principale, differunt connotatis & modo ſignificandi.

Digitized by Google

Art. 3. An ſit naturali ratione cognoſcibilis in ſua Trinitate. *Reſp.* Non propriè niſi auxilio gratiæ gratis datæ, aut gratum facientis. Quia vt ſenſus circa maxima & minima ſenſibilia: ſic intellectus noſter, peccato orig. obtenebratus, deficit circa perfectiſſima & minima intelligibilia, vt motum, tempus, &c. *Ad* 1. Philoſophi dicuntur defeciſſe cognitione tertiæ Perſonæ. 1. Quoad præcipuos effectus bonitatis Dei. 2. Quoad veram eius recognitionem. 3. Quoad eius imitationem. *Ad* 2. ex illo Triſmegiſti, *Monas Monadem genuit, & ſuum in ſe recludit ardorem*, &c. nonniſi per aliquam inſpirationem Dei. *Ad* 3. Non eſt ex defectu obiecti: ſed rationis noſtræ.

Art. 4. An Deus ſit cognoſcibilis facie ad faciem in via. *Reſp.* Quòd non in propria forma: ſed in effectu aliquo ſuæ præſentiæ, & ſic in facie ſeu præſentia, vt tamen quaſi à Poſteriori.

Art. 5. An ſit hîc cognoſcibilis in ſua ſpecie .i. ſicuti eſt. *Reſp.* Nec per naturam, nec per gratiam imperfectæ contemplationis, ſed perfectæ: nec tamen tam plenè ac poſt hanc vitam. Ex *S. Greg. in Iob* 26. Et *B. Aug. De Trin. & q. vlt. ad Oroſium.*

Art. 6. An poſſit naturaliter cognoſci eſſe præſens in creaturis.

Reſp. affirm. De præſentia per naturam, ab aliquo effectu perceptibili: non per gratiam, ſeu imperceptibilem Dei acceptationem gratuitam. *Ad S. Ambr.* in *Luc* 6. Deus cùm abſens putatur, videtur: cùm præſens eſt, non videtur. i. Ex humilitate: Vel myſticè, vt *B. Aug. Epiſt.* 112. *cap.* 12. *col.* 479. *noſtra Anat.*

Mem. 2. Ex parte cognoſcentis. *Art.* 1. An ſit in potentia naturali cognoſcere Deum. *Reſp.* Non quoad quid, qualis, quantus ſit propriè: ſed quòd ſit, vt *Rom.* 1. *Sap.* 13. *Art.* 2. Deum nō poſſe cognoſci à malis quid ſit: ſed quòd ſit, & potens ac iuſtus in ſuis operibus. Ad *Iob.* 1. Deus non venit in conſpectum diaboli: ſed hic in conſpectum Dei, quoad ordinem iuſtitiæ. *Ad vlt.* Videbunt in quem pupugerunt. i. humanitatem Chriſti.

Art. 3. Deum non poſſe cognoſci vllo ſenſu, ſed ſolo intellectu. Ex *B. Aug. Epiſt.* 112. Quia nec charitas, nec vlla res ſpiritualis poteſt percipi ſenſu. §. 2. An ratione vel ſola intelligentia. *Reſp.* Non ratione inferiori, circa creaturas: ſed ſuperiori circa Deum, ſeu ſimplici intelligentia. *Infra.* Modus proprius rationis, eſt colligere vnum ex pluribus, vel ex alio aut poſt aliud: modus intelligentiæ, eſt percipere totum ſimul ac ſimpliciter.

Art. 4. Quòd Adam non videbat Deum in ſe, ſed per creaturas. §. 1. An tunc perfectiùs quā nunc per Fidem. *Reſp.* In Adam fuit cognitio naturalis, & ſuperaddita: illa fuit maior noſtra Fidei, ſpeculatiuè; ſed non meritoriè, nec affectiuè, nec electiuè.

Memb. 3. Ex parte medij. *Art.* 1. An Deus cognoſcatur per medium.

Reſp. Nunc non ſine medio ex 1. *Cor.* 13. An vero in futuro, alibi. *Ad* 1. vt lux videtur ſeipſa effectiuè, non in ſeipſa materialiter, ſed in aere vel colore: ſic Deus ſeipſo, ſed in creatura, &c. *Ad* 2. Viſio intellectualis, vel eſt rei in ſe, vel in ſua ſimilitudine. *Ad* 3. Nulla eſt natura ſubſtantialis inter nos & Deum, qua formemur: ſed accidentalis.

Art. 2. De medio cognoſcendi Deum per naturam creatam: ex *Rom.* 1. inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, &c. 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. *Ad* 1. Non eſt conuenientia inter Deum & creaturam, vniuocè, ſed analogicè .i. Quòd de Deo per naturam, dicitur de creatura per participationem. *Ad* 2. Non eſt proportio finiti ad infinitum in ſe: ſed vt ad cauſam inchoantem, & finem finientem. *Ad* 3. ex *Aug.* Quod cùm mens conſpexerit Deum obliuiſcetur cætera. i. Non nunc, ſed tunc. Vel cætera obiecta, non media neceſſaria. *Ad* 4. Vt oculus debilis ad ſolem, ſic intellectus ad Deum. *Ad* 5. Vt res videtur per lucem formaliter, per ſpeculum materialiter: ſic Deus per Verbum, & per creaturam.

Art. 3. De medio cognoſcendi Deum per gratiam Fidei. *Ad* 1. ex B. Aug. *Epiſt.* 112. Videntur ea quæ præſto ſunt ſenſibus animi vel corporis: vnde & præſentia dicuntur. Hinc quod creditur non propriè videtur in ſe, ſed in ſuo teſtimonio. *Ad* 2. *Ex eodem.* Videre, eſt ſenſu Corporis vel intuitu mentis: credere, eſt quod nunquam affuiſſe recolitur. *Ad vlt. Ex eodem ibid.* Non immeritò nos ſcire dicimus etiam quæ idoneis teſtibus credimus: loquendo communiſſimè.

Art. 4. De probatione rationali credendorum. 1. Ad intelligentiam veritatis creditæ. 2. Ad augendam Fidem. 3. Ad conuerſionem infidelium. *Ad* 1. Ratione acquieſcimus veritati, ob noſtrum teſtimonium: Fide, ob diuinum. Fides non habet meritum, in eo qui nititur ſoli rationi. *Ad* 2. Fides *Hebr.* 11. eſt Argumentum rationis in Theologicis: cùm in Logicis, Ratio ſit Argumentum Fidei. *Ad* 3. Fides eſt certior affectiuè & voluntariè, Ratio ſpeculatiuè. *Ad* 4. Credenda ſupra rationem, poſſunt probari ratione à poſteriori.

Art. 5. An certior ſit cognitio naturalis Dei, vel creaturæ. *Reſp.* Hæc eſt certior illâ, quoad *quid ſit*: & certitudine actuali ſenſus, ac habituali per ſenſum acquiſita, etiam quòd ſit; ſed illa eſt certior quod ſit, certitudine innata, & fidelibus infuſa.

QVAESTIO III. *De eſſentialitate Dei.*

Mem. 1. De neceſſitate eſſendi Dei. 1. Ex *Richar. de S. Vict. lib. de Trin.* Conſtat multa incipere eſſe ab alijs: Ergo eſt aliquid ab æterno ex ſe, &c. 2. Ex *Damaſc.* Sunt multa creabilia: Ergo aliquid increabile, &c. 3. Omnes ſimul creaturæ, ſiue finitæ, ſiue infinitæ, ſunt creatæ: Ergo ab aliquo increabili; quia nihil poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, nec idem poteſt eſſe altero prius & poſterius in eſſendo & cauſando ſeinuicē circulariter. 4. Ex *Sap.* 13. A creatura ad Creatorem. 5. Ex *Hugone de S. Vict. in* 1. *Sent.* A cognitione animæ noſtræ, ad initium, & principium eius. 6. Ex *Anſelmo l. de veritate*: A veritate omnis præteriti & futuri, ad æternitatem ipſius veritatis. 6. Ex eodem, à neceſſaria veritate ante omne initium & poſt omnem finem ad neceſſariam æternitatem veritatis. 7. Ex *B. Aug. lib.* 1. *Solil.* A vera negatione veritatis, ad neceſſitatem veritatis. 8. Ex neceſſario eſſe optimi. 9. Ex *Anſ. in Monol.* A gradibus bonitatis, ad neceſſarium aliquod optimum. 10. ex *Rich. de Trin.* Ab ordine rerum omnium, ad aliquid ſummum.

Mem. 2.

Digitized by Google

Mem. 2. De neceſſaria cognitione habituali Dei naturaliter impreſſa noſtræ rationi ſuperiori: ſi nũmus poteſt toties dici relatiuè abſis vlla ſui relatione: quanto magis Deus, &c.? ſed poſſibili errore & ignorantia actuali ſecundùm rationem inferiorem, circa ſenſibilia, ex culpa & pœna orig. *Rom.* 1. Cùm Deum cognouiſſent, &c. *Ad Pſal.* 13. Ex *Anſel. in Proſol.* Nemo poteſt cogitare Deum nõ eſſe quod rem ipſam: ſed quoad vocem, aut falſum conceptum Dei. *Ad* 3. Poteſt Deus cognoſci in commune, & ignorari ſub ratione propria. *Ad* 4. & 5. Vt ſupra, de cognitione quod ſit, non quid ſit.

Mem. 3. Eſſe ſoli Deo proprium, non poſſe cogitari non eſſe, vt ſupra: Quia ſolus Deus neceſſariò eſt: reliqua poſſunt non eſſe, ideoque cogitari ſeu concipi, vt non exiſtentia.

QVAESTIO IV. *De incommutabilitate Dei.*

Memb. 1. Quòd Deus ſit incommutabilis: Quia neceſſariò eſt actu ſummum bonum: non autem in potentia ad non eſſe, aut ad aliud vel melius. *Ad* 1. Deus incipit dici Creator, abſque vlla ſui mutatione, ſed ſolius creaturæ. Quædam enim relatiua dicunt mutuam dependentiam, & tunc relatio fundatur ſuper vtroque extremo: quædam non, & tunc fundatur tantùm ſuper dependente, comparatiuè ad aliud. *Ad* 2. Deus eſt factus homo, ſola mutatione naturæ humanæ. *Ad* 3. Vt ſol ſemper lucet, nec illuminando mutat ſeipſum, ſed illa: ſic Deus eſt ſemper agens ſua virtute, nec inde mutatur ſed ea quæ fiunt. *Ad* 4. Deus vult nunc eſſe quod prius noluit: Nunc & priùs referũtur ad eſſe creaturæ, non ad velle & nolle Dei; quia habet idem velle ab æterno. *Ad* 5. Si Deus inciperet eſſe Pater, mutaretur, quia ab intrinſeco: non ſic de Creatore & Domino ab extrinſeco. *Ad vlt.* Si Spiritus Sanctus fieret Filius, mutaretur ab vna perſona in aliam: Pater autem non fit de generante ſpirans; ſed eſt ſimul ab æterno.

Mem. 2. Quod nec ſit mutabilis cauſaliter, ſeu cauſa mutabilitatis in creaturis: quia hæc non eſt à Deo, ſed ex nihilo, ſeu non ſunt mutabiles quia ſunt à Deo, ſed quia ex nihilo, vt B. Aug. ſæpè. *Ad Sap.* 7. Sapientia Dei dicitur omnibus mobilior actiuè, non paſſiuè.

Mem. 3. Quòd ſolus Deus ſit prorſus immutabilis ad eſſe, & in eſſe: Creaturæ autem ſunt omnes mutabiles ad eſſe, & ſubſtantialiter vel accidentaliter in eſſe.

QVAESTIO V. *De ſimplicitate Dei.*

Memb. 1. Quòd Deus ſit ſimplex omnimoda ſimplicitate, abſque vlla compoſitione ſubſtantiali vel accidentali. 1. Quia omne compoſitum poteſt concipi non eſſe, per reſolutionem: non ſic Deus. 2. Quia compoſitum dependet à componentibus: non ſic Deus. *Ad* 1. 2. & 4. Relationes in Deo nil addunt eſſentiæ: nil vtique cum ea componibile. Vt eſſe alicui dextrum aut ſiniſtium: & vt idem ſimplex punctum eſt finis vnius lineæ, & principium alterius. *Ad* 3. In Patre innaſcibilitas non eſt paternitas, nationaliter tãtùm.

Ad 5. Deus ſimplex non poteſt videri niſi totus: ſed non comprehendi ſecundùm totum, &c.

Memb. 2. Quòd ſit ſummè ſimplex. *Ad* 1. Eò eſt maior vnitas, quò ſimplicior & virtuoſior: maxima & ſimpliciſſima eſt, eſſe in pluribus ſine ſui multiplicatione. *Ad* 2. Non eo eſt Pater, quo Deus: nec tamen alio; quia paternitas eſt Deitas. *Ad* 3. Idem eſt eſſe diuinum, alio & alio modo habitum à Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Memb. 3. Quòd ſolus Deus ſit ſummè ſimplex, abſque omni compoſitione, componibilitate, ac dependentia compoſitionis. *Ad* 1. & 2. Materia & forma ſunt componibiles inter ſe. *Ad* 3. Vnio eſſentiæ diuinæ cum humana, non eſt compoſitio, &c. *Ad* 4. Quædam ſunt Entia, quædam Entium: nec tamen hæc ſunt nihil.

QVÆSTIO VI. *De Immenſitate Dei in ſe.*

Memb. 1. Quod Deus ſit infinitus: non priuatiuè, quaſi finibilis; ſed negatiuè & contrariè, ſeu ex propria perfectione infinibilis, & finiens exceſſu infinito omnia poſſibilia. *Ad* 1. Materia prima dicitur infinita priuatiuè, defectu ſui finis ſeu perfectionis: Peccatum dicitur infinitum, defectu ordinis ad finem: Quantitas dimenſiua dicitur infinita, diuiſione vel additione in infinitum; ſed quantitas virtualis ſeu perfectio Dei eſt infinita actu. *Ad* 2. Deus eſt completus ex ſe, non autem ab alio: imò & omnium complementum. Ad 3. Eſſe finitum non eſt eſſe hoc, diſtinctum ab alijs: ſed eſt terminari ad aliud, vel eſſe propter aliud, vel perfici ab alio. *Ad* 4. Eſt perfectionis in creatura eſſe ad finem meliorem ſe: in Deo autem, eſſe finem omnium. *Ad* 5. Finita magis ducunt ad Deum vt finem: Infinita defectu perfectionis, ad Deum vt cauſam efficientem & exemplarem.

Mem. 2. Quòd ſolus Deus ſit infinitus ſimpliciter. *Sap.* 13. gratia autem Chriſti non ſit infinita principio, fine, ſubiecto; ſed aliquomodo virtute influendi pluribus membris in infinitum, & ſatisfaciendi pro pluribus & maioribus peccatis in infinitum. *Ad Ioan.* 3. Spiritus non eſt datus Chriſto ad menſuram, comparatiuè cum alijs.

QVÆST VII. *De immenſitate Dei obiectiuà.*

Mem. 1. Quòd Deus ſit quidem à nobis comprehenſibilis cognitione apprehendente & attingente totum obiectum in ſe, eique adhærente. *Pſal.* 3. *Eph.* 3. 1. *Ioan.* 3. Sed incomprehenſibilis cognitione includente, vel cõtinente totum ſecundùm totum, ſeu circumſpiciente finem obiecti, vt *B. Aug. Epiſt.* 112. Comprehendere enim eſt includere totam ſubſtantiam, virtutem, & reſpectum eius: attingere autem, eſt totum ad totum iungi, non ſecundùm totum. Vt linea attingit cẽtrum: ſed non comprehendit eius virtutem ad alias lineas infinitas. Vnde Triſmegiſtus: *Deus eſt ſphæra intelligibilis, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam.* *Ad* 1. Non poteſt cognoſci quantus ſit Deus poſitiuè: ſed negatiuè. *Ad* 2. *Pſal.* 3. De comprehenſione pro apprehenſione. *Ad* 3. Eſſe plenum Deo, eſt ſecundùm captum noſtrum: non ad æqualitatem. *Ad* 4. 1. *Cor.* 2. Scrutari profunda Dei, non eſt comprehendere. *Ad* 5. & 6. Anima eſt ſimilitudo totius ſapientiæ Dei, ſed non æqualis. Ex *B. Aug. lib.* 83. *qq.*

Digitized by Google

Memb. 2. De differentia comprehenſorum, ſeu viſionis Dei in Patria: non ex differentia obiecti, nec ex vllo ibi medio; ſed ex inæquali perſpicacitate futura intellectuum in gloria.

QVÆSTIO VIII. *De immenſitate quoad Circumſcriptionem.*

Memb. 1. Quòd ſit ſimpliciter incircumſcriptibilis: quia nec habet vllum terminum eſſentiæ, nec virtutis, nec loci, nec temporis. *Ad Arg.* Deus eſt in omnibus quatenus ſunt, non quatenus deficiunt.

Mem. 2. Quòd ſolus Deus ſit ſimpliciter incircumſcriptibilis, loco, duratione, & fine: quædam autem creaturæ, ſecundùm quid, vt Angeli & ſupremum cælum, loco, & tēpore, non tamen fine; quia habent terminum ſubſtantiæ & virtutis.

QVÆST. IX. *De localitate Dei.*

Memb. 1. An Deus ſit alicubi, nuſquam, vel in ſeipſo. *Solutio.* Deus non eſt in loco vt contentus loco, nec definitiuè, nec circumſcriptiuè: ſed vt præſens & replens locum; non materialiter, ſed virtualiter, dans ipſi loco virtutem continendi. Vt ſapientia eſt in ſapiente, ex B. Aug. *Epiſt.* 57. *ad Dard.* *Ad* 2. Non eſt nuſquam ſimpliciter: quia hoc negat omnem modum; ſed nuſquam eſt circumſcriptiuè, contentiuè, &c. *Ad vlt.* Deus eſt in ſeipſo .i. independens, nec contentus ab vllo alio.

Memb. 2. An ſit vbique. *Solutio.* Eſt vbique: non diſtinctè, ſeu partibiliter, ſed indiſtinctè ſeu totus in quolibet. .i. Eſt totus præſens ad omnia vbi: vt anima in qualibet parte ſui Corporis. *Ad* 1. Quia virtus eius eſt eſſentia: non congruit vt agat aut conſeruet aliquid abſens per eſſentiam. *Ad* 2. Nihil eſt aut ſit niſi immediatè à Deo, vel ſolo, vel principaliter: ideoque neceſſariò præſente etiam per eſſentiam.

Mem. 3. Quid ſit Deum eſſe vbique, in omni loco, in omni re. *Reſp.* Vt eſt locus corporalis, communis & ſpecialis, continens & finiens corpora: ſic & locus ſpiritualis, continens ſpiritus intelligibiliter; communis quidem, virtus ſeu potentia Dei; ſpecialis autem, cuiuſque limitatio. *Ex Damaſc. & Ambr.* Summum cœlum quoad ſuas partes habet locum corporalem: quoad ſe totum, ſpiritualem. *Ad vlt.* Vt Deus virtualiter continet omnia intra, dicitur eſſe in omnibus: vt omnia continet extra, dicuntur omnia eſſe in Deo: vt replet omnem locum, dicitur eſſe in omni loco; vt replet omne vbi, dicitur vbique.

Memb. 4. An ſit vbique ab æterno. *Solutio.* Vt eſt ab æterno, ſic & vbique quo ad principale ſignificatum, & neceſſitatem coexiſtendi omnibus poſſibilibus: non autem quoad actualem coexiſtentiam niſi exiſtentibus. Deum eſſe vbique dicit principaliter plenitudinem bonitatis eius, connotando omnia vbi.

Mem. 5. Quòd ſit ſoli Deo proprium, eſſe vbique independenter, & ſufficienter ad continendum omnia poſſibilia. *Ad* 1. Creatura eſſet vacua, niſi eſſet plena bonitate Dei. *Ad* 2. Sacra humanitas quamuis vnita hypoſtaticè: non eſt tamen immenſa & vbique, vt Deus. Sed hinc poteſt eſſe ſimul ſub pluribus ſpeciebus conſecratis: non tamen vbique, ne quidem ſi omnia eſſent conſecrabilia vel conſecrata; *quia poſſet intelligi materia non conſecrabilis.*] Adde dependentiam à ſpeciebus conſecratis. [*Ad* 3. Etſi nil eſſet niſi vnus homo, anima eius non eſſet vbique: quia non in omni poſſibili. *Ad.* 4. Angelus non poteſt ordinatè velle eſſe vbique.

QVÆST. X. *De exiſtentia Dei in rebus.*

Memb. 1. Quòd Deus ſit in rebus omnibus, & extra omnia alia à ſe.

Mem. 2. Quòd Deus ſit in rebus omnibus eſſentialiter, potentialiter, & præſentialiter. i. Quo ad ſuam eſſentiam, potentiam, & operationem quâ innoteſcit: non autem vt eſſentia aut de eſſentia alicuius rei. *Ad* 1. Deus eſt principium eſſentiale totius eſſe: non formale, ſed cauſale. *Ad* 2. Deus eſt abſtractus ab eſſe creaturæ, non à cauſalitate. Deus erit omnia in omnibus 1. *Cor.* 15. obiectiuè, affectiuè, & finaliter. Eſt omnia, cauſaliter, & exemplariter: non vt forma ſeu perfectio omnium intrinſeca, ſed extrinſeca. *Ad* 3. Deus ab omnibus participatur: non quaſi materialiter, formaliter, partialiter, aut idēticè; ſed cauſaliter & ſimiliter.

Mem. 3. Quod hi tres modi generales contineant omnes. *Ad* 1. Deus ſiue vt Creator omnium in fieri, ſiue vt rector in eſſe, eſt in omnibus tribus illis modis. *Ad* 2. Ineſſe præſentialiter, non eſt adeſſe, ſeu non abeſſe per eſſentiam: ſed cognoſcibiliter, vt *Rom.* 1. *Sap.* 13. *Ad* 3. Eſſe vt Alpha & Omega, non eſt eſſe in, ſed extra, vt principium & finem. *Ad* 4. Ineſſe per voluntatem, eſt ineſſe per potentiam vel operationem: & eſt potiùs eſſe ad, quàm in; nec ſic ineſt malis, ſed bonis. *Ad* 5. Eſſe in omnibus perſonaliter, ſeu quo ad tres perſonas: non differt ab illis tribus modis.

Mem. 4. Quòd quamuis eſſentia, potentia, & operatio, in Deo non differant niſi intelligentia: hinc tamen diſtinguantur tres illi modi ſupra, quibus Deus omnibus inexiſtit, non ſic omnia illi; quia omnibus Deus ineſt eſſentialiter, vt ens neceſſarium ad eſſe omnium, non ſic vllum ens in Deo; ſed benè omnia in Deo potētialiter vt in cauſa, & præſentialiter vt in eius cognitione.

Mem. 5. Quòd Deus ex ſe inſit omnibus æqualiter: ſed participetur inæqualiter. *Ad* 1. Deus ineſt omnibus: ſed habetur tantùm per gratiam.

QVÆST. XI. *De inexiſtentia Dei per gratiam.*

Memb. 1. Quid ſit? *Solutio.* Eſt ineſſe per gratiam creatam, vt per expreſſam Dei ſimilitudinem: ex B. *Aug. Epiſt. ad Dard.* *Ad.* 1. Neceſſaria eſt gratia creata ad increatam, ſeu ad vnionem cum Deo per aſſimilationē. *Ad* 2. Vt Deus non ineſt creaturæ niſi ſecundùm naturam creatam: ſic nec inhabitat animam niſi per gratiam creatam.

Mem. 2. An Deus ſit in Sacramentis per gratiam. *Solutio.* Eſt in illis per gratiam: non inhabitantem, vt in ſubiecto; ſed vt in cauſa continente virtutem diſponendi ſubiectum ad gratiam.

Ad 1. Deus immediatè dat gratiam: ſed anima eam recipit mediante Sacramento. *Ad* 2. & 3. Vt ſignificatio vocis non eſt in ſono, ſed inſtitutione: ſic hæc

Digitized by Google

ſic hæc virtus Sacramentalis non eſt in ſubiecto ſecundùm ſuum eſſe naturæ, ſed inſtitutionis.

Mem. 3. Quòd caro ante infuſionem animæ non ſit inhabitabilis à Deo per gratiam: quia non eſt ſuſceptiua gratiæ, cùm non ſit ordinata ad gloriã. *Ad* 1. & 2. ex *Luc.* 1. & *Ier.* 1. De vita pro motu vitali apparente: vel ſecundùm prædeſtinationem. *Ad* 3. Caro non eſt capax peccati formaliter, ſed originaliter. Perſona Adæ corrupit totam naturam: Natura corrumpit originaliter perſonas, & perſonæ actualiter naturam; ſed gratia ſanctificat perſonam, non carnem, niſi vt eſt perſonæ.

Mem. 4. Quod Deus neminem inhabitet ante natiuitatem, per gratiam communem Sacramenti: ſed quoſdam ex priuilegio per gratiam ſingularem. Ex *B. Aug. Ep.* 57. *vt Tomo* 2. *Anat. Col.* 604.

Mem. 5. Quòd Deus ſit in paruulis Baptizatis per inhabitantem gratiam: quia ſicut ſine actu proprio facti ſunt iniuſti, ita & iuſtificantur.

Mem. 6. Quòd Deus necdum inhabitet per gratias gratis datas: ſed per ſolam gratum facientem. Quia hæc ſola vnit animam Deo vt ſummo bono: illæ autem ad hoc tantùm diſponunt.

QVAESTIO XII. *De Æternitate.*

Memb. 1. Quid ſit nomine *Art.* 1. An ſit idem quòd ſempiternitas?

Reſp. Si ſemper eſſe ſit tantùm omni tempore, ſempiternitas differt ab æternitate: ſi autem idem ſit quòd eſſe ſine initio & fine, non differt. Hinc B. Aug. 12. *Ciu.* Angeli ſemper fuerunt .i. omni tempore: nec tamen ſunt Deo coæterni. *Art.* 2. Quòd dicatur analogicè: de Deo ſimpliciter, de creaturis per participationem.

Memb. 2. Quid ſit re. *Reſp.* Æternitas propriè dicitur diuturnitas ſine principio, ſine fine, ſine mutabilitate: communiter cum creaturis, duratio ſine fine.

Mem. 3. Quid ſit definitione. *Reſp. ex Boetio,* Æternitas Dei, eſt vitæ interminabilis tota ſimul & perfecta poſſeſſio.

Ad 1. Interminabilis, termino initiali & finali. *Ad* 2. Vitæ, pro actualitate eſſendi abſque vlla mutatione. *Ad* 3. Tota, non quaſi ex partibus, ſed abſque vllo ſui defectu. *Ad.* 4. Simul .i. ſine ſucceſſione. *Ad* 5. Poſſeſſio .i. fruitio. *Ad* 6. Perfecta .i. abſque vllo defectu vel indigentia.

Mem. 4. Quomodo probetur de Deo ſolo. *Reſp.* 1. Ex eo quòd ſolus Deus ſit ex ſeipſo. 2. Quòd ſolus non ſit ex non eſſe, nec habeat quicquam de non eſſe; ideoque nec ſit defectibilis ad non eſſe.

Mem. 5. De eius immenſitate, ſeu immenſurabilitate, & improportione ad omnia tempora & perpetua: Quia hæc non ſunt vlla pars illius. Nam ſi tẽpus præſens permaneret, iam non eſſet tempus.

Mem. 6. De inuariabilitate æternitatis, ſeu coexiſtentia immutabili omnibus ſucceſſiuis.

Mem. 7. De vnitate ſeu ſimplicitate æternitatis indiuiſibilis, virtute infinita omnia durabilia continentis.

Mem. 8. De incommunicabilitate æternitatis: ſeu impoſſibilitate mundi aut vllius creaturæ Deo coæternæ. Quia eſt de ratione creaturæ eſſe à Deo ex nihilo. *Ad* 1. Æternitas eſt eſſentialis: ideo nil poteſt eſſe coæternum niſi ſit eiuſdem eſſentiæ. *Ad* 2. Pes in puluere, eſt ſola origine prior ſuo veſtigio: ſed Idæa mundi eſt eo prior æternitate. *Ad* 3. Voluntas Dei eſt ab æterno: ſed non creandi ab æterno. *Ad* 4. Vt ſol ſemper intrinſecè lucet in ſe, ſed illuminat extrinſecè abſque ſui mutatione: ſic eſt æterna emanatio Dei ad intra, non ad extra. *Ad* 5. Poſſibilia non potuerunt fieri ab æterno, nec omnia ſimul in tempore. 1. Quia materia eſt incapax recipiendi ſimul omnes actiones poſſibiles, ex *libro Apocrypho Eſdræ.* 2. Quia quædam ſunt poſſibilia ſucceſſiuè, per alia agentia creata: Ergo non poſſunt omnia fieri ſimul. *Ad* 6. Actio qua Deus agit, eſt idem quod eius virtus & eſſentia: ſed actio quam efficit, eſt eius effectus, & agere eſt effici in tempore. *Ad* 7. Quædam per ſe creantur, quædam concreantur ad eſſe rei, quædam ſolùm ad fieri eius. *Ad.* 8. Actio creandi eſt ab æterno: ſed terminus eius habet initiũ. *Ad* 9. Vt B. *Aug.* 12. *Ciu.* Non intelligunt Philoſophi Deum non aliter affici animo dum vacat, ac dũ operatur, &c. *Ad* 10. Lux increata non eſt vt creata: quia infinita, & ideo æterna; nec poteſt habere coæternum niſi coinfinitum. *Ad* 12. & 13. Ante creationem omnia ſunt poſſibilia ex potentia Agẽtis, non alicuius ſubiecti. *Ad* 14. Omnis motus habet initium & finem, ex libera Dei volũtate, ſapientia, & bonitate ordinante omnia ad vltimum finem. *Ad* 15. Tempus non incœpit in tempore: ſed à primo nunc. *Ad* 16. Primus motor non mouit ab æterno: quia creatura non eſt capax.

Mem. 9. De cõparatione æternitatis ad æuum. *Art.* 1. Quod æuum variè ſumatur. 1. Pro omni duratione diſtincta à tempore. 2. Pro tota duratione temporis. 3. Pro antiquitate temporis. 4. Pro magna aliqua parte totius temporis. 5. Pro duratione vitæ alicuius. 6. Propriè pro duratione rei habentis eſſe poſt non eſſe, ſed immutabile in non eſſe. *Ad* 1. Eſt triplex nunc. 1. Æternitatis, quod nec poteſt incipere nec deſinire. 2. Æui, quod incipit, ſed manet abſque fluxu ſeu ſucceſſione. 3. Temporis, quod incipit & fluit ſucceſſiuè. *Ad* 2. Semper, vel ſumitur pro toto tempore, vel pro ipſa æternitate. *Ad* 3. Æuum eſt quantum virtute. *Ad* 4. Eſt accidens proprium æuiternorum, vt tempus temporalium. *Art.* 2. Quòd, vt tempus, ſic & æuum ſit vnum: non ab vnitate temporalium nec æuiternorum, ſed à quadam influentia & participatione æternitatis. *Ex. S. Dion. de diu. nom.* *Ad* 1. Eſt vnum æuum omnium æuiternorum, vt vnum tempus temporalium: quamuis alia priùs, alia poſterius incipiant. *Ad* 2. Vt duratio primi motus eſt menſura reliquorum temporalium: ita & duratio alicuius primi æuiterni poteſt eſſe menſura reliquorum; ex perfectiori ac indefectibiliori participatione æternitatis. *Ad reliqua.* Non ſunt plura æua, nec tempora formaliter, ſed materialiter: poſſunt tamen dici vnum æuum, ex ſola conformi imitatione æternitatis, ſine fine & ſucceſſione; quia æuiterna dependent à ſolo Deo immediatè, non ab aliquo primo æuiterno, vt omnia temporalia à primo mobili & motu, vel cœli, vel materiæ primæ.

Art. 3. De ſimplicitate æui, abſque vlla propria ſucceſ-

Digitized by Google

ſucceſſione, compoſitione, aut extenſione.

Ad 1. Æternitas eſt ſimplex ab omni etiam componibilitate: non ſic æuum, cum ſuo ſubiecto. *Ad* 2. Æuum eſt propria menſura ſubiectorum & accidentium immutabilium: communis autem etiam mutabilium. *Ad* 3. Actus ſpiritualis remiſſioris & intenſioris duratio, eſſet media.

Art. 4. De comparatione æui ad tempus. §. 1. Quoad extenſionem. Quòd tempus impropriè dicatur ipſum nunc ſeu inſtans tẽporis *Gen.* 1. In principio, &c. Minùs propriè, nunc poſt nunc diſcretè: ſed propriè, ſit extenſio continua ſecundùm præſens à præterito in futurum, ſeu duratio cõtinua & ſucceſſiua motus ſecundùm prius & poſterius. *Ad* 1. Nunc æui, & tẽporis ſunt diuerſi generis, & cõcreantur cum ſuis ſubiectis. *Ad* 2. Æuum non incœpit in tempore, ſed cum tempore, ſeu cum primo eius inſtanti. *Ad* 3. Quamuis ſimul incœperint: prius tamen natura eſt æuum quàm tempus. §. 2. Quod non ſit duratio media inter æuum & tempus propriè, niſi ratione. *Ad* 1. 2. 3. Idem quoad ſua immutabilia menſuratur æuo: quoad ſua mutabilia, tempore. *Ad* 4. Tempus ſingularum mutationum cœpit cum æuo: ſed tempus commune, à motu cœli die 4. *Ad* 5. Tempus indeterminatum radicatur in variabilitate materiæ primæ: determinatum autem in motu cœli, & cum eo incipit ac deſinit. Quibuſdam tamen viſum eſt, inter æuum & tempus ponendum eſſe ſæculum, à ſequela diſcreta inter nunc & & nunc: abſque continuatione media temporis, & permanentia æui §. 3. Quòd ſint diuerſa nunc æternitatis, æui, & temporis: quamuis concomitanter dicantur Deus, Angelus, & motus in eodem nunc. Nunc temporis propriè eſt inſtans, à non ſtando, ſeu ab inſtabilitate.

Mem. 10. De comparatione æternitatis ad tempus. Quòd Deus ſe toto ſit omni tempore & ſemper. *Ad* 1. Quòd loco aut tempore non continetur, poteſt totum ſimul eſſe in omnibus locis & temporibus. Hinc tempora non prætereunt æternitatem, nec æternitati. *Ad* 2. Deus dicitur totus vbique & ſemper, totalitate ſuæ perfectionis, non integritatis aut incluſionis. Deum eſſe ſemper, vel eſt eſſe ſimul in omni tẽpore, præſenti, præterito, futuro, vel potiùs æternè eſſe & viuere.

QVAEST. XIII. *De vnitate Dei generaliter.*

Mem. 1. Quòd cùm ens ſit primum intelligibile: eius notio & primæ determinationes, quæ ſunt eſſe vnum verum bonum, ſint primò intelligibiles, nec poſſint niſi per poſteriora notificari. Hinc vnum dicitur indiuiſum in ſe, & diuiſum ab alijs, eiuſque vnitas indiuiſio: per negationem & effectum conſequentem, diuiſionis, ſeu diſtinctionis.

Memb. 2. Quòd ens vt in ſe abſolutè, determinetur per vnum: comparatiuè ad alia diſtincta, per verum, ſeu diſcernibile ab alijs intellectu: comparatiuè ad alia vt conuenientia & ſubordinata, per Bonum. Ens creatum, à cauſa prima efficiente vt appropriata Patri, habet eſſe vnum: à cauſa exemplari vt appropriata Filio, eſſe verum: à cauſa finali, vt appropriata Spiritui Sancto, eſſe bonũ, ſeu inclinatum ad ſummum bonum. Vt eſt in memoria animæ, eſt vnum, ad intellectum verum, ad voluntatem bonum. *Ad* 1. Ratio vnius addit enti, & determinat intelligentiam: non tamen reſtringit ſubiecta entis, ſed etiam includit multa exiſtentia ſub ratione vnius. *Ad* 2. Indiuiſio ſeu notio vnius cointelligitur enti, potiùs quàm notio veri & boni. *Ad* 2. & 3. Diſcretio rei à re in eſſe, eſt vnitatis: in cognoſci, eſt veritatis. *Ad* 4. Indiuiſio principiorum eſſendi, eſt vnitatis: cognoſcendi, veritatis: ordinandi, bonitatis. *Infra.* Vnum, verum, bonum, coincidunt: Quia non ordinantur in memoria niſi ſub ratione vnius: non intelliguntur, niſi ſub ratione veri: non appetuntur, niſi ſub ratione boni. *Infra.* Notiones entis, vnius, veri, boni, ſunt hoc ordine inter ſe natura priores & poſteriores: quia plus minuſuè abſolutæ, aut comparatiuæ. Vnitas tamen principiorum eſt prior entitate rei cuius ſunt.

Mem. 3. Vnde cauſetur vnitas & multitudo: De conditione rerum. *Mem.* 4. Nunc autem de varijs differentijs vnius, ſecundùm *S. Dyon. de Diu. nom. S. Bern. lib.* 5. *de Conſid.* & Philoſophos. Quòd *S. Dyon.* aſſignet differentias vnius, ex participatione omnium ab vno Deo. *S. Bern.* ex relatione omnium ad Deum: Philoſophi, ex eſſe proprio cuiuſque.

Mem. 5. De oppoſitione, non contraria, priuatiua, relatiua, aut contradictoria, ſed tantùm diſparata, vnius ad multa abſolutè: relatiua autem, inter paucitatem & pluralitatem relatiuè.

QVAST. XIV. *De vnitate Dei ſpecialiter.*

Mem. 1. De vnitate perfectiſſima eſſentiæ diuinæ in pluribus perſonis. 1. Quia hæc vnitas eſt virtuoſior & perfectior, quæ non poſſet ſaluari in pluribus. 2. Summum bonum eſt ſui communicatiuum: non ſibi ipſi; ergo vnum idemque alteri. 3. Vbi eſt ſumma Bonitas, eſt ſumma charitas: non ſolùm ad ſeipſum; ergo & ad alterum dignum ſumma Charitate. 4. Ex ſumma Beatitudine & ſocietate ſummi Boni. 5. Poſſe eſſe, & eſſe totum ſingulare plurium, eſt perfectius quàm non poſſe eſſe niſi vnius, aut nonniſi multiplicatum in pluribus, vt vniuerſalia: ergo illud Deo proprium. *Ad* 1. Pluralitas relatiua perſonarum, non opponitur vnitati naturæ diuinæ: vt nec vnitas perſonalis in nobis opponitur pluralitati naturarum. *Ad* 2. Vnitas materialis, ſignata, ſeu ſingularis, non eſt vltra multiplicabilis: ſed vnitas formalis ſeu formæ poteſt eſſe in multis. Hoc eſt perfectionis: ſed multiplicatio in illis eſt imperfectionis. *Ad* 3. Vnitas eſſentiæ eſt diuerſa à perſonali. *Ad* 4. Pluralitas perſonarum in Deo reducitur ad vnitatem: non prædicationis, ſed originis ab vnica prima. *Ad* 5. Plures modi exiſtendi, non repugnant eidem naturæ permanenti.

Mem. 2. De identitate reali entis, vnius, veri, & boni: ſed diſtinctione *intentionis*, ſeu notionis propriæ ſingulorum, vt ſupra *q.* 13. *M.* 2. Vnitas eſt indiuiſio entis in ſe: Veritas indiuiſio eſſe ab ente; Bonitas, indiuiſio à benè eſſe.

Mem. 3. Quid ſit veritas. *Reſp.* Quædam notificatio eſt communis omni veritati: vt illa *Anſelmi*

lib. De

Digitized by Google

Digitized by Google

lib. De veritate, Eſt rectitudo ſola mente perceptibilis. Quædam eſt ſpecialis de ſola veritate cognitionis: vt illa *B. Aug.* 2. *ſolil.* 9. Verum eſt quod ita eſt vt videtur, &c. Quædam eſt de ſola veritate ſignificationis: vt, Veritas eſt adæquatio ſigni & intellectus. Quædam ſunt de veritate rei: vt, verum eſt id quod eſt, ex *B. Aug. de vera Relig.* Veritas eſt indiuiſio eſſe ab eo quod eſt. Quædam ſunt principaliter de veritate increata: vt illæ *B. Aug. de vera Relig.* Veritas eſt qua oſtenditur id quod eſt. Item. Eſt ſumma ſimilitudo principij. i. Patris. *S. Hilarij*. Verum eſt declaratiuũ eſſe. *Ad* 1. & 2. De veritate cognitionis actu, vel habitu, ſeu aptitudine. *Ad* 3. Eſt fallacia figuræ dictionis, à veritate cognitionis ad veritatem rei. *Ad* 4. Veritas ſignificationis inſtitutæ eſt mutabilis: non autem actualis. *Ad* 5. Homo pictus eſt vera pictura, ſed falſus homo *Ad* 6. Veritas eſt adæquatio: non actu, ſed habitu ſeu aptitudine. *Ad* 7. Veritas negationis, fundatur in veritate affirmationis, imo eſt eadem: vt, Homo eſt homo, & non eſt aſinus. *Ad* 8. Vt lux ſe & alia manifeſtat: ſic veritas Dei. *Ad* 9. Defin. vltima appropriatur filio. *Ad* 10. Rectitudo illa *Anſelmi* vel eſt debita cuiuſuis rei ordinatio: vel indeclinatio veritatis vt mediæ, ab vnitate & bonitate vt extremis.

Mem. 4. Veritatem eſſe in omni re. *Ad* 1. ex *B. Aug. in Solil.* Veritas neceſſitatis, & cauſæ, eſt independens ab exiſtentia rerum. *Ad* 2. *B. Aug. De vera Relig.* agit de Prima veritate vt omnibus præſente ac lucente: licet non ab omnibus percipiatur. *Ad* 3. Veritas eſt etiam in ſenſibilibus: ſed nonniſi intelligibiliter.

Mem. 5. Quòd veritas vt eſt indiuiſio eſſentiæ ſeu eſſentialium inter ſe, & ab eis quæ ſunt, ſit ſingulis propria: ſed vt eſt lux intelligibilis omnium, ſit vnica & communis.

Mem. 6. Quòd ſit vnica prima veritas æterna. *Ad* 1. *B. Aug.* 1. *Doctr. Chriſti cap.* 3. vocat tres res eiuſdem naturæ, non tres naturas: ideòque nec tres veritates. *Ad* 2. Poſſent dici tres veritates relatæ ad intellectum: ſed vnica eſſentiæ, &c. Veritas proprietatis reducitur ad veritatẽ perſonæ, & hæc ad veritatem eſſentiæ. *Ad* 3. Vt in Deo eſt vnica idæa omnium poſſibilium: ſic & vnica veritas.

Mem. 7. Quòd non omnis veritas ſit æterna. *Ad arg.* Veritas propria rei temporalis, nõ eſt æterna: nec veritas ſigni talis rei; ſed veritas cauſæ, veritas idææ, veritas Dei.

Mem. 8. Quòd Prima veritas Dei ſit immutabilis: ſed veritas propria rerum mutabilium aut immutabilium, ſit vt res ipſæ, mutabilis aut immutabilis.

Mem. 9. Vt à prima eſſentia eſt omne quod eſt, quatenus eſt: & à prima bonitate omne bonum quà bonum eſt; ſic à prima veritate, omne verum, qua verum eſt. *Ad* 1. Eſt fallacia, à veritate dicti ad veritatem rei. *Ad* 2. Malum nec eſt ſimpliciter, nec verum ſimpliciter. *Ad* 3. Ipſa veritas quæ de malo dicitur, eſt etiam à prima veritate.

Quæſtio XV. *De falſitate.*

Mem. 1. Vt veritas, ſic & falſitas vel eſt rei in ipſis rebus, vel cognitionis in anima, vel ſignificationis in voce. *Ad* 1. ex *B. Aug. in Solil.* Falſum in re eſt quod fingit, aut fingitur, aut tendit eſſe quod non eſt: *Ad* 2. Falſitas in re eſt qua quid ex ſe apparet eſſe quod non eſt: falſitas in cognitione eſt qua quid nobis videtur eſſe quod non eſt. *Ad* 3. Res non fallunt nos cauſaliter, ſed occaſionaliter. Vel, non fallunt ex eo quod ſunt, ſed ex eo quod non ſunt, vt *B. Aug. De vera Relig.* *Ad* 4. Falſitas non eſt in non entibus: ſed etiam in dictis de non entibus.

Mem. 2. Quòd falſitas non ſit in ſenſu exteriori, ſed interiori: nec in intellectu vt intellectus eſt, ſed vt phantaſticus; quia eſt principium verè cognoſcendi, & diſcernendi verum à falſo, non autem iudicandi vt apparet, quod eſt phantaſiæ.

Mem. 3. Quòd ſimilitudo ſit mater veritatis: vnde prima veritas eſt ſumma ſimilitudo. Nam vt *B. Aug. in Solil.* Falſum eſt, quòd à veri ſimilitudine longè eſt: ſed habet aliquam ſimilitudinem. Hinc nec ſimilitudo nec diſſimilitudo eſt mater falſitatis: ſed diſſimilitudo eius quod eſt ſimile. *Ad vlt.* Falſum dicitur reſpectu ſui perfectioris, non imperfectioris.

Mem. 4. Quòd falſum ſubſtantificetur in aliquo vero. i. non poſſit eſſe niſi in re vera: Nec opponatur vero in quo eſt, ſed in quo non eſt.

Mem. 5. Quòd falſitas ſit oppoſita primæ veritati. *Ad* 1. Malum opponitur bono dupliciter, deficiendo, & nocendo: falſum autem non opponitur vero nocendo, ſed deficiendo. *Ad* 2. Verum & falſum non opponuntur vt affirmatio & negatio ſimpliciter, ſed in ſuo genere. Summo vero in ſe, non videtur vllatenus opponi falſum: quia nihil eſt vt ſic poteſt eſſe ſimile. Vt autem ſummum verum variè participatur; ſic falſum ei ſeu eius participationi priuatiuè opponitur.

Quæſtio XVI. *De bonitate Dei.*

Mem. 1. Ens & bonum ſunt idem re, ſed differunt ratione ſeu notione: quòd ens ſit primum intelligibile abſolutè, Bonum dicat ens vt completum, & conueniens alteri, ideoque appetibile. *Ad* 1. Eſſe appetitur, ſed vt bonum. *Ad* 2. Non eſſe non eſt appetibile, niſi ſub quadam apparentia melioris eſſe, vt quietis, &c. Ex *B. Aug. l.* 2. *de lib. Arb.*

Mem. 2. Quòd honeſtas Boni propter ſe appetendi, ſit pulchritudo intelligibilis ſeu ſpiritualis: vtilitas verò, ſit ipſa diuina prouidentia. Ex *B. Aug. q.* 30. *ex* 83. *Col.* 132. *noſtræ Anat.* Vnde omne bonum honeſtum ſit & Pulchrum: ſed bonum, vt placens affectui; pulchrũ, vt placens cognitioni, &c. *Ad* 1. Prima intentio Pulchri magis ſumitur exemplariter: Boni autem, finaliter. *Ad* 2. *B. Aug.* 22. *Ciu.* definit pulchritudinem corporalem, eſſe partium congruentiam cum ſuauitate colorum.

Mem. 3. Quòd bonum vt complet, ſit propriè cauſa finalis: vt monet, induat rationem cauſæ efficientis; vt regulat, rationem Artis ſeu exemplaris. *Ad* 1. Bonum ſub ratione finali, eſt appetibile: ſub efficienti, diffuſiuum ſui; ſub formali, eſt indiuiſio actus à potentia. i. perfectionis à perfectibili. *Ad* 2. Definitio boni, vt appetibilis & diffuſiui ſui ſimpliciter, eſt ſummi boni: ſed contrahitur ad quælibet bona in ſuo genere.

Mem. 4. Quòd quidam, nominatim *Porretanus*, diſtinguant eſſe, & bonum abſolutè, ab hoc vel illo eſſe,

Digitized by Google

lo eſſe: vt eſſe & bonum ſimpliciter ſit ſolius Dei, denominans tantùm extrinſecè creaturas eſſe; ſed eſſe hoc, vel illud, ſit proprium creaturarum, &c. Alij diſtinguant duplex eſſe, & bonum: proprium Deo, & creaturæ; ſed hoc nonniſi ab illo & ad illud, &c. *Infra*. Sed non videtur verum, quod cùm de creatura dicitur eſt, intelligatur ens primum: niſi per conſequentiam. Prima autem intentio boni, eſt ſummi boni: Quia neceſſariò intelligitur in bono per participationem. *Breuiter ergo*, &c. Bonum per eſſentiam eſt idem in omnibus: non idem per participationem. Ex *B. Aug.* 8. *Trin.* 3.

Memb. 5. Quòd Ratio Boni abſolutè in ſe, ſit indiuiſio potentiæ à ſuo actu ſeu perfectione, vel identica, vel differente, ab intrinſeco, extrinſeco, vel vtrimque. Ratio Boni comparatiuè, quoad vſum & appetitum: vt mouet appetitum rationabilem, eſt Bonum honeſtum; vt concupiſcibilem, delectabile; vt iraſcibilem, vtile; &c. Differentiæ ergo boni formaliter, non ſumuntur à differentijs entis: Quia Bonum addit intentionem cauſæ finalis. *Ad* 1. Bonum per eſſentiam eſt ipſe finis: per participationem, eſt ad finem, &c.

Mem. 6. Quòd bonum per ſe & propter ſe conueniat Deo; creaturis autem, vt ab ipſo & ad ipſum. Et hæc eſt communitas ſecundùm priùs & poſteriùs, &c. Vt ens priùs dicitur de ſubſtantia, poſteriùs de accidente.

Mem. 7. Quòd notio & amor ſummi boni ſit nobis impreſſus quoad habitum & ſenſum naturæ: ſed aberretur praua opinione & appetitu. *Ad* 1. voluntas naturalis eſt recta, non ſemper electiua. *Ad* 2. Senſus eſt aliquando veracior opinione. Ex *B. Aug.* *l.* 2. *De lib. Arb.*

Mem. 8. Quòd ſummum bonum nil addat ſupra bonum ſimpliciter; quia eſt ſimplex; ſed dicendo ſummum bonum, determino illud in cauſando; dicendo bonum, determino in prædicando de omni bono. Deus eſt bonum omnis boni in creando, non in prædicando. *Ad Arg.* Ens non dicit cauſam, ſed bonum, &c. Ideo cùm bona non ſumma ſint à ſummo vt efficiente, in eo vt conſeruante, & ad ipſum vt ad finem: non poſſunt intelligi niſi illo cointellecto.

Mem. 9. Quòd omnia procedant à Deo vt ſummo bono, potiùs quàm vt vno, vero, vel iuſto: quia bonum eſt primum motiuum voluntatis, Sapientiæ, & potentiæ, ad communicandum & producendum. *Ad* 1. Iuſtitia Dei dicit condecentiam bonitatis eius, connotando effectum in creatura. *Ad* 2. Iuſtitia retributionis eſt ad ſolas creaturas rationales: ſed condecentiæ illius, ad omnes.

QVÆSTIO XVIII. *De Bonitate creata*.

Mem. 1. Quòd modus, ſpecies, & Ordo naturalis reperiantur in omni creatura: moralis, per peccatum corruptibilis, in ſola rationali. *Ad* 1. Omnia habent ſuum modum ſpeciem & ordinem .i. omnia creata, non concreata, qualia ſunt hæc tria. Vel vt *Aug. de gen. ad lit.* Deus diſpoſuit omnia in numero pondere & menſura: ſed ipſum numerum, pondus, & menſuram in ſe ipſo; ſicque abſque proceſſu in infinitum. *Ad* 2. *S. Ambr. in Exameron*: negat lucem eſſe in numero, pondere & menſura: vel de luce æterna, vel de luce corporali comparatiuè ad alia corporalia. *Ad* 3. Numerus idem eſt quòd ſpecies, modus quòd menſura, pondus quòd Ordo: ſed menſura, numerus & pondus *Sap.* 11. dicunt diſpoſitionem rei in fieri; modus, ſpecies, & Ordo, in eſſe.

Mem. 2. Quòd hæc tria non ſint eſſentialia quaſi ex aut de eſſentia creaturarum: ſed vt relatiua ad cauſas earum eſſentiales. Nam modus dicit relationem ad Deum vt ad efficientem, ſpecies vt ad formam, Ordo vt ad finem.

Mem. 3. Vt in Deo non ſolùm eſt Trinitas perſonarum, ſed vnitas Eſſentiæ: ſic in imagine & veſtigio S. Trin. non ſolùm ſunt hæc tria, ſed etiam vnitas eſſentiæ creatæ. *Ad* 1. Vnitas eſſentialis Dei, habet pro veſtigio vnitatem eſſentiæ creatæ: Vnitas propria vel appropriata Patri, vnitatem Modi. *Ad* 2. ipſum eſſe æternum etiam appropriatur Patri, &c. Conſtare aliquo, plus dicit quàm eſſe, videlicet ſtabilitatem. *Ad* 3. Eſſe appropriatè, poteſt ſumi pro modo: Alia enim ſunt, eſſe terminatum, formatum, & ordinatum, &c. Sed cùm omnis res habeat modum, ſpeciem, & ordinẽ: Ordo vel eſt rerum omnium inter ſe, vel partium in ſuo toto, vel omnium ad Deum vt finem vltimum. *Ad* 4. Modus ſpecies & Ordo Theologicè ſumuntur relatiuè ad ſolam primam cauſam vniuerſalem. *Ad* 5. ex Gloſſa in *Sap.* 11. De numero, pondere, & menſura: non loquitur propriè, ſed metaphoricè. *Ad* 6. Veſtigium S. Trin. variè aſſignatur, ex varijs comparationibus.

Mem. 4. Quòd voluntas vt natura, habeat hæc tria inſeparabilia, vt reliquæ creaturæ: ſed vt voluntas, habeat hæc tria corruptibilia moraliter per peccatum. *Infra*. Quò plus vel minus habet creatura de materia propè nihil: eò plus aut minùs corruptilitatis naturalis, &c. Corruptio moralis electionis, eſt propè & penes ſolum receſſum à ſummo Bono: Corruptio naturalis, eſt penes acceſſum ad nihil vel propè nihil.

Mem. 5. Quòd per hæc tria, ſed præcipuè per Ordinem notificetur Bonum in Creatore, & Creatura. Quia cùm Bonum increatum ſit ex quo omnia, in quo omnia, ad quod omnia: Bonum creatum, vt eſt ab illo, habet modum: vt in illo ſpeciem: vt ad illud, Ordinem; Sed Ordo notificat ipſum modum & ſpeciem. *Ad* 2. Modus eſt quo res limitatur, ſpecies qua diſtinguitur, ordo quo ad aliud ordinatur. Aliter, ſpecies qua res placet. *Ad vlt.* Bonum naturâ, eſt malum voluntate. Modus, ſpecies, & ordo, dicuntur mala: vel quia minus bona, vel aliena & incongrua, &c. Vbi autem nullus modus, nulla ſpecies, nullus ordo: nullum bonum.

Memb. 6. Quòd Bonitas creaturæ ſit eſſe à Bono, in Bono & ad Bonum: ideo quælibet vt eſt, bona ſit; quia eſt eſſentialiter à Deo vt bono, in Deo, & ad Deum. Hinc *Ad* 1. bonitas creaturæ non eſt per eſſentiam: ſed per participationem & denominationẽ, ſed eſſentialiorem ſeu depẽdentiorem à Deo, quàm ab vlla alia cauſa. *Ad* 2. Ipſa materia prima quamuis propè nihil: vt eſt tamẽ, bona eſt, & habet ſuo modo hæc tria. *Ad vlt.* Quæ & quatenus ſunt, non quæ & quatenus deficiunt, bona ſunt.

Mem. 7.

Digitized by Google

Mem. 7. Quòd ſolus Deus ſit bonus per eſſentiã: Reliqua omnia, nonniſi per participationẽ ab eo. Vt quæ à ſole illuminata, ab eo lumen participát. *Ad* 1. Tribus modis poteſt quid dici eſſe per participationem. 1. Quoad formam inadæquatam & ſeparabilem, quales ſunt accidentales. 2. Quoad formam adæquatam & inſeparabilem ab eſſe, ſed multiplicabilẽ in pluribus, quales ſunt formæ vniuerſales. 3. Quoad formam incompletam, reſpectu completæ à quâ dependet. Primo modo dicitur quis bonus, participatione gratiæ. 2. Participatione gloriæ. 3. Omnis natura bona, participatione bonitatis diuinæ. Solus Deus eſt bonus ſubſtantialiter, ſeu eſſentialiter primo modo eſſendi, vt de eſſentiâ alicuius: creaturæ autem, non niſi 2. modo, vt proprietas ex eſſentiâ. *Ad* 2. Bonitas diuina eſt ſimpliciſſima & infinita in ſe: ſed habet varios effectus finitos, quorum participatione ſeu variâ perceptione, creaturæ ſunt & dicuntur bonæ per participationem.

Mem. 8. Quòd ſolus Deus ſit bonum immutabile quoad eſſe & vſum propriũ: voluntates quoad eſſe, non quoad vſum: virtutes quoad vſum, non quoad eſſe: corporalia mutabilia quoad eſſe & vſum. *Ad vlt.* Abuſus virtutis materialiter, non eſt eius formaliter vt virtus eſt, ſeu non ex propriâ eius inclinatione, ſed contrà.

Memb. 8. Quòd bonum vt bonum non ſit cauſa mali culpæ, ſed vt deficiens à bono: Deus autem vt iuſtus ſit cauſa omnis mali pœnæ. *Ad* 1. Corruptio naturalium non eſt à Deo, vt culpabilis, ſed vt pœnalis. *Ad vlt.* Pœna non dicitur iuſta ab ipsâ culpâ: ſed à Deo cuius bonitatem decet reddere pœnam pro culpâ; & ſic pœna iuſta & bona eſt ab ipsâ bonitate Dei.

Mem. 10. De bono vniuerſi. *Art.* 1. Quòd Deus permittat mala in vniuerſo, ad commendanda bona per oppoſitionem, *ex B. Aug. c.* 15. *Enchir. Art.* 2. Quòd rerum vniuerſitas non eſſet melior ſine malis. *Ad* 1. Bona non tantũ ordinãtur inter ſe, ſed etiàm contra mala, & mala contra bona. *Ad* 2. Singula bona ſunt eò meliora, quò minus habent mali: non ſic tamen vniuerſitas bonorum; quia ex B. Aug. de naturâ boni, vt vox & cantus interpoſito ſilentio eſt gratior, ſic hæc vniuerſitas interpoſitis malis benè ordinatis. *Ad* 3. Macula poſſet facere ad maiorem pulchritudinem. Vt color niger interpoſitus reddit picturam pulchriorem: ſic mala interpoſita, bonorum vniuerſitatem. *Ad vlt.* Melior eſt natura rationalis iuſtè reordinata per pœnam, quàm impunita. *Ad* 1. *Ex alijs obiectis.* Nec miſeria eſt de perfectione vniuerſi: ſed animæ ſeu creaturæ rationales, quæ rectè operando poſſint beatificari, deficiendo autem iuſtè puniri. *Ad* 2. Decori vniuerſitatis congruit vt pœna corrigat culpam. *Ad* 3. Congruit etiam decori vniuerſi, vt creatura ſuperior peccans, puniatur per inferiorem, &c. ex *B. Aug. libris de lib. Arbit.*

Art. 3. Quòd nec vniuerſitas eſſet melior ſi omnia bona eſſent æqualia: quia ſic non eſſent omnis generis bona, ex quibus vniuerſitas conſtituitur. *Ad* 1. Deus agit ſapienter & ordinatè: non autem in omnibus æqualiter. *Ad* 2. Bonitas Dei poteſt abſolutè ſe communicare in infinitum: ſed eſt ſtatus ad aliquem ordinem, & perfectionem vniuerſi.

QVÆSTIO XVIII. *De malo.*

Memb. 1. Quòd malum opponatur ſummo bono in ſe, negatiuè: ſed effectibus eius, etiam priuatiuè, & contrariè. *Ad* 1. ex 11. *de Ciu.* vitium eſt contrarium Deo: non in ſe, ſed in ſuo effectu. *Ad* 2. Defectus naturalis à Deo negatiuè, ſeu non eſſe Deum, non eſt malum: nec poteſt eſſe ab eo ipſo defectus priuatiuè; quia nil poteſt eſſe Deus, quin ſit Deus.

Mem. 2. Quòd malum culpæ propriè & per ſe opponatur bono gratiæ: priuatiuè quidem, ſub ratione formali mali; contrariè autem, ſub ratione materiali actus aut diſpoſitionis malæ. Sed malum pœnæ eodem modo opponatur bono naturæ: niſi quod illud excludat totum bonum gratiæ, hoc ſolùm minuat bonum naturæ. Vnde malum dicendum eſt contrarium bono, ſub priuatione.

Mem. 3. Quòd malum non ſit priuatiuum, aut contrarium & corruptiuum naturæ ſubiecti in quo eſt, ſed habitudinum eius ad bonum. Hinc ſatis *ad* 1. *Ad* 2. Cum habilitas ſit media inter bonum ſubiecti & bonum gratuitum, non habet malum contrarium ex parte ſubiecti, ſed ex parte obiecti, ſeu boni, maximè gratuiti. Malum ergo eſt etiam in ipſis habilitatibus: ſed non quatenus eis contrariatur.

Mem. 4. Quòd ſit impoſſibile omnem habitudinem ſeu capacitatem naturalem boni, etiam gratuiti, corrumpi in aliquo ſubiecto exiſtẽte, per quantumuis malum damnationis æternæ. *Ad* 1. Malum nec eſt infinitum multitudine, nec magnitudine, nec virtute: ſed ſolum defectu ordinationis ad finem. *Ad* 2. Nil eſt tam malum quin poſſit eſſe peius: ſed quin ſit etiam tantum, & non plus &c. Nec malum poſſet agere niſi ſuſtentaretur à bono. *Ad* 3. Habilitas ad bonum non corrumpitur per partes ſui aliquotas: quia non corrumpitur quatenus eſt in ſe finita, & ſubiecti finiti; ſed quatenus eſt ad plura in infinitum bona poſſibilia.

Mem. 5. Quòd malum nec ſit corruptiuum eſſentiæ, nec potentiæ, nec virtutum naturalium: ſed quarumdam habitudinum inſeparabilium, diſponentium ad habitus gratuitos, quæ ſunt modus, ſpecies, & ordo. Non tamen corrumpuntur vt ſunt virtutum naturalium: ſed vt in infinitum diſponunt ad bonum gratuitum.

Mem. 6. Quòd non ſolùm ſic corrumpatur ordo, ſed etiam modus & ſpecies: quia gratia ad quam diſponunt non ſolum eſt finis, ſed etiam efficiens, & informans.

Mem. 7. Quòd vnico malo culpæ corrumpatur ſeu minuatur modus, ſpecies & ordo: quia culpa quatenus eſt auerſio à Deo, deformat totam imaginem Dei, quæ in illis tribus conſiſtit; quatenus autem eſt conuerſio ad bonum creatum, non deformat per ſeipſam imaginem, ſed eſt concupiſcentia inordinata.

Mem. 8. Quòd peccatum mortale vulneret in naturalibus, ſpoliet gratuitis, & magis magiſque elonget à gratia: veniale autem nullatenus ſpoliet,

Digitized by Google

nec mortaliter vulneret, nec fieri poſſit mortale; ſed tantùm ad illud diſponat, & vim adhærendi gratiæ vel Deo per gratiã minuat. Quodq́; mortale appetat inordinatè ſupra Deum: veniale ſub Deo.

QVÆSTIO XIX. *De potentia Dei.*

Memb. 1. De intentione ſeu notione potentiæ. Quòd vt potentia ſiue paſſiua ſiue actiua includit imperfectionem, ſeu defectum perfectionis ſupplẽdæ aut complendæ per actum vel actionem aut effectum aliquem, non cõueniat Deo: ſed ſecundùm plenitudinem perfectionis. *Ad* 1. Vt ſol lucet in ſe, & illuminat extrà ſe: ſic Deus intelligit, amat in ſe, creat & format extra ſe. Niſi quòd in ſole potentia lucendi depẽdeat ab actu quo perficitur, nec ſit idem potentia & actus: in Deo autem potentia æterna non dependeat à ſuo actu coæterno, nec ſit aliud ab illo. *Ad* 2. Potentia dependet ab actu in cognoſci, non in eſſe.

Memb. 2. Quòd potentia generandi, intelligendi, creandi, &c. in Deo non dicatur æquiuocè, ſed analogicè .i. per prius & poſterius, ſecundùm rationem intelligentiæ. Quia potentia Dei eſt, cuius eſt per ſe actus .i. independenter ab alio: ergo eſt vna potentia; ſed aliter & aliter determinata per actus.

Mem. 3. Quòd potentia Dei determinata ad aliquid æternum, nihil connotet temporale, vt potentia intelligendi: determinata verò ad aliquid temporale, connotet ens poſſibile, vt potentia creãdi, &c. Hinc *ad* 1. *Ad* 2. Potentia creandi non connotat poſſibilitatem rei in ſe, ſed in ſua causâ. *Ad* 3. vt ſupra. *Ad* 4. Prima poſſibilitas omnium, eſt in ſola prima cauſa independente, ſeu per ſe ſufficiente ad omnia, etiam ad infinitos mundos.

Memb. 4. Quòd ſi potentia determinetur ad actus æternos, prior ſit notio potentiæ quàm ſcientiæ: ſi autem ad actus temporales, prior eſt notio ſcientiæ quàm potentiæ. *Ad arg.* Potentia communiſſimè prout determinatur etiam ad poſſe eſſe, æquè ſe extendit ac ſcientia: Communiter, pro poſſe agere; & propriè, pro poſſe actum ipſum elicere, minùs ſe extendit quàm ſcientia.

Memb. 5. Quòd potentia potens ſeu in habitu, ſit notione prior voluntate: ſed potentia exequens ſeu in effectu, ſit poſterior; quia voluntas eſt ratio executionis, quæ immediate elicitur à potentiâ. *Ad* 1. Velle eſt ex poſſe, ſecundùm rationem intelligentiæ: in Deo tamen ſunt idem; ſed executio potentiæ in actu eſt à voluntate. *Ad* 2. Extenſiuè, potentia & voluntas poſſunt coæquari: abſolutè tamen potentia eſt in plus quàm voluntas, &c. Potentia abſoluta eſt etiam eorum quæ non ſunt à Deo præordinata: potentia verò ordinata, eſt eorum quæ ſunt à Deo præordinata, & hæc coæquatur voluntati. *Ad* 3. Ratio prohibet .i. voluntas Dei, connotans ordinem in creaturâ, &c. Non dicitur voluntas prohibere potentiam, ſed executionem eius: Nec prohibitio refertur ad voluntatem Dei, ſed ad connotatum.

QVÆSTIO XX. *De conditionibus Potentiæ Dei.*

Memb. 1. De eius Vniuerſalitate ſeu Omnipotentiâ. *Art.* 1. Quòd quædam tribuantur per ſe potentiæ Dei: quædam ei non tribuantur ſed ſubijciantur, vt paſſiua, priuatiua, inordinata. Hinc ad 1. *Ad* 2. Actio eſt à potentiâ Dei: defectus eius à libero arbitrio. Quædam autem nomina imponuntur à defectu, non ab ipſo actu,: & hæc non tribuuntur potentiæ Dei, ſed ei ſubſunt ad ordinationem. *Ad* 3. Poteſt dici Chriſtum potuiſſe mentiri, ſi vellet: ſed cùm non potuerit velle mẽtiri, poteſt dici nequiuiſſe mentiri. *Ad* 4. Deus poteſt proferre omnes voces: ſed non mentiri; quia hoc dicit proferre cum inordinatione, ad ſignificandum id quod non eſt. *Ad* 5. Melior eſt natura quæ non poteſt peccare, ex B. Aug. .i. Domina ſui actus. *Ad* 6. Mors vt deſtructiua, non eſt à Deo, ſed à peccato: vt punitiua, eſt à Deo, quia iuſta.

Art. 2. Quòd Deus Omnipotẽs dicatur & ſit: quia poteſt omninò .i. indepẽdenter, omnia poſſibilia, quæ poſſe eſt potentiæ ſeu perfectionis. Ex *B. Aug.* dicitur Omnipotens, quia quicquid vult poteſt: voluntas autem eius cogi non poteſt, nec impediri. *Ad* 1. vt ſuprà. *Ad* 2. Non eſt tota ratio Omnipotentiæ, quòd Deus poſſit quicquid vult. *Ad* 3. Non negat Aug. quin Deus poſſit quæ non vult. *Ad* 4. Solus Deus poteſt quicquid vult à ſe vel ab alio fieri. *Ad* 5. vt ſuprà. *Ad* 6. Non dicitur Omniuolens vt Omnipotens: quia non vult omne volibile, nec vult omninò .i. cum effectu. *Art.* 3. Quòd Omnipotentia conueniat omnibus & ſingulis Perſonis diuinis: quià determinatur ad omnia poſſibilia ex nihilo. Sed prius eſt generare Filium, & ſpirare Spiritum S. eiuſdem ſubſtantiæ: ergo generare & ſpirare non pertinent ad omnipotentiam ſimpliciter, niſi in Patre, cui etiàm appropriatur. Pater habet potentiã generandi, non Filius: non quòd non habeant eandem; ſed quâ ille generat, hic generatur. *Infra.* Poſſe generare in diuinis, non eſt poſſe quid, ſed ad aliquid: ideoque non poſſe generare non eſt non poſſe.

Art. 4. Quod omnipotentia propriè ſit ſolius Dei, & incommunicabilis creaturæ. *Ad* 5. Omnis creatura agit ex ſuppoſitione materiæ: nec poteſt eſſe tota cauſa ſui operis. *Ad* 6. & 7. Chriſtus quà homo omnia poteſt pertinentia ad noſtram redemptionem: vel quà Deus omnia ſimpliciter. *Ad* 8. *Data eſt illi omnis poteſtas*, &c. ad manifeſtationem. *Ad* 9. *Omnia poßibilia ſunt credenti* .i. etiam miracula, per omnipotentiam ſolius Dei.

Mem. 2. De immenſitate ſeu infinitate Potentiæ Dei. *Ad* 1. 2. & 3. Omne creabile quod eſt in præordinatione Creatoris, poteſt ſimul creari: ſed non omne creabile quod eſt in ſolâ potentiâ Creatoris. Nec hinc potentia Dei eſt finita, ſed infinita: quia non poteſt exhauriri. *Ad* 4. & 5. Deus non poteſt quod non vult ſe poſſe: ſed poteſt, quod non vult facere. Vult ſe poſſe quicquid poteſt: ſicque eius velle & poſſe adæquantur.

§. 1. Quòd vt nullum tempus adæquat æternitatem, nec ſenſus ſapientiã, nec virtus noſtra Bonitatem Dei: ſic nec vllum opus eius Omnipotentiam infinitam. *Ad* 1. Deus non poteſt facere niſi quod bonum & iuſtum eſt .i. quod eſſet tale ſi faceret: non autem quod nunc tale ſit. *Ad* 2. & 3. Non poteſt facere niſi quod ſua iuſtitia exigit aut debet .i. quod congrueret ſi faceret: nõ autẽ quod debeat facere, vel etiam actu congruat.

Ad 4.

Digitized by Google

Ad 4. Vt iuſtitia Dei connotat decentiam Bonitatis eius, ſic quicquid Deus poteſt eſt iuſtitiæ, ſeu docet Bonitatem eius poſſe: vt connotat merita noſtra, ſic quicquid poteſt non eſt Iuſtitiæ, ſeu non congruit noſtris meritis. *Ad* 5. Homo poteſt de iure vel de facto: ſed Deus omnia iure & facto; quia homo iuſtificatur opere iuſto, opus autem Dei à Deo iuſto. *Ad* 6. Deus de potentiâ abſolutâ poſſet damnare Petrum, & ſaluare Iudam: non de potentiâ ordinatâ immutabiliter. *Infra*. Damnatus ad pœnæ æternitatem non poteſt inde liberari: ſed bene damnati ad eiuſdem acerbitatem, vt quidam ſuſcitati ad preces Sanctorum.

§. 2. Quòd omnipotentia Dei nec limitetur actu, nec voluntate, nec iuſtitia, nec bonitate, nec præſcientiâ, aut ratione. *Ad* 1. Deus poteſt operari quod non præſciuit, ergo poteſt operari ſine præſcientia: eſt fallacia à diuiſione ad compoſitionem. *Ad* 2. Deus nil poteſt facere aut omittere niſi optimâ ratione faciendi & dimittẽdi .i. quin hoc ipſum ſit optima ratio faciendi aut omittendi, velle facere aut omittere; quia ſic decet eius bonitatem. Vel optima ratio faciendi quidlibet, eſt eius idæa. *Ad* 3. Non eſt alia ratio miſericordiæ & iuſtitiæ quoad bonitatem diuinam: ſed tantùm quoad reſpectus ad creaturas.

Memb. 3. De perfectione Omnipotentiæ Dei, faciendi optimè quicquid facit.

Art. 1. Quòd Deus poſſit facere res meliores quàm fecerit: & quælibet res facta potuerit à Deo fieri melior; ſed non tota rerum vniuerſitas. *Ad* 1. Non eſt inuidia in Deo facere minùs bona quàm poſſet: quia nec Deus debet, nec quid poteſt eſſe tàm bonum, quin Deus poſſit melius; ſed eſſet inuidiæ generare ab æterno Filium inæqualem. Vel poteſt illud *B. Aug.* intelligi ex opinione Platonis, de Optimo abſque inuidiâ, quod det vnicuique tantum boni quantum capere poteſt: vel denominatiuè à ſummo bono & ad ſummum bonum. Sic Deus non poteſt facere res meliores .i. à meliori, vel ad melius ſe: ſed poteſt facere meliores bonitate eis inhærente .i. meliori modo, ſpecie, & ordine. *Ad* 2. Deus Optimus ſimpliciter, eſt principium optimi ſimpliciter ad intrà: fecit optimum Chriſtum in ſuo genere & ſtatu; & optimum vniuerſum, in ſuo ordine. *Ad vlt.* In creaturis relucet ſumma bonitas Dei, non ipſarum.

Art. 2. Res non potuiſſe fieri meliori modo ex parte faciẽtis .i. maiori ſapientiâ, bonitate, & potẽtiâ: ſed meliori modo in ſeipſis. *Ad* 1. Deus nil debet operis nec operi: ideòque nec vllũ melius opus.

Art. 3. Si Deus alio modo nos liberaſſet: non ideò meliori ad redemptionem, nec conuenientiori noſtræ miſeriæ.

Art. 4. Quòd Deus fecerit hominem in meliori ſtatu quoad conditionem vniuerſi: non quoad cõditionẽ hominis in ſe. Item melius fuiſſet homini in præſenti non poſſe peccare: non tamen melius ad ſtatum futurũ gloriæ. *Ad arg.* Melior eſt natura quæ non poteſt peccare .i. Rationalis, non quęlibet.

Art. 5. Quòd Chriſtus quoad naturam humanam potuerit fieri melior in ſe, ſed non ad noſtram redemptionem: quoad gratiam, fuerit omnium optimus, & quo nullus ex ſe poſſit eſſe melior, niſi de potentiâ Dei abſolutâ & infinita.

Art. 6. Quòd B. Virgo non potuerit fieri melior quoad gratiam, in ordine ad conceptionem & maternitatẽ Chriſti. Ex *S. Anſel. De conceptu virginali.*

Art. 7. Quòd nil poſſit eſſe melius, nec extra vniuerſitatem ſimpliciter: ſed melius & extra hanc vniuerſitatem; & hæc ipſa fieri melior in ſuo toto vel ſuis partibus.

Mem. 4. De inuariabilitate potentiæ diuinæ in ſe, quantumuis varientur eius effectus, & modi loquendi. Nam Deus poteſt ſemper in ſe, quicquid potuit: abſtrahendo à tempore, & referendo ad poſſibilia. *Ad* 1. Poteſt quicquid potuit ſub ratione faciendi, non facti. *Ad* 2. Poteſt conſeruare mundum factum, &c. *Ad* 3. Ante mundum factum poterat non fieri: vt de actu liberi Arb. ſed poſt factum, non eſt potentię vt non ſit factus. Ex *B. Aug. lib. 2. contra Fauſtũ.* *Ad* 4. Videtur ſupponere quod de truſco poſſit fieri intellectus. *Ad* 5. Repugnat implicitè, ab æterno creari, ſeu habere eſſe poſt non eſſe.

Mem. 5. De poſſibili & impoſſibili. *Art.* 1. Quid ſit poſſibile? 1. *Opinio*: Quòd poſſibile ſimpliciter, ſit ſecundùm cauſas interiores. 2. Quòd ſit ſecundùm cauſam ſuperiorem. 3. Quòd aliquando ſecundùm hanc, aliquando ſecundùm illas. *Reſp.* Poſſibile, vel eſt de dicto vero aut falſo, neceſſario aut contingenti, de quo prima opinio: vel eſt de re ipſa, appropriatè & Theologicè ad ſolam cauſam ſuperiorem, vt 2. *Opin.* vel propriè, ad cauſam etiam inferiorem, vt 3. *Opin.* *Ad* 3. *contra* 1. *Opin.* Virginem parere eſt poſſibile de dicto, non de re: quia ſignificat poſſibile ſimpliciter ſecundùm ſe & cauſam propriam, niſi determinetur ad primam. *Ad* 4. Simpliciter poſſibile dicitur ſecundùm naturam, aut potentiam Dei ordinariam, creandi, iuſtificãdi, &c. *Ad* 5. Deum eſſe vnum & Trinum eſt poſſibile: non factu, ſed dictu & veritate. *Ad* 1. Contra 2. Omnia poſſibilia ſunt credenti .i. etiam impoſſibilia ſimpliciter, ſed poſſibilia Deo. *Ad* 1. Contra 3. Vt eſſe in ſola cauſa, non eſt eſſe ſimpliciter: ſic nec poſſibile à ſola cauſa prima, non autem ex propria natura. *Ad* 2. In coſta Adæ erat potentia paſſiua ad fieri mulierem: ſed à ſola potentia Dei abſoluta. *Ad vlt.* Aſina non poteſt loqui, licet loquatur: ſed cæcus quamuis illuminatus, poteſt videre.

Art. 2. An quod eſt contrà naturam ſit Deo poſſibile? §. 1. *Reſp.* Natura dicitur. 1. Solitus curſus naturæ. 2. Poteſtas naturalis. 3. Lex ſumma naturæ, ſeu Deus ipſe. Quædam actiones ſunt in potentia actiuâ & paſſiuâ naturæ: quædam in ſola potentia paſſiua, quædam nec in actiua nec in Paſſiua. 1. modo, Deus operatur contra naturam .i. contra ſolitum curſum naturæ: non 2. modo, quia ſic naturalis obediẽtia creaturæ eſt natura; nec 3. modo, quia non poteſt facere contra ſeipſum. Ex B. Aug. ſæpè. §. 2. An in creaturis ſit aliqua ratio ad miracula? *Reſp.* Sunt rationes naturales, ſeminales, & cauſales: Cauſalis, eſt actiua Dei, & paſſiua ſimplex creaturæ ad quicquid vult Deus abſque vllâ diſpoſitione: Seminalis, eſt potentia paſſiua creaturæ cum aliqua diſpoſitione remota: naturalis, cum diſpoſitione propinqua. Nullum eſt opus miraculoſum ſecun-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

dùm rationem ſeu potentiam naturalem: ſed ſecundùm ſeminalē, & maximè cauſalem. §. 3. De differentia inter ſuprà, præter, & contra naturam: quòd ſuprà ſint, quorum nil ſimile in potentiâ naturæ: contra, quæ fiunt eiuſdem naturæ, ſed contrario curſu, vt cæcum videre: præter naturam, quæ fiunt quaſi ordine naturæ ex ratione ſeminali, ſed ſubitò, non modo communi naturæ.

Art. 3. An ſit Deo poſſibile vt oppoſita ſint idem. *Reſp.* Nil temerè aſſerendo, cum omni modeſtiâ reſpondemus: quòd anima non poſſit capere infinitum pelagus potentiæ Dei abſolutè; ſed quòd vt eſt ordinata poſſit quicquid Deo eſt poſſibile, ſeu quicquid non deroget eius veritati, bonitati, & potentiæ. *Ad* 1. Deus poteſt facere quòd album ſit nigrum, per vnionem, non per naturæ contractionem: quià hoc eſſet facere album non album, quod non eſt potentiæ. *Ad* 2. Deus poteſt facere vt idem ſit homo & Deus, non quòd hæc natura ſit illa: ſic quòd idem ſit album & nigrum, non quòd natura albi ſit natura nigri. *Ad* 3. ex *S. Hyl.* 5. *de Trin.* Deus poteſt facere quicquid vere dici poteſt: Vel de Deo & Verbo eius æterno.

Art. 4. An impoſſibile per accidens, ſit Deo poſſibile: vt de corruptâ facere incorruptam. *Reſp.* Quidam piè dixerūt, vt Gilbertus, quòd Deus poſſet abſolutè facere de corruptâ incorruptam, & de præterito non præteritum. *Ad S. Hyer.* reſponderunt loqui more Script. de poſſibili ab aliquo exemplo. *Ad S. Aug.* Non negare ex præterito fieri poſſe non præteritum, ſed idem ſimul præteritum & non præteritum. *Ad* 1. *Reſp. ipſe Aug. contra Fauſt.* Deum poſſe facere vt id quod eſt non ſit: non vt id quod fuit, non fuerit; nec quod futurum eſt, non ſit futurum. *Ad* 2. *Reſp. ibidem.* Semper eſſe verum in animo noſtro, vel in ipsâ veritate, id fuiſſe quod fuit, & futurum eſſe quod erit. *Ad* 3. In eſſe, impoſſibilius eſt quod eſt impoſſibile per ſe: ſed in fieri, impoſſibilius eſt quod eſt impoſſibile per accidens. Quià impoſſibile per ſe eſt ex ordine naturæ à Deo reuocabili: impoſſibile per accidens, eſt ex ordine irreuocabili primæ Veritatis.

QVAESTIO XXI. *De fluxu potentiarum creatarum à diuinâ.*

Mem. 1. De potentia paſſiua à Deo .i. ab eius exemplari: ſed quoad ſuam capacitatē, non quoad indigentiam.

Mem. 2. Quòd omnis potentia agendi ſit à Deo. Ex Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, &c. *Ad* 1. Potentia peccandi quoad actum ipſum eſt à Deo: quoad effectum, à voluntate noſtra vt defectibili, ſeu ex nihilo. *Ad* 2. Libertas eſt poteſtas faciendi: poteſtas autem peccādi vt ſic, non eſt poteſtas faciendi, ſed deficiendi. *Ad Rom.* 13. Poteſtas eſt à Deo, ſed non eius abuſus: nec reſiſtere eius abuſui, eſt reſiſtere poteſtati, aut Dei ordinationi. *Ad Reliqua.* Eadem eſt poteſtas benè & malè faciendi: ſic diſtincta, ab actu & defectu; nec motus oppoſiti diſtinguunt in ſe potentiam liberam.

Mem. 3. De poteſtate dominij, à Deo: quamuis dominium & ſeruitus inter homines, ſint ex demerito peccati.

Mem. 4. De Dominio ſolius eminentiæ ex naturâ rei inter perfectiora & imperfectiora: ſed dominium ſeu poteſtas coercendi, eſt ex peccato.

Mem. 5. De dominio ſeu poteſtate hominis ſuper reliqua animalia: terrore quodam naturali, & regimine rationali *Gen.* 1. 9. &c.

Mem. 6. De impotētiâ corporum in Spiritus vel vllas animas: ſed ſolâ diſpoſitione ad animationem à Deo. Ex *B. Aug.* 8. *de gen. ad lit.* §. 1. De potentiâ bonorum Angelorum in omnia corporalia: impotentiâ autem malorum, niſi à Deo relaxetur. Ex *Matt.* 8. *& B. Aug. ſæpè.*

QVAESTIO XXII. *De Scientia Dei.*

Mem. 1. Quid ſit. *Reſp.* Significat diuinam eſſentiam principaliter: non vt eſſentiam, ſed vt habitū. Eſt autem aſſimilatio intellectus ad rem, &c. Sed eſt ſimilitudo in actu, & in habitu: ad res, & à rebus, penes intellectum ſpeculatiuum, & practicū. Sciētia ergò Dei ſecūdùm nos, dicit ſimilitudinē ſpeculatiuam: non à rebus, ſed ad res in habitu, non in actu, ad ſe autem in actu. Dico autem *ſcire in actu*, res exiſtentes in naturâ propriâ, non ſolùm in causâ: *in habitu* autem .i. in ſuo exemplari vel arte. Dicitur *ſpeculatiua*: quia eſt bonorum & malorum, non vt ars vel exemplar. Dicitur *ad res* .i. independens à rebus. *Ad res in habitu:* quia illic ab æterno ſciebantur, vbi habebantur. *Ad ſe in actu:* quia Deus eſt ſibi ſemper actû præſens. *Ad* 1. Nomen ſcientiæ non dicit reſpectum ad creaturas in actu, ſed in habitu: niſi per aliquid reducatur ab habitu ad actum. *Ad* 2. Scientia eſt exiſtentium in ſe, vel in ſuâ cauſâ. *Ad* 3. Eâdem ratione Deus ſcit ſe & creaturam: ſed ſcit ſe, connotando reſpectum in actu; ſcit creaturam, connotando reſpectum in habitu.] Textus vitiatus habet oppoſitum. *Ad* 4. Quidam dixerunt, quòd *Deus ſcit ſe*, abſtrahat à Perſonis, ſed ſignificet eſſentiam diuinam vt ſimilitudinem: vel quod ipſa ſcientia ſit ſimilitudo ſignificans eſſentiam, & connotans Perſonas; quia ſimilitudo plurium eſt. *Ad* 5. Scientia ſimplicis notitiæ ſeu ſpeculatiua, non dicit rationem exemplaris: ſed ſcientia practica, ſeu cum approbatione. *Ad* 6. Quidam dixerunt, quòd intelligentia Dei prout abſtrahit à tēpore, dicatur ſapientia & ſcientia: ſub reſpectu ad tempus, præſcientia, diſpoſitio, prædeſtinatio, &c. Sapientia, eſt ipſius primæ cauſæ: Scientia, eſt effectuum in causâ: Præſcientia eſt bonorum & malorum communiter: Diſpoſitio eſt bonorum nauræ in fieri: Prouidentia, in eſſe: Prædeſtinatio verò, eſt bonorum gratiæ. Vel *ex Hug.* ſcientia eſt exiſtentium, præſcientia futurorum, diſpoſitio faciendorum, prædeſtinatio ſaluandorum. *Ad* 7. Reprobatio nil addit ſuprà hæc. *Ad* 8. Non dicitur in Deo memoria præteritorum, ne quid videatur præceſſiſſe ſcientiam Dei.

Memb. 2. Per quid ſciat Deus. *Art.* 1. Quòd Deus ſciat omnia in ſe & ex ſe: non in, vel ex, aut per res ipſas. Ex *S. Dyon. de Diu. Nom. Ad* 1. Operari eſt motus ab Agente, ſcire eſt quaſi motus intellectus, vel in illum: Hinc actio Dei poteſt eſſe & dici à Deo, & per creaturam; ſed non ſcientia Dei ab, ex, vel per creaturam. Vel Deus operatur per creaturam: non quâ ipſe Deus ſit operans, ſed quâ mediante operetur.

Art. 2.

Digitized by Google

Art. 2. Quòd Deus omnia ſciat ex ſe, qui eſt cauſa omnium: non tamen vt ex cauſà ſciendi omnia; quià ſcit ſeipſum immediatè. *Ad* 1. & 2. Scire eſt rem per cauſam cognoſcere: vbi eſt diſtinctio & cauſalitas. *Ad* 3. Mala ſciuntur per cauſam bonorum oppoſitorum. *Ad* 4. Quæ non ſunt, poſſunt ſciri ex ſuâ cauſâ in potentiâ, non actu.

Art. 3. Quòd Deus cognoſcat omnia ex ſeipſo ſolo: quià hoc eſt perfectius quàm per plura. *Ad* 1. Vnica eſt ex parte Dei ratio cognoſcendi omnia: ſed plures comparatiuè ad illa. *Ad* 2. Vnum actu eſt exemplar vnitatis: vnum potentiâ, exemplar multitudinis. *Ad* 3. Cognoſcit omnia in ſe vno: ſed non omnia eſſe vnum.

Art. 4. Quòd ſi Idæa ſeu exemplar differret ab eſſentiâ diuina, Deus nullatenus ſciret per idæam vel exemplar: ſi verò idæa ſit ipſa eſſentia, vt eſt ars vel ſpecies ſecundùm quam res ſint, Deus ſcit per idæam; quia per ſuam eſſentiam.

Ad Arg. Scit malũ per idæã boni, à quo deficit.

Mem. 3. Quorũ ſit Dei ſcientia. *Art.* 1. Quòd ſcientia Dei ſit omnium: non vt exiſtentium in ſuâ naturâ; ſed in ſua cauſa, ſeu in ſeipſo & ſuâ diſpoſitione.

Ad 1. Scientia Dei eſt entium, & non entium, ſeu exiſtentium in ſuâ naturâ: vt patet in ſcientiâ Artificis de domo facta & faciendâ. *Ad* 2. Eſt veritas rei in ſeipſâ, & in ſuâ cauſâ. *Ad* 3. Idem eſt exemplar eiuſdẽ rei, ſiue præſentis, ſiue præteritæ, aut futuræ. *Ad* 4. Deus vt cauſa potens, ſcit quæ nec ſunt, nec fuerunt: vt diſponẽs, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt: vt operans, quæ ſunt.

Art. 2. Quòd ſcientia Dei ſit infinitorum in potentia cauſæ: ſed finitorum in diſpoſitione cauſæ. Hinc *ad* 1. *Ad* 2. Omnia ſunt finita in comprehenſione Dei: ſed non finita ſimpliciter. *Ad* 3. Scientia ſimplicis notitiæ non eſt per idæam: quia eſt etiam malorum, quæ non habent idæam; ſed ſcientia approbationis habet idæam, eſtque finitorum. *Ad* 4. Nomen *infiniti* ſignificat potiùs quid non ſit, quàm quid ſit.

Art. 3. Quòd ſcientia Dei ſit bonorum & malorum: ſed bonorum per approbationem, non malorum. *Ad* 1. Bonum ſimile ſcitur à Deo per ſimilitudinem: malum quamuis diſſimile, ſcitur per eandem ſimilitudinem oppoſitam. *Ad* 2. Mala ſciuntur per defectum à cauſâ. *Ad* 3. Deus ſcit mala ex idæa boni oppoſiti.

Art. 4. Quòd ſcientia Dei ſit neceſſariorum & contingentium, per eandem cauſam neceſſariam: quià hoc eſt perfectius. *Ad Arg.* Scientia noſtra non poteſt eſſe neceſſaria niſi de rebus neceſſarijs: quia eſt à rebus ipſis; ſed diuina ex ſeipſo, eſt neceſſaria de omnibus.

Art. 5. Quòd ſcientia Dei ſit rerum enuntiabilium prout ſunt in ſuâ cauſâ. *Ad* 1. Simplicitas eſt capax intelligendi plura ſimul. *Ad* 2. Intellectus principiorum eſt vnius ſolius: ſed ſcientia pluriũ.

Art. 6. Quòd ſcientia Dei ſit omnium ſingularium. *Ad* 1. Quidam dicunt quòd noſter intellectus ex imperfectione ſua non poſſit intelligere ſingulare: ſed verius eſt quòd intelligat ſingularia per eorum ſpecies. *Ad* 2. Deus non vileſcit cognoſcendo alia à ſe: quia independenter ab illis. *Ad* 3. Ignorare Dei, eſt non approbare.

Art. 7. Quòd ſcientia Dei ſit oppoſitorum, abſque vlla in ſe oppoſitione aut falſitate. *Ad* 1. Deus ſimul videt oppoſita: ſed non videt ea eſſe ſimul. *Ad* 2. Aliud eſt eſſe ſimul, aliud in ſcientia Dei.

Mem. 4. De modo ſcientiæ Dei. *Art.* 1. Quòd licet idæa, ratio, & ſapientia, ſint idem quoad rem: differant tamen, quòd ratio reſpiciat finem, Idæa formam, Exemplar efficientem, Sapientia cognitionem, Ars operationem. Vndè quatenus cauſa ſcit modum operandi, dicitur ſapiens, quatenus poteſt, dicitur Artifex, &c. §. 1. Differunt etiã, quòd ſapiẽtia, exemplar & ars, magis ſe habeant ex parte Dei cognoſcẽtis, &c. §. 2. Quòd idææ aut rationes dicantur plures ex reſpectu creaturarum ad ipſas. §. 3. Quòd eadem ſit ratio æterna quoad rem quâ homo & equus eſt conditus: ſed non eadem vt ratio ſeu principium. §. 4. Quòd omnia dicantur in Deo eſſe vita aut lux: quia vita & lux eſt communis ſpiritualium, & corporalium à ſpiritualibus: nec hæc illis à Deo deficiant, nec in cognitione Dei deficiant; ſed in eâ reluceant. Non dicũtur tamen omnia in Deo eſſe ſapiẽtia aut potẽtia: quia hęc ſunt propria Dei. *Ad* 1. Ne incidamus in illam hæreſim quæ dixit Deum eſſe naturã omniũ: aliud eſt omnia eſſe diuinam Eſſentiã, aliud omnia in Deo eſſe diuinam Eſſentiã; quia illud ſupponit omnia in ſuo proprio eſſe, hoc in ſapientiâ Dei objectiuè. *Ad* 2. *In ipſo viuimus, &c. Act.* 17. Æquiuocè ſumitur: nam viuere in ipſo .i. ab ipſo: Vita in ipſo *Ioan.* 1. vt in exemplari. *Ad* 3. Non ſequitur, Sunt in Deo: ergò vnum vel multa; quià hæc diuiſio eſt entis ſimpliciter in ſeipſo, non ſecũdùm quid, vt in Deo. Nec ſequitur omnia ſunt in Deo: ergo & homo; quià hoc eſt eſſe determinatum, non ſic in Deo. *Ad* 4. Eſſe in Deo .i. vt in motiuo effectiuo, vel cognitiuo. §. 5. Quòd omnia ſint in Deo: ſed non in Eſſentia diuina vt eſſentia; quia hæc non eſt eſſentia creaturæ, nec econtra. §. 6. Quòd non propriè dicantur omnia eſſe cum Deo ab æterno: quià hoc ſonat diſtinctionem ac multitudinem.

Art. 2. Quòd Deus nec ſciat nec præſciat mala ex aliquâ eorum ſimilitudine in ſe: ſed ex eorum diſſimilitudine. *Ad* 2. Mala ſunt in Dei cognitione: ſed non in Deo cognoſcente; quia non ſunt in eo per cauſalitatem, nec per exemplaritatem.

Art. 3. Quòd Deus ſciat omnia præſentialiter: non ſolùm æquè ac ſi eſſent præſentia; ſed quia habet omnium rationes præſentiſſimas. *Ad Arg.* Præteritũ & futurũ non ſunt æterna in ſe: ſed in ſuâ cauſâ æternâ. *Ad vlt.* Tẽpus claudi æternitate, eſt hanc eſſe ante & poſt: non autem illud eſſe in hac.

Art. 4. Quòd Deus videndo ſe, ſimul in ſe videat omnia. *Ex B. Aug.* 15. *de Trin.*

Art. 5. Quòd ſcientia Dei ſit infinita & immutabilis, nec poſſit augeri, vel minui. *Ex B. Aug. de Trin. Ad Arg.* Scientia Dei non poteſt augeri aut minui, ſed eius ſcita. Poteſt ſcire quæ non ſciuit, ſciẽtiâ approbationis & viſionis.

Art. 6. Quòd Deus ſciat omnia immutabiliter: quià ſcit ea ex ſeipſo & ſecundùm ſe, non ex illis & ſecundùm illa. *Ad* 1. Deus ſcit eſſe mutabilia: ſed non ſcit ea mutabiliter. *Ad* 2. Vt ſcientia Artificis

Digitized by Google

non mutatur mutatione ſui artefacti: ſic nec ſcientia Dei. *Ad* 3. Deus ſcit temporalia ſecundùm ſuam æternitatem. *Ad* 4. Scientia paſſiuè, ſeu ſcibilitas mutatur: ſed non ſcientia actiuè. *Ad* 5. & 6. Deus ſcit quicquid ſciuit: pro rebus vt ſunt in ſcientiâ Dei, non in ſeipſis nec in varijs enuntiationibus.

QVÆSTIO XXIII. *De Præſcientia.*

Mem. 1. An ſit æterna vel temporalis. *Reſp.* Quædam dicantur de Deo ſine principio & fine, quædam cum principio & fine, quædam ſine principio cum fine: vt Præſcientia, quæ eſt abſolutè æterna, ſed cum reſpectu ad temporalia futura in ſcientia Dei. *Ad* 1. Præſcientia non mutatur in ſe, ſed præſcita quæ fiunt ſcita. *Ad* 2. Creator dicitur relatiuè ex tempore, ſed præſcientia ab æterno. *Ad* 3. Vt cum res fit, eius idæa non deſinit in ſe ſed deſinit eſſe rei futuræ: ſic præſcientia non deſinit niſi ſub ratione præſcientiæ. *Ad* 4. Quod eſt increatum non poteſt deſinere.

Mem. 2. An ſit cauſa rerum. *Reſp.* Præſcientia approbationis poteſt dici cauſa: non ſimplicis notitiæ. *Ad* 1. Res fit vt præſcitur: ordine conſequentiæ, non cauſæ. *Ad* 2. B. *Aug.* ſumit præſcientiam non ſpeculatiuè, pro ſimplici notitiâ: ſed practicè, pro approbatione.

Mem. 3. Quòd res futuræ nullatenus ſint cauſa præſcientiæ. *Ad* 1. Cauſa ſine quâ non, dicit tantùm concomitantiam. *Ad* 2. Quia futurũ eſt, præſcitur à Deo: non dicit cauſalitatem, ſed relationem, vel ſolam ſcibilitatem obiecti. *Ad* 3. Scientia dicitur abſolutè, præſcientia relatiuè ad rem futuram: quæ non poteſt eſſe cauſa præſcientiæ quoad rem, ſed quoad hanc denominationem.

Mem. 4. Quòd ſit infallibilis ex ſe: ſed non imponat rebus præſcitis neceſſitatem. *Ad* 1. 2. 3. Quod Deus præſciuit, neceſſariò fiet: non neceſſitate abſolutâ, ſimpliciter, conſequentis, ex determinatione cauſæ immutabilis; ſed ſola neceſſitate conditionali, ſecundùm quid, & conſequentiæ; vel non neceſſitate antecedente, ſed conſequente. *Ad* 4. Futura, neceſſariò præſciuntur à Deo, ſed non ſunt neceſſariò futura. *Ad* 5. Præſcitum non fieri, eſt impoſſibile: verum eſt de dicto, & de incompoſſibilibus actu; ſed non de re, ſeu de incompoſſibilitate vnius actu, cum altero in potentiâ. Quia præſcitum poteſt non euenire: vt qui ſedet, poteſt ambulare.

Memb. 5. Quòd præſcientia & neceſſitas inde conſequens, non antecedens, ſtet cum libertate arbitrij & contingentia futurorum. *Ad* 1. Deus ſcit contingentia: ſed non contingenter. *Ad* 2. Ex maiori de neceſſario, & minori de ineſſe: non ſequitur concluſio de neceſſario, ſed de ineſſe.

Memb. 6. Quòd præſcientia Dei non poſſit falli. *Ad* 1. Vt album non poteſt eſſe nigrum, manens album: ſic præſcitum non poteſt non fieri, manens præſcitum; ſed poteſt non eſſe præſcitum. *Ad* 2. Deus ſcit præterita in ſeipſis: ſed non vt ſibi ipſi præterita. Scit enim omnia vt ſunt: ſed ſuo proprio modo ſciendi, non illorum eſſendi.

Memb. 7. An Præſcientia Dei ſit mutabilis: ex eo quòd Deus poſſit ſcire quæ non præſciuit, faciendo eſſe futura quæ non erant futura. Ad quod refert duplicem Reſp. 1. Quòd hoc ſit verũ in ſenſu diuiſo, non compoſito. 2. Quòd ſit verum coniungendo actum cum potentiâ ad oppoſitum: non cum ipſo actu oppoſito. In quo ſenſu vero proſequitur quæſtionem. Sed ante *Reſp.* §. 1. ſuſtinet Deum immutabiliter præſcire quoad ſe: ſed non immutabiliter quoad res præſcitas. Contra quorundam, *non ſanam*, inquit, *Fidei doctrinam*, quòd immutabiliter vtrimque: nec tamen neceſſario, ſed contingenter etiam ex parte Dei, quoad quandam indeterminationem & indifferentiam potentiæ præuidendi oppoſita.

Tandem reſpondet *Ad* 1. *quæſt. ex S. Anſ. de concordia præſcientiæ & liberi arb.* Quòd præſcientia Dei ſit infallibilis, & immutabilis, vt ſæpè ſuprà. *Ad* 1. Scire eſt rerum prout ſunt in potentiâ: præſcire, prout ſunt in præordinatione: creare, prout ſunt actu. *Ad* 2. Præſcire hominis, dicit prioritatem temporis: præſcire Dei, prioritatem æternitatis. *Ad* 3. Scientia Dei eſt neceſſaria, ſed non hîc reſpectus eius ad futurum. Deus neceſſariò præſcit futura: ſed non præſcit illa eſſe neceſſariò futura. *Ad* 4. Deus poteſt ſcire quod non ſcit: quia poteſt facere quod non facit; ſed non poteſt habere ſcientiam quam non habet. Negat Magiſter Deum ſcire poſſe aliquid ex tempore. Non poteſt ex tempore: ſed ſcire ſeu comparari ad aliquid exiſtens in tempore.

QVÆSTIO XXIV. *De Diſpoſitione diuinâ.*

Memb. 1. Quòd ſit. *Ad* 1. In Deo non eſt conſilium, ſicut nec deſiderium inquiſitionis: ſed continuationis. Idem ſunt in Deo conſilium & diſpoſitio: ſed differunt intelligentiâ. *Ad* 2. Deus diſponit ſimul in ſeipſo omnia ſucceſſiuè futura: nos ſucceſſiuis etiã noſtris cogitationibus. *Ad* 3. In Deo non eſt vlla rerum poſitio vel ſitus: ſed diſpoſitio, & ratio omnis ordinis ac ſucceſſionis extra ſe.

Memb. 2. Quid ſit. *Reſp.* Diſpoſitio eſt præſcientia fiendorum vt fiant. *Ad* 1. Sapientia eſt ſcientia faciendi .i. quòd bonum ſit vt fiant: Diſpoſitio addit intentionem faciendi. *Ad* 2. Diſpoſitio eſt quoad eſſe rei, vt fiat: prouidentia, eſt quoad eſſe factum, vt perficiatur vel conſeruetur. *Ad* 3. Diſpoſitio reſpicit fieri ad eſſe: ſed Sap. 8. *Diſponit omnia ſuauiter*, in eſſe.

Memb. 3. Cuius ſit, ſeu an ſit etiam malorum. *Reſp.* Deus poteſt dici diſponere ſeu reordinare etiam mala culpæ: ſed non diſponere, ſeu excogitare & facere niſi bona, & mala pœnæ.

Mem. 4. Quando ſit: an temporalis vel æterna. *Reſp.* Diſpoſitio omnium in Deo eſt æterna: diſpoſitio autem omnium in ipſo fieri & eſſe extrà Deum, eſt temporalis.

Memb. 5. Secundùm quid ſit diſpoſitio, an vt *Sap.* 11. Secundùm numerũ, pondus, & menſuram.

Art. 1. Omnia fieri in Menſura, Numero, & Pondere: vel dicit cauſam exemplarem, omnia ab æterno terminantem, formantem, & ordinantem: vel cauſam formalem exemplatã, ſeu ad illud exẽplar creatã, terminatam, formatam, & ordinatam.

Art. 2. Quòd, vt eſt quantitas molis & virtutis: ſic & menſura, numerus ac pondus molis in corporalibus, virtutis autem in ſpiritualibus.

Art. 3.

Digitized by Google

Art. 3. Quòd hæc tria non ſint accidentalia, ſed de ſubſtantia rerum. *Ad Arg.* Aliquibus viſum eſt, quòd forma rei vt limitans rem, ſit menſura eius: vt diſtinguit ab alijs, ſit numerus: vt inclinat ad opus, ſit pondus. Alijs, quòd hæc tria ſint conſequẽtia ſubſtantiæ: vt quantitas, qualitas, & relatio. Sed meliùs: forma vt in eſſe abſoluto, dicitur menſura limitans eſſe rei in ſe: comparatione ad alia vt differentia, numerus diſtinguens: comparatione ad cõuenientia, põdus inclinans, ſeu ordo.

QVAESTIO XXV. *De Prouidentia Dei.*

Mem. 1. Quòd ſit. Ex *Gen.* 22. *Sap.* 14. *Eccli.* 5. *Ioan.* 5. *Ad Arg.* Multa ſunt in ſeipſis inordinata: ſed in Dei prouidentia ordinatiſſima, ad maius bonum commune vel etiam particulare.

Mem. 2. Quid ſit. *Reſp.* Vt ſcientia Beneplaciti in Deo, importat ſcientiam & volũtatem: ſic prouidentia, ſapientiam Dei, & voluntatem, ac bonitatem mouentem. Hinc variè diffinitur, plus minuſúe ex ratione Sapientiæ, Voluntatis, aut Bonitatis Dei. *Ad* 1. Non reducitur ad Potentiam Dei, vt diſtinctam à Sapientia & Voluntate: ſed vt illis cointelligitur, ſub potentia gubernandi. Sic vocatur à *Damaſc.* virtus prouiſiua. *Ad* 2. *&* *vlt.* De differentia à diſpoſitione, vt ſupra.

Mem. 3. Quomodo ſit. 1. An ſit æterna vel temporalis. 2. An ſimplex vel multiplex. 3. An ſit cauſa rerum, & in quo genere.

Art. 1. Quòd prouidentia Dei quoad cognitionem ſit æterna: quoad cauſalitatem quaſi in habitu, ſit etiam æterna; ſed in actu ſit temporalis.

Art. 2. Quòd Prouidentia Dei ſit ſimpliciſſima. *Ad arg.* Non continet omnia, vt vniuerſum inde conſtitutum: ſed vt in ſua cauſa perfectiſſima, ſimpliciſſima, & modo ſimpliciſſimo.

Art. 3. Quòd prouidentia quoad cognitionem, ſit cauſa formalis exemplaris omnium: ſed quoad cauſalitatem, ſit efficiens. Finis terminat res ipſas, ſeu rerum ordines: & mouet efficientem ad operandum. Sic ſummum bonum habet has duas rationes in prouidentiâ. Vel ſummum bonum eſt finis, vt terminat: ſed efficiens, vt ſui communicatiuum. Sub hac, non ſub illá ratione dicitur prouidentia. Ex *B. Aug. lib.* 83. *qq.* Sũmum bonum eſt cuius participatione cætera bona ſunt: quam prouidentiam vocamus.

Mem. 4. Quorum ſit. *Art.* 1. Quòd ſit bonorum faciendorum, & malorum ordinandorum: vt ſupra. *Ad* 1. Bonum eſt, mala ordinari: vt nihil maneat inordinatum. *Ad vlt.* Deus non permitteret mala, niſi ad eliciendum bonum.

Art. 2. Quòd ſit omnium Caſuum, ſeu euentuum inopinatorum: quia tota connexio cauſarum, ſubeſt prouidentiæ Dei.

Art. 3. Quòd ſit etiam omnium voluntariorum ſeu liberorum: ſed aliter quàm naturalium; quia hæc ſubſunt prouidentiæ Dei ſine vllá reſiſtentia, aut poteſtate cõtrariá; illa, non obſtante quâuis libertate ſeu poteſtatē ad oppoſita.

Art 4. Quòd ſit generaliter de omnibus & ſingulis: ſed ſpecialiter de creaturâ rationali, Sap. 6. 12. *Ad* 1. *Cor.* 1. Nunquid de bobus cura eſt Deo? .i. ſpecialis, vt propriâ lege eis prouideat. *Ad S.* *Hier. ſuper Abacuc.* Non ſcit Deus per momenta ſingula quot culices & pulicẽs naſcantur, &c. .i. non ſcit illa ſucceſſiuè, ſed omnia ſimul ab æterno.

Memb. 5. Per quid ſit. *Art.* 1. An Deus poſſit vlli creaturæ dare ſuiipſius ſufficiẽtem prouidentiam. *Reſp.* Quòd non: quià cùm nulla poſſit eſſe à ſe, nulla poteſt regi à ſe ſola. *Ad Arg.* Hoc non eſt ex defectu: ſed ex perfectione potẽtię & ſapiẽtię Dei.

Art. 2. An Deus prouideat per creaturas. *Reſp.* Prouidentia omnium, propria eſt ſolius Dei: ſed eius executio, non authoritatiuè, ſed ſubauthoritatiuè, fit plerumque per creaturas; non ex defectu Dei: ſed ex ſubordinatione, neceſſitate, & vtilitate creaturarum.

Art. 3. An prouideat etiàm per malos. *Reſp.* Quòd ſic: *ex B. Aug. lib.* 83. *qq.* *Ad* 1. Melius eſt ſecundùm quid prouideri per bonos: ſed melius ſimpliciter & vniuerſaliter, prouideri etiàm per malos; vt per Balaam, Caipham, &c. *Ad* 2. ex *Sap.* 1. Spiritus S. non eſt in malis per gratiam: ſed vtitur eis ad quod vult bonum.

Memb. 6. De varijs modis prouidentiæ Dei, ex *Damaſc.* Secundùm *acceptationem* Bonorum quæ ſunt à ſolo Deo, vel ex conſenſu aut cooperatione noſtra libera: & ſecũdùm conceſſionẽ non ſolùm permiſſiuam malorum, ſed etiam libertatis ad bonum vel malum. *Item.* De duplici voluntate Beneplaciti: in ſe, & in ſuis 5. Signis, præcepti, prohibitionis, conſilij, permiſſionis, & impletionis, operationis ſeu executionis. *Item.* De voluntate Dei antecedente, qua vult omnes ſaluos fieri .i. *paratus eſt dare omnibus gratiam etiam finalem qua ſaluentur:* Et de voluntate conſequente, qua vult electos eſſe in gloria; reprobos in pœna, &c. *Ad vlt.* Quòd prouidentia Dei ſecundùm acceptationem, & voluntas beneplaciti Dei referatur ad Deum, qua Deus in ſe quieſcat, *Rom.* 12. *Prou.* 16. Sed voluntas ſigni, & prouidentia conceſſionis ſit ad creaturas; ideoque hæc ſubdiſtinguatur, non illa.

Mem. 7. De effectu prouidentiæ. 1. Quis ſit. 2. An inferat rebus neceſſitatem. *Art.* 1. Quòd communiter, res ab ea ſint, conſeruentur, & gubernentur: ſed propriè, gubernentur. *Art.* 2. Quòd non inferat rebus neceſſitatem eſſendi, aut coactionis: ſed Ordinis.

Mem. 8. De prouidentia Fidei, ſeu Fide prouidentiæ. 1. Cur non ſit in Symbolo Fidei. 2. De errore contrario. *Art.* 1. Quòd implicite contineatur in Fide creationis, & conſequenter gubernationis: non autem expreſſiùs; quià non erat tam difficilis, & contradicta, ac alij Articuli expreſſi. *Art.* 2. Quòd grauiùs peccent & punientur, qui fatentur Dei prouidentiam, ſed eam blaſphemant vt cauſam malorum: quàm qui eam negant. Ex *Iac.* 4. *Luc.* 12. 1. *Cor.* 14.

QVÆSTIO XXVI. *De Fato.*

Mem. 1. An ſit. *Reſp.* Si ſumatur pro certo concurſu ac influentia Syderum, neceſſitante homines ad futura, nihil eſt: ſed ſi pro diſpoſitione cauſarum temporalium à prouidentia Dei ad certos effectus.

Mem. 2. Quid ſit. *Art.* 1. Quòd propriè ſit quid creatum. *Ad* 1. *B. Aug.* 5. *Ciu.* non vult fatum eſſe ipſam voluntatem diuinam: ſed quòd qui huic re-

rum

Digitized by Google

rum omnium cauſalitatem ſub nomine fati tribuit, non erret in re ſed in nomine. *Ad* 2. Nec vult eſſe ipſum verbum diuinum: *niſi fortè*, inquit, *à fando*, &c.

Art. 2. De varijs definitionibus fati. 1. *Boetij. De Conſol.* Eſt rebus mobilibus inhærēs diſpoſitio: per quam Prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus. 2. Eiuſdem. Eſt eorum quæ diuina ſimplicitas gerenda diſpoſuit. 3. Ex errore Philoſoph. relata ab Aug. 5. *Ciuit.* Eſt vis poſitionis Syderum, ex qua quando quis concipitur vel naſcitur, cognoſcitur qualis futurus ſit .i. etiam quoad actus liberos. *Ad* 1. & 2. Prouidentia non eſt fatum: ſed illa eſt immobilium in Deo, hoc in ipſis rebus mobilibus. *Ad* 3. Creatio eſt rerum in eſſe, prouidentia in ordine inter ſe. *Ad* 4. Indiſſolubilitas fati, non repugnat mobilitati rerum. *Ad* 5. Aſtra inclinant: ſed non neceſſitant voluntatem. *Ad vlt.* Ex prouidentia Dei eſt duplex ordo, eſſendi & mouendi: hic eſt proprius fato, vt ex diff. Boetij.

Mem. 3. Quorum ſit fatum. *Art.* 1. Quòd non omnia quæ ſubſunt prouidentiæ Dei, ſubſint & fato: quia non quæ ſunt aut fiunt à Deo ſolo; ſed quæ ex connexione cauſarum ſecundarum.

Art. 2. Quòd omnia naturalia corporalia, ſubſint ſaltē partialiter fato, ſumpto pro influentia cœleſti in illa, non in voluntatem eiuſque motus liberos.

Art. 3. Quòd Corpus Chriſti in ſuo conceptu aut partu non ſubfuerit fato, quoad influentiam Syderum. Ex *Mat.* 2. *Ioan.* 2. & 8. Quia nec eius conceptio, nec natiuitas fuit naturalis, ſed ſupra naturam.

Mem. 4. Quòd fatum non radicetur in ſtellis, nec hæ ſint cauſæ totales, imo nec principales, nec partiales omnium effectuum inferiorum. Ex 5. *Ciu.* 9. Quòd Deus faciat ſed non fiat: Spiritus creati, fiant & faciant: Corporalia autem magis fiant & moueantur quàm faciant.

Mem. 5. De concordia liberi Arb. cum fato. Ex B. Aug. 5. Ciu. contra Ciceronem. *Ad* 1. Duplex eſt certitudo, vt & neceſſitas cauſarum. 1. Ineuitabilis, quæ nec ſubeſt noſtræ voluntati, nec hæc illi. 2. Voluntaria, faciendi actu interiori quod volumus: quia velle eſt hoc ipſum facere. Hæc eſt neceſſaria & ſufficiens in ſerie fati, ad libertatem & omnes motus liberos.

QVAESTIO XXVII. *De Prædeſtinatione.*

Mem. 1. Quid ſit. 1. nomine. 2. ratione. 3. re. *Art.* 1. Quòd in hoc nomine, *Præ*, dicat prioritatem æternitatis ad tempus: *Deſtinatio* ſit alicuius vt ſubiecti, ab aliquo vt principio, ad aliquid vt terminum ad quem, videlicet gloriæ, per aliquid, vt medium gratiæ. Prædeſtinatio, eſt ad gratiam dandam: dilectio, videtur ſupponere datam: electio, vel eſt inter bonos & malos, & ſic prior dilectione; vel à bono ad melius, ſicque poſterior dilectione, & connotat vſum gratiæ. Vocatio eſt gratiæ à malo: Iuſtificatio, in bono gratiæ: Magnificatio, eſt gloriæ. Prędeſtinatiò eſt approbatio Dei æterna ad bonū; dilectio & electio ſunt approbatio diuina indeterminatè ad æternum vel temporale: Vocatio & iuſtificatio, determinatè ad tempus.

Art. 2. Quòd cùm prædeſtinatio variè definiatur 1. ex *Aug. Præſcientia beneficiorum Dei.* 2. *Præordinatio alicuius ad gloriam.* 3. *Propoſitum miſerendi* 4. *Præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro.* Hinc ſit ſcientia practica in recto, voluntatis beneplaciti ſeu approbationis in obliquo, cointellectā potentiā; contineatque 4. actus. 1. Iudicandi. 2. Eligendi. 3. Proponendi. 4. In finem dirigendi. Vel fortè meliùs: Vt eſt ſcientia ſimpliciter, dicatur præſcientia: vt inclinata ad opus, præordinatio: vt eſt voluntas proponens, propoſitum miſerendi: vt exequens, præparatio gratiæ.

Art. 3. Quòd præparatio dandi gratiam, & gloriam, priuſquàm detur, ſit æterna: cùm autem datur, ſeu in dando actu, ſit temporalis.

Memb. 2. Quorum ſit. *Art.* 1. An ſit exiſtentium vel non. *Reſp.* Quòd ſit exiſtentium in præſcientiā Dei: necdum autem in ſeipſis. *Art.* 2. An ſit tàm electorum, quàm reproborum. *Reſp.* Quòd ſcientia, & voluntas antecedens, ſit ad omnes vt ſaluabiles æqualiter: ſed quia eſt voluntas conſequens cū præſciētia boni vſus finalis gratię, eſt tātùm Electorū.

Art. 3. An poſſit eſſe aliorum quàm Electorum. *Reſp.* Quod non: quià eſt certus numerus numerans, & numeratus electorum apud Deum. *Ad* 1. 2. 3. 4. Numerus finalis eſt certus & determinatus, non autem præſens. *Ad vlt.* Quilibet poteſt ſaluari, & prædeſtinari: non tamen qui præſcitus, vt finaliter malus, poteſt eſſe prædeſtinatus, ſed eſt fallacia ſecundùm accidens; quia prædeſtinatio eſt prouiſio Dei immutabilis, ſeu *præfinitio.*

Art. 4. An ſit etiam bonorum Angelorum. *Reſp.* Prædeſtinatio communis naturæ rationali, eſt Præſcientia beneficiorum Dei, & præparatio alicuius ad gloriam: ſed ſpecialis naturæ humanæ, eſt Propoſitum miſerendi poſt lapſum, & Præparatio gratiæ in præſenti, gloriæ in futuro, ante lapſum. In Angelis autem beatis non præceſſit miſeria, nec gratia ante gloriam.

Art. 5. An ſit etiam Beatorum. Reſponderunt aliqui quòd non nominaliter: quià non eſt iam in illis præparatio nec futuritio; ſed participialiter, à verbo & actu præteriti temporis. Vel ſunt ſemper prædeſtinati: quià & ſunt, & ſemper futuri ſunt Beati. De prædeſtinatione Chriſti, ſuo loco.

Mem. 3. De cauſā vel ratione Prædeſtinationis, & Reprobationis.

Art. 1. An habeant cauſam ex meritis proprijs. *Reſp.* In prædeſtinatione eſt præſcientia, gratia, & gloria: in reprobatione, præſcientia, præſens iniquitas, & pœna futura. Prædeſtinatio nec quoad præſcientiam, nec quoad gratiam eſt ex meritis: ſed quoad gloriam. Nec reprobatio quoad præſcientiam, eſt ex meritis: ſed quoad connotata culpæ præſentis, & pœnæ futuræ. *Ad* 1. Prædeſtinatio eſt æterna: ideò non poteſt quis facere vt ſit prædeſtinatus; ſed benè vt habeat gratiam temporalem. *Ad* 2. Subſtractio gratiæ, non eſt cauſa reprobationis. *Ad* 3. Eſau eſt iuſtè reprobatus ex meritis, quoad connotata. Deus præparat pœnam ex meritis: non relatis ad præparationem, ſed ad pœnam. Reprobatio eſt ex iuſtitiā, vt reddit vnicuique quod ſuum eſt, non vt eſt ob exigentiam meritorum. *Ad* 4. Ratio prædeſtinationis eſt miſericordia, reprobationis iuſtitia: ſed non cauſa.

Ad 5.

Digitized by Google

Ad 5. Voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt: quia venit de occultiſſimis meritis,&c. *De*, non originaliter, ſed materialiter .i. Mala merita ſunt exigentia materialis reprobationis. *Ad* 6. ex S. *Amb.* in *Rom.* 9. Merita non ſunt cauſa, ſed congruentia dandi gratiam.

Art. 2. An ex meritis alienis. *Reſp.* Non quoad ipſam præſcientiam vel præparationem: ſed quoad collationem gratiæ vel gloriæ. *Art.* 3. An habeant cauſam ex parte Dei: ſeu, An præſcientia boni vel mali vſus ſit cauſa prædeſtinationis, vel reprobationis. *Reſp.* Præſcientia non poteſt eſſe cauſa,ſed ratio prædeſtinationis ſeu voluntatis Dei: quia ſunt idem re, ſed differunt intelligentiâ; ſed merita præſcita, nec ſunt cauſa nec ratio. *Ad.* 1. ex B, *Aug.* de prædeſt. *Non quia nos tales eſſe præſcinit, ideò elegit, &c.* .i. non *ideò* vt cauſâ, ſed ratione. *Ad* 2. Merita in præſcientia, ſunt ipſa eorum præſcientia: hæc autem idem quòd Deus. *Ad* 3. † Deus ex æquitate dat gratiam ei quem ſcit bene vſurum: ſed ex bonitate, dat facienti quod in ſe eſt.

Memb. 4. De cauſalitate prædeſtinationis.*Art.*1. Qualis ſit. *Reſp.* Prædeſtinatio eſt cauſa neceſſaria, non contingens, mutabilis, aut dependens ab alia, ad ſuum actum. *Ad* 1. Prædeſtinatio eſt cauſa neceſſaria habitu, non actu: ideòque eius effectus non eſt neceſſarius. *Ad* 2. Prædeſtinatio eſt cauſa propria: ſed vt domina ſui actus ſeu effectus, pro quo vult tempore. *Ad* 3. Vt præſcientia, eſt cauſa formalis: vt voluntas, eſt cauſa efficiens.

Art. 2. An ponat aliquem effectum. *Reſp.* Non actu, ſed habitu, pro tempore futuro. *Ad* 1. B. Aug. *in Ioan.* 1. præfert electos poſt Incarnationem, electis ante. *Ad* 2. *ex B. Aug.* Prædeſtinatio .i. Deus prædeſtinans, vel eius gratia, eſt cauſa ſtandi. *Ad* 3. *ex Luc.* 10. Gaudium non eſt ſolùm de bono actu habito, ſed habendo.

Art. 3. An eius effectus poſſit caſſari. *Reſp ex Magiſtro:* Quòd hæc, *Impoſſibile eſt prædeſtinatum damnari:* vt coniuncta, ſit vera; quià eſt de ſuppoſito cum hac forma: ſed vt diuiſa, ſit falſa; quià eſt de ſolo ſuppoſito quod poteſt non damnari. Sed infra *Reſp.* Cùm ſit ſermo de ſuppoſito cum forma: ſiue intelligatur compoſita, ſiue diuiſa, eſt falſa; ſed ſi ſit ſermo de ſuppoſito tantùm, eſt vera. Quià quod exprimitur ſermone, non ſeparatur intellectu. *Ad vlt.* Iſte eſt neceſſariò prædeſtinatus: neceſſitate relatâ ad præuiſionem, non ad ſaluationem. Nec eſt dictum ſimpliciter de præterito: ideòque nec ſimpliciter neceſſarium.

QVÆST. 29. *De Reprobatione.*

Memb. 1. Cur nomen Præſcientiæ apponatur Reprobationi. *Reſp.* Quia hæc eſt tantùm præcognitio, non præuolitio malorum: ſicut prædeſtinatio eſt bonorum.

Memb. 2. Quid ſit Reprobatio. *Reſp.* Eſt præſcientia practica, cum deteſtatione culpæ, & approbatione pœnæ.

Memb. 3. An effectus Reprobationis, qui eſt ſubſtractio gratiæ, ſit à Deo. *Reſp.* Quidam dixerunt quòd non: niſi vt natura eſt principium motus per ſe, ſed quietis ceſſando à motu; Alij quòd non; quia Deus non poteſt eſſe cauſa deficiendi: Alij quòd non abſolutè; ſed quatenus priuatio gratiæ ordinatur ad pœnam.

Memb. 4. De effectu excæcationis: quòd vt culpa, nullatenus ſit à Deo; ſed vt pœna iuſta. Pœna illata, abſolutè eſt à Deo: ſed pœna contracta peccando, qualis eſt excæcatio, non niſi à Deo permiſſiuè.

Memb. 5. De effectu obdurationis. *Art.* 1. Quid ſit. *Reſp.* Obduratio finalis non eſt ipſa Reprobatio æterna: ſed temporalis ex æterna. §. 1. An ſit culpa vel pœna. *Reſp.* Vt eſt ſpecialis voluntas reſiſtendi mandatis Dei, & perſiſtendi in peccato, eſt culpa ſpecialis in Spiritum Sanctum: Vt eſt praua quædam diſpoſitio, duritia ac reſiſtentia motiuis pœnitendi, non eſt culpa ſpecialis; ſed vt eſt paſſio & corruptio inuoluntaria ex peccato, eſt tantùm pœna. *Art.* 2. Cui per ſe opponatur. *Reſp.* Emollitioni cordis per gratiam, ad pœnitentiam. Vt enim Deus emollit ſeu diſponit per gratiam: ſic indurat ſolâ priuatione gratiæ ad pœnitendum, ex contemptu peccatoris. *Art.* 3. An ſit omnium. *Reſp.* Quædam eſt generalis ex peccato originali, de qua Rom. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat:* Quædam ſpecialis ex contemptu ſpeciali gratiæ, Exod. 11. *Ego induraui cor Pharaonis.*

QVÆSTIO 30. *De electione diuina.*

Memb. 1. An ſit in Deo. *Reſp.* Electio ex certa cognitione, eſt in Deo: ſed non ex deliberatione, vt in nobis. *Ad* 1. Voluntas Dei ſaluandi omnes, æqualiter ſe habet ad omnes: ſed non omnes æqualiter ſe habent ad ipſum. *Ad* 2. Eſt electio bonorum ex malis, & meliorum ex bonis: qualis fuiſſet ſi *Adam* non peccaſſet.

Memb. 2. Ad quid ſit ex parte noſtra. *Reſp.* Electio præſentis iuſtitiæ, eſt ad proferendum fructum, *Ioan* 15. Electio finalis iuſtitiæ, eſt ad eſſe ſanctos, *Epheſ.* 3. *Ad arg. ex Ioan.* 6. Electio *Iudæ*, vel fuit ad præſentem aliquam iuſtitiam: vel ad aliquod bonum ex eius malo faciendum.

Memb. 3. Ad quid ſit ex parte Dei. *Reſp.* Electio bonorum ex maſſa perditionis, eſt ad perfectam manifeſtationem bonitatis Dei: quæ tamen nec defuiſſet, ſi *Adam* non peccaſſet.

Memb. 4. Secundùm quid ex parte Dei? *Reſp.* Secundùm propoſitum voluntatis Dei, *Eph.* 1. quod dicitur manere ſecundùm electionem .i. in ſuo electo effectu gratiæ.

Memb. 5. Secundùm quid ex parte noſtra? *Reſp.* Cauſa electionis eſt ex ſolo Deo: ratio autem electionis poteſt eſſe cooperatio noſtra, vt q. de Prædeſt. *Ad* 1. *ex Matt.* 25. Deus diſtribuit cuique ſecundùm propriam virtutem .i. non capacitatis naturalis, nec gratiæ gratum facientis; ſed cooperationis, vel gratiæ gratis datæ. *Ad* 2. Merita dicuntur occultiſſima, vt ſunt in Dei præſcientiâ. *Ad* 3. Capacitas naturalis hominis, eſt ad gratiam gratis datam, non ad gratum facientem. Ex complexione enim ordinatur magis quis ad vnam virtutem, quàm ad aliam: ſed ad gratiam gratum facientem, nullus ex inclinatione naturali ordinatur.

Digitized by Google

Ad 4. Datur tantum, quantum quis capit aut valet, &c, concomitanter, non cauſaliter. *Ad* 5. Rationes æternæ in Deo ſunt omnes æquales, imò vna eademque: ſed in nobis inæquales.

Memb. 6. An ſit etiam Reproborum. *Reſp.* Quòd non: quia nullum bonum eſt Deo gratum ſine perſeuerantia finali; quod etſi non ſit ad ſalutem accipientium, eſt ad gloriam Dei, & eruditionem prædeſtinatorum. *Ad Arg.* Quilibet poteſt decedere in gratia finali: ſed non vt præſcitus.

QVÆSTIO 31.

De dilectione Dei ad creaturas in genere.

Memb. 1. An ſit eadem dilectio Dei ad creaturas, quæ inter ipſas Perſonas Diuinas. *Reſp.* Eſt eadem quoad principale ſignificatum dilectionis, voluntatis, & eſſentiæ diuinæ: ſed non quoad connotatum creaturarum exiſtentium aut futurarum. *Ad* 1. Eſt eadem ex parte diligẽtis, non dilecti.

Memb. 2. An dilectio Dei ad creaturas ſit ſumma. *Reſp.* Eſt ſumma ex parte Dei: non autem boni voliti, &c.

Memb. 3. An Deus æquè diligat omnes creaturas. *Reſp* Quòd non: ſed prout eas facit bonas. *Ad* 1. *ex Sap.* 6. Deo æqualiter eſt cura de omnibus .i. omnia æquè conſeruat in ſuo eſſe; vel *æquè* .i. ſimiliter. *Ad* 2. Deus æquè nouit omnia noticiâ ſimplici: ſed non æquè notitiâ beneplaciti; quia Matt. 25. *Neſcio vos, &c.*

Memb. 4. Quid ſit Deum diligere creaturas. *Reſp.* Eſt ab æterno eas diligere in ſeipſo vt in cauſa: ſed in tempore, vel eſt Deum diligere ſe in illis, vel eas in ſeipſis vt in effectu ſuæ dilectionis. *Ad* 2. *ex Hug.* Affectio dilectionis transformat: non ſola voluntas boni, qualis eſt dilectio Dei ad creaturas.

QVÆSTIO 32.

De dilectione Dei ſpeciali ad creaturas rationales.

Memb. 1. An Deus plus diligat Angelos vel homines. *Reſp.* Plus Angelos, quoad ſolam naturam communem: ſed plus homines, quoad naturam ſingularem Chriſti, & gratiam.

Memb. 2. An plus diligat perfectum qui nùnc eſt iuſtus, quàm prædeſtinatum qui nùnc eſt peccator. *Reſp.* Plus ſimpliciter prædeſtinatum: quià bonum prædeſtinati eſt bonum ſimpliciter, bonum autem perfecti eſt tantùm vt nùnc.

Memb. 3. An inter prædeſtinatos plùs diligat nunquam lapſum, quàm conuerſum. *Reſp.* Cæteris paribus, plùs nunquam lapſum: ſed plùs conuerſum feruentiorem ac meliorem.

Memb. 4. An Deus neceſſariò vel de congruo, plùs diligat eum à quo plùs diligitur: vt plùs *Petrum* quàm *Ioannem*. *Reſp.* 1. Plùs *Ioannem*: quia plura ſigna dilectionis eius exhibuit. 2. *Subtilius.* Plùs ſimpliciter *Petrum*: quià ad maius donum charitatis & gloriæ; ſed plùs ſecundùm quid *Ioannem*, quià ad maiora dona ſecundùm quid .i. cognitionis in præſenti. *Ad Arg. S. Ioannes* excellebat S. *Petrum* cognitione ſpeculatiuâ & practicâ ante actum: ſed *Petrus Ioannem*, cognitione practicâ in ipſo actu.

QVÆSTIO 33. *De libro vitæ.*

Memb. 1. Quid ſit. *Art.* 1. An ſit quid creatum vel non. *Reſp.* Liber vitæ dicitur tripliciter. 1. Exemplar vitæ in ipſo Deo. 2. Exemplum vitæ in Chriſto. 3. Sacra Script. *Art.* 2. Cuius ſit Perſonæ diuinæ. *Reſp.* Liber vitæ quoad ſcriptionem, ſeu vt eſt notitia expreſſa ab alio, eſt propriè Filij Dei: ſed quoad lectionem, ſeu vt notitia expreſſa ad alium, eſt communis trium Perſonarum, connotans creaturas.

Memb. 2. Cur dicatur Liber, & cur vitæ. *Reſp.* Dicitur metaphoricè *Liber ſcriptus*, à ſtabilitate æterna, & à lectione ſeu repreſentatione vitali omnium formarum. Dicitur *vitæ* .i. æternæ ſeu gloriæ, & eorum quæ ſunt ad illam. *Ad Arg.* Hinc patet cur potiùs Liber *vitæ*, quàm ſapientiæ, aut mortis, &c. Poteſt tamen dici ipſa præſcientia Dei: ſed à notitia vitæ, non mortis, niſi priuatiuè.

Memb. 3. Quorum ſit liber vitæ. *Art.* 1. An ſit etiam ipſius Dei. *Reſp.* Quòd non: quia Deus habet vitam ex ſeipſo: non autem ex merito, quaſi per adſcriptionem. Niſi liber vitæ dicatur etiam quaſi à lectione, ſeu cognitione ipſius vitæ diuinæ in eo. *Art.* 2. An ſit ſolùm creaturarum rationalium. *Reſp.* Quòd ſic: quia hæ ſolæ ſunt capaces illius vitæ, & meritorum eius. *Art.* 3. An ſit bonorum & malorum. *Reſp.* Non malorum, ſed bonorum: quia mali vt mali non habent in Deo vllum exemplar malitiæ. *Art.* 4. An ſit ſecundùm ſolam electionem æternam, vel etiam ſecundùm præſentem iuſtitiam. *Reſp.* Simpliciter, ſecundùm ſolam præſcientiam & electionem æternam: ſecundùm quid ſeu apparenter, quoad præſentem iuſtitiam. Quia liber vitæ non eſt ſola præſcientia: quæ eſt etiam iuſtitiæ præſentis; ſed eſt quaſi inſcriptio indelebilis, ſeu ſtabilitas finalis.

Memb. 4. Quomodo ſe habeat liber vitæ. 1. quoad ſcriptionem. 2. quoad deletionem. 3. quoad electionem. *Art.* 1. Nullus reprobus poteſt verè inſcribi, aut facere vt inſcribatur: ſed tantùm apparenter. *Ad* 1. Iſte præſcitus poteſt ſaluari: in ſenſu diuiſo, non compoſito. *Ad* 2. Præſcientia nil ponit extrà Deum, ideoque non eſt cauſa damnationis, aut futurorum: vt nec memoria eſt cauſa præteritorum. *Ad* 3. Præſcientia Dei eſt neceſſaria in ſe: ſed non præſcita. *Ad* 4. Deus præſcit neceſſariò: non autem vllius neceſſariam damnationem. Præſcitus neceſſariò damnabitur: neceſſitate præteritionis, & conſequentiæ, non futuritionis. *Art.* 2. Nemo poteſt inde deleri quoad præſcientiam, nec quoad perſeuerantiam ſeu ſtatum finalem: ſed quoad ordinationem naturalem, & diſpoſitionem gratiæ ad ſalutem. *Art.* 3. Liber vitæ quamuis vnicus, ſimpliciſſimus, & vniformis naturâ: eſt multiplex virtute, ſeu ad plurima. §. 1. Mali nil vnquam legent ex ipſo libro præſcientiæ diuinæ: ſed videbunt Chriſtum in Iudicio, & ſuam iuſtam damnationem in proprijs conſcientijs. Ad *Arg.* Scient ſe non eſſe prædeſtinatos: non poſitiuè ex libro vitæ, ſed priuatiuè & contrariè.

QVÆSTIO 34. *De voluntate Dei.*

Memb. 1. An ſit. *Reſp.* Quòd ſic: non tamen vt virtus, vel operatio diſtincta à ſubſtantiâ. Quia melior eſt vis cognoſcens & domina ſui actus, quàm non. Ad *Arg.* Deus vult ſe, vt finem non alium

Digitized by Google

alium à ſe: reliqua omnia, vt media ad ſe.

Memb. 2. Quid ſit. *Reſp.* Quidam dicunt, quòd eadem Eſſentia diuina variè ſignificetur, vt ſubſtantia, potentia, habitus, & actus: nomine autem voluntatis, ſignificetur vt actus. Aliter poteſt dici, quòd licet in Deo ſit idem voluntas quòd Eſſentia: ſub verbo tamen volendi, connotet quandòque effectum in creaturâ.

Memb. 3. De ordine naturali in animâ rationali. 1. Eſt Potentia. 2. Sapientia. 3. Amor, ad ſimilitudinem SS. Trinitatis.

QVÆSTIO 35. *De cauſalitate voluntatis Dei.*

Memb. 1. Cur voluntas Dei potiùs definiatur per cauſam primam omnium, ab *Aug.* 3. *de Trin.* quàm potentia, vel ſapientia. *Reſp.* Quia ad agendum concurrunt poſſe, ſcire, & velle: ſed hoc includit illa, non è contrà.

Memb. 2. An ſit cauſa omnium. *Reſp.* Omnium bonorum, quæ ſola fiunt: non malorum, quæ deficiunt, Deo tantùm permittente. §. 1. An ſit cauſa immediata. *Reſp.* Eſſe. *Ad* 1. & 2. Voluntas Dei eſt æterna: ſed volita eius ſunt temporalia, & mutabilia. *Ad* 3. & 4. Voluntas Dei eſt libera, & in actu perfecto ante ſuum effectum: ideò non neceſſariò habet effectum. Vt Sol ſemper lucet, non ſemper illuminat. *Ad* 5. Actio ipſa non eſt de voluntate beneplaciti, ſed ſigni. *Ad* 6. Deus voluit ad æterno mundum fieri: referendo æternum ad velle Dei, non ad fieri mundi; quia eſſe creaturæ de nihilo, eſt poſt non eſſe, ideòque repugnat æternitati.

Memb. 3. An ſit aliqua cauſa, vel ratio voluntatis Dei. *Reſp.* Nullam eſſe eius cauſam, nec efficientem, nec finalem: quia nihil eſt eo maius aut melius, ex *B. Aug. lib.* 83. *qq.* Nec eam eſſe propriè ex ratione, vt principio; nec propter rationem, vt finem; ſed habere rationem vt ſeipſam, ſeu identicè. *Ad Arg.* Voluntas Dei .i. volitum eius eſt ex ratione. Ratio dicit voluntatem Dei, connotando creaturam volitam: quæ ſola eſt ex ratione.

QVÆSTIO 36. *De differentijs voluntatis Dei: non quoad rem, ſed quoad denominationem.*

Memb. 1. Quæ ſint in genere. *Reſp.* Voluntas beneplaciti, eſt quâ Deus vult: voluntas ſigni, eſt id quod vult; hinc illa propriè, hæc impropriè. *Ad* 1. Scientia eſt abſtractior ab actu, quàm voluntas: ideò actus qui eſt ſignum ſcientiæ, non dicitur ſcientia. *Ad* 2. Signum, ex *B. Aug.* non eſt tantùm ſenſibile ſenſu corporis, ſed & mentis. Sunt autem 5. ſigna intellectualia voluntatis beneplaciti: *Præceptum*, *Prohibitio*, *Conſilium*, *Permiſſio*, *Operatio*. *Ad* 3. Voluntas Dei bona *Rom.* 12. .i. nonniſi boni, *Beneplacens* .i. ex ſe quieta & immobilis, *perfecta* .i. completa, cui nihil deeſt ad effectum volitũ. *Ad* 4. Voluntas Dei, non eſt multiplex in ſe: ſed in effectu. *Ad* 5. Eſſentialia Dei non ſignificant pluralitatem, niſi in ſuis connotatis: non abſolutis, ſed diſtinctis & ordinatis. *Ad* 5. Omnes voluntates Dei .i. volita eius. *Ad* 6. Pluralitas non repugnat ſimplicitati Dei, ſed mutabilitas. *Ad* 7. Sententia Dei eſt mutabilis, non conſilium: quia hoc ab æterno, illa in executione temporali. *Ad Arg. contrà* 5. *ſigna*, dat plures rationes huius numeri: ſed præfert hanc Hugonis. Quòd ſignum voluntatis diuinæ, vel ſit generale, vel ſpeciale: generalia, ſunt permiſſio malorum, & operatio bonorum: ſpecialia creaturæ rationalis, præceptum bonorum, & prohibitio malorum. Conſilium autem non ponitur ab Hug. ſed additur à Magiſtro inter præceptum & prohibitionem. *Ad* 9. Permiſſio poſitiua, eſt indulgentia minoris boni: priuatiua, vel non puniendo, vel non prohibendo, vel non cohibendo. *Ad vlt.* Permiſſio & præceptio Dei actiuè, vel eſt ipſa & eadem voluntas Dei permittens, præcipiens &c. differens tantùm connotatis: paſſiuè, eſt res ipſa præcepta, permiſſa &c. ſicque ſignificat ſignũ voluntatis Dei, vel in eius opere præcipiendi, vel in eo quod indè ſequitur.

Memb. 2. De voluntate beneplaciti: An poſſit fruſtrari. *Reſp.* Nunquàm fruſtrari: vt docet B. Aug. ex Rom. 12. *Ad* 1. ex *Tim.* 1. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. 1. Ex *B. Aug. in Enchir. c.* 102. .i. nullus ſaluatur, niſi quẽ Deus vult ſaluari. Vt *Ioan.* 1. *Illuminat omnem hominem &c.* .i. nullus illuminatur, niſi ab ipſo. 2. Ex eodem ibidẽ. Non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum .i. vult ex omni genere hominum ſaluari. 3. Ex Damaſc. de voluntate beneplaciti antecedente, ſeu reſpectu poſſibilis ſalutis omnium ex bonitate Dei: non conſequente, ſeu ex meritis & iuſtitia. *Ad* 2. ex *Mat.* 23. *Luc.* 19. Volui, & noluiſti &c .i. ex *Aug. in Enchir.* 97. Quamuis te nolente, congregaui quos volui. *Ad* 3. Non debet conditionari, Deus vult omnes ſaluos fieri, ſi velint: ſed quantum eſt ex ſe, ſi ſint digni vel capaces; vt & *illuminat omnem hominem &c.* *Ad* 4. Paruuli non ſaluantur: non quia nolunt, aut non volunt; ſed ex corruptione originali animarũ. *Ad* 5. Deus non poteſt ſe negare, 2. *Tim.* 2. non ex neceſſitate ſeipſum actu communicandi quibus & quantum poteſt: ſed ex ſua immutabili liberalitate. *Ad verba Damaſc.* Voluntas Antecedens & Conſequens, non eſt quoad aliquid prius aut poſterius in Deo, ſed in nobis .i. quoad bona nobis à Deo collata ante meritũ, & conferenda poſt ex merito. *Ad penult.* Saluari non eſt in nobis vt in cauſâ efficiente: ſed meritoriâ, vel diſponente.

QVÆSTIO 37. *De præcepto & prohibitione, vt ſignis voluntatis Dei.*

Memb. 1. An poſſit Deus præcipere quod non vult, vel prohibere quod vult. *Reſp.* Poſſe, præcepto probationis, ad ſolam animi præparationem: non præcepto executionis. Vt patet *Gen.* 22. exemplo Abrahæ. *Ad* 1. Non fuit in Deo vlla duplicitas: quia voluntas Dei fuit circà hunc actum imperandi, non circà ipſum actum externum imperatum. *Ad* 2. Obediendum eſt præcepto in ſenſu in quo fit: non quem recipiens facit. Verba imperandi, ſignificant voluntatem imperantis: non autem ſemper executionem vltimam rei imperatæ. §. 1. De prohibitione ex *Matth.* 8. & *Marc.* 1. Vbi Chriſtus præcepit taceri; quod tamen noluit taceri, nec fuit tacitum. *Reſp.* 1. Noluit dici ad propriam laudem: voluit dici ad proximorum vtilitatem. 2. Voluit hunc ſuum actum prohibendi: ſed non voluit executionem. 3. Ex hoc præcepto tenebantur tacere: ſed

Digitized by Google

poſtea Deo inſpirante intellexerunt ſenſum Chriſti.

Memb. 2. An Deus poſſit præcipere contrà Legem naturalem. *Reſp.* Non contrà Legem ipſius naturæ diuinæ; quia non poteſt contrà ſeipſum: nec contrà Legem, ſeu ordinem naturæ creatæ ad Creatorem, vt de eâ faciat quicquid vult; ſed poteſt contrà Legem naturæ .i. contrà ordinem naturalem ſeu curſum ordinarium à ſeipſo inſtitutum. *Ad 1.* S. Bern. diſtinguit neceſſarium, in Stabile, quod non licet mutare niſi ex diſpenſatione: Inuiolabile, quod à Deo inſtitutum, ab illo ſolo mutari poteſt: & Immutabile ſimpliciter, quale eſt præceptum charitatis, &c.

Memb. 3. An poſſit præcipere, vel prohibere contrà ius morale Decalogi. *Reſp.* Cùm ius Decalogi émanet à naturali, hoc autem vel ſit ordo creaturæ ad Deum vt finem, vel ad ſeipſam, vel ad aliam: non poteſt contrà ius naturæ, quatenùs eſt ordo creaturæ ad Deũ, nec contrà ea quæ inde manant; ſed poteſt contrà ordinem creaturæ ad ſe, vel ad alias, & contrà ea quæ indè manant. *Ad 1.* Deus non eſt ſuprà ſeipſum, vt finem omnium. *Ad 2.* Mœchari & fornicari, quatenùs auertunt à ſummo bono ad creaturam, non poſſunt præcipi: ſed ſpoliare, coire, quatenùs peruertunt ordinem ad creaturam. *Ad 3.* Deus præcipit Hebræis ſpoliationem Ægyptiorum, & Prophetæ coitum cum muliere fornicariâ: ex obedientiâ ad ſe, non ex libidine, quod eſt furari & fornicari. Coire cum non ſuâ, eſt contrà ordinem ad creaturam: ſed ex libidine, eſt contra ordinem ad Deũ, vt & accipere rem alienam ex cupiditate. *Ad 4.* Deus poteſt contra ordinem ad finem proximum: non quæ contra finem vltimum. Poſſet præcipere actum exteriorem, non interiorem concupiſcentiæ.

QVÆST. 38. *De permiſſione, vt ſigno voluntatis Dei.*

Memb. 1. An Deus permittat mala. *Reſp.* Permittere, ſed non impunita. *Ad 1.* Permittere mala impunita, eſſet iniquum. *Ad 2.* Pertinet ad officium innocentis cohibere à peccato, ex *Aug. 16. Ciu.* ſed ſubdit, *aut punire.* *Ad 3.* Deus non ceſſat arguere & punire peccata in conſcientiâ.

Memb. 2. An Deus iuſtè permittat mala. *Reſp.* Iuſtum eſt permittere mala fieri: non ab exigentiâ meritorum, ſed ex decentiâ bonitatis Dei; vt non priuet creaturam rationalem ſuâ libertate, vel quia peccator eſt dignus tali permiſſione.

Memb. 3. Cur Deus permittat mala? *1.* Ad commendationem bonorum. *2.* Ad eruditionem. *3.* Ad exercitationem Electorum. *Art. 1.* De ordine bonorum per ſe: malorum autem, nonniſi per accidens, ſeu per ſua ſubiecta, & oppoſita bona. *Ad 1.* Malum eſt priuatio ordinis particularis, non vniuerſalis. *Ad 2.* Peccatum eſt ſola priuatio: ſed peccator, eſt natura bona priuata, quæ vt ſic eſt ordinabilis.

Art. 2. De cooperatione malorũ ad bonũ: non per ſe, ſed per contrarietatem & quandam antyperiſtaſim. Sic *Rom. 8.* Omnia cooperantur in bonum, &c.

QVÆSTIO 39. *De impletione voluntatis Dei, per opera miſericordiæ & iuſtitiæ.*

Memb. 1. An in Deo ſit miſericordia & iuſtitia. *Reſp.* Prima ratio miſericordiæ, ſeù releuatio miſeriæ alienæ, quoad affectum compaſſionis, non eſt in Deo; ſed quoad ſolum effectum: Nec Iuſtitia ex debito neceſſitatis, eſt in Deo, vt in nobis; ſed ex condecentiâ ſuæ bonitatis.

Memb. 2. Vtra ſit prior notione in Deo. *Reſp.* Miſericordia cōmuniſſimè, pro abundantiâ bonitatis in erogatione bonorũ, eſt prior Iuſtitiâ cōmuniſſimè ſumpta pro decentiâ bonitatis, & hæc eſt ex illâ: Miſericordia communiter, pro retributione bonorum ſuprà condignũ, malorũ autem citrà, eſt etiam prior iuſtitiâ communiter ſumpta pro retributione meritorum bonorum & malorum; quia quòd Deus retribuat ſuprà, aut citrà, hoc eſt ex ſe; ſed quòd ex meritis, eſt ex parte noſtrâ: Miſericordia ſtrictè, pro erogatione liberali boni quantùmuis meriti, eſt adhuc prior quàm Iuſtitia ſtrictè in puniendo; quia præmiatio bonorum, eſt prior punitione malorum, & hæc ad illam ordinatur. Sed Iuſtitia in primo gradu, eſt prior Miſericordiâ in ſecundo & tertio: quia eſt ex decentiâ bonitatis Dei, quòd puniat malos citra condignum &c.

Memb. 3. An in omnibus Dei operibus ſit miſericordia & iuſtitia. *Art. 1.* An in operibus creationis. *Art. 2.* An in operibus recreationis. *Art. 3.* An in operibus retributionis bonorum. *Art. 4.* An in operibus punitionis. *§. 1.* De ipsâ punitione æternâ: An Deus poſſit, vel de facto puniat vſque ad condignum, abſque vlla miſericordia. *Reſp.* Ad omnia: Quòd Iuſtitia & Miſericordia latè, non ſtrictè ſumptæ, ſint in omnibus omnino operibus Dei Pſ. 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Quia iuſtitia latè ſumpta ſeu condecentia bonitatis, eſt & condecentia poteſtatis, ſapientiæ, diſpoſitionis, ipſiuſque miſerationis ac æquitatis, ſicque ad omnia Dei opera: non ſic Iuſtitia ſtrictè ſumpta, pro exigentia meritorũ. Miſericordia latè ſumpta. in ſupplendis defectibus: vel eſt in ſupplendo defectu eſſendi, per creationem: vel in ſupplendo defectu benè eſſendi, per conſeruationem, perfectionem, & beatificationem; ſicque eſt in omnibus Dei operibus. *Ad 1.* Iuſtum erat, ſeu decebat creare præordinata: & miſericors, eadem producere ex nihilo. *Ad 2.* Decuit bonitatem Dei ad omnes, incarnari pro omnibus: ſed non decuit veritatem promiſſionis ad Gentes quibus non erat promiſſum. *Ad 3.* Iuſtificare, eſt de iniuſto iuſtum facere: quòd eſt opus Iuſtitiæ & Miſericordiæ. *Ad 4.* Paruuli poſt Baptiſmum patiuntur ex iuſtitia generali, ad vtilitatem & correctionem cæterorum. *Ad 5.* ex B. *Aug. in Ioſ. 7.* Vnus pro alio punitur pœnâ temporali, non æternâ. *Ad 6.* ex eodem. Deus punit temporaliter vnum pro alio, vel pro ſuo toto: propter quandam inter ſe vnionem. *Ad 7.* *Aaron* fuit occultè punitus: in exemplum non puniendi publicè Prælatos. *Ad 8.* Poteſt Deus abſolutè punire vſque ad condignum: ſed non decet. *Ad 9.* Taxatio pœnæ æternæ ad genus & intentionem pœnæ meritæ, eſt iuſtitiæ: ad executionem minorem, eſt miſericordiæ. *Ad 10.* ſeu *ad Arg.* contra æquitatem aut miſericordiam pœnæ æternæ pro culpis temporalibus, *1.* Affectio prauæ libidinis in peccando mortaliter,

Digitized by Google

liter, eſt in ſe perpetua. 2. Auerſio à bono æterno eſt digna pœna æternâ. 3. Affectio ad bona temporalia in infinitum, & mors in tali affectu, meretur pœnam æternam. 4. Perditio boni æterni meritò compenſatur pœnâ æternâ. 5. Culpa irremiſſibilis, eſt digna pœnâ ſimili.

Ad Arg. Contra æquitatem & miſericordiam pœnę paruulorum. 1. Licet non videant ipſam lucem Dei: vident tamen ſeu intelligunt cętera per illam; ſic que non ſunt omninò priuati. 2. Separatio ſeu priuatio poſitiua vnionis actualis cum Deo, eſſet triſtiſſima: non autem ſola negatiua, ſeu non vnitio.

Art. 5. Quòd Deus æquali affectu miſericordiæ & iuſtitiæ retribuat omnibus: ſed inæquali effectu.

QVÆSTIO 40. *De ſubiectu voluntati diuinæ.*

Memb. 1. An etiam mala ſubiecta ſint voluntati Dei. *Reſp.* Voluntas noſtra in malis actibus ſubijcitur voluntati Dei materialiter: in bonis verò cauſaliter. Quia vt *B. Aug. in Enchir.* in illis impletur voluntas Dei de nobis, in his etiam à nobis .i. Deus de malis noſtris operatur bona: bona autem noſtra operatur in nobis & per nos, Eſa. 6. *Ad 1.* Mala fieri bonum eſt .i. permitti, ad eliciendum bonum. *Ad 2.* Deus vult mala fieri permiſſiuè, voluntate ſigni. *Ad 3.* Mala ſeruiunt prouidentiæ Dei: non ex ſe aut ſuâ cauſâ, ſed ad bonum eliciendũ. *Ad 4.* Deus nec vult mala fieri, nec vult non fieri: ſed non vult fieri; quia non eſt eorum actor, ſed permiſſor. *Ioan. 1.* Sine ipſo factum eſt nihil. *Ad 5.* Verum eſt Deum nolle mala fieri negatiuè .i. non velle: ſed non contrariè. *Ad 6.* In malo eſt veritas naturæ, non ordinis. *Ad 7.* Culpa non cadit in ſapientem affectiuè, affectu etiam gratiæ gratum facientis. *Ad 8.* Malum tendit ad non eſſe ordinis, non naturæ: idque in infinitũ; quia quò quis plus peccat, eò minùs eſt ordinabilis in ſummum bonum. *Ad 9.* Malum eſt receſſus in infinitum à bono.

Memb. 2. An mala eſſe vel fieri, ſit bonum. *Reſp.* Non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ad bonum eliciendum. *Ad 4* Non malum facere, ſed fieri eſt bonum: quia non potentia actiua mali, ſed paſſiua eſt ordinabilis ad bonum. Non ipſam malitiam, ſed malum fieri eſt bonũ: quia non illa, ſed eius ſubiectum naturâ bonum, eſt ordinabile ad bonũ. *Ad 5.* Malum fieri eſt bonum: non intrinſecè ipſi malitię aut eius ſubiecto, ſed denominatiuè & relatiuè ad bonum eliciendum.

Memb. 3. An mala expediant. *Reſp.* ex *Quæſt. 18. M. 10. & Q. 37. ac 38.* Quòd malum in ſe abſolutè nec ſit bonum, nec vtile: ſed vt eſt ordinatum, & relatiuè ad bonum.

Memb. 4. De impletione voluntatis Beneplaciti Dei etiam in malo, vt *Quæſt. 36. M. 2. Q. 38. 39. Ad 1.* Non fit præter voluntatem Dei permittentem, quod fit contra voluntatem prohibentem & punientem. *Ad 2.* Nolentes ſubeſſe voluntati Dei iubenti, incidunt in punientem. *Ad 3.* Deus omnia præcognoſcit: ſed non prædeſtinat malitiam, &c. Voluntas Beneplaciti prædeterminat neceſſaria, non libera: ſed hæc ita vult, vt etiam relinquat noſtræ voluntati, & non compellat. *Ad 4.* Nil fit contra voluntatem Beneplaciti: ſed mala præter eam. *Ad 5.*

& 6. Nil fit etiam contra permiſſionem & operationem Dei: ſed contra præceptum & prohibitionem. *Ad 7. ex B. Aug.* Deus præparauit aliquos ad pœnam, non quaſi ad finem intentum, ſed ad terminum, vel exitum præter intentionem. *Ad 8.* Proprium eſt Deo miſereri, potiùs quàm punire: quia hoc non niſi ex noſtris demeritis, illud ex Deo ſolo.

QVÆSTIO 41.

De conformatione noſtræ voluntatis ad diuinam.

Memb. 1. An poſſit eſſe. *Reſp.* Quòd ſic: quia quamuis ſit diſtantia infinita abſolutè in eſſendo; eſt tamen proportio relatiua finis & exemplaris in volendo.

Memb. 2. Quid ſit. *Reſp.* Eſt conformatio materialis in volendo quod Deus vult, formalis in volendo vt vult, cauſalis in volendo quod vult nos velle, finalis in volendo ad quod vult.

Memb. 3. An ad eam teneamur. *Reſp.* Quòd ſic. *Ad 1.* De obſtinatis & damnatis: quidam dicunt quòd abſolutè teneantur, non tamen pro ſtatu damnationis in quo eſt eis impoſſibile: Alij cum B. *Anſ.* quòd ſi hæc impoſſibilitas non ſit ex culpa, non teneantur; ſi ex culpa, teneantur, nec inde abſoluantur ab obligatione. *Ad 2.* Vt Charitas obligat ſemper, ſed non ad ſemper: ſic & hæc conformatio.

Memb. 4. An teneamur velle quod Deus vult. *Reſp.* Non, ſi neſciamus: nec ſemper etſi ſciamus. Ex B. *Aug. in Enchir. c. 101.*

Memb. 5. An teneamur velle quicquid ſcimus Deum velle. *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſic, in præceptis & prohibitis: non autem in alijs. *Sed contra.* Eſt culpa, ſcienter declinare à veritate Dei: ergo & ab eius bonitate. Alij quòd teneamur illa velle voluntate rationis, non ſenſualitatis. *Ad 1.* B. Virgo & Apoſtoli, ipſeque Chriſtus ſic voluit & noluit ſuam paſſionem. *Ad 2.* Ierem. voluit deſtructionem Hieruſalem abſolutè, noluit conditionatè: vt & Apoſtolus eſſe Anathema Rom. 9. *Ad 3.* Chriſtus *Luc. 19.* defleuit culpam, non pœnam ſubuerſionis Hieruſalem. *Ad 4. & 5.* Tenemur velle ipſam actionem Dei, non priuationem. *Ad 6.* ex *Phil. 2.* Cupio diſſolui &c. Fuit voluntas rationis: ſed vt talis natura eſt, quæ ſemper appetit bonũ æternum. Aliter ſecundùm alios. Teneor velle, quod ſcio Deũ velle me velle. Hinc quod ſcio Deum velle, ſi congruit mihi idem velle, teneor idem velle: ſi non congruit, non teneor. *Ad 7.* Eſt amicitiæ idem velle, & idem nolle: ſi conueniat amicis. *Ad 8.* Diſplicentia alicuius rei in ſe poteſt licere: ſed non relatiuè ad diuinam prouidentiam. *Ad 9.* Licet velle contrarium volito Dei: ſed non volenti, ſeu non contrarium ei quod ſcio Deum velle me velle. Nam quamuis mors alicuius ſit volitum Dei: non ideò vult quemlibet illam velle, ſed potiùs nolle.

Memb. 6. An fuerit meritorium Sanctis dolere de Paſſione Chriſti. *Reſp.* Quidam dicunt quòd dolor B. Virginis & Apoſtolorum de Morte Chriſti fuerit ſenſualis, non meritorius. *Ad Rom. 8.* Si compatimur &c .i. volũtate rationis, patiendi pro Chriſto. Vel aliter dicendum, quòd B. Virgo & Apoſtoli meruerunt compatiendo Chriſto: quia eſt ſecundùm charitatem vię, velle quod Deus vult nos velle,

 vt

Digitized by Google

vt congruum huic ſtatui viæ: eſt autem ſecundùm perfectionem Patriæ, nil velle niſi quod ſcitur Deũ velle. *Ad vlt.* Senſualitas propriè non eſt in brutis: ſed dicit ordinem ad rationem. Vnde poteſt in eâ eſſe meritum, vt & demeritum veniale. §. *1.* An ſit meritorium dolere de paſſionibus Sanctorum. *Reſp.* Non volendo contrarium eius quod ſcitur Deum velle nos velle: ſed eius quod ſcitur Deum velle. Vel aliter: Dolere de præſentibus, gaudere de præteritis. §. 2. An iuſti poſſint lætari de paſſionibus reproborum. *Reſp.* Non de pœnâ vt eſt naturæ patientis, ſed iuſtitiæ Dei inferentis.

QVÆSTIO 42. *De Generatione Diuinâ.*

Mem. 1. An ſit. *Reſp.* Confitendum veriſſimè quòd generatio ęterna ſit. *1.* Ex *Eſa. vlt.* Nũquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam? *2.* Ex poſſe & velle: vt *Aug. l. 83. qq.* 3. Ex ſumma communicationes ſummi Boni. *4.* Ex perfectione generandi. *5.* Ex neceſſitate cuiuſuis perfectionis in Deo poſſibilis. *Ad Arg.* contra rationes *B. Aug. l. 83. qq.* ab impotentiâ aut inuidia non generandi. 1. *B. Aug.* non intendit hinc probare ipſam generationem æternam, ſed æqualitatem geniti. *2.* Generatio exigit ęqualitatem naturæ, niſi obſtet impotentia aut inuidia: non creatio. *3.* Impotentia generandi, ſupponit velle. *4.* Nec Filius nec Spiritus S. eſt impotens generandi: quia non vult generare; nec eſt in eis vt in Patre, potentiæ aut perfectionis generare, ſed generari & ſpirari. *5.* Generatio ſibi æqualis, eſt maximæ perfectionis: ſed modus corporalis generandi eſt imperfectionis in generantibus & genitis. *6.* Eſt perfectionis in Sole & Cœlis quòd non ſint corruptibiles, nec egeant generatione ad conſeruationem ſuæ ſpeciei: ſed imperfectionis, non poſſe generare ſibi æquale. *7.* Generatio vt motus & mutatio, eſt imperfectionis: vt actus, eſt perfectionis. *8.* Vis generandi partialis & diuiſa inter marem & feminam, vel plures alias cauſas, eſt imperfectionis: ſed vnita ac independens eſt perfectionis. *7.* Creatura in ſe non habet proportionem ad Deum: ſed vt veſtigium & effectus ad cauſam. Rom. 1. *10.* Creatura poteſt referri ad Deum vt ad cauſam exemplarem, efficientem, & finalem: non autem materialem. *11.* Eſt imperfectionis in humanis generare plures filios: quia nullus eſt omninò perfectus; ſed in Deo eſt perfectiſſimus, & ideò vnicus.

Memb. 2. Quid ſit in Deo generare: an idem quod intelligere ſe? §. *1.* An ſit idem quod dicere? *Reſp. 1.* Generationem eius quis enarrabit? *Eſa. 53.* Hoc eſt præmium fidei. Generatio tamen eſt productio de ſubſtantia: vel æquiuoca, ſeu alicuius diſſimilis in natura: vel vniuoca, ſeu ſimilis naturæ; vel de parte ſubſtantiæ, vel de tota; vel modo principali, quo productum habeat etiam virtutem producẽdi, vel de non principali. Generatio in Deo eſt productio vniuoca, ſimilis in natura, de tota ſubſtantia, modo principali: non eſt ergò idem ſecundum intelligentiam, generare & intelligere, ſicut nec eſſe: Hoc enim dicitur abſolutè, illud relatiuè; ſed vnum comitatur alterum. *Ad 1.* Etſi idem ſit in Deo intelligens, intellectum, & actio diuina: generare tamen dicit relationem per modum actus; intelligere dicit ipſum eſſe ſeu ſubſtantiam. Non tamen generare addit ad intelligere, nec relatio ad eſſentiam: ſed ad intelligere ſequitur ſeu concomitatur generatio ſuæ ſpeciei in ſe. Hinc dici poteſt quòd Deus intelligat ſe, ſiue maſculinè, ſiue neutraliter: non tamen quòd generet ſe. *Reſp.* Dicere in Deo eſſentialiter, ſeu manifeſtare, eſt commune tribus Perſonis: ſed dicere notionaliter, ſeu proferre verbum, idem eſt quòd generare, eſtque proprium ſoli Patri. Filius eſt Verbum, quia eloquitur eſſentiam & proprietatem Patris, producendi ex ſe alium: non ſic Spiritus Sanctus, nec profertur à Patre vt Verbum.

Memb. 3. Cuius ſit generatio? Vtrum eſſentiæ, an perſonæ? *Solutio.* Præintelligendum eſt quòd in Deo eſt habens naturam diuinam, & ipſa natura quæ habetur, & modus ſeu notio aut proprietas eam habendi. Hinc *Quid ſit* Pater .i. Deus vel Deitas: *Quis* .i. habens naturam ſub proprietate incõmunicabili: *Quo modo* habẽdi, ſeu quo ordine .i. vt generans vel genitus. *Regula 1.* Nomina ſignificantia Deum vt *Quis ſit*, propriè ſupponunt Perſonas: hæ autem, proprietates perſonales. Quædam ſignificant *Quid ſit*, ſeu eſſentiam Dei, vt *Quo eſt*: quædam *Quod eſt*, ſeu vt habens eſſentiam, ex hac duplici apprehenſione intellectus noſtri. Deus ſignificat Deitatem, ſed ex modo ſignificandi, vt in habente eam: habens autem Deitatem, eſt Perſona diuina; ideò ſupponit perſonam. Hinc verba notionalia ſeu perſonalia, poſſunt dici de nominibus Eſſentiæ, vt *Quod eſt* .i. Deus generat, aut ſpirat Deũ. *Regula 2.* Verba notionalia ſeu perſonalia non poſſunt dici de nominibus Eſſentiæ abſolutè, ſed poſſunt dici de nominibus Eſſentiæ connotantibus ordinem naturæ. Vnde poteſt dici natura de natura, lumen de lumine, virtus de virtute, &c. Virtus enim dicit Eſſentiam diuinam, connotando ordinem ad aliquem actum: natura, connotando ordinem ad producendum ex ſe ſimile: lux, bonitas, charitas, connotando quandam ſui diffuſionem; ſapientia, potentia, connotando ordinem ad aliquem actum. Fuit autem deceptus *Ioachim* [.i. quidam Abbas huius nominis] credens omnia hæc vocabula eſſe eiuſdem ordinis, &c. Ad cauendum tamen ſenſum erroneum, non ſunt extendendæ hæ locutiones per abſtractionem: ſed in ſanctis Patribus ſic exponendæ. Si quando inueniatur eſſentia de eſſentia .i. Filius eſt à Patre, eâdem eſſentiâ: non quòd ratio generandi tribuatur ipſi eſſentiæ. *Ad 1.* Idem eſt in Deo eſſentia & perſona: ſed varij modi idem ſignificandi &c. Vnde perſona non differt ab eſſentia: ſed ab alia perſona; vt dextrum à ſiniſtro. Nihilominus in perſona intelligitur verus modus ordinis naturæ, faciens differentiam in perſonis. *Ad 2.* Idem eſt in Deo *Quod eſt*, & *Quo eſt*: ſed alius modus. *Ad 3.* Hæc differentia eſt in re, ſicut in intellectu: licet enim Deus & Deitas ſint idem; tamen Deus connotat habentem eſſentiam ſeu perſonam. Pater generat Filium, non ex nihilo, ſed de aliquo: non connotando cauſam materialem, nec ordinem ſucceſſionis, ſed originis; nec quaſi ab ipſa ſubſtantia,

ſed

Digitized by Google

ſed à Patre,de ſua ſubſtantia .i. eiuſdem ſecum ſubſtantiæ. *Ad 5. & 6.* Pater ſubſtantiuè ſupponit perſonam quæ habet Filium: & ſic Eſſentia eſt Pater Filij, nec tamen habet Filiũ; ſed Pater adiectiuè, non poteſt dici de Eſſentia. *Ad 7.* Pater vt Pater & vt Eſſentia coniunctìm, generat Filium: quia vt Pater eſt principium, vt eſſentia eſt ratio eiuſdem ſubſtantiæ. *Ad 8.* Filius nihil habet niſi quod naſcendo accepit: concomitanter, non cauſaliter; quia ipſa eſſentia non naſcitur. *Ad 9.* In genitis creatis ipſa eſſentia generatur ex non eſſe: ſed in Deo non eſt generabilis. *Ad 10.* Pater eſt Principium totius Diuinitatis .i. Perſonarum Diuinarum, quæ ſunt eiuſdem totius naturæ Diuinæ. *Ad 11.* Eſſentia eſt res ſeù perſona generans: ſed non generat. *Ad 12.* Generare & generari dicunt ordinem naturę habitæ, ſeù originis, & oppoſitionem relatiuam, ac diſtinctionem realem. *Ad 3.* Eſſentia eſt in vltima abſolutione ab ipſa connotatione perſonæ: idcircò perſonalia non poſſunt de ea dici. *Ad 14.* Eſſentia abſoluta non dicitur de relatiuis, nec è contra. *Ad 15.* Authoritates, exponendæ ſunt emphaticè ſeù expreſſiuè: natura generans .i. qui eſt natura, eſt generans, & è contra. *Ad 20.* Eſſentia vt res cõmunis, non connumeratur tribus perſonis vt rebus proprijs. *Ad 21.* Eſſentia eſt res non gignens. *Ad 22.* Gignens & non gignens, non ſunt res oppoſitæ, ſed modi oppoſiti. *Ad 23. 24. 25.* Summum bonum in ſe abſolutè ab omni perſona, non eſt ſui diffuſiuum: alioquin eſſet ex ſe in perſonis infinitis.

Art. 2. Cuius perſonæ ſit generare, cuius generari. *Reſp.* Generare eſt ſolius Patris, generari ſolius Filij. *Ad 1.* Potentia generandi à verbo perſonali .i. vt generet, non eſt in Filio, ſed in ſolo Patre: à verbo autem imperſonali .i. quâ generatur, eſt in Patre & Filio. *Ad 2.* Eſt eadem potentia in Patre quâ generat, & in Filio quâ generatur: ſed non ad idem. *Ad 3.* Filius & Spiritus ſanctus ſunt eiuſdem naturæ, & à Patre: ſed Filius modo principali procedendi, qui eſt per generationem conferentem etiam vim producendi. *Ad 4.* In humanis virtus generandi eſt partialis, & actiua ac paſſiua: in Deo Patre eſt totalis, & tantùm actiua; in Patre & Filio eſt eadem virtus actiua ſpirandi. *Ad 5.* Generationes imperfectiores in creatis, ſunt à pluribus principijs extrinſecis. *Ad reliqua* contra potentiam generandi in Filio: Cuius eſt potentia eius eſt actus. *1.* De eodem ſuppoſito, non natura. *2.* De actu quo agitur, ſeu immanente: non qui fit, ſeu tranſeunte in effectum. *3.* De actu abſolutè, non relatiuè.

Memb. 4. De quo ſit æterna generatio. *Art. 1.* Non de nihilo initiatiuè, aut mutabiliter: ſed de aliquo; non materialiter, ſed originaliter. *Art. 2.* Non ſolùm de Patre originaliter: ſed etiam ſubſtantialiter de tota ſubſtantia Patris.

Memb. 5. De eius modo. *Art. 1.* An neceſſariò vel voluntariè? *Reſp.* Nec neceſſariò, nec voluntariè: quia hæc diuiſio eſt eorum quę fiunt à natura, vel propoſito voluntatis; non autem eorum quæ ſunt æterna. Hinc *ad 1.* *Ad 2.* Pater non genuit Filium voluntate conditionali, nec voluntate abſolutâ & ſimpliciter præcedente vel accedente, trahente vel impellente ad opus; ſed genuit voluntate abſolutâ concomitante generationem. *Ad 3.* Non genuit neceſſitate indigentiæ, nec coactionis, nec vtilitatis, nec ineuitabilitatis: ſed immutabilitatis, ſeu perfectionis immutabilis. *Ad 4.* Voluntas diſcendi ſapientiam, præcedit eam: ſed non voluntas eam conſeruandi vel communicandi, qualis eſt in Deo. *Ad 5.* Voluntas circa finem non eſt ad oppoſita: ſed circa media, ante actum, non in ipſo actu. Hinc voluntas Dei quæ ſemper eſt in actu completo, non eſt ad oppoſita: ſed habet oppoſita ſibi ſubiecta; nec excludit, ſed includit neceſſitatem immutabilitatis. *Art. 2.* An ſit ſemper in fieri, vel in facto eſſe? *Reſp.* Nec in fieri, nec in facto eſſe: quod eſt ſolius creaturæ; ſed in eſſe. *Ad Arg.* Loquimur de ea in præſenti, ad ſignificandam eius æternitatem: in præterito, ad ſignificandam eius perfectionem; ſed non in ſolo futuro, ne quid videatur ei deeſſe. *Art 3.* Quo modo ſit? *Arrius* aſſignat 12. modos. 1. Vt linea fluit à puncto. 2. Vt radius à ſole. 3. Vt figura à ſigillo. 4. Vt bona voluntas à Deo. 5. Vt accidens à ſubſtantia. 6. Vt ſpecies ab obiecto vel materia. 7. Vt voluntas mota ab intellectu. 8. Vt transfiguratio ex aere. 9. Vt motus à mouente. 10. Vt ſpecies à genere. 11. Vt exemplatum à ſuo exemplari. 12. Vt homo filius à ſuo patre. *Reſp.* Nullo horum: quia ſinguli ſunt imperfecti, & improportionati æternæ generationi: ſed modo aliquo concepto ex horum omnium perfectionibus, abſque vlla imperfectione.

QVÆSTIO 43. *De proceſſione Spiritus Sancti.*

Memb. 1. An ſit? *Reſp.* Confitendum eſt eſſe, ſecundùm ſacram ſcripturam. 1. Ex duplici communicatione, per generationem, & amorem. 2. Ex æquali vi communicandi ſe per voluntatem, ac per naturam. 3. Ex poſſibili communicatione *naturali, & gratuita.* 4. Ex priori dono intrinſeco amoris ab æterno, quàm vllo extrinſeco. 5. Ex ſumma charitate reciproca ſummi Boni, &c. *Ad 1.* Optimum eſt vnicum: ſed pluribus commune. *Ad 2. & 3.* Summa communicatio eſt inter Tres: Primum, Medium, & Terminum. *Ad 4.* Charitas perfecta eſt ad alterum. *Ad 5.* Diligit ſe ſummè in tribus.

Memb. 2. Cuius ſit? *Reſp.* Præciſè ſolius Spiritusſancti: quia Filius Dei procedit modo ſpeciali ac principali. Hinc ad 1. *Ad 2.* Non procedunt vniuocè, nec æquiuocè: ſed analogicè; quia priùs Filius per modum Intelligentiæ, quàm Spiritus ſanctus per modum Amoris.

Memb. 3. Quomodò ſit? *Art. 1.* An per modũ Spirationis. *Reſp.* Non imperfectæ & corporalis: ſed perfectæ & ſpiritualis, ex vi motiua ſeu voluntate rationali Patris & Verbi geniti, ſpirando ſimul amorem. Qui dicitur ſpirari. 1. A ſimili ſpirationis vitalis, ad promouendum Verbum vocale. 2. A ſimili motu vitalis reſpirationis. 3. A motu amoris ab anima ad obiectum: cùm intelligentia ſit potiùs motus ad animam, vel in anima. *Ad 1.* Sapientia creata inſpiratur *Iob. 32.* ſed ſolus Spiritus ſanctus ſpiratur, ſeu ſpiratione procedit, vt ſupra. *Art. 2.* An ſit ſolius Spiritus ſancti procedere per modum amoris. *Reſp. 1. ex Richardo.* Amor ſeu complacentia boni, eſt communis tribus perſonis: vt motus liber

Digitized by Google

liber ſeu liberalis ab ipſa potentia, appropriatur Patri: vt motus liberalis ab aliquo, appropriatur Filio: præcisè vt ab alio, appropriatur Spiritui ſancto.

Aliter. Charitas ſeu amor dicitur in Deo communiter, appropriatè, vel propriè. Amor, Charitas, Voluntas, pro ipſo Bono volito, eſt ipſa complacentia communis tribus: pro Principio mouente, appropriatur Patri: pro Principio moto, appropriatur Filio: pro motu ipſo ab vtroque principio, eſt propria Spiritui ſancto. Hinc *ad 1. 2. 3.* *Ad 4.* Amor gratuitus habet originem ab alio, nec eſt origo alterius: ideò eſt propriè Spiritus ſancti. *Ad 5.* Primum ac ſummum donum, in ratione doni, eſt amor. *Ad 6. & 9.* vt ſupra. *Ad 7.* Omne donũ Dei appropriatur Spiritui ſancto; quia eſt Amor, à quo omne donum. *Ad 8.* Spiritus intelligentiæ, intranſitiuè eſt ipſa intelligentia: tranſitiuè, eſt à quo hæc, vel qui ab illa. *Ad 10.* Spiritus veritatis, docebit vos omnia, *Ioan. 14. 16.* Quia Filius vt Verbum Dei, ſeu prima veritas, manifeſtat omnem veritatem.

Art. 3. An procedat per modum nexus, ſeu communionis inter Patrem & Filium? *Reſp.* Quòd ſic, ex B. *Aug. 6. & 15. Trin.* 1. Quia eſt amor ab vtroque. 2. Quia eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum vtroque. 3. Quia eſt ab vtreque eadem ſpiratione. 4. Quia vnit nos Deo. *Ad 1.* Vnitas Patris & Filij intranſitiuè, eſt ipſa eſſentia: tranſitiuè, eſt Spiritus ſanctus: vnitas ſingulorũ, eſt notionalis ſeu perſonalis. *Ad 2.* Pater & Filius coniunguntur ſeipſis. i. ſuâ eſſentiâ: & coniunguntur ſuâ communi ſpiratione, ac amore ſpirato. *Ad 3.* Amor duorum eſt vt ab illis, vel vt in illis, quo vniantur affectus ſpirantium: ſic Spiritus ſanctus eſt vt terminus, & vt medium Patris & Filij. *Art. 4.* An ſit alius modus productionis in diuinis? *Reſp.* Quòd non: niſi per modum naturæ & voluntatis; quia modus naturæ diuinæ eſt rationalis, nec admittit alium modum rationis.

Memb. 4. A quo ſit? Græci negant eſſe à Filio, ſed à ſolo Patre. *Solutio.* Procedere localiter, eſt à termino ad terminum priorem: Procedere cauſaliter, eſt vt à cauſa priore. Græci tranſtulerunt proceſſionem Spiritus S. à motu locali, ab aliquo in aliquem. i. à Patre in Filium: Latini vero à proceſſione cauſali ab aliquo; non in aliquem; ſed à Patre, Filioque, &c. Hinc *ad Damaſc.* Sed ad S. *Dion. & Greg.* Cùm Filius & Spiritus ſanctus dicuntur duo radij, &c. non negatur quin etiam hic ſit ab illo. *Ad 6.* ex *Ioan. 16.* Filius Dei ſolet omnia ad Patrem referre: vt, Doctrina mea non eſt mea, &c. Sed *Ioan. 5.* Vt Pater habet vitam, ſic dedit & Filio, &c. *Ad 7.* Latini addentes, Filioque: non euangelizauerunt contrarium; ſed veritatem expreſſerunt, &c. *Ad 8.* Nec in Symbolis erat expreſſus deſcenſus Chriſti ad inferos. *Ad 9.* Si nil eſſet credendum ſine expreſſione ſacræ Script. nec eſſet credendum huic contrarium; ſed hoc neceſſariò ſequitur ex fide & verbis ſacræ Script. *Ad 10.* Neceſſaria fuit hæc expreſſio contra incredulos, &c. *Ad 11.* Erat nimis difficile Græcos ad hoc conuocare. *Ad 12.* Vt potentia motiua exeat in actum volendi bonum: debet hoc actu vel habitu eſſe præcognitum; ſed in Deo nihil eſt habitu, quin ſit actu. *Ad 13.* Vt ſupra, de tranſlatione à motu locali vel cauſali. *Ad 14.* Si Spiritus ſanctus non eſt à Filio; cur Spiritus ſanctus dicitur eſſe Filij, non autem Filius eſſe Spiritus ſancti? *Ad vlt.* B. *Aug.* & Latini comparant verbum mentale cum amore ſpirato: *Damaſc.* & Græci, verbum vocale cum Spiritu ſeu flatu vocali, qui non procedit à verbo vocali, ſicut amor à mentali.

Memb 5. Secundùm quid? *Reſp.* *ex Richardo de S. Vict.* Vt ratio generationis Filij à Patre, eſt ſumma dilectio: ſic ratio proceſſionis Spiritus ſancti ab eis, eſt condilectio.

QVÆSTIO 44. *De veritate Perſonarum diuinarum.*

Quòd ſint verè tres eiuſdem naturæ. Quia Perſona eſt habens eſſe naturæ rationalis cum incommunicabili proprietate: ſunt autem tres habentes idem eſſe diuinum tribus modis incommunicabilibus; Pater, ex ſe, ſeu à nullo alio, ſed à quo alij; Filius, à Patre per generationem, & à quo Spiritus-ſanctus per proceſſionem; Spiritus-ſanctus, à Patre & Filio per proceſſionem, & à quo nullus. *Ad 1. & 2.* Differentia illa habendi naturam, ſatis eſt ad differentiam Perſonarum. *Ad 3. 4. 5.* Richardus *l. 4. Trin.* corrigit hanc defin. *Boetij* contra Neſtorium: *Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.* 1. Quia proprietates perſonales non dant ſubſiſtere, ſed potiùs *exiſtere*. i. eſſe ex alio quoad Perſonam, in alium quoad Eſſentiã. 2. Quia vt in Deo non eſt vniuerſale aut particulare, ſic nec indiuiduum. Hinc, inquit, *Perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia.* Dicimus tamen quòd ſubſtantia, non à ſubſiſtendo, ſed vt ens per ſe ſtans, conuenit Deo: indiuiduum autem vt vni ſoli proprium, conuenit perſonis; vt Vnum ſolum, eſſentiæ. *Ad 6.* Impropriè dicitur Perſona, à græco Proſôpos, quaſi ante-facies, ſeu larua referens alium. *Ad 7.* Pluralitas naturæ eſt ex defectu perfectionis eius: ſed identitas naturæ in pluribus perſonis, eſt ex illius perfectione. *Ad 8.* Pater ſubſtantiuè pro Perſona, eo quo eſt Pater generat: ſed adiectiuè, eo quo generat eſt Pater. *Ad vlt.* Differentia Perſonarum diuinarum eſt ſecundùm ſolam originem: hominum, ſecundùm originem & qualitatem; Angelorum, ſecundùm ſolam qualitatem. i. *formam,* inquit, *differentem.*

QVÆST. 45. *De numero Perſonarum diuinarum.*

Memb. 1. An ſit in Deo numerus? *Reſp.* Non ſimpliciter: ſed Perſonarum. *Ad 1.* ex S. *Dyon. de diu. Nom.* Deus eſt Numerus numerans omnia, non numeratus. *Ad 2.* Numerus ſimpliciter, exigit plures vnitates, ſubſtantialiter differentes.

Memb. 2. An vniuocè cum creaturis? *Reſp.* Quòd non. 1. Quia numerus in creaturis eſt Accidens & quantitas: non in Deo. 2. Quia numerus ſimpliciter eſt ex ſingulis indiuiſis in ſe, & diuiſis à quouis alio: ſingulæ autem perſonæ ſunt quidem indiuiſæ in ſe; non tamen ſimpliciter diuiſæ inter ſe, ſed vnica eſſentia; ideoque non ſunt propriè & ſimpliciter numerus ternarius, ſed Trinitas. i. Trium vnitas. *Ad 3.* Si plures naturæ in vno homine non faciunt numerum ſimpliciter: quantominùs plures perſonæ eiuſdem naturæ diuinæ?

Memb. 3.

Digitized by Google

Memb. 3. Qualis ſit in Deo numerus? *Reſp.* Non eſſentiarum, ſubiectorum, formarum, partium, aut operationum: ſed tantùm perſonalis originis, ſeu perſonarum à ſola origine. *Ad 1. & 2.* Relatio in Deo non facit numerum cum natura aut perſona cuius eſt, ſed ad quam. Nec relatio principij, medij, finis in eodem puncto, ſunt plures vt ſunt ipſius, ſed vt ad ſuos terminos. *Ad 2.* Pluralitas perſonarum non minuit dignitatem eiuſdem totalis naturæ, pluribus integrè communicatæ.

Memb. 4. An ſit ſolùm numerus rationum, vel rerum? §. 1. Si rerũ, an ſolùm relationũ ſeu Hypoſtaſum. *Reſp.* Non tantùm rationum ab intellectu noſtro, ſed rerum: non tamen aliarũ quàm relationum ſeu Hypoſtaſum; ex ſolo neceſſario ordine originis inter habentes eandem eſſentiam diuinam. *Ad 1.* Relationes originis perſonalis ſunt reales & ſubſtantiales: non ſic relationes accidentales, nec accidentium orientium, nec eiuſdem puncti ad varios terminos. *Ad 2.* ex *Damaſc.* In Deo Hypoſtaſes conſiderantur ratione: eſſe autem, re .i. Hoc eſſe abſolutum, & abſolutè conſiderari: illas autem eſſe relatiuas, nec niſi relatiuè conceptibiles, ratione eas inter ſe conferente. Non quòd ſint ipſa collatio rationis: ſed res ipſæ ratione collatæ. *Vt vniuerſale dicitur Ratio: non quòd ſit ipſa acceptio, ſed acceptum ab intellectu conferente; ipſum tamen eſt res. Ad 3.* Videtur velle exemplificare differentiam relationum eiuſdem eſſentiæ: in æqualitate æqualitatum, ſimilitudine ſimilitudinum, identitate identitatum. Ex *Boetio* in fine de Trin. *Quòd autem in cunctis non poßit reperiri, facit id cognata caducis rebus alteritas.*

Memb. 5. Vnde ſit ibi numerus. *Reſp.* Ex perfectione Virtutis, Bonitatis, & Charitatis: ſed præcipuè Bonitatis, vt communicabilis naturâ & voluntate. *Ad 1. & 2.* Perſonæ diuinæ non perficiuntur ab inuicem: ſed ex perfectione Charitatis coexigunt ſe inuicem, ad perfectiſſimam dilectionem & condilectionem. Ex *Richardo de Trin.* *Ad 3.* Virtus infinita eſt productiua, infiniti perfectione: ſed non infinitorum numero in Deo; quia hoc eſſet imperfectionis.

Memb. 6. An hic numerus ſit finitus vel infinitus? *Reſp.* Non poſſe eſſe infinitum: quia non eſſet ordo, ſed confuſio. Hinc *ad 1. & 2.* *Ad 3.* Quòd Sol producat plures ſplendores, & calores, eſt ex imperfectione & impotentia producendi vnicum totalem: ſed Deus Pater producit adæquatè vnicum totalem Filium; Pater & Filius, vnicum totalem Amorẽ, &c.

Memb. 7. An poſſint eſſe plures vel pauciores Perſonæ diuinæ, quàm tres? *Reſp.* Quòd non: quia ſummum Bonum non eſt communicabile niſi per modum naturæ rationalis, & voluntatis. Hinc *ad 1.* vt & *q. 43.* *Ad 2.* Non poteſt eſſe quarta perſona habens Deitatem, nec eam dans nec accipiens: quia vt ait *Richard.* ſemper ſola eſſet. *Ad 3.* Proprietas Patris eſt in dando nec accipiendo: Filij in accipiendo & dando: Spiritus ſancti in accipiendo nec dando. *Ad 4.* Vt ſumma Bonitas eſt ratio cõmunicationis à Patre & Filio: ſic & terminationis in Spiritu ſancto, abſq; confuſione ac proceſſu in infinitũ.

QVÆSTIO. 46. *De ordine Perſonarum diuinarum.*

Memb. 1. An ſit in eis ordo? *Reſp.* Non loci, temporis, cauſæ, nec rationis prædicamentalis: ſed originis realis inter Perſonas Diuinas. Vt tamen in Prædicamentis eſt vnum Genus generaliſſimum, quod de omnibus dicitur, & nullum de eo: vnum ſpecialiſſimum, de quo alia dicuntur, & ipſum de nullo; & genus ſubalternum ſeu medium, quod de quibuſdam dicitur, & quædam de eo: ſic & in hoc reali ordine, non ſimpliciter, ſed *naturæ ſeu originis.* Hinc ad 1. *Ad 2.* Hic ordo eſt notio, ſed indeterminata. *Ad 3.* Definitio *B. Aug. de Ciu.* eſt de Ordine locali, aut partium: non autem de omni.

Memb. 2. An ſit ordo naturæ vel originis? *Reſp.* Eſt ordo naturæ diuinæ, vt ſic communicabilis & cõmunicatiuæ: & eſt ordo originis actualis, vnius Perſonæ ab alia. *Ad 1.* Natura vltra Eſſentiam connotat vim producendi ſibi ſimile. *Ad 2.* Non eſt prioritas naturæ inter Perſonas: quia eſt identitas naturæ.

Memb. 3. An neceſſariò ſit vna prima Perſona ſine origine? *Reſp.* Quòd ſic: quia nec poteſt procedi in infinitum; nec prima Perſona oriri à ſua propria eſſentia.

Memb. 4. An poſſint eſſe plures Perſonæ ſine origine? *Reſp.* Quòd non. 1. Quia non differrent modo eſſendi: ergò nec perſonis, ſed naturâ. 2. Si eſſet vna illarum à qua nullæ, alia à qua aliæ: illa eſſet ſolitaria, nec eiuſdem naturæ cum hac. 3. Omnis pluralitas habet primam aliquam vnitatem ſui generis: ergò & Perſonæ vnam primam. 4. Plures eſſentiæ habent vnicam primam: ergò & plures Perſonæ. 5. Plures primæ eſſent inter ſe inordinatæ. 6. Perſona eſt incommunicabilis: plures primæ haberent proprietatem primæ communem; ergò non eſſent Perſonæ.

Memb. 5. An duæ procedant à ſola prima? *Reſp.* Quòd non: ſed Spirituſſanctus à Patre & Filio, contra errorem Græcorum. 1. Quia aliàs non æqualiter cohærerent. 2. Quia aliàs non eſſet diſtinctus modus procedendi, nec diſtinctio Perſonarum procedentium. 3. Non eſt ordo ternarij, niſi mediante dualitate. 4. Amor non procedit à mente niſi per intelligentiam. 5. Ordo Perſonarum eſt exemplar ordinis prædicamentalis, vt ſupra. *Ad 1.* Ordo generis ad differentias eſt potentialis & imperfectionis. *Ad 2.* Verbum & ſpiritus procedunt exteriùs ab eodem dicente: ſed interiùs, à Dicente & Spirante, vt ſuprà. *Ad 3.* Productio per modum naturæ ab vno, eſt perfectior: ſed per voluntatem ſeu Charitatem, à duobus.

Memb. 6. An Spiritus S. procedat à Patre & Filio mediatè, vel immediatè? *Reſp.* Quòd immediatè à Patre: ſed mediatè per Filium, vt eſt à Patre.

Memb. 7. De Ordine naturæ inter generationem Filij, & proceſſionem Spirituſſancti: quòd illa ſit prior hâc; quia illa eſt per modum naturæ & intelligentiæ; hæc voluntatis, quæ ſupponit cognitionem obiecti ſui. *Ad 1. & 2.* Voluntas generalis ſeu appetitus rationalis vt natura, eſt prior notitia particulari: ſed voluntas vt voluntas libera ac determinata, eſt poſterior. Illa eſt eſſentialis & com-

munis in Deo: hæc notionalis ſeu perſonalis, & propria Spirituiſancto. *Ad 3.* ex *B. Aug. de Trin.* Appetitus rei cognoſcendæ prior eius notitiâ, eſt imperfectionis: ſed amor rei cognitæ, eſt perfectionis; Ille non eſt tribuendus Deo, ſed hic. *Ad 4.* Pater vult generare .i. poteſt, & habet eſſentiam communicabilem per generationem: Pater & Filius habent etiam communem voluntatem notionalem, ſeu perſonalem vt à ſe ſpiratam.

Memb. 8. An præciſo naturæ ordine poſſint adhuc cōcipi hypoſtaſes in Deo? *Reſp.* Quòd ſic: ſed vt vna & vna indiſtinctè, ſine ordine naturæ vel originis.

QVÆSTIO 47. *De Æqualitate Perſonarum.*

Memb. 1. An ſint æquales? *Reſp.* Eſſe æquales quantitate ſubſtantiali perfectionis, non accidentali molis: quia in creatis identitas fundatur in ſubſtantia, æqualitas in quantitate, ſimilitudo in qualitate; ſed in Deo nonniſi in ſubſtantia.

Mem. 2. Quòd Filius ſit in omnibus ęqualis Patri. *Ad Arg.* Prioritas, authoritas, ſeù principalitas Patris, non eſt maioris perfectionis: vt nec ætas aut dignitas in humanis.

Memb. 3. Quòd Spirituſſanctus ſit æqualis Patri, & Filio. *Ad Arg.* Non eſt minoris, ſed eiuſdem Potentiæ, Bonitatis, & Perfectionis, in Spiritu ſancto, Dari, & Spirari, nec dare aut producere ad intra: ac in Patre & Filio, Dare & producere.

Memb. 4. Quòd vna Perſona, ſit æqualis duabus & tribus ſimul. *Ad 1.* Singulæ Perſonæ non ſunt quaſi partes Trinitatis: quia pars eſt potentialis & finita, non ſic Perſonæ. Ex *B. Aug. in Maximinum.* Sed gloſſa in *Leuit. 5.* vocat Chriſtum partem Trin. in ſigno partium, de quibus ibidē. *Ad 2.* Non eſt ſimile in creatis & finitis. *Ad 3.* Æqualitas eſt identitas perfectionis inter Perſonas diſtinctas.

Memb. 5. Quòd æqualitas Perſonarum propriè ſit ſecundùm quantitatem virtutis ſeu potentiæ, magnitudinis ſeù vbiquitatis, & Æternitatis. *Ad 1.* Identitas Eſſentiæ & ſcientiæ, non eſt propriè æqualitas. *Ad 2.* Poteſt ſtrictè diſtingui à coæternitate, &c.

QVÆSTIO 48. *De Diuinis Nominibus.*

Memb. 1. An Deus ſit nominabilis? *Reſp.* Nec omnia Theologica ſunt effabilia, nec cognoſcibilia, nec omnino incognoſcibilia. Quæ ratione naturali de Deo percipiuntur, ſunt à nobis nominabilia: ſed quæ ſola fide reuelantur, non ſunt à nobis nominabilia, ſed à ſolo reuelante. Nec Deus eſt à nobis nominabilis ſecundùm ſe, & ſua propria infinita: ſed ſecundùm nos &c. *Ad 1.* Deus ſeipſum nominat in ſacris eloquijs. *Ad 2.* Deus non habet formam externam, aut limitantem, &c. *Ad 3.* Deus eſt ineffabilis plenè &c. *Ad 4.* Nomen ſignificat ſubſtantiam cum qualitate .i. vt cognoſcibilem &c.

Memb 2. Quomodò ſit nominabilis? *Art. 1.* An nonniſi comparatiuè ad creaturam. *Reſp.* ex *Dion. de diu. Nom.* nominari tripliciter. *1.* Negatiuè & differenter ab omni creatura. *2.* Communiter ſed eminenter. 3. Cauſaliter ad creaturam. *Ad Arg.* Quidam dicunt hoc nomen, *Qui eſt*, eſſe nomen differentiæ ab omni creatura: quaſi nulla verè ſit comparatiuè ad Deum. Sed nominat abſolutum & abſolutè: quamuis non cōcipiatur à nobis, niſi comparatiuè. *Art. 2.* An poſſit nominari propriè? *Reſp.* Nominari propriè quòd ſit: quid ſit autem, impropriè, per nomina vt tranſlata à creatura ad Deum; ſed propriè, per tranſlata à Deo ad creaturam vt participem.

Memb. 3. Vnde ſit multiplicitas nominum diuinorum? *Reſp.* Ex varia collatione & connotatione effectuum, quoad differentiam vel conuenientiam, vt *m. 2.* §. *1.* An Deus ſit nominabilis omni nomine? *Reſp.* Non propriè, ſed tranſlatiuè ab omni vero & bono, imò & ab omni imperfectione creata, ad aliquam in Deo perfectionem. *Ad Arg.* Non eſt vtendum quibuſuis talibus de Deo verbis, niſi ex ſacra ſcriptura, & ex fide ac ſenſu conſono.

Memb. 4. De nominibus Prædicamentalibus. *Art. 1.* An vniuerſalia & particularia, genera, ſpecies, & indiuidua, conueniant Deo & Perſonis diuinis. *Reſp.* ex *B. Aug. 7. Trin.* Non quoad eorum imperfectiones, ſed perfectiones. Nam eſſe & dici de multis, imò & in multis multiplicari, eſt imperfectionis, potentialitatis, partialitatis: ſed eſſe vnum idemque in multis, abſque vlla ſui multiplicatione, eſt perfectionis. *Ad 1.* Prædicari eſſentialiter, dicitur æquiuocè de Deo, & de genere aut ſpecie, &c. Vnitas animalis in ſuis ſpeciebus, vt dicit *Damaſc.* non conſideratur re, ſed ratione: vnitas eſſentiæ diuinæ in perſonis, re; quia hæc non multiplicatur, vt illa. *Ad 2.* Dici de particulari aut ſingulari, eſt vt de ſubiecto: quod non eſt in diuinis. *Ad 3.* Vt ſupra in defin. Perſonæ. *Ad 4. & 6. Damaſcenus* comparat tantùm eſſentiam Diuinam vniuerſali, perſonas ſingularibus. *Ad 5.* Perſonæ differunt numero .i. numeratione. *Ad 7.* Particulare .i. quaſi partem capiens vniuerſalis: Hinc non poſſunt eſſe in diuinis. Indiuiduum vltima diuiſione, vt atomus, nullatenus eſt in Perſonis diuinis: ſed indiuiduum ſua proprietate diſtinctum à quolibet alio, non repugnat. *Ad vlt. S. Hylarius 7. Trin.* non loquitur de genere propriè.

Art. 2. An prædicamenta & prædicabilia conueniant diuinis. *Reſp.* Non propriè, quoad ſubordinationem inferiorum ad ſuperiora: ſed communiter, & ſimiliter, &c. *Ad 1. & 2.* Deus non poteſt eſſe ſubiectum eſſendi, ſed dicendi. Nam in Theologicis non dicitur quid cui inſit: ſed quòd ſit.

Art. 3. De ſingulis Prædicamentis. §. 1. Quòd ſubſtantia à ſubſtando non conueniat Deo: ſed à per ſe ſtando, ſeu exiſtendo. §. 2. Quòd non omnia de Deo ſubſtantialiter & abſolutè dicantur: ſed quædam etiam relatiuè; non tamen accidentaliter. Ex B. *Aug. 5. Trin.* Hinc *ad 1.* *Ad 2.* Prima diuiſio entis non eſt in per ſe, & in alio: quia nil poteſt ineſſe Deo; ſed in Ens ex ſe, vel ab alio ente. *Ad vlt.* Subſtantia à per ſe exiſtēdo, dicitur de Deo: non à ſubſtando & componendo. Sic nec relatio prædicamentalis & accidentalis conuenit Deo: ſed ſubſtantialis. §. 3. Quòd in diuinis ſit prædicatio relatiua: ſed non accidentalis; quia relatio eſt prior accidente. Nam prima relatio aptitudinis inter materiam & formam, non eſt accidentalis: quantò minùs inter Perſonas diuinas? Prius eſt enim eſſe, & eſſe ad aliquid,

Digitized by Google

aliquid, quàm prodeſſe vel ineſſe. *Ad 1.* ex *Boetio.* Non prædicari *omnino* .i. non vniuerſaliter. *Ad 2.* In Deo Subſtantia & Relatio non differunt in eſſendo, ſed dicendo, &c. §. 4. Quòd reliqua genera prædicamentorum raro tribuantur Diuinis: quia exprimunt defectũ & dependentiam à ſubſtantia, ſed eorum ſpecies, quæ non exprimunt ſui generis defectum, ſed propriam perfectionem. §. 5. Quòd quædam nomina omnium prædicamentorum de Deo dicantur: ſed trium priorum, quaſi rem ipſam ſignificent; reliquorum 7. quaſi tantùm circumſtantias extrinſecas. §. 6. Quòd quæ horum ſunt imperfectionis, non propriè ſed tranſlatiuè ſeu metaphoricè dicantur: nec quæ ſunt perfectionis in creaturis, niſi abſtrahantur à modo imperfecto quo ſunt in creaturis, ex *Aug.* 5. *Trin.* *Ad 1.* B. *Aug.* non dicit 5. *Trin.* Sine Relatione Creatorem &c. quia hæc in Deo non dicit imperfectionem, nec addit nec minuit; ſed in creatis notat aliquam dependentiam. *Ad vlt.* Actio ex ſe non dicit quoque imperfectionem: ſed in agente creato mutationem.

QVÆSTIO 49. *De nominibus eſſentialibus.*

Mem. 1. De nomine Eſſentiæ. *Art. 1.* Quòd Deus nominetur abſolutè Eſſentia: ex hac notione nobis indita, vt medio etiam ad hoc à Deo facto, *Rom. 1.* ex *B. Aug.* 5. *Trin.* Deus meliùs appellatur Eſſentia, Græcè vſia, quàm ſubſtantia.

Art. 2. Quòd nomen entis & eſſentiæ abſolutè & ſimpliciter, vt ex ſe, non ab alio, ſit proprium & eſſentiale Deo: non autem, vt commune & comparatum ad creaturas.

Art. 3. Quòd hoc nomen vt commune, nec ſit vniuocum, nec æquiuocum: ſed Analogum, ſeù priùs eſſentialiter Dei, quàm creaturæ.

Art. 4. Quòd hoc nomen abſtractum, vt *Quo*, non ſit appropriabile perſonis: ſed concretum, vt *Quòd*, ſeù habens eſſentiam. Hinc *ad 1.* *Ad 2.* ex *B. Aug.* 7. *Trin.* Sapientia de Sapientia, vt Eſſentia de Eſſentia &c .i. Filius qui eſt Eſſentia, de Patre qui eſt Eſſentia: ad expreſſionem Vnitatis. *Ad 3.* Abſtracta prorſus abſoluta, vt Eſſentia, Deitas, non ſunt appropriabilia: ſed abſtracta adhùc reſpectiua ad aliquem actum, vel habentem ſe, vt Sapientia, Potentia, Virtus, &c. *Ad 4.* Diuinitas vel Natura generans aut genita .i. Pater aut Filius, qui eſt Diuinitas vel natura Diuina. Poteſt tamen Diuinitas ſumi pro vi Deifica, vt Natura pro vi productiua ſimilis: ſed hæ locutiones ſunt exponendæ, non extendendæ. *Ad 5.* Filius *de* Patre, dicit originem: ſed Eſſentia *de* Eſſentia, ſolam conuenientiam ſeù identitatem eſſentiæ, &c.

Memb. 2. De nomine Exiſtentiæ: An ſit eſſentiale Dei, vel perſonale; & an ſit magis proprium, quàm nomen Subſtantiæ. *Reſp.* ex *B. Aug.* & *Richar. de Trin.* Eſſe quoad aliquid eſſentiale, quo ad aliquid perſonale: ſed magis proprium quàm nomen Subſtantiæ. Quia Exiſtentia ab *Ex*, ſignat Originem, à *Siſtendo* quidditatem. *Infra.* Subſtantia de Deo abuſiuè dicitur, inquit *B. Aug.* quia denominatur à ſubſtando: ſed Exiſtentia propriè; quia eſt Eſſentia vnius ex alio eiuſdem eſſentiæ, priuſquàm alterius.

Memb. 3. De nomine Entis, ſeù *Quod Eſt*: An dici poſſit de Deo aut Perſonis Diuinis, pluraliter. *Reſp.* Non nominaliter, ſaltem ſubſtantiuè & abſolutè: ſed verbaliter & participialiter. Quia verbum & participium ſubſtantiuum eſſendi, non ſolum ſignificat Eſſentiam, ſed conſignificat etiam perſonam habẽtem Eſſentiam. Hinc Pater & Filius ſunt, & ſunt *Entes*, ſeù Entia participialiter: non ſunt autẽ Entia nominaliter ſaltem ſubſtantiuè; quia ſic Ens ſignificat Eſſentiam vt per ſe, non conſignificando habitam, vel perſonam habentem. Excipit nomen Exiſtentiæ & Perſonæ, quòd poſſit dici vna & tres: quia conſignificant reſpectum & diſtinctionem. Sed refert varias opiniones de nominibus Adiectiuis abſolutis, maſculinis vel & fœminis, ſine vel cum Articulo, vt *li bau, li iuſte*: an dici poſſint de Deo & diuinis pluraliter vel non. 1. Quòd ſi Ens ſumatur participialiter, dicatur pluraliter: ſi nominaliter ſubſtantiuè, nonniſi ſingulariter: ſi adiectiuè cum Articulo, ſingulariter; ſi ſine, pluraliter. 2. Quòd nulla adiectiua abſoluta, nec maſculina nec fœmina, poſſint dici pluraliter: niſi pro aduerbijs; vt fruendum eſt rebus æternis .i. æternaliter. 3. Præpoſitiui, quòd nulla maſculina, ſed quædam fœminina, vt Res, Perſona: ad notandam differentiam, & exemplo ſacræ Script. Quia in Symb. Athan. Non tres æterni, ſed vnus &c. 4. Quòd nec verba aut participia in plurali dicant ſubſtantiam diuinam: ex *Ioan. 16.* Ego & Pater vnũ ſumus. *Sed contra.* Pater & Filius ſunt aliquo, non aliquibus: Ergo Eſſentiâ Diuinâ; ſicque ſunt pluraliter, conſignificat Eſſentiam Diuinam. *Quod concedimus.*

Memb. 4. De nomine, *Qui Eſt.* Exod. 3. *Art. 1.* Quòd hoc nomen vt infinitum, & vt relatiuum ad ſuum ſubſtantiuũ præcedens, ſit eſſentiale, ſeù quaſi infiniti pelagi Eſſentiæ Dei, ex *Damaſc. B. Aug.* 5. *Trin. S. Dion. diu. nom.* ſed approprietur Filio, ex figura Filij ibi, & ex ſubintellecto articulo ſubiunctiuo diſcretionis. *Ad Arg.* Hinc non, *Qui* eſt Pater, eſt Filius: ſed, *Quod* eſt Pater, eſt Filius.

Art. 2. Quod *Ens*, & *Qui eſt*, ſit ſimpliciter primum nomen Dei in ſe, & abſolutiſſimæ ſignificationis: Bonum autem, ſit primum quoad nos, ſub prima ratione cauſali.

Mem. 5. De ſignificatione pronominali Dei. *Art. 1.* An pronomina ſignificent Eſſentiam Dei. *Reſp.* Dicunt quòd non in maſculino & fœminino, ſed in neutro. Notandum tamen *ex Libro de Regulis Fidei*, quòd cùm ſint pronomina Demonſtratiua, Relatiua, & Poſſeſſiua: Demonſtratiua magis impropriè conueniant Deo, quàm Relatiua; quia non eſt propriè vlla demonſtratio Dei, nec ad oculum, nec ad intellectum. Hinc, Ego ſum &c. *Exod. 3.* Eſt proſopopeïa .i. locutio ex perſona aliena, Dei, aut hominis. *Ad 1.* Ego ſum &c. poteſt ſtare pro Eſſentia, & pro qualibet perſona eſſentialiter, vel perſonaliter: vt, pro Patre *Eſa. penult.* pro Filio *Exod. 3.* & *Eſa. 43.* pro Spiritu S. *Mal. 3.* *Ad 2.* Non cognouerunt me: neutraliter .i. me eſſe; maſculinè, me Deum &c. *Ad 3.* Deus poteſt demonſtrari impropriè, vt ſupra. *Ad 4.* Pronomina propriè ſignificant

Digitized by Google

primò Perſonas: ſed dicitur nomen Eſſentię pronominari; quia ſignificat eam vt puram & ſimplicem. §. 1. Quòd pronomina poſſeſſiua magis impropriè de Deo dicantur, quàm alia: maximè, de Eſſentia reſpectu ſui: minùs de vna Perſona reſpectu alterius; minimè, de Eſſentia aut Perſona reſpectu creaturæ.

Art. 2. Quòd pronomina nec in maſculino, nec fœminino ſubſtantiuato, deſignent aut ſupponant Eſſentiam: ſed ſolùm in neutro. *Ad* 1. Complaceat *Tibi* .i. Trinitati, adiectiuè: non propriè *Tibi* vni Deo. *Ad* 2. Qui eſt *Exod.* 3. *Qui* ſupponit pro Perſona Filij, *Eſt* ſignat Eſſentiam vt in Perſona. *Ad* 3. Relatiua ſupponunt pro eodem cum antecedente: ſed demõſtratiua ſubſtantiuata importãt diſtinctionem & rationabilitatem; ideòque non poſſunt ſupponere pro Eſſentia. *Ad* 4. Sit ſalus illi &c. adiectiuè .i. Deo, ſupponendo pro Eſſentia. *Ad vlt.* Neutrum, non differt à maſculino & fœminino, quaſi ſexu: ſed conſignificatione rationalitatis & diſtinctionis per maſculinum, non per neutrum; ideòque *Iſte* ſupponit pro perſona, quia *Iſte* exigit diſtinctionem ſingularitatis & incõmunicabilitatis.

Qvæstio 50. *De Nomine Dei.*

Memb. 1. De ſignificatione Dei, naturaliter pro vero Deo, adoptiuè pro Sanctis, nuncupatiuè pro falſis Dijs. *Art.* 1. An de his dicatur vniuocè vel æquiuocè. *Reſp.* Præpoſitiuus dixit ſemper idem ſignificare: ſed non eidem verè tribui, &c. *Altiſſodorenſis* diſtinguit, quòd qui cognouerunt verum Deum, idem ſignificent nomine Dei, de omnibus Dijs: non qui nunquam cognouerunt verum. Sed dicendum, tenendo mediam viam: quòd vt Deus ſignificat propriè primam omnium cauſam: aliter prorſùs dicatur de vnico vero, quàm de alijs; ſed vt cõmuniter ſignificat aliquid ſupra homines venerandum, vel verè vel falſò, vel Latriâ vel Duliâ, ſic dicatur priùs & poſterius. Hinc *ad Arg.* *Ad vlt.* Idolum nihil eſt in mundo 1. *Cor.* 8. Id eſt 1. Non eſt formaliter inter creaturas. 2. Nil ineſt veri quod Idolatræ putant. 3. Non eſt vlli rei ſimile: ad diſtinctionem *Exod.* 20. *Deut.* 5. inter Idolum & ſimilitudinem. 4. Nil poteſt obeſſe vel prodeſſe. *Art.* 2. An ſit nomen operationis Dei. *Reſp.* Non quaſi ſignificans aliquam operationem: ſed ex græco, ab operatione ſeù vi actuali interna fouendi ſeù conſeruandi omnia, videndi & prouidendi omnibus, ardendi ac conſumendi omnia mala. Hinc ſatis *ad Arg.*

Memb. 2. Quòd nec congruè, nec propriè, nec verè ſignificet aut conſignificet plures Deos: quia non ſunt plures veræ Deitates, ſed vnica ſimpliciter & abſolutè.

Ad 1. Deitas eſt *Quâ*, Deus *Quod eſt*, Perſonæ *Qui*. Tres ſunt habentes Deitatem, vt *Quis* vel *Qui* habent, non vt *Quod*. *Ad* 2. Nomen Dei אלהים *Gen.* 1. Hebraïcè tribuitur Perſonis in plurali: non ſic Deus Latinè. *Ad* 3. Faciamus *Gen.* 3. Quia verba conſignificant adiectiuè perſonas operantes: non ſic nomen Deus, etſi ab operatione. *Ad* 4. Perſonæ Diuinæ, adiectiuè: non pluralitate Deitatis, ſed Perſonarum. *Ad* 5. Eſſentia cõmunis poteſt dici de omnibus: non Eſſentia Dei ex ſe. *Ad* 6. Æquè repugnant plura prima principia ac plures Dij, quoad rem, ſed non quoad imaginationem. *Ad* 7. In Symbolo, *Non tres Dij &c.* Gal. 4. *Naturâ non ſunt Dij &c.* 1. Cor. 8. *Sunt Dij multi &c* .i. Non ſunt veri, ſed falſi, aut participatiuè, vel non ſignificatiuè, ad exprimendam veritatem. *Ad* 8. Non dicuntur plures Dij adoptiuè: niſi ſub aliqua limitatione. *Ad vlt.* Nec plures Dij falſi: niſi ſub aliqua alienatione à vero Deo.

Memb. 3. De ſuppoſitione huius Nominis, Devs: An pro ſola Eſſentia, niſi ex aliquo adiuncto perſonæ propriæ; An verò etiam pro perſona, ex eius conſignificatione cum natura. *Art.* 1. *Reſp.* Quòd ſignificet eſſentiam: ſed ſupponat etiam pro perſona, ex proprio modo ſignificandi *Quod Deus eſt*, ſeù habens naturam Diuinam; non autem ſolùm *Quo eſt*, ſeù naturam habitam. Quamuis in Deo, *Quod eſt*, & *Quo*, non differant re: *ſed ratione dicendi ſecundùm nos.*

Art. 2. §. 1. Deus genuit Deum .i. Pater habens Deitatem, genuit Filium habentem eandem: ſed nec genuit ſeipſum Deum, nec alium Deum; quia nec idem gignit ſeipſum, nec alium in Deitate; ſed eſt fallacia à dicto ſecundùm quid, ſeu ſecundùm perſonam, ad dictum ſimpliciter, ſeu ſecundùm Deitatem. §. 2. Deus genuit alium qui eſt etiam Deus: ſed non genuit alium Deum, quia Deum eâdem Deitate, non aliâ. §. 3. Pater non genuit ſe: quamuis ex *B. Aug. in Ioannem*, miſerit Filium vt alterum ſe: *In Maxim.* genuerit de ſe alterum ſe: 15. *Trin.* Tanquã ſeipſum dicat: Et ex *Anſ. in proſol.* Idem Deus ſit de ſeipſo; quia in illa, *Pater genuit ſe*: *ſe* refertur ad eandem Perſonam Patris; in his autem omnibus, per aliquid adiunctum refertur ad aliam perſonam, vel ad aliquid eſſentiale. Vt 15. *Trin.* Tanquam ſeipſum dicere: non eſt gignere ſe; ſed gignendo Verbum, manifeſtare ſe. *Idem Deus de ſeipſo* .i. de ſua ſubſtantia. §. 4. De his, *Deus genuit Deum, qui eſt Deus Pater*: vel *qui non eſt Deus Pater.* Magiſter in Sent. negat illam, & diſtinguit hanc; vel quia non eſt Deus, vel quia non eſt Pater &c. *Præpoſitiuus* negat hanc, *Deus genuit Deum, qui non eſt Pater*; quia in affirmatiuis refertur ſuppoſitum tantùm, in negatiuis ſuppoſitum, & negatum. *Aliter*, poteſt hæc concedi, *Deus genuit Deum qui non eſt Deus Pater*: ſed non ſequitur; ergò eſt Deus, qui non eſt Deus Pater; quia in priori, *Deus* ſupponebat perſonaliter, in hac eſſentialiter. *Aliter*, poteſt dici quòd hæc eſt duplex, *Deus genuit Deum, qui non eſt Deus Pater*: quiâ Deus Pater poteſt teneri dictionaliter, circumloquendo perſonam, & ſic affirmatiua eſt falſa, negatiua vera; vel poteſt eſſe oratio in qua Pater ſit prædicatum, & Deus ei apponatur, ſicque eſt falſa; ſed ſi Deus referatur ad ſubiectum, & *Pater* ad Deum, eſt vera; ſi *Deus Pater* ad ſubiectũ, eſt falſa. §. 5. Quòd hæc ſit vera, *Deus generat, & ipſe non generatur*: ſed hæc ſit falſa, *Deus generat, & ipſe non eſt Filius*; quia *ipſe*, refertur ad perſonam Patris, & naturam eius: Hæc autem, *Deus generat vel generatur*, ſit partim ſingularis, partim indefinita; quia *Deus* habet ſignificationem proprij,

Digitized by Google

proprij, & ſuppoſitionem appellatiui.

§. 6. Quòd ſecundùm Præpoſitiuum hæc ſit falſa, *Deus eſt, & iſte non eſt Trinitas*: quia iſte refert ſignificatum & ſuppoſitum; ſed ſecundùm alios ſit vera, quia pronomen ſumitur pro ipſo nomine. Hinc autem non ſequitur quòd Deus non ſit Trinitas, de qualibet Perſona & eſſentia Diuina. Quia licet nomen Dei ſupponat pro qualibet perſona indiſtinctè: niſi addatur determinatio perſonalis, negatio eſt de quolibet ſuppoſito ac ſi præponeretur; vt Deus non eſt Pater, & non Deus eſt Pater. §. 7. Quòd hæc quam negauit *Porretanus*, ſit vera, *Deus eſt Trinitas* ex B. *Aug.* ſępè, quia Deus nùnc ſupponit pro eſſentia, nùnc pro perſona aut perſonis, &c. Homo per ſe ſupponit perſonaliter: ex adiuncto eſſentialiter; ſed Deus ex ſe ſupponit eſſentiam, ex adiuncto perſonam. In quo fallebatur *Porretanus*, &c. Trinitas eſt ad aliquid ſecundùm rem: ſed non ſecundùm dictionem.

QVÆSTIO 51.

De nominibus affirmatiuis & negatiuis.

Memb. 1. De affirmatiuis. *Art.* 1. An dicantur de Deo & creatura vniuocè vel æquiuocè? *Reſp.* Quidam dixerunt quòd æquiuocè, &c. Præpoſitiuus, quod vniuocè: ſed de Deo per eſſentiam, de creatura per participationem. *Contra* 1. Bonitas Dei eſt per eſſentiam, creatura per participationem: ergò non eadem dicitur de Deo & creatura. 2. Iuſtitia dicitur de Deo ſubſtantialiter, de homine accidentaliter: ergò non vniuocè. 3. Deus dicitur iuſtus vt retribuens vnicuique quod ſuum eſt: homo iuſtus, habitu retribuendi cuique quod ſuum eſt; ergò comparatiuè ad ſimilem actum, non æquiuocè. Propterea dicendum, eſt quòd nomina quæ non accipiuntur ſymbolicè ſeu metaphoricè, ſed myſticè ſeu ſpiritualiter, non dicuntur vniuocè, nec æquiuocè: quia non penitùs ſecundùm eandem, nec ſecundùm diuerſam rationem; ſed analogicè, ſecundùm prius & poſterius, per aliquam comparationem; non in aliquo genere vel ſpecie, nec quoad magis & minus quaſi intenſiuè, ſed quoad ſimiles effectus vel gradus perfectionis. *Art.* 2. An affirmationes de Deo ſint veræ? *Reſp.* ex S. *Dion.* de myſtica Theologia. Quòd affirmationes & negationes de Deo non opponãtur, ſed ſint ſimul veræ: quia vel affirmationes ſunt ſymbolicæ ſeu metaphoricæ, & négationes propriæ: vel illæ ſunt veræ de Deo per excellentiam perfectionis eius ſuper nos; hæ autem, per negationem tantùm ſecundùm nos, noſtramque apprehenſionem. Vnde S. *Dion.* Neque Deus ſpiritus eſt ſicut noſcimus, neque aliud cognitum à nobis, &c. Dicit autem affirmationes de Deo eſſe incompactas: quia nil componũt cum Deo; ſed negationes eſſe ſimpliciter veras, quia negant omnem compoſitionem.

Memb. 2. De nominibus priuatiuis vel negatiuis: an propriùs dicantur de Deo quàm poſitiua? *Reſp.* Quòd in dicendo negationes ſunt propriores: quia negant concretionem quam ſignificant affirmationes; ſed in eſſendo, affirmationes quæ dicunt perfectionem ſint propriores. Nam hæ non ſunt tranſlatæ à nobis ad Deum: ſed à Deo ad nos. Vt *Eph.* 3. Ex Deo Patre omnis paternitas in Cœlo & in terra nominatur.

QVÆSTIO 52.

De nominibus conſequentibus naturam.

Memb. 1. An ſignificent naturam Diuinam? *Reſp.* Quoad rem, ſignificare naturam: ſed quoad modum ſignificandi, conſequentia naturæ, vt in creatis. Subdit hoc eſſe intelligendũ de nominibus ſignificantibus determinatè: non abſolutè & indeterminatè, vt Ens, Qui eſt, &c.

Memb. 2. Quòd nomen Boni in Deo, ſignificet perfectionem generalem ad omnia: ſed nomen Iuſti, perfectionem ſpecialem ad aliquem actum.

Memb. 3. Quòd hæc nomina Dei, ſi ſint prorsùs abſoluta, non connotent vllum effectum in creatura: nec ſi ſint indeterminata ad actum æternum vel temporalem; ſed ſi ſint determinata ad temporalem. *Ad* 1. Homo dicitur iuſtus à ſolo habitu inclinante ad actum, ſicque connotando effectum. *Ad* 2. patet. *Ad* 3. Nomen iuſti & miſericordis ſignificant Diuinam Eſſentiam, connotando aptitudinem retributionis: ideò dicuntur de Deo ab æterno.

Memb. 4. An Concreta & abſtracta eodem modo dicantur? *Reſp.* ex Prępoſitiuo, quòd idem ſignificent: ſed abſtracta ſimpliciùs. Subdit, an vt Deus dicitur iuſtus & miſericors: ſic & iuſtitia & miſericordia? *Solutio.* Dictio copulans adiectiua verè coniungit eorum connotata: ſed copulans ſubſtantiua, non inuenit ſuppoſita connotata quæ verè coniungat. Recipitur tamen impropriè ob connotata quæ ibi ſunt: quia aliquando magis exprimitur veritas fidei per locutiones improprias, quàm proprias.

QVÆSTIO 53.

De nominibus reſpectiuis Domini & Creatoris.

Memb. 1. An nomen Domini ſignificet eſſentiam Dei, & ei conueniat ab æterno? *Reſp.* 1. ex Præpoſitiuo. Quòd Dominus abſolutè, notet eſſentiam, & ab æterno: ſed reſpectiuè, primariò ſignificet eſſentiam, ſecundariò relationem; vt ſit ſenſus, Deus eſt Dominus .i. eſt Deus cui ſubeſt creatura. Sic & Creator, &c. Nec propterea ſequitur: ergò eſt Creator ab æterno; quia creatura non incipit ab æterno. Sed quia ex B. *Aug.* 5. *Trin.* Creator relatiuè dicitur: nec eſt Dominus niſi habens ſeruum. *Reſp* 2. Quòd Dominus ſemper ſumatur reſpectiuè: ſed in habitu ab æterno, in actu ex tempore, vt & dominator.

Mem. 2. An Deus ſit omnium rerum Dominus ex tempore. *Reſp.* ex B. *Aug.* 5. *Trin.* & *Magiſtro in* 1. *diſt.* 30. Quòd cœperit eſſe Dominus temporis, cum tempore: Reliquorum omnium, ex tempore; quia omnis creatura cœpit ex nihilo; ergò & ex tempore, ſeù mutatione. *Ad Arg.* Deus non cœpit eſſe Dominus cum tempore pariter, ſed ſimul: Hinc tempus non cœpit eſſe cum Dominó.

Memb. 3. An reſpectus Domini &c. ſit creatus. Dixit Porretanus quòd ſit quædam relatio Dei aſſiſtens Deo ex tempore. *Contra* 1. Ex *Boët. de Trin.* & *S. Ambr.* Eſt nomen poteſtatis. 2. Deus eſſet Dominus aliquo reſpectu creato. 3. Hic reſpectus eſſet creatus alio reſpectu, & ſic in infinitum.

Digitized by Google

4. Nulla eſt creatura per quam reliquę omnes fiant. *Alij* dixerunt quòd hæ relationes ſint creaturæ: ſed non prædicentur de Deo niſi cauſaliter, vt medicina dicitur ſana. *Contra. 1.* Eſt aliquid in medicina, quo eſt ſanatiua: ergò & in Deo quo eſt Creator. 2. Sanum eſt æquiuocum ad plura, non Creator & Dominus. *Reſp.* Quòd dominium Dei ſit increatum, quoad principale ſignificatum: nec tamen ab æterno; quia connotat reſpectum creaturæ ad Deum.

Memb. 1. An hic reſpectus connotatus ſit in creatura? *Art. 1.* Quod Eſſentia Diuina non referatur ad creaturam, ſed è conuerſo: quia illa non dependet ab hac, vt hæc ab illa; ſed correlatiuè dicuntur ex collatione intellectus. *Ad 1.* Dominus & Creator ſunt relatiua in dicendo, non in eſſendo. *Ad 2.* Dicitur Dominus & Creator, habitudine creaturæ ad ſe.

Art. 2. Quòd inter Deũ & creaturã non ſit relatio reciproca, ſed vnica: quoad rem ſolius creaturę ad Deum; Dei autem ad creaturam, ex ſola ratione conferente, & dictione hanc collationem exprimente. Vt actio & paſſio ſunt correlatiuæ dictione: ſed non re, in effectu ex nihilo; quia paſſio non eſt in effectu, ſed in ſubiecto actionis. *Ad 1.* Reſpectus connotatus non dicitur de Deo quaſi ei inſit, ſed in creatura ad Deum. *Ad 2.* Id quo quid refertur ad aliud, eſt in eo quod refertur, non in eo ad quod. *Ad 3.* Seruitus eſt in creatura: dominium, quoad ipſam poteſtatem eſt in Deo & Deus ipſe; ſed comparatio vel ſuppoſitio huius poteſtatis nulli ineſt vt ſubiecto, ſed adeſt Deo, ſeu eſt ad Deum.

Art. 3. Quòd quidam dicant Dominum & Creatorem eodem modo dici de Deo: alij quod Deus dicatur Creator omnium, comprædicando aliquid de Deo; Dominus autem, ſolùm connotando. Aliter poteſt dici, quod in his, Deus eſt Dominus, eſt Creator &c. Eſſentia Diuina prædicetur connotando reſpectum aliquem inter Deum & creaturam; vel in habitu, vt Deus eſt exemplar rerum fiendarum; vel in actu, vt Deus eſt Creator, vel Dominus. Item, vel vt actio in agente cùm dicitur: Deus eſt dator; vel vt res in quiete, cùm dicitur: Deus eſt Dominus. Item, vel connotatur purus reſpectus creaturæ ad Deum, vt Dominus: vel etiam ipſum eſſe creaturæ, vt Creator; vel aliquid vltra, vt Iuſtificator. Quoad principale ergò ſignificatum, eſt idem prædicatum, & modus prædicandi: ſed non quoad con prædicata &c. Deus ergò incipit eſſe Creator: non inceptione circa rem principaliter prædicatam, ſed comprædicatam.

QVÆSTIO 54.

De nominibus reſpectiuis inter Perſonas.

Mem. 1. De relatiuis Logicè. *Art. 1.* An æqualis & ſimilis &c. dicantur abſolutè vel relatiuè in Deo? Quidam dicunt, quòd ſolùm remotiuè ſumantur .i. non inæquales, non diſſimiles: Hinc, vt Lumbardus *1. Sent d. 30.* Similitudo eſt indifferentia. *Contra.* Catholicus affirmat æquales, & adorandam eſſe æqualitatem: Arrius negat &c. Alij, quòd hæ ſint relationes eſſentiales, & perſonales &c. *Reſp.* Quòd Æqualitas & Similitudo &c. principaliter ſignificent Eſſentiam: connotando relatiuè diſtinctionem Perſonarũ: ſed Vnitas approprietur Patri, vt primo Principio; æqualitas Filio, vt priori æquali & ex vi generationis; connexio, Spiritui ſancto, vt infra. Hinc *ad Arg.* Sed ad maiorem euidentiam, hæc nomina nec ſunt purè eſſentialia, nec purè relatiua: ſed in concreto ſignant relationem rectè, eſſentiam obliquè; in abſtracto è contra. Nam plures indifferentis eſſentiæ, dicuntur æquales & ſimiles: ſed æqualitas ac ſimilitudo dicitur indifferens eſſentia plurium. Indifferentia eſſentiæ non eſt ipſa æqualitas: ſed ratio æqualitatis & ſimilitudinis. *Art. 2.* Quòd vt Filius Patri, ita & Pater dici poſſit æqualis & ſimilis Filio, quoad vnitatem naturæ, & diſtinctionem Perſonarum: non autem quoad aſſimilationem Filio vt priori, ſicut Filius aſſimilatur Patri. *Ad 1. ex S. Dion. de diuin. nom.* Inter cauſas & effectu ſimiles, non eſt reciproca ſimilitudo ad effectũ: ſed hic eſt identitas naturæ, non cauſalitas. *Ad vlt.* Æquale & ſimile in Deo, partim eſt eſſentiale, partim perſonale indeterminatum: niſi determinetur addendo, Patri, vel Filio, &c. *Art. 3.* Quòd cùm perſonæ dicuntur æquales, ſimiles, imò coæquales, & conſimiles: non ſignificetur prioritas; ſed cùm dicitur vna alteri coæquari, vel aſſimilari. Hinc non poſſit Pater dici coæquari vel aſſimilari Filio, imò nec eſſe æqualis ſuæ imagini, ſicut dicitur æqualis Filio: quia imago dicit expreſſam ſimilitudinem à Patre.

Art. 4. Quòd Chriſtus vt Homo, non ſit ſibi ſimilis vt eſt Deus, in natura, ſed in gloria perfecta: quia illa ſimilitudo eſt inter plures perſonas eiuſdem naturæ, non inter naturas eiuſdem perſonæ.

Mem. 2. De relatiuis grammaticè, talis, qualis &c. 1. Inter Deum & creaturas. 2. Inter ipſas perſonas Diuinas. *Reſp. 1.* Quòd qualis eſt Deus exemplariter, tales ſint creaturæ ſimiliter. *Reſp. 2.* Quòd, *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus*: non ſolùm quoad effectus; ſed & quoad naturam ab æterno. *Ad 1.* Talis hîc demonſtrat Filium: ſed appellat & ſupponit Patrem. *Ad 2.* Nomina Eſſentialia ſubſtantialia, vt Deus, bonitas &c. ſignificant Deum ſubſtantialiter: adiectiua, qualitatiuè; relatiua relatiuè. *Ad 3.* Perſonæ vt ſic, non dicuntur quales vel tales: ſed ad aliquid.

QVÆSTIO 55.

De Nominibus Symbolicis: ſeu Metaphoricis.

Vt ſupra, inquit, *Quæſt. 1. Memb. 4. & q. 48.*

QVÆSTIO 56. *De Nominibus perſonalibus, communibus & abſolutis, Perſonæ, & Hypoſtaſis.*

Memb. 1. Vnde nomen Perſonæ? *Reſp.* Vel à diſtinctione ac demonſtratione grammatica trium Perſonarum: vel à repræſentatione comica certarũ perſonarum, ſub earum laruis perſonando. Vnde & Perſona Græcè, proſôpon, quaſi à larua ante faciem.

Memb. 2. An Perſona Diuina dicat ſubſtantiam vel relationem. 1. Opinio: quòd abſolutè dicat eſſentiam: determinatè, hypoſtaſim ſeù perſonam relatiuam, vel notionem perſonalem. 2. Quòd dicat eſſentiam, vt in ſuppoſitis. 3 Quòd principaliter dicat Eſſentiam, ſecundariò diſtinctionem perſonalem. 4. Quòd ante quæſtionem Arrianorũ,

Digitized by Google

Quid tres, &c? Perſona ſignabat Eſſentiam: poſt verò tranſlata ſit ad hypoſtaſim. *Reſp.* ex *Richardo de Trin.* Quòd perſona non ſignificet niſi ſubſtantiam intellectualem, ſingularem, & incommunicabilem. *Ad 1. & 3.* Boëtius & B. Aug. *6. & 7. Trin.* ſumunt adhuc hypoſtaſim pro ſubſtantia. *Ad 2.* Idem eſt re, non ratione, dictione, & attributione: Deum eſſe, & Perſonam eſſe. *Ad 4.* Perſona dicitur ad ſe .i. ſignificat quaſi abſolutè, habentem naturam rationalem, ſub proprietate incommunicabili. *Ad 5. infra. M. 4.* *Ad 6.* ex *Aug. 6. Trin.* Quæſtio *Quid tres?* non fuit de eſſentia: ſed de dictione ſeu additione nominis ſubſtantiui ad Tres in Diuinis.] Subdit, quòd nomen Perſonæ ſit medium inter eſſentialia & relatiua: ſignificans & naturam eandem Trium in Deo, & relationem; non tamen relatiuè.

Memb. 3. Quid ſit perſona? *Reſp. 1.* ex Richardo, *Eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia. 2.* Ex eodem, *Eſt exiſtens per ſe ſolum, iuxta quendam rationalis exiſtentiæ modum. 3.* Ex Magiſtris, *Eſt hypoſtaſis diſtincta proprietate ad dignitatem pertinente. 4.* Ex Boëtio, *Eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.* Sed præfert illam correctionem *Richardi*: quia nec natura Diuina eſt propriè rationalis, ſed intellectualis; & ipſa, ac anima noſtra eſt ſubſtantia indiuidua, ſeù ſingularis, ſed non incõmunicabilis. Niſi *Boëtius* vſus ſit his vt ſynonimis. Hinc *ad 1. & 2.* *Ad 3.* Perſona, quaſi per ſe primò vna vel ſonans, eſt incommunicabilis, in prædicari, in componi, & aſſumi, &c. *Ad 4.* Perſona eſt incommunicabilis: ſed anima ſeparata eſt adhuc communicabilis. *Ad 5.* Non eſt diſcretio Perſonarum inter animas, vt eſt inter Angelos: ſed benè perſonalis, ſeu conueniens perſonis. *Ad 6. & 7.* Perſona non eſt ſecundùm eſſentiam, ſed hypoſtaſim ſeu perſonalitatem. *Ad 8.* Forma Dei & forma ſerui .i. natura Dei & ſerui. *Ad vlt.* Diffinitio *Boëtij* & *Richardi* ſupra, eſt perſonæ quoad rem: Alia *Richardi*, eſt perſonæ quoad nomen; vt & illa Iſidori, *Perſona eſt res per ſe vna.* Illa verò magiſtralis, eſt quoad vſum huius nominis.

Memb. 4. De communitate huius nominis, Perſona. *Art. 1.* An dicatur vniuocè de pluribus? *Reſp.* ex *Magiſtro Sent.* quòd non: ſed æquiuocè, pro eſſentia, pro hypoſtaſi ſeu ſuppoſito, pro ſola proprietate perſonali. *Sed contra.* Non dicitur æquiuocè *Petrus* & *Paulus* eſt alius & alius homo, *Petrus* & *Paulus* eſt homo, *Petrus* differt à *Paulo*: ergò, &c. *Ad hæc.* Non eſt diuerſa ſignificatio, ſed diuerſus modus prædicandi. Nam talia ſunt prædicata, qualia præmiſerunt ſubiecta: & aliter ſumuntur cum verbo eſt, quàm cum verbo differt. Nec Perſona dicitur cõmuniter de creata & non creata: ſed per prius & poſterius. Nota ſecundùm quoſdam, quòd vniuocatio eſt multipliciter. *1.* Per conformitatem naturæ. *2.* Per generalem ſimilitudinem intellectus cum qualibet re: ſicque nomen rei eſt vniuocum ad res quibus fruendum & vtendum. *3.* Per denominationem formæ quæ eſt in anima: ſicque *notio* eſt nomen commune ad proprietates perſonales. *4.* Per conuenientiam effectuum, vt ſupra de nomine iuſti: ſicque nomen perſonæ eſt vniuocum ad creatas & increatas.

Art. 2. An Perſona in Deo ſit quid commune, quoad rem, vel ſolam rationem. *Reſp.* Ex textu contricato: eſſe quid commune quoad rem Eſſentiæ, non Perſonæ; ſed quoad habitudinem, ſeù modum habendi eandem naturam. *Vna eſt*, ait, *ratio communis .i. conſimilis modus habendi tria ad vnum, qui ſignificatur per hypoſtaſim & perſonam. Sed hæc habitudo non eſt communis niſi ex conſequenti: quia eſt habitudo ad vnum commune; quia verò eſt plurium habitudo, dicitur etiam pluraliter, &c. Nomen eſſentiæ & perſonæ eſt idem commune quoad rem, ſed aliter & aliter: illud ſecundùm ſe, hoc ex conſequenti habitudine ad illud: hæc autem habitudo non eſt cauſata in intellectu, ſed deſignatur cum dicitur, Tres ſunt vnus Deus.* Subdit, ſignatum Perſonæ non eſſe commune proportione, vt inter Deum & creaturas: nec habitudine ad alterum, vt inter Perſonas pluraliter; ſed habitudine plurium ad vnũ. Nec ideò eſſe vniuerſale: quia ad hoc non ſufficit communitas habitudinis, ſed naturæ. Nec poſſe abſtrahi à Perſonis, vt nec ab eſſentia communi.

Mem. 5. An ſuppoſitâ perſonâ, ſupponatur eſſentia? *Reſp.* Quòd non: quia licet eſſentia & perſona ſint idem; modus tamen & differentia habitudinis, quam ſequitur ſuppoſitio, eſt Perſonæ, non Eſſentiæ vt ſic. *Ad 1. & 2.* Nulla eſt differentia inter eſſentiam & perſonam: ſed modus perſonæ, non eſt eſſentiæ; vt inter definitionem & definitum. *Nota*, quòd Perſona non dicatur per additionem ad eſſentiam: ſed eſſentia eſt obliquè in intelligentia perſonæ. Nam Perſona dicitur naturæ Diuinæ: ſed illud dicitur ſupponi in altero, quod eſt in eius intentione ſeu notione in recto, & cui tribuitur quicquid alteri; vt eſt animal in homine, &c. *Ideò dixerunt antiqui, quòd ſuppoſitâ perſonâ non ſupponatur eſſentia: quia perſona generat, non eſſentia. Nec hinc ſequitur quòd perſona non ſit eſſentia: ſed quòd ſit alia ratio intelligentiæ.*

Art. 6. Quòd nomen perſonæ, ſine determinatione, nec in ſingulari nec in plurali ſignificet Eſſentiam: ſed hypoſtaſim, ſeu ſubſtantiam incommunicabilem, vt ſupra.

Memb. 7. De comparatione Perſonæ ad Eſſentiam. *Art. 1.* An Perſona ſit Eſſentia? *Reſp.* Eſſe idem re: diſtingui autem, non ſola voce, ſed intelligentiâ; quia Deus eſt ſimpliciſſimus, & tamen quædam conueniunt ei quoad Eſſentiam, non quoad Perſonam, & è contra. *Ad varia Arg.* Monet differentias perſonarum inter ſe, non eſſe earum ab eſſentia: nec hanc ineſſe illis aliqua relatione diſtincta, ſed ſeipſa. *Ad 9.* tamen ait: *Diſtinctioni Eſſentiæ à Perſona, aliquid reſpondet in re; nec intellectus ponit perſonam non eſſe eſſentiam; ſed ponit aliquid ineſſe Perſonæ quod non Eſſentiæ.* *Art. 2.* An Perſona differat ab Eſſentia? *Reſp.* Non re, ſed intelligentiâ. Ex B. *Aug. 7. Trin. & Damaſc. Lib. 3.* *Ad 1.* Modi exiſtendi diſtinguunt relatiuè Perſonas inter ſe: non ab Eſſentia, quæ non eſt eis correlatiua. *Ad 2.* Proprietas perſonalis nil rei addit Eſſentiæ: ſed ſolum modum & ordinem relatiuum exiſtendi. *Ad 3.* Proprietas perſonalis primæ intentionis, nominatur

Digitized by Google

minatur ab intellectu conſiderante modum eſſendi: ſed proprietas intentionis, vt differens, diſtinctus, &c. eſt ex reflexione ad intelligentiam rei *Art. 3.* An conuenientiùs dicatur perſona eſſentiæ, vel perſona eſſentia? *Reſp.* Quidam dixerunt, quòd Perſona dicit Eſſentiam in recto, diſtinctionem in obliquo: quia Perſona eſt quaſi per ſe vna, &c. Sed hæc opinio eſt errori propinqua: quia ſic Perſona non ſupponeret niſi pro Eſſentia, &c. Ideò eſt dicendum, quòd ad ſimplicitatem rei conuenientiùs dicatur Perſona Eſſentia: ſed Perſona Eſſentiæ, ad intelligentiam rei. *Ad 1.* Tranſitio ſeu conſtructio recti cum obliquo in genitiuo, tantùm requirit differentiam rationis: vt Bonitas Dei &c. *Ad 2.* Deus ſupponit Perſonam, non Deitas: & ſuppoſitio eſt in recto, non in obliquo. *Ad 3.* Deitas eſt *Quo*, Deus eſt *Quòd*: ideò illa conuenientiùs dicitur eſſe trium Perſonarum; Deus autem, tres Perſonæ. *Ad vlt.* Quid Tres? quoad nomen ſubſtantiuum illius adiectiui: vel, *quid*, poteſt etiam quærere rem Perſonæ.

Qvæstio 57. *De nomine ſubſiſtentiæ.*

Memb. 1. An dicatur in Deo? *Reſp.* Non à ſubſtando, ſed à per ſe ſtando: vt B. *Aug. 7. Trin.* de Subſtantia. *Ad 1.* Subſiſtentia magis dicitur à per ſe ſtando, quàm ſubſtantia. *Ad 2.* Hîc, *Sub*, non eſt relatiuum ad ſupra, quoad rem: ſed quoad intelligentiam Eſſentiæ, & proprietatis. *Ad 3* Eſt ordo inter Perſonas Diuinas, non gradus inæquales. *Ad 4. & 5.* ex *Aug. 11. Conf. & contra Max.* De gradu quoad prioritatem, & intelligentiam, non inæqualitatem. *Ad 6.* Perſona non ſubſtat eſſentiæ propriè, ſed metaphoricè. *Ad 7.* In Deo nil eſt magis aut minùs commune: niſi in modo ſignificandi. *Ad 8. ex S. Dion. de diuin. Nom.* Hæc nomina in ſacra Scriptura exprimuntur fide, etſi non voce: ſuntque neceſſariò aſſumpta ad explicandum fidem. *Ad vlt.* Hæc omnia ſunt etiam in creatis.

Mem. 2. De diſtinctione Subſiſtentiæ, ab Eſſentia, ſubſtantia, Perſona: non vt vult *Præpoſ.* quòd ſit quædam ſubſtantia ſubiecta, & ſubſtantia generalis, ſpecialis, & indiuidua ſubiecti; quia hæc in diuinis non ſunt. Sed vel vt quidam, quòd Eſſentia græcè Vſia, ſit forma eſſendi; Subſtantia, græcè Vſioſis, ſit quaſi ſubiectũ particulare eſſendi; Subſiſtentia, græcè hypoſtaſis, ſit primum ſubiectum proprietatum indiuiduantium; Perſona, græcè Proſopon, ſit certa & diſtincta hypoſtaſis naturæ rationalis. Vel vt alij, quòd Eſſentia ſit Ens nec ex ſe nec ex alio: ſubſtantia Ens ex ſe; ſubſiſtentia vt & hypoſtaſis, Ens ex ſe diſtinguibile, non diſtinctum; Perſona, ens ex ſe diſtinctum. Vel quòd idem Deus, vt intelligitur *Quò eſt*, dicatur Deitas: vt *Quod eſt* communicabiliter, Deus; vt *Qui eſt* incommunicabiliter, ſed naturæ indeterminatæ, hypoſtaſis; vt *Qui eſt* naturæ intellectualis, Perſona. Hinc *ad 1. & 2.* *Ad vlt.* Ad diſtinctionem ab Hæreticis, non vtimur amplius nomine ſubſtantiæ pro hypoſtaſi: ſed pro ſola Eſſentia aut natura ſubſtantiali. Vt *Oſeæ 2.* Deus noluit vltra vocari *Baalim*, ſed *Vir meus*: quamuis ethymologicè idem eſſet.

Memb. 3. An nomen Subſiſtentiæ ſit eſſentiale, vel Perſonale? *Reſp.* Vt ſubſiſtentia, ſic ſubſtantia, à per ſe ſtando, dicitur eſſentialiter: à ſubſtando autem proprietatibus perſonalibus, perſonaliter; ſed nomen ſubſtantiæ eſt iam appropriatum ſoli eſſentiæ ſeu naturæ ſubſtantiali, ſubſiſtẽtia autem potiùs hypoſtaſi & perſonæ. *Ad 1.* Boëtius necdum tàm diſtinctè vtebatur. *Ad vlt.* Subſtantia opponitur relationi: non ſubſiſtentia. Hinc non æquè dicitur in Deo vna ſubſiſtentia, ac vna ſubſtantia: quia ſubſiſtentia plus accedit ad prædicationem relatiuam.

Qvæstio 58. *De nomine hypoſtaſis.*

Memb. 1. An dicatur in diuinis? *Reſp.* Dici: ſed non vt quondam Hæretici abutebantur, pro ipſa natura; nec prout in creatis ſubeſt accidentibus. Hinc ad *S. Hier. & Damaſc.*

Memb. 2. Quid ſit? *Reſp.* Eſt ſubſtantia ſeu res naturæ ſubſiſtens cum proprietate. Hæc autem res naturæ non determinat *Quo*, nec *Quod*: ſed *Qui* eſt, vt notione Perſonæ. Hinc non dicit ſolùm reſpectum: ſed & abſolutum in quo conceptus quieſcat.

Memb. 3. An dicatur vniuocè ad Patrem, Filium, & Spiritumſanctum? *Reſp.* Non vniuocatione communitatis, ſed habitudinis, ſeu vniformi habitudine, vt ſupra: propriè tamen, nec vniuocè, nec æquiuocè. *Ad 1.* Dicitur Pater reſpectu Filij: ſed Hypoſtaſis reſpectu Eſſentiæ, vel proprietatum. *Ad 2.* Hypoſtaſis dicitur Eſſentiæ, & Eſſentia communis tribus: non reſpectu reali inter Eſſentiam & Hypoſtaſes, ſed intelligentiâ.

Memb. 4. An & quid addat ſubſtantiæ? *Reſp.* Si ſubſtantia ſumatur pro re ſubſiſtente, addit ei incommunicabile: ſi pro ſola Eſſentia, hæc additur hypoſtaſi in obliquo, non in recto. *Ad vlt.* Perſona eſt hypoſtaſis vt diſtincta proprietate: ſed Hypoſtaſis eſt vt ſubſtans, ſeu ſubſiſtens proprietate.

Memb. 5. An vt Hypoſtaſis ſupponitur in Perſona, ſic & Eſſentia in Hypoſtaſi? *Reſp.* Quòd non: ex *Conc. Later. contra Abbatum Ioachim*, qui ex hac ſuppoſitione dicebat quòd Eſſentia generet. Sed nil ſupponitur niſi in eo de cuius ratione eſt, & dicitur in recto: vt Animal in Homine, hic in *Petro*, Hypoſtaſis in Perſona, &c.

Memb. 6. An ſit maior ſimplicitas Eſſentiæ, quàm hypoſtaſis? *Reſp.* Non re: ſed ex imperfectione intelligentiæ noſtræ.

Memb. 7. Quòd in Deo tot ſint hypoſtaſes, quot proprietates correlatiuæ: quia hæ ſunt incompoſſibiles in eadem hypoſtaſi. *Ad 2.* Hypoſtaſis in Deo eſt idem, & æquè diſtincta ac perſona: ſed illa ex ſuo proprio nomine & intelligentia, vt *Qui* ſubſiſtens ad proprietatem diſtinguentem; hæc vt *Qui* eam actu habens, & eâ diſtinctus. *Ad vlt. ex Boëtio*, videtur velle, *quòd ſola relatio multiplicet Trinitatem*, manifeſtando omnem diſtinctionem; ſed ſupponendo plures res ſubſiſtentes, non niſi relatas, ſed ſine intelligentia relationũ. *1.* Quia vt ſunt plures proprietates relatiuæ: ſic & plures ſubſiſtentes, qui eas diſtinctè habent. *2.* Quia generatio non eſt à relatione ad relationem. *3.* Quia relatiuum eſt aliquid præter relationem. Hinc infert ex *B. Aug. 1. Doctrina Chriſtiana cap. 1. 2. 3.* dici in Deo tres res perſonaliter, & vnam eſſentialiter. *Ad Damaſc.* Quòd in Deo ſit communitas re, diffe-

Digitized by Google

differentia ratione .i. non ſolâ re, ſed ratione ex re. Vnde in creatis eſt differentia ſimpliciter, vnitas ſecundùm quid: ſed in Deo vnitas ſimpliciter, differentia ſecundùm quid. *Ad 5. Hyl. de Trinit.* Quòd Perſonæ Diuinæ, non re, ſed ſolis nominibus differant .i. Non vanis, ſed veris & intelligibilibus, *quæ non ſunt ſine aliqua rei differentia.*

QVÆSTIO 59. *De nomine Patris.*

Memb. 1. Deus eſt Pater Filij ſui perſonaliter ab æterno: priuſquàm cauſaliter ad extra. *Epheſ. 1.*

Memb. 2. An & quomodo nomen Patris dicatur de Eſſentia? *Reſp.* ex *lib. de Regulis Fidei.* Nomen Patris prædicat de Deo Perſonam, aut Proprietatem perſonalem, aut relationem Patris ad Filium, aut relationem creationis naturæ rationalis, aut recreationis per gratiam. Subſtantiuato nomine Patris ex ſubintellecto articulo, vt gallicè *Ly Pere*: Deitas eſt Pater .i. Eſt ille qui generat; ſed adiectiuè prædicat relationem de Deo Patre. *Ad Quæſt.* An eſſentia ſit Pater paternitate: ſunt qui negant, quia paternitas non eſt proprietas eſſentiæ. Alij, quòd ſit Pater .i. ſit perſona generans generatione, ſed Pater paternitate: Alij, quòd Eſſentia ſit Pater .i. ſit perſona generans; ſicque poſſit concedi, Eſſentia eſt Pater paternitate, ſed non Eſſentia paternitate eſt Pater.

Mem. 3. An Pater generet vt Pater, aut ſub priori ratione. *Reſp. 1.* Quidam dicunt, quòd Paternitas vt eſt proprietas perſonalis, ſit intelligentiâ prior generatione: ſed vt eſt relatio ad Filium, ſit ex generatione. *Reſp. 2.* Cùm generatio ſit productio ſimilis in natura: poteſt tribui Patri, vt Deo generanti per ſe ratione naturæ; vt huic Perſonæ, ratione propriæ productionis; ſed expreſſiùs, Deo Patri. *Ad 1.* Pater in creatis eſt poſt generationem: non ſic in Deo; quia ibi relationes non ſunt niſi ad inuicem, hîc etiam in inuicem Ioan. 13. Hinc *Paternitas vt proprietas, eſt intelligentiâ prior generatione: vt relatio, eſt ſimul.*

QVÆSTIO 60. *De Nomine Filij Dei.*

Mem. 1. Quomodò ſit illi proprium. *Reſp.* Quòd ille ex identitate naturæ, nos ſola adoptione: ille proprietate originis, nos factura; ille verè, nos nuncupatiuè.

Mem. 2. An nos ex ſola gratia, non naturâ. *Reſp.* Ex quadam etiam imperfecta ſimilitudine & imagine naturæ rationalis: ſed perfectiore per gratiâ.

Mem. 3. An dæmones & homines mali poſſint adhuc dici Filij Dei? *Reſp.* Nullatenus dæmones, aut vlli damnati: quia ſunt Deo nimis difformes, & incapaces reformationis ad imaginem Dei; ſed alij, adhuc ſecundùm quid, quia adhuc capaces reformationis.

Mem. 4. An Adam in ſtatu innocentiæ fuerit Filius Dei? *Reſp.* Quòd ſic: quia fuit priùs naturâ, quàm adoptatus per gratiam innocentię, aut gratum facientem; adoptione ex non grato in gratum, non ex ingrato in gratum.

Mem. 5. An & ſanctificati in vtero? *Reſp.* Quod ſic: quia ſunt priùs nati in vtero, quàm extra.

QVÆSTIO 61. *De Nomine Imaginis.*

Memb. 1. An, & quid ſit in Deo, Perſonis, aut creaturis? *Reſp.* Imago propriè, vt forma expreſſa ad imitationem alterius, eſt perfectiſſimè & perſonaliter Filij Dei ad Patrem: ſed imperfectè, eſt etiam creaturæ rationalis ad Deum. Imago minùs propriè, vt forma exemplaris expreſſiua alterius, eſt eſſentialis & communis tribus Perſonis, ad creaturas rationales: ſed impropriè, pro ſola forma, in qua plures ſunt ſibi ſimiles, poteſt etiam dici de eſſentia reſpectu trium Perſonarum.

Mem. 2. Quid ſit perſonaliter? *Art. 1.* De prima defin. S. Hilarij: *Imago eſt ſpecies indifferens eius quod imaginatur* .i. conformis ſuo repræſentato.

Art. 2. De 2. defin. S. Hil. *Imago rei, eſt ſimilitudo indiſcreta, ad rem coæquandam imaginata.* Dicitur, *indiſcreta*, ab vnitate eſſentiæ, &c. *Art. 3.* De harum *Defin.* differētia: quòd cùm Filius ſit expreſſa ſimilitudo Patris, quoad ſapientiam & virtutem; prima *Defin.* ſit per expreſſam ſimilitudinem in cognitione, ſecunda in virtute.

Mem. 3. An ſit proprium nomen Filij Dei? *Art. 1.* An conueniat etiam creaturę rationali, vniuocè, vel æquiuocè? *Reſp.* Non vniuocè: quia nonniſi cauſaliter & imperfectè, ad imaginem, ſeu imitationem eius. *Art. 2.* An poſſit tribui Spirituiſancto? *Reſp.* Quòd non, ſed ſoli Filio: quia ſolus Filius habet vnitatem cum Patre in natura vt natura eſt, & in communi notione ſpirandi &c. *Ad 1.* ex *Damaſc.* Spirituſſanctus dicitur imago Filij, quaſi effectiuè, in reformatione imaginis Dei in nobis. *Ad 2.* Spirituſſanctus propriè non dicitur imago Filij: quia ſic eſſet tantùm imago imaginis; nec Patris, quia non eſt tam expreſſa ſimilitudo ac Filius; & quia imago eſt propria, vnius ſolius, ab vno ſolo repræſentato. Hinc *Mat. 11.* Nemo nouit Filiũ niſi Pater.

QVÆST. 62. *De Nomine Verbi.*

Mem. 1. De eius ſignificatione. *Art. 1.* Quòd Verbum Dei, non ſit ſimile noſtro vocali, nec intelligibili ipſius vocis: ſed rei ſeù obiecti, è memoria dicendo expreſſi. *Art. 2.* Quòd Verbum dicendo exprimatur ex priori notitia memoriæ. *Art. 3.* Quòd Verbum quo Deus omnia operatur, ſit vt verbum notitiæ noſtræ operatiuæ: Verbum quo reuelat Prophetis, vt noſtræ viſiuæ: Verbum quo dicto declarat ſeipſum intra ſe, vt noſtræ viſiuæ & operatiuæ. *Art. 4.* Quòd dicere Verbum, ſit dicendo gignere: ſed dicere Verbo aut in Verbo, connotet creaturas; nec tamen inde dicatur Verbum creaturarũ. *Art. 5.* Verbum Dei non poſſe dici cogitationem: quia hęc dicitur à coagitando, componendo, &c.

Mem. 2. An eſſe Verbum ſit proprium ſoli Filio? *Reſp.* A dicendo notionaliter, eſt ei proprium dicendo generari: non à dicendo eſſentialiter, ſeù intelligendo intra ſe, vel loquendo aut agendo extra. *Ad 1. & 2.* Tres Perſonæ ſe inuicem dicunt .i. intelligunt, & indicant vt obiectum: non autem ſe inuicem dicunt, vt Verbum.

Mem. 3. De operatione Verbi. *Art. 1.* Quòd Verbum Dei non ſit factum: ſed quaſi medium inter Patrem & Creaturam; quia Creatio eſt communis Patri, Verbo, & Spiritui ſancto. *Art. 2.* Quòd ex æternitate Verbi, non ſequatur æternitas facti.

Digitized by Google

QVÆSTIO 63. *De nomine Spiritusſancti.*

Memb. 1. An nomen Spiritus ſit commune. *Reſp.* A ſpirando actiuè ſeù cauſaliter, eſt cõmune tribus Perſonis: à ſpirari ſeù produci ſpirando, eſt proprium Spiritui ſancto. *Ad vlt.* Spiritus Dei intranſitiuè .i. qui eſt Deus: tranſitiuè .i. qui eſt à Deo.

Memb. 2. Quomodò approprietur per, *Sanctus?* *Reſp.* Vt Spiritus dicitur Sanctus, qui procedit & quaſi ſpiratur ex plurium cordibus: ſic Spiritusſanctus, qui procedit à Patre & Filio. *Ad Arg.* Vtrumque eſt commune, à ſpiratione actiua, & ſanctitate eſſentiali: ſed non à ſpirari, nec à ſanctitate amoris ſpirati.

Memb. 3. An dici poſſit Spiritus noſter? *Reſp.* Quòd non: quia non includit reſpectum ad creaturas. *Ad 1.* Dicitur noſter à ſpiratione actiua in nos. *Ad 2.* Vt Filius Dei nobis datus, non poteſt dici Filius noſter: ſic nec Spiritusſanctus, noſter &c. Spiritusſanctus .i. ſanctè Spiratus. *Ad reliqua.* Deus poteſt dici Sapientia noſtra, Deus noſter: ab operatione in nos.

QVÆSTIO 64. *De nomine Doni.*

Memb. 1. An ſit commune, vel proprium Spiritui ſancto. *Reſp.* Eſſe ei proprium. *Ad 1.* Tota Trinitas nobis datur: ſed nonniſi ex primo Dono Amoris appropriato Spiritui ſancto. *Ad 2.* Sola proceſſio per modum voluntatis eſt donum. *Ad 3.* ex *B. Aug.* Filius procedit à Patre quomodò natus, non quomodò datus. Spiritusſanctus eſt in ſe Donum donantis, & per ſe donabile, ſeù ex ſe aptum donari nobis: non ſic Pater & Filius. Nec Donum poteſt eſſe primum eſſe ſeù natura rei, nec naturale: ſed voluntarium, imò gratuitum. Quę ſunt ſolius Spiritusſancti.

Mem. 2. An ab æterno? *Reſp.* Vt Donum in ſe, & donabile nobis, ab æterno: ſed vt datum, nonniſi ex tempore. *Ad B. Aug. 5. Trin.* Eo dicitur donum, quo daturus erat .i. Eo nõ vt cauſâ, ſed vt ratione dãdi.

Mem. 3. An donabilitas ſit Notio Spiritusſancti? *Reſp.* Quòd non: quia eſt relatiua ad creaturas; ſed ratio Doni à Patre & Filio, eſt Proprietas, & Notio diſtinguens.

QVÆSTIO 65. *De nominibus Diſiunctiuis.*

Mem. 1. Quòd in Diuinis non ſit diuerſitas, nec diuiſio vel ſeparatio, nec ſolitudo ſeù ſingularitas: ſed diſcretio, diſtinctio, differentia Perſonarum.

Memb. 2. De nominibus partitiuis ſeù numerabilibus. *Art. 1.* Quòd vnum, duo, plura &c. non ſignificent negatiuè, ſed poſitiuè: ſubſtantiuè quidem in neutro Eſſentiam, in maſculino Perſonas, in fœminino Notiones vel proprietates: Adiectiuè autem, ſuum ſubſtantiuum Eſſentiale, Perſonale, vel Notionale. *Ad 1.* Vt Perſona, ſic vnus & vna, non ſignificant relatiuè, ſed important relationes. *Ad 2.* Tres non dicitur de ſingulis, ſed *in ſumma*, &c.

Art. 2. Quòd vnus, duo, tres, aliquis, alius &c. ſignificent relationem: ſed non relatiuè, ſeù vt relationem. *Art. 3.* An Pater & Filius poſſint dici vnus? *Reſp.* Non vnus ſubſtantiuè: ſed adiectiuè, Vnus æternus &c. Quia in adiectiuis ſubſtantiuatis, ſubintelligitur articulus ſubſignificans rem articulatam vt diſtinguibilem. *Art. 4.* Quòd nomina diſtinctiua ſeu partitiua non poſſint addi eſſentialibus. *Ex lib. de Regulis Fidei.* Hinc non dicatur congruè, aliquis, vel quidam, vel iſte, vel ſolus Deus. *Ad 1.* Vnus non dicitur de Deo partitiuè, ſed excluſiuè .i. vnicus. *Ad 2.* Signum vniuerſale vel particulare iunctum nomini eſſentiali, refertur ad Perſonas. *Ad 3.* Iſte, propriè & diſcretiuè non congruit Deo: ſed impropriè demonſtratiuè ad fidẽ.

Memb. 3. De nominibus excluſiuis. *Art. 1.* De ſolo Patre, Filio, aut Spiritusſancto: non ſolitudine ſimpliciter; ſed in ſola Paternitate, Filiatione, & Spiratione paſſiua. *Ad 1.* Solus Pater, & ſolus Filius, & ſolus Spiritusſanctus eſt Deus: non excludendo ſeinuicem à Deitate, ſed eam ſingulis tribuendo. *Ad 2.* Nominatio vnius Perſonæ, non excludit alias ab eſſentialibus, in quibus vnum ſunt. *Art. 2.* An hæ ſint veræ: ſolus Pater eſt Deus: Trinitas eſt ſolus Deus? *Ad 1. Reſp. 1.* Non excluſiuè à parte ſuppoſiti, ſed oppoſiti .i. Non quaſi Pater ſit Deus, nec alius ab eo ſit Deus: ſed quòd Pater ſit Deus, & non alius Deus. *Reſp. 2.* Nec excludendo idem prædicatum Deus ab alijs Perſonis. *3.* Nec excludendo communicabilitatem à Patre vt prædicato &c. niſi vt *Art. 1.* *Ad 2. Reſp.* Quòd ſic: *ex B. Aug. 6. Trin. S. Hil. 9. Trin. & ex lib. de Regulis fidei.* Quòd dictio excluſiua iuncta nomini eſſentiali notificet potiùs genus rei, quàm rem generis: nec ſupponat pro aliquo determinatè, ſed indeterminatè, vt Vnus Deus, ſolus Deus, &c.

Art. 3. Quo ſenſu, *Mat. 11.* Nemo nouerit Patrem niſi Filius? *Reſp.* Nemo, ſupponit communiter pro creato & increato: ſed *Filius* excipitur ab illa excluſione, ob ſuam eandem eſſentiam, & notitiam diuinam cum Patre; & ſic de Spiritu S. Vt, ſolus homo, non excludit vllum naturæ humanæ, ſed alienæ: ſic ſolus Deus, &c.

QVÆSTIO 66. *De nominibus collectiuis.*

Memb. 1. De nomine Trinitatis. *Art. 1.* De Trinitate .i. trium Perſonarum vnitate: non tàm eſſentiali, quàm perſonali; tàm vt ſingulis realiter propria, quàm vt tribus communi quoad intelligentiam. Quia licet vnitas eſſentialis prædicetur de Trinitate: non tamen formaliter conſtituitur aut denominatur trium vnitas, ab vnitate eſſentiali, ſed à perſonali vt plurificata in tribus. *Art. 2.* De numero Sanctæ Trinitatis: non quoad eſſentiam, ſed Perſonas, &c. vt q. 45. de numero Perſonarum. *Art. 3.* De Trinitate relatiuè: non ad aliquid extra ſe; ſed trium intra ſe, & inter ſe. *Ad Arg.* Tres Perſonæ ſunt vnum in eſſentia communiter quoad rem: ſunt vnum in Trinitate quaſi collectiuè. *Art. 4.* De Deo Trino aut Trinitate Diuina, non autem triplici aut triplicitate: quia hæc dicunt inæqualitatem & ſitum, illa tantùm ordinem. *Ex B. Aug. 6. Trin. Ad 1.* Multiplicatio in Deo dicitur impropriè: ſed nulla ſpecies multiplicitatis; quia hæ dicunt plus imperfectionis, quàm illa. *Ad 2.* Spiritusſanctus dicitur multiplex: non in ſe, ſed in ſuis effectibus.

Memb. 2. De nomine Trini. *Art. 1.* An & quo ſenſu de Deo dicatur? *Reſp.* Quidam dixerunt quòd nullam rem in Deo ſignificet, ſed ſolum intellectum.

lectum. Alij, quòd Deus aliquando ſupponat pro vnica Perſona, vt Deus generat: aliquando pro duabus, vt Deus procedit à Patre: aliquando pro tribus, vt Deus eſt Trinitas; quia eadem eſt in vnica, in duabus, & in tribus, &c. Poteſt ergo dici ſecundùm auctoritates Sanctorum, quòd cùm dicitur Deus Trinus & Vnus, Deus ſupponat indiſtinctè pro tribus Perſonis; Vnus, dicat formam; Trinus, ſignificet trinarium theologicum Perſonarum, prout indiſtinctè ſumuntur per nomen Deus; quia determinat illum, vt ſunt vnius naturæ. *Ad 1.* Trinus .i. quaſi tres & vnus: ſignificando ternarium vt ſuppoſitum, conſignificando vnitatem vt formam, &c. Ad hoc enim fuit inſtitutum à Theologis, vt determinaret indiſtinctam ſuppoſitionem huius nominis Deus. *Ad 2.* Deus eſt Trinus .i. vna eſſentia in recto, trium perſonarum in obliquo. *Deus* autem mediat vt *quod eſt*, inter Eſſentiam vt *Quo*, & Perſonam vt *Quis*. *Ad 3.* Deus eſt Trinus: non Trinitas trina; quia non ſunt tres Trinitates.

Art. 2. An poſſit dici Trinitas trina? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſic: quia Theologi hoc adiectiuo tantùm determinant ſuppoſitionem nominis *Deus*: ſed videtur potiùs vt ſupra, quòd *Trinus* determinet ſuppoſitionem diſtinctam *Dei* pro tribus, ſicque numeraret tres Trinitates. Subdit. *Trinitas eſt vna* .i. non vnitate eſſentiæ, ſed Trinitatis.

Art. 3. Quo ſenſu, Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate? *Reſp.* Vt Deitas eſt in Patre, Filio, & Spiritu ſancto, quaſi forma eſſendi: ſic vnitas eſſentiæ eſt in Trinitate .i. in tribus Perſonis. Sed Trinitas eſt in Vnitate: non tantùm identicè, ſed quaſi ſubiectiuè in ſuppoſito huius nominis Trinitas. Vt enim vnitas eſt quaſi forma Trinitatis: ita Trinitas quaſi ſubiectum Vnitatis. Sic & albedo dicitur eſſe in albo, & album in albedine. Vel poteſt dici, quòd *Trinitas* hic non accipitur pro perſonis diſtinctis, ſed pro ternario Perſonarum: & hoc nomen Vnitas emphaticè, pro ipſo Deo qui eſt vnitas; vt ſit ſenſus, Trinitas eſt in vnitate .i. in Deo qui eſt vnitas.

QVÆSTIO 67. *De Nominibus appropriatis.*

Memb. 1. De appropriata æternitate Patri, ſpecie Filio, vſu Spiritui S. à S. *Hylar. lib. de Trin.* Quia æternitas eſt ſine principio eſſentialiter, Pater perſonaliter; Species eſt ratio cognoſcendi, Filius eſt notitia expreſſa; vſus eſt operatio voluntaria, & vtilis, Spiritus S. eſt volitio procedens à Patre & Filio.

Memb. 2. De appropriata vnitate Patri, æqualitate Filio, cõcordia Spiritui S. *à B. Aug. doct. Chriſt.* Quia vnitas eſt principium numeri, & prior ſe ſolâ duali, vt Pater inter Perſonas: æqualitas eſt primò Perſonæ ſecundæ; concordia, ſupponit & vnit duos, vt Spiritus S. Patrem & Filium.

Memb. 3. De appropriata Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitate Spiritui S. *à B. Aug. lib. de Trin.* *Art. 1.* Quòd hæc appropriatio. *1.* Sit ad cauendum errorem, de Patre quaſi deficiente potentia, de Filio quaſi minùs Sapiente, de Spiritu S. quaſi inflato aut minùs benigno. *2.* Ad inducendam veritatem, quòd vt potentia in creatis non eſt ex ſapientia & bonitate, ſed ſapientia ex potentia, bonitas ex vtraque: ſic Deus Pater à nullo, Filius à Patre, Spiritus S. ab vtroque. *Art. 2.* Specialiter de Sapientia appropriata. *§. 1.* An eſſentialiter & perſonaliter dicatur? *Reſp.* Dici vniuocè: quia quamuis ſignificet eſſentiam, ſupponit perſonam, nec differt ſignificatione, ſed ſuppoſitione. Quæ enim non ſunt appropriabilia, vt Eſſentia, Deitas, &c. non poſſunt ſupponere pro perſona: quæ ſunt appropriabilia, vt illarum concreta; & quæ ſunt actu appropriata, poſſunt ſupponere pro eſſentia, & pro perſona; ſed quæ ſunt propria, non poſſunt ſupponere pro eſſentia.

§. 2. An dicatur etiam propriè perſonaliter? *Reſp.* Non quoad ſignificationem, ſed quoad ſuppoſitionem. Sic B. *Aug. 15. Trin.* Vt verbum Dei propriè Sapientia dicitur, &c. ſic Charitas propriè Spiritus S. *Ad 1.* Non dicitur Pater Sapere vel Sapiens Filio: ſed diligere amore, & operari Verbo, aut per Filium; quia ſapere eſt motus ad ſe, diligere & operari eſt motus à ſe. *Ad 2. & 3.* Sapientia non poteſt intelligi niſi eſſentialiter, vt habitualis ad actum: ſed amor, & eſſentialiter vt voluntas ſeu affectus boni; & relatiuè, vt vnitas volentium, &c.

§. 3. An Pater ſit Sapiens Sapientiâ genitâ? *Reſp.* Nullatenùs ſapit aut Sapiens eſt per Filium: quia *per* cum verbo abſoluto notat auctoritatem, cum tranſitiuo ſubauctoritatem; ſed aliquo ſenſu eſt ſapiens Sapientiâ genitâ .i. non quâ ſapit, ſed quam genuit, vel quæ eſt eadem ſapientia quam genuit. Hinc B. *Aug. in lib. 83. qq.* hoc retractat vt minùs benè dictum, quàm *lib. 7. Trin.* *Ad 1.* Filius dicitur Ars Patris .i. à Patre. *Ad 2. ex Retract.* vt ſupra. *Ad 3. ex B. Aug. 15. Trin.* Pater nouit omnia in Filio ſeu per Filium .i. omnes creaturas eſſe per Filium: non autem notitiâ quam Pater habet à Filio. Nec obſtat quòd ibidem dicat Patrem noſſe omnia in ſeipſo, & omnia in Filio: quia ſubdit, *omnia in ſeipſo tanquam ſeipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum, in quo & per quod ſunt creaturæ.*

§. 4. An Filius ſit Sapiens Sapientiâ genitâ? *2.* An Spirituſſanctus ſit etiam Sapientia de Sapientia? *3.* An Filius ſit Sapiens ſeipſo vel per ſeipſum? *Ad 1.* Reſpondet Magiſter *d. 23.* quòd Filius ſit Sapiens Sapientiâ genitâ, Pater ingenitâ, de qua eſt genita. Nec obſtat quòd hæc videatur propria Patri, illa Filio: cùm ſit eadem vtriuſque formaliter; quia differt tantùm modo ſignificandi originem aut non originem. *Ad 2. Reſp. ex B. Aug. 15. Trin.* quòd Spirituſſanctus ſit etiam Sapientia procedens de Sapientia, ſed proceſſione ſibi propria: ne videatur Filius tantùm ſapere Patri & Spirituiſancto, ſeu Pater & Spirituſſanctus ſapere Filio; quia hoc nomen per ſe quidem non appropriatur Spiritui ſancto, ſed per adiuncta. *Ad 3.* Quidam concedũt quòd ex ſua eſſentia ſit ſapiens, ſed non à ſeipſo: Alij quòd ſit ſapiens per ſe, ſed non à ſe, vel de ſe. Per ſe dicit ſufficientiam agentis: A ſe, notat originem illius ſufficientiæ.

§. 5. An Sapientia ſit cauſa rerum? *Reſp.* Quòd Scientia ſimplicis notitiæ non dicat cauſam: ſed ſcientia approbationis dicat cauſam in potentia. Sapientia dicit cauſam, vt in diſpoſitione remota:

Digitized by Google

Art, vt in diſpoſitione proxima.

§. *6.* An Deus dicatur ſapere creaturas? *Reſp.* Non ſimpliciter, vt in illis: ſed in ſeipſo, vt in earum cauſa; quia ſapere eſt cognoſcere cum delectatione, Deus autem non delectatur extra ſe.

§. *7.* An ſumma ſapientia participetur à creaturis irrationabilibus? *Reſp.* Quòd non, ex B. *Aug. l. 2. de Lib. Arb.* Sapientia attinens à fine ad finem *Sap. 7.* numeros dedit omnibus: ſed ſapere nonniſi rationalibus, &c.

§. *8.* An participetur etiam à malis? *Reſp.* Quòd non ſub ratione ſapientiæ & bonitatis, ſed ſcientiæ & veritatis. *Ad Arg.* Prima Veritas eſt de ſe ſummè ſapida ſeu delectabilis: ſed non delectat prauum affectum, nec intellectum practicum malorum, ſed tantùm ſpeculatiuum.

§. *9.* An notio ſapientiæ ſit nobis innata vel acquiſita? *Reſp.* Eſt innata quod ſit, ſed non quid & quomodò ſit.

Art. 3. De voluntate ſeu amore appropriato Spiritui S. §. *1.* An Pater & Filius diligāt ſe Spiritu S. vel per Spiritum S. *Reſp.* Pater diligit eſſentialiter: Diligit Filium notionaliter. Pater & Filius diligunt ſeinuicem amore qui eſt Spiritus S. *ex B. Aug. 6. de Trin. 5.* Hinc Magiſtri concedūt etiā quòd diligant ſe Spiritu S. Sed quidam dicunt quòd vt ſolo ſigno dilectionis. *Præpoſitiuus* addit, quòd diligant ſe per Spiritum S. ſubauthoritatiuè. Sed non eſt ſubauthoritas Spiritus S. niſi in creaturas. Alij dicunt quòd formaliter: vt duo homines diligunt ſe amore communi. Sed Spiritus S. non eſt Patri & Filio principium formale diligendi. Fuerunt qui dixerunt quòd Pater & Filius diligant ſe Spiritu S. notionaliter: non vt Principio, ſed de Principio .i. Spirent eum in ſe; ſicque diligāt nos Spiritu S. ſpirando eum in nos. Horum quidam addunt, quòd diligant eſſentialiter amore naturali: notionaliter autem etiam formaliter, amore gratuito ſeu ſpirato. *Sed* iſtorum opinio videtur deſtrui rationibus prædictis: propterea videtur dicendum, quòd Pater & Filius diligunt ſe inuicem, non tamen Spiritu S. nec per Spiritum S. Quia Spirituſſanctus eſt nomen proprium: amor autem appropriatum; nec Spiritus S. eſt vllatenus principium Patris & Filij amandi ſe inuicem. Hic ergo Ablatiuus, non eſt nota cauſæ formalis: ſed quaſi formæ exiſtentis ab eis, &c. Nec ſequitur quòd ſi diligunt ſe Spiritu S. ſpirent ſe Spiritu. S. Quia Spirare dicit reſpectū proceſſionis: diligere autē, amoris & nexus. Hinc patet, quòd qui dicunt Patrem & Filium diligere ſe Spiritu S. exponendi ſint .i. amore qui eſt Spiritus S. non abſolutè imitandi.

Mem. 4. De appropriatione illa, *Rom. 11. Ex ipſo* .i. Patre, *Per ipſum* .i. Filium, *In ipſo* .i. Spiritu S. Quia licet omnis cauſalitas Dei ſit communis tribus: *Ex* tamen appropriatur Patri, vt primo principio: *Per*, Filio, vt principio de principio: *In*, Spiritui S. vt bonitati omnia continēti, &c. Sunt 7. modi diſtinguendi tres Perſonas in ſacra Script. *1.* Significatione. *2.* Suppoſitione. *3.* Conſignificatione. *4.* Connotatione. *5.* Modo loquendi. *6.* Numero verborum. *7.* Ordine verborum.

QVÆSTIO 68. *De Nominibus Notionalibus.*

Memb. 1. De poſitione Notionum. *Art. 1.* An ſint ponendæ in Deo? *Reſp.* *Præpoſitiuus* dixit nullas eſſe, niſi in modo loquendi: quia vt Deus ſeipſo cognoſcit, creat, &c. ita ſeipſo diſtinguitur, ſeipſo refertur, &c. *Sed iuxta communem Magiſtrorum opinionem, non vanè, ſed verè ponuntur.* Ex SS. *Aug. Hier. Damaſc.* & præfatione Miſſæ, *In Perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas.* Quia de Deo verè reſpondetur ad *quid eſt*? Eſt Deus: ad *quis*, vel quæ? Perſonâ, Pater, &c. ad *quomodo*? Eſt generans, &c. Quamuis aliqui dicāt quæſtionem de Notione, eſſe *quæ*? Nota quòd Notio ſignificata nominaliter adiectiuè, vt innaſcibilis, verbaliter vt generare, participialiter vt generans, quæratur per *quomodo*? ſignificata ſubſtantiuè, vt paternitas, innaſcibilitas, per *quæ eſt*? *Ad 1.* Ex S. *Dion. de diu. Nom.* Nil eſt aſſerendum de Deo niſi ex ſacra Script .i. nil ſenſu proprio, ſed ad ſenſum fidei ex ſacra Script. & SS. Patribus: vt ſunt *Notiones* quas *Damaſc.* vocat *Idiomata Characteriſtica* .i. proprietates determinatas, S. *Aug.* relationes, S. *Hier.* non tantùm nomina, ſed rerum proprietates. *Ad 2.* In Deo non differunt re, *quid, quo, quis*, ſed intelligentiâ. Nam Pater verè eſt Pater Paternitate: & quælibet Perſona, vt ait *Damaſc.* proprium exiſtentiæ modum poſſidet. *Ad 3.* Pater diſtinguitur ab alijs ſuâ proprietate: quæ tamen non differt numero à Patre, ſed eſt ipſe Pater. Vt vna vnitas ſeipſâ differt ab alia. *Ad 4.* Differre ſeipſo, non excludit differre ſuâ proprietate: vt centrum ſeipſo differt à quolibet extra ſe. *Ad vlt.* Prima differentia in Deo eſt relatiua: Sed vel ſignificatur ſubſtantiuè in concreto cum eſſentia, vt Perſonæ: vel in abſtracto à Perſonis, vt proprietates perſonales, vel adiectiuè, vt notiones.

Art. 2. An contrariæ opiniones de Notionibus ſint licitæ? *Præpoſitiuus* dicit eas eſſe tantùm in modo liquendi. *Porretanus* ponit Notiones quaſi infinitas, &c. negans eſſe ipſas Perſonas. Quidam ponunt tres, Paternitatem, Filiationem, Proceſſionem. Magiſtri autem noſtri dicunt eſſe 5. duas in Patre, quæ ſunt *Paternitas & Innaſcibilitas*: vnam in Filio, quæ eſt *Filiatio*; vnam in Spiritu S. quæ eſt *Proceſſio*; vnam in Patre & Filio ſimul, quæ dicitur *Spiratio*, Quarum tres .i. Paternitas, Filiatio, & Proceſſio, ſint perſonales, ſeu conſtituētes Perſonas: duæ aliæ tantùm proprietates diſtinctiuæ Perſonarum. *Reſp.* Quòd nulla illarum opinionum ſit hæretica: quia non contra fidem, aut ea quæ directè ſunt ex fide; ſed aſſerere proprio iudicio, poſſet eſſe peccatum mortale ſuperbiæ, eleuandi ſe ſupra Deum, iudicando de ipſo, contra *Rom. 12* Non plus ſapere quàm oportet. Sed Magiſtri Theologiæ nil aſſerunt, ſed tantùm opinantur, ad defenſionem fidei: nec errant, quia error eſt cum pertinacia. Quòd ſi quis nimium adhæreat ſuæ opinioni, & glorietur de ſuo ingenio: non peccat niſi venialiter, ſi ſit paratus ad correptionem; ſed mortaliter, ſi glorietur pertinaciter. Hinc *B. Aug. 15. Trin.* Nuſquam periculoſiùs erratur, &c. *Ad vlt.* Non eſt idem Patrem non eſſe Patrem: & Paternitatem non eſſe Patrem, quamuis æquipolleant; & vnum idemque vno modo ſigni-

Digitized by Google

ſignificatum eſt contra fidem, alio non. Vt *Oſee 2.* Non vocabis me *Baalam*, ſed vir meus, &c.

Memb. 2. Quid ſint Notiones, Proprietates & Relationes in Diuinis? *Reſp.* proprietas dicitur, conueniens vni ſoli, & hunc ab alijs diſtinguens: Relatio, vt hunc ad illum referens: Notio, vt notum faciens. Sed Notio vel eſt rei vt cognoſcibilis, vel vt ipſius cognoſcentis, vel vt medij exterioris ad cognoſcendum. Quælibet creatura eſt Notio Dei, vt medium externum: omnis veritas de Deo nobis impreſſa, eſt eius Notio creata, vel concreata. Cognoſcibilitas ſeu ratio cognoſcendi Eſſentiam & eſſentialia Dei, eſt eius Notio eſſentialis. Sed rationes cognoſcendi & diſcernendi Perſonas Diuinas, ſunt earum Notiones, de quibus hîc. Subdit. *Eſſentia facit eſſe, Proprietates differre, Relatio referri, Notio cognoſci.* Hinc *ad 1. 2. 3. 4. Ad 5.* Socracitas in *Socrate* non eſt paternitas: quia illa eſt prior hâc; ſed in Deo ob ſummā ſimplicitatem eadē eſt proprietas referens & diſtinguens: & fortè idem eſt in patre, quoad rem, eſſe diſtinctum, & eſſe patrem. *Ad 6.* Proprietas poteſt dici etiam diſtinguens duas perſonas à tertia. *Ad 7.* Innaſcibilitas poteſt dici relatiua negatiuè, vt B. *Aug. 5. Trin.* de ratione Ingeniti.

Memb. 2. Quòd ſint 5. *Notiones*: Tres Patris, *Innaſcibilitas*, qua noſcitur non eſſe ab alio, *Paternitas* quâ noſcitur quòd ſit à quo Filius, & *Spiratio* quâ noſcitur quòd ſit à quo Spiritus S. Duæ Filij, *Filiatio* propria, & *Spiratio* communis cum Patre; vna propria Spiritus S. quæ eſt proceſſio. 4. Proprietates, *Innaſcibilitas* & *Paternitas*, ſolius Patris: Filiatio ſolius Filij; Proceſſio ſolius Spiritus S. Et 4. Relationes, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio communis*, & *Proceſſio.* Quia *innaſcibilitas* non dicit relationem niſi negatiuè.

§. 1. Quòd ſint tantùm 4. relationes. 1. Patris ad Filium. 2. Filij ad Patrem. 3. Patris & Filij ad Spiritum S. 4. Spiritusſancti ad Patrem & Filiū.

§. 2. Quòd ſint tantùm tres proprietates Perſonales .i. conſtituentes ac diſtinguētes ſingulas Perſonas. *Ad Damaſc.* quòd Perſonæ non differant niſi ingeneratione, generatione & proceſſione: hæ tres includunt alias diſtinctiones. Nam generatio ſupponit paternitatem: Proceſſio, ſpirationem Patris & Filij. Nec prima Perſona poteſt conſtitui negatione: quia hæc ſupponit affirmationem.

Memb. 4. Cùm ſpiratio ſit Notio communis Patri & Filio: cur proceſſio non ſit communis Filio & Spiritui S.? *Reſp.* Quia Notio eſt quoad aliquam dignitatem: eſſe autem ab alio non eſt dignitatis, niſi per generationem, vel ſpirationem. 2. Cur à quo nullus, non ſit Notio Spiritus S.? *Reſp.* Quia nullam dicit dignitatem. 3. Cur eſſe ab alio non eſt Notio, æquè ac non eſſe ab alio? *Reſp.* Quia illud eſt indeterminatum: hoc autem determinat primum principium. 3. Cur inſpirabilitas non ſit Notio, æquè ac innaſcibilitas? *Reſp.* Quia hæc continet illam: & hæc eſt dignitatis, non illa. 4. Cur à nullo eſſe, & à quo nullus, non ſit Notio? *Reſp.* Quia hoc eſt vnius Eſſentiæ, non perſonarum diſtinctarum. 5. Cur negationes generationis & ſpirationis, actiuè & paſſiuè, non ſint tot Notiones in Patre, Filio, & Spiritu S. *Reſp.* Quia non dicunt ſtatum dignitatis. 6. Cur innaſcibilitas & authoritas non ſint duæ Notiones? *Reſp.* Quia hæc in illa fundatur. 7. Cum tres Perſonæ ſint tres Res, & vna Res Eſſentiæ: cur tres relationes eiuſdem Perſonæ non ſint tres res, & vna perſona? *Reſp.* Eſſentia eſt res in eſſe & modo: Hypoſtaſis eſt res, in eſſe, Relatio in modo; Notio eſt ratio in eſſe & modo. Hinc proprietas non dicitur res, ſed ratio rei: nec Relatio dicitur res, ſed habitudo Rei. 8. Cur Deus non dicatur quinus, à 5. Notionibus, vt Trinus à tribus Perſonis? *Reſp.* Quia numerus non eſt niſi ex eis quæ per ſe ſunt. Hinc nec perſonalitates, nec vnitates perſonarum faciunt numerū: quia non ſunt vt per ſe, ſed vt in.

Mem. 5. De comparatione notionum vel proprietatum ad perſonas, ad Eſſentiam, ad attributa, ad ſe inuicem &c. *Art. 1.* An Notiones vel proprietates ſint ipſæ perſonæ? *Gilbertus Porr.* putauit quòd ſic: ſed nec eſſe in Eſſentia, nec in Perſona; quia non ſunt in, ſed ad. *Reſp.* Eſſe ipſas perſonas, ex ſummâ ſimplicitate, qua nec *Quod*, nec *Quis* differt à ſuo *Quo*.

Art. 2. An ſint ipſe Deus vel Eſſentia Diuina? *Reſp.* Eſſe, ob eandem ſummam ſimplicitatem. *Ad 4. ex B. Aug. 7. Trin.* Subſtantia non eſt id quo Pater eſt Pater. Non quòd Paternitas non ſit Eſſentia: ſed quod non ſit Pater Eſſentiâ, ſed Paternitate. *Ad vlt.* Eſſentia & Perſona non differunt re, ſed intelligentiâ. *Art. 3.* An ſint in Eſſentia? *Reſp.* Quòd nō propriè: ſed *abuſiuè & intranſitiuè* .i. *ſunt in Perſona quæ eſt Eſſentia.* Quia Eſſentia nec eſt ad eas potentialis, vt genus ad differentias: nec illæ ſunt quaſi formæ Eſſentiæ. *Art. 4.* An adiectiua eſſentialia dicantur de omnibus notionibus: vt Paternitas eſt æterna, ſicut eſt æternitas, &c. *Reſp.* Quòd ſic regulariter: niſi illa includant aut connotent reſpectum ad perſonam, vel ad aliqua eis propria vel appropriata, vel ad effectum proprium Eſſentiæ in creaturis; quia hæc repugnant Proprietatibus, & Notionibus. *Art. 5.* An adiectiua notionalia dicantur de ipſis notionibus ſubſtantiuis in abſtracto: vt Paternitas eſt generans, Filiatio genita &c? *Reſp.* Quòd non: quia hæc adiectiua ſupponunt perſonam cui adiaceant: Notiones autem vt ſic, abſtrahunt ab omni adiacentia; ſed adiectiua eſſentialia ſunt abſolutiora quàm notionalia, vt poſſint dici de notionibus. *Art. 6.* De comparatione notionum & proprietatū. §. 1. An eadem ſit aſſignatio concretè & abſtractè, ſubſtantiuè & adiectiuè? *Reſpondet* ex Magiſtro *diſt. 24.* eſſe eaſdem aſſignatas à *S. Hyl. & B. Aug.* tamen eſſe Patrem aut Filium ſignificare Hypoſtaſim & Relationem; ſed Paternitatem, & Filiationem, gignere & gigni, ſignificare tantùm relationem. §. 2. An proprietates poſſint ſignificari in abſtracto? *Reſp.* Non quoad rem: ſed quoad noſtram neceſſariam intelligentiam. Quòd autem *In Perſonis adoretur proprietas.* i. Perſonę Diuinę cuius ſunt proprietates. §. 3. An opinio *Gilberti Porretani* ſit hæretica: quòd proprietas non ſit Eſſentia? *Reſp.* Non eſt credibile tam peritos viros hæreſim ſenſiſſe: licet verba

Digitized by Google

eorum videantur aliquibus hæreſim ſonare: quia non fuit inter eos contradictio quoad rem, ſed quoad intelligentiam.

§. 4. An ſint eædem proprietates eiuſdem Perſonæ? *Reſp.* Eſſe eaſdem perſonaliter, non notionaliter. §. 5. An ratio proprietatis & relationis ſit communis tribus perſonis? *Reſp.* Non re, poſitiuè, & ſimpliciter: ſed tantùm ratione, negatiuè & ſecundùm quid. *Vt quæſt. de Perſonis.*

§. 6. An vna Notio dici poſſit de alia, concretè? *Reſp.* Non oppoſitæ ſeù correlatiuæ: ſed benè differentes. Vel, non Perſonales, ſed benè Perſonarum.

QVÆSTIO 69. *De Innaſcibilitate in ſpeciali.*

Memb. 1. An dicatur relatiuè? *Reſp.* Quòd ſic: ſed tantùm negatiuè; quia negationes reuocantur ad genus quod negant &c.

Mem. 2. An ſit Notio vel proprietas? *Reſp.* Quidam dicunt quòd ſit proprietas Patris: ſed non alia à primo Principio. Alij, quod ſit authoritas ſeù principalitas ſolius Patris: cùm Eſſentia ſit tantùm principium creaturarum. Alij, quòd ſit fontalis plenitudo Patris, ſed non relatiua. Alij, quòd ſit Notio negatiua Patris: non ab aliquo defectu, ſed à dignitate, quæ à nobis aliter ſignificari aut concipi nequit.

Mem. 3. An ſit proprietas Patris? *Reſp.* Negatiuè, negatione omnis proceſſionis, eſt ſolius Patris: contrariè, Spiritusſancti .i. ex vi ſuæ proceſſionis quaſi contrariæ generationi.

Memb. 4. An ſit Notio alia à Paternitate? *Reſp.* Eſſe aliam non realiter aut perſonaliter, ſed notionaliter: quia notificat aliam dignitatem Patris.

Ad vlt. Author eſſentialiter, eſt Eſſentia & SS. Trinitas: Notionaliter abſolutè, eſt Pater vt prima Perſona & Innaſcibilis; Author Filij, eſt Pater vt Pater; Author Spiritusſancti, eſt Pater & Filius. Hinc Arrius falsò intulit Patrem eſſe maiorem: quia à Relatione, ad quantitatem.

Mem. 5. An Innaſcibilitas intelligi poſſit ſine Paternitate? Cùm ex *B. Aug.* Si Pater non genuiſſet Filium: nihilominus eſſet innaſcibilis. *Reſp.* Non ex natura rei, nec ex vi Fidei: ſed intellectus noſtri humani, ex rebus humanis.

Additio. Cur *S. Hylar. libro de Synodis*, inferat potiùs duos Deos ex duobus Innaſcibilibus, quàm ex duobus Filijs Dei. *Reſp.* Quia duo Innaſcibiles ſunt contra ordinem & vnitatem: non ſic duo Filij.

QVÆSTIO 70. *De Notione Principij.*

Memb. 1. An Principium generandi, ſpirandi, & creandi dicatur de Deo vniuocè? *Reſp.* Quòd non: ſed analogicè, per priùs & poſteriùs intelligentiâ. §. 1. De quo priùs & poſteriùs? *Reſp.* Non dici de Deo priùs vel ante: niſi ab ordine temporis transferatur ad ordinem naturæ, cauſæ, intelligentiæ; quâ intelligentiâ abſolutè priùs eſt principium notionale generandi & ſpirandi de propria ſubſtantia, quàm Eſſentiale creandi de nihilo, ſed hoc à nobis priùs intelligitur quàm illud.

Memb. 2. De principio eſſentialiter. *Art. 1.* An dicatur de Deo ab æterno? *Reſp.* Deus eſt principium æternũ: ſed non ab æterno; quia illud quoad ſolum ſuppoſitum, hoc etiam quoad effectum connotatum. Sic & de conditore æterno, ſubſtantiuè .i. qui condidit: non adiectiuè .i. condens ab æterno. Quæ connotant actu reſpectum vel effectum temporalem, non poſſunt de Deo dici ab æterno: ſed quæ connotant quaſi habitu.

Art. 2. An Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint vnum vel plura principia creaturæ? *Reſp.* Eſſe vnicum, ab vnica ratione principiandi: ſed appropriari ſingulis perſonis *Rom. 11.* Ex, Per, In.

Memb. 3. De Principio Notionaliter. *Art. 1.* An dicatur eſſentialiter, vel Notionaliter de Patre, Principium ſine Principio: de Filio, Principium de Principio; de Spiritu S. Principium de vtroque? *Reſp.* Notionaliter indiſtinctè, de Patre & Filio: ſed de Spiritu S. quoad eſſentiam, ſupponendo pro perſona; vel eſſentialiter, referendo ad poſteriora; notionaliter, referendo ad priùs, & ſupponendo pro perſona.

Art. 2. An Eſſentia dici poſſit Principium Spiritusſancti, & Pater Filij? *Reſp.* Plures reſpondent quòd non, &c. Nobis autem videtur quòd ſic .i. Eſt Perſona generans Filium, Eſt Perſona principians ſeù ſpirans Spiritum S. Nec ſequitur: ergo Eſſentia ſpirat, &c.

Art. 2. An Pater & Filius ſint vnum Principium, vel duo, Spiritusſancti? *Reſp.* Quidam dixerunt, quòd ſint vnum: ſed aduerbialiter .i. vniformiter, vel ablatiuè .i. vna proprietate: Principium autem, adiectiuè tantùm, nec ſubiectiuè ad Vnum. Alij, quòd ſint vnum, indiſtinctè, ab vna ſpiratione: hinc nec hoc, nec Pater, nec Filius, ſed vterque ſimul.

Art. 4. An ſint etiam idem principium Spiritus Sancti. *Reſp.* Quòd nec idem ſimpliciter, nec diuerſa ſimpliciter: quia ad vnum ſufficit vnitas formæ; idem autem, exigit etiã vnitatem ſuppoſiti.

Art. 5. An ſint vnus Spirator. *Reſp.* Quòd licet ſint vnum Principium, vnus Creator: non tamen vnus, ſed duo Spirantes & Spiratores; quia hoc eſt participium aut nomen notionale & verbale, verbaliter ſignificans ſuam formam vt in ſuis ſuppoſitis; ſed Creator eſt nomen Eſſentiale, Principium autem Notionale non eſt Verbale, ſed accipit ſuam vnitatem à ſola forma ſua notionali.

Art. 6. In quo Pater & Filius ſint vnum principium ſpirandi. *Reſp. 1.* In Natura, vt eſt natura, ſeù vis producendi alium eiuſdem ſubſtantiæ. 2. In Voluntate, vt vi & actu ſpirandi. 3. In vno eodemque termino Spirato, ſeù Spiritu ſancto.

QVÆSTIO 71. *De Miſſione in communi.*

Memb. 1. An ſit inter Perſonas Diuinas. *Reſp.* Non quoad imperfectionem miſſionis localis, ſeù mutationem, ſeparationem, & ſubiectionem miſſi: ſed quoad perfectionem mittentis, & effectum aliquem temporalem Miſſi. Hinc *Gal. 4.* Miſit Deus Filium ſuũ. *Ioan. 16.* Paracletus, quem ego mittam.

Memb. 2. An ſit quid creatum vel increatum? *Reſp.* Siue actiuè ſiue paſſiuè, eſſe quid increatum, & idem cum Deo: quia Miſſio eſt proceſſio vnius Perſonæ Diuinæ ab alia, manifeſtata in creatura rationali: ergo ſignificat quid increatum, in recto, connotans quid creatum in obliquo. *Ad B. Aug. 4.*

Trin.

Digitized by Google

Trin. cap. 20. Filium mitti eſt cognoſci eſſe à Patre: non formaliter, ſed cauſaliter & conſequenter.

Memb. 3. An dicatur eſſentialiter vel notionaliter? *Reſp.* Quædam ſignificant eſſentiam eſſentialiter, vt eſſentia: quædam perſonaliter, vt Deus: quædam ſignificant perſonam perſonaliter, vt Pater, Filius & Spirituſſanctus: quædam perſonam eſſentialiter, vt perſona & miſſio; vnde nec eſſentia mittit, nec mittitur, ſed Perſona Diuina. Hinc *ad 1.* *Ad 2.* Quæ ſignificant indiſtinctè relationem inter Perſonas Diuinas, vt perſona, æqualis, ſimilis, non dicuntur niſi in plurali de pluribus: quæ partim diſtinctè, partim indiſtinctè, vt ſpirare, donare, mitti & mittere, dicuntur de duabus niſi determinentur ad vnam: quæ autem ſignificant vnam diſtinctè, non dicuntur niſi de illa. *Ad 3. & 4.* vt de Perſonis. *Ad 5.* ex *B. Aug. 2. Trin.* Loquitur ibi de miſſione Filij ſecundùm Humanitatem à tota Trinitate.

§. vnico. An priùs ſignificent eſſentiam vel perſonam? Quidam dicunt quòd priùs eſſentiam in recto, conſignificando diſtinctionem in obliquo: vt miſſio ſit manifeſtatio proceſſionis, non ipſa proceſſio manifeſtata. Alijs videtur, quòd priùs reſpectum inter Perſonas, conſignificando reſpectum eſſentiæ ad creaturam: vt miſſio ſit ipſa proceſſio manifeſtata, non eius manifeſtatio.

Memb. 4. An dicatur de Deo ab æterno, vel ex tempore? *Reſp.* Non ab æterno, ſed ex tempore. *Ad 1.* Quamuis principale ſignificatum ſit æternum; quia tamen connotatum eſt temporale, non poteſt ſimul conſignificari niſi ex tempore. *Ad 2.* ex *S. Greg. in Moral.* Eò mittitur Filius, quo generatur: vel de miſſione eſſentiali quoad naturam humanam; vel *eo* vt principio, à *quo* eſt generatio æterna. *Ad 3.* Eſt eſſentiale miſſioni vt qui mittitur faciat aliquid quòd prùs non faciebat. *Ad 4.* Donum dicitur etiam ab æterno, non miſſio: quia illud dicit tantùm reſpectum ad creaturam in ſolo habitu, ſed miſſio actu. *Ad 5.* Si ignis eſſet ab æterno, non idcircò emitteret ſplendorem ab æterno, niſi haberet ſubiectum in quòd. *Ad 6.* Magiſter *d. 15.* dicit eſſe duplicem miſſionem, præter generationem æternam: quia quidam huic tribuebant aliquid miſſionis.

Qvæstio 72. *De Miſſione actiuè dicta.*

Memb. 1. An conueniat toti Trinitati reſpectu Filij & Spirituſſancti? Quidam concedunt de miſſione & donatione: alij negant de vtraque; alij concedunt de donatione, ſed negant de miſſione. Qui dicunt miſſionem eſſe manifeſtationem proceſſionis: concedunt quòd conueniat toti Trinitati, &c. Sed qui dicunt quòd ſit ipſa productio manifeſtata, negant eam conuenire toti Trinitati, &c. vt ſupra.

Memb. 2. An conueniat alicui Perſonæ reſpectu ſuiipſius? *Reſp.* Quidam negant: alij negant de miſſione propriè, concedunt de donatione ſuiipſius: Alij, quòd verius videtur, Spiritum S. non mittere ſe in ſua propria perſona, ſed in effectu ſeu nouo modo exiſtendi in creatura rationali.

Memb. 3. An Chriſtus mittatur etiam à Spiritu S. *Reſp.* Quidam dicunt quòd Chriſtus non mittatur à Spiritu S. in mentem, nec in carnem, ſed ad prædicandum: quia *Eſa 61.* Euangelizare pauperibus miſit me. Alij dicunt quòd mittatur à Spiritu S. quad terminum ad quem miſſionis; ſed à ſolo Patre quoad terminum à quo. *Ad B. Aug. 4. Trin. 20.* Filium mitti eſt cognoſci à quo ſit: non tamen quòd ſit à Spiritu S. ſed à ſolo Patre. *Ad vlt.* Chriſtum mitti in carnem à Spiritu S. nihil aliud eſt quàm manifeſtari per Incarnationem.

Memb. 4. An Spirituſſanctus poſſit mitti vel dari miniſterialiter per creaturam? *Reſp.* Non coefficiendo eius gratiam: ſed tantùm diſponendo ſubiectum ad illam; idque vel interius, vt Angeli inſtruendo, excitando, & remouendo impedimenta; vel exterius. *1.* Miniſtrando Sacramenta. *2.* Orando & impetrando gratiam. *3.* Docendo, monendo, prædicando. *Ad 1.* Miniſtri cooperantur ad ſolam actionem exteriorem, non ad vllam interiorem. *Ad 2.* Culpa deletur à ſolo Deo: pœna ſoluitur ab homine Chriſto, taxatur & commutatur à Miniſtro. *Ad 3.* Quælibet anima recipit à Deo immediatè influentiam gratiæ.

Qvæst. 73. *De Miſſione inuiſibili paſſiuè dicta.*

Memb. 1. Quid ſit? *Reſp.* Eſt proceſſio manifeſtata, vel manifeſtatio eius, &c. Sed conſequenter ab effectu, mitti eſt cognoſci, ſeu fieri cognoſcibile, à quo miſſus procedat: ex ſolo tamen effectu gratiæ gratum facientis, qua ſola Deus nos inhabitat.

Mem. 2. Cuius ſit? *Art. 1.* An ſit Patris ſic mitti vel dari? *Reſp. 1.* Non mitti, quia non eſt ab alio: ſed ſuo modo improprio, dari. *2.* Illabi, infundi, venire, &c. non tamen relatiuè ad alium dantem. *Ad 3.* Mitti non definitur planè per *cognoſci eſſe ab aliquo*: ſed per habere ab alio vnde faciat cognoſcibile in creatura ſe eſſe ab illo.

§. 1. An ſub eadem vel æquali ratione. *Reſp.* Sub eadem & æquali ratione manifeſtationis vnius perſonæ per ſuos effectus appropriatos, ac alterius per ſuos.

Art. 3. An Miſſio vnius poſſit eſſe ſine miſſione alterius? *Reſp.* quod ſic: Quia vna poteſt manifeſtari ſine altera, per effectũ ſibi ſoli appropriatum.

Art. 4. An pleniùs mittantur poſt, quàm ante Incarnationem? *Reſp.* Non quoad Mittentes aut Miſſos: ſed quoad effectus Illuminationis, ex Miſſione Filij; & ſanctificertionis, ex miſſione Spirituſſancti.

Memb. 3. Ad quos ſit? *Art. 1.* An ad ſolas creaturas rationales. *Reſp.* Quòd ſic propriè: quia non niſi ad capaces illuminationis, ſanctificationis, & inhabitationis per gratiam, qui eſt terminus miſſionis, *Ioan. 14.* Aliæ autem, non ſunt horum propriè, ſeu intrinſecè capaces; ſed tamen denominatiuè & relatiuè ad creaturas rationales.

Art. 2. An etiam ad Angelos? *Reſp.* Non quoad omnes effectus eis communes cum hominibus: vt redemptionis, iuſtificationis à culpis, &c. ſed quoad aliquos, gratificationis, præſeruationis, confirmationis.

Art. 3. An Spirituſſanctus fuerit miſſus ad Chriſtum? *Reſp. 1.* Non miſſione ſpirituali per nouam gratiam: ſed corporali, per ſignum plenitudinis gratiæ in Chriſto, à nobis participandæ. *2.* Vtraque miſſione: ſed ſpirituali, ſimul ac ſemel, in primo

inſtanti

Digitized by Google

inſtanti Cōceptionis; ſenſibili autem, ſucceſſiuè, &c.

Memb. 4. Secundùm quid ſit? *Art. 1.* An ſolum vel priùs aut poſteriùs mittantur in ſuis donis appropriatis, vel in ſeipſis? *Solutio.* In ſeipſis, & in ſuis donis: priùs in ſeipſis quoad proceſſionem à Deo; ſed priùs in ſuis donis, quoad receptionem in nobis. Quia priùs procedunt à Deo: quàm ſua dona ſequantur; ſed hæc priùs recipiuntur in nobis vt diſpoſitiones & vniones ad illos. *Ex Rom. 5.* Charitas diffuſa eſt per Spiritum S. qui datus eſt, &c. *2. Cor. 1.* Pignus Spiritus in cordibus noſtris. *Sap. 8.* Venerunt mihi omnia bona cum ea. *Ad 1.* ex *B. Aug. 15. Trin.* Donum Spiritus S. intranſitiuè, nil eſt aliud quam ipſe. *Ad 2. Sap. 7.* Sapientia Dei non dicitur mobilis in ſe, ſed in effectu. Nuncius non dicitur miſſus, niſi ab aliquo actu. *Ad 3.* Anima requirit diſpoſitionem & vnionem ad ſpiritum inhabitantem.

Art. 2. An mittantur vel dentur per gratiam gratis datam, aut gratiam facientem? *Reſp.* Videtur mihi ſine præiudicio, quòd propriè nonniſi per gratiam gratum facientem: quia propriè mittuntur & dantur in ſeipſis, ad inhabitandum modo ſpeciali; ſed impropriè dici poſſunt mitti per gratiam gratis datam. *Ad 1.* ex *Aug. 4. Trin. 20.* Mitti eſt cognoſci, &c. à conſequenti. Vel eſt cognoſci miſſum in animam, ad inhabitandum. *Ad 2.* Non mittitur per gratiam gratis datam: quia non ad inhabitandum, ſed tranſeunter. *Ad 3.* Miſſio Filij & Spiritus S. non differunt quoad gratiam: ſed quoad eius effectus appropriatos Filio, aut Spiritui S. *Hinc ad reliqua.*

Art. 3. An mittantur etiam per augmentum gratiæ? *Reſp.* Non proprié per ſolum augmentum prioris gratiæ: quia hinc non fiunt nouo modo præſentes; ſed per nouam gratiam vltra priorem. *Ad 1.* Per hoc augmentum fit præſens nouo modo, aut pleniori. *Ad 2.* Miſſio eſt ad ſanctificandum: ſiue magis, ſiue primò.

QVÆSTIO 74.

De miſsione viſibili, paſsiuè.

Memb. 1. Quid ſit? An idem ſit quod apparitio? *Reſp.* Apparitio eſt ſolùm manifeſtatio rei inuiſibilis in aliqua ſpecie viſibili: ſed Miſſio viſibilis, eſt manifeſtatio miſſionis inuiſibilis, ſignificatione aliqua ſenſibili perſonæ mittentis, miſſæ, ad quam, & ad quid, ſeu ad finem inhabitationis.

Mem. 2. Ad quid ſit? *Reſp.* Non ad demonſtrationem cuiuſuis inhabitationis per gratiam: ſed plenitudinis, in alios redundantis, vt in Chriſto & Apoſtolis, &c. *Ad 1.* Licet neceſſaria ſit reuelatio interior: apparitio tamen exterior mouet & præparat ad reuelationem. *Ad 2.* Miſſio inuiſibilis non tàm percipitur ſine viſibili. *Ad 3.* Senſibilia vt res, impediunt intellectum & affectum: ſed vt ſigna, iuuant. *Ad 4.* Pleriſque non expedit manifeſtatio gratiæ inhabitantis.

Memb. 3. Cuius ſit apparere? *Reſp.* Trium Perſonarum, ipſius etiam Patris: ſed diſtinctiùs & expreſſiùs in lege gratiæ, quàm Naturæ aut Moyſis. Vt *Ioan. 12.*

Memb. 4. An omnia ſigna ſenſibilia miſſionum & apparitionum fuerint miniſtrata per Angelos? *Reſp.* Quidam dicunt quòd non in nouo, vt in veteri Teſt. Sed dicendum eſt, quòd & in nouo: excepta Chriſti incarnatione, à Deo immediatè. Ex *B. Aug. 3. & 4. de Trin.*

Memb. 5. De miſſionibus & apparitionibus Dei, quoad ſpecialem præſentiam: ſub veteri Teſt. in varijs ſimilitudinibus, ad præfigurationem; ſub Nouo in rebus ipſis veris, ad veritatem præſentem: ſed ſolius Filij in natura humana per vnionem hypoſtaticam; Spiritusſancti, in rebus ſignificantibus eius præſentiam per gratiam, vel ex inſtitutione perpetua Sacramentorum, vel aſſumptione & apparitione tranſeunte, columbæ, flatus, ignis, &c.

Finis primæ Partis Doctoris noſtri Irrefragabilis, F. Alexandri Alenſis.

EX

EX DOCTRINA S. BONAVENTVRÆ, DOCTORIS SERAPHICI:

IN LIBRVM 1. SENTENTIARVM, DISTINCTIONVM 48.

Per expoſitionem Textus, & Articulos, ac Quæſtiones.

PROEMIVM S. BON. Per comparationem totius ſapientiæ & doctrinæ Theologicæ, diſtinctæ in 4. libros Sententiarum: cum Fonte illo Paradiſi, inde fluente, & diuiſo in 4. flumina, *Gen.* 2.

QVÆSTIO 1. *Proemialis S. Bon.* Quæ ſit materia huius libri, & ſubiectum Theologiæ? *Reſp.* Subiectum primum & radicale, eſt Deus: integrum ſeu totale, eſt Chriſtus; vniuerſale, ſunt Res & Signa vt ſacra, vel vt credibilia, vel vt referibilia ad fruendum; aut eſt credibile vt intelligibile, ſeu probabile. Hinc ad pleraque Arg. *Ad* 3. & 4. Credibile vt ob Primam Veritatem, eſt obiectum fidei: vt ab authoritate, eſt obiectum ſacræ Script. vt ex ratione, ſeu probabile, eſt obiectum huius Libri. De quo *Alenſis p.* 1. *q.* 1. *m.* 3.

QVÆST. 2. Quæ forma ſeu modus procedendi? *Reſp.* Eſt ratiocinatiuus, ad conuincendos infideles, confirmandos fideles imperfectos, & delectandos perfectos. *Ad* 1. Subalternatur ſacræ Script. *Ad* 2. Credibile, eſt ſupra rationem acquiſitam, non ſuper eleuatam per fidem, & donum ſcientiæ ac intellectus. *Ad* 3. Ratio innitens fidei, non minuit huius meritum. *Alenſis q.* 1. *m.* 4.

QVÆST. 3. Quis finis, ſeu an ſit ſcientia ſpeculatiua vel practica? *Reſp.* Eſt ſapientia, ſpeculatiua & affectiua: ſed conſequenter practica, ſeu principaliter vt boni fiamus. *Alenſis. q.* 1. *m.* 1. 2.

QVÆST. 4. Quæ cauſa huius operis? *Reſp.* *Petrus Lumbardus* Epiſcopus Pariſienſis: non tantum vt Scriptor, Compilator, vel Commentator, ſed vt eius Author; quia confirmat ſua ſententijs ſacræ ſcript. & SS. PP.

IN DISTINCTIONEM PRIMAM MAGISTRI SENT.

De partitione huius operis in 4. libros, & totius materiæ in Res & Signa ſacra: Rerum in eas quibus fruendum, quibus vtendum, quæ & quibus vtuntur & fruuntur; deq; illarum fruitione, & harum vſu. Ex B. Aug. 1. *Doct. Chriſt. c.* 1. 2. 3.

Expoſitio Textus per 16. dubia leuiora.

ARTICVLVS 1. S.Bon. *De vſu & vtendis.*

QVÆSTIO 1. Quid ſit vti, & cuius potentia? *Reſp.* Sumitur 1. pro non otiari, ſed operari. 2. Pro frequentia operandi. 3. Propriè, ex *B. Aug.* 10. *Trin.* pro aſſumere aliquid in facultatem voluntatis. 4. Magis propriè, pro non frui, ſed referre ad aliud. 5. Proprijſſimè, pro non abuti, ſed referre ad id quo fruendum eſt. Primo & ſecundo modo, eſt actus cuiuſuis potentiæ: tribus reliquis, ſolius voluntatis. *Ad* 2. *Arg.* Sola voluntas poteſt vti actiuè, vt ſola ſeipſam mouens, & domina ſui actus: aliæ potentiæ, non niſi paſſiuè; quia non referunt, ſed referuntur. *Ad* 3. Referre per ſolam collationem & illationem, eſt rationis: ſed per inclinationem & ordinationem ad aliud, eſt ſolius voluntatis.

QVÆST. 2. An vtendum ſit omnibus creatis? *Reſp.* Non propriè, vt potentijs purè naturalibus, nec habitibus vitioſis, nec actibus malis: ſed omnibus vt obiectis alicuius vſus vel abuſus voluntatis, vel imperantis, vel acceptantis, vel tolerantis, vel reſpuentis. *Ad* 1. Charitas habet plura vtenda quàm diligenda. *Ad* 2. Non omnia ſubſunt voluntati quoad eſſe: ſed quoad velle vel nolle. *Ad* 3. & 4. Vitia non ſunt media benè vtendi: ſed obiecta pœnitendi. Sic nec virtutes ſunt media abutendi; ſed poſſunt eſſe obiecta ſuperbiendi.

QVÆST. 3. An vtendum ſit ſolis bonis creatis? *Reſp.* Illis ſolis: quia vti Deo, eſt abuti, & peccare mortaliter, referendo Deum ad aliud, & præferendo illud Deo. *Ad* 1. Seruire Deo ob mercedem quæ eſt Deus ipſe, non eſt eo vti: ob aliam, vt rationem inducentem, eſt benè vti; vt ob finem mouentem, eſt abuti.

ARTICVLVS 2. *De fruitione.*

QVÆSTIO. Quid ſit frui, & cuius potentiæ? *Reſp.* Sumitur 1. pro delectari, ex *B. Aug.* 10. *Trin.* 11. 2. Pro inhærere amore alicui rei propter ſe: ex *B. Aug.* 1. *Doct. Chriſt.* 4. 3. Pro vtroque ſimul: ex *Aug.* 11. *Trin.* 10. Hinc frui eſt eſſentialiter actus voluntatis: non aliarum virium, niſi diſpoſitiuè. *Ad* 1. Quæuis virtus ſuo modo quieſcit & delectatur in ſuo obiecto: ſed per voluntatem. *Ad* 2. Fruitio perfecta, eſt complacentia rei viſæ & habitæ: non ſolus appetitus habendæ. *Ad* 3. Viſio Dei eſt tota merces: non propriè, ſed concomitanter. *Ad* 4. Sola charitas habet finem vt finem pro obiecto fruitionis.

ARTICVLVS 3. *De fruendis.*

QVÆST. 1. An ſit fruendum Deo? *Reſp.* Fruendum eſt Deo: quia perfectè finit, ac delectat animam propter ſe, & ſuper omnia. *Ad* 1. Anima vt imago vitalis Dei, eſt proportionata ad ſuam in eo perfectionem, ac delectationem. *Ad* 2. Excellens ſenſibile corrumpit ab extra organum ſenſus, & elicit ac diſſipat vim ſentiendi: ſed excellens intelligibile, vt Deus, intimè confortat, colligit, & eleuat vim intelligendi. *Ad* 3. Infinitum priuatiuè, indiget fine ſeu perfectione: ſed infinitum poſitiuè, ſua perfectione finit omnia finita.

QVÆST. 2. An fruendum ſit ſolo Deo? *Reſp.* Solo Deo, propriè: ſed communiter, etiam medijs delectabilibus ad Deum. Quia anima noſtra eſt capax ſummi boni: ergo illo ſolo propriè frui

Digitized by Google

poteſt ac debet; ſed etiam delectabiliter vti medijs quibus ad Deum fertur, & vnitur. *Ad* 1. Appetitus materiæ primæ eſt ad formam finitam, & eiuſdem generis: ideoque in ea non finitur, ſeu quietatur, vt anima in Deo infinito. *Ad* 2. Anima non capit Deum niſi finitè: ſed ab eo totaliter capitur & abſorbetur, intrando in ipſum gaudium Domini ſui. *Ad* 3. Deus fruendo ſe ſolo, diligit hominem: non affectione, ſed effectus communicatione. *Ad* 4. Fruendum eſt propriè ſolo bono ex ſe honeſto: non autem virtute; quia hæc eſt tantùm honeſta per participationem & ſimilitudinem, quâ priuantur cum ad ſeipſas referuntur. *Ad* 5. Anima non fruitur ſua propria beatitudine: ſed obiecto beatifico; nec diligit illam propter ſe, ſed propter hoc.

In DIST. 2. De vnitate Naturæ, & Trinitate Perſonæ Diuinæ, vt eſt credenda ex ſacra Script. & SS. Patribus.

Expoſitio textus per 10. dubia: De quibus infra. Sed hic eſt ſingularis Diſtinctio totius doctrinæ de hac ſacra materia. 1. Vt eſt credenda authoritate Diuina. 2. Vt rationabiliter intelligenda. 3. Vt congruè & catholicè eloquenda.

ARTICVLVS VNICVS.

De hac Vnitate & Trinitate.

QVÆSTIO 1. *Al. p. 1. q. 3. 13. 14. & p. 2. q. 2. 3. 4.* An ſit vnicus Deus? *Reſp.* Eſt impoſſibile & inconceptibile, eſſe plures Deos propriè. Quia Deus reipſa, & conceptu communi, eſt ſummum Bonum: quòd non poteſt eſſe nec concipi niſi vnicum. *Ad* 1. 2. Non fuit intellectio, ſed fictio & phantaſiatio plurium Deorum. Deus poteſt plus quàm intelligimus, ſed nonniſi poſſibilia: nos autem fingimus etiam impoſſibilia. *Ad* 2. Plura bona finita ſunt melior ſingulis: non autem infinito, quo nihil maiùs aut meliùs. *Ad* 3. & 4. *alibi.*

QVÆSTIO 2. *Al. p. 1. q. 5. 14. 44. 45.* An ſint plures Perſonæ Diuinæ? *Reſp.* Sunt plures. 1. Quia Natura ſingularis ſimpliciſſima eſt communicabilis pluribus. 2. Quia eſt neceſſariò aliqua prima perſona communicatiua alijs. 3. Quia eſt ſumma perfectio producere ſibi æqualem. 4. Quia ſumma Beatitudo, Charitas, & Iucunditas eſt inter plures. *Ad* 1. & 2. Perſona beatiſſima ſibi ſoli ſufficit: ſed ex abundantia perfectionis communicat alijs æqualiter. *Ad* 3. Pluralitas per additionem & compoſitionem, repugnat ſimplicitati: non per ſolam originem. *Ad* 4. Eſt ſtatus in vnica eſſentia, & prima Perſona.

QVÆST. 3. *Al. q. 45. m. 6.* An ſint finitæ, vel infinitæ? *Reſp.* Sunt infinitæ virtute ſeu perfectione, non numero nec mole: quia infinitas numeralis & molis repugnat perfectioni & ordini, cùm ſit ſummus receſſus ab vnitate & ſua origine.

QVÆST. 4. *Al. q. 45. m. 6. & q. 46.* An ſint tantùm tres? *Reſp.* Nec plures, nec pauciores. 1. Ex ſumma beatitudine dilectionis, & condilectionis. 2. Ex ſumma perfectione duplicis productionis, naturalis & liberalis. 3. Ex ſumma ſimplicitate in pluribus, ſola duplici origine diſtinctis. 4. Ex ſola & neceſſaria duplici prioritate originis inter tres. 5. Ex varia congruitate huius numeri. *Ad* 1. Deus Pater dat totum Filio: ſed non omni modo. *Ad* 2. Generat Filium modo naturæ, non voluntatis liberalis. *Ad* 3. Filius ſpirat, quia eſt priùs: ſed Spiritus S. non generat, quia non eſt priùs. *Ad* 4. Productio per artem eſt exemplaris, nec ad æqualitatem naturæ, ſed ad ſolam ſimilitudinem.

In DIST. 3. De Vnitate & Trinitate Diuina, vt eſt intelligibilis ex eius veſtigijs, & Imagine creata. Alenſis p. 1. q. 2.

Expoſitio primæ partis per 7. dubia: ſecundæ, per 13.

ARTICVLVS PRIMVS.

De cognoſcibilitate Dei per creaturas, ex eius veſtigijs.

QVÆSTIO 1. An Deus ſit cognoſcibilis à creatura? *Reſp.* Eſt ſummè cognoſcibilis ex ſe, etiam nobis: niſi vis noſtra ad hoc deficeret, quæ non perficietur niſi per gloriam. *Ad* 1. Ad comprehenſionem Dei neceſſaria eſt proportio æqualitatis: ad apprehenſionem ſufficit proportio conuenientiæ. *Ad* 2. Plus entitatiuè, non plus obiectiuè, diſtat Deus ab anima, quàm ſenſus ab intelligibili. *Ad* 3. Infinitum ſimplex poteſt totum capi in finito: ſed non totaliter. *Ad* 4. Iudicare approbando, aut improbando, eſt ſuperioris: non autem ſolùm cognoſcendo. *Ad* 5. Deus eſt intimè præſens: ſed non cognoſcitur niſi notitia informante intellectum.

QVÆST. 2. *Al. q. 2.* An ſit cognoſcibilis ex creaturis? *Reſp.* Eſt ex eis cognoſcibilis, vt cauſa ex ſuis effectibus. 1. Ex quadam ſimilitudine. 2. Ex noſtra indigentia talis lucis, ſeu vmbræ mediæ. *Ad* 1. Creaturæ abſolutè pro ſeipſis ſumptæ, ſeducunt: ſed non vt relatiuæ ad Deum, ſiue per ſimilitudinem, ſiue per diſſimilitudinem. *Ad* 2. Vt oculus infirmus vtitur nube & vmbra ad videndam lucem: ſic nos, &c. *Ad* 3. & 4. De diſtantia & proportione, vt ſupra. *Ad* 5. Veſtigium non differt ab Imagine quòd illud ſit in ſolis ſenſibilibus, hæc in ſpiritualibus: nec quòd illud ſit partis, hæc totius; ſed quòd vmbra repreſentet à longè & confuſè, Veſtigium à longè diſtinctè, Imago propè & diſtinctè. Hinc creatura dicitur vmbra Dei, vt cauſæ indeterminatæ, & quoad ſola communia: Veſtigium, vt cauſæ efficientis, exemplaris, & finalis, & quoad appropriata; Imago, etiam vt obiecti, & quoad propria.

QVÆST. 3. An in omni ſtatu cognoſcatur Deus ex creaturis? *Reſp.* Nonniſi in ſtatu viæ: ante lapſum, vt per ſpeculum clarum, poſt vt per obſcurum; ſed in omni ſtatu cognoſcitur in creaturis, à Viatoribus imperfectè, à Cõprehenſoribus perfectè.

QVÆST. 4. *Al. q. 2.* An Trinitas Perſonarum eiuſdem naturæ ſit naturaliter cognoſcibilis ex creaturis? *Reſp.* Nonniſi ex aliqua doctrina fidei: nec quoad vlla propria, ſed tantùm appropriata Perſonis Diuinis. Quia nihil apparet in creaturis ſimile, niſi per aliquam reuelationem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Imagine Dei in noſtra Memoria, Intelligentia, & Voluntate, ex Aug. 14. Trin. 7. 8.

QVÆST. 1. *Alenſis q. 61.* An ſit in his, & qualiter? *Reſp.* Eſt in his tribus vt potentijs, comparatis ad vnitatem eſſentiæ, & pluralitatem actuum inter

Digitized by Google

inter ſe diſtinctorum, & quadam origine ordinatorum. Hinc *ad* 1. *Ad* 2. Imago corporalis, eſt exterior: ſed ſpiritualis eſt intima. *Ad* 3. Memoria vt intelligibilium & permanentium, eſt pars Imaginis. *Ad* 4. Hæc etiam reformatur. *Ad* 5. Similitudo vt gratuita, appropriatur voluntati: Imago vt naturalis, intellectui. *Ad* 6. Voluntas, vt eſt vis volendi & nolendi, adæquatur memoriæ & intelligentiæ.

QVÆST. 2. *Alen. p.* 1. *q.* 61. An conſiſtat in his comparatis ad Deum vt obiectum? *Reſp.* Primariò, comparatiuè ad Deum vt obiectum: ſecundariò, etiam ad ipſam animam vt Imaginem Dei; non tamen ad inferiora Dei veſtigia. Quia Imago eſt expreſſa repræſentatio ſui obiecti immediati, vel prioris eius Imaginis: non autem ſoliùs veſtigij. Hinc *B. Aug. toto lib.* 9. *&* 10. *Trin. lib.* 11. *c.* 23. *lib.* 12. *c.* 4. *lib.* 13. *c.* 20. non inuenit eam niſi in Memoria, Intelligentia, & Amore Dei, vel Animæ à ſeipſa: vt repræſentat Memoriam, Notitiam, & Amorem Dei à ſeipſo.

QVÆST. 3. An hæ tres Potentiæ ſint idem eſſentialiter cum anima? *Reſp.* Non ſunt potentiæ accidentales, ſed ſubſtantiales Animæ: nec tamen idem omninò eſſentialiter, nec alterius generis, ſed ad idem reducuntur. *Ad* 1. *&* 2. ex *B. Aug.* 10. *Trin.* 21. *& S. Bern. in Cant.* Potentiæ ſunt ipſa Anima: ſubſtantialiter, non eſſentialiter; niſi vt fine quo concipi nequit in eſſe perfecto. *Ad* 3. Idem eſt principium remotum, non proximum, operandi, quod eſſendi: alioquin idem eſſet operari, quòd eſſe. *Ad* 4. Nec potentia paſſiua materiæ, idem eſt cum ea eſſentialiter. *Ad* 5. Forma accidentalis non eſt ſua potentia: nam hæc eſt vt ad actum. *Ad* 6. Fortè tres gradus animæ non ſumuntur à potentijs.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Imagine Dei in noſtra Mente, Notitia, & Amore, Ex Aug. 9. *Trin.* 4. *l.* 15. *c.* 6. 7. *Alenſis q.* 61. *p.* 2. *q.* 62.

QVÆST. 1. An ſit in his, vt in ſubſtantia, potentijs, habitibus, actibus, ſimul aut ſeorſim? *Reſp.* In Mente vt ſubſtantia Animæ, & in Notitia ac Amore habituali. Ex *Aug.* 9. *&* 10. *Trin.* *Ad* 5. Non vt in habitu acquiſito, ſed innato. *Ad* 2. Præſentia intima animæ excludit habitum Memoriæ. *Ad* 3. Mens non ſumitur pro tota ſubſtantia Animæ, ſed pro eminentiori.

QVÆST. 2. An in his tribus ſit ordo, æqualitas, & conſubſtantialitas? *Reſp.* Eſt ordo horum habituum ad actus: æqualitas eorum vt perfectorum ad Animam vt Obiectum; Conſubſtantialitas eorundem, ſicut & potentiarum ſupra, cum Anima.

QVÆST. 3. An hæc Imago ducat nos in cognitionem S. Trin. *Reſp.* Non in cognitionem proprietatum Perſonalium: ſed appropriabilium, ex directione fidei, vt ſupra.

In DIST. 4. *De conſtructione, Dei, cum Verbo generandi. Vt Alenſis q.* 50.

Expoſitio Textus per 9. dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

De 4. *Formis loquendi.*

QVÆST. 1. An hæc ſit vera: Deus genuit Deum? *Reſp.* Eſt vera, & à ſanctis PP. & DD. vſitata: vt in Symbolo Athan. Deum de Deo, &c. Ex 4. Regulis. 1. Nomen abſtractum imponitur ſoli formæ, & à forma: ſed concretum ſoli ſuppoſito, quamuis à forma. 2 Nomen plurium ſuppoſitorum ſtat pro illo pro quo verificari poteſt. 3. Verificatum pro vno, non poteſt verè negari pro altero: quia negatio eſt pro quolibet. 4. Relatiuum ſupponit pro ſuo Antecedente, &c.

QVÆST. 2. An hæc ſit vera: Deus genuit alium Deum? *Reſp.* Poſſet quidem alius ſubſtantiuari pro perſona alia à generante: ſed quia adiectiuum cum ſuo ſubſtãtiuo non ſolet ſubſtantiuari pro alio, hæc non ſonat verè; quia, alius, adiectiuè afficit Deum quaſi alium in Deitate. Subdit ad hoc duas regulas. 1. Non habet locum diſtinctio, vbi non eſt ex diuerſis cauſis vnio. 2. Non habet locum omnimoda vnio, vbi eſt ſimul diſtinctio. *Ad* 3. Non ſequitur, Deus genuit Deum, ergo vel alium Deum, vel alium non Deum: quia eſt fallacia accidentis; ſed potiùs, non alium Deum. *Ad* 4. Adiectiuum, alius, communiùs determinatur à ſubſtantiuo Deus, ad alietatem ipſius Deitatis.

QVÆST. 3. An poſſint congruè dici plures Dij? *Reſp.* Non naturâ, ſed nuncupatione, & adoptione, &c. vt *Alenſis.* *Ad* 1. Hebræi vocant vnicum Deum in plurali *Elohim*: ex ſuo proprio modo ſignificandi & intelligendi.

QVÆST. 4. An Deus ſupponat pro Natura, vel Perſona? *Reſp.* Prima opinio eſt, quòd ſignificet propriè eſſentiam, & ſupponat perſonam, vnam, duas, vel tres. 2. Quòd propriè ſupponat, & ſignificet naturam: niſi aliundè trahatur ad perſonam. Sed meliùs eſt dicere, quod propriè ſupponat tam naturam, quàm perſonam.

In DIST. 5. *De conſtructione Deitatis cum Verbo generandi. Vt Alenſis q.* 42.

Expoſitio Textus per 10. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Cum verbo actiuo generandi.

QVÆSTIO 1. An Eſſentia generet? *Reſp.* Non niſi impropriè: quia nec nomina ſignificantia diſtinctionem Perſonarum ſunt communicanda; nec ſignificantia vnitatem eſſentiæ ſunt diſtinguenda. Porro nomina quidem eſſentialia in concreto ſumuntur à forma, ſed propriè ſupponunt pro perſonis: abſtracta autem, pro ſola Eſſentia; quædam media, vt lumen, ſapientia, &c. ſupponunt partim propriè, partim impropriè pro perſona, quia concernunt actus perſonales. *Ad* 2. In Diuinis eſt modus prædicandi per identitatem, ob ſummam ſimplicitatem Eſſentiæ & Perſonarum, idem ſupponendo, quòd ſignificando: & per inhærentiam ſeu denominationem, ſignificando formam communem, ſed ſupponendo perſonam conuenientem, vt ſolent adiectiua, & verba. *Ad* 3. Nomen Patris, & ſimilia, poſſunt conſtrui cum eſſentia per identitatem: ſed non verbum generandi, aut nomen Geniti, Nati, &c. quia illa includunt etiam eſſentiam; hæc eam afficiunt ſua propria diſtinctione. Tranſitus à prædicando per identitatem, ad prædicandum per inhærentiam, poteſt eſſe ibi Accidens.

QVÆST. 2. An Pater generet, & Filius generetur de ſubſtantia Patris? *Reſp.* Quòd ſic: quia

Digitized by Google

Dr, ſignificat conſubſtantialitatem; *Patris*, originem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Cum verbo paßiuo generandi.

QVÆST. 1. An Eſſentia generetur? *Reſp.* Quòd non: quia generatio non terminatur productiuè ad eſſentiam, nec eſt generabilis niſi vt in hoc. Quòd non ſignificatur niſi in concreto.

QVÆST. 2. An Eſſentia per generationem communicetur? *Reſp.* Quòd ſic: quia eſt quidem ex ſe communicabilis; ſed non communicatur niſi producendo ei perſonas quibus communicetur.

In DIST. 6. *De neceſſitate aut voluntate generandi in Deo. Alenſis q.* 42.

Expoſitio Textus per 5. Dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

De modo generandi in Deo.

QVÆST. 1. An Deus Pater neceſſariò genuerit Filium? *Reſp.* Non neceſſitate violentiæ, coactionis, indigentiæ, aut vllius imperfectionis: ſed abundantiæ, & perfectionis immutabilis, quæ non repugnat libertati. *Ad vlt.* Amor Dei Patris ad Filium non eſt gratuitus, ſine debito naturæ, ſed meriti.

QVÆST. 2. An voluntariè genuerit? *Reſp.* Non voluntate accedente, nec præcedente, nec producente, ſeu gignente: ſed comitante, communicante, approbante, ſeu complacente.

QVÆST. 3. An exemplariter? *Reſp.* Vt Spiritus procedit liberaliter, non quaſi ex liberalitate, ſed vt ipſa liberalitas: ſic nec Filius gignitur exemplariter, vt exemplatum ab exemplari; ſed vt ipſum exemplar omnium.

In DIST. 7. *De potentia generandi. Al. q.* 42.

Expoſitio Textus per 7. Dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

QVÆST. 1. An potentia generandi in diuinis dicat quid, vel ad aliquid? *Reſp.* Ex *Magiſtro*, dicit *quid* eſſentiale & abſolutum, quo & Pater poteſt generare, & Filius poteſt generari: ſed probabiliùs, *ad aliquid*, ſeu relatiuum & proprium; quia potentia ex ſe dicit habitudinem originis, realem quidem inter Perſonas, rationis ad creaturas; & potentia generandi dicit fœcunditatem ſoliùs Patris.

QVÆST. 2. An potentia generandi ſit in Filio? *Reſp.* Quòd non: quia hæc fœcunditas ſolius primæ Perſonæ, eſt incommunicabilis ſaluâ primitate, diſtinctione, & adæquata perfectione primæ communicationis ſeu generationis adæquatæ. *Ad* 1. ex *S. Hyl. Filius habet naturam gignentem* .i. Patris gignentis. *Ad* 2. ex *S. Aug. Filius non poteſt generare:* negatiuè, non priuatiuè; ideoque non eſt hinc impotens. *Ad* 3. Habet potentiam ſpirandi: quia hæc eſt ei communicabilis. *Ad* 4. Eſt expreſſiſſima Imago: ſed ſaluâ ratione Imaginis, & diſtinctione à ſuo repræſentato, & perfectione ſeu adæquatione repræſentationis.

QVÆST. 3. An potentia generandi, & creandi ſit eadem? *Reſp.* Vt eſſe, & eſſe Perſonam eſt idem eſſe in re, differens ſolâ intelligentiâ: ſic potentia generandi & creandi, eſt eadem potentia in ſe; ſed differt comparatiuè ad terminos. *Ad* 1. ex *Aug.* Deus Pater, alio eſt Deus, alio eſt Pater: Alietate rationis, non rei, vt *d.* 5. *Ad* 2. Potentiæ diſtinguuntur per actus & obiecta: quando actus complentùr per obiecta; ſed Deus in agendo non completur ab obiecto, ſed ex ſeipſo. Hinc quamuis Filius Dei & creatura ſummè differant: vt natura & perſona in Deo idem ſunt, ſic & generatio ac creatio in Deo. *Ad* 3. Potentiæ pluriticantur per plura ſubiecta propria: potentia generandi & creandi non habent plura ſubiecta propria. *Ad* 4. Potentia generandi & creandi non poſſunt ſeorſim concipi, quoad ſignificatum potentiæ, ſed connotata.

QVÆST. 4. An poſſe generari & creari ſit vniuocum? *Reſp.* Quoad ſignificatum reale potentiæ, eſt vnicum: quoad connotata terminorum, eſt Analogum. *Ad* 2. Omnipotentia non continet potentiam generandi: quia non eſt ad principale ſignificatum, ſed ad omnia ſecundaria ſeu poſſibilia.

In DIST. 8. *De proprietatibus eſſentialibus in Deo.*

Expoſitio 1. partis per 10. Dubia: ſecundæ per 6.

ARTICVLVS PRIMVS.

De veritate Dei. Alenſis q. 3.

QVÆSTIO 1. An veritas ſit proprietas Dei? *Reſp.* Veritas comparatiuè ad ſuum ſubiectum, eſt indiuiſio actus & potentiæ: comparatiuè ad ſuum principium, eſt repræſentatio primæ Veritatis; comparatiuè ad intellectum, eſt ratio diſtinguendi. Vt opponitur falſitati, non eſt ſoli Deo propria: ſed vt opponitur permixtioni & impuritati. *Ad* 1. & 2. *Hier. & Aug.* vocant ſolum verum eſſe, quòd nihil habet poſſibilitatis, vanitatis, & priuationis. *Ad* 3. Vt lux ad viſionem omnis coloris: ſic veritas increata ad cognitionem creatæ. *Ad* 4. Vt omnia ſunt bona ſummâ Bonitate, finaliter: ſic vera primâ Veritate, exemplariter. *Ad vlt.* Eſſentia & veritas in Deo non ſunt ſynonima ſed, hæc eſt illius proprietas in modo ſignificandi & intelligendi.

QVÆST. 2. An ſit tam verum Deum eſſe, vt non poſſit cogitari non eſſe? *Reſp.* Non cum aſſenſu, ſed ſine: Quia quamuis ſit tam obſcurum quid ſit; eſt tamen ex ſe, & ex omni creatura euidens, quòd ſit, ſub aliquo tamen vero non falſo conceptu Dei. *Ad* 1. & 2. Ex ſola excæcatione & malitia, aut ignorantia nominis, poteſt dici aut credi Deum non eſſe, vel non eſſe niſi Idolum. *Ad* 3. Negato ſummo Bono aut Vero, poſſunt alia cogitari eſſe, ſed ſine aſſenſu. *Ad* 4. Deus maximè latet *quid ſit:* ſed maximè patet quòd ſit. *Ad* 5. Vtens ratione non poteſt credere Deum non eſſe: non ſic de vlla creatura. *Ad* 6. Poteſt dici, & cogitari Deum non eſſe: ſed ſine aſſenſu.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De immutabilitate Dei. Alenſis q. 4

QVÆST. 1. An ſit immutabilis? *Reſp.* Eſt immutabilis: quia nec poteſt mutari loco, cùm ſit vbique; nec tēpore, cùm ſit æternus; nec formâ, cùm ſit actus puriſſimus & ſimpliciſſimus. *Ad* 1. Sapientia Dei *c.* 7. dicitur mobilis actiuè, non paſſiuè, nec formaliter. *Ad* 2. Relatio noua mutat ſubiectum ſuum, non terminum: æterna autem nil mutat in Deo; ſed perſonalis mutaret ſi inciperet, quia dat etiam exiſtere. *Ad* 3. Agens ſeipſo, abſque vllo medio à ſe diſtincto, non mutatur ſua actione. *Ad* 4. Voluntas Dei eſt cauſa immediata ab æterno: ſed pro tempore cuiuſuis effectus.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆST. 2. An ſolus Deus ſit immutabilis? *Reſp.* Solus, naturaliter, abſolutè, ſubſtantialiter, & accidentaliter. *Ad* 1. Eſſentiæ ſunt immutabiles in abſtracto, non in exiſtendo. *Ad* 2. Beati ſunt immutabiles ex gratia in ſua beatitudine eſſentiali. *Ad* 3. 4. 5. Aliquæ creaturæ ſunt incorruptibiles ab intrinſeco. *Ad* 6. 7. 8. Vertibilitas ſeu defectibilitas creaturæ quoad totum eſſe, eſt ei naturalis, à natura ſeu origine naturali ex nihilo : non autem ab origine naturali ex principijs intrinſecis perfectionum, non defectuũ. Neque tamen hinc dicitur inuertibilitas naturalis, nec contra, ſed ſecundùm naturam : quia naturale dicitur in quòd natura poteſt, non poteſt autem in ſui vel alterius conſeruationem, ſed eam appetit, ſupplente influentia Dei gratuita. *Ad* 9. Gratia dicitur adiutorium Dei ſupra poſſe naturæ : ſi quoad ſolùm eſſe, eſt communis omnibus per modum naturæ : ſi quoad perfectum & Beatum eſſe, eſt ſpecialis, & per modum gratiæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

De ſimplicitate Dei. Vt Alenſis q. 5.

QVÆST. 1. An Deus ſit ſummè ſimplex? *Reſp.* Eſt ſummè : quia Deus eſt ens primum, eſt quicquid habet, & eſt ſummæ virtutis : ergo ens ſimpliciſſimum. *Ad* 1. Eſt ſimpliciùs eſſe vnum in pluribus, quàm non in pluribus. *Ad* 2. Diſtinctio ex ſola origine, nil derogat ſimplicitati. *Ad* 3. Pluralitas ſine additione non minuit ſimplicitatem. *Ad* 4. Diſtinctio relatiua non eſt compoſitio, &c.

QVÆST. 2. An ſolus Deus ſit ſummè ſimplex? *Reſp.* Solus, abſque vlla compoſitione, nec ex alijs, nec cum alijs : quia omnis creatura eſt ex aliquo actu & poſſibili, ex eſſe & eius limitatione, ex genere & ſpecie, dependens & deficiens à Deo, &c. *Ad* 1. Simplicitas non eſt ipſa vnitas entis : ſed modus perfectiſſimus vnitatis. *Ad* 2. 3. 4. Punctum dependet à compoſitione cum alijs : & omnia neceſſariò dependent à Deo, nec ſunt hæc ipſa dependentia.

QVÆST. 3. *Alen.* 2. *p. q.* 64. An anima rationalis ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte? *Reſp.* Quòd ſic, ex *B. Aug.* 1. Ab experientia ſentiendi æquè ſubitò, & ſimul in pluribus partibus diſtantibus. 2. Ab exemplo eiuſdem ſanitatis in toto animali & ſingulis eius partibus. 3. Ratione: Quia eſt forma ſimplex totius corporis, eiuſque motiua; ergo tota totius, & tota ſingularum partium.

QVÆST. 4. An Deus ſit in aliquo determinato genere? *Reſp.* Quòd non : quia nec eſt ens limitatum, nec ex pluribus compoſitum, nec commune ad aliqua inferiora. *Ad* 1. Deus non diſtinguitur differentiâ aliquâ contrahente : ſed ſeipſo. *Ad* 2. Deus nil habet ſuperius, quia nil ſimplicius, nec vniuocum : eſt enim ſubſtantia ſeu ens per ſe .i. nullo indigens; ſed ſubſtantia creata eſt ens per ſe .i. ſolùm independens à ſubiecto. *Ad* 3. & 4. Deo nihil deeſt perfectionis & bonitatis : ſimpliciter, & æquiualenter, &c. *Al. latè* 1. *p. q.* 48. *m.* 4.

In DIST. 9. *De Generatione æterna Filij.*

Expoſitio Textus per 15. Dubia.

ARTICVLVS VNICVS. *Al. q.* 42.

QVÆSTIO 1. An in Diuinis ſit generatio? *Reſp.* Eſt perfectiſſima : Quia natura diuina eſt perfectiſſimè communicabilis; ergo & perfectiſſimè communicata, per generationem ex tota ſubſtantia diuina, pluribus ſufficientiſſima.

QVÆST. 2. An ſit diſtinctiua Perſonarum diuinarum? *Reſp.* Diſtinguit Gignentem à Genito: non ſolùm rationaliter, ſed realiter; non tamen abſolutè & eſſentialiter, ſed relatiuè & perſonaliter, relatione quaſi actionis & paſſionis, quæ eſt propriè inter Suppoſita. *Ad* 1. Pater communicat Filio totum communicabile : non autem hanc ipſam diſtinctionem Incommunicabilem. *Ad* 2. Idem eſt Eſſentia & Perſona, ſed non ad idem. *Ad vlt.* Natura prior eſt perſona : ideo potiùs eſt vnitas naturæ cum pluralitate perſonarum, quàm è contra.

QVÆST. 3. An generatio Diuina ſit æterna? *Reſp.* Eſt æterna. 1. Ex perfecta fœcunditate generantis. 2. Ex perfecta æqualitate Geniti. 3. Ex perfecta vtriuſque actualitate, abſque vlla diſtantia potentiæ ab actu. *Ad* 2. Perſona non producit niſi aliam perſonam : ſed eſſentia, aliam eſſentiam. *Ad* 3. Filius non habet initium durationis, ſed principium originis.

QVÆST. 4. An generatio Filij ſit terminata? *Reſp.* Eſt terminata quoad perfectionem, non quoad deſitionem. *Ad* 1. In æternitate non differt naſci & natum eſſe.

In DIST. 10. *De proceſſione æterna Spiritus S.*

Expoſitio Textus per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De modo procedendi. Alenſis q. 43.

QVÆSTIO 1. An per modum liberalitatis? *Reſp.* Non ſolùm vt Donum liberaliter volitum & datum, ſicut creaturæ : ſed vt prima ratio volendi & dandi, ſeu liberalitas ipſa. Ex perfectiſſima liberalitate voluntatis : vt Filius ex perfectiſſima fœcunditate Intellectus.

QVÆST. 2. An per modum Amoris ſeu Charitatis? *Reſp.* Vt per modum primæ liberalitatis, ſic & Amoris : quia Amor eſt primus & perfectiſſimus affectus voluntatis, ac origo omnium; nec eſt in Deo niſi ſubſtantialis.

QVÆST. 3. An per modum mutuæ Charitatis? *Reſp.* Quòd ſic : quia hic modus eſt beatiſſimus, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De proprietate Spiritus ſancti. Al. q. 43.

QVÆST. An Spiritus S. ſit propriè Amor ſeu Charitas? *Reſp.* Amor complacentiæ eſt Eſſentialis & communis tribus Perſonis : Amor concordiæ ſpirando Spiritum S. eſt Notionalis Patris & Filij; Amor inde procedens, eſt perſonalis, & propriè Spirituſſanctus.

QVÆST. 2. An ſit propriè nexus ſeu vnio Patris & Filij? *Reſp.* Eſt propriè nexus ſeu vnio vtriuſque : vt Amor vtriuſque, & ab vtroque.

QVÆST. 3. An ſit propriè Spiritus Sanctus? Deus eſt Spiritus à ſpiritualitate, 1. *Ioan.* 3. ſed Spirituſſanctus eſt propriè Spiritus à ſpiratione quaſi paſſiua, & Sanctus à puritate; vt puriſſimus Amor ſpiratus.

In DIST. 11. *A quo procedat. Al. q.* 43. 46.

ARTICVLVS VNICVS.

QVÆSTIO 1. An à Patre & Filio? *Reſp.* Non à ſolo Patre, ſed à Patre & Filio : contra ſchiſma ac hæ-

Digitized by Google

ac hæreſim Græcorum. 1. Quia datur nobis à Patre & Filio : ergo ab vtroque procedit. 2. Quia procedit vt Amor : ergo à Patre & Filio amante. 3. Procedit vt nexus perfectiſſimus : ergo ab vtroque extremo in eodem termino. 4. Diſtinguitur à Filio : ergo & ab eo procedit. 5. Perfecta generatio communicat Filio vim & actum ſpirandi. 6. Ex ſacra Script. *Ioan.* 16. Spiritus S. *de meo accipiet*, ait Chriſtus. *Ioan.* 15. Mittam vobis Spiritum Veritatis. *Gal.* 4. Miſit Deus Spiritum Filij ſui, &c. 7. Ex hac ſpirituali proceſſione, vt à Principio ad obiectum : non materiali, vt à loco ad locum. 8. Ex ſpirituali ſpiratione amoris, poſt cognitionem, ſeu Verbi dictionem : non materiali, flatus, ante vocem. 9. Ex perfectiori nexu ſeu vnione in eodem termino, quàm medio. 10. Ex definitione neceſſaria Eccleſiæ Romanæ, contra nouam ac pertinacem Græcorum negationem. *Ad calumnias Græcorum.* Non corrupimus ſacram Script. Symbola, Concilia : ſed neceſſariò expreſſimus hoc & plura implicita, &c. *Ad PP. Græcos :* Nec exprimebant *A Filio*, nec negabant ; *ſed maledicta progenies addidit negationem, &c.*

Quæst. 2. An à Patre & Filio, vt ab vno principio, vel duobus ? *Reſp.* Vt ab vno, in fœcunditate voluntatis : Quia generatio Filij prior eſt proceſſione ſeu ſpiratione Spiritus S. ergo generatur eiuſdem naturæ, vt naturaliter & adæquatè communicatæ ; ſed eiuſdem voluntatis, vt adhuc fœcundæ, ſeu voluntariè communicabilis & cõmunicatiuæ. *Ad* 1. Procedit à Patre *principaliter:* Non vt à maiori, aut diſtincto principio ; ſed vt ab Origine principiandi. *Ad* 2. Nexus eſt eo perfectior, quo duorum vnitas eſt maior. *Ad* 3. Pater & Filius non ſunt vnum principium ſpirandi, vt eſt Pater & Filius : ſed vt ſunt eiuſdem voluntatis fœcundæ ; nec ſpirant niſi eadem ſpiratione. *Ad* 3. Vel ſpiratio & vis ſpirandi eſt eadem Notio in actu & proxima aptitudine : vel vis ſpirandi eſt ipſa voluntas vt fœcunda in Patre & Filio.

In DIST. 12. De differentia proceſſionis à Patre, & à Filio. Alen. q. 46.

Expoſitio Textus per 4. dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

Quæstio 1. An priùs à Patre, quàm à Filio? *Reſp.* Non priùs duratione, nec cauſalitate, nec origine, ſed authoritate: quia quamuis eadem origine, & ab eodem principio originali ; hoc tamen Pater habet à ſe, Filius à Patre.

Quæst. 2. An pleniùs à Patre quàm à Filio ? *Reſp.* Non pleniùs : quia nec perfectiùs, nec per compoſitionem ; ſed principaliùs, vt ex ſe immediatè. *Ad* 1. & 2. Propter quod eſt aliquid, illud magis, &c. .i. Inter cauſas & effectus, &c. *Ad* 3. Habere à ſe vel ab alio non variat perfectionem. *Ad vlt.* In Filio eſt *authoritas*, & *ſubauthoritas :* Hinc ab eo Spiritus S. procedit etiam *principaliter*, ſed à Patre *principaliùs*.

Quæst. 3. An à Patre mediante Filio ? *Reſp.* A Patre immediatè : & tamen mediante Filio; quia eadem vi ſpirandi & ſpiratione, ſed quàm habet Pater à ſe, Filius à Patre. *Ad* 2. A Patre per ſe, non per accidens : ſed per Filium vt habentem eandem vim & ſpirationem actualiter à Patre.

Quæst. 4. An generatio Filij ſit prior proceſſione Spiritus S ? *Reſp.* Eſt prior ratione intelligendi : quicquid ſit de ordine reali, de quo infra. 1. Quia hic eſt ab illo. 2. Quia illa eſt per modum naturæ, hæc voluntatis liberalis. 3. Quia in Imagine S. Trin. Intelligentia prior eſt Amore. *Ad* 1. ex *Aug.* 9. *Trin.* Appetitus ſciendi in nobis eſt imperfectionis: hinc non poteſt transferri ad Deum. *Ad* 2. Intentio prior eſt notitiâ acquirendâ : ſed non notitiâ ex ſe perfectiſſimâ. *Ad* 3. Spiratio eſt communis, & concors Patris ac Filij : ideoque ſupponit Perſonas.

In DIST. 13. De differentia Proceſſionis à Generatione.

Expoſitio Textus per 9. dubia.

ARTICVLVS VNICVS. *Alen. q.* 42.

Quæstio 1. An ſit in Deo vera proceſſio ? *Reſp.* Quòd ſic. 1. Ex *Ioan.* 15. Spiritus Veritatis qui à Patre procedit. 2. Quia vbi eſt origo & productio, eſt & proceſſio. 3. Quia Proceſſio eſt ab vno ad alium : ergo amor mutuus Patris & Filij eſt proceſſio. *Ad* 1. Proceſſio elongat, in creaturis, non in Deo. *Ad* 2. Eſt motus in creaturis, non in Deo. *Ad* 3. Creatio eſt proceſſio ex nihilo. *Ad* 4. Hæc proceſſio eſt originalis, non localis, nec cauſalis.

Quæst. 2. An proceſſio Spiritus S. ſit generatio ? *Reſp.* Quòd non : quia Spiritus S. non eſt Filius. *Ad* 1. ex *Aug.* 15. *Trin.* Vt *generatio præſtat Eſſentiam Filio ſine mutatione : ſic proceſſio Spiritui ſancto* ; ſed illi per modum naturæ, huic per modum voluntatis. *Ad* 2. Productiones ſubſtantiales creaturarum terminantur ad ſubſtantias : ſed in Deo, ad Perſonas differentes. *Ad* 3. Proceſſio eſt communis generationi & ſpirationi : ſed appropriatur ſpirationi; quia eſt ab vno ad alium. *Ad* 4. Perſona generans eſt etiam ſpirans : ſed genita non poteſt eſſe ſpirata ; quia non poteſt ſimul pluribus modis produci.

Quæst. 3. An generatio & ſpiratio differant realiter ? *Reſp.* Differunt plus quàm dictione & intelligentia : ſed non aliunde quàm ſeipſis, modo proprio originis, per fœcunditatem naturæ, vel voluntatis. *Ad* 1. Pater alio modo generat, alio ſpirat. *Ad* 2. Natura & voluntas Dei ſunt idem in eſſe : ſed non in modo principiandi. *Ad* 3. 4. 5. Differunt ſeipſis : quia ſunt primæ rationes differendi.

Quæst. 4. An Spirituſſanctus ſit ingenitus ? *Reſp.* Non eſt ingenitus poſitiuè, Notione ſeu dignitate propriâ Patris .i. qui à nullo alio, & à quo alij ; ſed poteſt dici ingenitus priuatiuè .i. non genitus, ſed ſpiratus.

In DIST. 14. De proceſſione temporali, & datione Spirituſſancti.

Expoſitio Textus per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De proceſſione temporali. Alenſis q. 71.

Quæstio 1. An ſit proceſſio temporalis ? *Reſp.* Eſt æterna inter Patrem & Filium, vt obiectum amoris mutui ; ſed temporalis, à Patre & Filio, in ſubiecta, ſeu creaturas capaces gratiæ, & inhabitationis. *Ad vlt.* Supponit quidem proceſſionem æternam : ſed denominatur temporalis ab ordine ad effectum.

Quæst.

Digitized by Google

QVÆST. 2. An proceſſio vt æterna, & temporalis, ſint duæ? *Reſp.* Sunt duæ in modo dicendi analogicè, non vniuocè, nec æquiuocè: quia procedere ab hoc in hoc vt in obiectum, æternum eſt; ſed vt in habitaculum, eſt temporale. *Ad vlt.* Proceſſio dicitur potiùs dupliciter, quàm duplex.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De datione Spiritusſancti. Alenſis q. 72. 73.

QVÆST. 1. An detur nobis in propria Perſona? *Reſp.* Datur in propria Perſona, ad fruendum: in ſua gratia, ad vtendum. *Ad vlt.* Datum vt finiens & perficiens, non habetur ſub poteſtate: ſed datum vt ſubſeruiens.

QVÆST. 2. An detur etiam ab homine? *Reſp.* Non vt à cauſa producente, vel principali: ſed miniſtrante, vel impetrante, &c. *Ad* 1. Agens creatum nil poteſt ad gratiam: quia eſt deiformis. *Ad* 2. Gratia producitur per intimum illapſum. *Ad* 3. *&* 4. Gratia non poteſt producere gratiam: quia ex ſe eſt incorruptibilis; nec expellit culpam effectiuè, ſed formaliter; eſtque perfectior ſua propria cauſalitate. *Ad* 4. Anima humiliatur ſub ſacris ſignis & Miniſtris gratiæ. *Ad* 5. Creatura non eſt capax virtutis producendi gratiam. *Ad* 6. Vt anima ipſa, ſic & plus, gratia excedit omnem cauſalitatem creatam.

In DIST. 15. *De Miſſione & Datione viſibili, & inuiſibili, Filij.*

Expoſitio primæ & ſecundæ partis per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Miſſione. Alenſis q. 71. 72. 73.

QVÆSTIO 1. An ſit Miſſio in Diuinis? *Reſp.* Eſt Miſſio inter Perſonas Diuinas, ad aliquem terminum: non per earum ſeparationem, ſubiectionem, aut mutationem; ſed per ſolam originem, & communicationem naturæ, virtutis, & authoritatis ad operandum circa terminum Miſſionis.

QVÆST. 2. An Miſſio ſit ab æterno, vel ex tempore? *Reſp.* Nonniſi ex tempore: quia nonniſi ad terminum & operationem temporalem circa eum.

QVÆST. 3. Cuius Perſonæ ſit mitti? *Reſp.* Non Patris, aut totius Trin. ſed ſolius Filij & Spiritus S. quia mitti eſt manifeſtari originem Perſonæ miſſæ, ex *B. Aug.* 4. *Trin.*

QVÆST. 4. Cuius ſit mittere? *Reſp. Licet videatur rationabilior & facilior poſitio,* quòd ſit ſolius Perſonæ producentis, mittere productam à ſe: *quia tamen debemus rationes noſtras ſubijcere authoritatibus Sanctorum, vbi non continent expreſſam authoritatem: & Sancti dicunt, ac Magiſter, maximè Aug. Filium mitti in carnem à Spiritu S. & à ſe; ideo ob reuerentiam Sanctorum & Magiſtri, alia poſitio videtur magis eſſe tenenda, quod ſit totius S. Trin. & cuiuſuis Perſonæ, mittere Perſonam productam, etiam ſeipſam.* Quia mittere eſt manifeſtare originem Perſonæ productæ, ex *Aug.* 4. *Trin.* ergo eſt cuiuſuis Perſonæ manifeſtantis.

ARTICVLVS SECVNDVS. In 2. *Partem.*

De Miſſione Filij: vnica viſibili, per Incarnationem; ſed frequenti inuiſibili.

QVÆST. 1. An Miſſio inuiſibilis ſit per dona gratiæ gratis datæ, vel gratum facientis. *Reſp.* Miſſio & Datio ſimpliciter, ad habendum & fruendum, non ſit niſi per gratiam gratum facientem: ſed Miſſio & Datio ſecundùm quid, ſeu ad aliquem vſum, ſit etiam per gratias gratis datas.

QVÆST. 2. An Miſſio Filij & Spiritusſancti, fiat ſimul per eadem dona gratiæ? *Reſp.* Vtraque Perſona ſimul mittitur ſimpliciter, per idem donum gratiæ gratificantis: imò & per habitus & actus ſimul cognitiuos & affectiuos. Quia hæc Miſſio eſt ad manifeſtationem & inhabitationem: ergo nonniſi per dona intellectus & affectus, &c.

QVÆST. 3. An mittantur per ſolam augmentationem eiuſdem doni? *Reſp.* Non per ſolum profectum in eodem dono: niſi collato nouo eius vſu.

In DIST. 16. *De miſſione viſibili Spiritus S.*

Expoſitio Textus per 6. dubia.

ARTICVLVS VNICVS. Alenſis q. 74.

QVÆSTIO 1. Quid ſit? *Reſp.* Eſt apparitio, quâ actu vel habitu manifeſtatur Perſona Diuina, vt emanans, inhabitans, & operans.

QVÆST. 2. Ad quid ſit? *Reſp.* Ad manifeſtandam emanationem, & inhabitationem ſanctificationis abundantis.

QVÆST. 3. Quibus modis fiat? *Reſp.* Modis accommodatis ad finem huius Miſſionis ſeu Apparitionis: Qualis eſt Miſſio Filij ſub forma rationali, & Spiritusſancti ſub alijs ſignis.

In DIST. 17. *De Miſſione inuiſibili Spiritusſancti, per Charitatem.*

Expoſitio primæ partis, per 7. dubia: ſecundæ per 4.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Charitate. Alenſis Coll. 57.

QVÆST. 1. An Charitas quâ diligimus Deum ſit ipſe Spiritusſanctus. *Reſp. Eſt opinio Magiſtri & ſequacium, quòd ſic: Et quidam voluerunt dicere, quòd vt lux eſt eadem in ſe, in aere tranſparente, & in corpore terminata; ita & idem Spiritusſanctus in ſe, ſit Amor Patris & Filij; in Anima, ſit Gratia; vnitus voluntati, vt Filius eſt vnitus naturæ humanæ, ſit Charitas quâ diligimus Deum. Sed hæc non poteſt ſtare: quia Spiritusſ. non eſt vnibilis, vel non per naturam, ſed per gratiam diſponentem. Ideo non credo quòd Magiſter hoc modo fuerit huius opinionis. Hinc aliter dicendum, quòd id Quo diligimus Deum effectiuè, eſt Charitas eſſentialis Dei, ſed appropriata Spiritui S. Quo diligimus exemplariter, ſeu ad cuius imitationem, eſt Spiritusſanctus vt vnio Patris & Filij: Quo diligimus formaliter, eſt animæ affectio, etiam ex Magiſtro; ſed defecit, quòd non poſuerit habitum Charitatis.* *Ad* 1. Charitas & Anima non ſunt comparabilis perfectionis. *Ad* 2. Charitas æquiualet Beatitudini: æſtimatione Dei, ad remunerationem. *Ad* 3. Non poteſt non eſſe bona & ordinata: quia eſt ipſa participatio & ordinatio bonitatis Dei. *Ad* 4. Eſt virtus qua Deus nobis cooperatur, & voluntas noſtra Deo. *Ad vlt.* Charitas facit Deum diligi: non quantùm eſt diligibilis in ſe & à ſe; ſed diligendus à nobis, ſicque noſtrâ æſtimatione in infinitum ſupra omnia bona creata, ſi in infinitum augerentur. Hinc etiam ad *Aug.* Deus eſt Charitas in ſe: non noſtra formaliter, ſed cauſaliter & exemplariter.

QVÆST. 2. An ipſa Charitas ſit amabilis ex Charitate? *Reſp.* Dilectio Dei in ſe eſt diligibilis ex Charitate: quia eſt ipſe Deus; ſed habitus gra-

tuitus

Digitized by Google

tuitus, aut actus dilectionis in nobis, non eſt diligibilis amore amicitiæ, ſed concupiſcentiæ ſeu deſiderij, & complacentiæ. Vt *Alen. Coll.* 63.

QVÆST. 3. An quis poſſit certò ſcire ſe eſſe in Charitate? *Reſp.* Nec de ſeipſo, nec de alio poteſt id certò ſciri in particulari: ſed tantùm in communi, vel probabiliter. 1. Quia non tantùm reddit nobis Deum charum: ſed & nos Deo, per gratuitam acceptationem. 2. Quia non poteſt diſcerni ab acquiſita. 3. Defectu lucis noſtræ intellectualis, circa ſecretiora gratiæ, quàm naturæ. 4. Ex prouidentia Dei, ad noſtram humiliationem, &c. Hinc *Eccli.* 9. Nemo ſcit vtrũ odio vel amore dignus ſit. 1. *Cor.* 4. Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. *Ad* 1. ex *Aug.* 7. *Trin.* Certior eſt nobis dilectio noſtra experimentalis, quàm frater quem diligimus: ſed non an ſit dilectio gratuita, ſeu infuſa. *Ad* 2. ex 1. *Ioan.* 2. Vnctio docet de omnibus: ſed neceſſarijs ad ſalutem. *Ad* 3. Habitus Charitatis eſt præſentiſſimus: ſed eius acceptatio latet in Deo. *Ad* 4. Charitas eſt incertior Fide: quia hæc non dicit acceptationem, ſicut illa.] Supple. .i. non æquè. Vt *Alenſis Coll.* 57.

QVÆST. 4. An Charitas ſit cognoſcibilis à non habente? *Reſp.* Non cognitione experimentali, ſed ſpeculatiua: non per eſſentiam Charitatis, nec per eius ſpeciem acquiſitam, nec per infuſam; ſed per quandam innatam veritatem & affectionem Charitatis. Vt *Alenſis Coll.* 57.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Augmento Charitatis. Vt Alenſis Coll. 69. 71.

QVÆST. 1. An Charitas poſſit augeri ſecundùm ſubſtantiam? *Reſp.* Eadem Charitas ſubſtantialiter, augetur: non mole, ſed virtute ſibi identica. Ex *Aug. ad Bonif.* Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.

QVÆST. 2. De modo huius Augmenti. *Reſp.* Non à nobis per ſolam remiſſionem concupiſcentiæ oppoſitæ, nec per ſolum feruorem operandi, aut per multiplicationem Charitatis in eodem ſubiecto: ſed à Deo ſolo, per additionem & vnionem in eandem Charitatem perfectiorem, imò & ſimpliciorem; quia quantitas molis fit ſimplicior minutione & acceſſu ad ſuum minimum, ſed quantitas virtutis additione & acceſſu ad ſuum maximum & ſimpliciſſimum in Deo. *Ad vlt.* Charitas eſt perfectibilis, vt imperfecta, non vt Charitas.

QVÆST. 3. An Charitas poſſit minui? *Reſp.* Non ſubſtantialiter, ſed ſolùm quoad feruorem & habilitatem operandi. 1. Quia non opponitur ſubſtantialiter niſi peccato mortali: quo tota extinguitur. 2. Quia liberum arb. non meretur eius minutionem ſubſtantialem peccando venialiter. 3. Quia eius influentia eſt ſecundùm acceptationem gratuitam Dei: quæ à Deo ipſo non minuitur, nec reuocatur niſi ex noſtro totali demerito.

QVÆST. 4. An habeat ſtatum vel terminum Augmenti? *Reſp.* Habet ſtatum ſeu terminum. 1. à Deo vnicuique ſtatuente. 2. Ex capacitate ſubiecti. *Scio de Chriſto quòd tantum habet gloriæ, quantum poteſt recipere Creatura vnica: & credo hoc ipſum de Matre dulciſſima.* 3. Ex perfectione ipſius Charitatis ad diligendum Deum ex toto corde, &c. *Ad* 1. Virtus Dei infinita, non agit infinitè. *Ad* 2. Credo quòd illuminatio aëris habeat ſtatum: non ſic aggregatio luminum in eodem puncto; ſed Charitas non ſic augetur. *Ad* 3. Calor habet ſtatum intenſiuè, non extenſiuè. *Ad* 4. Charitas non commenſuratur ſuo obiecto.

In DIST. 18. *De proprietate Doni. Al. q.* 63. 64.

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

QVÆSTIO 1. An Spiritus S. ſit Donum quo omnia alia dona à Deo donantur? *Reſp.* Non *Quo concomitanter*, ſeu cum quo omnia alia, ſed gratuita donantur; nec *Quo cauſaliter*, ſeu à quo ſolo, cùm à tota S. Trin. donentur; ſed *Quo ſubauthoritatiuè, exemplariter, & conſequenter:* Quia procedit per modum primi Doni & Donatoris, ſeu Amoris exemplaris & motiui ad omnia donanda. *Ad Arg.* Quædam dona tribuuntur Filio, quoad ſubſtantiam: non quoad donationem exemplarem, &c.

QVÆST. 2. An ſit Donum ab æterno, vel ex tempore? *Reſp.* Eſt Donum, vt donabile & donandum, ab æterno: ſed vt datum, ex tempore. *Ad* 4. Quædam ſunt ex ſe dona, quædam ſolùm ex datione actuali. *Ad* 5. Filius ſupponit generationem, non donum donationem.

QVÆST. 3. An conuenientiùs dicatur Donum, quàm datum? *Reſp.* Dicitur potiùs donum. 1. Quia donum non connotat tempus, vt datum. 2. Quia donum ex ſe dicit liberalitatem gratuitam, potiùs quàm datum. *Ad* 3. & 4. Actus dandi non ex perfectio ipſius doni, ſed eius cui donatur.

QVÆST. 4. An ſit proprietas Spiritus S. *Reſp.* Eſſe Donum eſt eius proprietas perſonalis: eſſe datum ſeu communicatum, ex ſola liberalitate, eſt commune S. Trin. ex ſubauthoritate, eſt Filij & Spiritus S. ſed eſſe etiam Datum ſeu productum donatione, æquiualet Dono. *Ad* 3. Quamuis donabilitas ſeu liberalitas communicetur Filio: hæc tamen non eſt ratio Originis eius.

QVÆST. 5. An eſſe Donum ſit proprietas diſtinctiua Spiritus S. *Reſp.* Quòd ſic: non ſolùm vt eſt à Donatore, ſed etiam vt alicui donabile; non tamen vt datum, nec vt donandum ad extra. Quia ratio Donabilis eſt intrinſeca Dono. Hinc ex *B. Aug.* 15. *Trin.* Filius procedit *per modum Nati*, Spiritus S. *per modum Dati.*

QVÆST. 6. An Spiritus S. dicatur Noſter, à donatione? *Reſp.* Deus dicitur *Meus* & *Noſter*, communiter, Filius propriè, Spiritus S. propriiſſimè, à donatione ad habendum & fruendum; non tamen dicitur Deitas Noſtra formaliter; ſed Deus Noſter cauſaliter, & quaſi correlatiuè. *Al. q.* 63. *m.* 3.

In DIST. 19. *De æqualitate & totalitate Perſonarum Diuinarum.*

Expoſitio 1. partis, per 11. dubia: ſecundæ, per 4.

ARTICVLVS PRIMVS.

De æqualitate inter omnes. Alenſis q. 47.

QVÆSTIO 1. An ſint æquales? *Reſp.* Non mole, ſed virtute ſeu perfectione: nec conterminatione, ſed nullo mutuo exceſſu. Ex *Symb. Athan.*

QVÆST. 2. An ſint ſummè æquales? *Reſp.* Summè: quia perfectiſſimè. Ex *Symb. Athan.*

QVÆST. 3. An reciprocè? *Reſp.* Non quoad aſſimilationem & adæquationem propriam Filio, aut Patri: ſed quoad æquiparantiã, coæqualiter.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆST. 4. An ſit Circumminceſſio? *Reſp.* Eſt ſumma & perfecta .i. adæquata conſubſtantialitas & coexiſtentia omnium & ſingularum Perſonarum Diuinarum inter ſe.

ARTICVLVS 2. Al. q. 44. 45. 48.

QVÆSTIO 1. An in Deo ſit totum integrale. *Reſp.* Non eſt in Deo totalitas relatiua compoſitionis ex partibus: ſed abſoluta, ſimplicis perfectionis.

QVÆST. 2. An in Deo ſit totum vniuerſale? *Reſp.* In Deo eſt quid commune & proprium, communicabile & incommunicabile: ſed nec vniuerſale, nec particulare: quia in his eſt multiplicatio partialis, in Deo nonniſi originalis, &c. *Ad* 2. Deus eſt alio Deus, alio Pater .i. alia ratione ſeu modo, non alia re, niſi comparatiuè ad aliã Perſonã.

QVÆST. 3. An detur in Diuinis principium materiale? *Reſp.* Nec propriè, nec metaphoricè: quia includit neceſſariò imperfectionem partialitatis & potentialitatis. *Ad* 1. Filius eſt de ſubſtantia Patris: non materialiter, ſed conſubſtantialiter. *Ad* 2. In Deo eſt forma exemplaris: non *conſtitutiua* quaſi in materia. *Ad* 4. Datur in Deo *Quo* eſt, & *Quod* eſt: non vt materia. *Ad* 6. Materia differt ſeipsâ imperfectè: ſed perfectiùs diſtĩguitur à forma.

QVÆST. 4. An in Diuinis detur differentia numerica? *Reſp.* Quòd non. 1. quia numerus dicit particularitatem & aggregationem. 2. Quia in Deo idem eſt realiter *Quo*, & *Quod eſt*: nec alterum ſine altero numerari poteſt; ſed tantùm, *Qui ſunt.* Nec tamen ipſum *quod eſt*, dici poteſt vnum numero: quia dicitur de pluribus. *Ad* 1. ex *Damaſc.* Hypoſtaſes differunt numero, non naturâ: contrahendo ſeu diſtrahendo differentiam ſimpliciter, ad ſolam hypoſtaticam. *Ad* 3. Non differunt re naturæ, ſed ſola perſonali. *Ad* 4. Vnitas & numerus ſimpliciter, eſt eius *Quod eſt*, non *Qui eſt*. *Ad* 5. Idem numero & diuerſũ non diuidunt ens niſi numerabile. *Al. q.* 42. 45.

In DIST. 20. De æqualitate, & ordine Perſonarum.

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 20. 21.

QVÆSTIO 1. An ſint æquales potentiâ? *Reſp.* Sunt æquales potentiâ eſſentiali, circa omnia poſſibilia: non autem comparabiles in potentia perſonali.

QVÆST. 2. An ſint æquales etiam intenſiuè? *Reſp.* Quòd ſic: quia infinitè. *Alen. q.* 42. 43. 47.

ARTICVLVS SECVNDVS. Al. q. 46.

QVÆSTIO 1. An, & quis inter eas ſit ordo? *Reſp.* Eſt ordo Originis, inter producentes & productas: non autem dignitatis, vel locationis, vel durationis. *Ad* 6. Vt numerus, ſic & ordo Originis diſtrahit ab ordine ſimpliciter.

QVÆST. 2. An inter eas ſit ordo Naturæ? *Reſp.* Non Naturæ, vt ordinatæ, ſed ordinantis, per vim naturalem productiuam ad intra. *Al. q.* 46.

In DIST. 21. De vocibus excluſiuis. Al. q. 65. m. 3. Expoſito textu, per 3. dubia. *Art.* 1. De illis circa ſubſtantialia Dei. *Quæſt.* 1. Circa ſubiectum: An ſolus Deus ſit Pater. *Reſp.* Non *ſolus categorematicè* .i. ſolitarius: ſed *ſyncategorematicè*, excludendo creaturas. *Quæſt.* 2. Circa prædicatum: An Trinitas ſit ſolus Deus? *Reſp.* Verè quidem, ſed ſuperfluè & impropriè, niſi exprimẽdo *eſt vnus ſolus Deus*: vt *Aug. 3. contra Maxim. 9.* *Art.* 2. De illis circa Relatiua. *Quæſt.* 1. Circa propria: An ſolus Pater ſit Pater? *Reſp.* Non *Categ.* ſed *Syncat.* excludendo alias Perſonas. *Quæſt.* 2. Circa communia: An ſolus Pater ſit Deus? *Reſp.* Non propriè, niſi expreſsè afficiat ſolum ſubiectum .i. *Qui eſt ſolus Pater, eſt Deus.* *Ad* 2. *Nemo*, diſtribuit naturas: *Solus*, excludit Perſonas.

In DIST. 22. De nominibus Dei. Al. q. 48. 89.

Expoſito textu per 4. dubia. *Art. vnico. Quæſt.* 4. 1. Deus non eſt nominabilis perfectè, ſed imperfectè. 2. Habet vnicum nomen quoad rem, & rationem innoteſcendi Deo: ſed plura quoad voces, ſignificata perſonalia, & rationes innoteſcendi nobis. 3. Non omnia ſunt metaphorica, ſed quædam propria. 4. Quædam dicuntur de Deo ſubſtantialiter ſeu abſolutè, quædam Relatiuè. *B. Aug. 5. Trin. 6. 8.*

In DIST. 23. De Nominibus Diuinis Perſonæ, Subſtantiæ, & Eſſentiæ.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS 1. Vt Al. p. 1. q. 48. 50. 56. 67. 58.

QVÆST. 1. An nomen *Perſonæ* propriè Deo conueniat? *Reſp.* Quòd ſic, vt & res huius Nominis. Perſona enim dicit Suppoſitum diſtinctum proprietate ad dignitatem pertinente. 1. Ex *Ethim.* à per ſe vna, vel à per ſe ſonando ſeu reſonando: vnde vt penultima producitur, cum deberet corripi. 2. A græco *Proſopon*, quaſi homo laruatus ad repreſentandum vel perſonandum in Theatris. Hinc extenſum eſt ad Suppoſitum naturæ rationalis, & translatum ad Diuina: quia in Deo eſt Suppoſitum diſtinctum proprietate nobiliſſima. *Ad* 1. ex *Aug. 7. Trin.* 4. Dictum eſt, *Tres Perſonæ: non vt diceretur, ſed ne taceretur* .i. pro tempore quo necdum præualuerat eius ſignificatio diſtincta à ſubſtantia. *Ad* 2. Perſona non dicit imperfectionem: vt particulare, à parte, &c. *Ad* 3. Indiuiduum creatum eſt compoſitum, quia eſt ſub genere: non ſic Perſona. *Ad* 4. Græci non vtuntur hoc nomine *Proſopon*, quia habent nomen hypoſtaſis.

QVÆST. 2. An vtendum ſit in Diuinis nomine Subſtantiæ, & Subſiſtentiæ? *Reſp.* Non à ſubſtando inhærenti: ſed vt diſtinguenti, vel perficienti; propriè tamen à per ſe ſtando. 5. 7. *Trin.* 15.

QVÆST. 3. An ſit vtendum nomine Eſſentiæ? *Reſp.* De diſtinctione Eſſentiæ, Subſtantiæ, Subſiſtentiæ & Perſonæ: vt Græcè *Vſia, Vſioſis, Hypoſtaſis*, & *Proſopon*; vel aliter apud *Alenſ. p. 1. q. 49. 56.* 57. 58. Sed hîc præfert modum diſtinguendi per id *Quod*, & *Quo* Deus eſt Vnus & Trinus.

ARTICVLVS 2. Al. q. 14. 45. 50.

QVÆST. 1. An nomen *Subſtantiæ* in Diuinis numeretur? *Reſp.* Non vt ſignificat *Vſiam* vel Naturam: ſed Hypoſtaſim, & Perſonam.

QVÆST. 2. An nomen *Eſſentiæ* numeretur? *Reſp.* Non ipſa Eſſentia, Subſtantia vel Natura: ſed plures habentes eandem Eſſentiam Diuinam diſtinctis modis; vt vnus poteſt habere plures naturas creatas. *Ad* 1. & 2. *Aug. 6. Trin.* 4. vocat in Deo hæc, *Tria*, minùs propriè. *Ad* 3. Quælibet Perſona eſt Perſona: ſed non eſt eadem Perſona, ſicut eſt eadem Eſſentia. *Ad* 4. Tres Perſonæ non ſunt plura entia ſubſtantiuè, ſed adiectiuè.

QVÆST. 3. An poſſint catholicè dici plures Dij? *Reſp.* Non propriè quia ſignificarentur plures Deitates. *Ad* 2. Deus non ſignificat habentem Deitatem, maſculinè: ſed neutraliter, vel ſignificat ipſam Deitatem in habente. *Ad* 3. Deus dicitur ab operatione: non per modum adiectiui, ſed ſubſtantiui.

Digitized by Google

Ad 4. Sunt tres Perſonæ Diuinæ, quaſi poſſeſſiuè .i. vel habentes Deitatem, vel perfectæ ipsâ Deitate. *Ad* 5. Nomen Perſonæ Diuinæ non eſt commune tribus, ſed proprium ſingularum, vel appropriandum ſingulis nomine proprio aut adiectiuo.

In DIST. 24. *De Nominibus numeralibus in Diuinis. Alenſis p.* 1.. *q.* 45. 51. 52. 65.

Expoſitio Textus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Nomine numerali & partitiuo, Vnius.

QVÆSTIO 1. An nomen, *Vnus*, poſitiuè vel priuatiuè dicatur in Diuinis? *Reſp.* Ex Magiſtro, priuatiuè non poſitiuè: ſed potiùs poſitiuè quoad rem; priuatiuè quoad noſtrum modum intelligendi. Hinc *ad Arg.* Vnum explicatur per priuationem diuiſionis: ſed quo quid eſt magis indiuiſum ac indiuiſibile, eo perfectiùs,& poſitiuè vnum, minúſque alijs connumerabile. Hinc Deus & creatura non ſunt propriè duo quoad rem.

QVÆST. 2. An dicatur ſecundùm ſubſtantiam vel relationem? *Reſp.* In neutro, ſecundùm ſubſtantiam: in maſculino adiectiuè, nunc determinatur ad vnitatem eſſentialem,nunc ad perſonalem, per terminum adiunctum; nec tamen illæ vnitates ſunt duæ quoad rem, ſed ratione.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De nominibus purè numeralibus, vt Duo, Tres, &c.

QVÆSTIO 1. An hæc in Diuinis poſitiuè vel priuatiuè dicantur? *Reſp.* Non ſolùm priuatiuè, vt cenſuit Magiſter: ſed & poſitiuè; non quoad aggregationem aut diuiſionem, ſed quoad ſolam diſtinctionem perſonalem.

QVÆST. 2. An dicantur ſecundùm ſubſtantiam, vel relationem? *Reſp.* Secundùm relationes & Notiones Perſonales in concreto. *Ad* 1. Numerus in creaturis eſt quantitatiuus: in Diuinis autem, nonniſi relatiuus.

ARTICVLVS TERTIVS.

De nomine Trini, vel Trinitatis.

QVÆSTIO 1. An hæc importent vnitatem? *Reſp.* Important vnitatem formæ, & pluralitatem Perſonarum: quaſi nomina collectiua, non quoad aggregationem, ſed quoad diſtinctionem.

QVÆST. 2. An importent vnitatem eſſentiæ vel ſuppoſiti? *Reſp.* Significant vnitatem eſſentialem trium Perſonarum: non autem trinam vnitatem perſonalem; vt idem ſit Trinitas quod Trium Vnitas, non ter vnitas. *Ad* 3. Trinus importat vnitatem eſſentialem plurium in concreto: ideo Deus dicitur Trinus, non Deitas trina.

In DIST. 25. *De nomine Perſonæ. Al. q.* 56.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quidditate Perſonæ.

QVÆST. 1. Quid ſit re: an dicatur ſecundùm ſubſtantiam, vel relationem? *Reſp.* Secundùm vtramque: principaliùs ſecundùm ſubſtantiam: ſed determinatiùs ſecundùm relationem. *Ad vlt.* Perſona abſtrahit à proprietate determinata, ſed non ab omni.

QVÆST. 2. Quid ſit definitione? *Reſp.* Eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ex Boëtio De duabus natur. *c.* 2. *&c.* Vt *Alenſis p.* 1. *q.* 56. *m.*3. *Ad* 1. De perſona creata eſt notincatio per additionem: de Diuina per ſolam originem. *Ad* 3. Subſtantia hîc ſtat pro communi ad primam & ſecundam. *Ad* 4. De varijs defin. perſonæ. Vt *Alenſis q.* 56. *m.* 3.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De communitate huius nominis, Perſona.

QVÆSTIO 1. An ſit commune Perſonis Diuinis? *Alen. q.* 56. *m.*4. *Reſp.* 1. Non poſitiuè, ſed priuatiuè. 2. Non quoad vnitatem naturæ abſolutæ, ſed ſimilitudinem habitudinis comparatæ. 3. Non communitate rei, ſed rationis. Sed ſecundus modus magis accedit ad naturam rei: quia reuera priuatio illa in perſona magis eſt poſitio quàm priuatio. *Ad* 1. Non eſt vniuerſale: quia non plurificatur nec contrahitur ad indiuiduum per additionem: ſed diſtinguitur per originem,&c.

QVÆST. 2. An dicatur vniuocè de creatis & increatis? *Reſp.* Non vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè: vniuocè tamen de Perſonis Diuinis,&c. vt *Alenſis q.* 56. *m.* 4.

In DIST. 26. *De nomine Hypoſtaſis, & proprietatibus Perſonalibus.*

Expoſitio Textus, per 7.dubia.

*ARTICVLVS VNICVS. Al. q.*58.*&* 68.

QVÆSTIO 1. An in Diuinis ſint Proprietates Perſonales? *Reſp.* Sunt Proprietates Perſonales inter ſe realiter, à perſonis autem non ſola voce,ſed aliquo modo differentes. Quia Perſonæ Diuinæ differunt realiter: ergo aliquibus realiter diſtinguentibus: & variè conueniunt ac differunt; ergo nec ſola conuenientia eſſentiali, nec ſola differentia perſonali, ſed etiam notionali. *Ad* 1. ex *S. Hil.* Perſonæ differunt *ſolis nominibus*: ſed vt ſignificatiuis & veris. *Ad* 2. Differre re apud *Damaſc.*i. naturâ: differre ratione .i. relatione. *Ad* 3. *&* 4. Differentiæ relatiuæ non repugnant ſimplicitati. *Ad* 5. Eſſentia Dei non poſſet referri niſi ad aliam eſſentiam: Deus autem non refertur ſeu ordinatur extra ſe. *Ad* 6. Materia & forma ſeipſis referuntur, ſed non ſine compoſitione: Perſonæ autem Diuinæ,ſimpliciter; non tamen quin ſit aliquid abſolutũ quod referatur,præter relationẽ quâ refertur.

QVÆST. 2. Quid ſint hæ Proprietates Perſonales? *Reſp.* Sunt relationes: non vt ad ſubiectum, ſed vt ad obiectum ſeu terminum; non alicuius dependentiæ, ſed ſolius habitudinis. Quia hæ Proprietates ſunt incommunicabiles, & realiter diſtinguentes: ergo nonniſi relationes. Hinc *ad* 1. 2. 3. *Ad* 4. Relatio ſubſtantialis non eſt minimæ entitatis: nec facit compoſitionem.

QVÆST. 3. An diſtinguant hypoſtaſes, vel tantùm oſtendant eſſe diſtinctas? *Reſp.* Non tantùm oſtendunt, ſed & verè diſtingunt: quia non ſolùm dicunt relationem quaſi ex origine reſultantem; ſed & ipſam originem vt relatiuam.

QVÆST. 4. Quot ſint proprietates? *Reſp.* Non infinitæ, quaſi cuilibet pro ſuo libitu notificantes: ſed tres Perſonales, 4. Relatiuæ, imò 5. Notionales,ad aliquam dignitatem Perſonarum pertinentes; quia extenſo nomine omnis Notio & Relatio in Diuinis eſt quædam Proprietas. Plura ex *Al.q.*68.

In DIST. 27. *De ſingulis Proprietatibus.* 1. *Sub nominibus vſitatioribus.* 2. *Sub alijs.*

Expoſitiò 1. partis, per 5 dubia: ſecundæ, per 4.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS PRIMVS. in 1. *Partem.*

QVÆSTIO 1. *Alenſis q.* 59. An eſſe Patrem, & Generare, ſit vna & eadem notio? *Reſp.* Eſt vna & eadem: quia Paternitas & generatio de ſe inuicem prædicantur in abſtracto; ſed ſub vario modo ſignificandi. 1. Generatio ſub communiori modo, quàm Paternitas. 2. Pater dicit hypoſtaſim, generare requirit. 3. Pater exprimit relationem, generare originem.

QVÆST. 2. *Alenſis q.* 59. An Generatio ſit ratio Paternitatis, vel è contra? *Reſp.* Eſt ratio Paternitatis, non è contra: quia quamuis capi poſſit quòd Deus ſit Pater, non quia generat, ſed vt generet; non tamen quòd Filius ſit Filius niſi quia generatur. Vt autem ſe habet Generatio paſſiua ad Filiationem, ſic actiua ad Paternitatem: & relatiua ſunt ſimul natura & intelligentia. Hæc ex correcto textu vitiato. *Ad* 1. Prima Perſona generat vt Perſona: ſed non vt priùs actu completè diſtincta. *Ad* 2. Paternitas non acquiritur, ſed tamen ineſt per actum generandi. *Ad* 3. Pater generat, quia Innaſcibilis: ſpirat quia Improceſſibilis. Subdit plurima ſua ad hoc motiua. 1. Quia *Innaſcibilitas dicit Primitatem.* Quia à magnis Doctoribus antiquis vocatur Fontalis plenitudo Patris. 3. Quia eſt prima Notio poſitiua & relatiua: ergo eſt ad generationem. 4. Quia *S. Hil.* 12. *Trin.* dicit quòd Pater ſit Author Filij: ergo ab Authoritate Innaſcibilitatis. 5. Quia, ex *Phil. de cauſis,* quò principia ſunt priora, eò magis influunt: ergo Primitas eſt ratio primæ productionis. 6. Poteſt intelligi Deus vt habens Deitatem ex ſe: ergo vt potens generare. 7. Omnes Perſonæ & proprietates ſupponunt Innaſcibilitatem. 8. Paternitas non eſt ex ſe incommunicabilis, ſed ex innaſcibilitate. 9. Primitas eſt ratio principiandi, non è contra.

QVÆST. 3. An ſit aliqua abſtractio Proprietatum Diuinarum? *Reſp.* Non ex natura rei: ſed ex neceſſario modo noſtro concipiendi: & ſignificandi aliquid vt *Quod* vel vt *Quo*. *Ad Arg.* Paternitas non differt vt comparata ad quaſi ſubiectum: ſed ad obiectum ſeu terminum.

QVÆST. 4. An liceat contrariè opinari de Notionibus? *Reſp.* Licet, ſine præſumptuoſa Aſſertione. Vt *Alenſis q.* 68. *m.* 1. *a.* 2.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆSTIO 1. An Verbum in Diuinis dicatur eſſentialiter vel notionaliter? *Reſp.* Verbum Dei dicendo intra ſe conceptum ab æterno, non eſt eſſentiale, ſed notionale: Verbum autem prolatum, ſeu creando exterius expreſſum, eſt quælibet creatura. *Ad Arg.* Dicere non eſt ſolùm intelligere: ſed intra ſe ſuam intelligentiam concipere.

QVÆST. 2. An Verbum æternum importet reſpectum ad Creaturas? *Reſp.* Connotat reſpectum ad creaturas, vt earum exemplar, & virtus diſpoſitiua ad operandum, non actu, ſed potentiâ. Quia Deus Pater intelligit ſe vt Principium omnium: ergo dicit ſeu concipit Verbum vt tale. *Ad* 4. Nec ideo poteſt dici Verbum creaturarum: quia eſt principaliter Verbum Dicentis: ſicut nec Spiritus Sanctus eſt Donum creaturarum, ſed Donantis.

QVÆST. 3. An ordine intelligendi prior ſit in Filio Dei ratio Notitiæ & Sapientiæ, quàm Verbi? *Reſp.* Quòd ſic: quia Verbum ſupponit Notitiam, & ſuperaddit conceptionem & expreſſionem internam.

QVÆST. 4. An nomen Verbi, rectè tranſlatum ſit ad Diuina? *Reſp.* Quòd ſic: quia quamuis ratio Verbi, vt & Paternitatis, Sapientiæ, Lucis, &c. priùs ſit in Deo quàm in nobis, nomen tamen à nobis transfertur ad Deum, ob ſimilitudinem verbi noſtri, & ad noſtram inſtructionem. Ex *B. Aug.* 9. 10. 11. 15. *Trin.* Vnde colligit ſimilitudinem expreſſam verbi noſtri cum Diuino, eſſe quando eſt verum, placens, & potens: vt Verbum Diuinum eſt veriſſimum, placentiſſimũ, & omnipotentiſſimũ.

In DIST. 28. *De alijs nominibus Perſonarum Diuinarum.*

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

ARTICVLVS VNICVS. Alenſis q. 69.

QVÆSTIO 1. An nomen *Ingeniti,* ſeu *Innaſcibilis,* dicatur ſecundùm ſubſtantiam vel relationem? *Reſp.* Dicitur de ſolo Patre propriè ſecundùm relationem priuatiuè, ſed conſequenter poſitiuè: vt *Ingenitus* eſt qui nec generatur vt Filius, nec per generationem communicatur vt Eſſentia Diuina, nec generationem conſequitur, vt Spiritus Sanctus, &c. *vt ſupra d.* 27. *a.* 1. *q.* 2.

QVÆST. 2. An Innaſcibilitas dicat eandem relationem & potiùs rationem quàm Paternitas? *Reſp.* Quòd non: vt patet ex prædictis.

QVÆST. 3. An Innaſcibilitas, vel Paternitas, ſit Proprietas, Relatio, vel Notio perſonalis Patris? *Reſp.* Non Innaſcibilitas, ſed Paternitas: quia non illa, ſed hæc dicit primam, propriam, poſitiuam & completam rationem primæ Perſonæ.

QVÆST. 4. An *Improceſſibilitas,* ſeu *Inſpirabilitas* ſit etiam Notio Patris? *Reſp.* Quòd non: quia non dicit Primitatem, nec dignitatem non eſſendi ab alio, nec excludit Naſcibilitatem.

In DIST. 29. *De nomine Principij. Al. q.* 70. 76.

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De communitate aut proprietate huius nominis.

QVÆSTIO 1. An ſumi poſſit in Deo eſſentialiter, & Perſonaliter? *Reſp.* Vtroque modo: Perſonaliter ad intra, eſſentialiter ad extra. Quia nomen & ratio principij & principiati Producentis & Producti, non includit vllam inter illa imperfectionem, ſucceſſionem, dependentiam, inæqualitatem, diuerſitatem vnius: vt nomen & ratio initij & initiati, cauſæ & effectus, finis & finiti, ac mediorum ad finem. Ex *Aug.* 5. *Trin.* *Ad* 1. Non eſt tam propriè & ſimpliciter prioritas & poſterioritas in Deo ad intra, quàm ratio Principij & Principiati: quia hæc eſt Originis, illa Ordinis minùs proprij Deo, niſi determinetur ad Originem. *Ad* 1. Initium eſt propriè durationis. *Ad* 3. Cauſa & effectus differunt naturâ ſingulari. *Ad* 4. Finis eſt melior ijs quæ ſunt ad finem.

QVÆST. 2. An vniuocè vel æquiuocè dicatur de Principio Eſſentiali & Notionali? *Reſp.* Nec vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè: quia nec ſupponit, nec ſignificat diuerſa, ſed tantùm ea connotat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De vnitate huius nominis.

QVÆSTIO 1. An Pater & Filius ſint vnum Principium

Digitized by Google

cipium Spiritus S. *Reſp.* Sunt vnum Principium : non Eſſentiale, nec Perſonale, ſed Notionale, ſeu commune Patri & Filio, vt ſunt eiuſdem voluntatis fœcundæ. *Ad Arg.* Non ſunt hoc & illud Principium : vel non ſunt duo principia, ſed vnum ; quia ab vna forma ſeu vi principiandi.

Qvæst. 2. An Pater & Filius ſint vnus Spirator : ſint idem principium ? *Reſp.* Quòd non : quia Spirator eſt nomen verbale ab vna Spiratione, ſed in concreto ad duas Perſonas : non ſicut Creator ab eadem creatione, & in eadem ſubſtantia. Principium autem, vt de ſolo Patre, ſic & de Patre, & Filio, dicitur vnum : quia vt eſt actiuum eadem ſaltem realiter in ſolo Patre vi principiandi ; ſed non idem, quia hoc afficit determinatum ſuppoſitum. *Ad* 1. Spirator .i. qui ſpirat. *Ad* 2. Creator, eſt eiuſdem ſuppoſiti & virtutis. *Ad* 3. Vnitas non excludit pluralitatem Suppoſitorum, vt identitas.

In DIST. 30. De dictis relatiuis Dei ad Creaturas ex tempore.

ARTICVLVS VNICVS. Al. q. 53.

Qvæstio. 1. An dicatur aliquid noui de Deo, ex tempore ? *Reſp.* Non ſolùm cauſaliter, ſed & formaliter : non quoad principale ſignificatum, per aliquam eius mutationem ; ſed quoad connotata, per ſolam relationem aut vnionem, &c. *vt Al. q.* 53.

Qvæst. 2. An hæc per ſe vel per accidens dicantur? *Reſp.* Non per accidens ipſius Dei : ſed non neceſſariò.

Qvæst. 3. An dicant relationem realem ? *Reſp.* Non Dei ad creaturam : ſed ſolius creaturæ ad Deum. Quia Deus eſt abſolutus ab omni relatione ſeu ordinatione ad creaturas.

In DIST. 31. Per duas partes : De Relatiuis communibus & appropriatis inter ipſas Perſonas.

Expoſitio 1. partis, per 3. dubia : ſecundæ per 10.

ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 54.

Qvæstio 1. An æqualitas & ſimilitudo dicantur de Perſonis Diuinis poſitiuè, vel priuatiuè ? *Reſp.* Non ſolùm priuatiuè, vt vult *Magiſt. hac diſt.* ſed & poſitiuè; quia eſt vnitas & pluralitas poſitiuè.

Qvæstio 2. An dicantur ſecundùm ſubſtantiam, vel relationem? *Reſp.* Secundùm illam, formaliter : ſecundùm hanc cauſaliter .i. fundamentaliter. *Ad* 4. In Deo non ſolùm ſunt Relationes diſtinguentes, ſed etiam diſtinctorum.

Qvæst. 3. An dicantur ſecundùm relationem mutuam ? *Reſp.* Non vt dicunt imitationem & expreſſionem Originis : ſed ſolam conuenientiam in quantitate & qualitate perfectionis.

ARTICVLVS 2. Alenſis q. 61. 67.

Qvæstio 1. An Imago in Deo dicatur ſecundum ſubſtantiam vel relationem ? *Reſp.* Propriè nonniſi Notionaliter ſeu Perſonaliter : quia vt exemplar dicit ſimilitudinem actiuam, ſic imago quaſi paſſiuam ; vel vſque ad identitatem naturæ ſingularis, vt in Deo ; vel ad identitatem naturæ communis, vt inter homines ; vel tantùm ad imitationem aliquam accidentalem, vt in Arte factis.

Qvæst. 2. An propriè dicatur de Filio Dei? *Reſp.* Dicitur propriè : quia Filius eſt genitus expreſsè & adæquatè ſimilis ſoli Patri, tam in natura quàm in vi ſpirandi Spiritum S. ſed vt Filius, ſolùm dicit reſpectu ad Patrem ; vt Imago, conſequenter etiam ad Spiritum ſpirandum ; vt Verbum, etiam conſequenter ad creaturas producibiles.

Qvæst. 3. An Æternitas rectè approprietur Patri, ſpecies Imagini, vſus muneri ? *Reſp.* Rectè appropriantur à *S. Hil.* 2. *Trin.* quia æternitas congruit ad ſignificandam negationem Principij, & primitatem Patris; ſpecies ſeu pulchritudo ad ſignificandam perfectiſſimam generationem Filij, vt expreſſionem Imaginis ſimillimæ Patri ; Vſus non vt opponitur fruitioni, ſed vt actus liber voluntatis, ad ſignificandam Proceſſionem Spiritus Sancti per Voluntatem.

ARTICVLVS TERTIVS. in 2. p. Alenſis q. 10. 67.

Qvæstio 1. An Deus poſſit dici vnum quid cum creatura ? *Reſp.* Non abſolutè ex conformitate voluntatis : ſed nonniſi ſub aliqua determinatione. Vt 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo vnus Spiritus eſt. *Ad Arg. Vnus ſpiritus* .i. non naturâ, ſed affectu voluntatis.

Qvæst. 2. An vna creatura poſſit dici vnum quid ſimpliciter cum alia? *Reſp.* Nonniſi ſimul ex conformitate naturæ, voluntatis, & operationis ſeu finis.

Qvæst. 3. An Vnitas rectè approprietur Patri, Æqualitas Filio, Concordia Spiritui S. *Reſp.* Rectè appropriatur à *B. Aug.* 1. *Doct. Chriſt.* 5. vt ſatis patet ex prædictis, & ex *Alenſi q.* 67. *m.* 2.

In DIST. 32. An Pater & Filius diligant Spiritu Sancto : & an Pater ſit Sapiens Sapientiâ Genitâ.

Expoſitio Textus, per 7. dubia

ARTICVLVS PRIMVS. Alenſis q. 67.

Qvæstio 1. An Pater & Filius diligant ſe Spiritu Sancto ? *Reſp.* Non eſſentialiter, amore complacentiæ : ſed notionaliter, eadem vi ſpirandi. Ex *B. Aug.* 7. *Trin.* *Ad* 4. Vt *Dicere* importat Generationem & expreſſionem, hinc autem Pater Dicit ſe Verbo .i. Dicendo exprimit ſe Verbo : ſic diligere, vltra actum amandi, dicit concordiam Patris & Filij in Spirando vnde diligunt ſe Spiritu S.

Qvæst. 2. Quæ ſit hæc conſtructio ? *Reſp.* Non in ablatiuo vt ſolo ſigno, nec vt ſolo termino producto : ſed etiam vt quadam formâ ſeu principio diligendi, non inhærente, ſed vniente.

ARTICVLVS SECVNDVS. Al. q. 67.

Qvæstio 1. An Pater ſit Sapiens Sapientiâ genitâ ? *Reſp.* Nullatenus : quia eſſe Sapientem eſt eſſentiale Patri ex ſe. *Ad* 1. Filius eſt Sapientia Patris : non vt ſubiecti, ſed vt principij. Patrem autem eſſe Sapientem Sapientiâ genitâ, dicit hanc eſſe illi formam aut principium Sapiendi : quòd nequit intelligi, vt de Spiritu Sancto reſpectu Patris & Filij ; quia amor eſt vt exiens ab amante, ſed Sapientia vt informans Sapientem. *Ad* 2. 3. 4. Pater nouit omnia in Filio, vt in obiecto, & cum Filio : ſed non Filio. *Ad* 5. Pater dicit, ſed non intelligit Verbo : quia Dicere eſt Notionale, Intelligere Eſſentiale.

Qvæst. 2. An Pater ſit Potens Potentiâ genitâ ? *Reſp.* Quamuis per Filium operetur, non tamen Poteſt, vel eſt Potens Filio, nec per Filium : quia hoc ſignificaret authoritatem Filij, ſeu quòd Pater ab eo haberet potentiam ; illud ſignificat ſubauthoritatem. *Ad vlt.* Virtus Dei appropriatur Filio,

Digitized by Google

lio, 1. *Cor.* 1. quia generat perfectiſſimè & adæquatè, eique communicatur eadem vis ſpirandi.

In D I S T. 33 *De differentia aut conuenientia Proprietatum Perſonalium, cum Eſſentia & Perſonis. Alenſis q.* 42. 56.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

Qvæstio 1. An proprietates ſint Perſonæ? *Reſp.* Sunt Perſonæ, & in Perſonis: ſed differunt in modo ſe habendi; non ad quaſi ſubiectum ſeu ſuppoſitum proprium, ſed ad obiectum ſeu terminum. *Ad* 4. Relationes non ſunt in ſubiecto abſolutè, ſed relatiuè ad terminum.

Qvæst. 2. An proprietates ſint ipſa eſſentia, & è contra? *Reſp.* Sunt, quoad rem: ſed non quoad modum ſe habendi ad terminum. *Ad* 1. Deus Pater alio eſt Deus, alio Pater: non quoad rem, ſed quoad modum. *Ad* 3. & 4. Vt res Diuinæ excedunt inferiores: ſic & prædicatio de illis, prædicationem de his.

Qvæst. 3. An Notio prædicetur de Notione? *Reſp.* Notiones eiuſdem Perſonæ prædicantur de ſe inuicem in concreto, non in abſtracto: quia in abſtracto important ſolùm ſuum reſpectum, in concreto autem ſuam identitatem.

Qvæst. 4. An Notiones ſeu proprietates in concreto ſeipſas, denominent in abſtracto? *Reſp.* Quòd non: quia actus & relatio non eſt propriè ipſius formæ, ſed ſuppoſiti. Vt *Al. q.* 68. *m.* 5. *a.* 5.

In D I S T. 34. *De identitate eſſentiæ cum Perſonis, & è contra. Al. q.* 42. 56.

Expoſitio Textus, per 7. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qvæstio 1. An res naturæ, ſeu Perſonæ, addat ſupra naturam? *Reſp.* Nil quoad rem: ſed quoad modum intelligendi; non in recto, ſed in obliquo. Quia diſtinctio Perſonæ à Perſona eſt ex origine: quæ poteſt eſſe Perſonæ non eſſentiæ. *Ad* 6. Quæcunque ſunt eadem vni & eidem, ſunt eadem inter ſe: fallit 1. vbi plura identificantur in eodem communi, vt differentiæ in eodem genere. 2. Vbi plura diſtinguuntur ſola origine: vt radij diverſarum ſtellarum in eodem aeris puncto. 3. In reſpectiuis, quorum identitas aut diuerſitas non ſolùm pendet ex ſubiecto, ſed & termino.

Qvæst. 2. An Perſonæ Diuinæ prædicentur de natura & è contra? *Reſp.* Non prædicatione formali, modo noſtro intelligendi, & exprimendi noſtram intelligentiam: ſed prædicatione identica.

Qvæst. 3. An in Diuinis ſint quædam appropriata? *Reſp.* Non quoad ipſam rem communem: ſed quoad vim, & rationem, ac finem appropriandi.

Qvæst. 4. *Al. q.* 48. An nomina noſtra poſſint transferri ad Diuina? *Reſp.* Non nimis indigna, nec nimis ſimilia aut apparentia: ſed conuenientia ad eliciendam & extollendam laudem Dei.

In D I S T. 35. *De ſcientia Dei in genere*

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 22. 23.

Qvæstio. 1. An ſint in Deo Ideæ? *Reſp.* ex *B. Aug. q.* 46. & 73. 11. *Ciu.* 29. Sunt in Deo Ideæ, ſeu rationes cognoſcendi omnia: non vt in nobis ſimiles rebus cognitis, ſed ea ſibi aſſimilantes. Quia Deus nec cognoſcit diſcurſiuè ex cauſis, nec ex obiectis ab extra: ſed immediatè ex ſeipſo, ſeu ex Ideis omnium vt ex earum propria veritate. *Ad* 1. S. Dion. non negat Ideas: ſed vt à Deo diſtinctas. *Ad* 2. Non eſt in nobis ſimilitudo vniuocationis, nec perfectæ imitationis, ſed veræ expreſſionis. *Ad* 3. Veritas perfectiùs exprimit rem, quàm ipſa ſeipſam, &c.

Qvæst. 2. An ſit vna, vel plures? *Reſp.* Eſt vnica quoad rem: quia vnica veritas ſeu ratio cognoſcendi omnia. Ex *Aug.* 6. *Trin.* 10. *Ad* 1. Eſt forma, ſed exemplaris. *Ad* 2. Idea Dei non eſt ſimilitudo expreſſa, ex aliquo: ſed expreſſiua omnium; quia non eſt limitata ad vllum genus. *Ad* 3. Eſt communis quoad indifferentiam, & amplitudinem: ſed ſingulis propria quoad diſcretiſſimam expreſſionem. *Ad* 4. Deus inde cognoſcit omnia, diſtinctè quoad cognita, non quoad ipſam cognitionem.

Qvæst. 3. An Ideæ ſint plures ratione? *Reſp.* Sunt plures ſolo eiuſdem reſpectu rationis ad creaturas futuras: ſed à pluribus reſpectibus realibus creaturarum ad illam. Vt *Al.* 2. *p. q.* 3.

Qvæst. 4. An tot ſint Ideæ quot ſpecies, vel quot indiuidua? *Reſp.* Sunt tot quot ſingularia. Ex *Aug. Epiſt.* 115. Quia ſunt etiam expreſſiuæ ſingularium.

Qvæst. 4. An ſint finitæ numero vel infinitæ? *Reſp.* Sunt infinitæ: quia *Pſal.* 145. Sapientiæ eius non eſt numerus; ſuntque omnium poſſibilium. Ex *Aug.* 6. *Trin.* 10. & 9. 20.

Qvæst. 5. An ſit ordo inter ipſas Ideas? *Reſp.* Nec originis, nec dignitatis inter ſe: ſed ad ſua Ideata; quia nec eſt pluralitas realis, nec vna res cognoſcitur ſeu exprimitur perfectiùs, aut dependenter ab altera.

In D I S T. 36. *De exiſtentia omnium in Deo.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De exiſtentia omnium bonorum in Deo. Al. q. 23.

Qvæst. 1. An Res fuerint in Deo ab æterno? *Reſp.* Non in exiſtentia actuali: ſed in cognitione & Potentia Dei.

Qvæst. 2. An ſint in Eſſentia Dei, vel Perſona? *Reſp.* Nec vt in Eſſentia abſoluta, nec vt in Perſona: ſed vt in cauſa.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De modo exiſtendi Rerum in Deo. Al. q. 23.

Qvæst. 1. An omnia ſint vita in Deo? *Reſp.* Sunt in Deo vita, vt in viuo Exemplari omniũ poſſibilium, ex *Ioan.* 1. *Aug. q.* 46. *ex* 83. *lib.* 6. *Trin.* 10. *Ad* 1. Mouemur in Deo, *Act.* 17. conſeruati.

Qvæst. 2. An habeant in Deo veriùs eſſe quàm in proprio genere? *Reſp.* Quælibet habet veriùs eſſe proprium in ſe, quam in Deo: ſed eius exemplar in Deo, eſt verius & perfectius, quàm ſit res ipſa in ſe.

ARTICVLVS TERTIVS.

De exiſtentia malorum aut imperfectorum in Deo.

Qvæst. 1. An mala ſint in Deo? *Reſp.* Non ſunt in Deo vt mala, quia non ſunt in eo vt cauſa exemplari; nec cognoſcuntur poſitiuè per ſe, ſeu per aliquam Ideam ſui; ſed priuatiuè, per Idæam boni oppoſiti. *Ad* 4. Non priuatiuè quaſi in cognoſcente, ſed in cognito.

Digitized by Google

QVÆST. 2. An imperfecta ſint in Deo? *Reſp.* Non vt imperfecta priuatiuè, vt ſupra: ſed vt ſubeſt aliquid reale. Quia vt ſic habet ſuam Ideam.

In DIST. 37. per duas partes.

De modis quibus Deus eſt in omnibus.

Expoſitio 1. partis, per 6. dubia: ſecundæ per 4.

ARTICVLVS PRIMVS. in 1. partem.

De exiſtentia Dei vbique. Al. q. 9. 10.

QVÆSTIO 1. An Deus ſit in omnibus rebus? *Reſp.* Eſt in omnibus. 1. Ex ſua Immenſitate, Potentia, & Simplicitate. 2. Ex omnium dependentia ab eo immediatè: vt forma ſigilli in aqua, pendet à continua eius influentia & impreſſione. *Ad* 4. Agens creatum agit in diſtans, per vim à ſe diſtinctam: non Deus, quia eſt Infinitus in ſe, & in ſua vi agendi.

QVÆST. 2. An Deus ſit vbique? *Reſp.* Non vt contentus, nec vt æqualis: ſed vt continens, conſeruans, & excedens in infinitum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De proprietate Vbiquitatis Dei. Al. q. 6.

QVÆST. 1. An ſolus Deus ſit vbique? *Reſp.* Solus propriè ſingulariter & totaliter: non ſic vniuerſale, nec numerus, nec ſpiritus creatus, nec Corpus Chriſti ſub Sacramento, quod non poteſt eſſe in omnibus, vt *Alenſis* ſæpè.

QVÆST. 2. An ſit vbique ab æterno? *Reſp.* Non quoad locum connotatum: ſed quoad ſuam immenſam præſentiam in ſe. Vt eſt, *ſemper* quoad ſuam immenſam durationem, non quoad tempus connotatum.

ARTICVLVS TERTIVS.

De modis exiſtendi vbique.

QVÆST. 1. An Deus ſit æqualiter in omnibus? *Reſp.* Non quoad æqualem effectum connotatum: ſed quoad æquè intimam ac totalem præſentiam.

QVÆST. 2. Quibus modis ſit in rebus? *Reſp.* Ex *S. Aug. Epiſt.* 57. Eſt in omnibus per naturam, in Sanctis per gratiam, in Chriſto per vnionem hypoſtaticam. Sed ex *S. Greg. in Cant.* 5. Eſt in omnibus & ſingulis *Præſentialiter* .i. indiſtanter, *Potentialiter* .i. influendo cauſaliter, & *Eſſentialiter* .i. intimè exiſtendo. Aliqui tamen hos modos diſtingunt quoad *ſubſtantiam*, *virtutem*, & *operationem*: Aliqui penes genera cauſarum, &c. Aliqui penes modum, ſpeciem, & ordinem; *ſed hæc omnia præcedit Eſſentia, &c.* Vide *Al. q.* 6. 7. 8. 9. 10. 11.

ARTICVLVS PRIMVS in 2. partem.

De Incircumſcribilitate, ſeu Illocabilitate Dei.

QVÆST. 1. An Deus ſit localis, vel locabilis? *Reſp.* Nullo modo: quia nec continetur, nec menſuratur, nec terminatur, nec conſeruatur aut indiget loco, ſed dat ei vim continendi, & locatis vim replendi. *Ad* 4. Deus eſt vbique totus, ſed non totaliter.

QVÆST. 2. An Deus ſit mutabilis quoad locum? *Reſp.* Nullo modo: ſed ſuâ immenſitate adeſt omnibus, ſolâ eorum non ſui, mutatione. *Ad* 1. 2. ex *Aug.* 8. *in Gen.* 22. Deus non mouet ſe, ſimpliciter: ſed, inquit, *ſine tempore & loco* .i. ſine motu propriè dicto. *Ad* 4. Deus inhabitat; non ſolâ ſuâ immenſitate, ſed influentiâ gratiæ. Si daretur locus vacuus, Deus adhuc eſſet in illa capacitate reali.

QVÆST. 3. An Deus ſit ſeparabilis ab omni loco, & exiſtat extra omnem locum? *Reſp.* Non per aliquam diſtantiam à loco exiſtente: ſed per dependentiam omnis loci à Deo, & independentiam ac exceſſum Dei ſupra omnem locum poſſibilem. *Ad vlt.* Si quid fieret extra hunc mundum, Deus eſſet in illo: non tamen eſt extra mundum vbi nihil eſt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De mutabilitate locali Angelorum. Al. 2. p. q. 3.

QVÆST. 1. An poſſint moueri localiter ſine corpore? *Reſp.* Non propriè & circumſcriptiuè, niſi in aſſumpto corpore: ſed in ſeipſis, tantùm diffinitiuè.

QVÆST. 2. An moueantur per medium? *Reſp.* Poſſunt moueri per medium: quia Angeli Cuſtodes poſſunt nos continuò comitari; ſed nec ratio cogit, imò non capit, nec eſt authoritas in promptu quòd poſſint tranſire ſine medio. *Poſſibile tamen eſt quòd Deus dederit aliquid Subſtantijs illis Spiritualibus, quòd carnales intellectus non capiunt.* *Ad* 1. ex *Aug.* 8. *in Gen.* 21. Deus mouet Angelos *per tempora*, propriè: non *per loca* propriè .i. circumſcriptiuè. *Ad* 2. ex *Ariſt.* 6. *Phyſ.* Impartibile *non mouetur per magnitudinem:* ad acquirendum ſitum impartibilem; ſed Angeli non mouentur ad ſitum, nec ſunt in loco impartibili. *Ad* 3. 4. 5. Tranſeunt per compoſita, nec tamen ideo componuntur; quia ſunt toti in ſingulis partibus; & anima non eſt compoſita, quia eſt in compoſito. Poſſet tamen dici, quòd etſi tranſirent per ſimplicia, non pertranſirent infinita actu, ſed vt vnita, ſicque tantùm infinita potentiâ.

QVÆST. 3. An pertranſeant medium ſubitò vel ſucceſſiuè? *Reſp.* Non ſubitò, ſed ſucceſſiuè: non ex reſiſtentia medij, nec partibilitate mobilis; ſed ex diſtantia ſpatij, & limitatione virtutis motiuæ. *Ad* 1. ex *Aug. lib.* 5. *Reſp.* Subito .i. repentè, ſeu morâ imperceptibili. *Ad* 2. In vacuo totali non eſſet motus: quia nec vlla diſtantia. *Ad* 3. Quod mouetur ſucceſſiuè ex propria partibilitate, eſt partim in termino à quo, partim in termino ad quem: ſed Angeli nonniſi per acceſſum & receſſum. *Ad* 4. Tranſeunt toti ſimul, ſed non ſimul per totum. *Ad* 5. Vt duratio ſucceſſiua poteſt eſſe in Angelis per nunc præſens: ita & motus ſucceſſiuus.

In DIST. 38. De præſentia Dei.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De cauſalitate Præſcientiæ Dei. Al. q. 23. 24.

QVÆST. 1. An præſcientia Dei ſit cauſa rerum? *Reſp.* Eſt cauſa bonorum, non malorum præſcitorum. Ex *Aug.* 15. *Trin.* 13. *Ad* 4. & 5. Præcognitio & Idea eſt cauſa entitatis, non priuationis: ſed Deus præſcit priuationes ex Ideis ipſarum rerum. Vt ſi artifex ex nodoſitate ligni præſciat defectum ſtatuæ inde formandæ.

QVÆST. 2. An res præſcitæ ſint cauſa præſcientiæ Dei? *Reſp.* Non propriè, nec cauſa ſine qua non: ſed præſcientia Dei eſt cauſa rerum præſcitarum, licet non ſola omnium, in eſſendo; ſunt cauſæ reciprocè in inferendo; ſed res præſcitæ ſunt cauſæ præſcientiæ in dicendo, ſeu in denominatione præſcientiæ à rebus futuris.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

De neceſſitate Præſcientiæ. Al. q. 23. 24.

QVÆST. 1. An præſcientia Dei imponat neceſſitatem rebus præſcitis? *Reſp.* Non neceſſitatem abſolutam ſeu conſequentis, repugnantem libertati contingentiæ: ſed ſolùm neceſſitatem reſpectiuam ſeu conſequentiæ. Ex *Aug.* 2. *De lib. arb.* 4. *l.* 3. *c.* 3. *l.* 5. *Ciu.* 9. Quia Deus præſcit ſingula vt futura ſunt. Aliæ opin. ſunt contra Deum & bonos mores: Hæc pro, &c. *Ad* 3. Quod eſt actu, neceſſariò eſt: non futurum. *Ad* 4. Poteſt aliter eſſe quàm Deus præſcit: in ſenſu diuiſo, non compoſito; quia Deus poteſt aliter præſciſſe.

QVÆST. 2. An Deus neceſſariò præſciat quæ præſcit? *Reſp.* Non ſimpliciter, ſed tantùm quoad actum cognitionis Diuinæ: quia totum dictum eſt contingens, ex contingentia ſolius connotati; nec ideo præſcientia eſt incerta, quia independens à futuro contingenti. *Ad* 1. Actus eſt ex ſe neceſſarius, non connotata. *Ad* 2. & 3. Contingentia non eſt circa præterita, ſed futura. *Ad* 6. Præſcitum eſt immutabile, ſed non neceſſarium. *Ad* 7. Æternum eſt neceſſarium, niſi ex connotatione futuri contingentis.

In DIST. 39. *De perfectione ſcientiæ Dei.*

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De cognitis. Alenſis q. 23.

QVÆST. 1. An Deus cognoſcat alia à ſe? *Reſp.* Cognoſcit, ſed ex ſe, & in ſe, ſeu ſuis exemplaribus, *Pſal.* 93. *Eccli.* 23. Quia hoc eſt perfectionis & Sapientiæ Diuinæ, abſque vlla imperfectione.

QVÆST. 2. An cognoſcat omnia? *Reſp.* Omnia, notitiâ ſimplici: ſed ſola bona, notitiâ approbationis & complacentiæ.

QVÆST. 3. An poſſit ſcire plura quàm ſciat? *Reſp.* Nôn ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, ſeu poſſibilium: ſed viſionis aut præſcientiæ futurorum, & approbationis ſeu complacentiæ bonorum.

ARTICVLVS SECVNDVS. *De modo.*

QVÆSTIO 1. An eadem cognitione cognoſcat ſe & alia? *Reſp.* Eadem, & eodem modo ex parte cognoſcentis, non cognitorum: quia eſt independens à cognitis, & identica cognoſcenti.

QVÆST. 2. An cognoſcat mutabilia immutabiliter? *Reſp.* Immutabilitate cognitionis, non cognitorum: quia illa non dependet ab his.

QVÆST. 3. An Deus cognoſcat vniuerſa præſenter? *Reſp.* Non præſentiâ rerum: ſed ſuorum exemplarium æternorum.

In DIST. 40. *De Prædeſtinatione, & Reprobatione.*

Expoſitio Textus, per 8. dubia.

ARTICVLVS 1. *De Prædeſt. Al. q.* 28.

QVÆST. 1. An Prædeſtinatio ſit æterna, vel temporalis? *Reſp.* Eſt æterna, *Eph.* 1. Quia importat prioritatem æternam ſui principalis ſignificati, ad connotata temporalia ſubiectorum, & gratiæ ac gloriæ futuræ.

QVÆST. 2. An ſit ſcientia vel voluntas Dei? *Reſp.* Importat Scientiam diſpoſitiuè, Voluntatem effectiuè, Potentiam executiuè: ſed tribuitur principaliter Voluntati. Hinc ab *Aug.* definitur per hæc tria, 1. *lib. de Fide ad Petrum.* 2. *De bono Perſeu.* 3. *De Prædeſt: Ad* 2. Eſt præſcientia: ſed practica, quæ eſt intellectus & voluntatis. Quidam tamen volunt quòd ſit principaliùs ſcientia in recto: Beneplaciti in obliquo.

ARTICVLVS 2. *De eius neceſſitate.*

QVÆSTIO 1. An inferat neceſſitatem ſalutis? *Reſp.* Non infert: quia & ipſa eſt ex libera voluntate Dei, nec eſt ſola cauſa totalis, ſed cum cauſa .i. libera & contingente; ideoque & effectus ſalutis eſt contingens. Nam effectus pendens à cauſa vniuerſali neceſſaria, & particulari contingente, ab hac eſt, & denominatur contingens. Hinc & ex præmiſſis, ad pleraque *Arg. Ad* 4. Hæc *Prædeſtinatum damnari eſt poſſibile*: poteſt diſtingui de *Re* vel *Dicto*: ſed hæc ſine diſtinctione eſt vera, *prædeſtinatus poteſt damnari*, vt &, *prædeſtinatus poteſt eſſe præſcitus.* Quia ad hoc ſat eſt vt forma prædicati poſſit ineſſe ſubiecto, ſiue cum forma ſubiecti, ſiue poſt, ſiue ſine: poteſt autem eſſe ſine, quia ineſt contingenter. Nam nec actus prædeſtinandi & præſciendi ſunt præteriti, ſed æterni: nec differunt inter ſe niſi connotatis, necdum præteritis aut præſentibûs, ſed tantùm futuris, ſicquè adhuc contingentibus.

QVÆST. 2. An prædeſtinatio ponat certitudinem in euentu? *Reſp.* Non certitudinem neceſſitatis: ſed infallibilitatis; non ex parte huius euentus æquæ contingentis ac alij, ſed ex parte Dei. *Ad* 2. ex *Apoc.* 3. Poteſt vnus alteri ſuccedere in iuſtitia præſenti, non in ſalute finali. *Ad* 6. Vt qui nollet comedere ad viuendum, prætextu prædeſtinationis aut non: ſic qui nollet curare ſalutem.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Electione. Alenſis q. 30.

QVÆSTIO 1. An ſit in Deo ab æterno, vel ex tempore? *Reſp.* Vt eſt dilectio cum diſcretione: non cum inquiſitione & deliberatione; nec ex ſola voluntate Dei antecedente ad ſalutem omnium; ſed conſequente, ad ſolos ſaluandos. Hinc *ad* 1. 2. *Ad* 3. Si homo non peccaſſet, fuiſſet electio meliorum ex bonis, non bonorum ex malis. *Ad* 4. Electio humana ſupponit differentiam: ſed Diuina eam facit. *Ad* 5. Præoptatio appropriationis ſeu applicationis ponit effectum actu: non diſpoſitionis & præordinationis. *Ad* 6. Vocatio eſt vt exterior, Electio vt interior, Prædeſtinatio vt anterior.

QVÆST. 2. An electio ſit idem quòd Prædeſtinatio? *Reſp.* Non vt electio eſt tantùm effectus finalis: ſed vt eſt affectus æternæ dilectionis. *Ad* 2. Propoſitum eſt voluntas firma: Electio addit diſcretionem; Prædeſtinatio, ordinationem in finem. *Ad* 3. Agens à propoſito eſt ſemper per electionem inter contradictoria, non autem ſemper per Prædeſtinationem.

ARTICVLVS QVARTVS.

De Reprobatione. Alenſis q. 29.

QVÆSTIO. 1. An obduratio ſit pœna vel culpa? *Reſp.* Vt eſt ſola inhabilitas ad recipiendam gratiam, eſt pœna peccati: vt eſt ſtabilitas in peccato, eſt culpa perſeuerans; vt eſt rebellio contra mandata Dei, eſt peccatum ſpeciale in Spiritum S.

QVÆST. 2. An ſit à Deo? *Reſp.* Non vt eſt defectus: ſed vt reordinatus.

In

Digitized by Google

In DIST. 41. De merito Prædeſtinationis & Reprobationis. 2. De modo ſcientiæ Diuinæ. Al. q. 28.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS 1. De Meritis, &c.

QVÆSTIO 1. An Prædeſt. & Reprob. cadant ſub meritum? *Reſp.* Non quoad principale ſignificatum actus æterni: ſed quoad connotata, cadunt ſub meritum ſimpliciter, ſeu condignum pœnæ, & gloriæ; nonniſi dignum gratificationis alienæ, & congruum propriæ.

QVÆST. 2. An Prædeſt. & Reprob. habeant in Deo cauſam motiuam? *Reſp.* Non ipſius actus Diuini, nec cauſam meritoriam huius ordinationis: nec tamen ſolùm placitum voluntatis Dei abſque vlla alia ratione; quia ex 1. *Retr.* 23. Voluntas Dei eſt rationabiliſſima, nec eſſet hoc tantùm ſecretum, ſi nonniſi quia ita Deo placet; ſed habet ſuam rationem congruam ac decentem, nobis notam in genere, manifeſtandi ſuam Miſericordiam & Iuſtitiam; ignotam in particulari, cur circa hunc potiùs quàm illum. *Quia Deus noluit reuelare, nec Apoſtolus fuit auſus inquirere, Rom.* 11. *Aug.* 1. *Gen.* 9. *Enchir.* 99. *Ad* 2. 3. Sacra Script. non exprimit aliam rationem quàm Beneplacitum Dei, ad noſtram humiliationem: ſed non negat omnem aliam. *Ad* 4. & 5. *Aug.* negat aliam cauſam, ſed non aliam rationem. *Ad* 6. *An & ob quorum bonorum præuiſionem, nec ſcio, nec volo quærere, nec eſt ratio niſi congrua. Vnde & alia poteſt eſſe.* Sub finem. *Aug. dicit in lib. Retract. poſt omnes Retract. quòd Deus proponit, eligit, & reprobat Veritate certiſſima, & à noſtris ſenſibus remotiſſima.* Sed non occurrit vbi determinatè. Annotatur *l.* 1. *ad Simpl. q.* 2.

ARTICVLVS. 2. De modo, &c. Al. q. 23.

QVÆST. 1. An Deus cognoſcat res complexè? *Reſp.* Non quaſi ſuo actu complexo: ſed res vt complexas in ſe, & in noſtro intellectu, ſuâ ſimpliſſimâ cognitione.

QVÆST. 2. An quæ Deus ſemel cognoſcit, ſemper cognoſcat? *Reſp.* Non quoad aſſenſum, ſed quoad ſimplicem apprehenſionem. Quia quamuis Notitia Dei in ſe non ſit variabilis: veritas tamen & complexio rerum variatur.

In DIST. 42. De Omnipotentia Dei. Al. q. 21.

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

QVÆSTIO 1. An Deus poſſit in omne aliud à ſe? *Reſp.* Non vt in diſtans, nec vt in ſubiectum aut aliud præexiſtens, nec actione quaſi complente potentiam: ſed vt in poſſibile, abſque vlla diſtantia, dependentia, vel imperfectione potentiæ.

QVÆST. 2. An Deus poſſit omne quod poteſt agens creatum? *Reſp.* Poteſt per ſe omne quod eſt potentiæ ac perfectionis ſimpliciter: poteſt per alia, quod eſt alicuius imperfectionis in alijs; ſed nec per ſe, nec per alia, quod eſt omnimodæ impotentiæ.

QVÆST. 3. An Deus poſſit quæcumque impoſſibilia agenti creato? *Reſp.* Non quæ ſunt in ſe & ex ſeipſis, vel ex aliqua Dei indecentia, impoſſibilia: ſed quæ videntur talia ex imperfectione intelligentiæ, vel virtutis finitæ. *Ad* 1. 2. 3. 4. Deus poteſt pluſquam dici & intelligi poſſit: ſed à nobis, & rationabiliter. *Ad* 5. Poteſt Deus quicquid eſt potentiæ nobilis. Hinc ad reliqua.

QVÆST. 4. Vnde dicatur aliquid poſſibile? *Reſp.* Poſſibile dicitur aliquid ſimpliciter ex ſua cauſa ſeu potentia ſuperiore & inferiore, actiua & completa: poſſibile autem ſecundùm quid, à potentia inferiore actiua & paſſiua incompleta, & à cauſa ſuperiore actiua circa paſſiuam ſecundùm modum & rem; vt cùm dicitur, *Ex cæco poteſt fieri videns, &c.* *Ad* 1. Poſſibile denominari poteſt à potentia paſſiua, vel actiua: ſed poſſibile ſimpliciter & Deo, nonniſi ab actiua. *Ad* 2. Poſſibile eſt mundum creari: non à potentia mundi, ſed actiua Dei. *Ad* 3. Deus poteſt facere, & res poteſt fieri: denominatiuè ab eadem potentia. *Ad* 4. Poſſibile ad eſſe, vel ad eſſe verum, dicitur à potentia communiter ad actiuam & paſſiuam, ſuperiorem & inferiorem: ſed ex poſſibili ad eſſe verum, non ſequitur poſſibile ſimpliciter ad eſſe.

In DIST. 43. De perfectione Potentiæ Dei.

Expoſitio Textus, per 7. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 21.

QVÆST. 1. An Potentia Dei ſit Infinita, vt Potentia? *Reſp.* Eſt infinita actu & habitu, ſeu in actu primo & ſecundo. 1. Quia ſola poteſt infinita poſſibilia, duratione & numero, ſaltem ſucceſſiuè: ergo habet ſimul & actu totam actiuitatem & actualitatem poſſibilem, ſicque perfectionem actuater infinitam. 2. Quia identificatur eſſentiæ infinitæ. 3. Quia eſt ſimpliciſſima & vniſſima. 4. Creaturæ ſunt infinitæ potentiâ paſſiuâ: ergo Deus actiuâ. *Ad* 1. Scientia Diuina bonorum & malorum non excedit potentiam bonorum tantùm: quia hæc non eſt niſi ad omnia bona; nec ſunt plura bona & mala ſimùl, quàm ſola bona; nec eſt vlla perfectio ex malis. *Ad* 3. Creatura non poteſt in infinitè diſtantia: quia moueri & non moueri habent aliquod commune ſubiectum & prædicatum; nec ens & non ens diſtant infinitè vt contradictoria, ſed vt nil commune habentia. *Ad vlt.* Potentia animæ dicit inclinationem & dependentiam: quæ priuat Simplicitate & Infinitate.

QVÆST. 2. An etiam vt Eſſentia ſit infinita actu? *Reſp.* Eſt infinita in eſſe. 1. Quia magis conſonat fidei. 2. Sanctis Patribus, qui dicunt *Pelagus Infinitum Eſſentiæ.* 3. Quia non poteſt concipi Potentia infinita, niſi infinitæ Eſſentiæ, &c. *Ad* 4. Deus non eſt ſibi finitus, ſed infinitus: quia comprehendit ſe eſſe infinitum.

QVÆST. 3. An Potentia Dei poſſit infinitum? *Al. q.* 6. *Reſp.* Non infinitum actu, ſed in potentia, ſeu poſſibilia in infinitum. 1. Quia non decet ipſum quicquam facere niſi ordinatè & propter ſe, vt finem omnium. 2. Nec vlla creatura, nec omnes ſimul, poſſunt eſſe infinitæ perfectione, ſed neceſſariò ex nihilo & limitatæ: nec infinitæ numero, quia neceſſariò ad Deum ordinatæ & inter ſe coordinatæ. *Ad* 1. *Opus operans* ſeu actio Dei eſt æqualis Potentiæ: non *opus operatum*, ſeu effectus eius. *Ad* 2. Deus agit ex tota potentia: ſed liberè. *Ad* 3. Potentia actu infinita non eſt fruſtra, etſi non reducatur ad vllum actum: ſed finita, quæ ſuo actu perficitur; nec tamen eſt fruſtra, ſine omni ſuo actu poſſibili. *Ad* 4. Potentia infinita ſatis manifeſtatur effectibus poſſibilibus, & durantibus

in

Digitized by Google

in infinitum. *Ad* 5. Potentia finita eſt reducibilis ad ſummum actum: non infinita. *Ad* 7. Diuiſibilitas continui in infinitum poteſt à Deo reduci ad actum in infinitum: ideo non poteſt eſſe reducta ad actualem diuiſionem in infinita.

QVÆST. 4. An Ratio potentiæ Dei extendat ſe ad infinita? *Al. q.* 6. *Reſp.* Ratio vt eſt potentiæ in habitu ſeu actu primo, extendit ſe ad infinita poſſibilia & decentia Deum: ſed vt potentiæ in actu 2. non extendit ſe niſi ad præſcita.

In DIST. 44. *De modo faciendi.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆSTIO. 1. An Deus potuerit facere mundum meliorem quoad ſubſtantiam partium? *Reſp.* Non hunc eundem quoad partes eſſentialiter meliores; quia ſic eſſet alius: ſed cur non alium ſic meliorem? & hunc eundem additione ſubſtantiali meliorem & maiorem. Hinc *ad* 1. *Ad* 2. Natura Angelica eſt *propè Deum*: quoad conuerſionem ad Deum, non quoad perfectionem, niſi comparatiuè ad imperfectiora.

QVÆST. 2. An potuerit fieri melior quoad proprietates partium? *Reſp.* Potuit abſolutè, quoad omnes partes: non autem quoad vllas relatiuè ad inuicem, vel ad meliorem finem. *Ad Arg.* Deus non agit naturaliter, nec inuidè, nec impetuosè: ſed liberè, & ſapienter, &c.

QVÆST. 3. An potuerit fieri melior quoad ordinem partium? *Reſp.* Non quoad ordinem partium in toto, qui eſt Sapientiæ: nec quoad ordinē ad finem, qui eſt Bonitatis: ſed melior abſolutè, & quàm nunc ſit. *Ad Arg.* Res non ſunt capaces niſi ordinis finiti, & ſubordinationis inter ſe: & quamuis non ſint in ſe optimæ: ſunt tamen optimè ordinatæ.

QVÆST. 4. An potuerit fieri antiquior? *Reſp.* Non ab æterno, quia nō potuit fieri ſine initio: Nec hic mundus poteſt fieri diuturnior, vel ante, ſine alio longiore tempore, vt nec maior ſine alio maiorį loco; ſed faciendo ei longius tempus & maiorem locum. *Ad* 1. Ante tempus non erat niſi æternitas, ſed poterat fieri tempus. *Ad* 2. Infinitum actu ante, eſt æternitas: non infinitum potentiâ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆSTIO 1. *Al. q.* 25. An Deus ſemper poſſit quicquid potuit? *Reſp.* Non ſemper: ex noua impoſſibilitate, non ex defectu potentiæ.

In DIST. 45. *De quidditate voluntatis Dei.*

Expoſitio Textus, per 11. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆSTIO 1. *Al. q.* 34. An ſit in Deo voluntas? *Reſp.* Eſt, ex *Epheſ.* 1. & ex ſumma Dei poteſtate, voluptate, æquitate, & liberalitate: ſed ſine differentia ab Eſſentia & Actu, & ſine diſtantia à fine. *Ad* 1. Non eſt contingens in actu ſuo, ſed in effectu.

QVÆST. 2. An Deus ſit Omniuolens, ſicut Omniſciens, & Omnipotens? *Reſp.* Non ſic: quia potentia abſtrahit ab actu, & dicit rationem cauſæ, nec eſt ex ſe defectiua; ideoque non eſt niſi bonorum, non malorum, ſeu defectuum. Scientia abſtrahit ab actu, & à cauſalitate: ideoque eſt omnium ſcibilium, bonorum & malorum. Sed volitio à qua diceretur *Omniuolens*, dicit actualitatem & cauſalitatem omnium volibilium, vel actu volitorum: ideoque non poteſt dici Deus *Omniuolens*; quia nec eſt volens actu omnia volibilia, nec volens vlla mala. *Ad* 4. Voluntas non eſt melior à pluribus, niſi vt rationabiliter volitis: imò voluntas Dei non eſt melior ab vllis volitis extra ſe. *Ad vlt.* Voluntas, Potentia, & Sapientia Dei, ſunt æquales actu, & effectu: non obiectis ſeu connotatis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆSTIO 1. *Al. q.* 35. An voluntas Dei ſit cauſa rerum? *Reſp.* Quamuis omnia identificentur in Deo: voluntas tamen eius eſt cauſa rerum, quia eſt proprium voluntati producere per modum liberalitatis; ſeu *quia ratio cauſandi eſt bonitas principij ſupra finem reflexi.* *Ad* 1. Cauſalitas tribuitur voluntati, ob rem ſic ſignificatam. *Ad* 2. Eſt propria voluntati: quia nec ſcientia, nec potentia cauſat niſi per voluntatem. *Ad* 3. Dicitur cauſa ob virtutem & modum agendi liberaliter.

QVÆST. 2. An voluntas Dei ſit cauſa prima & immediata rerum? *Reſp.* Eſt: quia eſt cauſa vniuerſaliſſima, & actualiſſima; ideoque independens, intima, & cauſans totum effectum vſque ad vltimam eius proprietatem & actualitatem. *Ad* 1. Eſt quorundam cauſa totalis, quorundam particularis: non ex ſua dependentia, ſed ex liberalitate communicandi etiam cauſis ſecundis aliquam vim cauſandi. Nec vna cauſa derogat alteri: ſed totus effectus eſt à cauſa ſecunda, & totus à cauſa prima.

ARTICVLVS TERTIVS.

QVÆST. 1. *Al. q.* 36. An voluntas Dei rectè diuidatur in voluntatem Signi, & Beneplaciti? *Reſp.* Rectè. 1. Ex *Apoſt.* 1. *Theſſ.* 4. 2. Quia ſolemus & ipſa volita, & ſigna voluntatis vocare voluntatē. *Ad* 1. Quia debemus nos conformare voluntati Dei, indigemus eius ſignis, potiùs quàm ſignis ſcientiæ & potentiæ. *Ad* 2. Signa illa ſunt voluntaria in eſſendo, ſed naturalia in ſignificando. *Ad* 3. Sunt ſigna voluntatis Dei, vt eſt ſub actu præcipiendi, prohibendi, &c.

QVÆST. 2. Quot & quæ ſunt ſigna voluntatis Dei? *Reſp.* Sunt quinque. 1. Præceptio. 2. Prohibitio. 3. Permiſſio. 4. Conſilium. 5. Impletio ſeu executio. Tria priora circa futura bona vel mala. 4. Circa malum actu præſens. 5. Circa bonum actu præſens. *Ad* 1. Sunt varij modi ſignificandi eandem Voluntatem Dei. *Ad* 2. Voluntas approbans eſt ſolius boni, ſed etiam ex malo eliciti: voluntas autem deteſtans, eſt ſolius mali in ſe.

In DIST. 46. *De impletione voluntatis Dei.*

Expoſitio Textus, per 8. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. *Al q.* 36. An Deus velit omnes homines ſaluos fieri? *Reſp.* Vult omnes ſaluos fieri, 1. *Tim.* 2. Non ſola voluntate Signi, ſed etiam Beneplaciti: vel non ſingulos, ſed omnis conditionis; vel nonniſi omnes qui ſaluantur, vt *B. Aug.* ſæpè; vel omnes & ſingulos voluntate antecedente ſeu conditionali, quantum eſt ex parte Dei, creando omnes capaces ſalutis, & offerendo eis gratiam neceſſariam; non omnes voluntate conſequente & abſoluta, ſed eos ſolos quos præſcit ad ſalutem peruenturos. Quæ differentia non eſt ex ipſo actu Dei, ſed ex eius connotatis. *Ad* 1. Prædeſtinatio includit

Digitized by Google

includit voluntatem antecedentem & conſequentem. *Ad* 2. Voluntas conditionalis Dei non eſt quaſi velleitas in Deo : ſed quædam connotatio ad extra.

Qvæst. 2. *Al. q.* 40. An Deus velit mala fieri? *Reſp.* Non mala culpæ, ſed ſolius pœnæ : quia illa non ſunt volibilia voluntate ordinata. *Ad* 1. Non eſt poſſibile malum fieri poſitiuè : nec Deus vult mala non fieri poſitiuè & abſolute nolendo ; ſed negatiuè non volendo. *Ad* 4. Qui vult aliquid voluntate antecedente, vult neceſſariò annexa : non qui voluntate conſequente. *Melius.* Poteſt quis velle vnum placens, ſine alio volito diſplicente : ſed non ſine alio vt ente neceſſariò annexo.

Qvæst. 3. *Al. q.* 39. An ſit bonum mala fieri? *Reſp.* Non eſt bonum : ſed poteſt eſſe occaſio paſſiua boni, & actiua alicuius ſubſtrati. *Ad* 1. Cuius vſus eſt ex ſe bonus, & ipſum eſt bonum : non cuius vſus eſt bonus ex ſola bonitate vtentis. *Ad* 2. Quod eſt in ſe iuſtum, eſt bonum : non quod relatiuè vel declaratiuè.

Qvæst. 4. An ſit verum mala fieri? *Reſp.* Eſt verum : veritate complexa cognitionis & enuntiationis. *Ad* 1. Ab hac veritate ſigni, non ſequitur veritas ſeu bonitas rei. *Ad* 2. Veritas ſigni non eſt ſemper à veritate rei : ſed etiam quando ſignat rem non eſſe quæ non eſt, aut falſam eſſe quæ falſa eſt. *Subdit.* Veritas ſigni non eſt abſoluta, ſed reſpectiua ad omne cognoſcibile, ſiue verum ſiue falſum. *Ad* 3. Malum forè, eſt verum ab æterno : non in Deo vt in cauſa, ſed in ſola præſcientia veri.

Qvæst. 5. An malum ſit ordinabile à Dei voluntate? *Reſp.* Malum eſt ordinatum : non ſubiectiuè, nec diſpoſitiuè : ſed oſtenſiuè, ſeu relatiuè ad oſtendendum iuſtitiam Dei, & ordinem oppoſitum bonorum, &c.

Qvæst. An malum ſit de complemento vniuerſi? *Reſp.* Non de complemento ſubſtantiali, ſed accidentali, &c. De quibus *Alenſis q.* 39.

In DIST. 47. *De Efficacia voluntatis Dei.*

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

Qvæstio 1. *Al. q.* 40. An voluntas Beneplaciti Dei impediri poſſit? *Reſp.* Non conſequens ſeu abſoluta, & neceſſaria neceſſitate conſequentiæ: ſed antecedens, ſeu conditionalis. Neque hæc idcirco caſſatur, ſeu priuatur effectu proprio : quia hic non eſt niſi capacitas naturæ ad ſalutem, & oblatio neceſſariorum ad illam, vt ſupra. *Ad* 1. Deus vult hunc ſaluari : non in omnem euentum ; ſed vult ipſum etiam velle ſaluari.

Qvæst. 2. An quis facere poſſit contra voluntatem Signi? *Reſp.* Non contra voluntatem Signi de præterito vel præſenti : quia hæc non eſt niſi fuerit aut fiat, nec poteſt fuiſſe & non fuiſſe, aut fieri & non fieri ; ſed contra voluntatem, non abſolutam, ſed conditionatam Signi de futuro ; quia poteſt quis declinare à debito ordine naturæ & gratiæ.

Qvæst. 3. An deceat Deum mala permittere? *Reſp.* Decet ordinatiſſimè : ad ordinem rerum in vniuerſo, & in finem gloriæ Dei ac ſalutis ſaluandorum. Ex *B. Aug.* 7. *Ciu.* 30. *l.* 11. *c.* 17. 18. *Ad* 1. Permittere malum, non cohibendo, ſed arguendo & puniendo, non eſt conſentire.

Qvæst. 4. An Deus poſſit mala præcipere? *Reſp.* Non vt malè fiant, ſed benè, &c. *Alen.* 3. *p. De præceptis à Deo diſpenſabilibus aut non. q.* 27.

In DIST. 48. *De conformitate voluntatis noſtræ cum Diuina.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qvæstio 1. *Al. q.* 41. An poſſit conformari? Non participatione eiuſdem formæ : ſed aliqua aſſimilatione, proportione, vel proportionalitate, ſeu ſimili comparatione duorum ad duo eiuſdem vel diuerſi generis ; quia vt voluntas Diuina vult liberaliter, charitatiuè, & bono fine, ſic poteſt & debet noſtra. *Hinc ad Arg.*

Qvæst. 2. An voluntas noſtra ſit iuſta ex conformitate ad Diuinam? *Reſp.* Eſt iuſta ex conformitate quoad actum ſeu modum volendi, & obiectum volitum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qvæstio 1. An teneamur conformare voluntatem noſtram Diuinæ, in ratione volendi, ex charitate? *Reſp.* Tenemur præcepto affirmatiuo : non ad ſemper, ſed ſemper ; nec in omni actu ac præcepto, niſi abſtinendi à contrario ; ſed nonniſi in caſu obligante ad actum charitatis. *Ad* 1. Poteſt quis licitè honorare parentes etiam ex pietate naturali. *Ad* 2. Poteſt quilibet habere charitatem ſaltem diſpoſitiuè. *Ad* 3. *Nullus eſt ita obſtinatus, quin poſſit facere quod in ſe eſt, & redire ad cor : ideoque tenetur, non pro quolibet inſtanti, ſed ſuo loco & tempore. Si quæras quo? Melius docet vnctio quàm ars :* quando tamen Deus viſitat opportunè, ſi quis tunc negligat, incidit in contemptum, & peccatum omiſſionis, &c.

Qvæst. 2. An teneamur conformari Voluntati Dei, etiam in volito? *Reſp.* Non in quocunque volito : ſed quòd Deus vult nos velle abſolutè vel conditionatè, prout ſuam nobis voluntatem ſignificat. Ex *B. Aug. Enchir.* 110. *Ad* 1. Non poſſumus ſcire verum, niſi quòd Deus ſcit : ſed poſſumus aliud benè velle, quàm quod Deus vult. *Ad* 2. Non tenemur ad volitum Dei, quia volitum & ſcitum : ſed quia volitum & ſcitum quòd Deus velit nos id velle. Vel, tenemur abſolutè ad idem volitum, ſed excuſamur per ignorantiam. *Ad* 3. Chriſtus, B. Virgo, &c. volebant abſolutè omnia quæ Deus : non voluntate conditionata ſeu pietatis, quâ etiam merebantur.

FINIS Libri primi.

Digitized by Google

EX DOCTRINA
F. IOANNIS DVNS SCOTI
DOCTORIS SVBTILIS,
EX ORDINE FF. MINORVM.
In Librum 1. *Sententiarum, per Diſtinctiones* 48.

PRologus *Magiſtri* in ſuos 4. Libros Sententiarum, ſeu totius Theologiæ, ex varijs SS. Patrum Sententijs compoſitæ ac diſtinctæ: ad conferenda hæc quaſi ſua minuta in Gazophilacium Eccleſiæ, vt *Luc.* 21. vel hanc ſuam operam pio noſtro *Samaritano*, in curā hominis vulnerati, *Luc.* 10. vel his quaſi Clypeis muniendam turrim Eccleſiæ *Cant.* 4. Imo potiùs hanc eius munitionem contra omnes aduerſarios exponendam; denique ad hanc quaſi lucernam abſconditam, ſuper candelabro exaltandam, *Matt.* 5.

QVÆSTIO PRIMA.

Doctoris noſtri Subtilis in Prologum Magiſtri. *An homini pro hoc ſtatu neceſſaria ſit aliqua ſpecialis Doctrina ſupernaturaliter à Deo reuelanda?* Obſeruanda hîc eſt Doctoris noſtri forma ordinaria procedendi. 1. Proponendo Quæſt. 2. Argumentando pro & contra. 3. Referendo, agitando, & refutando varias deſuper opiniones cum ſuis fundamentis. 4. Diſtinguendo ac exponendo ſi quæ ſint ad reſolutionem neceſſaria. 5. Reſoluendo & probando. 6. Reſpondendo ad Arg. incidentalia contra ſuas rationes. 7. Tandem ad Argumenta principalia ſeu initialia Quæſtionis. Sed ad breuitatē & facilitatem, præponenda nobis erit Reſolutio & Probationes Doctoris noſtri, ante omnem oppoſitionem, ſimulque reſponſionem ad Arg. potiùs quàm ſuſpenſionem; annotatis numeris à quibus incipiunt in Textu Antuerp. 1620.

Ad hanc igitur Quæſt. Reſp. n. 20. Potentia receptiua eſt naturalis, vel ſupernaturalis, comparatiuè ad agens naturale vel ſupernaturale: comparatiuè ad formam, eſt naturalis ſi ad eam inclinetur, violenta ſi ad oppoſitam, neutra ſi ad neutram. Hinc nulla cognitio eſt ſupernaturalis Intellectui *Poſſibili*: quia ad quamuis naturaliter inclinatur, & quauis perficitur; ſed comparatiuè ad agens; illa eſt intellectui noſtro naturalis, quàm *Agens* poteſt ex phantaſmate elicere; illa eſt ei ſupernaturalis, quæ recipitur ab agente ſupernaturali pro hoc ſtatu, vel etiam ſupplente vicem obiecti ſupernaturalis. Porro, nulla eſt nobis neceſſaria cognitio incomplexa ſupernaturalis, ſeu quæ non poſſit concipi ab intellectu *Agente* ex phantaſmate: ſed multæ veritates complexæ, quæ non potuerunt nobis innoteſcere, niſi ex aliqua à Deo reuelatione; non tantùm vt Agente ſupernaturali pro hoc ſtatu, ſed etiam ſupplente ſaltem imperfectè vicem obiecti ſupernaturalis. *Differentia horum modorum patet, &c. Si infunderetur alicui Geometria, eſſet ſupernaturalis primo modo, non ſecundo: ſi autem notitia huius,* Deus eſt Trinus, *eſſet ſupernaturalis vtroque modo; quia ſecundus infert primum, non è contra. Primus modus non eſt tam ſupernaturalis, quin idem naturaliter fieri poſſit: ſed ſecundo modo, nonniſi ſupernaturaliter.*

Neceſſitas ergo Doctrinæ reuelatæ probatur *n.* 2. ex ſacra Script. *Baruc.* 3. *Non eſt qui poſſit ſcire vias eius: ſed qui ſcit vniuerſa nouit eam, &c.* 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, arguendum &c.*

A n. 13. Ex B. Aug. 18. Ciu. 41. *Philoſophi neſcierunt ad quem finem iſta referenda eſſent.* 2. Ciu. 2. *Quid prodeſt noſſe quo eundum, ſi ignoratur quà, &c. A n. 6.* Tribus rationibus proprijs. 1. Neceſſaria eſt nobis diſtincta cognitio finis noſtri, & motiuorum eius, ad eum efficaciter appetendum: hæc autem non poteſt à nobis naturaliter acquiri, nec ex ipſo obiecto ſeu fine, nec ex vlla noſtri experientia; ergo non niſi reuelatione diuina. 2. *n.* 7. Ad finem noſtrum proſequendum, neceſſaria nobis eſt cognitio mediorum neceſſariorum & ſufficientium: quæ non poſſunt ſciri niſi à Deo liberè ordinante ac reuelante. 3. *n.* 14. Neceſſaria eſt nobis ad ſalutem cognitio & fides quarundam proprietatum diuinarum, vt Trinitatis Perſonarum, &c. Quæ nec poſſunt nobis innoteſcere à priori ex conceptu noſtro imperfecto Dei, nec à poſteriori vllis certis effectibus, ergo nonniſi ex reuelatione Dei.

A n. 18. Duplici ratione alienâ. 1. *S. Thomæ* 1. *p. q.* 1. *a.* 1. Homo eſt ordinatus ad finem ſupernaturalem: ergo ad eum diſponendus cognitione aliqua ſupernaturali. 2. *Henrici.* Anima vtitur intellectu agente, vt inſtrumento: ergo non poteſt naturaliter excedere vim eius. Sed neutra videtur Scoto efficax: quia vtraque ſupponit totum.

Ad 1. ex Arg. Philoſophorum à *n.* 3. *Reſp.* à *n.* 25. Intellectus noſter *Agens & Poſſibilis*, eſt ad omnia ſufficiens ex parte potentiæ: ſed ad nihil niſi ex influxu obiecti, vel alicuius agentis eius vicem ſupplentis. Nec omne paſſiuum naturale habet ſuum intrinſecum actiuum: eòque perfectior eſt intellectus noſter, quò naturaliter capax cognitionis excedentis omnem cauſalitatem naturalem; nec ideò fruſtra, ſed dependenter ab agente ſupernaturali. *Ad* 2. Scientiæ naturales ſunt de omnibus ſubiectis: ſed non quoad omnia ſcibilia, nobiſque neceſſaria. *Ad* 3. Prima principia naturaliter cognoſcibilia, non continent virtualiter omnes veritates particulares, niſi ſub ratione communi: nec ex hoc, *Quodlibet eſt, vel non eſt*, poteſt de vllo ſciri, niſi quòd ſit, vel non ſit.

Ad 1. *ex Arg. incidentalibus* contra proprias rationes, *à n.* 9. *Reſp. à n.* 11. Natura hominis non eſt ei naturaliter cognoſcibilis, quoad totam eius perfectionem ac perfectibilitatem: ſicque nec quoad finem ſupernaturalem. *Ad* 2. ex *Aug. De Præd. SS.* 4. Poſſe habere Fidem & Charitatem, eſt

Formalis. *Ad* 5. *Quicunq; ſenſus in vna parte Script. non eſt literalis, in alia eſt literalis: & ideò licet aliqua pars Scrip. habeat diuerſos ſenſus; tamen tota habet omnes iſtos ſenſus pro literali.* Quod multum differt ab illo errore, quaſi nihil eſſe vllibi obſcurum quin alibi clarum. *Ad* 6. Homo non poteſt eſſe obiectum primum Theologiæ, vt eſt Ethicæ, vel medicinæ: quia non continet virtualiter eius finem nec veritates. *Ad* 7. Finis ſcientiæ eſt attingere ſuum obiectum: ſed nihil agendo in illud.

Ad 2. *Quæſt. Later. Reſp. à n.* 9. Theologia eſt de Deo ſub eius ratione eſſentiali: non autem ſub aliqua relatiua ad extra, nec attribuali, nec communi. 1. Quia nullus conceptus communis poteſt continere virtualiter omnes veritates Theologicas, nec eſſet ſoli Deo naturaliter notus. 2. Quia cognitio huius eſſentiæ eſt perfectior cognitione proprietatum: quæ quamuis nec cauſentur, nec differant realiter ab eſſentia; *non tamen formaliter includunt incauſationem ſui.* 3. Quia eſſentia eſt ex ſe incommunicabilior ad extra, & actualior, quàm proprietates: quæ non ſunt tales niſi ex identitate, & radice eſſentiæ. 4. Theologia eſt vna, realis, & de neceſſarijs: ergo non eſt de primo obiecto vt reſpectiuo ad extra. Hinc *n.* 14. Contra opinionem S. Bon. *I. p. q.* 1. quòd Chriſtus ſit obiectum primum Theologiæ: quia multæ veritates de Patre, Spiritu S. & Deo trino, non eſſent Theologicæ. De quorum concordia ſub propria quæſt. *Ad.* 1. *Arg. contra* 2. *quæſt. à n.* 3. *Reſp. à n.* 20. Quòd Hugo nolit opera reſtaurationis, nec Caſſiod. Chriſtum vt caput & membra eſſe ſubiectum formale Theol. ſed materiam proximam Sacræ Script. *Ad* 2. Metaphyſica non eſt de Deo vt ſubiecto primo: niſi ſub ratione communi entis; vel ſub aliqua appropriata, perfectiori modo nobis poſſibili. *Ad* 3. Melius Auicenna, quàm Commentator, de obiecto Metaph. *Ad* 4. Scientia nobiliſſima eſt de fine: non ſub ratione formali ac relatiua finis, ſed fundamentali ac eſſentiali.

Ad 3. *Quæſt. later. Reſp. à n.* 22. Theologia in ſe & Dei, eſt de omnibus cognoſcibilibus. 1. De ipſa eſſentia Dei. 2. De qualibet quidditate. 3. De qualibet propria veritate; ordine naturæ, non cauſalitatis. Quia obiectum Theologiæ in ſe continet omnem veritatem: & intellectus Diuinus eſt ei adæquatus, nec poteſt aliundè cognoſcere. Theologia autem Beatorum poteſt eſſe de omnibus ſcibilibus: ſed non eſt niſi de tot quot Deus vult eis in ſua eſſentia exhibere. Nec Theologia noſtra eſt actualiter omnium ſcibilium pro hoc ſtatu: niſi quoad aliquos reſpectus communes creaturæ ad Deum; ſed de ſolis reuelatis, elicibilibus ex ſacra Script. *Apoc. vlt.* Nec poteſt eſſe de omnibus: defectu intellectus noſtri, & ipſius Theologiæ noſtræ.

Ad 4. *Quæſt. Later. Reſp. à n.* 26. *ad* 29. Theologia non eſt ſcientia ſtrictè, vt 1. *Poſt* 2. de ſolis neceſſarijs, ex cauſa euidenti, per diſcurſum: nec talis poteſt eſſe in Deo; fortè tamen in Beatis, ſine neceſſaria ſucceſſione temporis, *ex Aug.* 15. *Trin.* 16. Sed eſt æquè certa, euidens, perpetua, ac perfecta ex ſuo obiecto proprio, de contingentibus, ac de neceſſarijs: nec tamen eſt ſcientia vt 1. *Poſt* 2. ſed vt 6. *Ethic.* 3. diſtincta ab opinione & ſuſpicione; potiùs tamen Sapientia, de obiecto & ex obiecto altiſſimo, non ab vllo priori.

Ad 5. *Quæſt. Later. Reſp. à n.* 29. Theologia noſtra nulli ſcientiæ ſubalternatur: quia nulla principia aliundè recipit: nec vllam ſibi ſubalternat; quia nulli alteri ſua principia communicat. Nec Theologia noſtra ſubalternatur Theologiæ Dei aut Beatorum, contra S. Thom. 1. *p. q.* 1. *a.* 2. Quia eſt de eodem obiecto, nec poteſt eſſe ſimul, nec eſt effectus illius.

QVÆSTIO QVARTA.

Diſtincta in duas. 1. *An Theologia ſit practica?* 2. *An ex ordine ad praxim vt ad finem?*

A n. 3. Habitus practicus aliquo modo extenditur ad praxim, &c. Praxis eſt actus alterius potentiæ quàm intellectus, naturaliter poſterior intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi, vt ſit rectus &c. *n.* 4. Hinc praxis non eſt niſi actus voluntatis elicitus vel imperatus: nec intellectio imperata eſt praxis, ſed practica &c. *n.* 5. Nec actus imperatus eſt primò praxis: ſed quaſi per accidens. *n.* 6. Extenſio cognitionis practicæ ad praxim, conſiſtit in relatione aptitudinali conformitatis & prioritatis naturalis &c. i. in eſſe naturaliter priorem & directiuam ſeu conformatiuam praxis. *n.* 8. 9. Non aliundè dicitur intellectus practicus, quàm habitus & actus &c. *Contra Goffr. Quodl.* 10. *n.* 10. 11. 12. Habitus & actus non dicuntur practici ex fine &c. *Contra Henr. Quodl. x. n.* 13. Habitus non dicitur primò practicus ab actu proprio; quia eſt practicus à cauſa priore: nec cognitio habitualis vel actualis eſt per ſe practica quia ordinatur ad praxim vt ad finem; poteſt tamen habere ſuam primam extenſionem ad praxim à fine ipſius praxis, non vt eſt finis, ſed obiectum primum, continens principia & concluſiones totius notitiæ practicæ. Quia obiectũ eſt prius ſua propria ratione finali: quæ eſt ſola circumſtantia praxis. *n.* 14. Scientia practica habet per ſe ab obiecto quòd ſit conformatiua praxis: quod ſit autem prior, ex ordine intellectus & voluntatis; ſed quod ſit prior & conformatiua, habet ab intellectu & voluntate vt practicabili.

A n. 16. Ad primam Quæſt. ſunt 5. viæ tenentes partem negatiuam. 1. *Henr. Quodl.* 8. Quod Theologia ſit abſolutè ſpeculatiua: quia eſt circa ſolum finem, non media. 2. *n.* 19. Quod Theologia ſit ſpeculatiua: quia dirigit quidem actum dilectionis, ſed circa obiectum neceſſarium. 3. *n.* 20. Quòd ſit ſpeculatiua: quia non dirigit actum elicitum voluntatis ad aliquem imperatum, qui ſolus ſit praxis. 4. *n.* 26. S. Bon. *q.* 3. *prol.* Theologiam eſſe affectiuam. *Quod bene intelligi poteſt, ſi hoc ſit eſſe practicam.* 5. Theologiam eſſe contemplatiuam: ex *Aug.* 12. *Trin.* 14. Sed non determinat illam contemplationem ad ſcientiam ſpeculatiuam. 6. *n.* 27. Eſſe partim ſpeculatiuam, partim practicam. 7. *n.* 30. S. Thom. *I. p. q. I.* Theologiam eſſe vnicum habitum ſpeculatiuum & practicum. *Ad Quæſt.* 1. *Reſp. à n.* 31. Tota Theologia noſtra neceſſariorum eſt practica: quia eſt naturaliter prior, & conformatiua praxis noſtræ, ſeu rectè volendi: idque ex ſuo primo obiecto, vt principiante & determinante totam rectitudinem praxis noſtræ circa tale obiectum & vltimum finem. Sed an ipſa etiam Theo-

Digitized by Google

Perſonâ: vel vna Perſonâ, non aliâ; quodque intellectus videre poſſit Eſſentiam Diuinam, non Perſonam, vel vnam Perſonam non aliam; & ſic de fruitione voluntatis. 1. Quia Deus Pater priùs origine quàm generet, eſt beatus ex ſe & obiecto ſuo beatifico ſolius Eſſentiæ ſuæ: ergo Perſonæ non ſunt de eſſentia obiecti ſui beatifici. 2. Sola Eſſentia eſt Obiectum primarium Beatitudinis, à quo ſolo hæc eſſentialiter dependet: ergo Deus poteſt cooperari ad actus beatificos circa obiectum primarium, non cooperando circa obiecta ſecundaria.

Art. 3. *à n.* 9. Intellectus non poteſt videre Eſſentiam Diuinam, quin ex natura ſua neceſſariò videat Perſonas: nec voluntas poteſt ordinatè, imò nec fortè abſolutè, frui Eſſentia, non Perſonis. Quia intellectus eſt potentia naturalis cognoſcens neceſſariò quantum poteſt, obiecto influente: voluntas autem eſt quidem libera, ſed debet frui obiecto vt viſo; nec fortè poteſt abſolutè non frui eo vt obiecto ſecundario naturaliter conſequente ad primarium. Quamuis enim modus volendi ex parte voluntatis ſit liber: non tamen ex parte obiecti voliti.

Art. 4. *à n.* 11. Viſio & fruitio beata de facto eſt Eſſentiæ Diuinæ vt in tribus Perſonis. *Ioan.* 14. Qui videt me, videt & Patrem. *Aug.* 1. *Doct. Chriſt.* 1. *& 1. Trin.* 10. *Neuter ſine altero oſtendi poteſt*: potentiâ ordinatâ. Sed nec vlla poteſt eſſe fruitio actualis Eſſentiæ, aut vnius Perſonæ: quin ſit ſaltem habitualis, ſeu prompta ad omnes, ſi actu conciperentur; quia non poteſt eſſe amor vnius Perſonæ, cum odio alterius, nec econtra. *Ioan.* 4. Qui me odit, & Patrem meum odit.

Ad 1. ex *Arg. princip. n.* 1. *Reſp. à n.* 12. Ratio boni fruibilis, non eſt boni in communi: ſed Boni perfecti, veri, apparentis, vel vt ſic affectati. Qualis non eſt relatio. *Ad* 2. Bonitas fruibilis debet eſſe quidditatiua, vt ſit ratio formalis terminandi actum fruendi: ſed vnitas poteſt eſſe quidditatiua & perſonalis; quia eſt tantùm conſtitutiua & diſtinctiua, ex *d.* 4. *q.* 2. *ad* 2. *dub.* *Ad* 3. Videbuntur tres Perſonæ, vt ſunt tres: non reduplicatiuè, quaſi ipſa Trinitas ſit ratio videndi vel fruendi; ſed ſpecificatiuè, ſeu quæ, quòd, quid ſint. Creduntur nunc tres: ſed non immediatè ex Eſſentia diuina, vt tunc videbuntur.

Ad 1. *Arg.* ex *oppoſitis ibid. Reſp. n.* 14. Eſt vnicus finis vltimus: ſed hâbet in ſe alias rationes formaliter. *Ad* 2. Vna perſona non cauſat ſine alia, nec eſt finis omnium ſine alia: ſed poteſt finire, ſeu terminare actu ſine alia; quia poteſt actus alicuis ad vnam referri, non cogitando de alia. Vel aliter: quia cauſat & eſt finis omnium ex ſe; ſed non finit ſeu terminat actu, niſi ex noſtra relatione, quæ poteſt eſſe ad vnã Perſonam, non cogitando de alia. *Ad* 3. Vt poteſt adorari vnica Perſona actu, coadorando alias habitu: ſic & de fruitione.

Ad 1. *Arg. Henr. à n.* 3. *Reſp. à n.* 6. *ad* 9. Cognitio Eſſentiæ ſine Perſonis non eſt confuſa, ſed diſtincta: quia eſt obiecti ſingulariſſimi, & primarij, independentis à Perſonis. *Ad* 2. Viſio non eſt niſi exiſtentis, vt exiſtens eſt: non tamen eius in quo exiſtit. *Ad* 3. Res diuiſibilis non poteſt cognoſci intuitiuè, niſi cognoſcantur & partes eius diſtinctè: ſed Eſſentia Diuina non eſt talis. *Ad reliqua.* Voluntas non poteſt abſtrahere: ſed poteſt diſtinctè velle aut nolle obiecta ſibi diſtinctè propoſita; intellectus autem poteſt diſtinctè proponere quæ in Deo non differunt re, ſed ratione. Nec eſt maior vel diſtincta fruitio Perſonarum, quàm ſolius Eſſentiæ: quia ſola Eſſentia eſt vna eademque ratio fruendi.

QVÆSTIO 3. *Al p.* 2. *q.* 30. *p.* 3. *q.* 30.

An fruitio ſit actus elicitus à voluntate, vel eius delectatio?

Reſp. à n. 2. Vt intellectus aſſentitur vero propter ſe, vel propter aliud verum: ſic & voluntas afficitur bono propter ſe, vel propter aliud. Sed illi aſſenſus intellectus diſtinguuntur ex natura obiectorum, nec habent medium: hi autem affectus, ex libertate voluntatis; quæ & habet affectum medium ad bonum, nec vt propter ſe, nec propter aliud; & ex affectu perfecto ad bonum propter ſe percipit paſſionem delectationis. Ex his 4. patet fruitionem nõ eſſe affectum imperfectum vtendi ſeu referendi, nec medium: ſed vel affectum perfectum ad bonum propter ſe, vel delectationem inde perceptam, vel vtrumque ſimul. Ex B. *Aug. q.* 30. ex 83. *Lib.* 1. *Doct. Chriſt.* 1. *lib.* 1. *Trin.* 10. Videtur tamen eſſe potiùs actum ſeu affectum actualem, quàm delectationem: quia conſtruitur cum obiecto vt cum actu, nõ paſſione; dicendo, frui Deo, nõ de Deo. Sed cũ res conſtet, nõ eſt vis facienda in nomine, ex *Aug.*

Ad 1. *Arg. n.* 1. Si fructu fruendum eſt, delectatio non eſt fructus, nec eſt ipſum frui: ſed id quo attingo fructum expectatum, eſt frui. *Ad* 2. Si fructus Spiritus eſt Charitas, gaudium, pax *&c. Gal.* 5. hæ paſſiones non ſunt ipſa fruitio: ſed actus habens eas pro obiectis proximis Primo; nec fruimur fructu formaliter, ſed obiectiuè.

QVÆSTIO QVARTA.

An voluntas neceſſariò fruatur Fine apprehenſo, per intellectum? Al. q. 38. *n.* 1. *p.* 2. *q.* 74. *S. Bon.* 2. *d.* 39.

A n. 2. *Articulus* 1. De fine obſcurè apprehenſo in communi. 2. In particulari. 3. De fine clarè viſo, cum habitu ſupernaturali fruendi. 4. Sine tali habitu. Relatis ac refutatis alienis opinionibus.

Ad Art. 1. *Reſp. n.* 15. Vt voluntas non neceſſariò fruitur eis quæ ſunt ad finem: ſic nec fine obſcurè apprehenſo in communi. *Ad* 2. Nec fine obſcurè apprehenſo in particulari. *Ad* 3. Nec ſine clarè viſo, quamuis cum habitu fruendi, *Ad* 4. Sed poteſt etiam eo frui ſine tali habitu.

Probantur hæc promiſcuè. *n.* 1. Quia voluntas eſt eadem potentia volendi finem, & media ad illum: habetque vnicum modum liberè operandi, oppoſitum modo naturali; ergo nihil vult ex neceſſitate naturali, ſed omnia liberè. 2. *n.* 3. ex *Aug.* 1. *Retr.* 9. Nihil tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas: quoad actum proprium elicitum; ſed voluntas poteſt quidlibet nolle, diuertendo intellectũ ab eius cognitione, ergo & ſtante cognitione. Si enim neceſſariò aliquid vellet: eâdem neceſſitate vellet neceſſaria ad volendum, & nollet impedimenta volendi. Quod diſcutitur longâ & doctâ additione. 3. *A. n.* 9. Si quid voluntas neceſſariò vellet; vellet quãtùm poſſet, ſeu intenſiſſimè, quia ſi volitio

 non

Digitized by Google

non eſſet ei libera, nec modus volendi. Cuius tamen oppoſitum experimur circa finem vltimum. Item potentiæ ſubditæ voluntati non magis neceſſariò tendunt in obiectum ſuum perfectum, quàm imperfectum: ergo nec voluntas. Quod etiam promouetur longâ & doctâ additione.

A *n.* 13. *contra* 2. *Art.* Si non vult neceſſariò Finem vltimum obſcurè apprehenſum in particulari: cur in communi? cùm ſit, &. perfectius apprehendatur in particulari, quàm in communi. *Contra* 3. *Art.* Nec Voluntas habens charitatem, nec eius obiectum mutatur intrinſecè per claram viſionem: ergo nec modus volendi liberè. Quod extenditur in additione, ſiue viſio habeat aliquam actiuitatem minus principalem ad actum volendi, ſiue potiùs nullam. *n.* 14. Nec Finis vltimus mouet neceſſariò, ſed liberè: nec voluntas ſeipſam, ex varia approximatione, ſeu præſentia obiecti. Nec viſio neceſſariò coexigit fruitionem: cùm ſint actus abſoluti; nec ille dependeat ab hoc, nec vterque ab obiecto vt neceſſariò concauſante. *n.* 15. *Contra* 4. *Art.* Potentia eſt quâ agi poteſt: ergo ſi voluntas nil poteſt circa finem viſum ſine charitate, hæc erit potiùs potentia quàm illâ; vel ſaltem pars potentiæ; non habitus. Item. Cùm voluntas poſſit velle fin: obſcurè apprehenſuũ: cur non potiùs clarè?

Ad. 1. ex *Arg. incid. à n.* 2. *Reſp. à n.* 16. Vt principium in ſpeculabilibus, ſic finis in practicabilibus, 2. *Phyſ.* 89. non quoad neceſſitatem aſſentiendi, ſed quoad ordinem inter obiecta. *Ad* 2. Nec voluntas quicquam neceſſario vult, nec vult quicquid ex vi vltimi finis, aut propter illum. *Ad.* 3. Voluntas non poteſt fortè nolle niſi malum: ſed poteſt non velle quantumuis bonum; quia non eſt minùs libera ad volendum aut nõn, quàm ad ſic vel ſic volendum. ex *Aug.* 1. *Retr.* 9. & 22. Nec eſt adhuc probatum quin voluntas poſſit nolle bonum ſine priore apprehenſione mali, & velle malum ſine priore apprehenſione boni. De quo fortè alias. *n.* 20. *Ad* 4. ex *Aug.* 10. *Trin.* 3. Omnes volunt eſſe beati: habitualiter, non actualiter; nec affectu amicitiæ, ſed concupiſcentiæ. *Ad* 5. ſeu 1. *pro* 4. *Art. n.* 3. Fruitio Dei clarè viſi, ſine gratia, eſſet tantùm naturalis. *Ad* 6. *ſeu* 2. Fruitio ſine habitu charitatis non eſſet beatifica. 1. Quia adhuc poſſet ordinatè appeti fruitio ex charitate, vt eſſet Deo grata. 2. Vt eſſet etiã intrinſecè perfectior.

Ad 1. ex *Arg. princip. n.* 1. *Reſp. à. n.* 21. Finis neceſſariò conuenit voluntati: non actualiter, ſed aptitudinaliter; nec ſola aptitudo ſufficit ad fruitionem, et ſi fortè ad delectationem. *Ad* 2. Alius eſt modus agendi propriè, quam metaphoricè. Vt tamen non omne agens propriè agit neceſſariò: ſic nec finis mouens metaphoricè. *Ad* 3. Actus mobiles, præſupponunt actum primum, ſeu potentiam immobilem.

QVÆSTIO QVINTA.

An Deo conueniat frui? Al. 2. *p. q.* 4. *m.* 3. *S. Bon. hic.*

Sub qua mouet 5. Quæſt. 1. De Deo. 2. De Viatore. 3. De peccatore. 4. De brutis. 5. De omni appetitu naturali.

A n. 2. Applicat comparationem centri communis vel proprij, ac corporum ei ſuo pondere, immediatè vel mediatè, immobiliter vel mobiliter adhærentium: cum fine communi vel priuato cuiuſque, & vario affectu ei adhærendi; vel primò per ſe & immutabiliter, vt Deus ſibiipſi; vel eidem participatiuè & ſtabiliter, vt Beati; vel eidem ſtabili, ſed inſtabiliter ex ſe, vt Viatores; vel bono priuato & inſtabili, irrito conatu in eo quieſcendi, vt peccatores.

Ad 5. *Quæſt. Reſp. à n.* 4. Voluntas Diuina fruitur ſimpliciter, neceſſariò, & per ſe primò. Voluntas creata ſed beata, fruitur ſimpliciter, perpetuò, & per ſe, ſed non primò. Voluntas viatoris iuſti fruitur ſimpliciter & per ſe, ſed non immobiliter & primò. Voluntas peccantis mortaliter, fruitur ſimpliciter quantum eſt ex ſe, ſed non ex obiecto, ideoque inordinatè: Nec tam fruitur obiecto vel actu proprio, quàm ſeipſo, affectu amicitiæ. Ex *Aug.* 11. *in Gen. c.* 22. & 14. *Ciu.* 28 *n.* 5. Appetitus ſenſitiuus non fruitur propriè: quia nec amat propriè; nec inhæret, ſeu applicat ſe, ſed affigitur obiecto, ſeu ab eo attrahitur, vt ferrum ab adamante; nec propter hoc aut aliud poſitiuè, ſed tantum negatiuè. Appetitus naturalis nequidem fruitur impropriè, ſeu ſimilitudinariè. Ex *Aug.* 1. *Doct. Chriſt.* 1. Frui eſt amore inhærere alicui propter ſe, &c. Fruimur cognitis, &c.

Ad 1. *Arg. à n.* 1. *Reſp. à n.* 6. Deus non eſt finis ſuiipſius: ſed eſt obiectum quod eſt finis omnium finibilium. Nec agit propter finem ſuum, ſed ſuorum operum, ordinando hæc ad illum. *Ad* 2. *ſeu* 2. *Quæſt.* Viator non fruitur affectu deſiderij, ſed amicitiæ ad Deum in ſeipſo. *Ad* 3. *ſeu* 3. *Quæſt* Peccans mortaliter fruitur affectu proprio, non effectu quietis. *Ad* 4. *ſeu* 4. *Quæſt. q.* 30. *ex* 83. Beſtiæ dicuntur frui abuſiuè. *Ad* 5. *ſeu* 5. *quæſt.* Appetitus naturalis boni non eſt elicitus, nec ex cognitione.

In DIST. 2. QVÆST. 1. & 2.

An ſit, ſeu exiſtat aliquod ens infinitum?

Al. q. 2. 3. *S. Bon. d.* 3.

Sub qua, *An hoc ſit per ſe notum?* Ad *quæſt*, 2. *Reſp. à n.* 2. Propoſitio per ſe nota eſt quæ habet veritatem euidentem ex ſolo diſtincto conceptu propriorum terminorum: qualis eſt conceptus definitionis reſpectu ſui definiti. *n.* 3. Non eſt diſtinguenda in per ſe notam ex ſe, ſeu noſcibilem, & per ſe notam nobis: quia eſt per ſe nota ex ſe, ſeu ex ſolo diſtincto conceptu ſuorum terminorum, à quocumq; capaci. *n.* 4. Hinc, eſt per ſe notum Deũ eſſe: quia eſt euidens ex ſolo diſtincto conceptu, ac identitate Dei & eſſendi. *n.* 5. Nõ tamen ex ſolo noſtro conceptu communi. 1. Quia id eſt demonſtrabile per conceptum proprium Eſſentiæ. 2. Quia priùs concipimus noſtro modo Ens Infinitum, quàm credamus eſſe. 3. Quia non eſt nobis euidens connectio ſeu identitas entis cum infinito, vel è contra. *Ad* 1. *arg. princ.* huius quæſt. *Reſp. à n.* 8. Damaſc. *l.* 1. *cap.* 1. & 3. non vult hoc eſſe per ſe notum: ſed poſſe facilè cognoſci. *Ad* 2. Nec Anſelm. vult eſſe per ſe notum, eſſe aliquid quo nil maius cogitari poteſt. *Ad* 3. Nec eſt per ſe notum veritatem eſſe: nec Deum eſſe ſub ratione Veritatis, ſiue obiectiuæ ſiue formalis. *Ad* 4. Propoſitio poteſt eſſe nota de veritate minùs neceſſaria quoad exiſtentiam: ſed euidentiori quoad connectio-

Digitized by Google

nexionem & identitatem obiectiuam terminorum.

Ad 1 *Quæſt. à n.* 10. Non poſſumus demonſtare à priori eſſe aliquod ens infinitum: quia non habemus conceptum priorem; ſed à poſteriori ex creaturis, priùs ſub conceptibus relatiuis ad creaturas, quàm Entis Infiniti.

Art. 1. *à n.* 11. Dari aliquod Ens Primum cauſaliter, finaliter, & eminenter: ſingula per tres Concluſiones. 1. De 1. Sunt aliqua poſſibilia ſeu factibilia: non à ſeipſis, nec à nullis, nec ab infinitis aut pluribus ſimul vel ſucceſſiuè in infinitum; quia hæ cauſæ nec poſſunt eſſe omnes primæ & incauſatæ, nec cauſatæ niſi ab aliqua prima, à qua non tantùm accidentaliter, ſed eſſentialiter dependeant; & hoc ipſo eſſentialiter differant; ergo ab aliqua Cauſa Prima.

Concl. 2. *à n.* 16. Hæc cauſa prima nec poteſt eſſe cauſabilis effectiuè, nec finaliter, nec materialiter, nec formaliter: quia nec poteſt dari proceſſus in infinitum; nec finis cauſat niſi mouendo efficiens, nec materia & forma niſi ab aliquo efficiente & vniẽte.

Conc. 3. Hæc cauſa prima ex ſe neceſſariò exiſtit actu: quia poteſt eſſe & cauſare; non ab alio, ergo neceſſariò ex ſe.

Conc. 1. *de* 2. *n.* 17. Datur cauſa prima finalis ſeu finitiua omnium ſimpliciter: nec finibilis aut ordinabilis, vel ſubordinabilis ad aliud, &c. vt ſupra.

Conc. 2. Hic primus finis eſt prorſus incauſabilis: quia infinibilis, nec vlla cauſa cauſare poteſt niſi propter finem.

Concl. 3. Hic primus finis eſt ex ſe neceſſariò exiſtens actu: quia poteſt eſſe & finire; non aliunde, ergo ex ſe.

Concl. 1. *de* 3. *n.* 18. Datur primum ſimpliciter eminentia ac perfectione: quia formæ ſunt ſicut numeri, 8. *Met.* 10.

Conc. 2. Hoc ſupremum perfectione, eſt prorſus incauſabile: quia infinibile, ſeu irreferibile ad aliud perfecti us ſe.

Conc. 3. Hoc ipſum eſt ex ſe neceſſariò actu exiſtens: quia non poteſt eſſe aliunde.

Art. 2. De hac triplici Primitate eiuſdem Entis. *Conc.* 1. Primum efficiens eſt vltimus finis: quia nõ poteſt agere propter aliud vt maius aut melius ſe.

Conc. 2. Idem eſt primum eminentiâ perfectionis: quia non agit vniuocè, ſed æquiuocè.

Art. 3. De vnico Ente primo hac triplici primitate. 1. Eſt ex ſe neceſſariò, nec poteſt non eſſe: quia nec habet contrarium, nec prius aut maius à quo dependeat; ergo eſt vnicum. Quia plura non poſſent diſtingui eadem nec diuerſa neceſſitate eſſendi. 2. Vt non poſſunt eſſe plures vnitates, ſic nec duo prima, & eminentiſſima. 3. Quia non poſſunt eſſe diuerſæ ſubordinationes rerum ad diuerſos fines vltimos. 4. Eadem non poſſunt à pluribus totaliter dependere. Hinc *Pſal.* 144. Magnitudinis eius non eſt finis.

Ad 1. *Quæſt.* De infinitate Entis primi. *Concl.* 1. Ens primum eſt capax intelligendi & volendi diſtinctè infinita ex propria Eſſentia, vt infinitorum repræſentatiua: tum quia quædam perfectiora agunt ex cognitione & amore finis; tum quia agentia naturalia diriguntur ad finem; tum quia hic eſt modus perfectiſſimus agendi, &c. *n.* 2. *Concl.* 2. Intellectio & volitio Primi Entis à ſeipſo, non differt ab eius eſſentia: quia non mouet ſeipſum finaliter ad intelligendum & volendum ſe; nec eſt in potentia paſſiua priuatâ & imperfectâ, ſed in actu perfectiſſimo intelligendi & volendi. *n.* 23. *Concl.* 3. Nec vlla intellectio aut volitio poteſt eſſe ei accidentalis, vel aliunde quàm ex ſeipſo. 1. Quia cùm ſit Cauſa Prima, habet ex ſe omnem cognitionem & volitionem neceſſariam ad cauſandum. 2. Quia omnes eius intellectiones & volitiones ſunt vna eademque. 3. Quia intellectio accidentalis non poſſet recipi in intellectu & intellectione eſſentiali. 4. Quia quò intellectio perfectior, eò plurium obiectorum ordinatorum: ergo perfectiſſima eſt omnium intelligibilium. *n.* 24. *Concl.* 4. Intellectus eius eſt ex ſe neceſſariò, & ſemper in actu diſtincto intelligendi quæcumque intelligibilia & poſſibilia, priùs naturaliter quàm ipſa ſint: quia hoc eſt de perfectione intelligendi & neceſſitate eſſendi.

Hinc *à n.* 22. Prima demonſtratio Entis Infiniti, eſt ex prima cauſalitate omnium, ſiue infinitorum, ſiue plurium in infinitum poſſibilium, non ſolo numero, ſed aliqua perfectione differentium: ad infinitam actu Potentiam, vt ex ſe ſufficientem ad omnia ſimul poſſibilia ſeu compoſſibilia.

Non autem vt vult *Henr.* ex potentia creandi, & prætenſa diſtantia infinita: tùm quia illa non eſt niſi credita; tùm quia hæc diſtantia à non eſſe ad eſſe, non eſt maior ipſo eſſe creato; ſed ab hoc ad increatum eſt diſtantia infinita, ſeu tanta quantum eſt ipſum Eſſe Diuinum. Contradictoria tamen dicuntur infinitè diſtare .i. indeterminatè.

A n. 30. Demonſtratio 2. Ex cognitione diſtincta & actuali infinitorum actu poſſibilium, vt intelligibilium ex obiecto Eſſentiæ Diuinæ: ad infinitam intellectualitatem & intelligibilitatem Dei. *A n.* 31. Demonſtratio 3. Ab affectu ad Bonum Infinitum, ſeu maius quolibet finito: ad Bonum & finem Infinitum; quia non appeteretur naturaliter ſi non poſſet eſſe infinitum. *Demonſtratio* 4. Ab eminentiſſima perfectione, ad infinitam: quia nec vlla finita eſt perfectiſſima, nec infinita repugnat in ſe, nec intellectui noſtro; imò nec infinitas molis ſuo modo, quantò minùs perfectionis?

A n. 33. Ex immaterialitate non probari infinitatem: quia nec Angeli ſunt infiniti, nec quicquam finitur extrinſecè ad aliud, ſed intrinſecè ſuo gradu proprio perfectionis.

A n. 34. Epilogus ordinatus huius totius Doctrinæ.

A n. 35. *Ad* 1. ex *Arg. princ. quæſt.* 1. *Reſp.* Deus agit liberè, accommodatè ad cauſas ſecundas. *Ad* 2. Corpus infinitum excluderet alia omnia corpora extenſa ad locum: quia repleret omnem locum, nec poſſet augeri additione aliorum corporum: non ſic infinitum perfectione excludit omnia finita; quia hæc nil occupant illius, nec illud augent. *Ad* 3. Eſſe hoc, & non aliud, non eſt eſſe finitum. *Ad* 4. Non poteſt fieri motus propriè dictus ſucceſſiuè: ſed agens neceſſariò ex virtute infinita, ageret inſtantaneè.

QVÆSTIO TERTIA.

An ſit vnicus Deus? Al. q. 14. *&* 23. *S. Bon. q.* 1.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. n. 2. Concluſio eſt certa : ſed dicunt aliqui quòd non ſit demonſtrabilis &c. Videtur tamen ratione naturali oſtendi poſſe. 1. Ex infinita eius perfectione intelligendi, independentèr, & adæquatè ſuo obiecto : ergo ex ſe ſolo, non autem ex vllo alio obiecto. 2. *n.* 3. Ex infinita perfectione volendi quidlibet, quantum eſt diligibile : ergo non habet alium Deum æqualiter diligibilem; quia non poſſet illum æqualiter ſecum diligere, nec eo frui ac beatificari. 3. *n.*4. Ex eius infinita Bonitate, in pluribus impoſſibili: quia plura infinita eſſent ſimul meliora, & amabiliora quàm vnicum. 4. *ibid.* Ex infinitate potentiæ, & impoſſibili dependentia eiuſdem effectus à duplici cauſa totali in eodem ordine cauſæ. 5. Ex qualibet primitate, in pluribus impoſſibili. 6. *n.* 5. Ex infinito ſimpliciter : quod non poteſt numerari ; quia eſſet maius in pluribus ſimul, quàm in ſingulis. 7. Ex neceſſitate eſſendi, determinante vnicum, & diſtinguente à quolibet alio : alioquin eſſent tot quot actu, nec differrent neceſſitate eſſendi, ſed aliqua ratione non neceſſaria. 8 *n.* 6. Ex Omnipotentia Dei credita impoſſibili in pluribus: quia plures Omnipotentes poſſent inuicem præuenire, ſicque eſſent nullipotentes.

Ad 1. ex *Arg. à n.* 2. *Reſp. à n.* 7. Iudæos fuiſſe rudes, ideoque inſtruendos de vnitate & ipſo eſſe Dei, quamuis tam facilè demonſtrabili. *Ad* 2. Deus poteſt concipi vt ſingularis : ſed non ſub proprio ſuo modo ſingularitatis.

Ad 1. *Arg.* ex princip. *à n.* 1. Sunt Dij multi. 1. *Cor.* 8. nuncupatiuè, non propriè. *Ad* 2. Nomen plurale ſignificat modum realem & inconceptibilem de Deo. *Ad* 3. Formaliter imperfecta, non reducuntur ad ſuum perfectum vniuocè, ſed æquiuocè. *Ad vlt.* Plura Bona Infinita, nec ſunt compoſſibilia, nec meliora vnico.

QVÆSTIO 4. *Al. q.* 14. *S. Bon. hîc.*

An cum vnitate Eſſentiæ ſtet pluralitas Perſonarum?

Quæſt. 5. *An in Deo ſint tres perſonæ, non plures, nec pauciores?*

Quæſt. 6. *An Eſſentia Diuina ſtare poſſit in aliquo producto?*

Quæſt. 7. *An in Deo ſint duæ productiones, non plures?*

Reſp. 1. *Ad* 6. *Quæſt. à n.* 3. In Deo poteſt eſſe, & eſt productio intrinſeca. 1. Quia in Deo eſt Intellectus & voluntas, vt perfectiſſima principia productiua cognitionis & amoris : ergo poſſunt producere, & producunt ex infinita perfectione ; non ad perficiendam vllam ſuam imperfectionem, ſed ad ſuam actiuitatem, & perfectionem proprijs actibus adæquandam & communicandam. Non enim eſt neceſſaria vlla imperfectio paſſiua producentis aut productiui, nec inhæſiua actus producibilis, ſed perfectio communicabilis & communicatiua, ad veram ac realem productionem. Vt ſi quæ eſſet actualis Intelligentia creata: poſſet ſe alteri communicare. 2. *n.* 6. Eſt in Deo obiectum perfectiſſimum Intellectus & voluntatis : Ergo perfectiſſimè influens ad productionem actuum. 3. Neceſſitas eſſendi eſt de perfectione Entis : ergo & neceſſitas producendi ; non extrinſecè, ergo intrinſecè. 4. Anima noſtra eſt motiua & mobilis : ergo natura diuina eſt communicatiua & communicabilis, capaxque alicuius ex ſe productiui ac producibilis. *n.* 7. Aliæ. 4. rationes. 1. A relatione primæ Perſonæ ad ſecundam. 2. A ſumma actiuitate ad ſummam ſui diffuſionem. 3. A ſummo bono ad ſummam communicationem. 4. A perfectione Agentis, ad productionem vniuocam : ſupponunt dari primam Perſonam, & poſſibilitatem talis diffuſionis, communicationis, & vniuocationis.

Ad 1. *Arg. Quæſt.* 6. Poteſt idem eſſe neceſſarium ex natura ſua, & tamen productum : nec omne productum fuit poſſibile produci; poſſibilitate paſſiuâ vel cauſali, ſed logicâ, ſeu ſine contradictione. Nec prima Perſona ſupponit ſecundam non eſſe : ſed non niſi à Prima. Nec inde natura mutatur à non perſona in perſonam, nec productio includit neceſſario mutationem. *Ad* 2. Productum non neceſſariò dependet à producente, ſed illud ſupponit: quia dependentia eſt quoad entitatem formalem. *Ad* 3. Generatio non includit neceſſariò imperfectionem.

Ad Quæſt. 7. *Reſp. à n.* 13. In Deo ſunt tantùm duæ productiones formaliter diſtinctæ : Non ex duobus tantùm actibus eſſentialibus, ſimplicibus & rectis ab obiecto impreſſis, ad duos actus Notionales & Perſonales, quaſi ſuper illis reflexos, & ex eis expreſſos, vt vult Henr. quem fusè refert & refutat Scotus per tres *Art.* vſque ad *n.* 18. præcipuè quoad expreſſionem actuum notionalium ex eſſentialibus, ſeu à potentijs vt informatis actibus. 1. *n.* 15. Quia ex *Aug.* 15. *Trin.* 7. Verbum non gignitur ex Intelligentia Patris, ſed ex Memoria fœcunda obiecto intelligibili præſentiſſimo. 2. Productio potiùs eſt ab actu primo, quàm ſecundo: quia actus perfecti ſunt fines, non principia producendi. 3. Obiectum præſentiſſimum memoriæ, eſt primum principium producendi adæquatè : ergo non actus ſecundus. 4. Verbum Patris eſt immediatius Verbum Eſſentiæ, quàm Notitiæ actualis: ergo eſt immediatiùs inde quàm hinc. 5. Alias daretur proceſſus in infinitum. 6. *n.* 17. Viſio Beata eſt verbum perfectum: nec tamen eſt reflexa ſuper vllum actum Beatorum, ſed directa ex obiecto ad Obiectum beatificum: ergo nec Verbum Diuinum eſt reflexum &c. Sed duæ productiones Diuinæ, deducendæ & formaliter diſtinguendæ ſunt ex duobus principijs productiuis, eorumque modis oppoſitis producendi : Intellectus quidem, naturaliter, ſeu ex determinatione naturali ; Voluntatis autem, liberè, ſeu ex propria determinatione. Qui duo modi, nec ſunt vllius imperfectionis, ſed perfectionis ſimpliciter : nec poſſunt reduci ad vnum, nec admittunt vllum medium ; ergo exigunt præcisè duas in Deo productiones.

Ad 1. *Arg. incid. à n.* 20. Principium naturale in Deo conſtat Intellectu, & Eſſentia vt obiecto præſentiſſimo: ex quibus conſtituitur Memoria perfectiſſima. *Ad* 2. Potentiæ æquè diſtinguuntur per actus Eſſentiales, ac Notionales: quia hi non præſupponunt illos obiectiuè, nec principiatiuè, ſed ordinatè; vt illuminare, ſupponit lucere. *Ad* 3. Neuterhorum modorum, ſiue operandi, ſiue producendi, naturaliter vel liberè, eſt altero imperfectior, aut ad alterum reducibilis: ſed ambo ſimpliciter perfecti, & immediatè oppoſiti. *Ad* 4. Contra vnitatem

Digitized by Google

tatem actus adæquati, & ad 5. contra terminum principiandi, *diſt.* 7. *q.* An poſſint eſſe plures Filij in Diuinis. De quibus tamen nil ibi.

Ad 1. inſtantiam *à n.* 24. Deus Pater eſt ſibi ipſi formaliter Memoria, Intelligentia, & Voluntas, ex *Aug.* 15. *Trin.* 7. *&* 15. Nec Verbum eſt actus Intelligentiæ, ſed eſt Notitia genita: nec eſt propriè notitia declaratiua; ſed hæc eſt æquè notitia eſſentialis ac genita. *Ad* 2. ex *Aug.* 15. *Trin.* 13. & alibi: Verbum eſt viſio de viſione. i. Viſio in actu primo. Nam *cap.* 11. 12. 15. hanc vocat viſionem cogitationis, illam viſionem ſcientiæ, intranſitiuè. i. quæ eſt cogitatio, quæ eſt ſcientia. *Ad* 3. Memoria & Intelligentia Patris non differunt realiter, vt nec intellectus & Voluntas: & tamen non ſunt idem formaliter in principiando. *Ad* 4. Operatio, vt operatio, non eſt productio: quia eſt finis & perfectio ipſius operantis.

Ad 1. *Arg. princ. à n.* 1. Contra duplicem modum producendi in Deo. *Reſp. à n.* 27. negando Auerroi, vnius naturæ non eſſe niſi vnum modum communicandi: vt patet ex varijs ſubſtantijs & accidentibus quæ generantur vniuocè & æquiuocè. Sed quia nonniſi in effectibus imperfectioribus: *Reſp. n.* 31. Naturas creatas non communicari vniuocè pluribus modis; quia non poſſunt ſic communicari niſi per ſuum perfectiſſimum, quod eſt ipſa natura. Quamuis enim quædam habeant intellectum & voluntatem, eiuſdem fortè perfectionis cum ipſa natura in eſſendo: non tamen in operando adæquatè ipſi naturæ, ſed ſoli potentiæ & obiecto. In Deo autem principia operandi & producendi, ac operationes ipſæ adæquantur inter ſe, & ipſi naturæ, etiam in eſſendo.

Ad 1. *Arg. n.* 2. Pro pluribus productionibus. *Reſp. n.* 33. Ariſt. nunc diſtinguit naturam ab intellectu, nunc ab arte, nunc à propoſito in agendo: ſed per quodlibet horum, intelligit reliqua tria ſimul. *Ad* 2. Dicit potentiam rationalem eſſe ad oppoſita, 9. *Met.* 2. i. indeterminatè ad illa, ſed per voluntatem vt determinatiuam. *Ad* 3. Voluntas eſt priùs productiua adæquatè, quàm inadæquatè

Ad Quæſt. 5. *Reſp. à n.* 33. Sunt tres Perſonæ in Deo, nec plures nec pauciores. *Mat.* 1. *Ioan.* 5. quia ſunt tantum duæ productæ modis oppoſitis: altera vt actus adæquatus memoriæ, ſeu Intellectui & eius obiecto præſentiſſimo; altera vt actus adæquatus Voluntati, & eius obiecto; ideò vterque æquè infinitus, ac ſubſiſtens. Prima autem eſt vnica & improducta: non ex vnitate Eſſentiali vel abſoluta in Deo, vt vult *Henr. à n.* 35. Sed 1. quia ſi hæc non eſſet vnica, poſſent eſſe ac eſſent tot quot, etiam infinitæ. 2. Quia nulla eſt neceſſitas plurium. 3. Quia vnica eſſentia non habet ex ſe immediatè plures modos eſſendi: ſed tantùm mediantibus productionibus.

Ad 1. *Arg. princ. Quæſt.* 5. *Reſp. n.* 33. Ex æquali dignitate non ſequitur tantùm dualitas. Vel, relatio productiui habet correlationem producti: ſed ſunt duæ productiones, & producta. *Ad* 2. Non ſunt duo producētia, vt producta: quia idem poteſt producere, ſed non produci duobus modis, nec duplici productione totali. *Ad* 3. Potentia finita non poteſt ſimul, ſed tantùm ſucceſſiuè producere plures effectus ſibi adæquatos: ſed Potentia Diuina ſemper actu producit intra ſe ſuos actus adæquatos, & ideo non poſſunt plures produci. Præter ſingulorum infinitatem.

Ad Quæſt. 1. *Reſp. à n.* 38. Stant ſimul vnitas Eſſentiæ, & pluralitas Perſonarum. 1. Quia Natura non ſe habet ad ſuppoſitum vt vniuerſale ad ſingulare: cùm accidentia ſint ſingularia non ſuppoſita; & natura ſingularis ſit aſſumpta à Verbo ſine ſuppoſito. Nec natura ſe habet ad ſuppoſitum vt *Quo* ad *Quod*: nam cuiuis *Quo*, reſpondet ſuum *Quod* vel *Quis*; & vt natura eſt *Quo*, habet ſuum *Quod* vel *Quis*, quod non cōtrahitur ad ſuum ſuppoſitum; & vt ſuppoſitum eſt *Quod* vel *Quis*, habet ſuum *Quo* ſubſiſtit; & tamen concomitanter eſt neceſſariò ſingulare, nec poteſt eſſe *Quo* reſpectu alterius; quia eſt ſubſiſtens non potens eſſe actus alterius ſubſiſtentis. Conſiſtit ergo ratio ſuppoſiti in duplici incommunicabilitate, &c. Nam natura ex ſe eſt communicabilis, tum per identitatem vt *Quod* pluribus ſuppoſitis, quorum quodlibet ſit ipſum: tum per quandam informationem vt *Quo*, pluribus ſingularibus, quorum quodlibet ſit ipſo. Suppoſitum autem eſt incommunicabile duplici incommunicabilitate oppoſitâ. Hinc 1. Natura eſt communicabilis pluribus per identitatem: ergo vel maximè Natura Diuina, abſque vlla ſui diuiſione. 2. Natura Diuina eſt perfectio ſimpliciter, cuilibet melior quolibet ſibi incompoſſibili, ex *Anſelm. c.* 15. *Monol.* ergo non eſt reſtricta, ſed communicabilis pluribus ſuppoſitis. 3. Quia ſuppoſitum vt ex ſe incommunicabile, non eſt perfectio ſimpliciter: ergo non identificatur, ſed diſtinguitur à quolibet alio incommunicabili in eadem natura communicabili. 4. Anima poteſt ſine vlla ſui diuiſione aut extenſione diſtinctè perficere plures partes ſui corporis: ergo multò potiùs Natura Dei infinita perficere plures Perſonas Diuinas, ſine imperfectione potentialitatis & partialitatis.

A n. 41. Sed ad plura ſuppoſita, ſaluâ vnitate naturæ, *ſine aſſertione & præiudicio ſentētiæ melioris*, neceſſaria eſt diſtinctio prior omni actu intellectus creati & increati, inter rationem formalem eſſentiæ & ſuppoſiti. 1. Quia primum ſuppoſitum ſeu Perſona Patris habet aliquid ex ſe communicabile, & aliquid incommunicabile, independenter ab operatione intellectus: ergo diſtinguuntur pluſquam ratione. 2. Deus Pater priùs origine quàm generet intelligit Eſſentiam ſuam vt communicabilem, Perſonalitatem ſuam vt incommunicabilem: ergo intuitiuè, vt eſt obiectum præſens & exiſtens, non autem tantùm vario modo idem concipiendi, &c.

A n. 44. Sed nunquid hæc diſtinctio dicetur realis? Non eſt propriè realis actualis, ſeu rerum in actu, &c. Nec realis potentialis; quia nil eſt ibi in potentia quod non ſit in actu. Poteſt autem vocari differentia rationis: non vt formata ab intellectu, ſed vt ratio eſt quidditas ſeu obiectum intellectus. Vel poteſt vocari differentia virtualis: quia non eſt inter rem & rem; ſed quaſi inter duas realitates, virtualiter vel eminenter contentas in eadem re, &c. Vel, vt eſt vnitas aggregationis, ordinis, compoſiti per accidens, per ſe, ſimplicitatis, & formalis, ſeu per ſe primò: ſic ante omnem actū

intellectus, realitas communicabilis eſſentiæ, non eſt formaliter realitas incommunicabilis ſuppoſiti, nec vna eadem realiter, &c. Nec ſequitur: non ſunt formaliter ide n; ergo ſunt formaliter diſtincta; quia formalitas in antecedente negatur, & in conſequente affirmatur. Breuiter, omittendo quæ de diſtinctione rationis & virtuali, quia non oportet eis vti: dico quòd in Eſſentia Dei ante actum intellectus eſt entitas A. & B. nec hæc eſt formaliter illa; ita vt intellectus Dei habeat ex natura rei, non præciſè ex aliquo actu intellectus, vnde hæc ſit vera, A. non eſt formaliter B. Vt realitas coloris & albedinis non ſunt formaliter eadem. Hæc diſtinctio ſeu non identitas formalitas probari poteſt ex *Aug. 7. Trin.* 1. Eſſentia quæ relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo. *c.* 2. Non *eo* Verbum *quo* Sapientia, &c. Sapientia verò *eo, quo* Eſſentia. i. Non eſt eadem ratio formalis, &c. Sed ex *Aug.* 11. *Ciu.* 10. Deus eſt ſimplex: quia hoc eſt quod habet.

Ad 1. ex Arg. princ. quæſt. 4. *Reſp. à n.* 47. Quæcumque vni & eidem ſimpliciter, ſunt ſimpliciter eadem, ſunt eadem ſimpliciter inter ſe. i. eadem identitate quâ ſunt eadem medio, ſunt eadem inter ſe: ideoque non poteſt concludi formalis identitas ex reali, nec identitas perſonalis ex eſſentiali. Hinc eſt Sophiſma: *Hic Deus eſt Pater: Filius eſt hic Deus; ergo Filius eſt Pater.* Quia hic Deus, non eſt tam Hoc *aliquid*, quàm *Quale Quid*, ſeu commune: ſicque eſt fallacia figuræ dictionis, commutando *Quale Quid*, in *Hoc Aliquid*; & accidentis ac conſequentis; quia Deus accipitur pro alio & alio ſuppoſito. *n.* 48. *Deitas eſt Pater, Filius eſt Deitas; ergo eſt Pater.* Eſt fallacia figuræ dictionis. Sed poteſt inferri identitas eſſentialis, non formalis, vel ſuppoſitiua, &c. *n.* 49. Neque hinc affirmatio & negatio verificantur de eodem, quoad eandem realitatem formalem, & adæquatam. *n.* 50. Id quo Pater differt à Filio, vt tale, nec eſt idem cum Eſſentia, nec aliud ab ea: ſi *vt* vel *in quantum* dicat rationem formalem prædicandi de ſubiecto; ſi autem tantùm rationem formalem ſubiecti, eſt idem Eſſentiæ, ſed non formaliter idem. *n.* 51. Id quo differt vt tale, eſt ens & res, & per ſe ſubſtantia: ſed non per ſe eſſentia; nec tamen alia res, quia negatio identitatis per ſe, non infert negationem identitatis ſimpliciter, &c. Poteſt diſtingui *alietas perſeitatis, vel perſeitas alietatis, &c.* Non videtur tamen benè Logicè dictum, quòd alietas neget aliud quàm terminum ſui reſpectus, & formam in qua, vel ſecundùm quam notatur eſſe alietas: nec quòd *ly per ſe*, dicens modum inhærentiæ, & determinans compoſitionem, poſſit negari in prædicato. *n.* 52. Ideo negandum eſt quòd alietas ab Eſſentia, per ſe inſit Proprietati, &c. Nec idem & aliud, imò nec contradictoria ſunt immediata circa quoduis prædicatum per ſe. Nam nec homo per ſe eſt albus, nec per ſe eſt non albus. Sic in ſenſu compoſito, nec proprietas eſt per ſe eſſentia, nec per ſe non eſſentia: nec per ſe res quæ eſt eſſentia, nec per ſe res quæ non eſt eſſẽtia. Sed in ſenſu diuiſo, diſiunctiuè, Proprietas eſt per ſe res quæ eſt Eſſentia: non tamen eſt per ſe Eſſentia; quia ex identitate reali in illo ſenſu diuiſo, non infertur identitas formalis, &c. *n.* 53. *Ad* 2. In Deo nil eſt accidentale, vt opponitur ſubſtantiali: ſed eſſentiali, & formali; vt differentia eſt accidentalis Generi. *Ad* 3. Si non eſſet Filius Dei, Deus non eſſet ſummum Bonum. *Ad vlt.* Neceſſitas eſſendi eſt vltima actualitas eſſendi: quæ non poteſt diſtingui; quia non poteſt vltra actuari. Nec diſtinguitur, vel actuatur in Perſonis: ſed eis communicatur, & realiter identificatur.

In DIST. 3. QVÆST. 1.
An Deus ſit naturaliter cognoſcibilis à Viatore?
QVÆST. 2. *An ſit primum cognitum naturaliter pro hoc ſtatu? Al. q. 2. S. Bon. d. 3.*

A n. 2. Non eſt quæſtio de cognitione Dei negatiuè: quia hæc ſupponit aliquam poſitiuam, &c. ſed de ſimplici aliquo conceptu naturali Dei, &c.

A n. 5. *Ad* 1. quæſt. *Reſp.* 1. Non tantùm poſſunt naturaliter de Deo cognoſci aliqua Attributa, quaſi per accidens: ſed poteſt etiam aliquo modo concipi quidditatiuè, quaſi ſubiectum ſeu id cui illa Attributa conueniant. Quia nil poteſt cognoſci de aliquo, niſi vt ſic concepto. Contra *Henr. n.* 3. *&* 4.

Reſp. 2. Non aſſerendo, quia non conſonat opinioni communi, poteſt dici Deum non tantùm concipi conceptu Analogo & diuerſo: ſed etiam ita Vniuoco ſibi & creaturis, vt non poſſit de eodem affirmari & negari, & ſufficiat pro medio ſyllogiſtico. 1. Quia poteſt quis eſſe certus de aliquo quod ſit ens, dubitans an ſit Deus, vel creatura: ergo conceptus ille entis eſt vnus & communis ad Deum & creaturam. *n.* 7. Quòd ſi dicat eſſe duos conceptus, tam propinquos vt videantur vnus: idem dici poterit de quibuſuis alijs. 2. Non poſſumus habere conceptum de Deo niſi ex ſenſibilibus, & phantaſmatibus: ergo nonniſi vniuocum & communem cum creaturis. 3. Conceptus noſtri ex creaturis, appropriantur Deo præcindendo ſolas rationes formales perfectionum ſimpliciter, ab imperfectionibus annexis in creaturis: ergo reſeruatur idem conceptus formalis vniuocus; alioquin non poſſet plus concipi Deus eſſe viuens, Sapiens, &c. ex creaturis, quàm eſſe lapis, &c. per longã & doctã additionem. 4. Nullus eſt conceptus noſter de Deo, ex quo poſſimus cognoſcere omnes eius proprietates: ergo nullus eſt ei proprius, ſed appropriatus, vt ſupra. 5. Aliàs nulla eſſet perfectio ſimpliciter, nec formalis in creatura, &c.

Reſp. 3. *n.* 6. Non poteſt Deus naturaliter à Viatore cognoſci in particulari & propriè. i. ſub propria ratione huius eſſentiæ, vt eſt in ſe. Quia Deus eſt obiectum naturale ſolius intellectus proprij: ſed voluntarium, ſeu nonniſi voluntariè ac liberè ſeipſum manifeſtans, cui, & quantũ vult. &c.

Reſp. 4. *n.* 15. Poſſumus tamen formare multos conceptus Deo proprios, per abſtractionem ſingularum perfectionum ſimpliciter, vel omnium ſimul in ſummo: ſed conceptus Entis ſimpliciter Infiniti, eſt omnium ſimplicior; quia non eſt quaſi alicuius attributi in Deo, vel Dei ſub aliquo attributo, ſed ſub modo intrinſeco, ſeu gradu proprio perfectionis Diuinæ. Vt albedo intenſa non eſt conceptus per accidens, ſicut albedo viſibilis. Deinde conceptus Entis Infiniti virtualiter includit omnes perfectio-

Digitized by Google

fectiones ſimpliciter: eſtque vltimus atque perfectiſſimus ad quem perueniri poteſt. Nam conceptus ſummi Entis aut Boni, vel eſt comparatiuus ad extra, vel minùs expreſſus quàm conceptus Infiniti in ſe.

Reſp. 5. *n.* 18. Nil poteſt naturaliter cognoſci de Deo, niſi ex varijs ſpeciebus proprijs, vel communibus creaturarum: appropriando eas Deo per compoſitionem intellectualem perfectionum, in creaturis ſeparatarum, & per ſeparationem imperfectionum annexarum; non autem per *ſuffoſſionem* aliquorum conceptuum propriorum, qui in eis non ſubſunt. Contra *Henr. n.* 4.

A n. 19. *Ad* 1. *Arg. Princ.* Intellectus motus à phantaſmate poteſt inde plus concipere. *Ad* 2. Vt oculus noctuæ non poteſt intueri lucem: ſic nec nos Deum, &c. *Ad* 3. Nec infinitum numero, nec infinitum potentia poteſt totum ſimul cognoſci, niſi ab intellectu infinito: ſed & hoc, & Infinitum intenſiuè poteſt cognoſci ab intellectu finito; quia non neceſſariò modo æquali ipſi obiecto. *Ad Arg. Henr.* A ſingulari in exiſtendo poteſt abſtrahi conceptus communis obiectiuè: ſeu idem poteſt concipi vt ſingulare, vel vt commune.

Ad Quæſt. 2. *à n.* 20. De primo noſtro cognito, ordine originis, perfectionis, & adæquationis: cognitione actuali, habituali, & virtuali; conceptu ſimplici ſeu conceptibili ſimplici intelligentia, vel ſimpliciter ſimplici ſeu irreſolubili in plures; concipiendo confusè, vel confuſum, vel diſtinctè.

Reſp. 1. *à n.* 21. Primum noſtrum actualiter cognitum confusè, eſt ſpecies ſpecialiſſima, cuius ſingulare primò efficaciùs mouet ſenſum: ſuppoſito quòd ſingulare non poſſit intelligi ſub propria ratione, de quo alias. 1. Quia cauſæ naturales non impeditæ, producunt quantum poſſunt: ergo conceptum ſpeciei, qui eſt perfectior conceptu communiori. 2. Quia Metaphyſica de conceptibus communioribus, eſt vltima ordine Doctrinæ. 3. Alioquin oporteret moroſè deſcendere à conceptibus communibus ad ſpeciales.

Reſp. 2. *n.* 24. Primò cognitum actu & diſtinctè, eſt communiſſimum, deinde ei propinquiora. 1. Quia cognitio diſtincta eſt omnium eſſentialium, per definitionem & diuiſionem: ergo nihil poteſt diſtinctè concipi, niſi concepto ente eiuſque inferioribus, vſque ad conceptum definiti. 2. Quia Metaphyſica eſt prima diſtinctè, licet vltima cõfusè: ſed prima ſimpliciter eſt cognitio confuſa, & cognitum eius confusè; quia proceſſus naturalis eſt per imperfectiora ad perfectiora. Hinc pueri priùs agnoſcunt omnes homines vt parentes, quàm hos ſingulares. Nec cognitio incipit à communiori quàm ſpecifica: niſi quando obiectum non eſt ſatis approximatum.

Reſp. 3. *n.* 28. Ordine originis, communiora ſunt priùs nota habitualiter, ſeu in potentia proxima: & virtualiter, ſeu vt pars in toto; quia vt formæ imperfectiores priùs informant quàm perfectiores; ſic & conceptus communiores priùs quàm particulares, procedendo à potentialiori ad actualiorem.

Reſp. 4. *n.* 29. Ordine perfectionis, primum ſimpliciter, ſeu perfectiſſimum noſtrum cognoſcibile eſt Deus, eiuſque cognitio eſt prima ſimpliciter perfectione, ex obiecto perfectiſſimo: ſed perfectior cognitio noſtra, proportione ad obiectum, eſt quæ ex obiecto præſentiore ac ſenſibiliore; quia cognitio plus adæquat talium cognoſcibilitatem. De primitate autem adæquationis *q.* 3.

Ad 1. *Arg. princ. Reſp. à n.* 30. Ens primum, eſt primum cognoſcibile ex ſe: non primum cognitum à nobis. *Ad* 2. Nil poteſt perfectiſſimè cognoſci, niſi ex Deo cognito: ſed poteſt etiam aliunde cognoſci. *Ad* 3. Deus eſt primum obiectum noſtrum perfectione, non adæquatione.

QVÆSTIO TERTIA.

An Deus ſit obiectum noſtrum naturale adæquatum?

A n. 2. Non poteſt ſuſtineri Theologicè, quòd quidditas rei materialis ſit obiectum adæquatum intellectus noſtri: quia eleuabitur ad viſionem Dei; nec poteſt illo habitu eleuari ſupra omne ſuum obiectum; quia habitus præſupponit potentiam ad idem obiectum. Sed nec philoſophicè: 1. Quia intellectus noſter naturaliter appetit cognitionem cuiuſuis cauſæ ex effectu: ergo non eſt impoſſibilis cognitio cauſæ immaterialis. 2. Quia intellectus noſter cognoſcit communiora quàm materialia. 3. Quia Metaphyſica de Ente, eſt ſupra Phyſicam de materialibus. 4. Potentia & eius obiectum non debent eſſe ſimilia in modo eſſendi: ſed potiùs diſſimilia, & tantùm proportionata; aſſimilari autem per cognitionem actualem.

A n. 5. Deus non eſt primum obiectum adæquatum intellectus noſtri: nec adæquatione communitatis, nec virtualitatis; quia Deus nec eſt quid commune ad omnia intelligibilia, nec ſolus mouet obiectiuè intellectum noſtrum, ſed etiam obiecta creata.

A n. 6. Ad Quæſt. *Reſp.* Nullum poteſt poni primum obiectum intellectus noſtri adæquatum virtualiter: nec adæquatum communiter, niſi Ens vt vniuocum ad omnia intelligibilia; ſed non eſt vniuocum in *Quid* ad vltimas differentias, nec ad proprias paſſiones Entis. 1. Quia differentiæ vltimæ non poſſunt differre vlterioribus differentijs: ergo non ſunt Ens vniuocè & quidditatiuè. 2. Vt compoſita realiter reſoluuntur in vltimam ſeu puram potentiam & actum: ſic & conceptus compoſiti, in conceptus ſimpliciter ſimplices; alterum ſolùm determinabilem, qui eſt ſolius Entis; alterum ſolùm determinantem, qui eſt differentiarum ultimarum. 3. Paſſiones Entis non ſunt Ens quidditatiuè: quia nec definiuntur per Ens quidditatiuè, ſed tantùm ſubiectiuè; nec ſunt quædam inferiora Entis, ſed æquè communia,

A n 8. Ens eſt primum obiectum adæquatum intellectus noſtri: quadam adæquatione communitatis, vel virtualitatis ad omnia intelligibilia; vel vt Entia quidditatiuè, vel vt in his eſſentialiter aut virtualiter contenta. Vt patet ex rationibus prioribus, huc iterum applicatis, & *n.* 12. exemplificatis in viſu. Qui ſi eſſet per ſe cognoſcitiuus coloris, & omnium eius ſpecierum, indiuiduorum, differentiarum, & paſſionum: haberet idem obiectum primum quòd nunc; quia omnia viſibilia vel eſſent color quidditatiuè, vel continerentur eſſentialiter aut virtualiter in colore.

Digitized by Google

A n. 13. *Ad* 1. inſtantiam contra hanc vniuocationem Entis: *Ariſt.*3.*Met.*10.negat Ens eſſe genus,ne Differentia non ſit Ens;vel tantùm diſputatiuè; vel non ob æquiuocationem Entis, ſed ob nimiam eius communitatem, quâ per ſe primò prædicatur etiã de differentijs abſtractis à forma ſubiecti; non de vltimis & ſimpliciſſimis, ab vltima perfectione naturæ, cùm genus de nullis prædicetur,&c. vt *d.*8.*q.* 3..*Ad* 2. 3. 4. 5. ex *Ariſt.* 4. *Met.* 2.Quòd Ens dicatur de Entibus, vt ſanum de ſanis, &c. 7. *Phy.* 37. Quòd in genere lateant æquiuocationes. 7. *Met.* 14. quòd accidentia dicantur entia, vt vaſa ſana.

Reſp. Vel Phyſicè ſeu realiter, non logicè ſeu obiectiuè: vel quodam ordine ſeu attributione vnius entis ad aliud; ſaluâ tamen vniuocatione, ſeu vnitate conceptus communis. *Ad* 6. *vt ad* 1.

A n. 20. Verum, non eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri. 1. Quia nec eſt commune in *Quid*, nec continet virtualiter omnia intelligibilia, ſed potiùs in illis continetur. 2. Eſt paſſio cuiuſlibet entis: ergo non intelligitur in quolibet quidditatiuè, ſed quaſi per accidens. 3. Cognitio veri ſupponit cognitionem Entis. 4. Obiectum Metaphyſicæ eſt Ens: ergo obiectum intellectus non eſt quid poſterius Ente.

Ad 1. *Arg. n.* 19. Voluntas non poteſt operari circa ignotum, nec ſub ratione formali prorſus ignota. Quamuis autem intellectus & voluntas ſint potentiæ diſparatæ: poſſent tamen habere idem obiectum adæquatum, ſub eadem ratione formali ex parte obiecti, non vtriuſque potentiæ; ſed ſi voluntas non eſt omnium intelligibilium, eius obiectum erit particularius quàm intellectus.

Ad 2. Ens commune ad ſenſibile & inſenſibile, eſt obiectum intelligibile intellectus: eique per hoc ſatis appropriatur.

Ad 3. Ratio formalis obiecti eſt motiua intellectus: ergo non eſt eius correlatiua. Nec ideò quodlibet ens mouet naturaliter intellectum noſtrum pro hoc ſtatu: quia obiectum adæquatur potentiæ ſimpliciter,non autem pro hoc aut illo ſtatu; ſed ſub ratione motiui adæquatur ei pro hoc ſtatu quidditas rei ſenſibilis; ex lege ſtabili Sapientiæ Dei, ſiue in pœnam peccati originalis, ſiue ex concurſu naturali potentiarum ſubordinatarum in ſimul operando circa idem. Qui tamen concurſus non eſt ex natura ipſius intellectus in ſe, nec vt eſt in corpore: cùm non ſit futurus in corpore glorioſo. Nec impotentia noſtra intelligendi nunc ſpiritualia, eſt ex defectu luminis naturalis: quia poſſet etiam nunc ad hoc ſatis illuminari; & quo obiecta ſunt ex ſe lucidiora ſeu perfectiora,poſſunt ſupplere defectum luminis intellectualis.

A n. 25. *Ad* 1. *Arg. princip.* Primum perfectione, non eſt adæquatum. *Ad* 2. Ens per participationem, eſt etiam cognoſcibile per participationem: ſed non neceſſariò per cognitionem eius à quo participatur. *Ad* 3. ex *Aug.* 8. *Trin.* 2. De impreſſione .i. facilitate naturali notitiæ veri & boni, indeterminati priuatiuè, non negatiuè, idque ex ſingularibus. *Tolle hoc & illud, & vide ipſum verum & bonum, ſi potes &c. Sed non potes, &c.* Quia quando intelligimus vniuerſale, phantaſiamur eius ſingulare: illudque eò difficiliùs, quò remotius ab hoc. Sic & *c.*6.*&* 9. De dilectione Iuſtitiæ communis &c.] Sed videtur *B. Aug.* plus ibi intendere & exprimere, dicens: *Tolle hoc & illud &c. videbis Deum &c.* Vt à *col.* 300. *noſtræ Anat.*

QVÆSTIO QVARTA.

An aliqua Veritas certa & ſincera poſſit naturaliter cognoſci à Viatore, abſq; ſpeciali illuſtratione lucis increatæ?

Videtur quòd non, ex *Aug. n.* 1. vt & opinatur *Henr. n.*2. poſſe quidem concipi Ens quod eſt verum,ſed non poſſe cognoſci an ſit verum,ex conformitate ad vllum exemplar noſtrum acquiſitum, ſed ad ſolum Diuinum. 1. Quia obiectum ex quo poſſumus acquirere exemplar, ſeu ſpeciem eius,eſt mutabile & fallibile. .2. Intellectus noſter eſt mutabilis & fallibilis. 3. Species obiecti non diſcernit verum à veriſimili: ergo non poteſt cognoſci verum niſi ex Deo ipſo, non vt in ſe viſo, ſed vt ſpecialiter illuminante.

A n. 5. *Reſp.* per ſex *Art.*1.Hæ rationes videntur eſſe Academicorum, contra omnem poſſibilem certitudinem cognitionis naturalis,& contra ipſum *Aug.*2. *Solil. &* 15. *Trin.* 12. *ac* 15.

Art. 2. *à n.* 7. Poteſt haberi naturaliter certitudo principiorum per ſe notorum: ex euidenti identitate aut incluſione mutua terminorum;& concluſionum inde illatarum, ex euidenti perfectione formæ Syllogiſticæ.Nec poteſt his ſubeſſe error ex ſenſu: quia licet ſimplex apprehenſio terminorum oriatur ex ſenſibilibus; non tamen eorum complexio, nec aſſenſus vel diſſenſus. *n.* 9. Poteſt & naturaliter haberi certitudo per experientiam: non ex ipſis ſenſibus, ſed ex hac interna & certa veritate, quòd quicquid plerùmque oritur ab aliqua cauſa non libera, ſit eius effectus naturalis. *n.* 10. Poteſt & haberi certitudo naturalis de actibus noſtris proprijs:ex 4. *Met.* 26. Nec obſtat vlla contingentia: quia nec in his datur proceſſus in infinitum, ſed ordo & ſtatus in aliquo certo. Eſt enim cuique certum ſe vigilare, ſentire, intelligere, velle, viuere &c. non autem de ſingulis obiectis ſenſuum ſingulorum, niſi ex conſenſu omnium,& ex aliqua veritate intellectuali independente à ſenſibus.

Art. 3. *à n.* 13. *Ad* 1. *Henr.* Quamuis obiectum ſit mutabile in eſſendo: nec ipſum tamen, nec eius ſpecies, in repræſentando; poteſtque immutabile repræſentari per mutabile, vt & infinitum per finitum. *Ad* 2. Anima ſaltem eſt infallibilis circa euidentia. *Ad* 3. Species intellectuales ſatis diſcernunt verum à veriſimili,& ſe ipſas ab obiecto: corriguntque confuſionem & illuſionem phantaſmatum, aut ſpecierum ſenſibilium, ex aliqua indiſpoſitione ſubiecti,vel obiecti, & veritate aliqua intellectuali.

Art. 4. *n.* 16. Contra opinionem *Henrici.* Veritas vt eſt conformitas ad exemplar increatum, non poteſt cognoſci, niſi ex hoc cognito, nec per ſolam huius actionem,nec eſt opus alio lumine quàm naturali intellectus.

Art. 5. *à n.* 18. Ad Quæſtionem igitur dico, quòd propter verba *Aug.* oportet concedere veritates infallibiles videri in regulis æternis obiectiuè. 1. Vt in obiecto proximo habente eſſe ſecundùm quid, ſeu intelligibile in intellectu, & ab intellectu Diuino.

Digitized by Google

Diuino. 2. Vt in libro, ſeu continente hoc obiectū proximum, ex *Aug.* 12. *Trin.* 14. *&* *l.* 14. *c.* 15. ac alibi. 3. Vt in cauſa obiectiuè & naturaliter motiua ad cognitionem illius obiecti. Præter cauſalitatē liberam voluntatis Diuinæ. Vnde patet non eſſe neceſſariam ſpecialem illuſtrationem ad veritates euidentes. Ex ipſo *Aug.* 4. *Trin.* 15. *&* 16. de quorumdam cognitione in luce æterna, à Philoſophis plus quàm à Chriſtianis. Nec *q.* 46. *ex* 83. *&* 12. *Trin.* 14. id reſeruatur ſolis puris à peccato: ſed à confuſione phantaſmatum. Vt patet *ex* 9. *Trin.* 6. *&* 15. *c.* 15. ac aliunde. 4. Vt in obiecto remoto cognito: quia à luce increata, vt primo principio & vltimo fine, ſumuntur omnia principia Theologicâ ſpeculatiua & practica. Ex ipſo *Aug.* 19. *Trin.* 27. Hinc ad omnes oppoſitas auctor *Aug.*

Art. 6. *n.* 23. Iterum ad tres illas rationes *Henrici n.* 7. Vt ſupra *art.* 1. ſed hic magis ex *Aug.*

QVÆSTIO QVINTA.

An in omni creatura ſit veſtigium S. Trin?

A n. 1. Tres Art. 1. Quid ſit veſtigium propriè? 2. Quid tranſlatè? 3. In quo fundetur inter creaturas & Deum?

Ad 1. *Art. n.* 2. Veſtigium non eſt impreſſio ex tranſitu alicuius, repræſentans eum imperfectè in confuſo, ſub ratione ſpeciei, non indiuidui. *n.* 3. Sed eſt ſimilitudo expreſſa illius partis animalis, à qua imprimitur in aliquid cedens: non autem ſimilitudo totius, niſi mediatè, & arguitiuè à parte ad totum. 1. *ex n.* 2. Quia ſi quod animal eſſet vnicum poſſibile, ſimilitudo partis ei ſoli propriæ, eſſet adhuc eius veſtigium. 2. *ex n.* 3. Impreſſio totius corporis non eſt veſtigium, ſed imago. 3. Nulla eſſet differentia inter veſtigium, & imaginem Dei: ſi illud repræſentaret totum confuſè.

Ad 2. *Art. n.* 4. Non videtur verum quòd veſtigium Dei conſiſtat in triplici illa relatione *Henr.* Creaturæ ad Deum. 1. Vt ad exemplar. 2. Vt ad cauſam. 3. Vt ad finem &c. Quia cùm veſtigium ſit ſimilitudo veſtigiati, non conſiſtit in ſolis reſpectibus: ſed *n.* 5. in aliquibus abſolutis, & fortè in aliquo reſpectu. Ex *Aug.* 6. *Trin.* 10. in Vnitate, Specie ſeu forma, & Ordine ad operationē, non ad vltimum Finē. Quæ tria repræſentant in Deo ſummam vnitatem primi principij, ſummam pulchritudinem, & perfectionem operandi: vel Vnitatem appropriatam Patri, Veritatem Filio, Bonitatem Spiritui S. &c. Aliter, in Modo, Specie, & Ordine: vt & Sap. 11. in Numero, Pondere, & Menſura. Ex *Aug.* 4. *in Gen.* 3. *&* 5. Modus & menſura ſumitur pro limitatione, Numerus pro Specie, Pondus pro Ordine. Nec obſtat quòd in Deo non ſit pars, cuius poſſit eſſe veſtigium: quia ſufficit quòd creaturæ repræſentent aliqua ſaltem appropriabilia diſtinctis perſonis Diuinis.

Ad 3. *Art. n.* 12. Nullus reſpectus eſt ratitudo vllius entis firmi, veri, vel certi: contra *Henr.* à *n.* 7. Quia omnis reſpectus fundatur in aliquo, & abſoluto: quod ſi non eſſet firmum & certum, non eſſet capax vllius reſpectus. *n.* 13. Poteſt concedi quòd lapis vt lapis participet eſſe: ſed non quod lapis inquantùm participat eſſe, ſit ens. Quia reſpectus ad Deum non eſt de eſſentia creaturæ. *n.* 14. Bona finita dicuntur per participationem: ſed non quòd participatio ſit de eorum eſſentia.

Ad Arg. princ. n. 15. patet Reſponſio ex prædictis.

QVÆSTIO SEXTA.

An ſit propriè memoria intellectualis, ſeu intellectus habens ſpeciem intelligibilem naturaliter priorem actu intelligendi?

Sub qua *n.* 37. *An memoria intellectiua ſit conſeruatiua ſpeciei intelligibilis, poſt actum intelligendi? n.* 30. *An in noſtro intellectu ſit actualis notitia genita vel producta.* Sub hac *n.* 31. *Quid ſint intellectio & volitio? n.* 33. *An ad eas ſit aliqua per ſe mutatio? Ibidem. An eorum ſit generatio vel productio?* Sunt itaque *Quæſt.* 5.

Ad 1. *à n.* 3. negat *Henr.* duplici ratione, & authoritate *Ariſt.* & *B. Aug. A n.* 5. reprobatur pluribus.

Reſp. à n. 13. Neceſſariæ ſunt ſpecies intelligibiles naturaliter priores actu intelligendi, ob rationes *à n.* 5. contra *Henr.* 1. Ad repræſentandum & intelligendum vniuerſalia. 2. Idem repræſentatiuum non poteſt repræſentare diuerſa: nec phantaſma repræſentans ſingulare, poteſt repræſentare vniuerſale. *n.* 6. Nec lux eadem ſpecie repræſentat ſe & colores: ſiue ſint eadem qualitas, ſiue diſtinctæ. Alioquin eadem ſpecies poſſet repræſentare omnia &c. 3. *n.* 7. Quælibet ſpecies repræſentat naturaliter quantum poteſt: ergo phantaſma repræſentans ſingulare, non poteſt ſimul actu repræſentare vniuerſale. 4. *n.* 8. Intellectus Agens eſt tantum actiuus, 3. *De anima* 18. non in phantaſia: ergo ſpecierum vniuerſalium in intellectu poſſibili ad neceſſariam præſentiam ſeu repræſentatione obiecti intelligendi. 5. Intellectus eſt Agens reſpectu ſui *Poſſibilis*: ergo, ad imprimendas ei ſpecies intelligibiles vniuerſalium. 6. *n.* 9. Metaphyſica eſt de ſolis vniuerſalibus: Ergo per ſolas ſpecies vniuerſalium. 7. Vniuerſale non concipitur perfectè, niſi extra ſingularia: ergo nonniſi per ſpeciem talē. 8. *n.* 10. Anima rationalis poteſt ſeparari & ſeorſim ab omni ſenſu operari: ergo per ſpecies intelligibiles. 9. *n.* 11. Senſus habent ſpecies ſibi accommodatas ad præſentiam cognoſcibilem ſenſibilium: ergo & Intellectus ſpecies intelligibilium. 10. *n.* 13. Ex *Ariſt.* 3. *De Anima* 37. Anima eſt quodammodò omnia ſenſibilia & ſcibilia .i. ſimiliter, per eorum ſpecies. 11. *n.* 14. Ex *B. Aug.* qui 12. *Trin.* 14. *l.* 15. *c.* 7. 15. 21. & vbique diſtinguit memoriam ab intelligentia, & illam vt perfectam ſeu proxmā à remotâ.

Ad 1. *Arg.* Princ. *à n.* 1. *Reſp. n.* 15. Singulare non gignit ſpeciem vniuerſalis: niſi Intellectu coagente, aut eliciente. *Ad* 2. Alia eſt præſentia realis obiecti extra, vel in phantaſmate: alia obiectiua & intelligibilis, in ſua ſpecie.

Ad 3. Non omnes ſpecies ſimul actu mouent: ſed primò efficacior, ex ſingulari præſēte, vel phanmate actuali: deinde Voluntate applicante.

Ad 4. Intellectus recipit ab obiecto reali ſpeciem ſui: deinde ab eo vt per hanc intelligibili, actū ipſum intelligendi.

Ad 1. *Arg. Henr à n.* 3. *Reſp. à n.* 18. Neceſſitas ſpecierum ſenſibilum, non eſt ex organo, medio, aut indiſpoſitione ſenſûs: ſed ex neceſſaria præſentia obiecti vt cognoſcibilis. *Ad* 2. Intellectus dicitur locus ſpecierum, potiùs quàm ſenſus. 3. *De*

Digitized by Google

Anima : quia eas potiùs conſeruat. Dicimur ſpeculari phantaſmata , & ad ea conuerti .i. non intelligere, niſi ſimul phantaſiando. *Ad* 3. ex *Aug.* Non exprimit nomen, ſed rem ſpecierum, ſub memoria perfecta, ſeu intellectu in proxima potentia, ex præſentia intelligibili obiecti. 15. *Trin.* 10. 11. 12. Imò ſub ipſo nomine ſcientiæ , quæ non eſt ſine ſpeciebus. *Ad vlt. n.* 21. & 22. Quando obiectum non poteſt eſſe intimè ac immediatè præſens intelligibiliter: debet ineſſe & repreſentari per ſui ſpeciem.

Ad Quæſt. 2. *Reſp. à n.* 27. Species intelligibiles conſeruantur in memoria , poſt actum intelligendi. 1. Quia intellectus poteſt eſſe ſapiens in ſe. 3. *De anima* 18. Ergo non niſi per ſpecies immanentes. 2. Ex *n.* 16. *contra Auic.* & alios: Intellectus ante actum eſt in potentia eſſentiali & accidentali .i. remotâ & proximâ ad intelligendum ; ergo per ſpeciem inhærentem. 3. Species eſt prior & independens ab actu. 4. Nec exigit neceſſariò actum, aut eſt neceſſariò agens actu. 5. Phantaſia conſeruat ſuas ſpecies : ergo & intellectus. 6. Intellectus aut voluntas poteſt non vti aliqua ſpecie.

Ad diff. n. 27. Cur ergo opus ſit conuerti ad phantaſmata ? *Reſp.* Non quia obiectum ſit tantùm quidditas rei materialis, &c. *n.* 28. Sed ex naturali concomitantia intellectus & phantaſiæ, & ad inde acquirendam ac perficiendam ſpeciem intelligibilem.

Ad 1. *Arg. à n.* 23. *Reſp.* Plures ſpecies inſunt ſimul: quia non ſunt quaſi diuerſæ figuræ incompoſſibiles, ſed ſimilitudines diuerſorum. *Ad* 2. Non ſunt habitus qui acquirantur ex actibus : ſed quibus obiecta ſunt habitualiter præſentia.

Ad 3. *Quæſt. n.* 31. Intellectio & volitio non ſunt in nobis ſubſtantiales , ſed accidentales : nec quantitates, relationes, actiones, paſſiones, &c. ſed qualitates primæ ſpeciei. 1. Quia ſunt perfectiones intellectus & voluntatis. 2. Quia referuntur ad ſua obiecta : ergo ſunt quid abſolutum , ex *Aug.* 7. *Trin.* 1. 3. Quia hæ ſunt operationes immanentes : ergo ſunt actione, non actiones. 4. Quia ſunt actiuæ habituum : ergo non actiones. 5. Quia habitu ſatis intenſo, ſunt ſine vlla actione vlteriore.

Ad 4. *Quæſt. n.* 33. Eſt aliqua per ſe mutatio ad has operationes: quia potentiæ operantes aliter ſe habent quàm priùs. *Ad* 5. *Ibid.* Non tamen propriè & per ſe generantur , nec producuntur : ſed potiùs homo noſcens & volens. 1. Quia formæ accidentales non generantur , nec producuntur per ſe: ſed compoſita ; & actiones ſunt ſuppoſitorum. 2. Generatio non eſt accidentium, niſi ſecundùm quid. 3. Mutatio per ſe eſt rei mutabilis, alteratio alterabilis, motus mobilis : terminantur tamen propriè ad aliquas formas. Sed productio propriè eſt ſolius termini acquirentis eſſe : forma autem eſt id *Quo*, compoſitum id *Quod* acquirit eſſe : ergo hoc per ſe producitur, non illa.

Hinc Intelligere & Velle Dei non ſunt actus productiui, nec actiones producendi : ſed Dicere & Spirare. *Ad* 1. *Arg. n.* 30. *Reſp. n.* 35. Actio propriè eſt in continuo fieri, in aliquo ſubiecto , ad aliquem terminum : ſed operationes immanentes ſunt quidem actus ſecundi in fieri ; ſed non circa ſubiectum externum, ad aliquem terminum ; ideoque non ſunt propriè actiones, nequidem immanentes , ſed termini ſuarum actionum immanentium. Nam & lumen continuo fit, nec tamen eſt actio aut paſſio, ſed qualitas. Hinc *ad* 2. & 3.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An intellectus, vel aliquid eius ſit cauſa vel ratio gignendi notitiam actualem ?

Opin. 1. *Henr. n.* 2. Tribuit totam actiuitatem ſoli animæ , ex *Aug. Ariſt.* & aliquot rationibus. *Contra. n.* 3. *ex B. Aug. Ariſt.* & ratione.

2. *Goff. n.* 5. Negat intellectui omnem actiuitatem ad ſpeciem intelligibilem vel intellectionem, pluribus rationibus: tribuens eam ſoli Deo, & obiecto in Phantaſmate. *Contra n.* 7.

3. Eiuſdem *Henr. n.* 12. Tribuit obiecto totam actiuitatem ad primam aliquam intelligentiam confuſam : ex qua intellectus poſſit *ſuffodiendo* actiuè, diſtinctiùs intelligere.

4. Eiuſdem *ibid.* Quòd obiectum & eius ſpecies ſenſibiles & phantaſticæ tantùm inclinent intellectum ad intelligendum. *Contra. n.* 13.

5. *n.* 14. S. Thomæ 1. *p. q.* 85. Quòd obiectum in ſe, vel in ſua ſpecie intelligibili gignat notitiam actualem in intellectu eam tantùm recipiente.

6. Ægidij *n.* 15. Quòd ipſa ſpecies genita ab obiecto præſente, vel eius ſpecie memoriali , ſit intellectio actualis. *Contra* vtramque. *n.* 16. Sed ſpecialiter contra 6. *n.* 18.

Ad quæſt. n. 8. *Reſp.* Intellectio actualis eſt aliquid in nobis, habens eſſe poſt non eſſe : ergo habet in nobis aliquam cauſam actiuam; quia eſt aliquo modo in poteſtate noſtra. Ad eam eſt etiam neceſſarium obiectum præſens, vt intelligibile in ſe, vel ſua ſpecie. Ergo nec ſolus intellectus, nec ſolum obiectum eſt eius cauſa totalis, ſed partialis: *non ex æquo*, ſeu eiuſdem rationis , ſed inæqualis: ſingulæ quidem virtute propria concurrentes, ſed eſſentialiter ad eundem ſimul actum ordinatæ. Vt vir & mulier ad generationem. Ex varijs author. & rationibus contra 6. illas opiniones . 1. Ex *n.* 3. *Aug.* 9. *Trin. Vlt.* Res congenerat in nobis notitiam ſui. Ab vtroque enim notitia paritur .i. à cognoſcente, & cognito &c. 2. Nunquam intelligitur niſi ex hoc concurſu : ergo ſunt concauſæ neceſſariæ ; quia nulla eſt ratio cur vna eſſet tantùm conditio &c. 3. Eſt nimis indignum intellectu, non eſſe actiuum , ſed tantùm paſſiuum ſuorum actuum à phantaſmate : qui inde eſſent imperfectiores hac ſua cauſa æquiuoca. 4. *n.* 8. Sic Angelus non poſſet habere vllum actum niſi à Deo. 5. *n.* 9. Phantaſma non poſſet cauſare vllam cognitionem vt veram, nec falſam. 6. Non eſſet vlla actio immanens, diſtincta 6. *Ethicorum* 5. à tranſeunte, & factione. 7. Non eſſent vlli habitus intellectuales. 8. Non eſſent diſcurſus intellectuales. 9. *n.* 11. Nec relationes rationis. 10. Nec reflexiones. 11. *n.* 16. Si actus eſſet à ſola ſpecie intelligibili : eſſet ea imperfectior. 12. Non eſſet vllus habitus intellectus. 13. *n.* 17. Species eſſet ipſa Potentia intelligendi. 14. Non eſſet perfectio intellectus. 15. Ad quid ergò conatus intellectus ? 16. Si ſpecies ipſa eſſet actus : ergo & in medio , vel oculo inepto. 17. Ipſa Eſſentia diuina eſſet viſio Beatorum. 18. Non eſſet imago Dei in mente. 19. Nec actus aſſimilarentur, nec diſtinguerentur

Digitized by Google

gererentur, & perficerentur ab obiectis, niſi cauſaliter. 20. Eſſet infinitæ perfectionis, eſſe cauſam totalem omnium actuum circa omnia obiecta.

Ad Arg. 1. opin. n. 2. ex Aug. 12. in Gen. & 10. Trin. 5. Negat corpus agere poſſe in Spiritum, vt cauſam totalem: quia hæc ſola eſt neceſſariò præſtantior ſuo effectu. Vocat autem aliquando ipſas ſpecies nomine communi cum actibus. *Ad 2. n. 15.* Generatio vitalis non eſt niſi à viuente: vt cauſa ſaltem partiali & principali. *Ad 3.* Perfectio & actualitas animæ, finita in eſſendo, non eſt capax actiuitatis totalis ac illimitatæ circa omnia obiecta. *Ad. 4. & 5.* Actus intelligendi eſt verè immanens ſuæ cauſæ principali, non totali.

Ad 1. Arg. 2. opin. à n. 5. Reſp. à n. 27. Nil agit in ſe ipſum, vniuocè: quia nil poteſt eſſe ſimul in actu formali, ſed virtuali, & in potentia ad illum. Non quod ſemper ita ſit: ſed quòd non repugnet. *Ad 2.* Quædam relationes oppoſitæ ſunt incompoſſibiles in eadem natura, & ſuppoſito: quædam in hoc non in illo, quædam in neutro. *Ad 1. Achillem eorum.* Obiectum eſt concauſa ad actum, potiùs quam lignum ad calorem: quia ignis continet virtualiter totam perfectionem caloris; non Intellectus, nec obiectum aliquod totam perfectionem omnium actuum.

Arg. pro 3. & 4. opin. à n. 12. nulla ſunt &c. Sed contra. *n. 34.* Quomodo phantaſma erit ratio agendi in intellectu, in quo non eſt formaliter? 2. Cur ergo non æquè intelligitur in phræniſi & ſomno, ac extra? 3. Prima forma impreſſa perficit potentiam proximam præſentiâ intelligibili obiecti: ergo ſpecie eius intelligibili. 4. Primus gradus habitus eſt ex aliquo actu, vltimus ex vltimo: ergo ſpecies non poteſt eſſe vllus gradus habitus. 5. *B. Aug.* vult animam occurrere paſſioni ab obiecto .i. coagere ad actum perfectiorem cum ſpecie impreſſa.

Ad 1. pro 5. opin à n. 14 Reſp. n. 37. Intelligere eſt pati: vt & quoduis ſentire, formaliter, non actiuè. *Ad 2.* Intellectus eſt in potentia proxima accidentali: quando ineſt ei ſpecies obiecti vt concauſa. *Ad 3.* Intellectus poſſibilis nihil eſt eorum quæ ſunt ante intelligere. *3. De Anima 32.* Non quod nihil ſit actu vel actiuè: ſed nil eorum .i. intelligibilium proximè, ſeu non in potentia proxima ad intelligi vel intelligere, niſi poſt alia præintellecta. *Ad 4. n. 39.* Species qua actus aſſimilatur obiecto, eſt ratio partialis, non totalis nec principalis agendi: intellectus vt cauſa ſuperior æquiuocè & virtualiter aſſimilat ſibi actum; ſed ſpecies vt cauſa propinquior, vniuocè & formaliter. *Ad 5.* Indeterminatio intellectus non eſt paſſiua, ſed actiua: nec determinanda per nouam vim intrinſecam agendi, ſed per præſentiam obiecti. Vel, vt cauſa ſuperior ab inferiori: ſic intellectus determinatur à ſpecie intelligibili.

Ad 1. Arg. princ. à n. 1. Si intellectus eſſet cauſa totalis, ſemper intelligeret: non, ſi partialis. *Ad. 2.* Intellectus poſſibilis eſt vt quo formaliter intelligimus: ſiue etiam actiuè, ſiuè non. *Ad 3.* Poteſt eadem cauſa vt ſpecie diſtincta, diſtinguere etiam effectus: ſed intellectus non diſtinguit actus, niſi ex varijs obiectis. *Ad 1.* Oppoſitum: Immaterialitas eſt ratio intelligendi actiuè, & paſſiuè: ſed non totalis. *Ad 2.* Cognitiones diſtinguuntur ſpecie, ex obiectis ſpecie diſtinctis: imò & habitus ſcientiæ, qui ſunt de ſpeciebus infinitis, ſed virtualiter continentibus alias ſpecies, & earũ paſſiones.

QVÆSTIO OCTAVA.

An cauſa principalior notitiæ ſit obiectum in ſe, aut ſua ſpecie, vel ipſe intellectus?

Reſp. n. 2. Intellectus eſt cauſa principalior cognitionum naturalium &c. Sed Obiectum beatificum poſſet habere cauſalitatem totalem, vel principaliorem, ob excellentiam talis obiecti, & defectum intellectus noſtri. *1. ex n. 1.* Quia quo quid eſt actualius & perfectius, eo actiuius. 2. Cauſa exiſtens ſimpliciter, eſt actiuior concauſâ exiſtente tantùm ſecundum quid, ſeu obiectiuè. *3. ex n. 2.* Cauſa ſuperior & vniuerſalior eſt principalior ſua concauſa inferiore ac determinatiore. 4. Cauſa agens, & potens vti alia, eſt principalior coagente qua vtitur.

Ad 1. n. 1. Reſp. n. 3. Obiectum mouet ſeu agit non motum .i. nullam vim aut formam recipiens ab intellectu; ſed nec mouet intellectum agentem ad ſpeciem intelligibilem, nec poſſibilem ad actum intelligendi niſi vt concauſa partialis, minuſque principalis quàm ipſe intellectus mouens ſeipſum. *Ad 2.* Effectus magis aſſimilatur cauſæ proximæ, quàm principali: quia hæc potius æquiuocè & eminenter continet effectum, illa vniuocè & formaliter &c. Hæc tamen effectum communem magis actiuè aſſimilat, etiam ſuæ concauſæ: ſed concauſa magis formaliter. *Ad 3.* De vnitate & diſtinctione ſcientiarum ex obiectis, vt *q. 7. ad vlt.*

QVÆSTIO NONA.

An in mẽte ſit imago Sãctæ Trin? Al. q. 61. S. Bon. d. 3.

Sub qua 1. n. 1. Quid ſit Imago propriè. 2. Quid hùc tranſlatè. 3. In quo ſita ſit?

Ad 1. n. 2. Imago eſt repræſentatiua & expreſſiua totius, ad eius imitationem. Inde differt à veſtigio: hinc à conſimilibus. Nam vnum ouum non eſt alterius imago: quia non ad eius imitationem, ex *Aug. q. 74. ex 83.*

Ad 2. Imago Trin. eſt quæ ad aliquam eius imitationem repræſentat nobis vnitatem Eſſentiæ, cum diſtinctione trium perſonarum, & ordine Originis.

Ad 3. à n. 3. Experimur in nobis actum intellectionis, & volitionis, cum poteſtate ad illos actus quando obiectum eſt præſens obiectiuè: ergo ſũt in nobis duo principia actiua duobus modis oppoſitis, vt ſupra. Porro imago. S. Trin. nec eſt in ſolis principijs, nec in ſolis actibus. 1. Quia nec hi nec illa ſunt niſi duo. 2. Quia in illis eſt conſubſtantialitas, non diſtinctio realis, nec ordo originis: in his eſt diſtinctio realis, & quidam ordo, non conſubſtantialitas. Hinc imago conſiſtit in his & in illis ſimul: vel vt *B. Aug. 9. Trin. 4.* in Mente, Notitia, & Amore; vel potiùs vt *10. Trin. 10.* in Memoria, Intelligentia, & Voluntate. Sed ad perfectiorem explicationem Imaginis: per Mentem & Memoriam, non intelligendo ſolam vim producendi notitiam; ſed totam vim & fœcunditatem proximam portionis ſuperioris animæ, ex intellectu, voluntate, & obiecto ad gignendam notitiam, & ex ea amorem obiecti illius præſentiſſimi & perfectiſſimi .i. vel ipſius animæ propriæ, vel potiùs ipſius Dei. Ex *B. Aug. 12. Trin. 4. l. 14. c. 8. l. 15.*

Digitized by Google

15. c. 20. Per intelligentiam autem & voluntatem, intelligendo ipſos actus formales, vel ipſam animæ ſubſtantiam, vt eſt eorum capax. Hinc enim repræſentatur totum S. Trin. myſteriũ, quantum poteſt, quamuis imperfectè in ordine originis, & alijs.

Non ſic tamen in vi animæ ſenſitiua. 1. Quia principia cognitionis & appetitus ſenſitiui ſunt compoſita: quorum partes non ſunt conſubſtantiales. 2. Quia non differunt modis oppoſitis producendi: ſed æquè naturaliter producunt.

Ad 1. *Arg. princ. n.* 1. Singulæ creaturæ non ſunt creatæ ad Imaginem Dei vt Trini, ſed Vnius: quædam tamen aggregatæ, etiam ad imaginem Dei vt Trini; ſed ex qua non poteſt niſi credentibus explicari & perſuaderi. Ex *Aug.* 15. *Trin.* 24. *Ad* 2. Memoria repræſentat Patrem: non quaſi ipſe ſit ſola Memoria; ſed quòd gignat ex memoria. *Ad* 3. *Notitia in Deo verè gignitur, & volitio procedit*: vt ait *Aug.* 15. *Trin.* 27. ſed non ipſæ actiones, vt ſæpè ſupra. *Ad* 4. Actus generat habitum: vt cauſa, non vt actio, &c.

In DIST. 4. *QVÆSTIO* 1.

An hæc ſit vera: *Deus genuit alium Deum?*

Reſp. n. 2. Non eſt vera quoad rem: quia Deus eſt Deus Deitate, cui repugnat alietas. Sed nec logicè: non quòd ſignificet alium à Deo, nec alium ipſâ Deitate, ſed alium in Deitate, &c. vt *Al. q.* 50. *m.* 3. *& S. Bon. d.* 4. *q.* 2.

Ad 1. *Arg.* Deus genuit Deum: non tamen ſe Deum, nec alium, nec diuerſum, ſed eundem Deum, &c. vt *Al. & S. Bon.* ſupra. *Ad* 2. Deus gignens differt à genito: ſed non Deus à Deo, &c. *Ad* 3. Deus genuit alium: ſed nec alium Deum, nec alium non Deum, &c. *Ad* 4. Deus genuit alium habentem Deitatem, ſed non alium Deum, &c. ex *Al. & S. Bon. ſupra.*

QVÆSTIO SECVNDA.

An hæc ſit vera: *Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus S.*

Reſp. à n. 2. Eſt vera de Deo, & de ipſa Deitate: ſed de hac per ſolam identitatem: de Deo, vt hoc ſingulari Naturæ Diuinæ, quodammodo etiam formaliter; ſed formaliùs, Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt Deus. 1. Quia verificandæ ſunt pro primo ſignificato, quando fieri poteſt. 2. Quia vt hic color diſgregat: ſupponit pro hoc colore, non autem vt in hoc vel illo ſubiecto, ſic de Deo.

Ad 1. *Nullus Deus eſt Pater*, non eſt contradictoria illius, *Deus eſt Pater*: quia eſt alia ſuppoſitio Dei. *Ad* 2. Deus eſt proprium ſingulare Deitatis, æquè ac hic Deus huius Deitatis.

In DIST. 5. *QVÆSTIO.* 1.

An Eſſentia Diuina generet, vel generetur?

Reſp. Ex Conc. Later. *De ſumma Trin. cap. Damnamus*: pro Petro Lombardo, contra Abbatem Ioachim. *Nos ſacro approbante Conc. credimus & confitemur, quòd vna ſumma res eſt Eſſentia Diuina, quæ nec generat, nec generatur: & tamen non ſequitur quòd ſit quaternitas; quia illæ tres res, Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt illa vna Res.* Non autem tantùm vnum collectiuè, vt perperam Abbas Ioachim, ex *Ioan.* 17. Quia illud, *ſicut* .i. proportionatè, &c. Quoad rem. 1. Ex *Aug.* 1. *Trin.* 1. Quia nil generat ſeipſum. 2. Quia Eſſentia referretur ad ſe, & diſtingueretur à ſeipſa. 3. Quia Deus Pater, & Filius ſunt eâdem Deitate: ergo hæc nec generat nec generatur. 4. Quia formæ nec generant nec generantur, ſed compoſita: ergo nec Deitas, ſed ſuppoſita; quia quamuis Deitas vt forma per ſe exiſtens poſſit eſſe operans, non tamen niſi operatione communi tribus Perſonis. Sed Logicè: quia abſtracta vltima abſtractione ab omni ſubiecto, ſuppoſito, & quouis non eſſentiali, non poſſunt ſumi niſi formaliſſimè: nec adiectiua, verba, & participia poſſunt prædicari niſi formaliter vt ſignificant; ſed ſubſtantiua, & formaliter, & identicè. Hinc non Deitas: ſed Deus generat, & generatur, &c. Vt *Al. q.* 42. *m.* 3. *& S. Bon. d.* 5. *a.* 1. *&* 2. *q.* 1.

Ad 1. *Arg. à n.* 1. *Reſp. à n.* 8. *ex Aug.* 7. *Trin.* 2. Sapientia dicitur genita: quia non abſtrahit vltima abſtractione à potentia operatiua. *Ad* 2. ex *Richard.* contra Magiſtrum: Doctrina Magiſtri eſt approbata, vt ſupra. *Ad* 3. Productio eſt termini adæquati: ſed communicatio eſt ſolius formæ: illa infert, relationem realem, hæc rationis; forma tamen eſt etiam terminus formalis generationis, quâ formaliter, ſeu cuius communicatione totum generatur. *n.* 10. *Ad* 4. ſeu 1. ex logicis: Eſſentia non prædicatur per ſe, primo modo, nec formaliter de Patre: nec tamen propriè per accidens, ſed identicè. *Ad* 5. Pater ſubſtantiuè, pro ipſa Perſona, eſt identicè Eſſentia: non Pater actiuè, ſeu formaliter ſecundùm Paternitatem aut actum generandi. *Ad* 6. *n.* 11. 12. Opinio Magiſtri *Alexandri*: Eſſentia eſt Pater Filij ſubſtantiuè, non adiectiuè. *Infra.* Teneo opinionem Alexandri. *Ad vlt.* Genitum in quantum genitum, non eſt aliquid, ſed ad aliquid, ſeu Filius: quia genitum eſſe non eſt formalis ratio eſſentiæ, ſed relationis.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Filius generetur de ſubſtantia Patris?

Reſp. à n. 11. Non vt de materia, vel quaſi materia, contra *Henr. & Goff. n.* 2. ſed verè & propriè, vt de forma totali eſſendi, conſubſtantialiter, ſimulque originaliter.

1. Ex *n.* 5. Quia Natura eſt terminus formalis generationis vniuocæ: non autem ipſa Perſonalitas. *Ioan.* 10. Pater quod dedit mihi, maius eſt omnibus. *Aug.* 15. *Trin.* 26. Pater præſtat Filio Eſſentiam ſine vlla mutabilitate. Ergo non vt materiam, ſed vt formam totalem eſſendi. 2. *n.* 7. Si generaretur de ſubſtantia Patris, vt de materia vel ſubiecto, imprimendo ei Notitiam Genitam: Eſſentia vt eſt Patris, fieret Verbum, &c. 3. *n.* 9. Pater prius eſſet actiuus in Eſſentiam propriam, & ad eam referretur, quàm ad Filium. 4. Prima & perfectiſſima productio non poteſt eſſe quaſi ex materia. 5. *n.* 10. Spiritus S. procedit de ſubſtantia Patris & Filij. *Aug.* 3. *contra Max.* 15. non per impreſſionem aut receptionem in ea: ergo nec Filius. 6. *n.* 11. Ex Doct. antiquis & *Aug.* 3. *contra Max.* 14. 15. Deus genuit Filium *Homouſion.* i. eiuſdem ſecum ſubſtantiæ. 7. *n.* 13. Si quæ forma præexiſtens informaret nouam materiam: compoſitum non produceretur de nihilo, ſed de forma præexiſtente. 8. Pater non generat Filium, quia dat ei de ſua materia vt materia: ſed vt termino formali

Digitized by Google

formali ſaltem partiali generationis & aſſimilationis; ergo Deus Pater perfectiſſimè generat de ſua eſſentia vt forma totali. Sed hinc 4. difficultates.

1. *A n.* 14. De vnitate Perſonæ Diuinæ ex eſſentia & perſonalitate, ſine potentia & actu. *Reſp.* Eſt perfectionis in eſſentia creata eſſe id *Quo*, ſeu formam eſſendi: ſed imperfectionis, adhuc formari, ſeu formaliter contrahi & indiuiduari. Eſſentia autem Diuina eſt forma infinita & actualiſſima eſſendi, nec poteſt vltra formari vel actuari: ſed perſonalitas eſt actus, ſeu forma & formalitas propria ſolius Perſonæ; nec vnitur Eſſentiæ vt eius materia, nec vt forma, ſed ei realiter identificatur ex eius infinita perfectione.

2. *Diff. n.* 16. De diſtinctione Perſonæ ab Eſſentia ſine huius actuatione & informatione. *Reſp.* Quia Eſſentia eſt ex ſe infinitè diſtincta, diſtinguitque infinitè Perſonas Diuinas ab omnibus alijs: ſed Perſonalitas non diſtinguit formaliter infinitè, ſed relatiuè, vnam ab alia.

Diff. 3. De fundamento relationis perſonalis, abſque vlla illius ab hac actuatione ſeu perfectione. *Reſp.* Quia in Diuinis ordo non eſt à perfectibili ad perfectionem: ſed ab infinita perfectione, ad eius communicationem. Hinc Eſſentia non eſt fundamentum, quaſi potentiale, ſed formale: *Quo* relationes formales ſunt, & in *Quo* abſque informatione per identitatem ſubſiſtunt. *n.* 17. Vt ſi eadem anima priùs perficeret cor, deinde perficeret ſibi alia organa. Vel, ſi Cor animatum poſſet ſuam eandem materiam communicare pluribus formis organicis. Vel potiùs, ſi Cor poſſet communicando ſuam eandem animam, producere alia organa animata, &c. *Dico igitur breuiter, quòd relatio & eſſentia ita ſunt in Perſona: vt neutra ſit forma informans alteram, ſed ſint perfectè idem, licet non formaliter. Vt tamen non ſunt idem formaliter, relatio nullo modo perficit eſſentiam: ſed eſſentia eſt forma quâ relatio eſt, & quâ eſt Deus, eſtque formalis terminus generationis.*

Diff. 4. Cur non potiùs relatio communicetur eſſentiæ, quàm eſſentia relationi: cùm hæc illam ſupponat, non illa hanc? *Reſp.* Quia productio eſt totius termini adæquati, includentis terminum formalem, & ſubſiſtens, ſeu habens eum; ideoque non poſſunt hæc ſeparari, &c. Nec communicatio per productionem, præſupponit *Cui*: quia non fit alicui vt iam exiſtenti, ſed vt ſit; ideoque nec Natura Diuina communicatur priùs niſi perfectione, quàm ſuppoſitum producatur; nec ſuppoſitum producitur priuſquam natura communicetur; quia hæc communicatur productione illius, & illud producitur communicatione huius.

Ad 1. *Arg. Henrici, & Goff. à n.* 2. *Reſp. à* 19. Filius nullo modo eſt de nihilo: ſed verè de ſubſtantia Patris; non vt de materia, ſed de forma totali, vt ſupra. *Ad* 2. Hæc generatio non eſt mutatio vllius ſubiecti à priuatione ad formam: ſed ſola productio termini adæquati, ſub eodem formali, &c. *Ad* 3. Primæ potentiæ actiuæ non correſpondet vlla paſſiua, niſi obiectiua ſeu producibilitas. *Ad vlt.* Si ignis generaret ignem, non de ſua materia, ſed forma totali: non eſſet ſubiectum illius generationis.

Ad 1. *Arg. princ. à n.* 1. ex *Aug.* 7. *Trin.* 6. Perſona non rectè dicitur eſſe de Eſſentia, niſi addendo cuius Perſonæ. *Ad* 2. *Aug.* 15. *Trin.* 19. vocat Filium ſubſtantiæ Patris .i. eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre. *Ad vlt.* De ſubſtantia Patris .i. conſubſtantialiter à Patre. Hinc ad oppoſita.

In DIST. 6. QVÆST. 1.

An Deus Pater genuerit Deum Filium voluntatè?

Art. 1. *n.* 22. An genuerit volens? *Art.* 2. An genuerit voluntate vt principio productiuo? Negat *Henr. Goff.* & alij vtrumque: quia videtur eis generare naturaliter intellectione, priore omni volitione.

Ad 1. *Reſp. n.* 5. Deus Pater genuit Filium volens: non tantùm voluntate conſequente, ſed etiam antecedente. Quia non gignit intellectione, ſeu actu ipſo intelligendi, qui eſt perfectio beatifica Patris ſuppoſita generationi, & communis tribus Perſonis: ſed *Dictione*, ſeu actione dicendi, ſupponente totam perfectionem formalem intellectionis & volitionis in Patre, quâ eſt perfectiſſimè Beatus priùs quàm generet, ſeu dicat aut ſpiret.

Ad 2. *Art. Reſp. n.* 6. Non genuit Filium Voluntate, vt principio proximo. 1. Ex *B. Aug. ad Oroſiũ, &* 15. *Trin.* 20. *Damaſc. l.* 1. *c.* 18. 2. Quia non poteſt gigni modis oppoſitis. 3. Quia vt intellectus eſt prior voluntate in operando ſeu intelligendo: ita in producendo, ſeu dicendo.

Ad Aug. 9. *Trin.* 7. Verbum amore concipitur, &c. Poteſt intelligi in nobis: in quibus ſunt plures actus & actiones intellectus & voluntatis, promiſcuè priores & poſteriores, eliciti, imperantes, & imperati. Non ſic in Deo, vbi vnicus actus intelligendi prior eſt vnico actu volendi: & vnica actio dicendi prior actione ſpirandi, non autem ipſo actu volendi.

Sed *contra n.* 8. *Aug.* ſæpè aſſignat repræſentationem ſpirationis ſeu productionis Spiritus Sancti, in amore copulante Parentem cum Prole, ſeu Patrem cum Filio. *Reſp.* Aſſignat etiam eam in Memoria, Intelligentia, & Dilectione eiuſdem obiecti, & notitiæ eius. 14. *Trin.* 8. *l.* 15. *c.* 3. *&* 20. Sed voluntas noſtra non repræſentat Diuinam quoad actum copulandi, ſeu applicandi memoriam ad intelligendum: ſed quoad actum producendi amorẽ eiuſdem obiecti præſentis & cogniti.

Ad 1. *Arg. princ. à n.* 1. Rich. dicit: *Hoc mihi videtur, &c.* Sed non videtur *B. Aug.* quòd Velle Patris ſit formaliter gignere. Nam 5. *Trin.* 14. Spiritus S. procedit *quomodo datus, non quomodo natus.* *Ad* 2. ex Aug. 3. *contra Max.* 1. Si Pater non genuit ſibi Filium æqualem, *aut non voluit, aut non potuit: ſi non voluit, inuidus fuit* .i. de voluntate concomitante, aut etiam antecedente, non de principiante. *Ad* 3. Generatio Filij eſt voluntaria concomitanter, imò antecedenter, ſed non principiatiuè.

In DIST. 7. QVÆSTIO VNICA.

An potentia generandi ſit quid abſolutum, vel Proprietas Patris?

Opin. 1. *S. Thomæ n.* 2. Quòd ipſa Eſſentia ſit quâ Pater generat: quia in ea ſibi aſſimilat Filium.

2. *Henr. à n.* 4. Quòd ſit Eſſentia, ſed vt determinata relatione perſonali.

A n. 7. Potentia vel eſt logica, ſeu poſſibilitas

Digitized by Google

obiectiua, vel ſubiectiua ſeu paſſiua, vel actiua ſeu productiua: eaque vel fundamentalis, remota aut proxima, vel formalis ſeu relatiua ad producibile, vel ipsâ relatione abſtractâ à ſuo fundamento. Quæſtio eſt de ſola potentia actiua, & productiua fundamentali.

A n. 9. Hæc potentia fundamentalis non eſt relatiua ſeu relatio, ſed abſoluta. Vt *d.* 2. *q.* 3. 1. Quia ſic non differret modus generandi à modo ſpirādi. 2. Quia potentia generandi eſſet ipſa generatio. 3. Quia ſic Paternitas eſſet perfectior Filiatione. 4. Potentia generandi in Deo eſt perfectiſſima, ergo abſoluta. 5. Terminus eius eſt abſolutus, ergo & ipſa, &c. 6. Quia eſt vniuoca: nec æquiuocatur per differentias perſonales inter Patrem & Filium, vt nec per indiuiduales inter homines. *à n.* 11. *ad* 13.

A n. 13. Ad varias inſtantias contra vniuocationem generationis Diuinæ. Paternitas & Filiatio differunt quidem quaſi ſpecie relationum incompoſſibilium: ſed non propriè ſpecie ſeu natura, cui identificantur, &c.

A n. 17. *Ad quæſt.* Potentia generandi connotat actum vt egredientem ab eodem ſuppoſito cui tribuitur potentia: vt & ſcientia & voluntas generandi, & ſcire aut velle generare. Quia hæc eſt vis huius conſtructionis cum gerundiuo, &c.

Ad 1. *Arg. princ. à n.* 1. ex *Aug.* 5. *Trin.* 6. Eo Pater, quo eſt & Filius .i. Eo formaliter, non principiatiuè. *Ad* 2. Forma communis non eſt æquè in omnibus generatiua. *Ad* 3. Nec omne medium eſt eiuſdem generis cum extremis: nec potentia, ſed generatio eſt media inter generans & genitum. *Ad* 4. Potentia generandi in Deo, non eſt quaſi obiectiua ad ſeipſam actu.

Ad 1. *à. n.* 2. Eſſentia non eſt potentia propinqua generandi, niſi vt in Perſona conueniente generationi. *Ad* 2. Relatio Principii *Quod*, eſt realis: non Principij *Quo*, in Deo; ſed inter cauſas & effectus. *Ad* 3. Forma aſſimilatiua, non eſt ens rationis. *Ad* 4. Quod eſt Patri, non eſt Filio potentia generandi. *Ad.* 5. Diſtinguere eſt communiùs, ſed non perfectiùs, quàm aſſimilari, &c. An anima vt ſenſitiua ſit generatiua, &c. *in.* 2. *d.* 18.

In DIST. 8. *QVÆSTIO.* 1.

An Deus ſit ſummè Simplex?

Reſp. n. 2. ex *Aug.* 6. *Trin.* 6. Deus eſt verè & ſummè ſimplex, abſque omni compoſitione ex materia & forma, ex partibus quantis, vel ex ſubiecto & accidente. 1. Quia eſt Cauſa Prima: ergo nec ex materia & forma, nec ab vlla cauſa componente hanc cum illa. 2. *n.* 3. Quia Deus eſt infinitæ potentiæ: ergo non poteſt extendi aut coextendi vlla quantitate; quia hæc poteſt ſemper augeri, ſicque & potentia Dei poſſet eſſe maior, & minor. Ex *Ariſt.* 8. *Phyſ. & 12. Met.* ac alibi. 3. *n.* 4. Quia nec eſt materialis, nec quantus: ergo nec capax vllius accidentis materialis; ſed nec ſpiritualis, ex *d.* 2. *q.* 1. ſupra. 4. Generaliter. *n.* 5. Ex neceſſitate eſſendi, & vltima actualitate: quæ non poteſt componere nec componi cum vlla poſſibilitate, aut alia neceſſitate eſſendi. 5. generaliter. Ex infinitate prorſus incomponibili: quia inde fieret aliquid maius, vel perfectius.

Ad 1. *Arg. n.* 1. *Reſp. à n.* 6. Simplicitas abſque compoſitione, & componibilitate, eſt perfectionis ſimpliciter: nec tamen ſimpliciora ſunt perfectiora compoſitis, ſi hæc ſint actualiora; quia actualitas eſt perfectior ſimplicitate ei repugnante. Nec obſtat quòd vtraque ſit perfectio ſimpliciter, quæ *melior eſt in quolibet, quàm non ipſa,* ex *Anſ.* 15. *Monol.* Quia eſt melior in quolibet ſuppoſito præcisè: (non autem talis, aut talis naturæ repugnantis:) quolibet ei oppoſito poſitiuè, non ſolùm negatiuè. Nec ſunt omnes æquales, niſi ſint in ſummo, ſeu infinitæ. *Ad* 2. Dare eſſe formaliter, eſt alicuius perfectionis: ſed imperfectæ, limitatæ, & dependentis ſaltem à cauſa componente. Nec Verbum dat eſſe formaliter naturæ aſſumptæ. *Ad* 3. Sapientia noſtra accidentalis eſt diuerſa à ſubſtantiali Dei.

QVÆSTIO SECVNDA.

An aliqua creatura ſit ſimplex?

Reſp. n. 2. Quædam creatura eſt ſimplex, abſque compoſitione reali, ſeu ex partibus: quia ſaltem aliqua partium eſt ſimplex, aut daretur proceſſus in infinitum; ſed nulla creatura eſt tam perfectè ſimplex, quin ſit compoſita vel componibilis. 1. Secundùm rationem entis, ex aliqua perfectione entitatiua, & priuatione ſeu defectu totius perfectionis cuius ens eſt capax in ſe. 2. Ex aliquo actu ſeu re exiſtente, & potentia obiectiua, ſeu poſſibilitate alicuius perfectionis. 3. Eſt componibilis cum ſubiecto ſi ſit accidens, cum accidente ſi ſit ſubſtantia. Nulla enim poteſt eſſe tam perfecta creatura intellectualis, quæ non ſit capax alicuius volitionis & intellectionis accidentalis: quia ſi haberet eſſentialiter omnem ſuum actum, eſſet ex ſe beata ac infinita.

Hinc *Ad* 1. *Arg. Ad* 2. De compoſitione ex participante & participato. *Participare eſt partem capere: non vt componentem aut integrantem alicuius; ſed vt quoduis minus ſeu finitum reſpectu ſui maioris & infiniti, ſi ſit capax infinitatis. Porro importat relationem realem talis partis ad tale totum, & rationis inter capiens & captum, vt inter dans & datum. Sed pars tripliciter capitur.* 1. *Ita vt totum captum ſit pars capientis: vt ſpecies participat genus quoad partes eius eſſentiales, non ſubiectiuas.* 2. *Vt pars capti ſit pars capientis.* 3. *Vt pars capti ſit ipſum totum capiens. Duo primi modi poſſunt dici relationes reales: non tertius, quo omnis creatura eſt ens per participationem; quia participat tantùm finitè perfectiones ſimpliciter, ſeu capaces infinitatis; ſicque pro tota ſua perfectione capit & habet tantùm partem, ſeu infinitè minorem quàm in ſe ſit. Poſſet diſtingui ſuppoſitum capiens à natura capta: ſed nec ſic eſt diſtinctio realis.*

QVÆSTIO TERTIA.

An Deus ſit in genere?

Opin. 1. *Henr. à n.* 2. eſt negatiua: quaſi omnis conceptus vniuocus communis Deo & creaturis, eſſet contra Simplicitatem Dei. Contra quam *à n.* 4. *vt d.* 2. *q.* 1.

2. *A n.* 15. Eſt aliorum, affirmatiua.

3. *A n.* 16. Doctoris noſtri. *Teneo*, inquit, *opinionem meam mediam, quòd cum Simplicitate Dei ſtet conceptus communis ipſi & creaturæ: non tamen communis vt generis, ſeu genericè.* Prior pars probatur à *n.* 4. vt ſupra *d.* 3. *q.* 1. ſed hìc ſingulariter *n.* 9. ex *SS. Patribus, & Doctoribus, qui tribuunt*

Deo

Digitized by Google

Dei formaliter Intellectum, Voluntatem, Libertatem, Potentiam, Sapientiam, &c. abſolutè, ſed infinitè, &c. Quibus nec contradicit S. Dion. *in ſua Theol. myſt. ſeu negatiua ſupponens ſemper negationi conceptum aliquem poſitiuum ac eminentem. n.* 10. Ad inſtantiam quòd ſufficiat proportio inter conceptus de Deo & nobis: Reſp. quòd Deus poſſit cognoſci proportionaliter vt cauſa ex ſuis creaturis; ſed & ſimiliter ſub perfectionibus formalibus, infinitis in Deo, finitis in creaturis.

Altera pars huius opin. *n.* 16. probatur 1. Ex *Aug. 7. Trin.* 5. quòd *Deus abuſiuè ſubſtantia vocetur, vt ſubſit accidentibus.* Non quòd velit hanc eſſe propriam rationem ſubſtantiæ: ſed vt hæc eſt genus limitatum, & hinc capax accidentium. 2. Ex *Auic. 8. Metaph.* 4. Deus non eſt in genere, quia genus eſt pars. 3. Genus eſt potentia ad differentias: ergo eſt finitum, nec poteſt eſſe commune vel indifferens ad finitum & infinitum.

4. *n* 17. Conceptus communes Deo & creaturis non contrahuntur per differentias ab illis formaliter diſtinctas, quæ poſſint eſſe ſpecificæ: ſed per ſolos modos intrinſecos finiti & infiniti, qui non differunt formaliter à conceptibus communibus, ſed tantùm quaſi gradualiter. 5. Ex neceſſitate eſſendi, repugnante potentialitati generis ad ſuas differentias, *n.* 16. *&* 19. Porro quilibet conceptus formales Dei, & de Deo, ſunt traſcendentales: ſiue ſint ſolius Dei, ſiue communes cum creaturis; quia Ens priùs diuiditur in finitum & infinitum, quàm finitum in 10. genera.

A n. 20. Nõ rectè probari à *S. Thoma, p.* 1. *q.* 3. *a.* 5. Deum non eſſe ſub genere, ex continentia virtuali perfectionis omnium generum: quia & ſubſtantia finita continet omnes ſui & aliorum generum perfectiones. Nec probari *Deum* eſſe vel non eſſe in aliquo genere, ex poſſibili aut impoſſibili linea infinita, ſeu ex infinito ſecundũ quid: quia hoc eſſet adhuc potentiale; ſed ex ſolo infinito ſimpliciter. Nec eſſe contradictoria dari conceptus communes in *Quid*, de *Deo*, & creaturis: non tamen genericos, nec definitiones ex genere & differentia; quia *Ariſt.* 1. *Topic.* non recenſuit omnia prædicata in *Quid*, ſed tantùm problematica. 8. *autem Metaph.* 4. docet nil dici de Deo vt genus: & tamen veritatem eſſe, & dici de Deo & nobis vniuocè.

Ad 1. *Arg.* 1. *opin. Reſp. n.* 11. Nec Deus, nec creatura eſt præciſè aliqua negatio: ſed quædam poſitiua, quæ non ſunt, ſed poſſunt fundare contradictoria. *Ad* 2. Deus & creatura ſunt primò diuerſa in realitate, non in conceptibus &c. *Ad* 3. Vnitas attributionis omnium entium ad Deum, non eſt quidem v. ſic vniuoca: ſed nec excludit, imò includit vniuocationem attributorum, ſeu comparatorum inter ſe in eodem genere perfectionis. *Ad* 4. ex *S. Dion.* ſat ſupra. *Ad* 5. ex *Aug.* 8. *Trin.* 3. Vel loquitur de Bono communi ad omnia bona: vel de ſolo Bono per eſſentiam, vt participabili cauſaliter. Cum ſubdit: *Si poteſt per ſe illud noſſe.* i. vt ipſum eſt Bonum *per ſe.* Ad inſtantiam *n.* 14. Denominatiuum non eſt ita vniuocum, vt ratio ſubiecti ſit ratio prædicati: ſed vt ratio eius ſit in ſe vna, ſiue ſit ratio ſubiecti, ſiue denominet ſubiectum, ſiue de eo dicatur per accidens.

Ad 1. *Arg.* 2. *opin. n.* 24. Damaſc. *cap.* 8. *Elementarij* explicat ſe, quòd ſubſtantia quæ continet ſuperſubſtantialiter Deitatem &c. ſit genus generaliſſimum. *Ad* 2. Nec *Boetius*, nec *Aug.* tribuunt Deo vllum genus: ſed modum prædicandi ſubſtantialem & relatiuum in Deo. *Ad* 3. Prima ſubſtantia perfectione, non genere, eſt menſura omniũ. *Ad* 4. Subſtãtia cõmunis increatæ, non eſt generica: ſed eſt ens in ſe, nõ in alio. *Ad* 5. Quæ ſũt ſub genere, non componuntur ex re & re: ſed ex realitate potentiali, ſeu perfectibili ab altera.

Ad 1. *Arg. Princ. à n.* 1. Conceptus entis in *Quid* de Deo & creaturis, contrahitur per *Quales*: ſed nec ille eſt genericus, quia non potentialis; nec hi ſunt differentiales, ſed modi intrinſeci, non tamen ſimpliciter ſimplices. Nec ille eſt finitus nec infinitus poſitiuè: nec hi ſunt illi adæquati, ſed ille ſine his abſtractiuè concipi poteſt. Nec indiuiduum entis in Deo eſt potentiale ad indiuiduum Entis infiniti: vt ſunt indiuidua generum, ad indiuidua Specierum; quia illud eſt ex ſe hoc, & ex ſe infinitum, non autem tantum capax illorum.

Ad Damaſc. Vocat naturam diuinã quaſi ſpeciẽ: ſed *Aug.* 7. *Trin.* 4. negat ſpeciem, vt & genus. Nam ſpecies prædicatur de pluribus, ita vt in illis plurificetur, ſitque potentialis ad indiuidua. *Ad vlt.* Sapientia communis Deo & nobis, eſt tranſcendens: nec in nobis videtur eſſe indiuiduum generis, ſed tranſcendentis, vt & omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices.

QVÆSTIO QVARTA.

An detur in Deo diſtinctio perfectionum eſſentialium, aliquo modo prior omni actu intellectus?

A n. 2. Opinio *S. Thomæ.* 1. *p. q.* 28. *& alibi* quòd cum Simplicitate Dei non ſtet vlla diſtinctio niſi rationis: ex reſpectu, non tam cauſæ quàm formæ ſeu perfectioni, ad Creaturas vt variè participantes vel imitantes eandem perfectionem Dei, vt variè participabilem & imitabilem ab illis; vel potentialis, ad illam actualem rationis, vel virtualis, ſeu ex ſua eminentia & virtuali ac exemplari continentia omnium perfectionium differentium in creaturis. *A n.* 6. Contra illam, & pro opinione propria, vt infra.

A n. 9. Opinio *Henrici*, non eſſe vllam diſtinctionem in Eſſentia Dei vt eſt, nec vt obiectum motiuum ſimplicis intelligentiæ: niſi quaſi in potentia ad diſtinctionem rationis, ex reflexione ad eam vt veritatem intelligibilem, intellectiuam, intellectam, & ſic de omnibus attributis pertinentibus ad intellectum & voluntatem, vt ordinantur ad origines perſonarum. *A. n.* 11. Contra.

A n. 17. Opinio propria. *Ad Quæſt. Reſp. Inter perfectiones eſſentiales non eſt tantùm differentia rationis .i. diuerſorum modorum concipiendi idem obiectũ formale: qualis eſt inter Sapiens & Sapientiam; ſed maior inter Sapientiam & Veritatem. Nec eſt ibi tantùm diſtinctio obiectorum formalium in intellectu: quia illa non eſt in cognitione intuitiua, niſi ſit in ipſo obiecto ſic cognito &c. Eſt ergo hæc diſtinctio præcedens intellectum omni modo: quòd Sapientia & Bonitas eſt in re ex natura rei; nec hæc eſt illa formaliter, vt infinita, quia infinitas non tollit diſtinctionem formalem, &*

diſtinctas definitiones earum in communi &c. Eſt ergo aliqua nō identitas formalis Sapientiæ & Bonitatis, ſufficiens ad diſtinctas definitiones ſi eſſent definibiles &c. Et intelligo ſic: quòd intellectus componens hanc, Sapientia non eſt formaliter Bonitas, non cauſat actu ſuo eius veritatem, ſed in obiecto inuenit extrema ex quibus fit actus verus. Hoc de non identitate formali dixerunt antiqui Doctores, ponentes in diuinis prædicationem veram per identitatem, quæ tamen non eſſet formalis.

Confirmatur 1. ex *Damaſc. l. 1. c. 4. & 9.* De pelago Eſſentiæ Diuinæ, & Attributis circumſtantibus. 2. Ex *Aug.* 8. *Trin.* 2. Vbi probat vnum Attri. ex alio: vt & omnes Doctores *implent inde tot quinternos, &c. l. 3. Contra Max. c.* 10. De ſimplicitate Dei cum diſtinctione Attributorum. 15. *Trin.* 3. & 5. De æqualitate Attributorum. 3. ex *S. Hyl.* 12. *Trin.* 5. De his vt æternis, & à Patre Filio communicatis. 4. Ex diſtinctione inter eſſentiam & proprietates, *diſt. 2. q. vlt.* imo inter Innaſcibilitatem & Paternitatem in Patre.

5. Ex varijs rationibus contra 1. *opin.* à *n.* 6. 1. Ex omni perfectiōe Dei ſimpliciter, & abſolutè ab omni dependentiâ & reſpectu ad creaturas. 2. Nec Eſſentia nec Attributa ſunt Ideæ Creaturarum, vt hæ ſunt perfectiones formales, ſed quidditates limitatæ: ergo illa non diſtinguuntur hoc reſpectu. 3. Ex diſtinctione Attributorum, vt fundamentali diſtinctæ Originis perſonalis in Deo. 4. Ex cognitione diuina propriarum perfectionum diſtinctè, abſque vllo reſpectu ad extra. 5. Ex Viſione ac fruitione beatifica etiam ipſius Dei: ad quos actus omnia Attributa referuntur.

6. Ex rationibus additis à *n.* 13. contra 2. Opin. 1. Quælibet perfectio ſimpliciter eſt in Deo ex natura rei, vt exiſtit ſimpliciter: non autem tantùm ſecundùm quid, in eſſe cognito; alioquin nec participaretur realiter. 2. Relationes illæ rationis ex collatione intellectus, non ſunt formaliter perfectiones. 3. Deus nil cognoſcit in ſe niſi intuitiuè: ergo nil niſi vt verè exiſtens. 4. Non poſſemus habere vllum verum conceptum de Deo, niſi verè eſſent obiectiuè in Deo. 5. Si prima diſtinctiua perfectionum diuinarum ſint intellectus & voluntas: priùs ſunt ex ſe diſtincta, quàm diſtinguant.

Ad 1. Dubium à *n.* 22. Attributa non ſunt formæ informantes eſſentiam: ſed perfectiones eius identicæ, quibus formaliter ſeu præciſè eſt ſic & ſic perfecta. *Ad* 2. ex *Aug.* 7. *Trin.* 1. Deus *Eo* magnus *Quo* Deus. *c.* 2. Non *eo* Verbum *quo* Sapientia: Sapientia verò *eo quo* Eſſentia. 1. Quia Sapientia & magnitudo ſunt perfectiones coeſſentiales, non perſonales. 2. Illæ ſunt eædem Deitati in quauis perſona, non hæ. 3. Illæ identificantur mutuâ infinitate: hæ ſola infinitate Eſſentiæ. *Ad* 3. Quælibet perfectio Dei eſt infinita: ideoque alijs identica realiter, ſed non formaliter.

Ad 1. *Arg. Princ.* à *n.* 1. ex *Aug.* 5. *Trin.* 5. In creatura, Sapientia & Iuſtitia ſunt duæ qualitates: in Deo, quæ Iuſtitia, ipſa eſt & Bonitas &c. i. per identitatem, non formaliter. Sed in creaturis abſtracta ad aliquo tertio in quo ſolo identificantur, non poſſunt verificari formaliter, nec identicè: in Deo autem poſſunt identicè, quia non poſſunt abſtrahi à ſua propria infinitate, qua identificantur. Hinc nec abſtracta relatiua eiuſdem perſonæ, inter ſe prædicantur identicè: quia ſunt abſtracta ab eſſentia in qua identificantur, nec habent formaliter propriam infinitatem qua identificentur. Hinc etiam omnia eſſentialia magis reducuntur ad eundem modum prædicandi inter ſe, quàm perſonalia cum eis.

QVÆSTIO QVINTA.

An ſolus Deus ſit immutabilis?

Reſp. n. 2. Deus eſt immutabilis. 1. *Tim. vlt.* Solus habet immortalitatem .i. ex *Aug.* 1. *Trin.* 1. & *l.* 7. *c.* 6. Immutabilitatem. 2. Ex *Ariſt.* 7. & 8. *phyſ.* procedendo per mobilia & mouentia, vſque ad primum mouens ſimpliciter immobile. 3. Ex Infinitate, ſimplicitate, neceſſitate eſſendi, repugnantibus omni mutationi ſubſtantiali, & accidentali.

A n. 3. *ad* 22. Longa contentio cum *Henr.* de mente *Ariſt.* & *Auic.* circa neceſſitatem cauſæ Primæ in agendo, & aliquorum eius effectuum neceſſariorum, aut non: terminata, *n.* 8. in hunc modeſtum ſenſum. *De intentione illorum neſcio: ſed nolo eis imponere abſurdiora quàm dicant, vel inde neceſſariò ſequatur &c. Reſp. igitur quòd poſuerunt Deū ſe neceſſariò habere ad aliqua extra ſe &c. Ex quo non videtur Ariſt. ſibi contradicere ponendo cauſatum aliquod neceſſarium, 5. Met. ſed Auic. ſibi contradicit ponēdo hoc poſſibile: niſi obiectiuè ad eſſe, non ad nō eſſe.*

A n. 13. *Contra.* 1. Agens naturale non agit niſi ad perfectionem ſuam, vel ſibi ſimilis: ergo Deus nil agit naturaliter extra ſe. 2. Voluntas Dei non ordinatur neceſſariò ad aliud à ſe: ergo non vult ſua volibilia ad eſſe ſimpliciter, vt intellectus ſua intelligibia reducit ad eſſe cognitum. 3. *n.* 17. Deus eſt ens ſummè neceſſarium & ſufficiens ex ſe: ergo poteſt exiſtere ſine vllo alio. 4. *n.* 19. Si Deus neceſſariò ageret, omnia neceſſariò agerentur. 5. Nihil mali fieret. 6. *n.* 20. Solus omnia ageret: imò nil niſi vnicum, perfectiſſimum, & in inſtanti: quia tota ſimul ac infinita actiuitate.

A n. 22. Nil aliud à Deo eſt immutabile ſubſtantialiter, nec ſubiectiuè ſeu accidentaliter: niſi fortè accidentia vltima & imperfectiſſima, incapacia recipiendi vllam perfectionem, vt relationes, &c. Quia nil aliud eſt neceſſarium, nec tam perfectū quin ſit adhuc perfectibile, & defectibile.

A n. 23. Ad 1. Arg. *n.* 1. *Reſp.* à *n.* 23. Vt volitio noſtra continuata eſt efficax quando vult: ſic voluntas Dei æterna. Nec hæc expectat tempus, vt noſtra: quia non dependet à tempore. Nec eſt indeterminata paſſiuè, ſed actiuè: non tantùm ad diſparata, ſed etiam ad contradictoria, determinans ſe ad quodlibet, vt cauſa prima totiùs contingentiæ, abſque vlla ſui ipſius contingentia aut mutabilitate.

A n. 25. *Ad* 1. *Arg.* Pro Philoſ. *n.* 12. Neceſſitas poſſibilis eſt perfectior contingentia: ſed eſt impoſſibilis neceſſitas Cauſæ primæ ad extra. *Ad* 2. Cauſalitas Dei libera, non aufert ſed dat perfectionem poſſibilem cauſatis. *Ad vlt.* Nulla eſt cauſa 2. neceſſaria ſimpliciter in cauſando, ſed tantùm ſecundùm quid: quia dependet à cauſalitate contingenti, Primæ.

In

Digitized by Google

In DIST. 9. QVÆST. VNICA.
An generatio Filij in Diuinis ſit æterna? Al. q. 42. S. Bon. d. 9.

A n. 9. Ad quæſtionem dico quòd ſic. 1. Quia Generatio nō eſt ibi ſub ratione mutationis, ex *diſt.* 5. *q.* 2. ideo non habet eſſe poſt non eſſe; ſed ſub ſola ratione productionis in eſſe ſubſtantiæ, per modum naturæ. 2. Quia eſt à Patre æterno, naturaliter, & independenter: ergo coæterna. 3. Ex *Aug.* 6. *Trin.* 1. Quia ſi ignis eſſet æternus, haberet ſplendorem coæuum. 4. Ex diſcretione perfectionis generandi, ab omnibus imperfectionibus generantium ſucceſſiua, permanentia, vel inſtantanea.

A n. 4. *Ad* 1. *Arg. n.* 1. Principium durationis, ſonat initium: ideò non rectè dicitur de Deo Patre ad filium. *Ad* 2. Non eſt imperfectionis in Verbo, dici mentaliter: ſed præcogitari. *Ad* 3. Verba omnium temporum dicuntur de Deo: ad conſignificandum nunc æternitatis vt coexiſtens omni tempori &c.

IN DIST. 10. QVÆSTIO VNICA.
An Spiritus S. producatur per modum voluntatis? Al. q. 43. S. Bon. d. 10.

A n. 2. Ad Quæſt. dico quòd ſic. Quia in Deo eſt voluntas Beata, & Infinita: non tantùm vt operatiua, ſed & productiua, habens Bonum infinitum vt obiectum præſentiſſimum & perfectiſſimè cognitum: ex *diſt.* 2. *q.* 1. 2. 4. *diſt.* 8. *q.* 4. Ergò non tantùm illud amat infinitè: ſed & producit amorem adæquatum voluntati & obiecto; ſicque infinitum, ſubſiſtentē, ac eiuſdem eſſentiæ diuinæ.

A n. 3. Dubium 1. Cur voluntas *Dei* communicet naturam, non noſtra? 2. Cur neceſſariò? 3. Cur non naturaliter? Relatò & refutato deſuper *Henr.* vſque ad *n.* 8. *Ad* 1. Quia voluntas Dei eſt infinita, non noſtra *Ad* 2. *n.* 9. A poſteriori: quia amor productus poteſt eſſe ens neceſſarium: ergo neceſſariò producitur. A priori: non ex diſtinctione voluntatis vt natura eſt circa finem, ab ea vt eſt libera circa media: quia eiuſdem potentiæ non poſſunt eſſe duo tam oppoſiti modi operandi; ſed ex neceſſaria conformitate actuali & adæquata inter obiectum infinitum & voluntatem infinitam, vt illud eſt neceſſariò amandum ab hac, & hæc eſt neceſſariò amans illud.

Ad 3. *n.* 13. Non vt *Henr.* quia natura agit per impreſſionem, non voluntas. Quod hîc ſupponit ſat refutatum *diſt.* 2. *q.* 4. & inde reſponſum ac reſpondendum *diſt.* 13. *q.* 1. per diſtinctionem inter generationem naturalem filij, & proceſſionem liberam quamuis neceſſariam Spiritus. S.

A n. 13. *Ad. Arg. princ.* Spiritus S. non procedit formaliter per aſſimilationē. *Ad* 2. vt *diſt.* 2. *q.* 4. *Ad* 3. Præter actionem in ſe, vel factionem in alio, datur productio extra omne ſubiectum. *Ad* 3. Obiectum eſt præcognoſcendum ad amandum, non autem ipſe amor. Vel, Spiritus S. prius origine cognoſcitur intuitiuè in ipſa eſſentia, quàm vt ſpiratus.

IN DIST. 11. QVÆST. 1.
An Spiritus S. procedat à Patre & Filio? Al. q. 43. S. Bon. hic

A n. 2. *Dicuntur Græci diſcordare à Latinis, quòd non à Filio, ſed per Filium. Sed ſi fortè duo Sapientes, vnus Græcus alter Latinus, vterque verus amator veritatis, non propriæ dictionis, de hoc diſquirerent: pateret tandem contrarietatem non eſſe veraciter realem, ſicut eſt vocalis &c. Alioquin vel ipſi, vel nos ſumus verè hæretici. Sed quis audeat Damaſc. SS. Baſilium, Greg. Cyrill. arguere hæreſeos? Quis SS. Hier. Aug. Ambr. Hil. &c? Quicquid ſit, ex quo Eccleſia Cathol. declarauit hoc eſſe tenendum de ſubſtantia Fidei, Cap. Firmiter, De ſumma Trin. ex ſymb. Nycæno & Athan. tenendum eſt quòd procedat ab vtroq́;.* Quia priùs ordine operandi & producendi per intellectum quam per voluntatem, non autem ordine obiecti præſentis, Filius generatur à Patre eiuſdem naturæ & voluntatis fœcundæ, quàm Spiritus S. Spiretur: Ergo ſpiratur à Patre & Filio eadem ſpiratione, per voluntatē æquè fœcundā in vtroque.

Ad 1. Poſſet *Damaſc.* exponi quòd voluntas ſit à Patre in filium, non autem ipſe Spiritus S. *Ad* 2. Deſcenſus Chriſti ad inferos, & multa de Sacramētis ſunt de Fide, quæ non ſunt ſcripta ſed Tradita. *Ad* 3. Verbum noſtrum non producit dilectionem: quia non eſt eiuſdem naturæ & voluntatis cum mente noſtra, vt eſt verbum Dei. *Ad* 4. Spiratio paſſiua non poteſt eſſe niſi vnius Perſonæ: ſed actiua, eſt duarum.

QVÆSTIO SECVNDA,
An ſi Spiritus S. non procederet à Filio, poſſet ab eo diſtingui realiter? Al. q. 70. m. 3. S. Bon. d. 11. q. 2.

A n. 2. Hæc Quæſt. mouetur ad inquirendum an Filiatio, vel ſpiratio actiua diſtinguat filium à Spiritu S. nec eſt tam æuidens quin poſſit fieri euidentior. *Aug.* 5. *Trin.* 6. & alij mouent ſimiles.

A n. 5. Negat *S. Thomas.* 1. Quia relatio non diſtinguit niſi à ſuo oppoſito. 2. Alioquin generatio & ſpiratio actiua diſtinguerent perſonā Patris.

A n. 6. *Contra.* 1. Perſona filij conſtituitur filiatione: Ergo & hac differt realiter in ratione Perſonæ, à quauis alia. Hinc ſi Pater non ſpiraret: differret realiter ſolâ Paternitate à Spiritu S. 2. Non poteſt idem generari & ſpirari: ergo hoc ſufficit ad diſtinctionem realem. *Concedo*, ait Scotus: vt patebit *diſt.* 12. & 16. Sed hîc *n.* 1. præcipuè ex *Aug.* 5. *Trin.* 14. Spiritus S. non eſt Filius: *quia exit non quomodò natus, ſed quomodò datus.*

A n. 9. *Ad* 1. *Princ.* ex Boetio. *Relatio multiplicat Trinitatem.* Non tantùm diſtinguendo ab oppoſita, ſed etiam à diſparata incompoſſibili, ex alio modo recipiendi ac habendi naturam. *Ad* 2. ex *Aug.* 2. *Ciu.* 20. Quæuis Perſona eſt quod habet eſſentialiter: non quod habet correlatiuè. Sed ſi Spiritus S. non eſſet à Filio, non ideo eum haberet eſſentialiter.

Ad 1. Pro 2. opin. *n.* 5. Relatio vt diſtinguit realiter à quauis incompoſſibili, non tranſit formaliter in Eſſentiam. *Ad* 2. Non eſt tanta diſtinctio duplicis productionis totalis actiuæ, quàm paſſiuæ. Vt *diſt.* 2. *q.* 2.

IN DIST. 12. QVÆSTIO 1.
An Pater & filius ſpirent Spiritum S. vt vnū principiū, vel vt duo? Al. q. 70. S. Bon. hic q. 2.

A n. 2. Planum eſt quòd vt vnum. Ex *Conc. Lugdun. ſub Greg.* 10. & *ex diſt.* 11. *q.* 1. Sed an ſpirent eadem voluntate vt vnâ, vel vt concordi?

A n. 3. Opinatur *Henr.* quòd vt concordi, amore

Digitized by Google

re mutuo. Ex *Richardo* 3. *Triu.*

A n. 5. Contra. 1. Quia Spirant vt ſunt eiuſdem liberæ voluntatis productiuæ, ex Obiecto infinitè amabili: ergo non vt volentes & amantes voluntate concordi, quæ vt in actu 2. non eſt vlterius libera. 2. Voluntas eſt æquè perfecta ad ſpirandum, in vna Perſona Diuina ac in vtraque: ergo vt vna, non vt concors. 3. Relatio non poteſt eſſe ratio ſpirandi. 4. Quia ſpirarent partialiter. 5. Ex *Aug.* 4. *Trin.* 20. & 5. *Trin.* 14. 6. Ex ipſa ratione *Richardi:* Quia ſi amor mutuus eſſet iucũdior, Deus Pater non eſſet obiectiuè beatus in ſe, ſed in Filio, quod eſt hæreticum. Sed non eſt iucundior, niſi vbi obiectum eſt inde amabilius, ſi & hoc notum ſit: Eſſentiâ autem Diuinâ vt cognitâ nil amabilius; nec notitia redamationis poteſt eſſe Deo maior ratio amandi.

A n. 11. *Concedo quòd ſpirent Spiritum S. voluntate vt in eis vna: prius ordine originis quàm habeat ſuum terminum adæquatum, &c. ſed propter verba* Richardi *voluntas poteſt dici concors in eodem actu primo ad ſecundum:* nec eſt proximè fœcunda ad ſpirandum niſi vt communicata Filio per generationem priorem ſpiratione. Sicque poteſt intelligi Spiritus S. ſpirari mutua dilectione .i. voluntate mutuò dilectiua. De *Aug. diſt.* 32.

A n. 13. *Difficultas Grammaticalis: An Pater & Filius poſſint dici vnus Spirator, vel duo Spiratores? Quia vis eſt in nomine, non multum immoror, &c.* Spirator, ſignificat vim ſpirandi vt in Suppoſito: & quia hæc eſt vna in vtroque, non numeratur; nec ſunt duo Spiratores, ſed duo Spirantes. Quia illud eſt nomen ſubſtantiuum, ſignificans formam quaſi abſolutè, vel independenter: ideoque terminat dependentiam ſui adiectiui; ſed hoc eſt adiectiuum, ſignificans ſuam formam vt adiacentem ſuppoſito, ideoque cum ſuo etiam adiectiuo numerali terminatur ad aliquod nomen ſubſtantiuũ ſui ſuppoſiti, expreſſum vel ſubauditum; vt duo Spirantes .i. duo aliqui, ſeu duæ perſonæ, vel ſunt vnus .i. vnus quis. Nec vt ad Spirãtem ſequitur Spirator: ſic ad plures Spirantes plures Spiratores; quia hæc eſt fallacia conſequentis, à diſtinctione antecedentis ad diſtinctionem conſequentis.

A n. 15. *Ad* 1. *Arg. princ.* ex *Aug.* 6. *Trin.* 5. Spiritus S. eſt vnio Patris & Filij .i. vniuntur in eo, ſpirando. *Ad* 2. Actio non eſt ſuppoſiti vt incommunicabilis, ſed etiam communis: vt Spiratio Spiratoris. Vel, Actio eſt Suppoſiti, vltima denominatione à forma qua agit: ſed ſi plura agant eâdem formâ, non agunt, nec denominantùr niſi vnâ actione. Nec tamen ſi idem agat pluribus formis & actionibus, erunt plura agentia: quia ad hoc requiruntur etiam plura ſuppoſita. *Ad* 3. Spirant vt vnum in vi ſpiratiua.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Pater & Filius ſpirent vniformiter Spiritum S.

A n. 2. Pater ſpirat à ſe: vt prior origine, non vt priùs origine ſpirans, quàm Filius; ſed vt habens ex ſeipſo vim ſpirandi. Filius non ſic ſpirat à ſe: ſed vt habens vim ſpirandi à Patre; ſpirant tamen vnâ eâdemque vi ſpirandi ac ſpiratione. Hinc *ad* 1. *Arg.* ex *Aug.* 15. *Trin*, 17. Spiritus S. procedit principaliter à Patre. *Dicit quidam Doctor* .i. Al. & S. Bon. hic q. 2. *Quòd Pater principaliùs ſpiret, Filius principaliter reſpectu Spiritus S. Alius contradicit, quòd non ſit hîc comparatio &c.*] Inter quos Scotus nil decidit. *Ad* 2. ex *Hier. Epiſt.* 83. Spiritus S. propriè à Patre, per Filium n. 1. Ab illo vt à ſe: non vt ab hoc impropriè. *Ad* 3. ex *S. Hyl.* A Patre per Filium .i. vt habentem vim eandem à Patre, non vt per vim ipſam Patris. *Ad* 4. ex *Rich.* A Patre *mediatè & immediatè*, à Filio nonniſi *immediatè*: eodem ſenſu.

In DIST. 13. QVÆSTIO VNICA.

An Spiritus S. ſit genitus: ſeu, An eius productio ſit generatio

1. Via *n.* 2. Has productiones diſtingui ſuis terminis formalibus, vel totalibus. *Contra.* Non ſunt inde: ergo nec inde diſtinguuntur.

2. Via *S. Thomæ n.* 3. diſtingui, quòd vna ſit ab vnica Perſona, alia à duobus. *Contra.* Vis agendi non variatur ex ſuppoſitis: ſicque procederetur in infinitum.

3. Via *Goff. n.* 4. diſtingui quòd Spiratio actiua ſtet cum generatione actiua in Patre, & paſſiua in Filio: generatio paſſiua non ſtet cum ſua actiua. *Contra.* Hoc ſupponit priorem aliquam diſtinctionem inter Generationem & Spirationem.

4. Via etiam S. Thomæ. *n.* 6. Diſtingui quia vna eſt prior altera. *Contra.* Cur hæc eſt prior illa?

5. Via *Henr.* ibidem: diſtingui vi generatiua & ſpiratiua, vt ſuis principijs formalibus, & relatiuis. *Contra.* Nec hæc ſunt relatiua, vt ſupra: ſuntque minùs diſtincta quã illæ productiones paſſiuæ.

6. Via eiuſdem à *n.* 7. diſtingui ex natura & voluntate, vt principijs ſolâ ratione diſtinctis. *Contra.* Hæc ſola diſtinctio rationis nõ poteſt ſufficere aut requiri ad illam diſtinctionem realem.

7. Via à *n.* 11. diſtingui & diſtinctè procedere ab eſſentia infinita, eas vt & ſua attributa immediatè ac virtualiter continente. *Contra* 1. Libertas non eſt ab ipſo actu, ſed à principio vt libero: ergo neutra productio eſſet libera. 2. Si Eſſentia vt infinita habet duas productiones: ergo & Intellectus & Voluntas infinita habet ſuas; nec poteſt intellectus eſſe diſtinctus ratione priore ſe. 3. Deus eſt Beatus Intellectu & Voluntate: ergo non ſunt relationes rationis. 4. Sic Intellectus & Voluntas non eſſent perfectiones ſimpliciter. 5. Intellectus Dei ex ſe & obiecto eſt formaliter infinitus, quamuis radicaliter ex eſſentia: ergo eſt in Deo ex rei natura, non ex ſola ratione. 6. *Ad Arg.* Idem Infinitum poteſt eſſe principium diſtinctorum: niſi hæc prærequirant diſtinctionem ſuorũ principiorum. Hinc attributa poſſunt eſſe obiectiuè ex Eſſentia vt indiſtinctâ: ſed nil ab ea vt ſic produci naturaliter & liberè.

A n. 18. Ad Quæſt. *Reſp.* Hæ productiones nonniſi ſeipſis & ſe totis formaliter diſtinguuntur, &c. Ex *Aug.* 5. *Trin.* 9. & 14. Spiritus S. non eſt Filius: quia exit quomodò datus, non quomodò natus. *l.* 15. *c.* 27. & vbiq; diſtinguit Perſonas ex ipſis productionibus, vt primò diſtinctis ac diſtinctiuis. Nec obſtat quòd non ſint à ſe: nam vt differentiæ ſpecificæ non ſunt nec diſtinguuntur à ſe effectiuè, ſed formaliter: ſic nec illæ.

A n. 20. *Ad* 1. *Arg. princ.* Si naturalitas eſſet

ex

Digitized by Google

ex inclinatiom: Eſſentiæ vt principij paſſiui, Spiritus S. procederet æquè naturaliter ac Filius, ex æqua inclinatione eſſentiæ; ſed naturalitas eſt ex principio productiuo & generatiuo in Deo abſque vlla mutatione. Vel, Hæc eſt generatio perfecta viuentis ex viuente, ex inclinatione naturali ipſius principij. *Ad* 2. Ex vniuocatione harum productionũ in vno tertio illimitato, non ſequitur earum vniuocatio inter ſe: Vt nec ex plurium præſentia cum Deo, ſequitur eorum præſentia inter ſe. *Contra.* 1. Ergo nec termini earum erunt vniuoci. *Reſp.* Termini ſeu Perſonæ productæ ſunt vniuocæ, ab eodem termino formali ſeu eſſentia: non ſic productiones relatiuæ, quæ includuntur in Perſonis, ſed non includunt Eſſentiam. *Contra.* 2. Intellectus & voluntas. prærequirunt diſtinctionem formalem obiectorum. *Reſp.* Quòd non: quia Eſſentia eſt primò beatificatiua vtriuſque: non autem vlla perfectio in ea radicata. *Contra* 3. Notitia genita per intellectum & Amor ſpiratus per voluntatem, ſunt alterius rationis inter ſe, & à ſuis principijs: ergo æquiuoca. *Reſp.* Poteſt dici quòd primò communicatur eadem eſſentia: ſed adæquatè generetur Notitia, & ſpiretur Amor. *Contra.* Hinc potiùs æquiuocatio. *Reſp.* Hæc non eſt niſi ex diuerſitate in ratione formali producendi, & eius termino formali: qui ſunt hîc idem.

IN DIST. 14. *ET* 15. *QVÆST. VNICA.*

An quælibet Perſona mittat & mittatur?

1. Opinio Magiſtri, *à n.* 2. ex *Aug.* 2. *Trin.* 6. Quòd miſſio ſit manifeſtatio Perſonæ procedentis, per aliquem effectum temporalem: ideòque mittere ſit commune tribus Perſonis, mitti autem non ſit niſi Filij & Spiritus S.

2. Ex eodem *Aug.* 4. *Trin.* 20. Quòd miſſio ſit actio Perſonæ producentis, per ſuam productam: & productæ, per vim agendi acceptam à ſua producente; ſicque duas tantùm mittere, & duas mitti.

A n. 5. Vtraque eſt probabilis, ex *Aug.* in ſuo ſenſu &c. vt *Al. q.* 73. *S. Bon. hîc Art.* 1.

IN DIST. 16. *QVÆSTIO VNICA.*

An miſſio viſibilis conueniat Spiritui S?

Reſp. n. 2. Cùm Perſonam mitti, ſit eam manifeſtari procedere: miſſio viſibilis Spiritus S. eſt per ſignum ſenſibile conueniens ad manifeſtandam eius proceſſionem. De miſſione ſenſibili Filij, *lib.* 3.

Ad 1. *Arg.* Spiritus S. non vniuit ſibi ſua ſigna: vt filius ſuum corpus. *Ad* 2. Apparitio exterior fruſtra eſſet ſine aliqua interiori. *Ad* 3. Senſus non diſtrahunt intellectum circa idem: vt patet ex vſu ſacrarum imaginum.

IN DIST. 17. *QVÆSTIO* 1.

An neceſſe ſit ponere charitatem creatam, formaliter inhærentem naturæ beatificabili?

Quæſtio 2. *An habitus ſit principium actiuum actus?*

A n. 1. Pro & contra *Quæſt.* 2. De quibus ſub fine.

1. Opinio *Henr. à n.* 4. Quòd habitus acquiſitus tantùm expediat & facilitet potentiam ad ſuum actum: ſed infuſus, ſit cauſa totalis actus. *Contra.* 1. Sic habitus eſſet potentia. 2. Voluntas non plus operaretur per charitatem, quàm lignum per calorem. 3. Charitas extra ſubiectum operaretur. 4. Actus volũtati, ne vnquã peccaret. 6. Actus nõ eſſet noſter. à ſolo habitu non eſſet liber. 5. Charitas præualeret

2. *Goff. à n.* 6. Quod Actus ſit à potentia quoad ſubſtantiam, à quouis habitu quoad ſolam intenſionem. *Contra.* 1. Actus non poteſt eſſe à potentia niſi in aliquo gradu: & intenſio actus eſt tantùm aliquis eius gradus. 2. Actus ſemper produceretur æquè intenſus. 3. Voluntas perfectior poteſt actum æquè intenſum ſine habitu, ac imperfectior cum habitu. 4. Vt voluntas infinita poteſt actum infinitum, ſic quælibet ſuæ perfectioni cointenſum.

3. *n.* 8. Videtur Scoti hîc, & *d.* 3. 4. 7. *& in* 3. *d.* 37. Quòd potentia ſit cauſa totalis actus imperfecti ante habitum: ſed habitus ſit eius concauſa partialis, minùs tamen principalis, ad actum perfectiorem, quàm ſola potentia æquali conatu. 1. Ex *n.* 1. *&* 2. Quia habens vtitur habitu cùm vult: ergo actiuè, partialiter, & minùs principaliter. 2. Quia habens eum operatur delectabiliter, facilè, expeditè, promptè: ergo non ex ſola diſpoſitione paſſiua ſubiecti; ſed aliqua etiam actiuitate partiali. 3. Habitus inclinat potentiam, non vt paſſiuam, ſed actiuam: ergo coagendo &c. 4. ex *n.* 8. Potentia eſt ſuperior & illimitatior habitu, vt ſibi ſubordinato. 5. Voluntas vtitur liberè ſuis habitibus. 6. Habitus non eſt potentia: Ergo non eſt cauſa principalis actus. *Concedo* inquit *Scotus, ſi eſt cauſa Contra.* 1. ex *n.* 3. Habitus eſt relatio: ergo non actiuus. 2. Vnius actionis eſt vnum principium. 3. Accidens non eſt vis agendi in proprium ſubiectum. 4. Habitus ſunt etiam in potentijs non actiuis. 4. ex. *n.* 10. Actus eſt cauſa æquiuoca, & perfectior habitu: ergo non hic illius. 5. Actus & habitus ſunt effectus ſubordinati eiuſdem cauſæ. 6. Potentia cum actu quo producit habitum, tantum poſſet quantum ſine habitu. 7. Poſſet tam augeri habitus, vt ſufficeret ſine potentia, &c.

4. *à n.* 2. *Qui vellet, poſſet negare omnẽ actiuitatem habitus, & dicere quòd tantum inclinet ad operandum, vt actus prior conueniens & determinans ad ſecundum, vt grauitas ad vbi &c. Et videtur probabile: quia nulla videtur neceſſitas minuendi actiuitatem potentiæ, & tribuendi habitui: cum poſſit ſaluari delectatio, facilitas, & promptitudo operandi, ex ſola conuenientia obiecti, & inclinatione, ac diſpoſitione ſubiecti, &c.* Vt patebit *ad Arg. Quæſt.* 3.

QVÆSTIO TERTIA.

An habitus moralis, vt virtus, ſit aliquo modo principium actiuum bonitatis in actu?

A n. 1. Pro & contra. *A n.* 3. *Poteſt dici quòd vt pulchritudo non eſt qualitas abſoluta, ſed aggregatio omnium conuenientium tali corpori: ſic bonitas moralis actus eſt quidam decor eius, ſeu conuenientia ad ſuum obiectum, finem, modum, &c. ſecundùm rectam rationem. Ideoq;, vt reſpectus non propriè cauſatur: ſed neceſſariò ſequitur ad ſua extrema. Nec habitus aliter agit ad bonitatem, quàm ad ipſam ſubſtantiam actus, niſi conſequenter. Nec vt habitus eſt virtus, addit vltra ſubſtantiam habitus, niſi conformitatem habitualem ad dictamen rectæ rationis; ſed non eſt virtus niſi vt directa prudentiâ, &c. Hinc non eſt opus hac via.* 5. *De actiuitate habitus virtutis ad ſuum actum: ſed ſufficit tertia vel quarta.*

A n. 6. *Tenendo viam* 3. *&c.* Habitus eſt quaſi pondus Potentiæ motiuæ: ſed inſufficiens ad eam mouendum ſine motu eius proprio, &c. vt ſupra *q.* 2.

A

Digitized by Google

A n. 7. *Ad* 1. *Arg. contra hanc viam n.* 3. *q.* 2. Habitus eſt ad aliquid, 7. *Phyſ.* 17. identicè, non totaliter: nec eſt actiuus, vt relatiuus, ſed vt abſolutus. *Ad* 2. Vnius actionis eſt vnum principium, in eodem ordine: ſed plura ſubordinata. &c.

A n. 9. *Ad Arg. contra* 2. *viam q.* 2. *n.* 6. Non cauſatur intenſio actus diſtinctè ab ipſo gradu intenſo.

A n. 10. *Ad* 1. *Contra* 3. *Opin. q.* 2. *n.* 10. Duo diuerſæ ſpecie poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ æquiuocæ partiales. *Ad* 2. Cauſa cauſæ non eſt cauſa proxima cauſati. *Ad* 3. Cauſalitas habitus non poteſt ſupplere defectum potentiæ: quia eſt alterius rationis, &c.

A n. 11. *Ad* 1. *contra* 4. *Opin. q.* 2. *n.* 1. Poteſt eſſe vſus habitus, vt formæ prioris inclinantis ad poſteriorem, &c. *vt q.* 2. *à n.* 12.

A n. 12. *Ad* 1. pro 5. Opin. ſeu actiuitate habitus moralis ad actum, à *n.* 1. huius *q.* 3. Ratio & electio eſt recta ante habitum prudentiæ & virtutis moralis: & ante ac poſt habitum, actus eſt bonus ex conformitate ad actum rectæ rationis, non ad habitum ſine actu. Nec habitus ex natura ſua inclinat ad rectitudinem aut bonitatem: ſed vt eſt genitus ex actibus rectis & bonis. Nec habet ex natura ſua rationem completam virtutis moralis: ſed ex coexiſtentia & directione prudentiæ, vel prioris rationis rectæ. Sicque intelligendæ ſunt authoritates. *Ad* 2. Virtus moderatur paſſiones: non quaſi actiuè faciendo minores; ſed vel formaliter minuendo conuenientiam aut diſconuenientiam obiecti cum tali ſubiecto; vel inclinando ad cauenda obiecta immoderata. *Ad* 3. Poteſt quis operari iuſta & iuſtè ſine habitu, ſed non perfectè.

A n. 16. Ad Quæſt. 1. pro opinione negatiua.
A n. 18. pro affirmatiua.

A n. 21. *Ad ſolutionem tria ſunt videnda.* 1. *An ſit?* 2. *An neceſſariò?* 3. *An ex opinione Magiſtri?*

Ad 1. *Art. Reſp.* Non poteſt conſtare vlla experientia: quia qualibet poteſt eſſe naturaliter, ex ſola voluntate ſuiipſius potentiſſima, vel ex habitu acquiſito; ſed conſtat ex certa & credita acceptatione Dei ſpeciali, ſeu ordinatione actus & agentis ex charitate, ad beatitudinem æternam, ob aliquam ad hoc intrinſecam dignitatem talis *actus* & agentis, nonniſi ex intrinſeca forma ſeu habitu ſupernaturali Charitatis. Quæ ratio includit pleraſque à *n.* 18. 1. Ex vera & reali iuſtificatione intrinſeca ac permanente. 2. Ex vera & intrinſeca dignitate. 3. Ex gratificatione & acceptatione Dei, nonniſi per gratiam intrinſecam *ſubiecto*. 4. Ex merito noſtro, nonniſi per formam nobis intrinſecam. 5. Ex libertate noſtra merendi, &c. Porro perſona poteſt eſſe Deo grata ex ſolo decore ſpirituali illius habitus ſeu formæ: ſed non eius *actus*, niſi ſit ex aliqua inclinatione vel potiùs actiuitate illius habitus; quia non omnes *actus* talis perſonæ ſunt Deo grati.

A n. 24. *ad* 29. De principaliori cauſalitate voluntatis, ad ſubſtantiam, intenſionem, & moralitatem *actus*: ſed principaliori, gratiæ habitualis ſeu Charitatis, ad eſſe meritorium ſeu acceptabilem & dignum acceptatione Diuina; non tamen dignitate iuſtitiæ commutatiuæ, niſi completè ex ordinatione & promiſſione Dei gratuita. 1. Quia ex *B. Aug.* Gratia inſidet voluntati, vt eques equo: & voluntas eſt quaſi eius pediſſequa. 2. Ex *q.* 2. *ad* 3. *opin.* 3. Ex libertate Dei ad quidlibet extra ſe. *Contra.* Actio Dei non eſt de ratione meriti noſtri. *Reſp.* Relatio actus noſtri ad actionem ſeu acceptationem Dei, eſt de ratione meriti. *Contra.* 1. Ergo non eſt in poteſtate noſtra mereri. 2. Ergo mereri eſt potiùs Dei quàm noſtrū. *Ad* 1. *Actus qui eſt meritum, eſt in poteſtate mea, ſuppoſita influentia generali, ſi habeo vſum liberi arb. & gratiam: non completio eius in ratione meriti, niſi diſpoſitiuè; ſed infallibiliter, ex ordinatione Dei, vt ad organizationem ſequitur animatio. Ad* 2. Deus non meretur: quia non agit ex inclinatione gratiæ ad ſuum præmium: nec eius actio eſt de ipſo actu abſoluto merendi. *Contra.* Actus meretur acceptationem. *Reſp.* Actus ex ſe, ſeu ab intrinſeca bonitate, non eſt condignus tanto præmio, niſi ex acceptatione ſeu ordinatione Dei, æterna: quia Deus præmiat vltra condignum actus ex ſe, & fortè adhuc vltra communem ordinationem; ſed meretur acceptari, ſecundùm quid; vt attritus meretur de congruo iuſtificari. Hinc habitus gratiæ, vt eſt qualitas & relata ad rationem rectam, eſt cauſa minùs principalis actus quoad eius ſubſtantiam & bonitatem: ſed vt relata ad acceptationem Dei, eſt cauſa principalior acceptandi actum & Agens, quàm voluntas. Vt licet pater ſit cauſa principalior filij ſui: mater tamen poteſt eſſe cauſa principalior cur hic ſit alicui dilectus, quia eſt filius talis matris, &c. Voluntas eſt vt equus liber: ſed gratia vt inſidens, & inclinans determinatè ad obiectum per modum naturæ; quia participat & continet ſuo modo bonitatem obiecti, & agit ex vi obiecti, non potentiæ, ad actum vt acceptabilem ex obiecto.

A n. 29. *Ad* 2. *Art.* Deus potuiſſet abſolutè ſine vllo habitu acceptare naturam beatificabilem, & eius actum naturalem, ad beatitudinem, & ad eius meritum, aut ſine merito: ſed non creditur ita diſpoſuiſſe, &c. † *quia appropinquat errori Pelagij. Ideo veriſimilius creditur quòd non acceptet niſi per habitum ſupernaturalem, &c.* Sine quo poſſet remitti offenſa Dei, & ſic ex inimico contrariè, fieri non inimicus negatiuè, ſed non amicus poſitiuè. *Vt in* 4. *d.* 1. *q.* 6.

A n. 30. Ad 3. *Art.* Poteſt dici ex *d.* 37. & *in* 2. *d.* 26. quòd Magiſter poſuit habitū gratiæ, quâ Spiritus S. inhabitans perficiat animam habitu Fidei & Spei minùs perfectè quàm vt poſſint eſſe in Patria: non autem habitu Charitatis; quia eius actus eſt nimis perfectus vt poſſit eſſe ab alio habitu quàm ipſius gratiæ ſeu Spiritus S. per eam inhabitantis. An verò hic habitus gratiæ ſit in eſſentia animæ, vel in voluntate, *lib.* 2. *d.* 26.

A n. 31. Ad 1. *Arg.* princ Quæſt 1. ex *Aug.* 8. *Trin.* 7. Diligens proximum, diligit ſuam dilectionem vt participatam à Deo: ſed potiùs ipſam dilectionem Dei per Eſſentiam. *Ad* 2. ex 15. *Trin.* 18. Nullum donum eſt excellentiùs charitate: quia hæc eſt perfectio ſimpliciter: quæ per participationem limitatur; in Deo per eſſentiam eſt infinita & Deus ipſe. Non ſic Deus eſt ſpes vel patientia noſtra: ſed tantùm cauſaliter. Hinc *Aug.* eſt pro Magiſtro:

Digitized by Google

Magiſtro : quia tanta eſt perfectio diligendi Deum, vt ſit ipſe Spiritus S. ideoque & habitus diligendi Deum ſit idem quo Spiritus S. eſt in nobis.

A n. 33. Ad 1. ex *Arg.* negatiuis *n.* 16. Charitas eſt cauſa actus, & acceptationis eius : ſed non delectabilitatis & facilitatis ; quia hæc non eſt niſi ex habitibus acquiſitis frequentiâ actuum. *Ad* 2. Voluntas nuda poſſet amare obiectum cognitum : ſed nec meritoriè, ſecundùm ordinationem Dei ; nec beatificè, quia non perfectè omni perfectione poſſibili, ac ordinatè deſiderabili voluntati finitæ. *Ad* 3. Actus hic diligendi non creatur : tum quia eſt etiam à cauſa 2. tum quia in ſubiecto ; tum quia non eſt propriè & immediatè ſupernaturalis, ſed ſolus habitus qui æquè naturaliter ſe habet ad ſuum actum ; ac cauſæ naturales ad ſuos. *Ad* 4. Poteſt voluntas æquè expedita, æquali conatu vti hoc habitu ad actus æquales : ſed non ad æqualem delectationem, quæ pendet à varia præſentia obiecti, & diſpoſitione ſubiecti. *Ad* 5. ſeu 1. ex alio medio. Poſſet Deus hunc actum immediatè cauſare, & acceptare : ſed non eſſet liber noſtræ voluntati, nec creditur à Deo acceptari. *Ad.* 6. Deus cooperatur voluntati habituatæ ad actum ſecundùm talem habitum ex lege communi Cauſæ Primæ cum Secunda, non ex motiuo illius habitus ; ſed nonniſi miraculosè, ad talem actum ſine tali habitu. Nec priùs operatur Spiritus S. quàm voluntas habeat Charitatem : niſi prioritate eminentiæ ; ſed ſimul cum voluntate & Charitate habita. Vel ſi priùs : non æquè .i. non meritoriè, ſed diſpoſitiuè. *Ad* 7. Vt Chriſtus non merebatur ſuis actibus Diuinis : quia non erant in poteſtate ſuæ voluntatis humanæ ; ſic nec nos meremur actibus ſolius Spiritus S. *in* nobis. *Ad* 8. Nullus negat habitum intellectualem luminis gloriæ : qui poteſt dici correſpondere Charitati voluntatis.

QVÆSTIO QVARTA.

An tota Charitas prior corrumpatur, cùm maior producitur ? Al. Coll. 69. S. Bon. hîc.

Ita *Goff. n.* 2. Quia termini motus ſunt incompoſſibiles. 5. *Phyſ.* 26. Et ſpecies, ac indiuidua ſunt ſicut numeri. *Contra.* 1. Charitas augetur in inſtanti : ergo ab inexiſtente eodem inſtanti. 2. Alioquin actus poſterior non magis augeret habitum, quàm prior. 3. Calidum remittens frigidum, cauſaret nouum frigus. 4. Accidens non potiùs ſuſciperet magis & minùs, quàm ſubſtantia. 5. Qualitas in quouis gradu, eſſet ſpecies ad omnes gradus æquales. 6. Idem eſſet de quantitate priori, in rarefactione vel condenſatione : ſicque Corpus Chriſti non eſſet ſub ſpeciebus rarefactis vel condenſatis.

A. *n.* 9. Ad Quæſt. &c. *Teneo quòd realitas poſitiua, quæ erat in Charitate minore, maneat realiter in Charitate maiore.* Vt patebit ex ſequentibus Quæſt.

Ad Arg. Minor non manet ſub maiori, vt ſubiectum ſub forma : ſed vt natura in indiuiduo addito.

QVÆSTIO QVINTA.

An Charitas prior ſit tota eſſentia poſterioris? Al. & B.

A n. 1. *Ad* 6 Pro & contra varios modos maioris aut minoris charitatis, ex ſola diſpoſitione, aut indiſpoſitione ſubiecti, vel additione rei.

A *n.* 6. Ad Quæſt. *Concedo quòd realitas poſitiua quæ præexiſtit in Charitate, non eſt tota realitas poſitiua, quæ eſt in Charitate maiori : imò ſi eſſent ſeparatæ à ſubiecto, maior haberet realitatem poſitiuam minoris, & aliam additam ; ſicut de quantitate molis.* 1. ex *n.* 2. Quia Charitas cuiuſlibet eſſet æqualis Charitati Chriſti. 2. ex *n.* 3. Quia contraria ſunt incompoſſibilia in gradibus intenſis, non remiſſis : ergo eſt aliquid in illis plus quàm in his. 3. Idem non poteſt bis produci : ergo aliquid producitur in intenſione, quod non ante. 4. Si forma non augetur in ſe, nec in ſubiecto. 5. Non poteſt augeri ex ſola diſpoſitione ſubiecti : quia non eſt neceſſaria diſpoſitio inæqualis ad formas eiuſdem ſpeciei, vel ad differentes ſolo numero aut intenſione. 6. Nec ex ſola indiſpoſitione : quia nec inter Angelos bonos & malos, nec inter inæqualiter bonos fuit inæqualis diſpoſitio. 7. Nec ex radicatione in ſubiecto : quia hæc nec poteſt eſſe qualitas abſoluta, nec relatio, niſi ex ſuo fundamento ; ſed forma minùs radicata poteſt eſſe intenſior, vt rubor ex verecundia.

A *n.* 7. *Ad* 1. *Arg.* ex 8. *Met.* Formæ ſunt vt numeri .i. quidditates ſunt inuariabiles quidditatiuè, non indiuidualiter & accidentaliter. *Ad* 2. ex 10. *Met.* Differentiæ formales mutant ſpeciem .i. quidditatiuæ. *Ad* 3. ex *Porph.* Differentia formalis non recipit magis & minùs, quidditatiuè *Ad* 4. Forma eſt ſimplex & inuariabilis in eſſentia, vt ſupra. *Ad* 5. Quodlibet indiuiduum addit aliquid ſpeciei : ſic & intenſio & remiſſio ; ſed gradus additus facit vnum per ſe cum eo cui additur.

QVÆSTIO SEXTA.

An Charitas augeatur per extractionem nouæ partis de potentia ad actum ?

A n. 2. Opinio *Henr.* 1. Quòd forma infuſa augeatur ex ſeipſa, non ex ſubiecto. 2. Non per additionem partis, ſed virtutis. 3. Non aliunde quàm per extractionem de potentia habitus in actum. *Contra.* Si illa extractio eſt aliqua actio, terminatur ad aliquid noui : ſi non eſt actio, ergo augetur Charitas ſine actione Dei.

A n. 4. *Dico ergo, quòd non eſt ibi extractio, nec illum modum concipio : quia talis productio non eſſet productio ; ſed eſt noua realitas addita præexiſtenti, ſicut partes vel gradus, non quidditatiui, ſed indiuiduales & exiſtentiæ.*

Ad 1. Subiectum exit de potentia ad actum etiam infuſum : ſed non actus infuſus. *Ad* 2. Intendi non eſt mutari : vel ; forma nec intenditur nec mutatur, ſed ſubiectum ſecundùm formam. *Ad* 3. Gratia ſeu charitas priùs Natura creatur, quàm anima chara ſeu compoſitum generetur.

In DIST. 18. *QVÆST. VNICA. Al. q. 63. 64.*

An donum dicat proprietatem perſonalem Spiritus S.

A n. 4. Opinio Affirm. De Dono vt aptitudinali ſeu donabili : non habituali ſeu vt dari ſolito, aut donando ; nec de actuali ſeu Dato, &c.

A n. 5. *Reſp.* 1. *Ad rem.* Nihil intrinſecum Deo includit neceſſariò reſpectum vllum ad creaturam in vllo eſſe : quia illud eſt neceſſariò, hoc non ; ergo hoc non poteſt eſſe de conceptu illius. Hinc donum non poteſt eſſe proprietas Perſonalis Spiritus S. Quia includit reſpectum dati, dandi, aut donabilis creaturæ ; ſed ſola illa ſancta Spiratio paſſiua, à qua Spiritus S. id eſt, ſanctè ſpiratus, &c.

Digitized by Google

A n. 6. Ad 8. *Aug.* 4. *Trin.* 20. *l.* 5. *c.* 11. *&* 15. Donum, vel eſt æquiuocum, vel potiùs ſignificat per ſe reſpectum ad creaturam : connotando proprietatem Perſonalem Spiritus S. vt primi & ſancti amoris Spirati, ſicque & primi Doni Donatiui omnium aliorum. Hinc ad 8. *Aug. & ad* 7. *Arg. princ. &c. vt Al. q.* 63. 64. *S. Bon. q.* 1.

In DIST. 19. *QVÆSTIO PRIMA.*

An Perſonæ ſint inæquales magnitudine? Al. q. 47. *B.*

Reſp. 1. *n.* 2. ex *Ariſt.* 5. *Met. c.* 30. Propriè, Identitas eſt relatio fundata in vnitate ſubſtantiæ : æqualitas, ſuper vnitate quantitatis ; ſimilitudo, ſupra vnitate qualitatis.

2. *n.* 3. Sed communiter poſſunt fundari ſuper eodem ente, vt eſt *Quid, Quantum* perfectione, & *Quale* aliquâ differentiâ.

3. *n.* 4. Vt nullum genus, ſed ſolùm Ens dicitur de Deo : ita ſolæ paſſiones entis, vel communes, vel nobiliores, vt eſt æqualitas.

4. *n.* 5. De Identitate, & Similitudine Dei, *diſt.* 31. De æqualitate creatorum in quantitate continua aut diſcreta, permanente vel ſucceſſiua, *diſt.* 24. Sed æqualitas in quantitate virtutis, ſeu perfectionis, eſt perfectiſſima inter Perſonas Diuinas. Ex vna eademque infinita perfectione ſingularum : Et *Symb. Athan.*

Dubium 1. *n.* 5. An hæc æqualitas differat ab identitate, & ſimilitudine : cùm vel magnitudo ſit eſſentialis, vel attributalis, vt modus intrinſecus Eſſentiæ, vel Attributorum? *Dubium* 2. An tot ſint æqualitates Perſonarum, quot perfectiones attributales. Sed ad hæc *diſt.* 31.

A n. 6. *Ad* 1. *Arg. princ.* Magnitudo non conuenit Deo, vt eſt ſpecies vel paſſio Quantitatis : ſed vt eſt paſſio Entis oppoſita paruitati. 5. *Met.* 18. Nec quantitas molis, ſed virtutis, ſeu perfectionis, ex *Aug.* 5. *Trin.* 1. *Ad* 2. *Æqualitas non eſt perfectio ſimpliciter : quia eſt relatio, ſupponens ipſas origines ; ſed dicit perfectionem meliorem inæqualitate in eodem; quia hæc neceſſariò dicit imperfectionem, non illa, ſed præexigit perfectionem ſimpliciter.* Ordo & inæqualitas eſt neceſſaria ad perfectionem vniuerſi : quia ſingula non poſſunt eſſe tam perfecta ac plura ſimul ordinata. *Ad* 3. Æqualitas eſt relatio mutua : non adæquatio actiua, nec paſſiua ; ſed hæ ſunt relationes oppoſitæ, diſquiparantiæ.

QVÆSTIO 2. *De Circumineeſſione.*

An quælibet Perſona Diuina ſit in alia? S. Bon. hic.

A n. 2. Veritas eſt certa : ex *Ioan.* 14. Ego in Patre, & Pater in me eſt, &c. Sed tria ſunt videnda.

Art. 1. *A. n.* 2. *ad* 9. De modo quo Perſona eſt in Perſona. Non vt vult *Henr.* ſecundùm ſolam eſſentiam. 1. Quia vt non habent eſſentiam eodem modo, ſic nec eodem modo ſibi inexiſterent. 2. Quia ſic inexiſterent ſibi inuicem formaliter, &c. *n.* 7. Nec vt natura in ſuppoſito, vel forma in materia : ſed vt totum ſubſiſtens in toto ſubſiſtente, præſentialiter. Ex *S. Hyl.* 7. *Trin.* 6. & Hymno S. Amb. *In Patre totus Filius & totus in Verbo Pater.* *Ad* 1 *Arg. Henr.* Ex eo quòd Perſonæ ſint primò in ſe mutuo præſentialiter : nec Eſſentia nec perſonalitates ſunt in illis eodem modo, nec ex æquo, nec æquè formaliter. *Ad* 2. Hic modus eſſendi, *in*, non eſt continentiæ, ſed præſentiæ ſubſiſtentis in ſubſiſtente.

Art. 2. *à n.* 9. De ratione huius inexiſtentiæ. Non ex ſola Eſſentia, nec ex ſola Relatione : ſed ex vtraque ſimul, ad neceſſariam vnitatem & diſtinctionem in hac coinexiſtentia ; vt ſimilitudo eſt ex vnitate fundamenti, & diſtinctione extremorum, ſed principaliter ex illa.

Art 3. *à n.* 10. De hoc ſingulari & incomparabili modo eſſendi *in* : niſi cum præſentia intima Dei, vel animæ in nobis, vel potentiarum in anima, vel duorum corporum æqualium ; excepta conſeruatione, informatione, inhæſione, partialitate, & continentia vnius ab alio.

A n. 11. *Ad* 1. *Arg. princ.* Hæc non eſt confuſio Perſonarum, vt partium : nec eſt neceſſaria diſtantia ad diſtinctionem. *Ad* 2. Non vt Deitas, ſic & Perſona eſt id in quo eſt, nec componitur cum eo. *Ad* 3. Non vt Filius, ſic & Filiatio eſt in Patre : quia hoc ſonat ineſſe formæ. *Ad* 4. Nec ideo Pater eſt in ſeipſo vt in altero : quia non diſtinguitur à ſeipſo : *Ad* 5. Deus eſt in Deo, ex *Hyl.* 7. *Trin.* nec tamen Deus diſtinguitur à Deo ; quia mutatur ſuppoſitio. *Ad* 6. Filius exit à Patre : non recedendo, ſed immanendo.

In DIST. 20. *QVÆST. VNICA.*

An Perſonæ ſint æquales in Potentia? Al. q. 47. *B. hic.*

A n. 3. *Reſp.* Omiſſa potentia logica, & metaphorica, &c. *Planum eſt quòd in Deo oportet ponere potentiam actiuam, æqualē in tribus Perſonis intenſiuè ſeu quoad perfectionem, & extenſiuè ad omnia : exceptis actibus notionalibus, & eorum terminis.* De quibus à *n.* 5. eſt Opinio quòd Potentia generandi pertineat ad Omnipotentiam in Patre, non in Filio. Quia non eſt poſſibile à Filio, & in Filio, quòd à Patre. *Contra.* Quod eſt Omnipotentiæ, eſt in quocumque Omnipotente, &c.

A. n. 7. *Dico ergo, quòd primum correlatiuum Potentiæ actiuæ, eſt poſſibile obiectiuè, non ſubiectiuè : nec vt opponitur impoſſibili, quia ſic poſſibile eſt Deum eſſe ; ſed vt opponitur neceſſario ex ſe. Cùmque omnia intrinſeca Deo ſint ex ſe neceſſaria : nil eorum poteſt eſſe poſſibile ſeu terminus Omnipotentiæ. Hinc Potentia Dei eſt æqualis in tribus intenſiuè & extenſiuè.*

A n. 9. *Sed tunc quomodo potentia generandi dicetur Potentia? Reſp.* Pro Principio, & vt Poſſibile opponitur etiam neceſſario à ſe. Non tamen ſic conceditur filium eſſe poſſibilem : quia potentia dicit perfectionem, ſed poſſibilitas imperfectionem, &c. Hoc etiam modo Perſonæ ſunt æquales in Potētia : quia æquè poteſt Filius generari, ac Pater generare ; ſed non ad idem, &c. Eſt idem fundamentum in tribus : non tamen ſub eadem relatione potentiæ generandi aut ſpirandi, &c.

A n. 18. *Ad* 1. *Arg. princ.* ex *Aug.* 3. *contra Max.* Si Pater non poteſt generare, eſt impotens : quia non eſſet infinitus, &c. *Ad* 2. Omniſcientia neceſſariò eſt ad omne ſcibile : non ſic Omnipotentia. *Ad* 3. Si eſſent plures Dij, ſinguli eſſent nullipotentes : non ſic de pluribus Perſonis eiuſdem voluntatis, &c. *Ad* 4. *Filius Dei non quaſi naturaliter vel coactè vult iſta : quaſi Pater volens prædeterminauerit Filium ad volendum idem, & non ſit in poteſtate Filij idem velle ; ſed in eodem inſtanti naturæ Pater & Filius intelliguntur habere voluntatem, & æquè liberè quemlibet actum volendi vt eſt*

eiuſdem

eiuſdem obiecti, &c. vnde ſi pater vult hoc, & Filius vult hoc: non eſt plus contra libertatem filij, quàm ſi volo, volo, &c.

In DIST. 21. QVÆSTIO VNICA.

An hæc ſit vera: ſolus Pater eſt Deus? Al. q. 65. Bon. hîc

A n. 2. *Ad* Quæſt. 1. Poteſt fieri diſtinctio in *Cathegorematicè, & ſyncategorematicè, vt S. Bon.* hîc. Nam ſolus .i. non cum alio: ſi neget omnem Societatem, & dicat ſolitudinem rei in ſe, non poteſt verificari in diuinis; ſed ſi negat tantùm aſſociationem in aliquo prædicato proprio, non autem eſſenſiali & communi, quale eſt hoc. 2. Affirmatiua excluſiua infert vniuerſalem affirmatiuā ex terminis tranſpoſitis. Hinc ſi ſolus Pater eſſet Deus: omnis Deus, ſeu Perſona diuina, eſſet Pater. 3. Ex negatiua de prædicato infinito, ſequitur affirmatiua de prædicato finito, & negatiua De prædicato negato, &c. Vnum correlatiuum terminatur ad alterum: ſed non ita includit, quin excludatur per particulam excluſiuam.

A n. 4. *Ad* 1. *Arg. Princ.* Solus Deus, qui eſt Pater, eſt Deus: non in ſenſu compoſito, ſed diuiſo; ſed non ſolus Pater eſt Deus, quia non habet niſi ſenſum compoſitum. *Ad* 2. Solus Deus eſt Pater: ſed non ſolus Pater eſt Deus; quia hæc non eſt illius conuerſiua, ſed eſt fallacia conſequentis. *Ad* 3. Solus Deus eſt Deus: ſed non ſolus Pater eſt Deus; nec eſt alius à Deo, ſed alius à Patre, &c. Ex varijs ſuppoſitionibus & logicis ſubtilitatibus.

IN DIST. 22. *QVÆSTIO* 1.

An Deus ſit nominabilis nomine proprio ſuæ eſſentiæ? Al. q. 48. *Bon. hîc.*

A n. 1. Hîc dicitur, *ab Henr.* quod vt poteſt à nobis analogicè concipi, ſic & nominari. *Contra.* Ipſe *Henr.* ſentit Deum poſſe à nobis cognoſci vt huius eſſentiæ: ergo & ſic nominari.

A n. 2. Poteſt aliquid diſtinctiùs nominari, quàm ab ipſo nominante concipi: quia ſubſtantiæ quamuis non cognitæ in ſe, denominantur à ſuis accidentibus notioribus.

A n. 3. *Breuiter dici poteſt, quod ad minus, multa nomina ſignificant eum in communi, vt à nobis concipi poteſt: vel ſi poteſt diſtinctiùs nominari quàm concipi, poteſt à nobis nominari nomine huius eſſentiæ. Imo veriſimile eſt ita nominari ex impoſitione Dei, Angeli, vel etiam hominis viatoris; quia veriſimile eſt talia eſſe nomina S. Scripturæ, vt illud Tetragrammaton, Exod* 3. n. 4. *Eſt ergo Deus à nobis ſic nominabilis: quia poſſumus vti illo nomine, intendendo eius ſignificatum, quamuis non ſit nobis diſtinctè cognitum.*

QVÆSTIO SECVNDA.

An Deus ſit propriè nominabilis à nobis?

Eſt eadem Quæſt. latiùs tractata. *Al. & S. Bon. ſupra*

A n. 3. Opinio *Henr.* quòd cum nomina ſint ad loquendum, & intelligendum: non poſſint ea inſtituere, nec eis vti, niſi qui & quantum intelligunt; ſicque ſolus Deus poſſit ſe nominare vt infinitum, Beati diſtinctè, nos confuſè; non propriè vllo nomine tranſlato à creaturis, ſed ad hoc ſingulariter inſtituto. Quale eſt nomen, Dei inſtitutum ad ſignificandas ſimul omnes perfectiones Diuinas, &c.

Contra. n. 4. Deus poteſt à nobis cognoſci vt infinitus, nec poſſumus aliter beatificari: ergo & vt ſic poteſt à nobis nominari, cognitione & ſignificatione finita, &c.

A n. 7. Ad Quæſt. 1. Nomen proprium ſimpliciter, eſt quod primò ſignificat hoc ſub ratione propria: quamuis poſſit etiam dici proprium quod ſignificat aliquid proprij. 2. Nominare, vel eſt nomen imponere, vel eo vti: vtrumque vel perfectè, vt ſigno expreſſiuo proprij conceptus, perfecti vel imperfecti, aut etiam vt ſigno communi cum audientes vel imperfectè, vt re tantùm naturali, aut vt ſigno conceptus alieni.

Concluſio 1. Deus poteſt ſimpliciter à nobis nominari, imperfectè. 2. Non perfectè. 3. Nominatur etiam propriè. Quia ad hoc non eſt neceſſaria propria & diſtincta eius cognitio: Vt patet ex denominatione ſubſtantiarum, ac variarum rerum ignotiorum, ab alijs notioribus.

IN DIST. 23. *QVÆSTIO VNICA.*

An perſona vt communis Patri, Filio, & Spiritui S. dicat præciſè aliquid ſecūdæ intentionis? Al. 56. *Bon. hîc.*

A n. 2. Hîc dicitur ab *Henr.* quod Perſona dicat tantùm intentionē ſecundā, vt & ſuppoſitū, ac indiuiduum: non tamen in *abſtracto*, ſed in concreto; ideoque poſſit prædicari de re primæ intentionis, & pro ea ſupponere. *Contra.* 1. *n.* 2. Relatio poteſt abſtrahi ab ipſa Paternitate & Filiatione: ergo & à Perſonis. 2. Perſona non eſt formaliter relatio rationis, ſed realis. 3. Vnitas Perſonæ ac indiuidui non eſt rationis, ſed maximè realis. 4. Ex *Aug.* 2. *Doct. Chriſt.* 2. Perſonæ ſunt res. 5. Æquè poteſt Perſona diuina prædicari de pluribus, ac relatio. De quo *diſt.* 26. 6. Perſonæ non poſſent dici tres, niſi ſubaudiendo aliquod ſubſtantiuum .i. tres res, vel tres aliqui &c. Vt *Diſt.* 12. *q.* 1.

A n. 4. *Ad Quæſt. Reſp.* Perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia, &c. Vt *Al. q.* 56. *m.* 3. *& S. Bon. d.* 25. Porrò nec natura intellectualis, nec entitas incommunicabilis vt *Quod*, nec vt *Quo*, eſt ſecundæ intentionis; ergo nihil eſt in Perſona quod ſit ſecundæ intentionis. *Contra. Hinc* perſona eſſet tantùm duplex negatio duplicis communicabilitatis. 2. Quomodò negatio erit communis tribus perſonis, niſi ſubſit aliquid poſitiuum? Deinde perſona dicit aliquam dignitatem. Denique communicabilitas eſſentiæ non eſt niſi relatio rationis: ergo nec incōmunicabilitas perſonæ.

Ad 1. *n.* 6. Negatio eſt vnius rationis: nō quia ſequitur affirmationem, ſed opponitur affirmationi vnius rationis. Ab vltimis diſtinctiuis & conſtitutiuis perſonarum nihil poteſt abſtrahi commune in quid &c. ſed negatio aliqua, quæ nō eſt vnius rationis ex ſuppoſita, ſed oppoſita affirmatione vnius rationis. *Ad* 2. Priuatio eſt in ſubiecto apto nato, ſecundum ſe, vel genus ſuum: Negatio extra genus nihil ſupponit: Negatio in genere ſupponit ſubiectū, ſed non aptitudinem ad formam. Qualis eſſe poteſt in Perſona negatio illa duplicis incōmunicabilitatis in natura intellectuali, ſine aptitudine ad communicabilitatem. Sicque nō dicit vllam dignitatem ex formali ſuo ſignificato, ſed ex natura intellectuali connotata. Et ſic poſſet concedi Perſonam generari & adorari: vt cœcus ambulat, vel amatur. *Ad* 3. Etſi communicabilitas dicat tantùm relationem ra-

Digitized by Google

tionis in eſſentia: poteſt tamen repugnare perſonæ ex aliquo quod eſt in re. Videtur etiam quod oporteat ponere aliquod poſitiuum poſſibile abſtrahi à perſonis: ex *Aug. 1. Doct. Chriſt.* 4. & *Magiſt. d.* 25. Poteſt dici, quod ab indiuiduis non tantùm poteſt abſtrahi ſpecies ſeu eorum quidditas, ſed etiam quaſi proprium. Ad hoc etiam faciunt *Arg. princ. n.* 1. Quod perſona ſit terminus productionis realis, & ſit adorabilis: nec Trinitas ſit tantùm conceptuum, ſed rerum, &c.

In DIST. 24. *QVÆST. VNICA.*

An in diuinis ſit propriè numerus?

Reſp. Si numerus habeat vnitatem formalem reſpectu plurium materialium, non eſt propriè in diuinis: Nec ſi dicat ſolam aggregationem vnitatum; ſed ſi tantùm dicat conceptum vnius, vel plurium ſimul ab intellectu, &c. Re tamen vera, non eſt in diuinis numerus ſimpliciter: ſed tantùm ſecundùm quid, ſeu perſonarum diſtinctarum, ſine diuerſitate, potentialitate, vel aggregatione, &c. Vt *Al. q.* 45. *&* *S. Bon. hic.*

In DIST. 25. *QVÆSTIO VNICA.*

An Perſona in Diuinis dicat ſubſtantiam vel relationem? Al. q. 56. *S. Bon. hic.*

Reſp. à n. 1. Non dicit relationem propriam: quia nomen Perſonæ eſt commune tribus, ex *Aug. 7. Trin.* Vt hic homo, eſt communis Sorti & Platoni: ſed æquiuocè, quia non numeratur in ſuis æquiuocatis; in Perſonis autem vniuocè, quia hæc numeratur in pluribus. Nec tamen dicit relationem communem: quia ex *Aug. 7. Trin.* 5. Pater non eſt Perſona Filij, nec è conuerſò, cùm relatiuum ſuperius dicatur ad quod inferiùs. Nec dicit ſubſtantiam ſecundam, ſeu quidditatem: quia hæc non numeratur in tribus, vt Perſona. Siue dicat negationem, connotandò. 1. Patrem & Filium & Spiritum S. vt inferiora pro quibus ſupponit. 2. Relationem ex qua illis hæc negatio conuenit. 3. Eſſentiam, ex qua negatio illa non prouenit: Siue dicat aliquid poſitiuum abſtractum à tribus; non vt ſpeciem, ſed quaſi proprium; nec vt ſubſtantiam primam, nec ſecundam, nec relationem, ſed indifferens. Quia ratio Subſiſtentis eſt indifferens ad abſolutum & relatiuum.

Contra. 1. *Ex Aug. 7. Trin.* 4. De tribus Perſonis diuinis quæritur quid ſint tres? 2. *Ex 7. Trin.* 5. Non eſt aliud Deum eſſe, & Perſonam eſſe. *Ad* 1. *Quid*; non ſemper quærit quidditatem ſeu eſſentiã: ſed ſubiectum ſeu ſubſtantiuum illius adiectiui, *Tres Ad* 2. Diſt. ſequenti.

In DIST. 26. *QVÆST. VNICA. Al.* 58. *Bon. hic*

An Perſonæ Diuinæ conſtituantur in eſſe perſonali per relationes originis, vel per aliqua abſoluta?

1. Opinio *à n.* 2. *eſt Præpoſitini*, quòd Perſonæ ſeipſis conſtituantur, & diſtinguantur: quia ſunt æquè ſimplices ac ipſa Eſſentia. *Contra.* 1. Perſonæ non ſunt diuerſæ, ſed eiuſdem Eſſentiæ: ergo differunt aliquo, &c. Hinc in præf. de S. Trin. *In Perſonis proprietas, &c.*

2. *A n.* 4. Eſt S. Thomæ & communis, quòd cõſtituantur & diſtinguantur relationibus. *Ex Mat. vlt. Aug.* 5. *Trin.* 8. 11. *lib.* 11. *Ciu.* 10. *Boetio.* De *Trin.* in fine. *Damaſc. Anſ. Ric. &c.* Ex varijs rationibus. 1. Nec idem abſolutum poteſt eſſe ratio conueniendi, & differendi: nec duo, alterum ratio conueniendi, alterum differendi, ſine compoſitione; ſed relatio nil addit componibile, & ita identificatur ſuo fundamento, vt tamen referat ad oppoſitum. 2. Eadem poteſt eſſe in pluribus Suppoſitis abſolutis, ſicut in relatiuis: quia poteſt fundare relationes oppoſitas, non ſic abſoluta. 3. Si relationes non conſtituerent Perſonas, eſſent eis accidentales, vel ſolius rationis. 4. Proprietates abſolutæ eſſent actus, & diſtinctè actuarent ac perficerent Perſonas: ſicque nec Eſſentia eſſet infinitè perfecta, nec omnes & ſingulæ perſonæ euiſdem, nec æqualis perfectionis ſimpliciter. 5. Si vnum abſolutum differret ab alijs, & reliqua omnia different inter ſe. 6. Plura abſoluta non eſſent incommunicabilia. 7. Plura abſoluta manarent ab eadem eſſentia: ſicque eſſent ſimul abſque vlla inter ſe origine. Sed relationes originis poſſunt conſtituere & diſtinguere Perſonas: quia nõ poteſt eſſe origo realis ſine diſtinctione reali; nec poteſt eſſe in Deo origo accidentium; ergo nonniſi Perſonarũ per ſe ſubſiſtentium. Nec hinc ſequitur vlla diſtinctio realis Eſſẽtiæ: quia eadem vt infinita poteſt fundare relationes oppoſitas; inter ſe quidem realiter, ſed à ſuo fundamento nonniſi formaliter diſtinctas; nec cum eo compoſitas, ſed ei identificatas.

3. Opinio *à n.* 23. Quòd Perſonæ diuinæ ſint abſolutæ, & conſtituantur ac diſtinguantur per aliquas realitates incommunicabiles: abſolutas, & formaliter ſubſtantiales; non tamen vt quidditates irreferibiles, ſed vt aliquitates determinatas ac referibiles. Nec proprietates diſtinguant Perſonas vt ſunt relationes, ſed vt origines, i. quòd fortè origines diſtinguant principiatiuè, non formaliter: vt generatio multiplicat homines; non eos formaliter diſtinguendo, ſed cauſaliter. Quem modum huius opinionis refert Scotus ex quodam Doctore: reuerendo nomen *S. Bon. in* 1. *d.* 23. *q.* 1. *&* *d.* 26. *q.* 3. In cuius fauorem *à n.* 25. proponit, & reſpondet argumentis oppoſitis: *Ex Matth. Vlt.* 1. *Ioan.* SS. DD. & vſu Eccleſiæ ſignificandi Perſonas relatiuè: Concedendo veras relationes Originis, & congrua nomina relatiua; ſed negando eſſe vllam doctrinam expreſſam, aut declarationem Eccleſiæ de diſtinctione per proprietates relatiuas, vel abſolutas. Imo *Prou.* 20. Quod nomen eius & quod nomen filij eius ſi noſti? Ergo ſupponit aliqua eorum nomina his priora & ignotiora. *Si inſtetur* quod Chriſtus expreſſerit Perſonas propriè & relatiuè, ad vſum baptizandi in earum nominibus proprijs, &c. *Reſp.* Fortè Chriſtus ſic eas expreſſit: quia proprietates abſolutæ ſunt nimis ſupra noſtrum captum, & ſolent Perſonæ potius nominari relatiuè; ſuntque verè relatiuæ, ſed non negatur quin fundamentaliter ſint abſolutæ, cùm pertineat ad earum perfectionem, & ſoleat relatio ſupponere ſuum abſolutum, &c.

A n. 31. Reſpondet ad *S. Aug.* 5. *Trin.* 8. Eum loqui de abſolutis, quæ nec ſunt relatiua, nec referibilia. Nam ex *7. Trin.* 4. videtur aliquid ad ſe, eſſe etiam referibile ad aliud. *Ad* 11. *Ciu.* 10. *Pater eſt quicquid habet: excepto filio*, quem tantùm habet vt correlatiuum. Ad *Boetium. Relatio multiplicat Trinitatem*, i. Origo inter Perſonas. *Ad Damaſc.*

Per

Digitized by Google

Per relationem Perſonæ, non excludit id quod refertur. *Ad Anſel. Omnia ſunt vana, vbi non obmiſſa relationis oppoſitio: vel formaliter, vel fundamentaliter ſeu referibiliter.*

A n. 39. *Ad* 1. rationem 2. *Opin.* Relatio in creaturis componitur cum ſuo fundamento: non autem ſubſiſtentia abſoluta, cum natura. Nec videtur relatio aliter identificari aut diſtingui ab eſſentia, quam realitas abſoluta .i. realiter, vel formaliter. *Ad* 2. Eadem eſt infinitas eſſentiæ, ad proprietates abſolutas, ac ad relatiuas. *Ad* 3. Spiratio actiua non eſt proprietas perſonalis: nec tamen accidentalis, nec ſolius rationis; ergo nec aliæ relationes, quia ſunt neceſſariæ ex ſuo fundamento. *Ad* 4. *Quidditatis eſt dare eſſe communicabile: non Hypoſtaſis diuinæ, ex ſe incommunicabilis vt quo; ſed proprietatis indiuidualis creatæ, quia hæc eſt aliquis gradus entitatis poſitiuæ vltra quidditatem. Proprietas tamen ſuppoſiti non addit vllam entitatem vltra ſingularem: imo nec quicquam poſitiuum, ex l. 3. d. 1. q. 1. Et quamuis adderet: non eſſet ratio dandi eſſe; quia quidditas & ſingularitas eſt ratio totalis dandi eſſe &c. Sicq; natura diuina quæ eſt de ſe hæc, & per ſe exiſtens, eſt tota ratio dandi eſſe.* Ad 5. *Proprietas perſonalis ſiue ſit abſoluta, ſiue relatiua, nec eſt perfectio ipſius eſſentiæ vt perfectibilis, nec eſt perfectio ſimpliciter: potiusq; aliqua relatio eſſet perfectio, vt paritas, æqualitas, &c. quàm vlla proprietas perſonalis.* *Ad* 6. Eſſentia eſt infinita, & prior quauis proprietate perſonali: ergo illa eſt in ſe vna, quotquot ſint hæ. *Ad* 7. Hæ proprietates non ſunt formaliter eiuſdem rationis: nec aliunde, ſed ex ſe determinantur ad incommunicabilitatem; vt proprietates indiuiduales creaturarum. *Ad* 8. *Hæ Proprietates non oriuntur propriè ex eſſentia: ſed in ea quaſi pullulant; non tamen ſimul ſed ordine & diſtinctione originis. Nec tam facile concipitur ordo originis inter correlatiua, quàm inter abſoluta: ipſa origine principiante, non autem formaliter conſtituente ac diſtinguente Perſonas.*

A n. 41. *Tenendo*, inquit, 2. *Opin. quæ eſt magis communis, poteſt reſponderi ad rationes contrarias.*

1 *A n.* 10. Relatio ſupponit aliquid quod referatur, exigit diſtinctionem realem extremorum, & terminum abſolutum: quæ non poſſunt eſſe ipſa eſſentia, nec ipſamet relatio; ergo quædam proprietates abſolutæ. *Aug.* 7. *Trin.* 1. Si Pater nô eſt aliquid ad ſe ipſum, non eſt qui relatiuè dicatur, &c. *Reſp.* Relationes perſonales ſupponunt Eſſentiam vt fundamentum: nec tamen eam, aut ſeipſas, vel aliqua extrema priora; ſed ſua relatiua ac correlatiua referendo conſtituunt, & conſtituendo referunt; ad terminum quidem formalem abſolutum, totalem tamen relatiuum. Nec aliud vult *Aug.* ſupra, quàm quod relatio ſupponat fundamentum abſolutum. 2. Ex *n.* 13. Correlatiua ſunt ſimul naturaliter: Ergo non poteſt eſſe inter ea ordo, nec diſtinctus modus originis, niſi ſupponant abſoluta. *Reſp. n.* 44. Sunt ſimul naturâ: ſed neceſſariò ordine originis intellectualis inter Deum Patrem & Filium; & diſtincto modo originis per voluntatê, inter Spiratorem & Spiritum S. 3. Si Paternitas conſtitueret primò incommunicabile, repugnaret ex ſe omni communicabilitati: ſicque eſſet ex ſe hæc, & exiſtens, non autem ex ſola identitate cum eſſentia; vt & Spiratio actiua: Nec à paternitate & filiatione poſſet abſtrahi conceptus relationis, ſi eſſent vltimò conſtitutiuæ ac diſtinctiuæ perſonarum: Nec Perſonæ eſſent quid vnum per ſe, ſi eſſent ex Eſſentia & relatione; Nec eſſentia eſſet infinitæ perfectionis & actualitatis, ſi vltimò determinaretur aliqua relatione. *Reſp. n.* 45. *Non conceptus quidam communis, ſed realitas ipſa paternitatis, quæ in Deo non eſt formaliter ipſa Eſſentia, eſt formaliter ex ſe incommunicabilis, non autem tantùm vt Diuina. Quia ſicut Eſſentia eſt actus vltimus: ita quicquid eſt in ea, eſt vltimum in ſua actualitate poſſibili; ex Eſſentia quidem vt infinita, fundamentaliter, ſed ſingula ſeipſis formaliter. Hinc relationes perſonales ſunt ex ſe formaliter hæ, per ſe exiſtentes, & incommunicabiles. Nec omnis quidditas eſt communicabilis: ſed vel perfectio ſimpliciter, vel diuiſibilis, &c. Quamuis autem poſſit dari conceptus communis* in Quid, *de Generatione & Spiratione diuina, imo fortè de Paternitate diuina & creata: nulla tamen poteſt ſubeſſe realitas in Deo à qua ſumatur determinabilitas conceptus illius communis; quia illa in Deo ſunt primò diuerſa, quoad realitatem, &c. Nec ideo ſunt in Deo ſuppoſita per accidens: quia non ſunt ex diuerſis generibus, nec realiter diſtinctis; ſed poſſunt dici logicè quaſi per accidens. Nec eſſentia determinatur relatione, ad eſſe per ſe, ſiue vt* Quod, *ſiue vt* Quo: *ſed eſt ex ſe ipſa ad hoc determinata; & tamen communicabilis perſonæ relatiuæ, vt* Quo *ipſa Perſona habeat idê eſſe per ſe.* 4. *n.* 22. *Ex.* 7. *Aug. Trin.* 1. 2. 4. 6. Boetio ac Richardo in definitione perſonæ. *Ad Aug.* Nihil aliud vult, quàm quod nomen latinum *Perſonæ*, & græcum *Subſtantiæ*, ſint abſoluta, quamuis ſignificent Subſiſtens incommunicabile. *Ad Boet. & Rich.* definiunt perſonam indifferenter ad abſolutam & relatiuam.

A n. 53. *Ad* 1. *Arg. princ.* Perſonæ non differunt ſpecie: nec productio Perſonæ à Perſonâ eſt æquiuoca. *Ad* 2. Relationes communes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis ſupponunt relatiua conſtituta & diſtincta in eſſe perſonali, &c. *Nec intellectus & Voluntas ſunt principia producendi Perſonas vt quædam Attributa, ſeu perfectiones in eſſe ſecundo: ſed vt perfectiones eſſentiales, priores attributalibus, quantitatiuis, & qualitatiuis, &c. Quia Eſſentia Dei eſt Intellectualis & Volitiua, priuſquam quanta, aut qualis. Et ſicut Infinitas non eſt Attributum, ſed modus intrinſecus Eſſentiæ & Attributorum: ſic Intellectualitas eſt modus intrinſecus huius eſſentiæ. Nec ideo intellectus & voluntas in Deo non diſtinguuntur formaliter: quia quidditas Dei non eſt tam punctualiter ſimplex, quin plures formaliter perfectiones contineat; ſed eſt ſimplex & illimitata non ſolùm intenſiuè in vna ratione, ſed in omnibus principijs operandi. Cum qua illimitatione quaſi extenſiua, ſtat ſimplicitas: imo ex Infinitate ſequitur Simplicitas, &c.* *Ad* 3. Relationes mouentis & moti, poſſunt eſſe eiuſdem: ſed non producentis & producti. *Ad* 4. ex *Boetio.* Relatio Identitatis eſt quaſi eiuſdem ad ſe: quia relata identificantur in natura. *Ad Arg. Præpoſitiui. n.* 2. Perſona eſt ſimplex realiter, vt Eſſentia: non tamen æquè formaliter; nec Paternitas formaliter eſt Eſſentia formaliter.

In DIST. 27. QVÆST. PRIMA.
An Verbum creatum ſit intellectio actualis? Al.q.42.
Quæſt. 2. *An Verbum Diuinum ſit proprium Perſonæ genitæ? S. Bon. hîc.*
Quæſt. 3. *An Verbum Diuinum dicat reſpectum ad creaturam? S. Bon. hic.*

Ad Quæſt. 1. & 2. *Henr.* opinatur, Verbum non eſſe primam intellectionem ſimplicem ab obiecto intellectui impreſſam: ſed deſuper reflexam, & inde ab ipſo intellectu expreſſam ac declaratiuam illius impreſſæ, &c. vt *diſt.* 2. *q.* 7. *Contra* 1. Cur intellectus eſſet actiuus vnius notitiæ, & tantùm paſſiuus alterius? 2. Prior illa notitia in nobis eſſet imperfecta: & vel deſineret vel non; ſicque ex ea non poſſet exprimi perfectior ſimul, aut ſucceſſiuè. 3. Sic non eſſet Trinitas in mente, ſi ipſa per ſe non ageret. 4. Gignere Verbum non eſt actus Intelligentiæ, ſed Memoriæ. ex *Aug.* 14. *Trin.* 17. 5. Non eſſet Verbum obiecti, ſed ipſius primi actus. 6. Viſio beatifica habens ſolum Deum pro obiecto, eſt verbum perfectum: ex *Aug.* 15. *Trin.* 16. vt *diſt.* 2. *q.* 7.

Reſp. n. 11. *Ad* 1. *Quæſt.* ex *Aug.* 19. *Trin. vlt.* 10. *Trin.* 11. & 15. *Trin.* 14. 15. *Verbum eſt actus intelligentiæ productus à memoria perfecta, non habens eſſe ſine actuali intellectione, repræſentans Verbum Diuinum. Non eſt autem ſpecies intelligibilis: quia obiectum præſens in memoria ſufficit ad actum. Nec eſt ipſum obiectum: quia hoc non gignitur per memoriam, nec per intelligentiam, niſi vt repræſentatur actu. Nec eſt terminus aliquis productus per intellectionem; quia hæc non eſt actio, ſed terminus actionis. Nec eſt actio aut paſſio: ſed eſt actus, operatio, ſeu intellectio formalis & actualis, producta actiuè, & in nobis recepta paſſiuè.* Ex Aug. 15. Trin. 10. & 16. *Cogitatio formata ex eo quod ſcimus in memoria, eſt verbum noſtrum.* Vt verbum vocale & imagnabile exprimit conceptum noſtrum latentem: ſic & mentale exprimit in intellectu quod latet in memoria ſeu eius ſcientia.

Sed an quælibet intellectio actualis ſit verbum? 1. Opinio *Henr.* quòd non, ſed ſola declaratiua. *Contra.* Intellectio eſt æquè declaratiua memoriæ ſeu obiecti in Patre, ac in Filio: & Verbum declarat ſeipſum, 7. *Trin.* 3. ergo hæc non eſt relatio realis Verbi.

2. *n.* 19. Eſt *S. Thomæ.* Quòd verbum non ſit niſi notitia actualis terminans inquiſitionem: ex *Aug.* 9. *Trin vlt.* & 15. *Trin.* 15. *Contra.* Deus, Angeli, Beati non gignunt Verbum inquirendo: ſed hoc eſt imperfectionis.

Ad hunc Art. n. 16. *Dico quòd non quælibet intellectio actualis eſt verbum: ſed ſola, & quæuis notitia genita; non tamen vt genita per inquiſitionem, ſed ex memoria ſeu ſcientia perfecta, eſt verbum in nobis perfectum, ſeu repræſentatiuum Verbi Diuini.* Ex Aug. 9. Trin. 10. & 15. Trin. 12. *Quia tota inquiſitio in nobis eſt ex imperfectione memoriæ ſeu ſcientiæ, ad eam perficiendam: vt ex perfecta gignatur verbum perfectum, ſeu notitia expreſſiua memoriæ ſeu ſcientiæ habitualis.*

A n. 18. An ad rationem verbi concurrat voluntas? *Aug.* 9. *Trin* 10. *An omnis notitia ſit verbum, vel tantùm notitia amata? Nouimus enim & ea quæ odimus: ſed non concepta, nec parta dicenda ſunt animo.* Infra. *Veruntamen cum rectè improbantur, approbatur eorum improbatio, & placet, & verbum eſt, &c.* Non igitur actus voluntatis eſt de eſſentia verbi, nec formaliter, nec vt cauſa: ſed concomitatur in nobis, ad eius inquiſitionem & continuationem. Quæ tamen continuatio non eſt de perfectione verbi intenſiuè: nec eius volitio, niſi ſtrictè, vt 1. *Cor.* 12. Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus .i. affectu debito.

Ad 1 *Arg. Quæſt.* 1. *Reſp. n.* 19. Phantaſia Carthaginis in memoria, eſt verbum. 15. *Trin.* 15. non formaliter, ſed cauſaliter. *Ad* 2. ex 15 *Trin.* 11. Verbum externum eſt ſignum interni: mediatè vel immediatè. *Ad* 3. ex 9. *Trin. vlt.* Verbum eſt proles memoriæ: hinc non eſt ipſa actio, ſed actus intelligendi.

A n. 20. Ad Quæſt. 2. *Dico. Verbum Diuinum eſt proprium Perſonæ genitæ: eiuſque abſtractum, verbatio, ſeu expreſſio paſſiua de intellectu, eſt eius proprietas perſonalis, eadem quæ filiatio, vt connotat naturam viuentem ex viuente.*

Ad 1. *Arg. Quæſt.* 2. ex B. Aug. 9. Trin. 10. *Verbum eſt cum amore notitia* .i. Verbum noſtrùm, quod non poteſt perfectè gigni, niſi voluntate applicante ad inquirendum. *Ad* 2. ex 15. Trin. 7. *Vt Pater intelligit, vult, & meminit ſibi: ſic Filius & Spiritus S.* Sed non omnis actus intelligentiæ eſt verbum. *Ad* 3. Eſt eadem proprietas perſonalis Filij & Verbi: ſed Filius connotat naturam viuentem; Verbum, notitiam intellectualem actualiter expreſſam.

A n. 22. Ad Quæſt. 3. *Henr.* putat quòd ſic, ex *Aug. q.* 63. ex 83. & ex repræſentatione creaturarum in Verbo. *Contra.* Vt *diſt.* 18. de Dono, nullus reſpectus ad creaturam eſt neceſſarius in Deo: nec reſpectus declaratiui in Verbo eſt realis; quia declarat etiam ſeipſum, 7. *Trin.* 3. Pater declaratiuè dicit ſeipſum, 5. *Trin.* 14. Sed ſolus reſpectus expreſſionis paſſiuæ ad exprimentem, eſt realis. Qui ſolus, vel principaliter ſignificatur nomine Verbi: ſed ille declarationis, etiam connotatur, quaſi terminus formalis Dictionis.

Ad Arg. Quæſt. 3. ex *Aug.* 6. *Trin. vlt.* Verbum eſt ars Omnipotentis Dei, &c. Vt dicitur etiam Sapientia Patris .i. ex Patre: non autem quâ Pater formaliter ſapiat vel agat. *Ad illud q.* 63. *ex* 83. *Logos* græcè, latinè Verbum & Ratio: ſed potiùs verbum, quàm ratio; quia illud potiùs ſignificat reſpectum ad Patrem vt exprimentem, connotando etiam reſpectum ad declarata, vt appropriatum Verbo, &c.

Sed an verbum exprimatur etiam ex eſſe obiectiuo creaturarum in intellectu Patris: alias in quæſt. de vniformi habitudine Trinitatis ad alia à ſe. *d.* 1. *q.* 2. & *in* 2. *Diſt.* 1. *q.* 1. & *Quodl.* 8. *a.* 1.

In DIST. 28. QVÆSTIO PRIMA.
An ingenitum ſit proprietas Patris?
Al. q. 63. *S. Bon. hîc.*
Quæſt. 2. *An innaſcibilitas ſit proprietas conſtitutiua primæ Perſonæ. Al.q.*68.*S.Bon. hic & d.*27.

Ad 1. *Quæſt. n.* 3. Genitum, dicitur propriè productum per generationem: ſed extenditur etiam ad communicatum, ſeu ad terminum forma-

lem

Digitized by Google

lem generationis, & ad quidlibet productum, vel conſequens generationem.

Priuatio vel eſt formæ hîc & nunc debitæ, vel conuenientis alicui ſingulari, vel eius generi. Negatio vel eſt extra omne genus, vel in aliquo genere, magis minúſue communi, &c. Negatio ergo in genere videtur idem eſſe quod priuatio in eodem genere. Priuatio & negatio in ſolo genere, non eſt imperfectionis: vt irrationale non eſt imperfectio in boue, ſed in animali.

Eſſe ingenitum ſeu priuatum propriè dicta generatione ſibi conueniente, non eſt in Deo: eſſe Ingenitum ſeu non genitum propriè, eſt Patris & Spirituſſ. eſſe Ingenitum ſeu non communicatum per generationẽ, non eſt Eſſentiæ niſi vt in Patre; ſed eſſe Ingenitum quaſi ſecundùm genus communiſſimum, ſeu Suppoſitum non productum, eſt proprium Patri. Ex *Aug. 15. Trin. 26.* Solus Pater non eſt ab alio: ideo ſolus appellatur Ingenitus.

A n. 6. Dicunt aliqui, vt *S. Bon. d. 27. q. 2. & hîc q. 1.* quòd cùm Ingenitum dicat tantùm negationem ex genere, non autem aliquam dignitatem: non poſſit eſſe proprietas Perſonæ Diuinæ, niſi connotet fontalem plenitudinem ſeu fœcunditatem, quæ eſt in ſolo Patre. Sed *contra.* 1. Hæc fœcunditas non eſt niſi ipſa Eſſentia. 2. Pater poſſet eſſe ingenitus, etſi filium non gigneret. 3. Si perſona diceret dignitatem ſimpliciter: non quælibet haberet omnem dignitatem. *Ideo dicendum videtur quòd Ingenitum .i. non habere genitorem, ſit proprietas Patris: nec ad hoc ſit neceſſaria alia dignitas, quàm non indignitas, ſeu non imperfectio, &c. Imò ad dignitatem perſonalem & relatiuam ſufficiat negatio alicuius poſitiuæ indignitatis. Ad 1. Arg.* huius quæſt. *à n. 1. Reſp. à n. 8.* Non ſequitur, non eſt genitum, ergo eſt non genitum: niſi in negatione extra genus. Vel, non genitum non conuertitur cum ingenito, niſi in aliquo genere. Hinc *Aug. 5. Trin 7.* Idem eſt ingenitum, & non genitum: ſupple in genere. *Ad 2.* Proprietas dicit relationem, poſitiuè, vel relatiuè. *Ad 3.* Ingenitum .i. improductum: ſicque continet etiam non ſpiratum. Nec eſt abſurdum ponere plures notiones, quàm fuerint olim poſitæ, ſed non negatæ. *Ad 4. S. Ambr. l. 4. De Spiritu S.* noluit vti nomine Ingeniti: quia nec erat tunc notum, nec neceſſarium.

Ad Quæſt 2. à n. 10. Videtur poſſe dici quòd Eſſentia Diuina, quamuis communicabilis: vt tamen in aliquo non communicata, conſtituat primam Perſonam. 1. Ex *Aug. 3. Trin. 6.* Si Pater non genuiſſet, nihil prohiberet dici eum ingenitum. 2. Negatio ordinis ad prius, eſt prior ordine ad poſterius. 3. Non eſſe ab alio, videtur ſufficere ad primam Perſonam. 4. Sola negatio videtur ſufficere ad incommunicabilitatem in genere. *Contra.* 1. Nulla negatio eſt de ſe incommunicabilis: quia nec de ſe vna, neque hæc; ſed tantùm per affirmationem cui primò repugnat. 2. Nulla negatio eſt alicui propria, niſi per affirmationem oppoſitam. 3. Perſonæ non eſſent vniformiter incommunicabiles. *Ad Arg. princ. q. 2. à n. 2. Reſp. n. 13.* ex *Damaſc. c. 2.* Omnia ſunt vnum præter ingenerationem, generationem, & proceſſionem: *præter*, non excludit, ſed includit alia perſonalia eiuſdem Perſonæ.

Ad 1. Incid. à n. 10. Reſp. n. 14. Ingenitum ex ſe non connotat Patrem: ſupponit tamen aliquid poſitiuum. *Ad 2.* Prior eſt ordo conſtituens ac referens ad poſterius, quàm negatio ordinis ad prius. *Ad 3.* Si non eſſe ab alio conſtitueret Perſonam, determinaret ad vnicam poſſibilem: contra eius infinitatem, ac incommunicabilitatem.

QVÆSTIO TERTIA.

An prima Perſona conſtituatur in eſſe perſonali, aliquà relatione poſitiuâ ad ſecundam?

1. Opinio *S. Thom. p. 1. q. 40.* Quòd conſtituatur relatione vt eſt proprietas, non vt relatio. *Contra.* 1. Vt proprietas, non eſt abſoluta, ergo relatio. 2. Sic relatiua non eſſent ſimul naturâ.

2. *S. Bon. 1. d. 26. q. 3.* Quòd conſtituatur origine relatiua vt origo eſt, non vt relatio. *Contra.* Origo non conſtituit nec diſtinguit, niſi principiatiuè: ſed eſt quaſi via ad terminum.

3. *Henr.* Quòd conſtituatur relatione vt aptitudinali *generatiuitatis*. *Contra.* 1. Hæc relatio & conſtitutio potentialis, eſſet minùs perfecta quàm actualis 2. & 3. Perſonæ. 2. Non eſt in Patre relatio realis niſi actualiſſima. 3. Pater generaret ſeipſum Patrem, ſicut & Filium. 4. Vnde ergo 1. Perſona determinaretur ad ſolam Paternitatem?

4. *A n. 6.* Quòd non conſtituatur vlla relatione, ſed realitate abſoluta. 1. Quia Paternitas ſupponit Ingenitum: hoc autem aliquid abſolutum. 2. Quia in correlatiuis eſt aliquid abſolutum, quod terminet relationem alterius. *Contra.* Arguitur quòd ſit opin. hæretica: ſed ſoluta ſunt arg. *d. 26.*

A n. 8. Ad hãc Quæſt. *Cui non placet opinio de Perſonis abſolutis, poteſt tenere communem viam: Perſonas eſſe relatiuas, & primam conſtitui relatione poſitiua ad ſecundam, &c. Nec eſt alia difficultas, niſi quomodo requirat ſecundam ſimul. Sed ſimultas relatiuorum eſt non poſſe eſſe ſine ſeinuicem, ſi ſint mutua. Quia vna relatio non poteſt eſſe ſine ſuo termino, niſi eſſet ens ad ſe, &c. Iſto modo concedo Perſonam 1. & 2. non poſſe eſſe ſine ſeinuicem, ex ſua formali ratione: & tamen eſt prioritas originis, ſeu vna eſt ab altera.* 1. Quia Pater & Filius vt correlatiua, ſunt ſimul naturâ: ſed qui eſt Pater eſt prior origine eo qui eſt Filius. 2. Simultas naturæ inter correlatiua ſtat cum prioritate perfectionis inter ſpecies inæquales. 3. Ex *Auic. 6. Met. 2.* Cauſa vt cauſa prior eſt naturâ cauſato, &c.

Sed quomodo eſſentia determinatur ad 1. Subſiſtentiam? Dico, quòd vt Sol habet ſphæram adæquatam ſuæ illuminationis: ordine tamen ſuppoſitionis inter partes illuminandas: vel ſi anima habet corpus adæquatum, non tamen ſine ordine animationis inter partes. Sic Eſſentiæ Diuinæ adæquantur tres Perſonæ: ſed ordine originis; ita vt eſſentia ex ſe determinetur ad primam Perſonam, determinatione oppoſita indeterminationi ad contradictoria, non indeterminationi ad diuerſa poſitiua; quia hæc determinatio eſſet contra infinitatem eſſentiæ.

Ad 1. Arg. princ. à n. 1. Reſp. n. 13. Pater & eius generatio actiua eſt prior origine Filio, & eius generatione paſſiua: ſed eſt ſimul naturâ cum Filio vt ſuo correlatiuo, non ſic autem formaliter cum eius origine paſſiua. *Ad 2.* Primum ordine eſſentiali, eſt abſolutiſſimum, non ordine perſonali.

In

In DIST. 29. QVÆST. VNICA.

An principium eodem modo dicatur, de perſonali, notionali, & eſſentiali? Al. q. 70. S. Bon. hic.

Ad hanc Quæſt. Dico non dici formaliter vniuocè: quia principium eſſentialiter, non dicit relationem realem, ſed rationis, ad creaturas; ſed notionaliter vel perſonaliter dicit relationem realem &c. Videtur autem quòd ratio Principij poſſit eſſe Communis vniuocè Perſonali & Notionali. Vt *D.* 23. De vniuoco Perſonis. *Ad* 1. Poteſt abſtrahi ratio communis, principij, abſque vniuerſalitate: vt *Diſt.* 23.

Ad oppoſitum. Principium non eſt vniuocum ad creans, & generans.

IN DIST. 30. QVÆSTIO I.

An dicatur aliqua relatio de Deo ex tempore?

Quæſt. 2. *An poſſit eſſe aliqua relatio realis Dei ad creaturam? Al. q. 53. Bon. hic.*

A n. 3. *Ad* 1. *Quæſt. Henr.* opinatur eandem eſſe ratione Omnipotentiæ Dei ad creaturas poſſibiles & creatas; ſed nouã tantũ denominationẽ à creatione actuali. *Ad* 2. Negat Deũ poſſe realiter referri ad creaturam: quia eſſet dependens & mutabilis. *Contra vtrumq.* 1. Hinc eſſet etiam eadem relatio creaturæ vt poſſibilis, & vt actualis ad Deum. 2. Non ſunt eadem extrema: ergo nec eadem relatio. 3. Non poſſet eſſe noua denominatio, niſi ex aliqua nouitate. 4. Perſonæ referuntur inter ſe, nec tamen ab inuicem dependent: quia quod refertur non perficitur ab eo ad quod refertur. 5. Cauſa refertur realiter ad effectum: nec tamen ab eo dependet, nec ab eo perficitur.

2. Opinio. *Ad* 1. *Quæſt.* Quod nulla ſit noua relatio Dei ad creaturam: ſed ſolius creaturæ ad Deum, à quâ Deus ipſe dicitur Creator: quia 3. *phyſ.* Actio quæ eſt in patiente denominat agens. *Ad* 2. Quod nulla talis relatio Dei poſſit eſſe realis: quia Deus non poteſt realiter ordinari ad creaturã. *Contra.* 1. Potentia Dei quæ fundat eius relationem non eſt in creatura, ſed in Deo. 2. Relationes cauſæ & cauſati non poſſunt eſſe ſimul: nec poſſent in eſſe ſine denominatione ſubiecti. 3. Deus eſt ſupra omnem ordinem, multiplici primitate ad omnia ſibi ſubordinata: nec quæuis relatio eſt ordo, ſeu relatio ordinis.

A n. 9. *Reſp.* igitur ad 1. Quæſt. Quòd relationes creaturarum ad Deum ſunt nouæ: nec ad eas terminandas ſint vllæ neceſſariæ in Deo. 1. Quia ex 5. *Meth.* 20. Non omnes relationes ſunt mutuæ. 2. Quia relationes terminantur ad abſoluta, ſiue ſint etiam correlatiua, ſiue non. *Ex* 7. *Meth.* 4. & 9. *Meth.* 13 Hinc relatiua nõ definiũtur per ſua correlatiua, ſed per ſuos terminos abſolutos. 3. Poſſunt quidem ex cognitione obiecti reſultare aliquæ relationes rationis, ſed nec illæ terminant, & ſupponunt relationem realem creaturæ ad Deum, nemine etiã cogitãte. Poteſt tamen in Deo poni alia relatio rationis: ſed nõ noua, niſi ex noſtra cognitione; quia Deus ab æterno immutabiliter cognoſcit & præcognoſcit omnia pro vt ſunt & futura ſunt.

Quomodo ergo Deus eſt Dominus? *Reſp. n.* 12. Sola denominatione à noua relatione creaturæ ad ipſum, vt ad ſuum terminum abſolutum. Vt, opus hominis dicitur humanum, ab humanitate formali hominis. Ex *Aug.* 5. *Trin.* 16.

A n. 13. *Ad* 1. *Arg.* 1. *Quæſt.* Quicquid eſt in Deo, eſt æternum: ſed non quicquid de eo dicitur. *Ad* 2. Æternum non dicitur de temporali, ſed temporalia de æterno; quia non adæquantur. Vel, temporalia poſſunt etiam denominari ab aliquo æterno. *Ad* 3. Deus poteſt dici fieri Dominus, ſecundũ quid: ſed potiùs incipit eſſe Dominus.

Ad 2. *Quæſt. Reſp. n.* 14. Quòd in Deo non eſt aliqua relatio realis ad creaturam. 1. Ex ſumma Dei ſimplicitate: quã eſt quicquid habet. 2. Ex neceſſitate eſſendi actu & immutabiliter, quicquid eſſe poteſt. *Contra.* 1. Creatura eſt neceſſaria in eſſe poſſibili: ergo & relatio Dei ad illam. 2. Eſſe exemplatum creaturæ eſt neceſſarium: ergo & relatio Dei ad illud. 3. Si quæ eſſent neceſſariò cauſata, Deus poſſet ad illa referri ſalua ſua neceſſitate eſſendi. 4. Magis neceſſaria poſſunt referri realiter ad minùs neceſſaria: ergo & Deus. *Ad* 1. & 2. *Reſp.* Eſſe poſſibile & exemplatum, non eſſe niſi ſecundùm quid, nec capax terminandi relationem realem. Sed ad omnia ſimul. *Reſp.* Nec creaturæ in eſſe poſſibili aut quidditatiuo, nec ſi eſſent neceſſariò à Deo productæ, eſſent ex ſe neceſſariæ vt Deus, ſed tantùm per participationem: ideoque non poteſt Deus habere vllam relationem realem, ſibique identicam, & ad terminum minus neceſſarium ſeipſo.

A n. 17. *Ad* 1. & 2. *Arg. Quæſt.* 2. De Omnipotentia & Omniſcientia *Diſt.* 35. 39. *Ad* 2. Inæqualitas Dei ad creaturam non poteſt eſſe realis, vt eſt æqualitas inter perſonas: quia fundatur ſuper infinita perfectione, & eſt ad minùs neceſſarium ſe; ſed inter perſonas eſt ad æquè neceſſarium & immutabile. *Ad* 4. Phil. non vult omnes relationes fundatas ſuper actione & paſſione eſſe reales, ſed mutuas: nec ſunt reales quando agens eſt perfectè ſimplex, & neceſſarium ex ſe. Sed ſunt reales inter creaturas: nõ quia agens naturale inclinatur ad ſuũ effectũ, Deus autẽ naturaliter eſt agẽs liberũ: Cũ multa referãtur inter ſe realiter ſine tali præuia inclinatione; ſed quia creaturæ ſunt capaces relationis, & ſunt partes totius vniuerſi, variè inter ſe ordinabiles ac referibiles. *Ad vlt.* Poteſt cõcedi quod Deus ſit Dominus realiter: vt terminat relationem realem creaturæ.

In DIST. 31. QVÆSTIO VNICA.

An identitas, ſimilitudo, & æqualitas ſint relationes reales in Deo? Al. q. 54. S. Bon. hic.

A n. 2. Ad Quæſt. videtur quod ad relationem realem tria ſufficiant. 1. Fundamentum reale, & terminus realis. 2. Diſtinctio realis extremorum. 3. Sequela relationis ex fundamento & termino, independenter ab omni comparatione rationis

Henr. negat hîc fundamentum reale æqualitatis: quia identificatur eſſentiæ. Sed *contra.* Eſſentia vt formaliter infinita eſt obiectum beatificum Dei: Intellectus Dei eſt comprehenſiuus Eſſentiæ ſuæ vt infinitæ, & quælibet perfectio Eſſentialis identificatur Eſſentiæ; fundat tamen relationem realem æqualitatis. *Dico ergo quod eſt fundamentũ reale æqualitatis: non tantùm remotum quod eſt Eſſentia; ſed & propinquum quod eſt infinitas.*

Quod ſit inter extrema realiter diſtincta, patet ex

H 4.

Hyl. 3. *Trin.* & ex Aug. 6. *Trin.* 9. 2. Quia relationes originis non quidem præexigunt, ſed afferunt diſtinctionem realem extremorum: hæ autem præſupponunt. 3. Ad relationes reales ſufficit diſtinctio numeralis extremorum.

Videtur etiam æqualitas inter Perſonas Diuinas eſſe ex natura rei, independenter ab omni comparatione rationis. 1. Quia Pater communicat Filio eandem Eſſentiam, vt infinitam: ergo ex *Aug.* 3 *contra Max.* gignit Filium ſibi æqualem. 2. Vt in creaturis eſt ſimilitudo eſſentialis, & accidentalis: ita licet in Deo non ſit differentia ſpecifica; quia tamen eſt quaſi forma, ſeu actus eſſentialis, & attributales, ſecundùm eos poteſt propriè concedi inter Perſonas ſimilitudo eſſentialis & attributales. 3. Identitas non vnius Perſonæ ſecumipſa, ſed cum alijs, poteſt etiam dici realis: ex natura rei, & vera vnitate eſſentiali, ac diſtinctione ſufficiente perſonali extremorum.

Dubium 1. Fundamentum æqualitatis non differt ab eſſentia vt eſt fundamentum identitatis, nec ab Attributis vt ſunt fundamenta ſimilitudinis: ſed eſt tantùm modus intrinſecus; ergo nec illa relatio differt ab his. 2 Eſſentia & ſingula attributa habent ſuam infinitatem: ergo fundarent tot æqualitates. *Ad* 1. Concedi poteſt quòd æqualitas non tam differat à ſimilitudine & æqualitate, quàm hæ inter ſe: ſed illa dicat quaſi modum intrinſecum ſeu perfectum harum. *Ad* 2. Poteſt concedi quòd ſint tot æqualitates, quot perfectiones Dei ſimpliciter: ſed omnes identificentur realiter. Hinc *Magiſt. d.* 29. rectè aſſignat perfectam æqualitatem in magnitudine ſeu perfectione ad intra, poteſtate ad extra, & æternitate durationis.

Ad 1. *Arg. princ.* Pater & Filius ſunt æquales ſecundùm Eſſentiam, fundamentaliter: ſed æqualitate, formaliter. Non ſic Pater poteſt dici Pater ſecundùm Eſſentiam, quaſi fundamentaliter: quia eſt fundamentum proximum relationis communis, non perſonalis, vt eſt vna in tribus. *Ad* 2. Materia non eſt ratio principalis diſtinguendi. *Ad* 3. Alia eſt æqualitas Patris ad Filium, alia ad Spiritum S. *Ad* 4. Hæ relationes communes ſupponunt relationes proprias ac perſonales.

In DIST. 32. QVÆST. 1.

An Pater & Filius diligant ſe Spiritu S.

Quæſt. 2. *An Pater ſit ſapiens Sapientia genita?*

Ad 1. *Quæſt.* Quidam negauerunt, & dixerunt ab *Aug.* retractari, 1. *Retr.* 36. in hac ſimili: *Pater eſt ſapiens Sapientia genita. Contra.* Aug. non ſimul retractat tam diſtincta, ſed eadem quoties occurrunt. Nec retractat hoc dictum aliorum etiam SS. Patrum. *Alij dixerunt*, exponendum eſſe pro ſigno dilectionis communis. *Contra.* Sic diligerent ſe etiam creaturis. *Alij dicunt*, quòd diligunt ſe amore appropriato Spiritui S. *Contra.* Sic eſſent etiam boni Spiritu S. *Aliter dicitur à S. Thom. q.* 37. Quòd ablatiuus conſtruatur hic vt effectus cauſæ formalis, &c. vt arbor dicitur *florere floribus*: non vt diligere ſumitur eſſentialiter, ſed notionaliter. *Contra* 1. Nec ædificator dicitur ædificare ædificio: nec Pater & Filius ſpirare Spiritu S. 2. Multominus ſpirare ſe Spiritu S. 3. Effectus non conſtruitur tranſitiuè in ablatiuo. 4. Florere eſt verbum neutrum, &c. nec diceretur actiuè *floriſicare floribus*.

Ad 1. *Quæſt.* ſoluendam, priùs reſpondendum eſt ad 2. Verbum in nobis dicit relationem realem ad memoriam exprimentem ſeu dicentem, & rationis ad obiectum verbo declaratum ſeu repræſentatum. Sic & Verbum Dei declarat ſeu repræſentat formaliter ſuum obiectum: ſed Pater dicendo Verbum, dicit & Verbo, ſeu declarat ac repræſentat principiatiuè obiectum. Ita vt ſit diſtinctio realis inter Dicentem & Verbum dictum: ſed non niſi rationis, inter verbum & obiectum eo formaliter expreſſum. Ex *Aug.* 7. *Trin.* 1. 3. & 15. *Trin.* 14. Hinc dicere ſumitur 1. Eſſentialiter. 2. Perſonaliter. 3. Pro declarare obiectum formaliter. 4. Pro declarare principiatiuè. Ex *Aug.* 15. *Trin.* 14. Pater dicit Verbo, &c. Pater ſeipſum dicit .i. declarat Verbo, vt principio ſubauthoritatiuo.

Sed an ſit proprium verbi declarare formaliter omne declarabile? Dicunt aliqui, vt *Henr.* quòd ſic, ex vi ſuæ proceſſionis: cùm tamen nulla relatio rationis ſit propria, ſed tantùm appropriata alicui perſonæ; nec declarare ſit proprium, ſed appropriatum Verbo, quia dicitur vt notitia actualis; ſed quælibet perſona habeat notitiam eſſentialem formaliter declaratiuam.

Ad 2. *Quæſt.* Concedo, quòd Pater non ſit Sapiens Sapientia genita. Ex *Aug.* 7. *Trin.* 4. Quia Filius, ſeu Sapientia genita, non eſt Patri principium formale eſſendi, nec ſubauthoritatiuum operandi.

Ad Arg. Quæſt. 2. ex *Anſelm.* Spiritus S. non dicit Verbo: licet videat omnia in Verbo; quia dicere Verbo, importat authoritatem.

Ad 1. *Quæſt. &c.* Vt amor productus in nobis realiter refertur ad voluntatem producentem, ſed ratione ad obiectum amatum: ſic Spiritus S. ad Spiratorem ſuum, & ad ſuum obiectum amatum. Sed eius Spirator ſeu Spirans, poteſt denominari principiatiuè ab ipſo amore ſpirato, diligens ſe Spiritu S.i. Spirans amorem qui eſt Patris & Filij: vt Pater denominatur principiatiuè dicens ſe Verbo .i. producens Verbum ſui declaratiuum.

Ad 1. *Arg. Quæſt.* 1. Diligunt ſe Spiritu S. eſſentialiter: ſed connotando notionaliter productionem Spiritus S. Hinc & *ad* 2. Vt Pater dicit ſeu declarat Verbo eſſentialiter, producendo illud notionaliter: ſic Pater & Filius diligunt ſe Spiritu S. eſſentialiter, ſpirando eum notionaliter. Vt mitti ſignificat principaliter effectum temporalem, connotando proceſſionem æternam. *Ad* 3. Pater diligit ſeipſum & Filium Spiritu S. non formaliter, ſed principiatiuè, producendo eum qui eſt amor amans Patris & Filij. *Ad vlt.* Non diligunt creaturam vt ſeipſos Spiritu S. quia hic modus diligendi principiatiuè, eſt ſolius termini formalis dilectionis. Sic enim diligere obiectum eſt principiare eius amorem formaliter: ſed Spiritus S. non eſt amor creaturarum niſi contingenter.

In DIST. 33. & 34. QVÆST. VNICA.

An Perſona ſit idem cum Eſſentia? Al. q. 68.

Sub quâ in *diſt.* 33. Quæſt. 1. *An proprietas ſit idem cum Perſona?* 2. *An Proprietas ſit idem cum Eſſentia? Al. q.* 68. *S. Bon. d.* 33.

Digitized by Google

Circa has tres non oportet immorari: quia ſolutio patet, ex *d.* 2. 8. 13. 26. Quòd proprietas perſonalis non ſit idem formaliter cum eſſentia, nec cum perſona, nec perſona cum eſſentia: & ſic de Attributis, &c. ſed realiter & perfectè identificentur inter ſe.

In DIST. 35. QVÆST. VNICA.
An ſint in Deo relationes Æternæ ad omnia ſcibilia, vt quidditatiuè cognita?
Al. q. 23. S. Bon. hic.

1. Opin. *n.* 2. *S. Thomæ q.* 14. *&* 15. Quòd in Eſſentia Dei, vt eſt ratio cognoſcendi, ſint relationes æternæ ad omnia à ſe cognita ſimplici intelligentiâ, ad appropriandam & aſſimilandam hanc rationem communem ſingulis obiectis.

2. *Henr.* Quòd hæ relationes ſint in Eſſentia diuina, vt cognitâ imitabili à creaturis.

3. Opin. Ponit Idæas ſeu relationes tales in ipſo actu intelligendi: quia 5. *Meth.* Intelligere eſt menſura ipſius intelligibilis; ergo intelligere diuinum eſt menſura omnium intelligibilium.

Contra omnes. 1. Hæ ipſæ relationes eſſent cognoſcibiles: non per alias & alias in infinitum; ergo nullæ ſunt neceſſariæ. Nec poſſent à Deo cognoſci ex ſuis obiectis: quia nil cognoſcit niſi ex ſeipſo. 2. Eſſentia eſt ratio cognoſcendi ſeipſam, ſine vlla relatione ad ſe: eſtque ratio infinita cognoſcendi omnia; ergo ex ſe ſufficiens & determinata ad ſingula. 3. Eſſentia Dei & relatio non poſſunt eſſe vnum obiectum per ſe, nec vna ratio intelligendi: nec eſſentia ſub quauis relatione eſt minus infinita, quàm ſine.

Contra 1. *Opin.* 1. Si quæ relationes eſſent de ratione cognoſcendi, eſſent reales: quia priores ipſa intellectione. 2. Sic opinantes putant ſufficere relationem rationis in principijs, ad realem in principiatis: ergo diſtinctio illa relationum diſtingueret realiter ipſa cognita. 3. Res extra immediatè intelligerentur ex illis relationibus.

Contra 2. *Opin.* 1. Relatio rationis in obiecto vt cognito, non eſt in eo vt ſimpliciter exiſtente, ſed ſecundùm quid. 2. Deus priùs eſt imitabilis, ſeu participabilis à creatura, quàm poſſit cognoſci vt talis: nec fit talis per cognitionem. 3. Poſſumus res intelligere ſine tali relatione: cur non & Deus?

Poteſt dici quod cùm intellectio diuina ſit ſimpliciter menſura omnium aliorum à ſe intellectorum: hæc omnia referantur ad intellectionem diuinam, & ipſa determinet relationem eorum, ſub ratione ſua merè abſoluta, 1. Quia prima Dei intellectio beatifica eſt Eſſentiæ vt Eſſentia eſt: ergo ad intellectionem alicuius non eſt neceſſaria vlla relatio, niſi coexigentiæ mutuæ, vel dependentiæ vnius ab alio; non eſt autem coexigentia vllius cogniti cum Deo cognoſcente; ergo ſola dependentia cogniti in eſſe cognito. 2. Voluntas fruens fine, non refert eum ad alia, ſed alia ad finem: ergo nec Deus cognoſcens ſe & alia, comparat ſe ad alia, ſed alia ad ſe. 3. Quo actu intellectus produceretur illa relatio rationis?

Concedi poteſt concl. harum omnium rationum: & quod ſint in deo relationes æternæ ad obiecta cognita; ſed non priores naturaliter ipſis vt obiectis cognitis. Ita vt Deus. 1. Intelligat Eſſentiam ſuam ſub ratione merè abſoluta. 2. Intelligendo alia à ſe, producat alia in eſſe intelligibili, & relatiue ad ſuam intellectionem. 3. Forſè comparet ſuam intellectionem ad quoduis intelligibile, ſicq; cauſet in ſe ralationem rationis. 4. Quaſi reflectat ſuper hanc relationem: & tunc tandem erit cognita, non autem vlla ratio cognoſcendi.

Contra. 1. Ex *Aug. q.* 46. *ex* 83. In idæis eſt tanta vis vt niſi eis intellectis nemo ſapiens eſſe poſſit. 2. Intellectus Dei non habet formam diſtinctam cognoſcendi, niſi per Idæas. 3. Eſſentia Dei eſt æquè infinita vt cognita, ac vt ratio cognoſcendi: ergo æquè poteſt eſſe immediatè ratio cognoſcendi omnia, ac vt cognita *Ad* 1. Idæa ex *Aug. ibi,* eſt ratio æterna in mente Diuina, ſecundùm quam aliquid eſt formabile extra, vt ſecundum propriam rationem eius. Ex Platone, qui poſuit Idæas vt quidditates in eſſe cognito in mente diuina: vt refert *Aug.* non quaſi per ſe exiſtẽtes, vt falſò *Ariſt.* Hinc nullæ relationes eſſentiæ aut cognitionis diuinæ ſunt idææ: ſed ſolùm eſſe cognitũ cuiuſque. Sine cuius cognitione, nemo poteſt eſſe omnino ſapiens .i. vltimatè. Sicque ex *Aug. ibid.* Viſione Idæarum anima fit beatiſſima: non formaliter, ſed conſequenter. *Ad* 2. Eſſentia vt abſoluta eſt forma ſeu ratio ſufficiens intellectui Diuino ad omnia cognoſcenda. *Ad* 3. Sola Eſſentia Diuina eſt obiectum primò motiuum & terminatiuum totius cognitionis diuinæ: quæ tamen poteſt etiam terminari ad obiecta ſecundaria. Quia motiuum eſt prius ipſo actu: ſed terminans, nec eſt prius nec neceſſariò ſimul; ſed ſi ſit ſecundarium, poteſt eſſe poſt actum, vt ab eo menſuratum & cauſatum.

Hinc *Ad Arg. princ.* Sufficit vt ratio intelligendi ſit ſimilis, & contineat formaliter vel eminenter intellectionem & intelligibile.

In DIST. 36. QVÆST. VNICA.
An creatura vt eſt fundamentum relationis æternæ ad Deum cognoſcentem, habeat verè eſſe Eſſentiæ?

Quidam dicunt quod ſic, vt *Henr.* quia res vt à *Reor reris*, eſt communis etiam figmentis: ſed *res rata*, ſeu à ratificatione, vel eſt capax eſſendi, vel eſt actu, &c.

Contra 1. Creatio eſt de nihilo: ergo nihil ſupponit reale. 2. Creatio non eſſet niſi quoad nouum reſpectum ad creantem. 3. Ex *Henr.* ne quidem eſſet ad nouam relationem, ſed ad eandem aptitudinalem. 4. Non eſſet ad nouum terminum. 5. Creatio eſſet ab æterno in illo eſſe eſſentiæ. 6. Nihil poſſet annihilari. 7. Creatura non poteſt eſſe neceſſaria in vllo vero eſſe proprio. 8. Eſſet aliquid in Deo, non æquè neceſſarium & immutabile ac Deus ipſe. 9. Deus non cauſat idæas in ſe realiter: ergo nec idæata. 10. Deus produceret creaturas in ſe naturaliter. 11. Non poteſt eſſe cauſalitas exemplaris in Deo, ſine efficientia reali.

Concedo concluſionem harum rationum, ſeu partem negatiuam Quæſt. Quia Deus æquè præcognouit eſſe exiſtentiæ ac eſſentiæ: nec inde eſſe exiſtentiæ eſt realiter ab æterno; ergo nec eſſe eſſentiæ. Nam vt intellectus noſter producens res in eſſe intelligibili, non perducit eas realiter: ſic nec diuinus.

Contra 1. Cognita à Deo ab æterno, fundant relationem ad Deum vt cognoſcentem: ergo verè ſunt. 2. Relatio non producitur niſi in aliquo eſſe

abſoluto:

abſoluto: ergo nec relatio cogniti à Deo. *Ad* 1. Non fundant nec ſunt ſimpliciter: ſed ſecundùm quid, ſeu in eſſe cognito; poſſibili tamen ad eſſe ſimpliciter. *Ad* 2. Producitur in eſſe abſoluto ſecundùm quid, ſeu cognito: non in vllo eſſe ſimpliciter; quia ipſa cognitio diuina non eſt formaliter ipſum eſſe ſuorum cognitorum, ſed tantùm principiatiuè & terminatiuè.

Ad 1. *princ.* Ens ratum, ſeu verum & firmum, non eſt niſi exiſtens: ſed eius definitio non eſt vt exiſtentis. Ens autem ratum, vt diſtinguitur à figmentis, eſt ex ſe poſſibile, ſeu non repugnans veræ eſſentiæ & exiſtentiæ. Nec eſt ſic ratum vlla relatione ratitudinis, ſine fundamento & termino. *Ad* 2. Deus ab æterno intellexit omnia: ergo fuerunt ab æterno intellecta; ſed non fuerunt ab æterno niſi ſecundùm quid in eſſe intellecto.

Ad *Henr.* Proportio obiecti ad intellectum non eſt quoad eſſe ſimpliciter. Nec poſſibilia plus ſunt ſimpliciter ab æterno, quàm impoſſibilia: ſed illa ſunt ex ſe ſecundùm quid, ſeu in ſolo eſſe poſſibili, & ex cognitione diuina in ſolo eſſe cognito vt poſſibili; hæc autem ſunt ex ſe formaliter impoſſibilia. Illa igitur aliter non ſunt quàm hæc: ſed non ſunt minus nihil ſimpliciter quàm hæc, &c.

In DIST. 37. *QVÆST. VNICA.*

An Omnipotentia Dei inferat eius Immenſitatem?

Reſp. Agens creatum poteſt agere vbi non eſt: ſed communiter mediante actione ſaltem alterius rationis in ſubiectum ſibi proximum. Vel ex imperfectione ſeu impotentia agendi perfectiùs, niſi priùs agat imperfectiùs: vel ex concomitantia naturali duarum potentiarum in agendo circa ſubiecta ſibi approximata & proportionata. Quòd ſi neutrum ſubſit, non videtur ratio cur non poſſit agere in diſtans, non agendo in medium.

Hinc cùm Omnipotentia Dei ſit ſimpliciter & perfectiſſime actiua: videtur poſſe quidlibet & vbicumque poſſibile, etiamſi per impoſſibile non eſſet vbique. Si enim Omnipotentia Dei eſt eius Voluntas, ad cuius velle ſequitur rem eſſe: cùm voluntas poſſit æquè velle diſtans ac præſens, Omnipotens poteſt æquè in diſtans ac præſens. Nam vt ante mundum non erat vacuum, vbi Deus eſſet præſens, ad ibi producendum mundum: nec Deus vt alicubi præſens quoad eſſentiam fuit potens creandi mundum; ſic nec Deus eſt alicubi vt poſſit ibi cauſare; ſed potiùs eſt prius alicubi per potentiam, quàm ibi aliquid cauſet.

Hinc ad Arg. de agentibus naturalibus.

In DIST. 38. *QVÆSTIO VNICA.*

An Scientia Dei ſit practica reſpectu factibilium?

Reſp. ex q. 4. 5. *Prologi.* Quòd non: quia nec eſt prior naturaliter, nec conformatiua praxis ſeu voluntatis Dei ad illa facienda, vel ad eorum principia practica; ſed hæc eſt ad illa prorſus libera, & illa ſunt prorſus contingentia, ac illorum cognitio poſterior & conformis ipſi voluntati Dei; ergo nullatenus eſt practica.

Contra. 1. Sic Intellectus Diuinus non eſſet niſi ſpeculatiuus naturaliter: nec voluntas eſſet ad hoc libera. 2. Ex aliquo principio practico decreto à voluntate Dei, poteſt ei intellectus dictare praxim particularem. *Ad* 1. Libertas Dei non eſt ad eius intrinſeca, quæ præcedunt actum voluntatis: ſed ad omnia factibilia determinanda ab ipſa voluntate, non autem prædeterminata ab intellectu. Quia intellectus naturaliter prædeterminaret, & voluntas neceſſariò ſe ei cōformaret, ſicque nihil poſſet eſſe contingens. *Ad* 2. Deus non cognoſcit diſcurrendo: ſed omnia ſimul, tam operabilia in particulari, quàm in communi: ex quibus voluntas eligit quæ vult; & tunc Deus ſcit æquè immediate particularia facienda, ac vniuerſalia.

Ad 1. *Arg. princ.* Ars propriè eſt recta ratio .i. directiua potentiæ ad faciendum: ſed poteſt etiam dici ſola cognitio rectitudinis agendorum. *Ad* 2. Ideæ repræſentant factibilia: ſed non dirigunt Deum ad facienda.

In DIST. 39. *QVÆST. VNICA. Al. q.* 23. *Bon. hîc.*

Sub qua 1. *An Deus habeat notitiam determinatam omnium quoad omnes conditiones exiſtentiæ.* 2. *An hæc Dei notitia ſit certa & infallibilis?* 3. *An immutabilis?* 4. *An neceſſaria?* 5. *An ſit cum aliqua rerum contingentia?*

1. Opin. *n.* 7. *S. Bon. d.* 35. & 39. Deum certò ſcire omnia, etiam futura: ex Ideis quaſi omnia etiam futura repræſentarent. *Contra.* Ideæ ſunt tantùm rerum ſingularum: ergo non repræſentant omnes earum complexiones. 2. Repræſentant naturaliter; ergo non futura contingentia. 3. Non aliter repræſentant futura, quàm poſſibilia. 4. Non repræſentant potiùs nunc, quàm tunc.

2. *n.* 8. *S. Thom. q.* 14. Deum certò ſcire omnia, etiam futura, ex coexiſtentia ſuæ æternitatis, ſeu ex eorum præſentia in ſua æternitate. *Contra.* 1. Vt Deus non coexiſtit loco niſi exiſtenti: ſic nec tempori niſi exiſtenti. 2. Si coexiſterent, ſeu eſſent Deo præſentia, verè eſſent. 3. Non poſſent produci. 4. Futura vt in ſe, non ſunt præſentia Deo. 5. Sic & Angelus cognoſceret futura, coexiſtendo eis ſuo æuo.

3. *n.* 11. Eiuſdem *S. Thomæ*, Futura vt ſcita & volita à Deo, eſſe certa & neceſſaria: ſed contingentia, ex ſola libertate cauſarum ſecundarum. Ex *Boetio* 5. *Conſol. vlt.* ſeu proſa vltima. *Futurum, cùm ad notitiam diuinam refertur, eſt neceſſarium: cùm verò in ſua natura perpenditur, liberum prorſus eſt, & à vinculis neceſſitatis abſolutum.* Quia imperfectio ineſt à cauſa proxima, non à Prima. *Contra d.* 2. *q.* 1. & *d.* 8. *q.* 5. Si Cauſa ſecunda neceſſariò mouetur à Prima, neceſſariò mouet vſque ad effectum: Nec effectus poteſt ſimul eſſe neceſſariò à Prima, & contingenter à 2. Poſſetque idem produci à ſola Prima, ſicut & multa alia.

A n. 13. *Neceſſarium vel poſſibile ſeu contingens disiunctiuè, eſt paſſio entis: ſed indemonſtrabilis de contingente ex neceſſario, ſicut eſt demonſtrabilis de neceſſario ex contingente; quia imperfectius ſupponit perfectius, non autem perfectius infert neceſſariò aliquod imperfectius. Suppoſito ergo Ente contingente, vt euidente & indemonſtrabili à Priori: Dico non poſſe ſaluari contingentiam cauſarum ſecundarum, niſi Primâ immediatè contingenter cauſante, per ſuam voluntatem liberam.*

De qua 1. *Quæ ſit libertas voluntatis noſtræ?* 2. *Qualiter eam ſequatur poſſibilitas ſeu contingentia.* 3. *Quomodo logicè exprimenda ſit?*

Ad 1. Voluntas vt eſt potentia libera. 1. Eſt ad

Digitized by Google

actus oppoſitos. 2. Ad oppoſita obiecta. 3. Ad oppoſitos effectus. Prima libertas eſt imperfectionis, ſeu mutabilitatis. 2. Eſt perfectionis ſine imperfectione. 3. Non eſt neceſſaria ad primam, nec ſecundam. Libertas ergo vt perfectio, eſt ad obiecta.

Ad 2. Hanc libertatem comitatur potentia ad oppoſita: non quidem ad ſimul velle & nolle: nec tantùm ſucceſſiuè, vt naturalia mutabilia; ſed etiam ad nolendum eodem inſtanti quo vult, vel eſt, quamuis vnico inſtanti eſſet. Non enim liberè vult, quia exiſtit priùs quàm velit: ſed vt Ens eſt neceſſarium, vel contingens, ſic cauſa neceſſariò cauſat vel contingenter, &c. Potentia enim vt prior naturâ ſuo actu, ſic eum producit contingenter, vt poſſit producere oppoſitum. Hanc potentiam realem actiuam, comitatur potentia logica, ſeu non repugnantia terminorum. Voluntati enim volenti, non repugnat nolle: tùm quia eſt cauſa contingens, tùm quia eſt etiam ſubiectum contingens, &c. Libertatem ergo noſtram ad actus oppoſitos comitatur potentia ad oppoſita ſucceſſiuè, & pro eodem inſtanti .i. ad alterutrum ſine altero, &c. Sed potentia ad oppoſita ſimul, nulla eſt.

Hinc Ad 3. Hæc eſt falſa in ſenſu compoſito, ſed vera in diuiſo: *Voluntas volens hoc, poteſt idem nolle vel non velle*; quia non poteſt ſimul eſſe volens, & nolens idem, ſed poteſt ſucceſſiuè, imò & ſimul eſſe volens & potens nolle. *Contra* 1. Omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. 2. Poſito falſo contingenti de præſenti, in inſtanti negandum eſt ipſum eſſe. 3. Potentia ad actum, vel eſt ante quàm actus oppoſitus inſit, vel etiam ſtante actu oppoſito, &c. *Ad* 1. Quicquid eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe: neceſſitate conſequentiæ, vel conſequentis; non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid i. conditionatè, ſi, vel quando eſt. *Ad* 2. Non ſequitur falſum pro aliquo inſtanti, eſſe impoſſibile. Nec poſſibilitas eſt ad veritatem ſucceſſiuè: ſed potentia vt prior naturaliter ſuo actu, eſt ſimul ad oppoſitum. *Ad* 3. Potentia eſt ante: non duratione, ſed natura; quia vt prior naturâ, poſſet eſſe cum oppoſito huius actus. Nec hinc ſequitur quòd poſſit idem ſimul velle & non velle, pro eodem inſtanti: quia vt 9. *Met. Habens potentiam ad oppoſita, ſic faciat vt faciendi habet potentiam: non autem vt potentiam habet faciendi* .i. modo ipſius faciendi ſeu factibilis, non autem modo potentiæ; quia ſimul eſt potentia ad oppoſita, ſed non eſt ad oppoſita ſimul, &c. Potentia eſt ad vtrumque diſiunctim pro eodem inſtanti: ſed non ad vtrumque ſimul; quia poſſibilitas eſt æquè ad vnum ac ad alterum, ſed non ad eorum ſimultatem. Vt hoc & illud corpus poteſt eſſe hîc: ſed non ſimul. Poteſt quis portare hunc & illum lapidem: ſed non vtrumque ſimul.

A n. 21. De voluntate Dei. 1. *Quæ ſit eius libertas.* 2. *Quæ contingentia volitorum eius.* 3. *Quæ expreſſio veritatis.* *Ad* 1. Voluntas Dei non eſt indifferens ad diuerſos actus volendi, & nolendi: quia hoc eſt ex imperfectione agentis, ſubiecti, & actus finiti; ergo idem actus infinitus eſt ſufficiens ad volendum & nolendum quæuis obiecta volibilia & nolibilia, & ad quoſuis effectus. Sed prima libertas, & perfecta ſine imperfectione, eſt ad obiecta. Quamuis autem in nobis poſſet diſtingui voluntas vt eſt operatiua formaliter circa obiectum, & productiua, ac receptiua actuum: libertas tamen videtur eſſe eius vt formaliter operatiua circa obiectum. Sic ergo libertas voluntatis diuinæ eſt per ſe & primò vt eſt formaliter operatiua, non receptiua, nec productiua ſuæ volitionis: ſed tantùm ſuorum volitorum, vel ſimpliciter in eſſe exiſtentiæ, vel ſaltem ſecundùm quid, in eſſe volito.

Ad 2. Deus vult neceſſariò ſolam ſuam eſſentiam: reliqua omnia contingenter; ita vt & ſit prior naturaliter ſuo actu, & vt actu volens ſit prior naturaliter ſua tendentia in alia obiecta. Quia vt voluntas noſtra prior naturâ ſuo actu, ita eum elicit vt poſſit eodem inſtanti elicere oppoſitum: ſic voluntas Dei vt eſt etiam volens, prior eſt naturaliter omnī tendentia ad alia obiecta; & ita contingenter tendit in ea, vt quolibet inſtanti poſſit tendere in oppoſita, tam potentiâ logicâ, quàm reali.

A n. 23. Reſtat, qualiter cum contingentiâ ſtet certitudo ſcientiæ Dei. 1. Quia Deus videt determinationem immutabilem & infallibilem voluntatis ſuæ. Vel, ne Deus videatur ſcire per diſcurſum, &c. poteſt poni quòd intellectus diuinus, vel offert voluntati poſſibilia ſimplicia, vel eorum complexionem, vt neutram: ſed voluntas quamlibet eligens, facit eam determinatè veram, ſicque ex eſſentia Dei naturaliter cognoſcibilem, ac cognitam. Vt ſi quis oculus ſufficeret ad videndum vnico actu permanente omnia ſua obiecta: videret ea ſucceſſiuè pro vt ſibi obijcerentur, &c. Hinc ad tres primas Quæſt.

Ad 4. *Quæſt.* Videtur *S. Bon. d.* 38. *a* 2. *q.* 2. quòd Deus non neceſſariò ſciat futura in ſenſu compoſito, ſignificante neceſſitatem ipſius obiecti: ſed in ſenſu diuiſo, ſignificante neceſſitatem ipſius ſcientiæ. Hæc tamen diſtinctio non videtur logica: ſed abſolutè negandum quòd Deus neceſſariò ſciat illa; quia hoc prædicatum vt ſic determinatum, non neceſſariò conuenit huic ſubiecto. *Contra.* Scire Dei non diſtrahitur per materiam ſuper quam tranſit, quin ſit æquè neceſſarium. *Reſp.* Non diſtrahitur ad eſſe ſecundùm quid: nec à propria neceſſitate eſſendi; ſed tendendi in talem materiam.

Ad 1. & 2. *Arg. princ.* 1. *Quæſt.* Ex 1. *Periherm.* In futuris contingentibus non eſt determinata veritas .i. non tàm quàm de præſentibus & præteritis; nec tam determinata in ſua cauſa & exiſtentia, quin ſit locus conſilio & deliberationi.

Ad 3. Limitatio in poſſe, eſt imperfectionis: ſed non determinatio in velle, ſcire, & facere.

Ad Arg. Quæſt. 2. Ex ſcientia futuri, & poſſibilitate oppoſiti, non ſequitur fallibilitas Dei: quia ita ſcit futurum, vt etiam ſciat potentiam ad oppoſitum, non coniunctim, ſed diuiſim, &c. per docta logicabia.

Ad 1. *Arg. Quæſt.* 3. Non poteſt eſſe tranſitus inter contradictoria ſine aliqua mutatione, nec ſine ſucceſſione inter oppoſita. Qualis non poteſt eſſe inter ſcire, & non ſcire Dei. *Ad* 2. Ex poſſe, non ſequitur poſſe incipere. *Ad* 3. Potentia illa ſciendi eſt actiua ſecundùm quid, ſeu ad obiecta in eſſe cognito: nec eſt mutabilis in ſe, nec in ſuis obiectis, quamuis contingentibus, non ſucceſſiuis.

An

Digitized by Google

Ad 1. *Arg.* 4. *Quæſt.* Deus ſcit omnia immutabiliter, ſed non neceſſariò: quia neceſſitas ſimpliciter, eſt abſolutè contra poſſibilitatem oppoſiti; ſed immutabilitas eſt tantùm contra ſucceſſionem oppoſiti. Nec poſſibile ſecundùm quid, ſeu quoad eſſe cognitum, eſt mutabile, nec neceſſarium: ſed poſſibile ſimpliciter, ſeu quoad exiſtentiam. *Ad* 2. Scire Dei abſolutè, eſt in eo formaliter: ſed ſcire externa; vel hæc ſcita non ſunt in Deo niſi ſecundum quid, obiectiuè, terminatiuè, & logicè ſeu appellatiuè. *Ad* 3. Scire externa non eſt perfectio Dei: ſed neceſſariò ſequitur ex eius perfectione.

Ad 1 *Arg.* 5. *Quæſt.* vt ad q. 4. *Ad* 2. Nec omnia ſciuntur à Deo neceſſariò, nec ſcita non neceſſariò, erunt neceſſariò.

Ad Arg. pro 2. *Opin. à n.* 8. Reſp. *à n.* 34. Immenſitas & æternitas Dei ſufficiunt ad coexiſtendum, & excedendum in infinitum omnem locum & tempus: ſed non coexiſtunt niſi exiſtenti. Sancti autem dicunt omnia eſſe præſentia æternitati: obiectiuè & intuitiuè in Eſſentia Dei.

Ad Arg. pro 3. *Opin. n.* 11. Reſp. *Boetium* ſe exponere de neceſſitate conſequentiæ. Nec contingentia eſt tantùm priuatio, ſeu defectus: ſed modus poſitiuus entitatis, oppoſitus neceſſitati. Porro, omne poſitiuum eſt principaliùs à Cauſa prima, quàm à ſecunda: Imò contingentia eſt priùs à Cauſa 1. quàm à 2.

In DIST. 40. *QVÆSTIO VNICA.*

An Prædeſtinatus poſſit damnari? *Al. q.* 28. *Bon. hîc.*

Ad hanc Quæſt. Prædeſtinatio propriè ſumpta dicit actum voluntatis Diuinæ .i. ordinem electionis alicuius creaturæ intellectualis ad gratiam & gloriam, per voluntatem Dei: licet poſſit accipi pro actu intellectus concomitante, &c. Hinc ex q. priore dico quòd Deus contingenter prædeſtinat quem prædeſtinat, & poteſt eum non prædeſtinare: non vt hæc oppoſita ſint ſimul, nec ſucceſſiuè; ſed vtrumque diuiſim eſſe poſſit in inſtanti æternitatis. *Ad hanc quæſt.* in ſe, Dico etiam quòd qui eſt prædeſtinatus, poteſt damnari: quia non eſt inde ita confirmatus, quin poſſit finaliter peccare, & damnari; ſed vt poteſt damnari, ſic non prædeſtinari. *Logicè*, in ſenſu compoſito, Prædeſtinatus vt talis non poteſt damnari: ſed in ſenſu diuiſo, in quo de vna perſona dicitur quòd ſit prædeſtinata, & de eadem quòd poſſit damnari; non vtrumque ſimul, nec ſucceſſiuè, ſed vt voluntas prædeſtinans eſt naturâ prior, & ex ſe indifferens ad vtrumque.

Ad 1. *Arg.* Præteritum eſt neceſſarium: ſed Prædeſtinatio Dei non præterit; quia eſt æterna, & æquè præſens ac ſi inciperet. Vnde fallimur tantùm falſa imaginatione præteriti. *Ad* 2. Voluntas Dei non poteſt impediri: quia non poteſt ſtare oppoſitum cum eius ordinatione.

In DIST. 41. *QVÆST. VNICA. Al. q.* 28. *Bon. hîc.*

An ſit aliquod meritum Prædeſtinationis & Reprobationis.

A n. 2. Senſit *Aug. in Epiſt ad Rom.* quòd non opera, ſed fides à Deo præſcita, ſit ratio prædeſtinandi. Sed retractauit 1. *Retr.* 22. quia fides eſt etiam donum Dei.

Magiſter videtur ſentire quòd nullum ſit omnino meritum Prædeſtinationis & Reprobationis: ex *Rom.* 9. & *Aug. de Prædeſt. SS.* Ad illud *Aug.* *q.* 68. *ex* 83. Venit de occultiſſimis meritis, &c. *Reſpondet* id retractaſſe in *Epiſt. ad Rom.* Nec obſtat quòd ille liber erat prior hoc: quia omnia eadem operà retractauit; & quædam poſteriora cum prioribus, vt 1. *Retr. c.* 3. Sed *B. Aug.* retractans quædam circa illa *q.* 68. horum non meminit: ergo non videtur ea voluiſſe retractare.

A n. 4. S. Thom. *q.* 23. *a.* 5. opinatur Deum operari omnia circa creaturas, ſolo beneplacito ſuæ voluntatis: nec eſſe vllam rationem particularem inquirendam præferendi vnum alteri; ſed ſolam communem manifeſtandi miſericordiam & iuſtitiam Dei, liberando aliquos, non omnes, ex maſſa perditionis. *Rom.* 9. 2. *Tim.* 2. *Matt.* 20. *Aug.* in illud Ioan. *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Contra.* Ex *Henr.* 1. Nullum malum eſt de perfectione vniuerſi. 2. Sufficeret damnatio Dœmonum. 3. Potiùs glorificaret Deus aliquos homines, vt Angelos: vel aliquos Angelos & homines ſine merito proprio. 4. Nullum malum eſt per ſe intendendum, quamuis ad puniendum. 5. Non poteſt permitti malum, ſine volitione ipſius mali. 6. Vt materia nuda eſt indifferens ad omnem formam, ſed non diſpoſita: ſic & homines. 7. Apoſt. *Rom.* 9. 2. *Tim.* 2. non negat ſubeſſe rationem: ſed reprimit temeritatem inquirendi.

A n. 8. Henr. *quodl.* 4. *q.* 14. Negat Deum moueri ab vlla cauſa aut fine extrinſeco ad volendum: ſed varios modos volendi ſeu tendendi in obiecta, prædeſtinando vel reprobando, eſſe ex præuiſo vſu bono vel abuſu liberi arbitrij. Ex *Aug.* *q.* 68. *ex* 83. *& in Pſal.* 78. Nec obſtet quod bonus vſus liberi arbitrij ſit per gratiam, ſicque videatur effectus prædeſtinationis, non ratio prædeſtinandi: quia, inquit, non eſt eius effectus proprius, licet non ſit ſine eo, &c. *Contra.* 1. Deus non præuidet hunc benè vſurum libero arbitrio, niſi quia vult ſeu præordinat eum benè vti: nam ex *d.* 39. certa præuiſio futurorum contingentium, eſt ex determinatione voluntatis Dei. 2. Deus non præuidet vllum vſum bonum vel malum in paruulis: nec cuiquam imputari poteſt quòd fortè futurum fuiſſet ſi ſuperuixiſſet.

A n. 11. Poteſt aliter dici quòd nulla ſit ratio præuiſa prædeſtinationis, nec ex parte prædeſtinati: ſed ſit aliqua cauſa reprobationis; non propter quam Deus ipſe velit, ſed eius volitio ſic terminetur, reprobando vnum, non alium. 1. Quia volens ordinatè, priùs vult finem quàm quidlibet ad finem: ergo Deus priùs vult cuiuis beatitudinem, quàm media ad illam; ſed gratia, bonus vſus liberi arbitrij, & merita, ſunt media ad illum finem ordinata; ergo priùs vult cuiuis beatitudinem, quàm quidlibet horum, & priùs vult hæc quàm præuideat ea futura. 2. Damnatio non videtur bona, niſi quia iuſta: ex *Aug.* 11. *in Gen.* 24. Deus non eſt priùs vltor quàm quis ſit peccator; ergo non reprobat niſi ob præuiſum peccatum. *Contra.* Si Deus 1. vult Petro beatitudinem: quid vult tunc Iudæ æquali in naturalibus? *Dici poteſt quòd in iſto* 1. *inſtanti nihil vult Iudæ: ſed tantùm eſt ibi negatio volitionis gloriæ. Nec quaſi in* 2. *inſtanti naturæ,*

quando vult Petro gratiam, nullus eſt adhuc actus poſitiuus voluntatis Dei circa Iudam, ſed tantùm negatiuus. In 3. inſtanti, quando vult permittere Petrum eſſe de Maſſa perditionis, ſiue ob peccatum originale, ſiue actuale: tunc vult permittere Iudam eſſe etiam filium perditionis, &c. Sed ex hoc actu eſt verum, quòd Iudas erit finaliter peccator, ſuppoſita non voluntate dandi ei gratiam & gloriam. In 4. inſtanti, Iudas offertur vt peccator finaliter: & tunc Deus vult eum iuſtè punire & reprobare. Nec *mirum, quòd non ponitur idem proceſſus Prædeſtinationis & Reprobationis: quia bona tribuuntur principaliter Deo, mala autem nobis ſolis, &c.*

Sed adhuc inſtatur. 1. Sola permiſſio, non facit certitudinem, &c. 2. Si velle permittere peccatum eſt actus poſitiuus circa peccatum, videtur quòd Deus velit peccatum: ſi non eſt actus poſitiuus niſi circa ſuam permiſſionem, erit actus reflexus, & tunc circa quid niſi circa peccatum? Ad 1. *Deus præſcit ſe cooperaturum ad ſubſtantiam actus qui erit peccatum, quia vult illi cooperari, ſi eſt peccatum commiſſionis: vel præſcit ſe non cooperaturum, quia non vult, ſi eſt peccatum omiſſionis. Sciendo autem ſe cooperaturum vel non cooperaturum ad actũ & circumſtantias debitas, ſcit hunc peccaturum: non ſolùm, quia ſcit ſe permiſſurum, ſed ſe cooperaturum aut non ad ſubſtantiam actus, cum vel ſine circumſtantijs debitis.* Ad 2. *alias. De his opinionibus, ne vt* Rom. 9. *ſcrutando de profundo eatur in profundum: eligatur quæ magis placet; dum tamen ſaluetur libertas Diuina ſine iniuſtitia, & alia quæ ſaluanda ſunt circa Deum vt liberaliter eligentem.*

A n. 14. *Ad* 1. *Arg. princ.* Poteſt ſummè Bonus ſe inæqualiter communicare: vt oſtendat ſe eſſe liberalem. *Ad* 2. Acceptatio perſonarum, non poteſt eſſe niſi inter perſonas æquè acceptandas: Deo autem nihil eſt acceptandum extra ſe.

Ad oppoſitum ex *Rom.* 9. Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius .i. circa peccata particularia præuiſa: non autem circa principia practica, &c. *De bonis autem poteſt poni quòd nulla ſit ratio: vt in* 5. *opin. Si arguas quòd ſaltem circa bonos non erunt iudicia inſcrutabilia: facilè enim eſt dicere, quòd quia vult ideo ſaluat: poteſt dici quòd de eis vt Prædeſtinatis non eſt iudicium, neque de aliquo facto, neque de præuiſo; ſed de malis licet non ſit iudicium facti, poteſt tamen dici iudicium præuiſi.*

In DIST 42. *QVÆSTIO VNICA.*

An poſſit probari ratione naturali Deum eſſe Omnipotentem? Al. q. 21. *S. Bon. hìc & d.* 13.

Reſp. Poteſt probari Omnipotens .i. potens omne poſſibile, mediatè vel immediatè, vt *d.* 2. *q.* 1. ſed non Omnipotens theologicè .i. potens immediatè omnia poſſibilia, non neceſſaria nec contradictoria, ſine cooperatione vllius cauſæ ſecundæ. Quia licet cauſa prima ſit eminentiſſima, & potentiæ infinitæ: non eſt tamen euidens poſſe immediatè effectus imperfectos, quin eorum imperfectio neceſſariò dependeat à cauſis ſecundis &c.

Ad 1. *ex Rich.* Hæc Omnipotentia non poteſt probari neceſſariò euidenter. *Ad* 2. Ex potentia infinita intenſiuè, non ſequitur euidenter potentia ad omnia immediatè abſque vlla cauſa ſecunda, vt ſupra.

IN DIST. 43. *QVÆST. VNICA.*

An prima ratio impoſſibilitatis, ſit ex parte Dei, vel ex parte rei? Al. q. 21. *S. Bon. d.* 42.

1. Opin. *Henr. quodl.* 6. *q.* 3. Quòd impoſſibilitas ſit ex parte rei, poſſibilitas ex parte Dei. 2. Eiuſdem, retractans vel retractata: Quòd poſſibilitas & impoſſibilitas ſit ex parte Dei. *Contra* 2. Nihil eſt ſimpliciter impoſſibile, niſi cui ex ſe primò repugnat: ſed non primò & per ſe ex parte Dei; ergo rei. *Contra* 1. Res ſunt ex ſe formaliter poſſibiles, in eſſe cognito ab intellectu Dei: ergo non ab eius Omnipotentia, quæ non dat eſſe poſſibile, ſed eſſe actu ſeu exiſtere; nec includit reſpectum neceſſarium ad creaturam poſſibilem.

A *n.* 5. *Aliter dico, &c. quòd potentia Dei ſit perfectio abſoluta, quâ Deus eſt formaliter potens &c. Nec per eam fit obiectum primò poſſibile: ſed per intellectum diuinum producentem illud in eſſe intelligibili, in quo habet ex ſe ipſo eſſe poſſibile; quia ſeipſo formaliter non repugnat ſibi eſſe, ſed repugnat neceſſariò eſſe &c. Non eſt igitur poſſibilitas prior Omnipotentia abſoluta: vt nec vlla creatura eſt prior aliquo abſoluto in Deo, &c.*

Quoad impoſſibilitatem autem, non poteſt eſſe primò ex Deo: ſed ex incompoſſibilitate reali plurium ſeorſim poſſibilium, & à Deo cognitorum, non vt compoſſibilium ſed vt incompoſſibilium.

Hinc falſa eſt imaginatio quærentium impoſſibilitatem aliquorum, quaſi in vno ex ſe formaliter impoſſibili, ſicut Deus eſt ex ſe formaliter neceſſarius, &c.

Ad Arg. Non poteſt dari nihilo, vt ſit aliquid: quia ei repugnat eſſe aliquid.

IN DIST. 44. *QVÆSTIO VNICA.*

An Deus poſſit res aliter facere, quàm ab ipſo ordinatum ſit eas fieri? Al. q. 21. *S. Bon. hìc.*

Reſp. In omni agente libero eſt diſtinguere potentiam ordinatam, à potentia abſoluta: quia poteſt agere ordine legis, vel præter aut contra, ſeu excedere illum ordinem &c. Ideò dicunt Iuriſtæ, quòd quis poteſt facere de facto .i. de potentia abſoluta: vel de iure .i. de potentia ordinata ſecundùm iura.

Cùm autem lex ordinans agenda non eſt in potentia agentis: tunc potentia eius abſoluta non poteſt niſi inordinatè excedere potentiam ordinatam. Sed quando lex ipſa eſt in poteſtate agentis: tunc poteſt etiam aliter rectè agere; nec tunc potentia abſoluta ſimpliciter excedit ordinatam, quia ordinatur alia lege; ſed excedit potentiam ordinatam priori lege.

Deus ergo agens ſecundùm leges ordinarias, à ſe ipſo liberè ſtatutas, dicitur agere ſecundùm potentiam ordinatam: poteſt autem ordinatè agere multa præter illas leges ordinarias, potentiâ abſolutâ; quia poteſt ſtatuere alias leges & ordinem, non ſolùm particularem, ſed & vniuerſalem. Potentia tamen non dicitur ordinata in particulari, ſed vniuerſali &c. Hinc Deus poteſt ſaluare Iudam potentiâ abſolutâ, non ordinatâ: poteſt ſaluare quemlibet peccatorem præueniendo eum ſuâ gratiâ, potentiâ ordinatâ; ſed nec potentiâ ordinatâ nec abſolutâ poteſt beatificare lapidem.

Hinc ad Arg. pro & contra.

IN DIST. 45. *QVÆST. VNICA.*

An Deus ab æterno voluerit alia à ſe? S. Bon. hìc.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Voluntas Dei eſt capax volendi omnia volibilia: non tamen mutabiliter ex tempore, ſed immutabiliter ab æterno; nec vlla oppoſita ſimul, nec neutrum eorum, ſed alterutrum ab æterno. Ex *d.* 2. *q.* 1. & *d.* 30. *ac* 39.

Ad Arg. Voluntas Dei ſub ratione merè abſolutâ terminat reſpectum ſuorum volitorum: quæ ab æterno producit in eſſe volito, ſicut intellectus in eſſe cognito. *d.*30.33.36.43. Quod eſſe volitum, poſſet dici relatio rationis diuinæ, comparantis illud eſſe volitum ad voluntatem volentem: ſed eſt potiùs relatio ipſius voluntatis, quæ eſt æquè comparatiua ac intellectus. Nec tamen eſt relatio realis, ſeu ex natura rei: nec rationis ſtrictè, quia hæc diuiſio non eſt ſufficiens, ſed quæuis potentia operatiua & comparatiua ſui obiecti, ſiue exiſtentis ſiue non, poteſt in eo cauſare relationem non realem.

In DIST. 46. *QVÆST. VNICA.*
Al. q. 36. *S. Bon. d.* 47.

An voluntas beneplaciti Dei ſemper impleatur?

Reſp. Quòd ſic: quia, velle voluntate beneplaciti, eſt vltima determinatio voluntatis Omnipotentis; ergo quod Deus ſic vult, erit. Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Pſal. 113. *Omnia quæcumq; voluit fecit. Ad* 1. *Arg. ex* 1. *Tim.* 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri: *poſſet exponi diſtributione accomodata, pro omnibus qui ſalui fient; ſed melius de voluntate antecedente .i. quantùm eſt ex ſe, pro quanto Deus dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem.* Ad 2. ex Matt. 23. *Quoties volui, & noluiſti, &c. Magiſter benè exponit; non quaſi Deus voluerit, & non ſit factum; ſed quòd omnes quos congregauit, ſua voluntate congregauit. Vide expoſitionem & notam in textu, ex Aug. c.* 97. *Enchir.*

In DIST. 47. *QVÆST. VNICA. S. Bon. hic.*

An permiſſio Dei ſit aliquis actus Voluntatis eius?

Reſp. In nobis, eſt velle & nolle poſitiuum, efficax, vel remiſſum, &c. Signum efficacis, eſt executio vel omiſſio propria, aut præceptum exequendi, vel omittendi: ſignum remiſſi, ſeu ex ſe inefficacis, eſt fortè conſilium & monitio, vel permiſſio, & diſſuaſio.

Si, vt velle & nolle, ſine contrarietate & diſtinctione, ſic & poſſet in Deo poni circa quædam efficax, circa alia non: tunc poſſet dici permiſſio Dei, nolitio remiſſa; quâ ita nollet aliquid, vt tamen non vellet illud prohibere.

Si autem id non placet, quia nolitio cuiuſuis poſiti in eſſe, videtur eſſe cum aliqua triſtitia & imperfectione nolentis: tunc poteſt dici quòd permiſſio extra vel ſignum eſt quòd effectus ſit, qui tamen eſt contra præceptum Dei, &c. Huic autem non correſpondet in Deo, niſi non velle prohibere, ſiue non nolle, &c. Sed quòd Deus dicitur volens ſinere: poteſt intelligi non de actu recto circa permiſſum, ſed de reflexo ſuper ſua permiſſione ſeu negatione actus.

Ad Arg. vt *d.*41. Non eſt præuiſio Dei de peccato futuro, per hoc ſolùm quòd ſcit ſe permiſſurum: ſed etiam quòd ſciat ſe cooperaturum vel non cooperaturum ad actum, qui vel cuius omiſſio erit peccatum, &c.

In DIST. 48. *QVÆSTIO VNICA.*

An voluntas noſtra ſit moraliter bona quandocumq; conformatur Diuinæ? Al. q. 41. *S. Bon. hic.*

Reſp. Bonum eſt ex integra cauſa, ſed malum ex ſingulis defectibus, 4. *Diuin. nom.* & 2. *Ethic.* 3. Etſi ergo voluntas noſtra eſſet conformis Diuinæ in ſubſtantia actus, & bonitate obiecti: non eſſet bona, ſed mala, defectu alicuius circumſtantiæ debitæ; imò nec eſſet bona ex obiecto, & omnibus circumſtantijs ipſius voluntatis Dei; quia non ſemper congruunt noſtræ voluntati, ſicut Diuinæ.

Ad Arg. Veritas intellectus non dependet niſi à conformitate cum obiecto: ſed bonitas voluntatis, ab obiecto & omnibus circumſtantijs debitis, præcipuè à fine, eoque vltimo. Qui eſt Alpha & Omega, Principium & Finis omnium: cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Supplementum ex Quæſtionibus Quodlibeticis.

Ex QVÆST. 1. *An in Diuinis Eſſentialia ſint immediatiora Eſſentiæ, quàm Notionalia?*

An. 2. PRima entitas actualis, & realis in Deo, propriè dicitur Eſſentia, ſeu ratio eſſendi ſimpliciter. *Aug.* 7. *Trin.* 1. 4. 5. 6.

N. 5. Eſſentiale hîc non opponitur Accidentali, ſed Notionali & proprio: aſſimilaturque Eſſentiæ in communicatione reali, & prædicatione communi; ſed quædam eſſentialia ſunt tantùm abſoluta, quædã connotant reſpectum ad extra. 5. *Trin.* 5.

N. 10. Intellectualitas, ſeu vita intellectualis, eſt idem eſſentialiter Eſſentiæ Diuinæ. *n.* 12. Non habet rationem Attributi, quaſi actus 2. ſed perfectionis intimæ, vt ipſa vita Dei perfecta. 5. *Trin.* 5.

Concl. 1. *n.* 16. Nullum Notionale eſt immediatiùs poſitiuè ipſi Eſſentiæ, quàm vllũ Eſſentiale. 2. Quoduis Notionale eſt immediatiùs negatiuè, quouis Eſſentiali vt reſpectiuo ad extra. 3. Eſſentialia ſunt immediatiora Eſſentiæ poſitiuè & negatiuè, quibuſuis Notionalibus.

Ad 1. *princ.* In creatis, ſuppoſita ſingularia ſunt immediatiora naturæ, quàm proprietates: quia illa ſunt eiuſdem generis ſubſtantialis, non hæ; ſed in Deo proprietates abſolutæ ſunt immediatiores Eſſentiæ, quàm perſonales relatiuæ, vt *d.* 2. *q.* 2. *d.* 8. *q.* 4.

Ex QVÆSTIONE 2. *An in Deo poſſint eſſe plures productiones eiuſdem rationis?*

A n. 16. Non poſſunt eſſe plures: ex fide, & varijs rationibus. Vt *n.* 24. Eſſentia eſt principium formale, non totale, ſed principale, & terminus formalis Generationis ac Spirationis. Ob identitatem ergo Eſſentiæ idem eſt *Quo* producentis & producti: ſed ob diſtinctionem Intellectus & Voluntatis, differũt inter ſe productiones & termini. N. 6. *Eſſentia non eſt principium producendi niſi vt coincidit cum Memoria & Voluntate* .i. obiectiuè, & identicè. N. 27. Non poteſt actio excedere principium agẽdi: Dictio Verbi eſt ex ſe hæc, & adæquata ſuo principio, ideoque vnica, &c. *d.* 2. *q.* 7.

EX QVÆST. 3. *An poſſit ſimul ſtare quòd relatio comparata ad ſuppoſitum ſit res: vt comparata ad Eſſentiam, ſit ratio tantùm?*

Art.

Digitized by Google

QVÆSTIONES
IN DOCTRINAM NOSTRORVM AVTHORVM, SVPER LIBRO I. SENT.

QVÆSTIO I.

An, & quid corrigendum, ſupplendum, vel conciliandum ſit, circa Doctrinam eorum proœmialem : De Theologia, eiuſq; diuiſione, obiecto, perfectione obiectiua, principijs, medijs, fine, & praxi.

AD quam Doctrinam proœmialem pertinent. Ex noſtro *Alenſi*, QVÆST. 1. De doctrina Theologica, *col.* 1. & 2. QVÆST. 2. De cognitione Dei in ſe, *col.* 2. 3. 4. QVÆST. 7. De immenſitate Dei obiectiua, *col.* 6. 7. QVÆST. 43. De nominibus Diuinis, *col.* 51. QVÆST. 51. De nominibus affirmatiuis & negatiuis, *col.* 57.

Ex *S. Bon. Quæſtiones* 4. proœmiales, *col.* 81. *Articuli* & *Quæſtiones* in *Diſt.* 1. De vſu & fruitione, vtendis & fruendis, *col.* 81. 82. 83. In *Diſt.* 3. De intelligibilitate Dei ex eius Imagine, & veſtigijs in creaturis. In *Diſt.* 22. De nominibus Dei, *col.* 98. Ex *Doctore* noſtro Subtili. *Quæſtiones* 4. principales, & plures laterales in Prologum *Magiſtri* Sent. *à col.* 117. *ad* 124. *Quæſtiones* 5. in *Diſt.* 1. De obiecto, fine, actu, & modo fruendi, *à col.* 124. *ad* 128. *Quæſtiones* 9. in *Diſt.* 3. De Deo vt obiecto noſtro naturali, & eius in nobis Imagine ac veſtigijs, noſtroque modo intelligendi. *A col.* 136. ad 147. In *Diſt.* 22. De Conceptu, & nominatione Dei, *col.* 169. 170. Quia hæc omnia ſunt prænoſcenda.

Reſponſio.

IN hac tota Doctrina noſtrorum Authorum, nihil corrigi, ſed quædam facilè conciliari, recolligi, ordinari, & expreſſiùs ſuppleri poſſunt.

1. *De nomine, re, & diuiſione veræ Theologiæ ſupernaturalis :* quòd ſit quædam de Deo ſcientia, imò & ſapientia, obiecto ſuo aliquo modo proportionata, in veritate, certitudine, & latitudine. Quam *Scotus* noſter rectè diuidit in Theologiam comprehenſiuam ſeu adæquatam ſolius Dei, intuitiuam ſed inadæquatam Beatorum, & ſubobſcuram Viatorum ex principijs fidei, de veritatibus neceſſarijs, vel contingentibus. Hæc ſubdiuiditur à *S. Dion. lib. Diuin Nom.* ex modo docendi propriè, vel metaphoricè, in Theologiã Symbolicam, & Demonſtrantem ; ex modo docendi affirmatiuè, aut negatiuè, in Theologiam Affirmatiuam, & negatiuam, ſeu Myſticam. Solet autem ſubdiuidi ex modo magis minuſùe ſcientifico : in Theologiam Poſitiuam, per ſolam authoritatem; Theologiam Scholaſticam, ſeu omnibus ſciendi modis perfectam; Theologiam moralem, ex ſolis principijs moralibus; & Theologiam myſticam, ſeu ſacram & ſecretam, potiùſque affectiuam quàm intellectiuam, per negationem omnium, ſeu per affectum & æſtimationem ſuper omnia quæ de Deo dici aut cogitari poſſunt. Quarum ſingulæ tandem ſubdiuidi poſſunt in ſingulos actus, vel habitus partiales, ex eiſdem fidei principijs, in eodem ſubiecto, ſub eodem obiecto primo ordinatos ac ſubordinatos.

2. *De neceſſitate, & vtilitate* Theologiæ noſtræ Scholaſticæ. Ex ſacra Script. *Eſa.* 11. 1. *Cor.* 12. De Scientia inter Dona Dei. *Rom.* 10. Æmulationem Dei habent : ſed non ſecundùm ſcientiam. 1. *Pet.* 3. Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, &c. Ex *S. Aug.* *Epiſt.* 222. De ratione credendorum. *Libro* 12. *Trin. cap.* 14. Habet & ſcientia modum ſuum bonum : ſi quod in ea inflat, æternorum charitate vincatur, &c. Sine hac quippe ſcientia, nec virtutes ipſæ quibus rectè viuitur, poſſunt haberi. *Lib.* 14. *cap.* 1. Sapientia eſt rerum humanarum,

 Diui-

Digitized by Google

Diuinarumque ſcientia: vt rerum diuinarum propriè ſapientia nuncupetur; humanarum autem, propriè ſcientiæ nomen obtineat, &c. Non vtique quicquid ſciri ab homine poteſt in rebus humanis, vbi plurimùm ſuperuacuæ vanitatis, & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ tribuens: ſed illud tantummodò quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimùm. Aliud eſt enim ſcire tantummodò, quid homo credere debeat: aliud autem ſcire quomodo hoc ipſum & pijs opituletur, & contra impios defendatur, &c. Imò ex ipſo ſacro *Conc. Conſtant. ſeſſ.* 8. Contra hunc *Art.* 29. Ioannis Wiclef. *Vniuerſitates, ſtudia, Collegia, gradationes, & magiſteria, in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ, ſicut Diabolus.* Sicque contra ſimiles calumnias Hæreticorum in Theologiam noſtram Scholaſticam, ſeu quæ in Scholis noſtris docetur: à quo omnes docti *Scholaſtici* denominantur, teſte *Aug. l.* Diſciplinarũ *c.* 10.

3. *De ſubiecto attributionis, ſeu obiecto primo.* Ex *Scoto q.* 3. 4. *prologi, & diſt.* 3. *q.* 3. Deus vt Deus, ſeu ſub propria eſſentia, eſt obiectum primum Theologiæ: non primum cognitione, nec communitate ad inferiora; ſed perfectione, adæquatione, & virtute obiectiua continente omnes veritates Theologicas; non tamen hic & nunc euidenter mouente aut terminante. Sed nunc obiectum ſolet diſtingui in primarium & ſecundarium, in materiale & formale: Hoc, in formale *Quod*, ſeu ſecundùm quod terminat; formale *Quo* mouet; & ſub *Quo*, vt conditione obiectiua. Deus vt Deus eſt obiectum primarium: non ſolùm materiale; ſed formale *quod*, ſeu terminatiuum, de quo & ſecundùm quod omnia Theologicè ſciuntur; formale *quo*, ſeu motiuum, ex quo omnia ſciri poſſunt; ſed hic & nunc nonniſi ex fide & ratione. Perfectio obiectiua Dei, vt à nobis incomprehenſibilis, inconceptibilis, & ineffabilis, eſt fundamentum Theologiæ Myſticæ.

Ex ſacra Script. *Exod.* 33. Non videbit me homo & viuet *Iud.* 13. Quid quæris nomẽ meũ, quod eſt mirabile? *Iob* 36. Ecce Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram. 37. Dignè eum inuenire non poſſumus: ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari qui ſibi videntur ſapientes. *Eſaiæ cap.* 45. Verè tu es Deus abſconditus. *Cant.* 6. Auerte oculos meos à me: quia ipſi auolare me fecerunt. *Pſal.* 17. Poſuit tenebras latibulum ſuum. *Ioan.* 1. *&* 9. Deum nemo vidit vnquam. 1. *Tim.* 6. Solus lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum videre poteſt.

Ex *Conc. Later. cap. Firmiter.* Credimus quòd Deus eſt incomprehenſibilis, & ineffabilis. *Conc. Vien. ſub Clem.* 5. *cap. Ad noſtram*, contra *Beguardos:* Quòd Deus non poſſit à nobis naturaliter videri. *Benedict.* 11. *& Eug.* 4. *in Conc. Flor.* Quòd Deus poſſit ſupernaturaliter videri, & videatur à Beatis. Vt *in* 4. *Sent. à col.* 964.

Ex *S. Dion. lib. de Theol. myſtica, cap.* 1. Prætermitte & ſenſus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ & ſub ſenſum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non ſunt, & quæ ſunt, teque ad eius, qui omnem eſſentiam, omnemque ſcientiam ſuperat, coniunctionem ignorando excita, &c. Vide autem ne quis eorum qui non ſunt initiati ſacris noſtræ Religionis hæc audiat. *Infra.* In myſticam ignorationis caliginem irrepens, omnia cognitionis ſubſidia deponit, &c. ei qui omninò incognitus eſt omnis cognitionis ceſſatione præſtantiore modo coniunctus: atque hoc ipſo quo nihil cognoſcit, mentem etiam cognoſcendo vincit, & ſuperat. *Cap.* 3. In caliginem quæ mentem ſuperat ingredientes, non breuem orationem, ſed ſilentium & intelligentiæ priuationem reperiemus. *Epiſt.* 5. *ad Dorothæum.* Diuina caligo eſt lux quæ adiri non poteſt, in qua Deus habitare dicitur. In hac verſatur omnis qui dignus habitus eſt Deum noſſe & videre, hoc ipſo quòd non cernit, dicitq; illud *Pſal.* 138. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, &c. *In Prologo De cardinalibus Chriſti operibus*, ſub nomine *S. Cypriani.* Affirmatio de Dei eſſentia haberi non poteſt: ſed veriùs remotio indicat negando quid non ſit, quàm aſſerendo quid ſit, &c. Quicquid audiri, videri, vel ſciri poteſt, non conuenit Maieſtati, &c. Hanc inuiſibilem lucem & inacceſſibilem naturam, ſex alis hinc inde *Seraphim* abſcondunt: vt quantumuis ad cor altum homo aſcendat, exaltetur Deus, &c. Guſtamus, delibamus, odoramus, & propè eſt, cumque acceſſeris, longiùs abit. Et quomodo fulgur nubes diſrumpit, & repentina coruſcatio hebetat oculum: ita aliquando, neſcio quo motu tangeris, eum tamen qui te tangit non intueris. Dicuntur tibi quædam verba arcana quæ affari non ſufficis: vt dubitare non poſſis quin iuxta, imò intra te ſit qui te ſollicitat, nec tamen ſicuti eſt, ſe tibi videndũ concedit, &c.

Ex *S. Ambr. lib. de Iſaac & Anima, cap.* 7. Auerte oculos tuos à me: eò quòd plenitudinem diuinitatis & ſplendorem veri luminis ſuſtinere non poſſis, &c. vt & *Serm.* 5. *in Pſal.* 118.

Greg. Niſſ. De vita Moyſis. Quid ſignificat quòd *Moyſes* ſeipſum priùs in caligine intromiſit, deinde in ea Deum proſpexit? Quantò magis quis ad Dei ſpeculationem accedit, tantò magis proſpicit quòd diuina natura inuiſibilis atque incomprehenſibilis eſt. Nam cùm reliquerit non ſolùm omnia quæ ſenſu percipiuntur, verùm etiam quæ mente conſpiciuntur: tunc caligine vndique circumſeptus, in inuiſibili ac incomprehenſibili Deum videt. In hoc enim conſiſtit vera Dei cognitio & viſio: vt videas quod videri non poſſit, &c. Quapropter *S. Ioannes* qui in ſplendidiſſimam hanc caliginem peruenerat, non dubitauit exclamare: *Deum nemo vidit vnquam, &c. Intrauit Moyſes in caliginem vbi Deus erat.* Quiſnam Deus? Qui poſuit tenebras occultationem ſuam. *Infra. Exod.* 33. *Non videbit me homo & viuet.* Non quòd cauſa mortis videntibus ſit illa facies, cùm ſit facies vitæ: ſed quia proprium eius eſt, vt omnem cognitionem excedat. Idcirco, qui Deum opinantur eſſe aliquid eorum quæ cognoſcuntur: quaſi deuians ab eo qui eſt, ad id quod eſſe putatur, vitam non habet. *Infra.* Sequi Deum corde ac animo ſemper quocumque ducat, eſt Deum videre. Etenim tranſitus ille Dei *Exod.* 33. ſigni-

Digitized by Google

ſignificat Deum eſſe ducem ſequentis, &c. *Facies mea non videbitur tibi*, *Exod.* 33. i. Noli ad faciem Dei ducentis occurrere, ne in oppoſitum curſus fiat. Quare *Moyſes* non ex oppoſito conſpicit Deum : ſed tergum eius reſpicit. Nam qui ex oppoſito Deum aſpicit, non viuet.

Ex S. *Aug.* vt in 2. *col.* 419. 420. 424. *L.* 1. *doct. Chriſt. c.* 6. Deus ineffabilis eſt. Si illud eſt ineffabile quod dici non poteſt : non eſt ineffabile quod vel ineffabile dici poteſt. Quæ pugna verborum ſilentio potiùs quàm voce pacanda eſt : & tamen Deus admiſit humanæ vocis obſequium. *Lib. contra Adimantum. cap.* 11. Spiritus S. inſinuans quàm ſint ineffabilia ſumma diuina, his etiam verbis vti voluit, quæ apud homines in vitio poni ſolent : vt inde admonerentur, etiam illa quæ cum aliqua dignitate Dei ſe putant homines dicere, indigna eſſe illius Maieſtate, cui *honorificum potiùs ſilentium*, quàm vlla vox humana competeret. *Infra.* Humani conditionem ſermonis feramus, vt ad *diuinum* perueniamus *ſilentium*.

Cap. 13. Illa ſublimitas ineffabilis vt hominibus congruat, humanis ſonis ſignificanda eſt : vt autem Deos homines faciat, *Diuino* eſt intelligenda *ſilentio*, &c. *Lib.* 2. *De lib. arb. cap.* 13. Mentibus noſtris ſine vllo ſtrepitu, vt ita dicam, canorum & facundum quoddam *ſilentium veritatis* illabitur. *Lib. De vera Relig. cap.* 35. Agite otium, inquit, *Pſal.* 45. Non otium deſidiæ, ſed cogitationis ; vt à locis & temporibus vacetis, &c. *Lib.* 1. *Conf. cap.* 6. Quid ad me ſi quis non intelligat ? Gaudeat & ipſe non inueniendo inuenire, potiùs quàm inueniendo non inuenire te. *Cap.* 18. Quàm tu ſecretus es, habitans in excelſis in *ſilentio* Deus, &c. *Lib.* 9. *cap.* 10. Ipſa ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe non cogitando, &c. *Epiſt.* 116. *ad Nebridium.* Deificari vtriſque in otio licebat. &c. *Epiſt.* 121. *cap.* 14. Quid oremus ſicut oportet, neſcimus, &c. *Rom.* 8. Vnam petij à Domino. *Pſal.* 26. Ipſa eſt pax quæ præcellit omnem intellectum, *Phil.* 4. Quod enim ſicuti eſt cogitare non poſſumus, vtique neſcimus ; ſed quicquid cogitanti occurrerit, reſpuimus, &c. *Cap.* 15. Eſt ergo in nobis quædam, vt ita dicam, docta ignorantia : ſed docta ſpiritu Dei, &c. In *Pſal.* 26. Excedat cor veſtrum omnia viſa, &c. Quicquid occurrerit, quod cogitare poſſitis, dicite non eſt illud, &c. In lib. *Iob. Semel locutus ſum, &c.* Cui locutioni contrarium eſt *beatiſſimum* illud *ſilentium. Lib.* 8. *De Trin. cap.* 2. Ecce vide, ſi potes, ô anima : *Deus veritas eſt.* 1. *Ioan.* 1. Noli quærere quid ſit veritas : ſtatim enim ſe opponunt caligines imaginum corporalium, & perturbant ſerenitatem quæ primo ictu illuxit cùm dicerem tibi, Veritas. Ecce in ipſo primo ictu quo velut corruſcatione perſtringeris, cùm dicitur, veritas, mane ſi potes ; ſed non potes. *Cap.* 3. Tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum, ſi potes, &c. *Cap.* 4. Cauendum eſt ne credens animus quod non videt, fingat ſibi aliquid quod non eſt, & ſperet, diligatque quod falſum eſt. *Quæſt.* 29. *in Ioſue* 24. *Auferte Deos alienos qui ſunt in vobis, &c.* Propheta in cordibus eorum eſſe cernebat cogitationes de Deo, alienas à Deo. Quiſquis enim talem cogitat Deum, qualis non eſt Deus : alienum Deum vtique, & falſum in cogitatione portat. Quis eſt autem qui ſic cogitet Deum, quemadmodum ille eſt ? *Serm.* 63. *De verbu Domini, cap.* 6. Quid dicamus fratres de Deo ? Si enim quod vis dicere cœpiſti, non eſt Deus : ſi comprehendere potuiſti, aliud pro Deo comprehendiſti. Si quaſi comprehendere potuiſti, cogitatione tua te decepiſti. Hoc ergo non eſt, ſi comprehendiſti : ſi autem hoc eſt, non comprehendiſti. *Serm.* 40. *De Tempore.* Iuſtum quidem Deum dicis : ſed intellige aliquid vltra iuſtitiam quam ſoles & de homine cogitare. Qui autem & iſta tranſcenderit, & de Deo quantum homini conceditur cogitare cæperit, inueniet ſilentium ineffabili cordis voce laudandum. *Epiſt.* 111. *Ad Fortunatum, De inuiſibilitate Dei ; ſed viſu corporeo.* Magni, inquit, quidam viri dixerunt inuiſibilem Deum, inuiſibiliter videri .i. per eam naturam quæ in nobis quoque inuiſibilis eſt. *Epiſt.* 112. *ad Paulinam, De videndo Deum, cap.* 6. ex *S. Ambr. lib.* 1. *in cap.* 1. *Luc.* Quod non poteſt videri, apparere dicitur, &c. Deus ſi non vult, non videtur : ſi vult, videtur, &c. Cùm abſens putatur, videtur : & cùm præſens eſt, non videtur. *Cap.* 9. Aliud eſt videre, aliud eſt totum videndo comprehendere. Id videtur, quod præſens vtcumque ſentitur : totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem. *Cap.* 12. Cùm abſens putatur, videtur, &c. Non dixit, cùm abſens eſt : nuſquam enim abſens eſt, ſed vbique totus eſt. Hoc qui excedente mente intelligit, videt Deum & cùm abſens putatur, &c. Cùm præſens eſt non videtur, *Ioan.* 14. Tanto tempore vobiſcum ſum, & adhuc me non cognouiſtis ? Ecce quomodo Deus præſens erat & non videbatur. *Lib.* 12. *Ciu. cap.* 18. Quicquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur. i. Ex *Scoto in* 3. *d.* 14. *q.* 2. Non finitur in ſe, ſed ipſi ſcientiæ cui adæquatur. *Lib.* 22. *Ciu.* 29. *De viſione Dei poſt Reſurrectionem*, vt nos *in* 4. *col.* 994. ſed latiùs *Tomo* 2. *noſtræ Anatomiæ in S. Aug. à col.* 476. *ad* 482. & *à col.* 581. *ad* 584.

4. *De fine & praxi* Theologica fruendi Deo, & vtendi omnibus medijs ad hunc finem. Ex ſacra Script. 1. *Cor.* 4. Scientia inflat, charitas verò ædificat. 13. Si habuero omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. *Epheſ.* 3. Scire ſupereminentem ſcientię charitatem Chriſti. 1. *Tim.* 1. vt *Matt.* 22. Finis totius legis eſt charitas. *Eccleſ.* 1. Qui addit ſcientiam, addit & dolorem. *Cap.* 7. Deus fecit hominem rectum, & ipſe infinitis ſe miſcuit quæſtionibus. *Sap.* 13. Vani ſunt omnes in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. *Rom.* 1. Qui cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, &c. De vanitate ſcientiæ non relatæ ad charitatem, ſeu ad finem & praxim ordinatè fruendi ac vtendi.

Ex B. *Aug. lib.* 1. *De doctrina Chriſt. cap.* 2. Omnis doctrina vel eſt rerum, vel ſignorum, &c. *Cap.* 3. Res, aliæ ſunt quibus fruendum eſt, aliæ quibus vtendum, aliæ quæ fruuntur & vtuntur. *Cap.* 4. Frui, eſt amore alicui rei inhærere propter

Digitized by Google

ſeipſum: vti autem, quod in vſum venerit, ad id quod amas obtinendum referre. Si tamen amandum eſt: nam vſus illicitus, potiùs abuſus dicendus eſt. *Cap.* 5. Res igitur quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus eſt, eademque ſumma res, communiſque omnibus fruentibus. *Cap.* 22. Si quis ſe propter ſe diligit, non ſe refert ad Deum, &c. *Cap.* 23. Non omnia quibus vtendum eſt, diligenda ſunt, &c. *Quæſt.* 30. *ex* 83. Frui dicimur ea re de qua capimus voluptatem: vtimur ea quam referimus ad id vnde voluptas capienda eſt. Omnis itaque humana peruerſio eſt, fruendis vti velle, atque vtendis frui: & omnis ordinatio, fruendis frui, & vtendis vti. Fruendum eſt autem honeſtis, vtendum vtilibus. *Lib.* 8. *Ciu.* 9. *Plato* non dubitat hoc eſſe philoſophari amare Deum: vnde colligitur tunc fortè beatum ſtudioſum ſapientiæ, cùm Deo frui cœperit. De qua praxi fruendi, *in* 3. *Q. De charitate.*

Difficultates.

1. EX Sacra Script. *Gen.* 2. De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas, &c. *Prou.* 25. Scrutator Maieſtatis opprimetur à gloria. *Eccleſ.* 1. Qui addit ſcientiam, addit & dolorem. *Cap.* 6. Verba ſunt plurima, multamque in diſputando habentia vanitatem. 7. Altiora te ne quæſieris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. 1. *Cor.* 4. Ne vnus aduerſus alterum infletur. 8. Scientia inflat. 1. *Tim.* 1. Quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei, &c. Quidam conuerſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. *Cap.* 6. Languens circa quæſtiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, &c. 2. *Tim.* 2. Stultas & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites. *Tit.* 3. Stultas quæſtiones, & genealogias, & pugnas legis deuita: ſunt enim inutiles & vanæ. *Coloſſ.* 2. Videte ne quis vos decipiat, per philoſophiam, &c. *Matt.* 23. Vnus eſt Magiſter veſter in cœlo. *Ioan.* 6. Erunt omnes docibiles Dei. Denique quæcumque ſupra de Inconceptibilitate, ac ineffabilitate Dei, & de Theologia myſtica, ſunt etiam contra ſtudium Theologiæ Scholaſticæ.

Ad 1 *Reſp.* Non prohibetur vſus ſcientiæ: ſed eſus, ſeu abuſus ad voluptatem, & vanitatem. Nec reliqua ſunt contra vllam veram ſcientiam: ſed tantùm contra falſas, vel verarum abuſum. Minimè autem contra doctrinam, & diſciplinam, aut ſtudium Theologiæ Scholaſticæ, quæ ex ſe refertur ad finem & praxim charitatis: ſed contra vanitatem Magiſterij, & præſumptionem de proprio ingenio ac ſtudio naturali. Nec obſtant variæ *quæſtiones interminabiles*: quia non ſunt de *fabulis & genealogijs Iudaicis*, nec ex ſe contentioſæ, ſtultæ, indiſciplinatæ, aut inutiles; ſed de Deo, & rebus diuinis, vel ad Deum relatis, ad fidei myſteria credibiliùs explicanda, ad congruentiùs de Deo ſentiendum & loquendum, vel ſaltem ad exercenda ingenia, & fouenda hæc ipſa ſacra ſtudia, imò & ſtudioſorum æmulationem ac amicitiam. Nam *Rom.* 10. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Et *B. Aug. lib.* 4. *Conf. cap.* 8. inter varia amicitiæ officia refert, etiam diſputando *interdum diſſentire ſine odio, atque hac ipſa diſſenſione condire conſenſiones plurimas.* Quamuis moneat *Lib. de dono perſeu. cap.* 24. *Ne ſimus in diſputationibus prompti, & in orationibus pigri.* Et *Epiſt.* 112. cap. 21. *Ne dum altercando quærimus veſtigare quomodo poſſit videri Deus, ipſam pacem ſanctificationemq́; perdamus, ſine qua nemo poterit videre Deum.* Nec denique Inconceptibilitas, vel Ineffabilitas Dei, nec Theologia Myſtica eſt contraria Scholaſticæ, nec è contra: quia Scholaſtica non præſumit concipere aut effari Deum dignè, & propriè ſicuti eſt; ſed quo minùs indignè minuſque impropriè poteſt. Cùmque ſciat ſe nimis deficere: facilè cedit Theologiæ myſticæ ſuccedenti, & ſuo affectu ac æſtimatione Dei, omnem cognitionem & elocutionem ſcholaſticam excedenti. Quamuis plerique Theologi ſcholaſtici, Theologiæ myſticæ inexperti, huius experientias, & affectus, ac ſenſus morales, myſticos, & obiectiuos, perperá realiter interpretentur. Vt patet ex *S. Dion. S. Bon.* & pluribus alijs de Theologia myſtica.

Difficultates ex SS. PP.

EX *S. Dion. Areop. Libro Diu. Nom. c.* 1. Non eſt audendum quicquã de ſumma abſtruſaque Diuinitate aut dicere, aut cogitare, præter ea quæ nobis diuinitùs ſcripta diuina enuntiarunt. *Item.* Non eſt inſolentiùs contẽdendũ ad ſuperiora, quàm diuinum lumen conuenienter datum ferat: neque ad inferiora, difficultati ſuccumbendo, declinandum; ſed acies mentis conſtanter intendenda in radium allucentem. *Cap.* 7. Diuina non noſtro ingenio intelligenda ſunt: ſed ita vt nos toti extra nos ſimus, totique Dei fiamus. Præſtat enim nos eſſe Dei, quàm noſtros. Toto *lib. De Myſtica Theologia*: quaſi hæc eſſet ſola negatio omnium quæ de Deo dici aut concipi poſſunt, vel ſuſpenſio omnium noſtrorum cogitationum de Deo: cur non etiam omnium affectuum, cùm hi æquè ſint indigni Deo, ac ipſæ cogitationes?

Ex *S. Greg. Nazian. Orat.* 1. De Theologia, nonniſi à perfectis docenda, & ad captum ſeu diſpoſitionem ſtudioſorum.

Ex *S. Aug. lib.* 8. *Ciu.* 10. & plerisque Patribus, contra Philoſophiam *Ariſt.* vt ſuis minutijs *ingenia & ſtudia conterentem.* Quæ omnia videntur eſſe contra ſtudium & doctrinam Theologiæ noſtræ ſcholaſticæ.

Ad 1. *Reſp.* Theologia noſtra nihil audet niſi ex aliquo indicio ſacræ Script. Nec quicquam præſumit ſine radio fidei, ſacræ Script. & gratiæ neceſſariæ ad percipiendam veritatem diuinam. Nec præſidit de ingenio naturali: ſed tam dependet à gratia Dei, vt per eam intelligendo diuina ſimus potiùs Dei, quàm noſtri, & Deus potiùs intelligat in nobis & per nos, quàm nos ipſi. Vt *Gal.* 4. Nunc cognoſcẽtes Deũ, imò cogniti à Deo. Nec denique Theologia myſtica, eſt ſola illa negatio, aut ſuſpenſio: ſed vel eſt ſimplex conceptus Dei, cum aſſenſu quieto fidei, & affectu fruitionis; vel eſt

Digitized by Google

eſt quidam exceſſus affectus, ſupra modicam, aut etiam nullam cognitionem actualem Dei; vel denique eſt quidam ſtatus animi quaſi expoſitus ad patiendum Diuina, ſub quiete ab omni, vel ſaltem experimentali actiuitate propria. De qua *B. Aug. lib. De quant. animæ cap.* 28. Nihil videtur operoſius, & nihil eſt ceſſationi ſimilius. *Cap.* 31. Anima ſtudijs & laboribus faciliùs auertitur a contemplatione Dei, quàm inertiâ. *Cap.* 35. Fieri poteſt vt anima omnia hęc ſimul agat: ſed id ſolùm ſibi agere videatur, quod agit cum difficultate, aut certe cum timore: agit enim hoc multo quàm cætera attentior. *Lib. 6. De Muſica, cap.* 13. Generalis amor actionis, à ſuperbia proficiſcitur, &c.] Quibus facilè componi poteſt grauis illa difficultas inter pleroſque Scholaſticos, & Myſticos: an poſſit intellectus & voluntas ſuſpendi ab omni operatione; vel voluntas Deo affici ſine eius cognitione; & an talis ſtatus animi ſit ſalutaris. Quòd potentiæ illæ poſſint ſuſpendi ab omni ſaltem actiuitate & difficultate experimentali. Quodque voluntas poſſit ſaltem tam alli.i Deo præ ſimplici cognitione, vt hęc non percipiatur. Denique, quòd hic ſtatus poſſit eſſe ſalutaris, ad purgandum intellectum & affectum nimis ſenſitiuum, ad continendum animum ab omni perturbatione, & præſumptione naturali agendi, ſicque diſponendum ad gratiam Dei vlteriorem. De qua controuerſia *S. Bonau. lib. De myſtica Theologia*, & nos ſæpè *Tomo 1. noſtræ Anatomiæ* in omnia opera *B. Aug.* Ad libros *Soliloq. col.* 40. 41. Ad librum contra *Adimantũ, à col.* 115. *ad* 121. Ad librum 8. *Trin. à col.* 300. *ad* 316. Ad *Quæſt. 29. in Ioſue, col.* 649. 650.

Ad 2. Non niſi perfecti, aut perfectionis ſtudioſi ſunt digni doctrina vel diſciplina Theologica: imò nec propriè docent aut diſcunt ſacram Theologiam, niſi ſint eiuſdem ſtudioſi; non ſolùm intellectu, ſed & affectu ipſius obiecti & veritatis Theologicæ.

Ad 3. SS. Patres fuerunt ſtudioſiores Philoſophiæ Platonicæ, quàm Ariſtotelicæ: quia cùm illa reducat omnia ad ſuas Idæas vel Idæam in vno Deo, erat tunc vtilior contra idolatriam. Nunc autem videtur *Ariſtotelica* præualuiſſe: quia eſt ſubtilior, multiplicior, & vtilior ad hæreticam prauitatem proprijs etiam armis conuincendam. Quòd ſi quis huius Philoſophiæ exceſſus, ſeu abuſus in Eccleſia videatur: vel corrigendus, vel tolerandus eſt, ad cauenda & exercenda contra Hæreticos ingenia; vt ſolent arma & milites in republica. Hinc *B. Aug. 4. Conf.* 6. refert ſe perlegiſſe Cathegorias *Ariſt.* Inter libros *B. Aug.* refertur vnus eſt de eiſdem. *Lib. 2. De ordine promid. cap.* 17. Monet Matrem ſuam, quantumuis de rebus diuinis à Deo illuminatam, *vt fidem ſuam caſtè cuſtodiat, nec de rebus diuinis quicquam niſi ordine eruditionis requirat.* Et contra Idololatras ac Manichæos, propria phantaſmata idololatrantes, vtitur vt plurimùm Philoſophia Platonica: ſed contra Donatiſtas, Pelagianos, & Arrianos, vtitur vt plurimùm dialectica Ariſtotelica. Vt patet ex *lib. 1. contra Creſconium. Cap.* 13. Quid eſt aliud Dialectica, quàm peritia diſputandi? Quam mihi obijcere voluiſti, quaſi Chriſtianæ non congruat veritati: & ideo me Doctores veſtri velut hominem Dialecticum meritò fugiendum, potiùs & cauendum, quàm refellendum cenſuerunt. Vt quid te ergo in tantum diſputandi periculũ proiecisti, cùm diſputare non noueris? Aut ſi noſti, cur Dialecticus Dialecticam criminaris? *Cap.* 20. Hanc artem, quæ nihil aliud docet quàm conſequentia demonſtrare, ſeu vera veris, ſeu vera falſis, nunquam Doctrina Chriſtiana formidat, ſicut eam in Stoicis non formidauit Apoſtolus, *Act.* 17.

Difficultates ex Alenſi.

QVæſt. 1. M. 2. Quid ſit eſſe de vero vt vero, vel vt bono, morali vel gratuito? *M.* 3. Cur reſtringatur obiectum Theologiæ ad Chriſtum? *M. 4. Art.* 1. Cur excludat modos intellectuales ſciendi. *Art.* 2. Quid ſit illa certitudo affectiua? Quid per ſe notum vt bonum, non vt verum? Cur nihil de fine & praxi Theologiæ, fruendi & vtendi. *Quæſt. 2. M. 1. Art* 6. Non videtur exponere illud *S. Ambr.* vt *B. Aug.* ſupra. In reliquis *S. Bon.* & *Scotus* erunt conciliandi *Alenſi*, non è contra.

Ad 1. Reſp. Idem eſt quòd ſcientia ſpeculatiua vel practica, moralis vel ſupernaturalis. Non quòd vlla poſſit eſſe de vero quin ſit etiam de bono, nec de bono quin ſit etiam de vero: ſed quod ſpeculatiuæ ſint de vero & bono, vt vero .i. vt obiecto ſolius intellectus; practicæ autem, ſint de vero bono vt bono, ſeu vt obiecto etiam affectus, eoque vel tantùm morali, vel etiam gratuito. *Ad* 2. Non reſtringitur ad Chriſtum, nec ad eius opera propria: vt ad ſolum obiectum quod, vel de quo ſolo vel primo omnia Theologicè ſciantur; ſed vt ad medium per quod ſciantur, imò & ad finem ſalutis, ad quem Chriſtianè ſciantur. *Ad* 3. Non excludit illos modos ſciendi à Theologia vt eſt cognitiua, ſed vt etiam affectiua. *Ad* 4. Certitudo fidei, & Theologiæ Chriſtianæ eſt potiùs affectiua .i. voluntaria, quàm ſpeculatiua & naturalis: quia non eſt ex euidentia, vel experientia obiecti, nec ratione naturali, nec proprio & primo motu ſeu aſſenſu intellectus; ſed ex gratia, conſenſu, affectu, & imperio voluntatis. *Ad* 5. vt *ad* 1. Non quòd poſſit quid ſciri vt bonum, & neſciri vt verum bonum: ſed quòd ſapientia potiùs feratur in bonum vt bonum, quàm vt verum. *Ad* 6. Imò *M. 2. ad* 5. ſatis exprimit finem & praxim *vtendi vtendis, ad fruendum fruendis*, & alibi ſæpè. *Ad.* 7. Refert quidem ſenſum aliorum: *Deus cùm abſens putatur* .i. reputatur per humilitatem, videtur vt pręſens per gratiam: cùm autem præſens eſt per gratiam, non videtur; quia reputatur abſens per humilitatem. Sed præfert illum ſenſum *S. Aug.* de quo ſupra.

Difficultates ex S. Bon.

QVæſt. 1. *Proœm.* Quòd ſubiectum ſeu obiectum totale & integrale ſit Chriſtus: contra *Alenſem & Scotum. Quæſt.* 2. Quòd ratiocinatio

Digitized by Google

tio Theologica ſit ad delectandos perfectos. *In diſt.* 3. *q.*2. Quòd veſtigium non ſit ſolius partis, nec in hoc differat ab imagine vt totius: contra *Alenſem*, & *Scotum*.] *Ad* 1. Cenſet Deum eſſe primum & radicale obiectum de quo remotè omnia ſciantur: Chriſtum eſſe obiectum integrum ſeu totale, de quo propinquè omnia ſciantur; ſed omnia Theologicè ſcibilia, eſſe Res & Signa, vel vt ſunt ſacra, vel vt credibilia, vel vt referibilia ad fruendum, vel denique eſſe omne credibile, vt eſt intelligibile. Quæ nec ſunt contraria *Alenſi*, nec *Scoto*, nec inter ſe: quia cum *Alenſi* & *Scoto* docet Deum vt Deum eſſe primum ſubiectum de quo ſaltem remotè omnia Theologicè ſciantur; ſed per Chriſtum, non ſolùm vt medium quo vel per quod, ſed etiam de quo immediatiùs ſciantur, quàm de Deo vt ſic. Reliqua ſunt de obiecto materiali vt Theologicè ſcibili, ſub illis rationibus formalibus, non tam vt diſparatis, quàm vt inter ſe ſubordinatis. *Ad* 2. Non vult Theologiam eſſe ratiocinatiuam ad delectandos perfectos in ipſa ratiocinatione: ſed in eius obiecto & fine. 1. Quòd fideles perfecti non inde confirmentur in fide: ſed inde magis delectentur in obiecto fidei. *Ad* 3. Vt ex profeſſo in 2. *Sent. à col.* 402.

Difficultates ex Scoto.

QVæſt. 2. *Prologi*, N. 14. Quaſi doctrina Canonica Sacræ Script. ſit ſufficiens ad fidem & ſalutem, ſine Traditionibus. *Quæſt.* 3. N. 18. *Ad* 5. Quaſi quiuis ſenſus non litteralis vnius Scripturæ, ſit litteralis alterius: ſicq; quicquid in vno loco eſt obſcurũ, in alio ſit clarum, vt contendunt hæretici. *Ad* 2. *Quæſt. later.* N. 14. contra *S. Bon.* Quòd Chriſtus non ſit obiectum primum Theologiæ, & quare. *Quæſt.* 4. Quòd videatur nimis nominaliter contendere de praxi, & notitia practica: hancque non rectè tribuere priùs aut potiùs obiecto, quàm fini. *In Diſtinctionem* 1. *Quæſt.* 2. Quòd eſſentia diuina ſit obiectum viſibile & fruibile ſine perſona, & vna perſona ſine alia: cùm viſio & perfecta fruitio ſit Dei ſicuti eſt, non autem prout à nobis formaliter concipi poteſt. *In Diſt.* 3. *Quæſt.* 1. Quòd tribuat Deo & creaturis veros aliquos conceptus communes & vniuocos: contra *Alenſ. Quæſt.* 2. *M.* 3. *Art.* 2. & *Quæſt.* 51. & alibi ſæpè; imò & contra *S. Aug. lib.* 2. *ad Simpl. Quæſt.* 2. Et contra omnia quæ ſupra de Theologia myſtica.

Ad 1. *Reſp.* Ex ipſo *Scoto* ibidem *ad* 3. & *diſt.* 11. De ſufficientia, & continentia virtuali omnium neceſſariornm ad fidem & ſalutem in ſacra Script. &c. Vt ex profeſſo *in* 3. *Sent. à col.* 490. *ad* 504. *Ad* 2. Vt Tomo 2. noſtræ *Anat.* in illa *B. Aug. Lib.* 2. *Doct. Chriſt. cap.* 6. Nihil ferè de obſcuritatibus ſacræ Script. eruitur, quod non planiſſimè alibi dictum reperiatur. *Cap.* 9. In ijs quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inueniuntur omnia illa quæ continent fidem, moreſque viuendi, ſpem ſcilicet, ac charitatem.] Nam illud *ferè*, habet magnam latitudinem, & plurimas exceptionas. Deinde quædam res ſunt tam obſcuræ & difficiles: vt quamuis planiſſimè & apertiſſimè dicantur, non intelligantur. Denique non ſoli ſenſus improprij, ſed & litterales ſunt obſcuri ac difficiles. Vnde nec *Scotus* docens quemlibet ſenſum ſacræ Script. eſſe alicubi litteralem, fauet hæreticis contendentibus nihil eſſe obſcurum in ſacra Script. quod non ſit alicubi clarum. Quamuis & hoc ipſum eſſet valdè obſcurum, & difficile reperire. *Ad* 3. Vt ſupra, *Reſp. ad* 1. ex *S. Bon.* Nec refert aut refutat *Scotus* ipſam ſententiam *S. Bon.* quòd Chriſtus ſit obiectum integrum & totale; ſed quaſi aliam, Quòd ſit obiectum primum. *Ad* 4. Non nimiùm contendit nominaliter: quia *Num.* 26. facilè cedit Theologiam affectiuam *S. Bon.* poſſe intelligi practicam; & plura de praxi & notitia practica ſub problemate relinquit. Sed definit praxim per ſe, priùs & potiùs ex obiecto proprio eam exigente, quàm ex fine ad quem referri poſſit. *Ad* 5. Sat ſuperque ex ipſo *Scoto* ibidem: quia obiectum per ſe motiuum, & terminatiuum viſionis & fruitionis, eſt ſola eſſentia, ſicuti verè eſt eſſentialiter, independenter ab omni modo exiſtendi incommunicabiliter in Perſonis Diuinis. *Ad* 6. Vt ex profeſſo *in* 2. *Sent. à col.* 217.

Difficultates ex ratione.

1. CVm Deus vt Deus non poſſit à nobis concipi: quomodo ſecundùm noſtros Authores poteſt eſſe obiectum Theologiæ noſtræ?

2. Si poteſt verè concipi: quo ſenſu eſt inconceptibilis? Si eſt inconceptibilis, poteſt concipi vt inconceptibilis, nec vt ſic eſt obiectum proprium Theologiæ myſticæ.

3. Vera Theologia Chriſtiana eſt à Chriſto per Apoſtolos & SS. Patres: quos *S. Dion. Lib. Diuin. Nom.* & de myſtica Theologia, vocat Theologos, eorumque doctrinam, veram Theologiam Chriſtianam; ergo recens Scholaſtica, Moralis, & Caſuum non eſt vera Theologia Chriſtiana. Hinc *B. Aug. lib. contra mendacium, cap.* 8. Sunt in eis docti qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat peierari. O vbi eſtis fontes lachrymarum! Quò ibimus ab ira veritatis?

Ad 1. *Reſp.* Quamuis Deus non poſſit à nobis naturaliter concipi, proprio & diſtincto conceptu eſſentiali, ſed ſolo confuſo Entis infiniti: poteſt tamen eſſe obiectum Theologiæ; non ſolùm ſub hoc noto, ſed etiam ſub illo ignoto conceptu. Ex *Scoto*, ſub *Quæſt.* 3. *Prologi, ad* 2. *Later. n.* 11. Concedo quòd Theologia eſt de Deo ſub ratione qua eſt hæc eſſentia. *n.* 12. Primum obiectum Theol. nobis notum, eſt Ens infinitum: quia iſte eſt conceptus perfectiſſimus quem poſſumus habere de primo in ſe, &c. Idem eſt ſubiectum Theologiæ noſtræ, quod eſt primum Theologiæ in ſe. &c. Non eſt primum ſubiectum dans euidentiam: ſed natum dare. *In Diſt.* 22. *Quæſt.* 1. Poſſumus vti nomine proprio Dei, intendendo eius ſignificatum, quamuis non ſit nobis diſtinctè cognitum. *Quæſt.* 2. *Concl.* 3. Deus nominatur etiam propriè: quia ad hoc non eſt neceſſaria propria & diſtincta eius cognitio. Ergo

Deus

Digitized by Google

De is ſub propria ratione eſſentiali, quamuis diſtinctè incognita, eſt obiectum primum, de quo omnia Theologicè ſciantur. Quia conceptus Entis infiniti, ſupponit aliquem priorem, ſimpliciorem, & ſecretiorem, cui tribuatur. Quo ſenſu Compendium noſtrum *Quæſt.* 3. *col.* 120. *Num.* 12. negat obiectum primum virtute obiectiua, & vt nobis notum, eſſe Deum ſub proprio conceptu eſſentiali: ſed concedit totam Theologiam noſtram eſſe de Deo ſub illo conceptu. *Num.* 13. Subiectum Theologiæ noſtræ quoad contingentia, eſt id ex quo primò ſunt, & ſcibilia ſunt .i. ex libera voluntate Dei; vel de quo .i. de Deo ipſo, de quo ſcitur quid velit.

Ad 2. Deus vt inconceptibiliter inconceptibilis, ineffabiliter ineffabilis, ſiſtit totam Theologiam poſitiuam, & exigit Myſticam: quæ non tam negat, quàm ſuſpendit omnes imperfectos Dei conceptus; ſed ſupponit & ſuſpicit aliquem perfectum ac eminentem ſupra ſuum captum, vt monet *Scotus*, *Diſt.* 8. *q.* 3. *N.* 9.

Ad 3. Tota vera Theologia Chriſtiana, eſt à Chriſto per Apoſtolos & SS. Patres .i. principiatiuè, non extenſiuè. Vt ergò arbor magna ex paruo ſemine, non eſt recens, ſed antiqua nec alia, ſed eadem ſecumipſa parua; ſic & Theologia noſtra. Nec hanc improbat *S. Aug.* ſed quorundam abuſum contra veritatem. Vt patet ex noſtra *Quæſt.* 8. *in* 2. *Sent. col.* 530.

Contra. Theologia hodierna non creuit nouis veritatibus: ſed ſolis opinionibus, & conſequentijs fallibilibus ac erroneis: ergò non eſt vera Theologia Chriſtiana. *Reſp.* Vt arbor non creſcit ſolo trunco in altum, ſed etiam circumquaque ramis frugiferis & decoris, non tamen vitioſis & ſpurijs: ſic & Theologia noſtra creuit conſequentijs neceſſarijs, ac euidentibus, imò & varijs opinionibus probabilibus, non tamen erroribus & abuſibus. Cùm enim ex Appendice ad Tomum 9. *B. Aug.* Tract. ſuper Magnificat: *Sacra Script. multa quærenda relinquat: ſicq; tam fœcunda veritatis authoritas, vt dum diligenter diſcutitur, de ſe gignere quod ipſa eſt conuincatur*: Theologia Scholaſtica huic fœcundati quaſi obſtetricatur, eliciendo latentes veritates, per conſequentias neceſſarias. De quibus & earum aſſenſu inter Theologos controuerſia eſt: an ſint fidei infuſæ, vel ſolùm acquiſitæ per diſcurſum. Quidam negant Theologiam eſſe illatiuam nouæ veritatis, ſed ſolùm declaratiuam. Alij negant vllam veritatem illatam poſſe eſſe fidei infuſæ: quia conſequentiæ humanæ ſunt fallibiles; vel certè non æquè certæ & infallibiles, ac veritates fidei. Alij cenſent veritates neceſſariò & euidenter conſequentes ex duabus præmiſſis de fide, eſſe eiuſdem fidei: non autem ex vnica de fide, altera naturali, quantumuis certa & euidenti; quia vt effectus, ſic & conſequentia ſequitur debiliorem cauſam, ſeu præmiſſam. *Canus lib.* 6. *De Locis Theol.* & noſter *Vega in Trid. lib.* 9. *c.* 39. ſuſtinent omnem conſequentiam Theologicam, ſiue ex vtraque de fide, ſiue ex altera euidenti, eſſe æquè de fide ac ſi eſſet ab Eccleſia definita: niſi quòd definitio Eccleſiæ ſit regula cõmunis credendi; ſed conſequentia, quibus euidens eſt. Quidam addunt, conſequentiam, & eius aſſenſum naturalem ex ratione, ſimulque ſupernaturalem quoad modum ex auxilio gratiæ, eſſe conditionem vel diſpoſitionem infallibilem ad alium aſſenſum fidei infuſæ. Quibus fauet illud ſub nomine *B. Auguſtini. Veritatis authoritas eſt tam fœcunda: vt de ſe gignat quod ipſa eſt* .i. veritatem eiuſdem rationis generatione vtique vniuoca. Quodque nihil ſit ab vllo credendum, niſi ſit eidem credibile ratione, & auxilio gratiæ.

Sed poteſt reſponderi, quòd vt eadem eſt res plicata, & explicata: ſic & definitiones Eccleſiæ, & conſequentiæ Theologicæ ſint eædem veritates explicitæ, quæ erant in ſuis principijs implicitæ; nec tam in illis, quàm ex illis genitæ ſeu natæ. Quòdque non ſit opus priori aſſenſu fidei acquiſitæ ex ratione & auxilio gratiæ, ad aſſenſum fidei infuſæ: ſed obiecto credibiliter propoſito, primus aſſenſus poſſit eſſe ex fide infuſa, vel gratia æquiualente.

Contra. Vt vt ſit de conſequentijs certis: quid de tot incertis, & oppoſitis inter Theologos Scholaſticos? *Reſp.* Solas certas eſſe propriè Theologicas, ſeu intrinſecas Theologiæ, vt eſt certa Sciētia, nonniſi de rebus certis: reliquas eſſe tantùm circa Theologiam, ad indagandas vel explicandas eius veritates. Cùm ergo referantur decem Loci Theologici, ex quibus Theologus argumentetur. 1. Ex ſacra Script. 2. Ex Traditione. 3. Ab authoritate Eccleſiæ. 4. Conciliorum. 5. Papæ. 6. SS. Patrum. 7. Theologorum Scholaſticorum & Canoniſtarum. 8. Ex lumine naturali. 9. Ex Philoſophia. 10. Ex hiſtorijs Eccleſiaſticis: Soli quinque loci priores ſunt proprij & intrinſeci Theologiæ, ad eliciendas veritates Theologicas, quamuis inde etiam elici poſſint opiniones tantùm probabiles: reliqui ſunt tantùm extrinſeci, ſed circumſtantes, ſeu ſacræ Theologiæ ad probabilia ſeruientes. Ex quibus, nec falſa ſunt prorſus inutilia ad diſcutiendam veritatem.

Sed nec locus à Script. ſacra eſt propriè & intrinſecè Theologicus, niſi in ſenſu literali, ſeu primò intento & ſub integra verborum forma, ſiue propriè ſiue impropriè expreſſo: vel in quouis alio ab ipſa ſacra Script. Eccleſia, Papa, vel ſacris Conc. interpretato & definito. Vt patet ex Quæſt noſtra 16. *in* 3. *à col.* 501. De ſacra Script. ſpecialiter *col.* 491. De triplici ſenſu literali, & triplici figurato. Et ex *S. Bern. Serm.* 3. *pro vigilia natalis Domini.* Cùm Eccleſia in Scripturis diuinis verba vel alterat vel alternat: fortior eſt illa compoſitio, quàm poſitio prima verborum; & fortaſſis tantò fortior, quantùm diſtat inter figuram & veritatem, &c.] .i. Certior eſt interpretatio ſacræ Script ab Eccleſia, quàm ipſa verborum expreſſio. Imò ex ipſa ſacra Script. 2. *Cor.* 3. Litera occidit, Spiritus autem viuificat.] Nam etſi *Litera* ſumatur hìc præcipuè pro lege ſcripta, *Spiritus* pro gratia: illa poteſt etiam ſumi pro tota ſacra Script. & hic pro vero eius ſenſu. Qui non eſt ſemper nominialior, materialior, & apparentior: ſed ſpiritualior, ſecretior, & ſalubrior, iudicio publico Eccleſiæ, non priuato. Vt *in* 4. *col.* 307.

QVÆ-

Digitized by Google

eſſentiale eſt vtroque modo immediatius eſſentiæ, quàm vllum notionale. Vt memoria perfecta, eſt immediatior eſſentiæ Diuinæ, quàm dicere perfectum. *Infra.* Eſſentiæ immediatior eſt potentia, quàm eius actio realiter productiua.]

Suppleri poſſit hic quædam tertia diſtinctio: inter eſſentialia, quæ ſunt formaliter de ipſa eſſentia; inter Attributa eſſentialia, quæ ſupponunt eſſentiam formaliter completam, ſuntque obiectiuè, non realiter, ex eſſentia, ſeu ſequuntur ex perfectione eſſentiali & obiectiua eſſentiæ; & inter modos quoſdam eſſentiales, ſeu eſſentiam & omnia eſſentialia ad ſuam adæquatam perfectionem determinantes. De quibus ſub *Quæſt.* 3.

Ex quibus omnibus inter ſe collatis, necdum ſatis conſtat, quid ſit Eſſentia, vel de Eſſentia Dei. 1. An ſingularitas & exiſtentia actualis. 2. An, & quæ ratio Subſtantiæ, Spiritus, Viuentis, Intellectualis. 3. An Infinitas, Simplicitas, Æternitas, & ſimiles modi perfectionis. 4. An potentiæ, ſeu principia operandi, ipſæque operationes vitales. 5. An omnia Attributa eſſentialia, ſint de eſſentia Dei?

Reſponſio.

DEus eſt neceſſariò & eſſentialiter Subſtantia, Spiritualis, Viuens, Intellectualis, Singularis, & Exiſtens. Non prædicamentaliter, communiter, potentialiter, partialiter: ſed tranſcendentaliter, ſingulariter, actualiter, totaliter .i. Non vt ſunt gradus aut conceptus limitati, communes, potentiales, partiales, inadæquati: nec vt modificati, vel denominati ab vllo modo exiſtendi, vel ab vllo principio proximo operandi. Sed vt conſignificant vnam eademque eſſentiam, quatenus eſt prima, ſimplex, totalis, & formalis ratio eſſendi: vnam eandemque Naturam, quatenus eſt prima radix operandi: vnam eandemque Subſtantiam, quatenus eſt prima radix ſubſiſtendi, ſeu per ſe abſolutè exiſtendi, independenter ab omni coexiſtente; eandem Spiritualem, quatenus eſt prima ratio indiuiſibilitatis, & perfectio ſimplicitatis ſubſtantialis; eandem Viuentem, quatenus eſt prima radix operandi vitaliter; Intellectualem quatenus eſt prima radix intelligendi & volendi; Singularem, quatenus eſt ſeipſâ hæc, vnica in ſe, & diuerſiſſima à quauis alia re poſſibili; denique Exiſtentem, quatenus ſeipſa formaliter eſt etiam realiter, actualiter, ſimpliciter, totaliter, & eſſentialiter.

Quæ omnia comprobantur. 1. Ex ſacra Script. *Exod.* 3. Apparuit Deus *Moyſi*, & ait: Ego ſum Deus Abraham, &c. Veni & mittam te ad Pharaonem, &c. Ait Moyſes ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius: quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſen: *Ego ſum, Qui ſum.* Sic dices filijs Iſrael: *Qui eſt* miſit me ad vos, &c. Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos. Hoc nomen mihi eſt in æternum. *Exod.* 6. Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotenti: & Nomen meum non indicaui eis .i. Nomen illud *Tetragrammaton I E H O V A H.* De cuius lectione, licet non conſtet apud Hebræos: quia erat ineffabile, ſeu non erat fas illud pronuntiare, niſi ſūmo Sacerdoti in Sanctuario benedicenti populum; ſatis tamen apparet ex literis, denominari à verbo eſſendi *H I H.* Iob 14. *Nonne tu Qui ſolus es?* Pſal. 49. *Ab æterno, in ſæculum Tu es.* Ioan. 8. *Niſi credideritis quia Ego ſum*, &c. Cap. 18. *Ego ſum.* 2. *Cor.* 1. Non fuit in Chriſto *Eſt* & non *eſt*; ſed *Eſt* tantùm in illo fuit. *Apoc.* 1. Gratia vobis & pax ab eo *Qui eſt*, & qui erat, & qui venturus eſt. *Infra.* Ego ſum *Alpha* & *Omega*, Principium & finis, dicit Dominus Deus, *Qui eſt*, &c. *Cap.* 4. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Omnipotens, qui erat, *qui Eſt*, & qui venturus eſt. *Cap.* 5. Dign⁹ eſt *Agnus* qui occiſus eſt accipere Diuinitatem, &c. *Cap.* 11. Gratias agimas tibi Domine Deus Omnipotens, *Qui es*, & qui eras, & qui venturus es. *Cap.* 22. Ego *ſum Alpha*, & *Omega*, &c. Eadem ſacra Script. tribuit Deo formaliter & eſſentialiter nomen & rem *Subſtantiæ, Heb.* 1. Figura ſubſtantiæ eius: Nomen & rem *Vitæ & Viuentis, Num.* 14. *Deut.* 32. *Eſa.* 49. *Ier.* 14. Viuo ego, dicit Dominus, contra Pſeudodeos, mortuos vel inanimes: Nomē & rem *Spiritus, Ioan.* 4. Spiritus eſt Deus; nomen & rem *Intellectualis, Gen.* 3. Eritis ſicut Dij, ſcientes, &c. *Pſal.* 146. Sapientiæ eius non eſt numerus. Libri Sapientiales inuocant Sapientiam, vt Deum. 1. *Ioan.* 4. Deus Charitas eſt: ergo & Sapientia; ſicque eſſentialiter eſt intellectualis. Hinc & *Deus* ſic denominatur græcè, à videndo.

2. Ex ipſo Atheiſmo, Idolatria plurium deorum, tam ſpiritualiū, quàm corporalium, & hæreſi *Audianorum* 70. apud Epiph. ſeu 50. Vadianorum & Antropomorphitarum, apud *B. Aug.* 86. Tertullianiſtarum: quòd Deus ſit corporeus, contra ipſum primum conceptum eſſentialem Dei, vt exiſtentis, ſingulariſſimi, & ſpiritualiſſimi. Hinc *Pſal.* 13. Dixit inſipiens, non eſt Deus: Quia hoc eſt ſummæ inſipientiæ. Sicque de pluralitate, & corporeitate Dei.

2. Ex SS. Patribus. *Dion. Areop. cap.* 5. *Diuin. Nom. De eo quod Eſt.* Deus non quodam modo eſt: ſed abſolutè & liberè, ſine vllo termino, vniuerſo illo quod eſt eſſe in ſe comprehenſo & occupato. *Cap.* 6. *De vita.* Sub finem. Deus eſt vita, vitalior omni vitâ, &c. *Cap.* 7. *De Sapientia, Mente, &c.* Deus non ſolùm præter modum plenus eſt ſapientiæ, & intelligentiæ eius non eſt numerus: verùm etiam omnem rationem, intelligentiam, ac ſapientiam ſuperat. 1. *Cor.* 1. Quod ſtultum eſt Dei, ſapientiùs eſt hominibus, &c. *S. Hil. lib.* 1. *Trin.* de illo *Exod.* 3. Miratus ſum tam abſolutam de Deo ſignificationem, &c. Non enim aliud magis proprium Deo, quàm eſſe intelligitur. *S. Ambr. Epiſt.* 63. *ad Iuſtum.* Ego ſum qui Sum, *Exod.* 3. Hoc eſt verum nomen Dei, Eſſe ſemper. Vnde 2. *Cor.* 1. Non fuit in Chriſto Eſt & non: ſed Eſt, in illo fuit. *S. Ioan. Damaſc. Lib.* 1. *Fidei, cap.* 4. Deum eſſe, & incorporeum, perſpicuum eſt. Quo pacto enim corpus fuerit infinitum, interminatum, infiguratum, &c. *Cap.* 12. Ex omnibus Dei nominibus nullum

æ, ut proprium videtur, ac nomen Entis, *Exod.* 3. Ego ſum qui ſum, &c. Vniuerſum enim eſſe tanquam immenſum quoddam & infinitum eſſentiæ pelagus, complexu ſuo continet, &c. Sequens vero nomen eſt Deus Græcè à diſponẽdo, vrendo vel intuendo omnia. S. *Bern. Lib.* 5. *De Conſideratione.* Quis eſt Deus? *Qui eſt, Exod.* 3. Si bonum, ſi magnum, vel quicquid tale de eo dixeris: in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, *Eſt.* Nempe hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe. Si ea dixeris, nihil addidiſti: ſi non dixeris, nihil minuiſti, &c. Quid item Deus? Sine quo nihil eſt. Tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt.. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt: ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt & omnium eſſe.

Sed omnium vices ſuppleat *B. Aug.* ad hanc totam Quæſt. & reſponſionem. *Lib.* 1. *De Diſciplinis, cap.* 5. Deus eſt, quod neque corpus eſt, neque animal eſt, neque ſenſus eſt, neque intellectus eſt, neque aliquid quod cogitari poteſt. *Lib.* 2. *De lib. Arb cap.* 6. Non mihi placet Deum appellare, quo mea ratio eſt inferior: ſed quo nullus eſt ſuperior. *Cap.* 15. Non ſolùm fide, ſed & tenuiſſima cognitione attigimus Deum eſſe. *Lib.* 1. *De Doct. Chriſt cap.* 2. Omnes certatim Deum eſſe, quod cæteris omnibus anteponunt. *Cap.* 8. Quoniam omnes qui de Deo cogitant, viuum aliquid cogitant: illi ſoli poſſunt non abſurda de Deo exiſtimare, qui vitam ipſam cogitant, &c. Deinde vegetanti præponunt ſentientem, & huic, intelligentem: quam cùm adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere, quę non aliquando deſipit, aliquando ſapit, ſed eſt ipſa Sapientia. *Epiſt.* 246. *Euodij* ad *B. Aug.* Deum eſſe, nec aliter fieri debere quàm vt Deus eſſet, ratio demonſtrat, &c. Sunt autem quædam quæ ratione coguntur vt ſint, &c. *Epiſt.* 101. *B. Aug.* ad illum *Euod.* Non cogi ratione Deum eſſe, vel ratiocinando effici Deum eſſe debere. Vt 7. & 3. non debent eſſe 10. ſed ſunt. Deus non debet eſſe ſapiens: ſed eſt. *Lib. De vera Relig. cap.* 49. Sola æternitas veriſſimè dicere potuit humanæ menti, *Exod.* 3. *Ego ſum Qui ſum. Lib. De Fide & ſymbolo, cap.* 4. Chriſtus vt Filius Dei, non poteſt dici fuit, & erit: ſed tantùm, *Eſt, Exod.* 3. *Lib.* 12. *Ciu.* 2. *Ego ſum qui ſum, Exod.* 3. Cùm enim Deus ſumma Eſſentia ſit, hoc eſt ſummè ſit: alijs dedit eſſe ampliùs, alijs minus; atque ita naturas eſſentiarum gradibus ordinauit, &c. Ac per hoc ei naturæ quæ ſummè eſt, contraria natura non eſt, niſi quæ non eſt. Sic & *Lib.* 5. *in Gen.* 16. *Tract. in Exod.* 3. Angelus, & in Angelo Dominus dicebat *Moyſi, Exod.* 3. EGO SVM QVI SVM, &c. Eſſe, nomen eſt incommutabilitatis. Eſſe verum, eſſe ſincerum, eſſe germanum non habet, niſi qui non mutatur, vt *Pſal.* 101. Quid eſt EGO SVM QVI SVM? Niſi, æternus ſum, mutari non poſſum, &c. Cùm ergo hoc nomen ſit æternitatis: dignatus eſt habere nomen miſericordiæ, Ego ſum Deus *Abraham*, &c. Si enim hoc ſolùm eſſe vellet quod eſt in ſe: quid eſſemus nos? Qui hoc quod eſt, & verè eſt, intellexerit dignè, &c. longè ſe videt infra. In *Pſal* 9. Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, *Exod.* 3. In *Pſal.* 38. Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum *Qui eſt.* Vbi legimus, *Quis eſt.* Eſt illud ſimplex quæro, eſt verum, eſt germanum, &c. Vt *in* 2. *Sent. col.* 222. In *Pſal.* 101. Non eſſet nomen tibi ipſum ESSE, *Exod* 3. niſi quicquid eſt aliud, tibi comparatum inueniretur non eſſe verè, &c. Ad illud tam magnum EST, homo quid eſt, quicquid eſt? Quis apprehendat illud ESSE? Quis eius particeps fiat? Noli deſperare: Ego ſum Deus *Abraham*, &c. In *Pſal.* 121. *Cuius participatio eius in idipſum.* Quid eſt idipſum? Niſi, QVOD EST. Quid eſt, QVOD EST? Quod æternum eſt. Quod ſemper aliter atque aliter eſt, non eſt: quia non manet. Non omnino non eſt: ſed non *ſummè eſt.* Et quis eſt, quod EST? Niſi ille qui dixit, *Exod.* 3. EGO SVM QVI SVM, &c.

Tract. 2. *in Ioan. Deus erat Verbum.* Hoc verbum, idipſum eſt *Exod.* 3. Quid eſt, QVOD EST? niſi quod tranſcendit omnia, quæ ſic ſunt vt non ſint. Quis hoc capit? Sic eſt, tanquam quis videat quò eat, ſed non habet quà eat, &c. Vt ergo eſſet quà iremus: Chriſtus inſtituit lignum quo mare tranſeamus, &c. Melius eſt ergo non videre mente id QVOD EST, & tamen à Cruce Chriſti non recedere quàm videre illud mente, & Crucem Chriſti contemnere. Optimum eſt, vt & videatur quò eundum ſit, & teneatur quo portetur qui pergit. *Lib. De moribus Manichæorum, cap.* 1. Hoc maximè eſſe dicendum eſt, quod ſemper eodem modo ſe habet, &c. Subeſt enim huic verbo, in ſe manentis atque incommutabiliter ſeſe habentis ſignificatio. Eſſe contrarium non habet, niſi non eſſe: nulla eſt ergo Deo natura contraria. *Cap.* 2. Vt nos ab eo quod eſt eſſe vocamus eſſentiam; & plerumque ſubſtantiam: ita veteres pro eſſentia & ſubſtantia naturam vocabant. *Tract.* 38. in illud *Ioan.* 8. *Si non credideritis quia ego ſum, &c.* Ergo ſi credideritis quia Ego ſum: non moriemini in peccatis veſtris, &c. Attende quod ait, *Quia ego ſum*: & quia nihil addidit, multùm eſt quòd commendauit, &c. Sic dixerat Dominus *Moyſi, Exod.* 3. Quis denique eloquatur, quid ſit, SVM? *Infra.* Quid ſit ipſum ESSE dicat cordi, mens capiat: eſt enim ſemper eodem modo eſſe, &c. Quicquid enim mutari poteſt, mutatum non eſt quod erat: ſi non eſt quod erat, mors illi quædam facta eſt, &c. De mortuo, cùm dicitur vbi eſt, reſpondetur, fuit. O Veritas quæ verè es? Cogita Deum, inuenies EST, &c. Nihil aliud Chriſtus videtur his verbis dixiſſe: Niſi credideritis quia Deus EGO SVM: Dixerunt, tu quis es? Et ille: Principium. Ecce quod eſt ESSE. *Pſal.* 101. Tu autem idem ipſe es, &c. Non tanquam diceret, *Principium ſum*: ſed Principium me credite. Ex græco in fœminino, & accuſatiuo. *Tract.* 4. *In illud Ioan.* 3. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Magna res! Noſtis quid vocatur, *Eſt*: & non ſolùm vocatur, ſed verè eſt, incommunicabiliter eſt, &c.] Sicque alibi ſæpè. Quo exemplo poſſunt omnia ſimilia anagogicè exponi. Vt *Ioan.* 18. Ego ſum. *Matt.* 6. Pater noſter qui Es. 2. *Cor.* 1. In Chriſto non fuit *Eſt* & non eſt: ſed EST tantùm.

Heb.

Digitized by Google

*Heb.*11. Oportet primò credere quia Deus *Eſt*, &c.

Ne autem hæc Anagogica non videantur doctrinalia : ab illis delicijs Anagogicis *B. Aug.* ad ſolos Libros doctrinales procedamus. *Lib.* 1. *Trin. cap.* 1. Ego ſum qui ſum, *Exod.* 3. Cùm eſſe aliquo modo dicatur & corpus, & animus : niſi proprio quodam modo vellet intelligi, non id vtique diceret. *Lib.* 5. *cap.* 1. Intelligamus Deum quantum poſſumus, &c. ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine ſitu præſentem, ſine loco vbique totum. Quiſquis Deum ita cogitat : etſi nondum poteſt omnino inuenire quid ſit; piè tamen cauet quantùm poteſt, aliquid de eo ſentire quod non ſit. *Cap.* 2. Eſt tamen ſine dubitatione Subſtantia, vel Eſſentia, quã Græci *vſiam* vocant. Vt enim ab eo quod eſt ſapere, dicta eſt Sapientia : ita ab eo quod eſt eſſe, dicta eſt Eſſentia. Et quis magis eſt quàm qui dixit *Moyſi*, *Exod.* 3. Ego ſum Qui ſum? Sed alia quæ dicuntur ſubſtantia, ſeu eſſentia, capiunt accidentia quibus in eis fiat aliqua mutatio : Deo autem aliquid accidere nequit; & ideo ſola eſt incommutabilis ſubſtantia, cui profectò ipſum Eſſe veriſſimè competit. Quod enim mutatur, non ſeruat ipſum eſſe. *Cap.* 8. Quicquid de Deo Ad ſe dicitur, ſubſtantialiter dicitur : quòd autem Ad aliquid, non ſubſtantialiter, ſed relatiuè. *Infra.* Non aliud eſt Deo eſſe, aliud magnum eſſe : ſed hoc idem illi eſt Eſſe, quod magnum eſſe. *Lib.* 6. *cap.* 10. Deus non ea magnitudine magnus eſt quæ non eſt quod ipſe, vt quaſi particeps eius ſit, &c. Sed eâ quâ ipſe eſt eadem magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, &c. *Lib.* 6. *cap.* 4. Deo hoc eſt eſſe, quod fortem, iuſtum, aut ſapientem eſſe : etſi quid de illâ ſimplici multiplicitate, vel multiplici ſimplicitate dixeris. *Cap.* 7. Eadem eſt magnitudo Dei, quæ Sapientia. Non enim mole magnus eſt, ſed virtute. *Cap.* 8. In ijs quæ non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod melius eſſe. *Cap.* 10. In Deo eſt prima, & ſumma vita : cui idem eſt Eſſe & Viuere. Eſt & primus ac ſummus Intellectus : cui id eſt Intelligere, quod Viuere. *Lib.* 7. *cap.* 1. Deus non alio magnus, alio Deus : ſed eo magnus, quo Deus; quia non aliud illi eſt magnum eſſe, quàm Deum eſſe. *Infra.* Hoc illi eſt eſſe, quod ſapere, .i. eo eſt, quo Sapiens eſt. Quod eſt Sapientiæ ſapere, Potentiæ poſſe, &c. Hoc eſt eſſentiæ ipſum eſſe, &c. Et quia non eſt aliud ſapere, quàm eſſe : eadem ibi Sapientia eſt, quæ Eſſentia. *Cap.* 2. Eo Filius quo Verbum, & eo Verbum quo Filius, &c. Non eo Verbum, quo Sapientia : hæc vero, eo quo Eſſentia. *Cap.* 4. Vt ab eo quod eſt eſſe, appellatur Eſſentia : ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, Subſtantiam dicimus, &c. Omnis enim res ad ſe ſubſiſtit : quantò magis Deus? *Cap.* 5. Nefas eſt vt Deus ſubſiſtat & ſubſit bonitati ſuæ. Vnde manifeſtum eſt Deum abuſiuè Subſtantiam vocari : vt nomine vſitatiore intelligatur Eſſentia, &c. Eſt enim verè ſolus : quia incommutabilis eſt, *Exod.* 3. Sed ſiue eſt Eſſentia, ſiue ſubſtantia : ad ſe dicitur, non relatiuè. Vnde hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere. *Lib.* 8. *cap.* 1. In Deo hoc eſt verum eſſe, quod eſſe : & eſſe, quod magnum eſſe. Hoc eſt ergo magnum eſſe, quod verum eſſe. *Cap.* 2. Antequam ſcire poſſumus quid ſit Deus : poſſumus iam ſcire quid non ſit, &c. Deus Veritas eſt, 1. *Ioan.* 1. *Cap.* 3. Bonum hoc, & bonum illud : tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum ſi potes. Ita Deum videbis : non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni, &c. *Lib.* 14. *cap.* 1. Deus ipſe ſumma Sapientia eſt. *Lib.* 15. *cap.* 5. Quæ vita dicitur in Deo, ipſa eſt Eſſentia eius, atque Natura. Non itaque Deus viuit, niſi vitâ, quod ipſe ſibi eſt, &c. Ipſa eſt etiam vera æternitas, quâ Deus eſt immutabilis. Vna ergo eademque res dicitur, ſiue Deus dicatur æternus, ſiue immortalis &c. Itemque cùm dicitur viuens & intelligens, quod eſt vtique Sapiens. Et hæc vita eadem quæ potentia, &c. Quæ iuſtitia, ipſa bonitas, & quæ bonitas ipſa beatitudo. Incorporeus autem dicitur Deus: vt ſpiritus credatur, non corpus. Proinde ſi dicamus, Æternus, Immortalis, Incorruptibilis, Immutabilis, Viuus, Sapiens, Potens, Iuſtus, Bonus, Beatus, Spiritus : horum omnium nouiſſimum quod poſui, quaſi tantum ſignificare videtur ſubſtãtiam; cætera verò huius ſubſtantiæ qualitates. Sed non ita eſt in illa ineffabili ſimplicique natura. Quicquid enim ſecundùm qualitates illic dici videtur : ſecundùm ſubſtantiam vel eſſentiam eſt intelligendum.

4. Ex noſtro *Alenſi P.* 1. *Q.* 3. *M.* 2. 3. Non poteſt Deus cogitari non eſſe quoad rẽ. *Quæſt.* 48. *M.* 2. *Ad* 1. *Qui eſt*, nominat abſolutum, & abſolutè : quamuis non concipiatur à nobis niſi comparatiuè ad creaturas. *M.* 4. *Art.* 3. §. 2. *Ad* 2. Prima diuiſio entis eſt, in Ens ex ſe .i. exiſtens ſeipſo formaliter, & eſſentialiter, vel ab alio ente. *Quæſt.* 49. *M.* 1. *Art.* 2. Ens ex ſe, eſt proprium & eſſentiale Deo. *M.* 4. *Art.* 1. Nomen *Qui eſt*, eſt eſſentiale, ſeu quaſi infiniti pelagi eſſentiæ Dei. *Art.* 2. Ens, & *Qui eſt*, eſt ſimpliciter primum nomen Dei in ſe. *Quæſt.* 57. *M.* 3. Vt ſubſiſtentia, ſic ſubſtantia, à per ſe ſtando, dicitur eſſentialiter. *Parte.* 2. *Quæſt.* 90. De vita. *Memb.* 2. *Art.* 1. Vita eſt ſubſtantialis. *Art.* 3. Vita eſt à qua immediatè actus primus viuendi. *Quæſt.* 91. *M.* 1. *Art.* 1. *Ad* 5. Eſt vita in actu primo ſubſtantiali, & in ſecundo accidentali. *Quæſt.* 92. *M.* 1. *Ad* 1. Vita eſt ipſa eſſentia Dei.

Ex *S. Bon. in Itinerario*, *cap.* 5. Nomen Dei Qui eſt, eſt primum veteris Teſt. ſed Bonum, noui, &c. Ipſum Eſſe, non poteſt cogitari non eſſe, &c. Sicut omnino nihil, nihil habet de eſſe : ſic ipſum Eſſe nihil habet de non eſſe, nec actu, nec potentia, &c. Sed non eſt Eſſe particulare: quod eſt Eſſe arctatum, quia mixtum eſt cum potentia; nec Eſſe analogum, quod minimè eſt. Reſtat ergo Eſſe Diuinum. *Infra.* Vide igitur ipſum puriſſimum Eſſe, ſi potes : & occurret tibi quod ipſum non poteſt cogitari vt ab alio acceptum, ac per hoc neceſſariò cogitatur vt omnimodè primum, quod nec de nihilo, nec de alio poteſt eſſe. Quid enim eſt per ſe : ſi ipſum eſt, non eſt per ſe, nec à ſe fic. Occurret etiam tibi vt carens omnino non eſſe, ac per hoc vt nunquam incipiens, nunquam deſinens, ſed æternum. Occurret tibi vt nullo modo in ſe habens, niſi quod eſt

ipſum eſſe, ac per hoc vt nullo modo compoſitum, ſed ſimpliciſſimum. Occurret etiam vt nihil habens poſſibilitatis, quia omne poſſibile aliquo modo habet aliquid de non eſſe, ac per hoc vt ſummè actualiſſimum. Occurret vt nihil habens defectibilitatis, ac per hoc vt perfectiſſimum. Occurret poſtremò, vt nihil habens diuerſificationis, ac per hoc vt ſummè vnum. Eſſe igitur quod eſt eſſe vnum & purum, & eſſe ſimpliciter, & eſſe abſolutum, eſt eſſe primarium, æternum, ſimpliciſſimum, actualiſſimum, perfectiſſimum, & ſummè vnum. Et ſunt hæc ita certa, quòd non poteſt ab intelligente ipſum eſſe, cogitari horum oppoſitũ, & vnum horum neceſſariò infert aliud. Nam quia ſimpliciter eſt eſſe, ideo ſimpliciter primum: quia ſimpliciter primum, ideo non eſt ad aliud factum, nec niſi à ſeipſo eſſe potuit; ergo æternum. Item quia primum & æternum, ideo non ex alijs, ergo ſimpliciſſimum. Item quia primum, æternum, & ſimpliciſſimum, ideo nihil eſt in eo poſſibilitatis cum actu permixtum, & ideo actualiſſimum. Quia primum, æternum, ſimpliciſſimũ, actualiſſimum, ideo perfectiſſimum. Tali omnino nihil deficit, nec aliqua poteſt fieri additio. Quia primum, æternum, ſimpliciſſimum, actualiſſimum, perfectiſſimum, ideo ſummè vnum, &c.

Ex *Scoto in* 1. *Diſt.* 2. *Quæſt.* 2. *n.* 4. Eſt per ſe notam Deum ſeu Eſſentiam diuinam eſſe. *Q.* 3. *Ad* 3. Diſtinguit inter ens per eſſentiam, & per participationem: quòd illud ſit perfectum ſimpliciter, hoc imperfectum. *Diſt.* 8. *Q.* 2. *Ad* 2. *Arg.* De Ente par participationem. *Diſt.* 4. *Q.* 2. *n.* 3. Deus eſt primo Deitate ens: & ſicut Deitas eſt ex ſe hæc, ita Deus eſt ex ſe hic. *Diſt.* 36. *Quæſt.* 1. *N.* 6. Eſſentiam realem, & exiſtentiam creaturarum non differre: Quantò minùs Dei?

5. Ex varijs rationibus: quibus poſſent quidem ex conceptu eſſentiali Dei à priori demonſtrari omnes eius perfectiones eſſe; ſed non poteſt à nobis demonſtrari, niſi à poſteriori, Deum vt Ens infinitum, eſſe. Quia conceptus Dei eſſentialis non eſt nobis tam euidens, vt hoc inde à nobis demonſtrari poſſit. Quo ſenſu *Sap.* 13. A magnitudine ſpeciei & creaturæ poterat cognoſcibiliter Creator omnium videri. *Rom.* 1. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, &c. Ita vt ſint inexcuſabiles. Et *Scotus* noſter *Diſt.* 2. *q.* 2. Non autem in ſenſu ſub quo *Vaſques. p.* 1. *Tom.* 1. *diſp.* 20. *cap.* 3. eum impugnat, quaſi diceret poſſe demonſtrari à priori Deum ſeu Eſſentiam diuinam eſſe. Cùm *Scotus* ibi tam expreſsè reſoluat hoc eſſe per ſe notum: non tamen Ens Infinitum eſſe; quia poſſet demonſtrari à priori ex euidenti, vel ſaltem diſtincto conceptu eſſentiali Dei. Cuius defectu variè demonſtratur à Poſteriori. Vt patet ex *Alenſi p.* 1. *q.* 3. & *Scoto in* 1. *diſt.* 2. *q.* 2. Quibus poteſt addi. 1. Demonſtratio moralis, à timore & ſpe naturali pœnæ vel mercedis à Deo. 2. Ab experientia vel fide publica aliquorum miraculorum, ſeu operum ſupernaturalium. 3. Metaphyſica, ſed facillima, & certiſſima: Ab optimo conceptibili, ad eiuſdem exiſtentiam; quia exiſtens eſt melius nonexiſtente. Sicque à quouis poſſibili, ſeu non repugnante conceptu Dei, vt infiniti, primi, ſummi, æterni, ad neceſſariam, imò & eſſentialem exiſtentiam. Quia cùm nihil horum poſſit eſſe ab alio: non poteſt concipi poſſibile, quin ſit ex ſe, ſeu exiſtat ſeipſo .i. formaliter propriâ eſſentiâ, vt primâ & propriâ ratione eſſendi realiter, ſeu exiſtendi, ſicque eſſentialiter. Quod eſt, eſſe, ſeu exiſtere per eſſentiam. Quamuis diuiſio communis Entis, in Ens per eſſentiam, & Ens per participationem, poſſit habere duplicem ſenſum. 1. Ens .i. exiſtens per eſſentiam, vt quâ formaliter exiſtit: Ens autem per participationem .i. exiſtens per accidens, participando exiſtentiam ab aliqua cauſa. 2. Ens per Eſſentiam .i. totaliter in eſſendo & exiſtendo: Ens per participationem .i. partialiter in eſſendo & exiſtendo.

Sed quia plæræque demonſtrationes ſupponunt non poſſe dari proceſſum in infinitum, nec in circulum, inter cauſas & effectus, inter priora & poſteriora, minora & maiora, ſeu meliora & perfectiora: confirmari poteſt, ex impoſſibili circulari productione eiuſdem & ſeipſo, ſiue mediatè, ſiue immediatè; & ex impoſſibili infinitorum coëxiſtentia, vel ſucceſſione ac præteritione, quin ſit aliquod à ſe, ex ſe, ſeu ſeipſo, & independens, à quo omnia inferiora dependeant. Quæ omnia ex difficultatibus ſequentibus elucefcent.

Difficultates ex ſacra Script.

1. EXod. 3. Hebraicè non eſt, *Ego ſum qui ſum:* ſed *Ero qui ero.* Quod ſignificat potiùs promiſſionem futuræ prouidentiæ, quàm vllum nomen eſſentiæ.

2. Nec, *Sum qui ſum*, eſt nomen proprium Deo, ſed tantùm appropriatum: cùm ſit ex ſe commune. 3. Nec eſt potiùs eſſentiale Deo, quàm nomen boni, *Luc.* 18. Nemo bonus niſi ſolus Deus: vel nomen Patris, *Epheſ.* 3. Deus Pater ex quo omnis Paternitas nominatur. 4. Nec hoc eſt nomen *Tetragrammaton*: quod *S. Hier. Epiſt.* 142 *ad Damaſum* refert componi ex duplici I A. 5. *Exod.* 6. Deus negat ſe reuelaſſe nomen ſuum proprium: cùm tamen nomen Entis entium fuerit etiam antiquiſſimis Philoſophis notum. 6. Sacra Script. tribuit Deo multa corporalia.

Reſp. Ad 1. Hebræi defectu verbi præſentis temporis, vtuntur participio vel verbo cuiuſuis temporis, cum aliqua determinatione ad præſens. Vt hic, *Ero qui ero*: &, *Qui ero miſit me.* Miſſio enim actualis non poteſt eſſe ab aliquo vt futuro, ſed præſente. Nec eſſet reſponſio Dei ad petitionem *Moyſi*: niſi eſſet de nomine Dei proprio & in præſenti. *Ad* 2. Non eſt commune, ſed proprium, vt ſic expreſſum ſimpliciter, abſque vlla reſtrictione ad entia participata. Nec ſic eſſet à Deo ſibi ſoli appropriatum: niſi vt ſic eſſet proprium. *Ad* 3. Nomen Boni, Patris, Magiſtri, &c. ſupponit eum *Qui eſt*: ideoque hoc nomen eſt potiùs eſſentiale, quàm illa. *Ad* 4. Imò ex duplicato nomine Dei יה, ſeu *IA*, fit vnum nomen *Tetragrammaton* יהוה à verbo ſubſtantiuo היה .i. fuit, in futuro יהיה, *Ero*, vt *Exod.* 3. quod non differt

Digitized by Google

fert à nomine יהוה יהוי IEHOVA niſi ו pro י. Ad 5. Deus non negat ſe reuelaſſe hoc ſuum nomen proprium Moyſi: ſed ipſi Abraham, Iſaac, & Iacob. Nec innotuit Philoſophis ſimpliciter & abſolutè: ſed tantùm cauſaliter,& relatiuè ad entia participata. Ad 6. Non propriè, ſed metaphoricè, ad ſignificanda ſpiritualia.

Ex SS. Patribus.

1. NEgant Deum eſſe effabilem, ſeu ſignificabilem nomine proprio. 2. Negant cognoſci poſſe quid ſit Deus,ſed tantùm quòd ſit. 3. Explicant hoc nomen aut verbum eſſendi anagogicè, non propriè. 4. Explicant de æternitate potiùs quàm de eſſentia Dei. 5. S. Dion. cap. 4. Diuin. Nom. præfert omnibus nomen Boni, vt eſſentiale. Damaſc. lib. 1. cap. 12. Non primum eſt dicendum de Deo Eſſe, ſed ipſum Bonum.

Reſp. Ad 1. Negant Deum nobis diſtinctè ſignificari poſſe nomine proprio: non autem negant nobis ſignificari poſſe confusè; nec diſtinctè iis à quibus ſic concipi poteſt. Vt rectè docet Scotus diſt. 22. Quem cùm in hoc ſequatur Vaſquez Parte 1. Diſp. 57. cap. 2. mirum eſt eum in hoc contradicere noſtro Galatino, Lib. 2. De arcanis Catholicæ veritatis, cap. 10. Quòd nomen Dei, Qui eſt, non ſignificet quid commune, vt alia,ſed ſoli Deo proprium. Vtique ſaltem ex ſua inſtitutione,Exod. 3. & vſu ſacro, ac intentione communi vtentium. Ad 2. Negant cognoſci poſſe diſtinctè & abſolutè quid ſit ipſum eſſe ſimpliciter & abſolutè: ſed tantùm confusè, quòd ſit. Ad 3. Hæc ipſa anagogia eſt propria & literalis. Nam ipſe S. Hier. ſic interpretatur,vt propriè, Epiſt. 142. ad Damaſ. Et in illud Epheſ. 3. Deus Pater ex quo omnis paternitas nominatur. Et in cap. 2. Ezech. Vbi & eundem ſenſum tribuit Chriſto, Ioan. 18. Ego ſum. Ad 4. Conſignificatur æternitas: ſed primò Eſſentia & exiſtentia Dei eſſentialis, vt eſt radix æternitatis. Vt patet ex S. Dion. cap. 5. Damaſc. 1. Fidei 4. S. Bern. ſupra, S. Aug. 12. Ciu. 2. In Pſal. 101. Tract. 2. in Ioan. ſupra. Ad 5. S. Dion. præfert nomen Boni quoad nos, ordine cognitionis & affectus: dicitque diuinam Eſſentiam Bonitatem appellari, & eſſe, identicè, non formaliter. Sic & Damaſc. de primo quoad nos, non in ſe. Vt Al. p. 1. q. 49. m. 4. a. 2.

Ex Alenſi, S. Bon. & Scoto.

EX Alenſi. 1. Quæſt. 3. M. 1. ſæpè repetit eandem rationem. 2. Fallit aut fallitur, ab omni vera affirmatione aut negatione, ad neceſſitatem primæ veritatis. 3. M. 2. Negat cognoſci poſſe quid Deus ſit, ſed quòd ſit: ergo Quod ſit, non eſt Quid ſit. 4. Quæſt. 48. M. 2. Art. 2. Concedit Deum nominari propriè quid ſit, per nomina tranſlata à Deo ad creaturam, vt participem: ergo & poteſt cognoſci Quid ſit. 5. Quæſt. 49. M. 1. Quòd notio entis primi & veri ſit nobis naturaliter impreſſa. 6. M. 2. Quòd exiſtentia ſignificet originem, & quidditatem. 7. M. 3. Quòd Perſonæ diuinæ ſint Entes,&c: De Articulo li bon, li iuſte. 8. M. 4. Quòd nomen, Qui eſt, vt infinitum,ſit eſſentiale. 9. M. 5. Quòd Exod. 3. Ego ſum Qui ſum, ſit proſopopeia .i. locutio ex perſona aliena. 10. Parte 2. Quæſt. 92. M. 1. In creaturis differt Quod à Quo viuit. 11. M. 2. Vita Dei & noſtra non conueniunt vniuocè, ſed analogicè: ſicque de eſſe Dei, & noſtro, p. 1. Quæſt. 2. M. 3. Art. 2. Quæſt. 49. M. 3.& alibi.

Reſp. Ad 1. Semper variatur aliqua authoritas, ſi non ratio. Ad 2. Eſt ratio ipſius S. Aug. & Anſ. Ab omni veritate formali, & obiectiua, ad primam veritatem formalem & obiectiuam: non quà omnia ſint vera formaliter, ſed cauſaliter, exempláriter,participatiuè. Ad 3. Quòd ſit confusè,non eſt Quid ſit diſtinctè. Ad. 4. Ex Scoto in diſt. 22. Poteſt à nobis perfectiùs nominari,quàm cognoſci. Ad 5. Notio illa non eſt nobis impreſſa actu, ſed habitu,ſeu facilitate naturali. Ex ipſo Alenſi q. 3. m. 2. & q. 18. m. 7. Ad 6. Non niſi Ethymologicè,& comparatiuè ad nomen ſubſtantiæ. Ad 7. Id eſt, in ficto participio fœminino. Li,eſt antiquus Articulus Gallicus,æquiualens Græco To, quo carent Latini. Ad 8. Eſt eſſentiale, vt infinitum .i. vt indeterminatum ad Perſonam: & vt infinitum negatiuè, aut formaliter, non poſitiuè aut intenſiuè. Vt infra Quæſt. De Infinito. Ad 9. Quia Angelus ſic loquebatur ex Perſona Dei. Ad 10. Creatura viuens differt realiter à ſua vita .i. ab actu vitali: ſed formaliter ab ipſa ſua vita potentiali, imò & eſſentiali,vt potentia imperfecta, ab actu perficiente. Non ſic autem Deus. Ad 11. Non vniuocè adæquatè, vel æqualiter: ſed analogicè,& dependenter;non tamen impropriè, ſed propriè. Vt ſupra, & infra.

Ex S. Bon. 1. Cùr in 1. Sent. non agat diſtinctè, & ex profeſſo de Eſſentia Dei. 2. Cur in Itin. c. 5. ſupra, tribuat nomen Dei, Qui eſt, veteri Teſtamento: nomen Boni, nouo Teſt. cùm illud ſit eſſentialius, & potius

Reſp. Ad 1. Quia ſupponit vt certum & euidens lumine naturali, Deum vt primum ſubiectum ſeu obiectum Theologiæ, neceſſariò eſſe: nec poſſe diſtinctè à nobis ſciri quid ſit. Vt ſæpè, & promiſcuè monet. Diſt. 8. Art. 1. q. 2. Non poteſt cogitari Deum non eſſe, cum aſſenſu, ſed ſine. Ad 4. Maximè latet quid Deus ſit: ſed maximè patet quòd ſit. Supplet autem in ſuis Opuſculis, ſi quid deſit, aut proſit. Ad 2. Tribuit veteri Teſt. nomen illud Eſſentiale Dei: non vt illi ſtatui proprium; ſed vt in eo reuelatum,ad timorem reuerentialem. Tribuit autem nouo Teſt. nomen Boni: non vt ſolum,ſed vt expreſſiùs coniunctum cùm nomine eſſentiali, ad fidem & amorem Dei, vt ſummè communicabilis ad intra, & ad extra.

Ex Scoto. 1. Diſt. 3. q. 2. Negat eſſe per ſe notum nobis, ſeu ex noſtro conceptu Dei, eum neceſſariò eſſe: Contra Alenſem. & S. Bon. ſupra. 2. Negat nos demonſtrare poſſe à priori Ens infinitum eſſe: quia non habemus proprium conceptum priorem Eſſentiæ, ex quo demonſtrari poſſit. Cùm tamen videatur demonſtrari poſſe ex conceptu noſtro eſſentiali Entis ſimpliciter, eſſe infinitum. 3. Tribuit Deo & creaturis con-

Digitized by Google

ceptum communem & vniuocum Entis: contra *Alenſem & S.Bon.* ſupra; imò & contra proprium ac eſſentiale nomen Dei, Qui eſt. 4. In *Diſt.* 22. cenſet Deum poſſe à nobis nominari propriè, diſtinctè, & eſſentialiter: Contra *Al.* & *S. Bon.*

Reſp. Ad 1. Negat eſſe per ſe notum nobis: quia per ſe notum, idem eſt quod ex ſe, ſeu ex ſolo proprio ac diſtincto conceptu; non autem ex noſtro defectu, aut non. Negat etiam quòd ſit tam euidens Deum eſſe, ex conceptu noſtro perfectiſſimo Dei, vt Entis infiniti: quin poſſit probari Ens infinitum eſſe; non ſola explicatione terminorum, ſed etiam vera demonſtratione infinitatis, de & ex conceptu proprio diſtincto Eſſentiæ diuinæ. Quod non eſt contra *Alenſem & S.Bon.* Quia hi per notitiam naturalem *quòd Deus ſit*, intelligunt ſolam facilitatem ex lumine naturali, nullo errore aut vitio interpoſito. *Ad* 2. Quamuis conceptus noſter Entis ſimpliciter, ſit eſſentialis: eſt tamen nimis confuſus & obſcurus, quàm vt inde euidenter demonſtrari poſſit eſſe infinitum. Vt ſupra *col.* 219. *Ad* 3. Hæc vniuocatio *Scoti*, eſt illa ipſa *Analogia Alenſis.* Vt ſupra *col.* 222. *Ad* 4. Cenſet Deum ſic poſſe à nobis nominari: non perfectè, ſignificando alijs talem noſtrum conceptum Dei, ſed rem ipſam ſolis intelligentibus. Ex doctrina *B. Aug. lib. De Magiſtro*, & *Scoti*: quòd nomina & verba ſignificent primò & per ſe res ipſas; non autem conceptus loquentium, niſi conſequenter. Cui nil contradicit *Al.* nec *S. Bon.*

Ex varijs Rationibus.

1. SI Eſſe ſit Eſſentia, vel de Eſſentia Dei: nihil eſt intellectu facilius. 2. Deo nihil maius cogitari poteſt: nihil autem minus, quàm eſſe. 3. Si Eſſe eſt totalis Eſſentia Dei: ſubſtantia, vita, ſpiritualitas, intellectualitas, ſingularitas, non ſunt de Eſſentia Dei. Si autem Eſſe non eſt totalis Eſſentia Dei: erit partialis, potentialis, vel actualis ad illas. 4. Si ſolus Deus eſt ſimpliciter & eſſentialiter: ergo vel vt Ens vniuerſale, vel vt totale omnium Entium poſſibilium, aut exiſtentium. Quod eſt impoſſibile. 5. Si Deus eſt Ens ſimpliciter ſine vlla additione: Ergo non eſt ſubſtantia, viuens, &c. 6. Cùm noſtri conceptus nihil ponant in re: cur non poteſt Eſſentia Dei à nobis concipi prædicamentaliter? 8. Quomodo ergo concipi poſſit vt Subſtantia, Viuens, Spiritualis, intellectualis, ſingularis, exiſtens: niſi ex his pluribus conceptibus, vt inter ſe partialibus, potentialibus, vel actualibus? 8. Cùm nullius exiſtentia differat realiter ab eius Eſſentia reali: quidlibet eſt id quod eſt. Ergo hoc non eſt proprium Deo. 9. Si ſolus Deus eſt ſimpliciter: ergo reliqua non ſunt niſi ſecundùm quid.

Reſp. Ad 1. Nihil intellectu faciliùs, quàm Quod ſit: ſed nihil difficilius, quàm Quid ſit Ens ſimpliciter & totaliter; quia nihil inſenſibilius, nihil ſimplicius, nihil amplius. Cùm noſtra cognitio dependeat à ſenſibus, circa particularia, per aliquam compoſitionem, aut diuiſionem. *Ad* 2. Nihil minus, quàm eſſe per participationem: nihil maius quàm eſſe totaliter per eſſentiam. Quia illud non continet vllum gradum ſeu perfectionem eſſendi: hoc autem continet formaliter omnem perfectionem eſſentialem, radicaliter autem & identicè omnem perfectionem modalem exiſtendi, & attributalem operandi. *Ad* 3. Eſſentia Dei eſt ſimpliciſſima, & indiuiſibilis: non ſolùm reipſa, ſed etiam propria formalitate eſſentiali. Vt patet ex *Quodl.* 19. *Scoti*, ſupra, *col.* 211. 212. Hinc nihil eſt de Eſſentia Dei, vt partiale: ſed vt vna eademque tota eſſentia, inadæquatè concepta, vel magis minùſue expreſſa. Vt infra. *Ad* 4. Deus non eſt Ens ſimpliciter, vt vniuerſalè, vel communè, aut indifferens ad varios modos eſſendi: ſed vt ex ſe ſingulariſſimum, & determinatum ad perfectiſſimum modum eſſendi; neceſſariò & eſſentialiter. A quo omnis alius modus eſſendi dependet. Eſtque Ens totale, vt *pelagus* totius Eſſentiæ compoſſibilis: continens eminenter, & cauſaliter omnia entia participabilia, nullum autem formaliter. *Ioan.* 1. Quod factum eſt, in ipſo vita erat, &c. *Ad.* 5. Deus eſt Ens ſimpliciter, ſine vlla additione reſtringente totalitatem Entis: non autem ſine additione exprimente perfectionem huius totalitatis. *Ad* 6. Conceptus noſtri prædicamentales nihil ponunt in re: ſed ſupponunt res eſſe ſic conceptibiles & concipiendas, ſecundùm earum eſſe obiectiuum; vt potentiale ad varios modos, & differentias poſſibiles eſſendi, & exiſtendi realiter. Deus autem vt eſt in ſe ſimpliciter, & totaliter: ſic & obiectiuè conceptibilis & concipiendus eſt; aut ſaltem nullo modo repugnante huic perfectioni. Nec obſtat quòd omnes creaturæ concipiantur à nobis prædicamentaliter, vt potentiales ad ſuos modos, differentias, ipſamque exiſtentiam: quamuis hæc in eis realiter identificentur. Quia quædam creaturæ realiter exiſtunt, quædam non: quædam ſic vel ſic, huius vel illius generis aut ſpeciei. Ergo & ſic ſunt conceptibiles, ac concipiendæ: non autem Deus, qui eſt ex ſe eſſentialiter determinatiſſimus ad perfectiſſimum modum ac ſingularitatem eſſendi & exiſtendi. *Ad* 7. Eſſe Dei ſimpliciter, non eſt vt Ens commune & indifferens, quod contrahatur, perficiatur, aut ſaltem determinetur per Eſſe Subſtantiam, Viuentem, Spiritualem, Intellectualem, Singularem, Exiſtentem: ſed tota determinata perfectio Eſſendi ſimpliciter magis exprimitur per Ordinem eſſentialem ad hos modos totales exiſtendi, & operandi. Qui ſoli modi ſunt perfecti ſimpliciter: ſed oppoſiti, Accidentis, & Subſtantiæ materialis, ſunt imperfecti, & incompoſſibiles Enti ſimpliciter. *Ad* 8. Quidlibet eſt realiter id quod eſt; ſeu exiſtit: non tamen eſſentialiter; ſed quidlibet, præter Deum, eſt, vel non eſt. *Ad* 9. Deus eſt ſimpliciter .i. totaliter: Reliqua partialiter, ſecundùm aliquid entis, improportionatum toti, eiuſque priuationi. A qua tamen non dicuntur non eſſe: quia ſic negaretur quodlibet eſſe. Sed à quantillacumque entitate dicũtur eſſe: quia hoc eſt eorum totum eſſe, quod nec habet oppoſitum niſi non eſſe, &c. Quæ autem in 1. *col.* 123. 124. & ex SS. Patribus ſupra, De non eſſe creaturarum: intelligenda

ſunt

Digitized by Google

ſunt moraliter, ſeu comparatiuè ad Deum; vel de non eſſe ſimpliciter abſolutè totaliter, non autem de non eſſe ſuo modo, imò nec de non eſſe communi.

Contra. Hæc ſunt contra omnem Vniuocationem Entis, Subſtantiæ, Viuentis, Spiritus, Intellectualis, &c. Vnius, Veri, Boni, &c. ad Deum & creaturas. Quia ſic Deus non eſſet Ens, Subſtantia, Viuens, Spiritus, Intellectualis, in communi: nec determinaretur, nec differret per vllam differentiam, aut modum proprium; ſed eſſet quicquid eſt, vna eademque propriâ ratione formali, ex ſe diuerſa ab omni creatura. *Reſp.* Nec vlla creatura eſt quicquam realiter in communi: ſed tantùm comparatur & conuenit cum alijs creaturis æqualiter, in eodem communi conceptu obiectiuo entis finiti, & generico ac potentiali Subſtantiæ, Viuentis, Spiritus, Intellectualis: cum Deo autem nonniſi inadæquatè, in horum conceptu tranſcendentali, non vt finito, nec vt infinito, ſed vt formali. Hinc *Scotus in* 1. *diſt.* 3. *q.* 3. reſpondet Ens non eſſe vniuocum phyſicè, ſed logicè: nonobſtante ſubordinatione eſſentiali accidentis ad ſubſtantiam in eſſendo, & creaturæ ad Deum in omnibus. Vt *Al. q.* 49. De quo Quæſt. De Infinitate, & de Simplicitate Dei.

QVÆSTIO III.

De Infinita perfectione Dei.

DE qua *Alenſis P.* 1. *Q.* 6. De Immenſitate Dei in ſe. *Q.* 7. De Immenſitate Dei obiectiua, ſeu quoad incomprehenſibilitatem. *Q.* 8. De Immenſitate, quoad Incircumſcriptibilitatem. *Q.* 12. De Æternitate, ſeu infinita duratione. *Q.* 17. De Bonitate, ſeu perfectione Dei, in ſe. *Q.* 20. De Omnipotentia, ſeu infinita Potentia Dei. Sicque de pluribus perfectionibus Dei, vt infinitis.

S. Bon. in 1. *Diſt.* 2. De vnitate Dei, vt infiniti. *Diſt.* 3. De Incomprehenſibilitate Dei, vt infiniti. *Diſt.* 19. & 20. De æqualitate Perſonarum Diuinarum: vtique in perfectione infinita. *Diſt.* 37. De Immenſitate Dei. *Diſt.* 39. De perfectione infinita potentiæ Dei, &c.

Sed plura *Scotus*, & expreſsè de infinita perfectione Dei. *In.* 1. *Diſt.* 2. *Q.* 1. An ſit, ſeu exiſtat aliquod Ens infinitum: vtique perfectione. De qua & ex qua probat omnia Theologica. *Q.* 7. *n.* 37. & *Diſt.* 8. *Q.* 1. De perfectione Dei ſimpliciter. *Q.* 4. An detur in Deo diſtinctio perfectionum eſſentialium, aliquo modo prior omni actu intellectus. *Diſt.* 13. *Q.* 1. De non infinita perfectione relatiua. *Diſt.* 26. *Quæſt. vnica. Numero* 36. De quauis alia perfectione relatiua potiùs quàm hypoſtatica aut perſonali. De origine omnis perfectionis ab Eſſentia diuina: nulla autem eius perfectione à proprietate perſonali; ſed potiùs quauis perfectione relatiua, quàm perſonali. *N.* 39. Illud ſolùm eſt perfectio ſimpliciter, quod poteſt eſſe in aliquo infinitum, &c. Soli quidditati conuenit eſſe finitum, vel infinitum: non autem proprietati hypoſtaticæ, &c. Quia hæc repugnat cuilibet præter quàm vni cuius eſt. Ergo non poteſt eſſe cuilibet melior ipſa, quàm non ipſa: ſed nec alicui. *A n.* 53. De infinita perfectione eſſentiali, modali, vel attributali, eadem, vel formaliter diſtincta, Intellectus, & Voluntatis Dei. *In* 4. *d.* 13. *q.* 1. *n.* 31. In Diuinis poteſt intelligi quaſi infinitas extenſiua, ſi eſſet infinita multitudo perfectionum: Alio modo infinitas intenſiua alicuius perfectionis ſimpliciter. Hoc 2. modo poteſt aliquid habere infinitatem formalem, & fundamentalem, vel ſolùm formalem. *n.* 32. Dico ergo, quòd nihil vnius rationis formalis eſt infinitum primo modo: imò fortè nec abſolutè eſt in Deo talis infinitas. Fortè enim ſicut Perſonæ ſunt finitæ numero: ita & Perfectiones ſimpliciter, & Relationes, & Notiones. Sed Infinitas intenſiua formalis, & fundamentalis ſimul, eſt in Eſſentia diuina, vt eſt Eſſentia: & pro tanto à *Damaſ.* vocatur *Pelagus.* Sola autem formalis eſt in qualibet alia perfectione ſimpliciter. Quælibet enim habet ſuam perfectionem formalem, ab infinitate Eſſentiæ, tanquam à radice, & fundamento. Infinitas autem neque formalis, neque fundamentalis eſt in relationibus quibuſcunque Diuinis. Vt oſtenſum eſt in 1. *Diſt.* 13. Quia Patri melius eſt non habere Filiationem, quàm habere: Perfectio autē ſimpliciter eſt id quod melius eſt quodlibet habere, quàm non habere. *In* 4. *Diſt.* 49. *q.* 2. *n.* 22. In entibus eſt aliqua perfectio prima, aliqua ſecunda. 1. Eſt, quando nihil deficit pertinens ad eſſe rei .i. eſſentiale. 2. Quando nihil deficit pertinens ad eſſe ſecundum. Hæc, quædam eſt extrinſeca, quædam coniungit perfectiuo extrinſeco, &c. Iſto enim modo ignobiliora perficiūtur in nobilioribus: non eſſendo illa realiter, nec habendo illa formaliter; ſed attingendo illa, & ſic habendo modo ſibi poſſibili.

Quodl. 5. Vt ſupra *col.* 195. 196. Quibus adde. *Art.* 1. Infinitum in potentia, ex 3. *Phyſic.* eſt cuius quantitatem accipientibus ſemper aliquid extra accipere, &c. Vnde non habet rationem Totius, nec Perfecti: quia Totum eſt cuius nihil eſt extra: Perfectum eſt, cui nihil perfectionis deeſt, &c. Infinitum actu, verè eſſet Totum, & Perfectum: quia nihil ſui eſſet extra, & nihil ſibi deeſſet, imo nihil poteſt addi. *Infra.* Infinitas intenſiua, non ſe habet ad Ens infinitum, vt paſſio, vel proprietas Entis: ſed dicit modum intrinſecum illius entitatis cuius eſt, &c. De qua præciſiſſimè accepta, abſque vlla proprietate, verum eſt dicere quod habet aliquàm propriam magnitudinem virtutis ſibi intrinſecam: non finitam, quia hæc ei repugnat; ergo infinitam. Intrinſecus ergo modus cuiuſlibet infiniti intenſiuè, eſt ipſa infi-

infinitas." *Art.* 2. *n.* 12. Omnis perfectio ſimpliciter eſt incommunicabilis: omnis perfectio infinita intenſiuè eſt perfectio ſimpliciter; ergo incommunicabilis. Nulla autem perfectio perſonalis eſt communicabilis: ergo nulla eſt infinita intenſiuè. Maior probatur ex *Anſelmo Monol.* 15. ſed nunc 14. Perfectio ſimpliciter eſt quæ in quolibet habente ipſam, melius eſt ipſam habere, quã non ipſam. Hæc autem regula indiget duplici expoſitione. 1. Non enim melius eſt ipſũ, quàm ſua negatio contradictoriè oppoſita. Sic enim quodlibet poſitiuum eſſe perfectio ſimpliciter: quia eſt melius ſua negatione. Sed intelligitur ibi, *non ipſum*, pro quocumque ſibi incompoſſibili, etiam poſitiuè. Vt ſit ſenſus. Perfectio ſimpliciter eſt in quolibet melior quocumque ſibi incompoſſibili. 2. Intelligitur, *in quocumque*: non pro quacumque natura, ſed pro quocumque ſuppoſito; non intelligendo vt eſt talis naturæ vel talis, ſed abſolutè accepto, vt eſt tale ſuppoſitum. Hoc patet: quia auro, vt habet naturam auri, non eſt melius non aurum, quàm aurum; quia illud deſtruit entitatem huius. Imò melius ſic eſt auro, eſſe aurum, quàm quodcumque incompoſſibile naturæ auri. Eſt ergo intellectus iſte. Perfectio ſimpliciter eſt talis, quæ in quocunque ſuppoſito abſolutè conſiderato ſecundùm rationem ſuppoſiti, non determinando naturam in qua, vel cuius ſit, melius eſt ipſum, quàm non ipſum .i. quàm quodcumque incompoſſibile ipſi. *Art.* 3. *n.* 24. Eſſentialia recipiunt ab Eſſentia infinitatem formalem: quia talis eſſentia ſufficit in ratione principij & fundamenti, ad dandam talem quantitatem; & talis quantitas virtualis ipſis non repugnat, ſicut nec communicabilitas. Relationi autem Perſonali competit per eſſentiam eſſe ad alterum: non propria infinitas intenſiuè; quia ipſa non eſt capax talis quantitatis, ſicut nec communicabilitatis. Etiam in genere principij formalis eſt ſtatus. Hoc enim accipit Infinitatem, illud non: ſicut hoc accipit communicabilitatem, & illud incommunicabilitatem; quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud. Repugnantia enim formalis, vel non, primò reducitur formaliter ad rationem eius cui dicitur eſſe repugnantia. *Infra, Num.* 27. Paternitas nec eſt formaliter finita, nec formaliter infinita, &c. Quia finitum & infinitum non diuidunt ens, niſi vt quantum perfectione. Hæc autem quantitas non conuenit entitati, niſi quæ poteſt eſſe partialis, vel totalis inter eſſentias .i. excedere vel excedi, vt hìc loquimur de partiali & totali. Paternitas autem, vt paternitas, non poteſt eſſe inter entitates totalis, vel partialis. Poſſet etiam dici, quòd quantitas virtualis non conuenit niſi entitati quidditatiuæ: vt diſtinguitur ab hypoſtatica. Tertio, dici poteſt, quòd quantitas partialis non conuenit niſi entitati abſolutæ. Sed iſtæ duæ Reſp. vltimæ concedunt aliqua dubia de entitate hypoſtatica, & relatiua: quòd ſcilicet non habeant quantitatem virtualem.]

Ex quibus omnibus ſatis patet, quid ſit Totum, quid Perfectum, quid & quotuplex Infinitum: in ſola potentia, vel etiam actu; primò, & ſecundò; realiter, & moraliter; obiectiuè, & ſubiectiuè; eſſentialiter, ſeu fundamentaliter, modaliter, & attributaliter; extenſiuè, & intenſiuè; ſimpliciter, & ſecundùm quid; formaliter, & identicè. Sed adhuc latet: An Deus ſit vnicæ perfectionis infinitæ, vel plurium; nonniſi abſolutæ & quidditatiuæ, vel etiam relatiuæ & perſonalis.

Reſponſio.

DEus eſt infinitæ perfectionis actualis: vnicæ quidem identicè, & eſſentialiter: plurium tamen modaliter, & formaliter, illi propriarum, & coïnfinitarum, in modo aliquo eſſendi, vel forma operandi; ſed nullius perſonalis aut relatiuæ.

1. Ex ſacra Script. *Matt.* 5. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Rom. 12. *Voluntas Dei perfecta.* Pſal. 84. & alibi ſæpè, plures Dei perfectiones diſtinctè proclamantur. *Exod.* 34 *Moyſes* in ſumma illa contemplatione Dei, inuocat eum ſub varijs titulis perfectionum eius. *Dominator Dominus, Miſericors, & Clemens, & multæ Miſericordiæ, & Verax, &c.* Cur autem ita exclamaſſet: niſi ei apparuiſſent in Deo à parte rei, ſeu ex natura obiecti, diſtinctæ perfectiones? *Apoc.* 7. & alibi, ipſi Angeli ac Beati acclamant Deo varias perfectiones, ſub diſtinctis titulis. Cur autem eas ſic acclamarent: niſi earum rationes in Deo viderent. *Sap.* 11. *Tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te Orbis terrarum.* Pſal. 38. *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Nonniſi comparatiuè ad Deum, vt Infinitum. *Baruch* 3. *Magnus eſt, & non habet finem, Excelſus, & Immenſus.* Pſal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Pſal. 146. *Sapientiæ eius non eſt numerus.* Et quæcunque de Dei Vbiquitate, Æternitate, Omnipotentia, & Incomprehenſibilitate: nonniſi ex eius Infinitate.

2. Ex ſacris Symbolis, & Concilijs. Vt ex illo *Athanaſij*: *Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.* Sicque diſtinctè de Æternitate, Omnipotentia, &c. vt de obiectis diſtinctis noſtræ Fidei.

3. Ex SS. Patribus, qui plurima non ſolùm Scholaſticè, ſed etiam dogmaticè ſcripſerunt de Deo, eiuſq; diſtinctis perfectionibus. Vt *S. Dion.* toto libro de varijs nominibus, & perfectionibus Diuinis: ſingulariter *cap.* 16. De perfecto. *Deus eſt perfectus: non ſolùm quòd per ſe ſit perfectiſſimus; ſed etiam quòd perfectionem ſuperet, &c. Perfectus rurſum dicitur, quòd nunquam augeatur, quòdque minui non poſſit: vt qui omnia perfecta perficit, & perfectione ſua explet.* *S. Aug.* non ſolùm vt Arbiter controuerſiarum Scholaſticarum, ſed etiam Interpres Sacræ Scripturæ & fidei noſtræ, ſæpè recenſet & diſtinguit varias Dei perfectiones, & ſingulas infinitas. Vt libris 15. de *S. Trin.* *Lib.* 2 *ad Simpl. q.* 2. *Serm.* 40. *De Tempore*, & alibi: vnde infra monebimus, & componemus difficultates occurrentes. *S. Damaſc.* lib. 1. cap. 4. *Infinita Diuinitas, & incomprehenſibilis: cuius hoc ſolùm eſt comprehenſibile, quòd ſit infinita, & incomprehenſibilis.* Cap. 5. *Deus eſt perfectus & indeficiens, ſecundùm Bonitatem, Sapientiam, Virtutem, & omnia.* Cap. 8. *Credimus vnum Deum, Infinitum,*

&

& alia plura de Deo credenda. *Cap.* 12. Deus habet ipſum *Eſſe* veluti pelagus quoddam infinitum ſubſtantiæ, at verò Bonum, Iuſtum, Sanctum, Naturam conſequuntur. Vt & *Cap.* 4. Si Bonum, ſi Iuſtum, ſi Sapiens dixeris: non Naturam dicis Dei, ſed quæ circa Naturam.

S. Anſel Monol. c. 14. Quicquid eſt, præter relatiua: aut tale eſt, vt ipſum melius omnino ſit, quàm non ipſum; vt ſapiens, quàm non ſapiens: aut tale, vt non ipſum in aliquo melius ſit, quàm ipſum, &c. Nam melius eſt homini eſſe non aurum, quàm aurum: quamuis forſan melius eſſet alicui aurum eſſe, quàm non eſſe; vt plumbo, &c. Deus melior eſt omnibus quæ non ſunt quod ipſe, &c. *Proſol. c.* 2. Credimus Deum eſſe quo maius cogitari non poteſt, nec eſſe. *C.* 3. Non poteſt mens cogitare aliquid melius Deo: quia ſic aſcenderet ſupra Deum, & iudicaret de eo. Cur itaque dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: niſi quia ſtultus & inſipiens? *Cap.* 4. Nullus intelligens id quod Deus eſt, poteſt cogitare non eſſe. *Cap.* 5. Deus eſt Iuſtus, Verax, Beatus, & quicquid melius eſt eſſe, quàm non eſſe. *Cap.* 15. Deus non ſolùm eſt quo melius cogitari nequit: ſed maius quàm cogitari poſſit. Ex 1. *Ioan.* 2. Maior eſt Deus corde noſtro.

Ex quibus, & infinitis alijs SS. Patrum præconijs, de varijs perfectionibus Dei, recolligi poſſunt varia Argumenta pro vera illarum diſtinctione formali, ſeu obiectiua. 1. Quia agunt de eis vt de obiectis fidei noſtræ. 2. Diſtinguunt verè & propriè dicta de Deo, ab improprijs. 3. Eleuant intellectum à varijs perfectionibus imperfectis creaturarum, ad varias perfectiones ſimplices, & originales in Deo. 4. Contemplantur Deum diſtinctè, vt primam Veritatem, Sapientiam, Bonitatem, &c. ex ipſa luce veritatis, & ex ſpeciali gratia Dei. 5. Monent Deum eſſe nobis verè & realiter præſentem, ſecundùm varias eius perfectiones. Vt *B. Aug. lib.* 2. *De lib. Arb. cap.* 9. 10. 13. 14. *Toto libro De Magiſtro De vera Relig. cap.* 36. 39. 42. & alibi ſæpè. Imò *Serm. De diuerſis, cap.* 6. ex diſtantia plurium concipientium eodem modo Dei Iuſtitiam, Sapientiam, Veritatem, infert realem Dei præſentiam vbique. 6. Comparant participationem virtutum noſtrarum à Diuinis, impreſſioni alicuius figuræ à ſigillo, manente in eo forma ſigilli. Vt *B. Aug.* 8. *Trin.* 6. *Et lib.* 14. *c.* 15. Ergo ſupponunt diſtinctas formas, ſeu rationes formales in Deo. 7. Explicant cum *B. Aug.* originem & diſtinctionem realem inter Perſonas Diuinas, ex diſtinctis principijs ac modis operandi, & modis formalibus loquendi. Vt *B. Aug. col.* 217. Et infra de myſterio SS. Trinitatis. Ergo ſaltem ex vera aliqua diſtinctione formali, ſeu obiectiua inter principia & modos operandi. 8. Tribuunt perfectionibus Diuinis numerum. Vt *Aug. lib.* 15. *Trin. cap.* 5. *&* 6. *& Lib.* 3. *contra Max. cap.* 10. *Cur in Deo non timuiſti tot commemorare virtutes? Nunquid Bonitas, & Sapientia, & Clementia, & Potentia, partes ſunt vnius virtutis? Non ſunt partes: & tamen ſunt* 4. *& vna virtus eſt, eademque ſimplex.* 9. Ordinant perfectiones Diuinas inter ſe, vt obiectiuè priores & poſteriores, vnamque ex alia inferunt. 10. Affirmant vel negant de vna perfectione, quod non de alia: ergo diſtinguunt eas ſaltem obiectiuè.

4. Ex concordi doctrina noſtrorum Authorum: ſuppleta à *S. Bon.* in ſuo Compendio Theologicæ veritatis; quamuis expreſſiore *Scoti* ſupra.

5. Ratione. *Deus eſt infinitæ Perfectionis.* Quid ſit Eſſe Dei, *Quæſt.* 2. Quid ſit Perfectum & Perfectio: non verbaliter, participialiter, paſſiuè, cauſaliter, à faciendo & perficiendo; ſed nominaliter, formaliter, & ſimpliciter, ab integritate, & totalitate, ſeu à ſtatu integro, abſoluto, & totali rei in ſe, *Quodl.* 5. *Scoti* ſupra *col.* 226 227. Quid, quotuplex infinitum, ac infinitas, & quæ diuina: non *mole* ſeu quantitate materiali, ſed virtute ſeu perfectione; nec priuatiua alicuius finis conuenientis; nec ſolùm negatiua finis poſſibilis, vel impoſſibilis; ſed poſitiua, & contraria omni fini ſeu limitationi perfectionis. Vt *Scotus Quodlibeto* 5. Vbi comparat infinitum virtute ſeu perfectione, infinito mole ſeu quantitate materiali, ſi quod eſſet poſſibile, quoad eſſe ſine fine: ſed illud huic incomparabiliter præfert; quòd infinitum mole eſſet neceſſariò ex infinitis partibus finitis, ſeu extra ſeinuicem extenſis; ſed Infinitum virtute eſt neceſſariò totum & totaliter Infinitum. Quod *Scotus* ibi vocat *Infinitum intenſiuè*: non quaſi ex pluribus gradibus intenſiuè, finitis extenſiuè, ſeu numero infinito; ſed vt totum & totaliter infinitum in vnico & ſummo gradu. Hinc patet quid ſit Deum eſſe infinitæ perfectionis. Quod autem ſit, variè demonſtrat *Scotus* ſupra, *diſt.* 2. *q.* 1. *col.* 128. 129. 130. Cùm enim infinita perfectio non repugnet Enti ſimpliciter, ſed hoc ſit illius capax: non poteſt non eſſe infinitæ perfectionis actualis. Quia ſi non eſſet actu, non poſſet ab vllo finito perfectione fieri infinitæ perfectionis, nec à ſeipſo, nec ab alio. Cùmque ſit ex ſe, ſeu ſeipſo: non poteſt eſſe, quin hoc ipſo ſit quicquid eſſe poteſt, ſicque infinitæ perfectionis actualis. Nec poteſt ei quicquam perfectionis compoſſibilis deeſſe: quin deeſſet ei tota infinita perfectio, cui nihil poteſt deeſſe, nec addi. Nec denique perfectio poteſt eſſe finita: niſi aliquo fine intrinſeco, vel extrinſeco, & ab aliqua cauſa, ad aliquid maius finiente ſeu referente. *Vnica quidem identicè* .i. Neceſſaria vnitate & identitate reali totius infiniti ſimpliciter. Quia hæc vnitas & identitas totius eſt perfectior pluralitate oppoſita: ergo eſt de infinita perfectione. Quæ non poteſt eſſe niſi vnica, & vnius eiuſdemque infiniti: infinitando totum, & identificando omnia ei intrinſeca. *Et eſſentialiter* .i. Non ſola identitate illa reali; ſed etiam eſſentiali, ſeu formali ſolius & totius eſſentiæ, vt ſimpliciſſimæ, etiam formaliter. *Sed plurium modaliter* .i. Secundùm plures modos obiectiuè intrinſecos vni eidemque perfectioni formali. Vt enim modi intrinſeci reales dicuntur, & ſunt, ſine quibus res modificatæ poſſunt exiſtere: non autem ipſi ſine re quam modificant. Sic & modi intrinſeci, metaphyſicè, & obiectiuè, ſunt ſine quibus obiectum poteſt concipi, ſed non niſi ſine obiecto. Hi ergo in Deo non ſunt per ſe conceptibiles: ſed variè afficiunt, & obiectiuè per-

Digitized by Google

ficiunt eundem conceptum obiectiuum alicuius perfectionis Dei. Inter quos modos, primus eſt Infinitas perfectionis eſſentiæ Dei. Quia nec poteſt concipi ſine Ente Infinito: nec adæquatè includitur in præciſo conceptu eſſentiali Dei, vt Entis ſimpliciter; nec tantùm permiſſiuè, vt in conceptu communi Entis; ſed inadæquatè, indeque adæquatè reſultat, ſeu facilè exprimitur. Vnde patet quod ſequitur *: vel formaliter* .i. Perfectiones Diuinæ non tantùm variantur modaliter, ſecundùm quoſdam modos intrinſecos: ſed etiam formaliter, ſecundùm integros conceptus obiectiuos ab inuicem adæquatè diſtinctos. *Illi propriarum* .i. Quæ ſunt propriæ Eſſentiæ Diuinæ: non vt ſubiecto cui inſint, ſed de quo dicuntur; & vt obiecto, ex quo velut proprietates obiectiuè emanant, ſeu ordine concipiendi ſequuntur. *Et coinfinitarum*: non ſolùm inter ſe, ſed & ipſi perfectioni eſſentiali. Quæ nec illas formaliter includit, ſed obiectiuè coexigit: nec ab illis includitur, ſed ſupponitur, vt cui propriæ, condignæ, & adæquatæ ſint; non ſola infinitate eſſentiali, ſed etiam ſingulis propria. Quæ ſingulæ Deum ſub proprio conceptu infinito, & formaliter integro, ſed non primo & eſſentiali, toties exprimunt. *In aliquo modo eſſendi, vel forma operandi.* Ad diſtinguendum omnes perfectiones Deo proprias: in modales, ſeu ſolo aliquo modo intrinſeco adæquatas; & formales, ſeu proprio ac integro conceptu obiectiuo conſtantes; ſed inter ſe differentes, ex differenti forma obiectiua, vel actiua operandi, naturaliter, vel liberè. Vnde non videntur eſſe numero infinitæ: quia ſunt inter ſe ordinatæ ad perfectiſſimè eſſendum, & operandum. Inter infinita autem numero, non poteſt eſſe ordo, ſed confuſio: nec certa ac determinata perfectio eſſendi, & operandi, &c. Vt ergo Perſonæ Diuinæ probantur eſſe numero finitæ, ex ordine reali originis: & eſſe tres, ex triplici modo incommunicabili exiſtendi perſonaliter in Deo, ac duplici modo producendi ad intra. Sic & ex ordine obiectiuo inter perfectiones Dei, probantur eſſe numero finitæ: nec plures quàm tres, & ſingularum proprius modus infinitus. 1. In eſſendo, infinitè. 2. Intelligendo infinitè, obiectum infinitum. 3. In volendo infinitè obiectum infinitum.

Nullius autem perſonalis, vel relatiuæ. Ob rationes *Scoti* ſupra. 1. Ab æqualitate, & identitate perfectionis inter Perſonas diuinas. 2. A proprietate perſonali recipiendi, non autem communicandi, aut perficiendi. 3. Ex vera negatione vnius relationis de alia, in eadem Perſona: vt generatio non eſt ſpiratio. 4. Ex incapacitate relationum perſonalium, vt ſint perfectiones totales vel partiales, infinitæ vel finitæ: cùm differant inter ſe realiter, & partialitas ſit imperfectio. Quia eſt de eſſentia relationis, vt eius eſſe ſit ad aliud: ergo non poteſt obiectiuè eſſe totaliter integrè, & perfectè in ſeipſa; ſed coëxigit aliud ad ſuum eſſe.

Difficultates ex S. Script.

1. EXod. 3. Ego ſum qui ſum: Ergo hoc eſt Dei proprium, & adæquatum, non autem infinitum. 2. Sacra Script. non laudat Deum vt infinitum, niſi negatiuè, vel comparatiuè ad nos. 3. Sacra Script. ſupra, & alibi tribuit Deo varios titulos: ſed ſynonimos, vel relatiuos ad extra, vel in ſenſu cauſali: ergo non ſubſignificat diſtinctas perfectiones formales, ſed eandem, vt cauſam plurium effectuum.

Reſp. Ad 1. Ex *q.* 2. Nomen Entis ſimpliciter, eſt prius, eſſentialius, & facilius in confuſo: ſed nomen Entis Infiniti eſt expreſſius, adæquatius, & difficilius. *Ad* 2. Infinitum poſitiuè non eſt à nobis conceptibile, niſi negatiuè, vel comparatiuè .i. negando omnem finem perfectionis Diuinæ, vel comparando eam ad reliqua omnia vt ad nihilum, ſeu nullius proportionis. *Ad* 3. Sacra Script. repetit quidem aliquos titulos ſynonimos, ad maiorem emphaſim: ſed miſcet etiam aliquos diſtinctæ ſignificationis formalis. Vt *Exod.* 34. *Miſericors, & verax, &c. Apoc.* 5. 7. & alibi: *Diuinitas, Sapientia, Virtus, Fortitudo, &c.* Pſal. 84. *Miſericordia, & Veritas obuiauerunt ſibi, &c.* Nec tribuuntur Deo in ſolo ſenſu cauſali: niſi quæ ſunt indigna Deo in ſenſu formali.

Ex SS. Symbolis & Concilijs.

1. SYmbola priora fidei non profitentur Deum vt Infinitum, nec ſub diſtinctis perfectionibus, ſed de ſolis tribus Perſonis. 2. Symbolum *S. Athan.* Profitetur Deum eſſe Immenſum, Æternum, Omnipotentem,: non vt perfectiones formaliter aut modaliter diſtinctas; ſed vt eandem magis explicitam, negatiuè, aut comparatiuè ad finita, temporalia, & poſſibilia. Vnde & miſcet titulum *Increati*, qui non eſt diſtinctæ perfectionis formalis, nec modalis. 3. *Conc. Later.* profitetur *Deum Vnum, Æternum, Immenſum, Omnipotentem, Immutabilem, Incomprehenſibilem, Ineffabilem:* ſed non vt hæc ſola de Deo credenda, nec vt ſingula formaliter diſtincta, imò vt relata ad Vnitatem Dei. 4. *Concil. Rhemenſe* videtur condemnaſſe diſtinctionem illam *Scoti*, quæ tunc erat *Gilberti Porretani.* Ex relatu *S. Bern. l b.* 5. *De Conſid.* Imò & ex *Al. q.* 68. vbi excuſat *Gilbertum* ab hæreſi, &c. 5. *Concil. Florent. Seſſ.* vlt. diſtinguit Eſſentiam Dei à Perſonis, ſola ratione.

Reſp. Ad 1. Symbola non ſunt niſi de credendis: & priora quidem de paucioribus & facilioribus; non quoad quid ſint, ſed quòd ſint. Inter quæ, Deum eſſe Infinitum perfectione, ſatis continetur ſub *Omnipotente. Ad* 2. Symbolum *S. Athanaſij* eſt contra Arrianos, de explicitè credenda Trinitate, & æqualitate Perſonarum Diuinarum in omni perfectione ibidem diſtinctè expreſſa: non autem de credendis noſtris conceptibus, & modis intelligendi. Imò *B. Aug. Lib.* 3. *contra Maximinum cap.* 10. ex pluralitate Perfectionum Diuinarum, ſaluâ Vnitate Dei, probat Trinitatem Perſonarum Diuinarũ non eſſe contra Dei Vnitatem. Licet autem plerique tituli Dei à nobis concipiantur, & explicentur negatiuè & relatiuè: ſupponunt tamen aliquas perfectiones poſitiuas & abſolutas. *Ad* 3. Concilia non definiunt ſola à ſe expreſſa eſſe credenda: ſed hæc aut illa expreſſa eſſe

Digitized by Google

eſſe credenda; ergo diſtinctè expreſſa, vt diſtincta, quamuis vni ſoli Deo propria.

Ad 4. Mirum eſt quòd *Vaſquez* tota *Diſp.* 16. & 120. tribuat *Scoto* diſtinctionem & errorem *Gilberti*: cùm ipſemet ſæpè coincidat in opinionem *Scoti*, diſtinguendo varios conceptus obiectiuè in Deo; & *Diſp.* 120. *c.* 2. referat illam opinionem *Gilberti*, tam alienam ab hac opinione *Scoti*, & profeſſionem expreſſam *Concilij Rhemenſis* contra illam opinionem *Gilberti*, nullatenus autem contra hanc opinionem *Scoti*. Nam *Gilbertus* negabat 1. Deitatem eſſe Deum. 2. Tres Perſonas dici aliquid vnum. 3. Tres proprietates perſonales eſſe perſonas, ſed tres res æternas, & ab inuicem, & à Deitate numero differentes. Profeſſio autẽ *Concilij* eſt 1. Quòd Deitas ſit De⁹, & è contra: nec id in vllo ſenſu Catholico negari poſſit; quodque Deus ſit ſeipſo Sapiens, Magnus, Æternus, Vnus, &c. 2. Quòd tres Perſonæ ſint vnus Deus, & vna Deitas: quodque Deus & Deitas ſint tres Perſonæ Diuinæ. 3. Deum eſſe Æternum, & tres Perſonas: nec *vllas res*, ſiue *relationes*, ſiue *proprietates*, ſiue *ſingularitates* vel *vnitates* dici, eſſe ab æterno, quæ non ſint Deus. *Scotus* autem nihil illorum negat: ſed hæc omnia cum Concilio profitetur. Nec diſtinctio eius formalis eſt inter Deum & Deitatem, nec inter Perſonas & Deitatem: ſed inter ſolos conceptus obiectiuos Deitatis, & proprietatum eſſentialium inter ſe, vel etiam perſonalium, ab illis. Nec obſtat *S. Bern.* 5. *De Conſid. Multa dicuntur eſſe in Deo, & quidem ſanè, catholicéq;: ſed multa vnum; alioquin non quaternitatem habueris, ſed centenitatem. Dicimus Magnum, Bonum, Iuſtum, &c. Sed niſi omnia vnum in Deo & cum Deo conſideres, habebis multiplicem Deum, &c. Non multa,* inquiunt, *ſed vnam tantùm Diuinitatem, quà omnia illa ſunt, aſſerimus.* Contra. *Aſſeritis ergo etſi non multiplicem, duplicem Deum: & non ad merum ſimplex perueniſtis, &c. neque ad id quo melius cogitari non poteſt, &c. Tam non eſt ſimplex, quod vel vni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo vel vni cognita virò &c. Meus Deus ipſe catholicè eſt: tam non habet hoc & illud, quàm nec hæc nec illa eſt, Qui Eſt, non quæ eſt.* Quia hæc eſt tantùm contra diſtinctionem, ex qua ſequeretur aliqua duplicitas in Deo, & contra perfectiſſimam eius ſimplicitatem: ex diſtinctione autem *Scoti*, non ſequitur vlla in Deo duplicitas, nec pluralitas contraria aut priuatiua perfectiſſimæ ſimplicitatis. Vt infra, Quæſtione propria. Nec etiam obſtat, ſed fauet excuſatio *Gilberti*, ab *Alenſi Quæſt.* 68. *M.* 5. *Art.* 6. §. 3. Quòd non fuit inter eos contradictio quoad rem, ſed quoad intelligentiam. Quia ſignificat intelligentiam mutuam, non autem illam intelligibilitatem obiectiuam *Scoti*. Imò ſi hanc ſignificaret: hoc ipſo eam approbaret. *Ad* 5. In *Flor. Seſſ.* 17. & 18. Quidam Theologi inter ſe conferentes, aut concionantes, diſtinguunt Perſonas Diuinas ab Eſſentia *ſola ratione, Intelligentia, aut modo intellectionis noſtræ; &c.* vel ex priuata opinione, vel obiectiuè, ſeu de *modo*, non ex ſolo noſtro defectu, ſed etiam ex obiecto. *Seſſ. vlt.* Eſt confeſſio quòd Deitas non differat à Perſonis *re*, ſed *ſola ratione*: vt opponitur *rei*, vel rationi obiectiuæ. Vt infra, *Quæſt.* De ſimplicitate.

Ex SS. Patribus.

1. Sanctus *Dionyſius*, & alij Patres ſæpè monent Deum eſſe à nobis inconceptibilem & ineffabilem, nec à nobis concipi aut nominari, niſi relatiuè ad creaturas. 2. *S. Aug.* 7. *Trin.* 10. Deus ea magnitudine magnus eſt, qua ipſe eſt eadem magnitudo: & ſic de Bonitate, Æternitate, &c. *Lib.* 6. *cap.* 3. Filius eſt æqualis Patri eo quod eſt, &c. *Lib.* 7. *cap.* 1. Deus non alio magnus, alio Deus: ſed eo magnus quo Deus. *Cap.* 2. Filius non eo Verbum quo Sapientia, &c. Sapientia verò, eo quo Eſſentia. 15. *Trin.* 3. Quæ Iuſtitia, ipſa eſt Sapientia. 3. *Lib.* 15. *De Trin. cap.* 4. Refert plurimas Dei perfectiones per exceſſum infinitum creaturarum: Sed *cap.* 5. reducit eas ad 12. *Cap.* 6. Ad tres, & tandem ad vnicam. 4. *Serm.* 40. *De Tempore cap.* 6. Non eſt aliud in Deo Poteſtas, aliud Prudentia, aliud Fortitudo, aliud Iuſtitia, aut Caſtitas, &c. Quicquid horum de Deo dicis, neque aliud & aliud intelligitur, & nihil dignè dicitur: quia hæc animarum ſunt affectiones, quas illa lux perfundit quodammodo, & pro ſuis qualitatibus afficit. Quomodo cùm oritur corporibus lux iſta viſibilis, ſi auferatur, vnus eſt corporibus omnibus color, qui potiùs dicendus eſt nullus color. Cùm autem illuſtrauerit corpora, quamuis ipſa vnius modi ſit pro diuerſis qualitatibus, diuerſo ea nitore aſpergit. Ergo animarum ſunt iſtæ affectiones, quæ bene ſunt affectæ ab illa luce quæ non afficitur, & formatæ ab illa quæ non formatur. *Cap.* 7. Tamen iſta de Deo dicimus, quia non inuenimus melius quod dicamus. Dico Deum Iuſtum, quia in verbis humanis nihil melius: nam eſt vltra iuſtitiam, &c. Iuſtum Deum dicis: ſed intellige aliquid vltra Iuſtitiam, quam ſoles & de homine cogitare, &c.

Reſp. Ad 1. *vt ſupra*, Deus eſt à nobis inconceptibilis clarè & diſtinctè: ſed poteſt à nobis concipi verè & propriè. Quia quamuis à poſteriori ex creaturis: non tamen ſolo conceptu communi, aut relatiuo ad creaturas; ſed Deo ſoli appropriato, & ſupra omnem comparationem ad creaturas. Nec *S. Dion.* negat nobis varios & proprios conceptus Dei formales & obiectiuos: ſed claros, diſtinctos, adæquatos, & perfectos. Sic & de ineffabilitate intellectuali: de vocali autem vt ſupra *col.* 218. *Ad* 2. Vt *Scotus* ſupra, *col.* 155. *Ad* 1. *dubium.* Quibus adde, *Eo quo* fundamentaliter, vel modaliter. *Deus ea magnitudine magnus eſt, qua ipſe eſt, &c.* Non formaliter, ſed fundamentaliter, & modaliter .i. ex propria Eſſentia & modo eius infinito. *Filius eſt æqualis Patri, eo quo eſt* .i. Eſſentiâ, & eius modo, ſeu quantitate perfectionis. *Deus non alio Magnus, alio Bonus; ſed eo Magnus, quo Bonus* .i. Non alia formalitate: ſed modo eius intrinſeco, ſeu magnitudine perfectionis. *Sapientia Eo Quo Eſſentia*: vel fundamentaliter, vel etiam formaliter; ſumendo Sapientiam pro eſſentiali perfectione intellectuali. *Quæ Iuſtitia ipſa eſt Sapientia*: non formaliter, ſed iden-

Digitized by Google

identicé, *col.* 155. 156. *Ad* 1. *Arg.* *Ad* 3. Non reducit omnes ad 12. ſed exemplificat omnes in illis. Nec reducit 12. ad tres,& tres ad vnicam: niſi accommodatè ad tres Perſonas Diuinas, & vnitatem Eſſentiæ. Vt patet ex his *cap.*6. *Cur non vna eademq; res eſſe poſſit in Dei natura, Æternitas, Sapientia, &c.* *Ad* 4. *Nec aliud,& aliud intelligitur*.i. Entitatiuè & realiter: ſed eſt & intelligitur alia, & alia formaliter, ſeu obiectiuè. *Et nihil dignè dicitur* .i. clarè, diſtinctè, vel proportionatè ad infinitam eius perfectionem, niſi pro captu Beatorum, imò & ipſius Dei. *Quia hæc animarum ſunt affectiones, quas illa lux perfundit quodammodo, & pro ſuis qualitatibus afficit.* Vnde patet nec eſſe, nec dici fictiones animarum: nec affectiones voluntatis, ſed intellectus; nec tam actiuè ab ipſo intellectu, quàm paſſiuè ab ipſa luce diuina, ſeu obiecto lucido. eiuſque qualitatibus, ſeu perfectionibus obiectiuis. Exemplificat enim in corporibus coloratis: quæ ſi luce priuentur, *erit* .i. videbitur ſeu apparebit, *idem, vel potius nullus omnium color.* Si autem illuſtrentur luce: *pro diuerſis corporum qualitatibus* .i. coloribus, *diuerſo nitore* afficientur, ſeu nitebunt. Ergo vt ſunt ſemper iidem & varij colores corporum, ſed non apparent nobis, niſi luce afficiantur ſeu luceant: ſic & ſunt eædem & variæ perfectiones Diuinæ, ſiue nobis luceant, ſiue non. Et ſicut eadem luce corporali lucent nobis variæ qualitates corporum: ſic & eadem luce veritatis lucent nobis variæ perfectiones Diuinæ. In quem totum ſenſum concludit. *Ergo animarum ſunt iſtæ affectiones, quæ bene ſunt affectæ ab illa luce quæ non afficitur* .i. obiectiuè vel cauſaliter ab ipſa Eſſentia Diuina; vel etiam formaliter ab aliqua illuminatione ſupernaturali. *Iuſtum Deum dicis: ſed intellige aliquid vltra iuſtitiam quam ſoles & de homine cogitare.* .i. Non nihil commune; ſed aliquid vltra infinitè. Nam paulò ſupra: *Quòd Deus dicitur Iuſtus, non competit eius ſupereminentiæ* .i. infinitati. Nec ſequens comparatio Dei vt Iuſti, cum Deo vt pœnitente, & neſciente, eſt quoad improprietatem, ſed quoad infinitam improportionem, ſeu inadæquationem.

Ex Alenſi, S. Bon. & Scoto.

1. ALen. p. 1. q. 2. M. 1. Art. 2. *Ad vlt.* Omnia in Deo ſunt vnum: non tamen idem dicitur de quolibet; quia licet ſignificent idem principale, differunt connotatis, & modo ſignificandi. *Q.* 48. *m.* 3. Varia nomina Dei ſunt ex varia collatione & connotatione effectuum. *Q.* 5. *m.* 2. *Ad* 2. Deus non eo eſt Pater, quo Deus: nec tamen alio; quia Paternitas eſt Deitas. *Q.* 13. *M.* 1. *Q.* 14. *M.* 2. *Q.* 49. vocat diſtinctas perfectiones Dei, *Notiones*, *Impreſſiones* intellectus, docetque eas diſtingui ſola *Notione*. *Q.* 68. *m.* 5. *a.* 2. Eſſentia & Perſona non differunt re, ſed *Intelligentiis*.

S. Bon. 1. *d.* 5. *a* 1. *q.* 1. *Ad* 1. vocat illam differentiam rationis. *Scotus* in 1. *diſt.* 3. *q.* 4. *à n.* 41. ſupra *col.* 134. *Diſt.* 8. *q.* 4. *à n.* 17. *col.* 155. Nunc vocat hanc diſtinctionem a parte rei, nunc ex natura rei, nunc tantùm formalem, nunc ſolam non identitatem formalem, nunc virtualem, nunc rationis. *In* 2. *d.* 27. *q.* 1. Opinatur gratiam eſſe formaliter Charitatem.

Reſp. *Scotus* ſeipſum ſatis conciliat ſibiipſi, & *S. Bon.* ac *Alenſi*. Nam in 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 44. *Poteſt*, inquit, *vocari differentia rationis, vt ait Doctor quidam* .i. *S. Bon.* ſupra. Quia ratio non ſolùm ſumitur pro ipſo actu, ſed etiam pro eius obiecto: ſeu, non ſolùm pro ratione ratiocinante, vel ratiocinata, ſed & ratiocinabili, ſeu obiectiua. Vt *Scotus* loquitur ſupra, ſeque tam clarè explicat, vt nullum relinquat locum calumniæ. Illa ergo differentia *connotationis, notionis, impreſſionis intellectualis, ſeu intelligentiæ*, apud *Alen.* & *rationis* apud *S. Bon.* non eſt quaſi ab extrinſecis, nec ab actu intellectus; ſed ab ipſo obiecto vt noſcibili, ſeu intelligibili, & imprimente aliquem ſui conceptum abſolutum ab extrinſeco, quamuis à nobis vix concipiatur ſine aliqua cōnotatione, aut comparatione ad extra. Quæ tam facilis concordia verificari poteſt ex *Alenſi p.* 1. *q.* 1. *m.* 1. *Quòd Ens ſit primum intelligibile*: eiuſque primæ determinationes, quæ ſunt eſſe Vnum, Verum, Bonum ſint etiam diſtinctè intelligibiles; ſed non poſſunt niſi per poſteriora notificari. *M.* 2. Ad primò quæſitum, an vnum addat differentiam ad Ens: dico quod ſic, &c. *Quæſt.* 15. *m.* 2. Ens, vnum, verum, & bonum coincidunt in idem, ſecundùm *rem*: differunt tamen *Intentiones* eorum .i. obiectiuè. *Quæſt.* 17. *m.* 1. Ens & bonum ſunt idem *re*: non *intentione*, ſeu *ratione* .i. intelligibilitate. Subdit enim: *Ratione tamen differt; quia ens dicit primum intelligibile abſolutum; Bonum vero addit enti rationem appetibilis.* Sicque *m.* 2. & 3. ſumit intentionem, rationem, notionem, obiectiuè pro ipſa intelligibilitate. *Quæſt.* 48. *m.* 2. *a.* 2. & alibi ſæpè tribuit Deo nomina abſolutè & propriè ſignificantia: non tranſlata à creatura ad Deum, ſed à Deo ad creaturas vt participes; quamuis non concipiantur à nobis niſi comparatiuè. *Q.* 55. *m.* 5. Modus Perſonæ, non eſt Eſſentiæ, &c. *S. Bon. diſt.* 8. *Art.* 1. *Ad vlt* *Eſſentia & veritas in Deo non ſunt ſynonyma: ſed hæc eſt illius proprietas, in modo ſignificandi & intelligendi.* Vtique obiectiuè: alioquin hæc non eſſet proprietas illius, ſed ſolius modi noſtri ſignificandi & intelligendi. Denique, vt in 3. *q.* 15. *col.* 472. 482. 483. 484. De identitate reali, & diſtinctione formali ac morali inter charitatem & gratiam ſanctificantem: ſic & ſuo modo, excepta imperfectione, inter varias perfectiones Dei. Nec obſtat quòd *Scotus* vocet hanc ſuam diſtinctionem formalem, *à parte rei, & ex natura rei*: quia ſatis ſe explicat obiectiuè, *non vt inter rem & rem* exiſtentem, *ſed quaſi inter duas realitates*, vtique obiectiuas, &c. Nec *Scotus* contradicit ſibiipſi: ſed modeſtiſſimè exponit ſuam opinionem. Vt in 1. *diſt.* 2. *q.* 7. *n.* 41. *Sine aſſertione, & præiudicio ſententiæ melioris*. N. 44. *Melius eſt vti negatiua, Hoc non eſt formaliter idem: quàm quòd eſt ſic & ſic diſtinctum.* Negatque ex negatione identitatis formalis ſequi diſtinctionem formalem: quia poſſunt aliqua diſtingui modaliter, non formaliter; vel relatiuè,

non

Digitized by Google

non abſolutè. Nam relationes non habent ex ſe perfectas formalitates. In quo videtur *Scotus* imitatus *Alenſem,q.5.m.2.* *Ad* 2. Non ſequitur Deus non eo eſt Pater quo Deus : ergo alio & alio. Quia Paternitas eſt Deitas, &c. Illa autem habitudo non cõnumeratur cum Eſſentia, nec aliquid addit Eſſentiæ .i. Non addit aliquam perfectam formalitatem. Nec *Scotus in 2. diſt. 27. q. 1.* ſequitur Opin. 2. quoad hoc, quòd gratia non ſit *formaliter* charitas : ſed quòd eadem res ſit charitas qua Deus habetur charꝰ; & gratia qua Deus habet nos charos, ſeu gratis diligit. Vel gratia eſt formaliter charitas : quia hæc eſt formalis perfectionis ſimpliciter, non illa.

Ex varijs Rationibus.

1. PErfectio, & Infinitas ſupponunt imperfectionem, vel defectum perfectionis finalis : ergo Deus non poteſt eſſe infinitè perfectus. 2. Vt quid ſe habet in eſſendo, ſic & cognoſcibilis eſt : Deus eſt entitatiuè indiſtinctus; ergo & obiectiuè. 3. Proprietates eſſentiales non ſunt conceptibiles ſine Eſſentia : nec perſonales, ſine ſuis correlatiuis aut terminis; ergo non habent perfectos conceptus obiectiuos, nec diſtinguuntur formaliter. 4. Si eſſent plures perfectiones, eſſentiales, eſſent numero infinitæ : quia in nullo certo numero ſiſti poſſet. 5. Si eſſent plures, & ſingulæ infinitæ : ſingulæ formaliter conſtituerent Deum, ſicque plures Deos, vel pluries eundem Deum. 6. Si eſſentia eſſet fundamentum perfectionum eſſentialium ſeu attributalium. & hæ illam quaſi circumſtando afficerent : haberent ſe vt actus ad potentiam, formæ ad ſubiectum. Nec videtur concipi poſſe Deus ſapiens ſuâ ſapientiâ, niſi vt formâ eius. 7. Æqualitas eſt relatio formaliter perfectior inæqualitate : ex *B. Aug. lib. De quantitate Animæ, cap.* 10. *Æqualitatem inæqualitati iure præponis.* In Deo eſt perfectiſſima æqualitas, ex *Symb. Athan.* Ergo infinita perfectio relatiua. Hinc & *Scotus d. 19. n.8. & d. 20. n. 7.* tribuit æqualitati perfectionem. Nec alibi negat proprietates perſonales eſſe formaliter perfectas, quia ſunt relatiuæ; ſed quia perſonales. Contra *Alenſem* & *S. Bon.* qui ſtatuunt perſonalitatem formaliter in proprietate digniore, ſeu in potiori dignitate Perſonæ. Vt patet ex tota noſtra *Quæſt. 4. in lib. 3. Sent.* Et contra *Damaſc. lib. 1. De Fide, cap.11.* Vbi vocat modum perſonalem exiſtendi, *perfectionem perſonæ.* 8. Si proprietates perſonales & relationes Diuinæ non eſſent formaliter perfectiones, eſſent in Deo imperfectiones. 9. Modus & modificatio eſt contra Infinitatem : ex *B. Aug. lib. De natura boni, c. 22.* Deus habere modum dicendus non eſt, &c.

Reſp Ad 1. vt ſupra. Nec perfectio eſt alicuius perfectionis, vel minoris perfectionis maior perfectio : ſed eſt formalis conſtitutio, vel forma totalis conſtitutiua perfecti. Nec infinitas Dei eſt defectus perfectionis finalis; ſed eſt ipſa ſumma perfectio, & finalis omnium finibilium, non ipſius Dei infinibilis. Nec Deus eſt ſuperficialiter perfectus & pulcher, vt ſunt corpora : ſed intimè & formaliter. *Ad.* 2. Vt Deus eſt entitatiuè indiſtinctus : ſic & obiectiuè cognoſcibilis eſt, vt indiſtinctus entitatiuè; ſed non formaliter. *Ad* 3. Proprietates eſſentiales in concreto connotant Eſſentiam, & in abſtracto eam ſupponunt : ſed nec formaliter includunt, nec includuntur. *Ad* 4. Vt ſupra. *Ad* 5. Vnica conſtituit Deum formaliter & eſſentialiter vt Deum : ſed ſingulæ conſtituunt eum formaliter in ſuo proprio conceptu obiectiuo, & attributali ad Deum, vt Deum eſſentialiter. *Ad* 6. Perfectiones Dei non ſunt inter ſe partiales, potentiales, perfectibiles, aut perficientes aliquid imperfectum : quia Deus non eſt perfectus quaſi ex ſarcimentis & ſupplementis variarum imperfectionum, & perfectionum. Sed perfectio eſſentialis eſt eſſentialiter totalis ac infinita, & origo naturalis omnium propriarum perfectionum : quarum ſingulæ ſunt in ſuo conceptu obiectiuo tales & infinitæ, & per ſe ſufficientes ad conſtituendum perfectiſſimum ac Deo dignum conceptum obiectiuum. Nam eſſentia Dei non perficitur ab alio, quaſi perfectiore : ſed eſt eſſentialiter tam perfecta; vt ex ea immediatè, vel mediatè, non realiter, ſed obiectiuè oriantur, non in ea quaſi ſubiectiuè recipiantur, omnes proprietates eſſentiales, ſeu perfectiones tantâ Eſſentiâ condignæ & adæquatæ. Quibus ſingulæ vt formæ totius, non alterius partis, ſeu totales infinitè perficiunt Deum formaliter, & totaliter, omni perfectione poſſibili & compoſſibili : non informando, nec adhærendo; ſed per ſe ſubſiſtendo, & propria infinitate identificando ſibi Eſſentiam Diuinam, à qua vt infinitâ oriundo, priùs etiam identificantur. *Ad* 7. Æqualitas eſt perfecta perfectior aut perfectiſſima, fundamentaliter, non autem formaliter : quia vt ſic non eſt quanta vlla perfectione, ſed eſt indiuiſibilis etiam obiectiuè. Nec *Scotus diſt.* 10. *n* 8. tribuit ei formaliter vllam perfectionem : ſed, inquit, *præexigit perfectionem, ſeu naturam perfectam.* Et hoc eſt quod dicit *Aug. Lib. De quant. animæ.* Æqualitatem inæqualitati iure præponis .i. comparando aliqua ſimpliciter in eadem natura, quibus compoſſibilis eſt æqualitas, magis poſſunt eſſe perfecta, quàm quibus non eſt compoſſibilis, &c. Sic & *D 32. n.7.* Nec cenſet proprietates perſonales eſſe ſolùm incapaces perfectionis formalis, quia ſunt perſonales; ſed etiam quia ſunt relatiuæ. Quamuis fortè potiùs inde quàm hinc; nec certò, ſed opinatiuè. Vt patet ex fine *Quodlibeti* 5. ſuprà. Nec in hoc contradicit *Alenſi*, aut *S. Bon.* quia perſonalitas ſit fundamentaliter aliqua perfectio, vel etiam formaliter aliqua dignitas moralis : non tamen realis, ſeu entitatiua. Vt patet ex tota noſtra *Quæſt.* 4. in *lib. 3. Sent.* *Damaſcenus* autem vocat ipſum modum perſonalem exiſtendi, perfectionem Perſonæ .i. formalem eius conſtitutionem, ſeu formam conſtitutiuam. Sic enim poteſt dici quodlibet relatiuum vt ſic, formaliter perfici, ſeu præciſè conſtitui ſua formali relatione; ſed non perfici quaſi intenſiuè, ſeu augendo perfectionem, nec conſtituendo aliquid propriè perfectum in ſe, ſeu abſolutè, ſed nonniſi relatiuum ad aliud. *Ad* 8. Proprietates Perſonales, & relationes

tiones Diuinæ, nec ſunt formaliter perfectæ, nec imperfectæ: quia non ſunt priuatæ vlla perfectione poſſibili; cùm non ſint vllius capaces formaliter, ſed identificentur omni perfectioni infinitæ. *Ad 9. B. Aug. De natura boni, cap. 3.* Deus eſt ſupra omnem creaturæ modum. *Cap. 22.* Deus habere *modum* dicendus non eſt: ne finis eius dici putetur. [Nec ideo tamen *immoderatus* eſt: à quo *modus* omnibus tribuitur. Nec *moderatum* oportet dici Deum, tanquam ab aliquo *modum* acceperit. Si autem dicamus eum *ſummum Modum*, forté aliquid dicimus: ſi tamen intelligamus *ſummum Bonum*.] Hinc non omnis modus aut modificatio eſt contra infinitatem: ſed modus limitans, non autem ſummus, ſeu adequatè & infinitè intendens omnem perfectionem Dei.

Replica ad quartum.

EST contra omnia relata ex ſacra Script. Symbolis, Conc. PP. *Alenſi, S. Bon. Scoto*, &c. De plurimis modis & perfectionibus Diuinis: quorum, & quarum plures in infinitum excogitari poſſunt. Vt modus eſſendi neceſſariò, per Eſſentiam, actualiter, ſubſtantialiter, virtualiter, ſpiritualiter, intellectualiter, à ſeipſo, ſeu ex ſeipſo, imò ſeipſo, modus exiſtendi per ſe, ſeu ſubſiſtendi, modus eſſendi propter ſe, ſummitas, primitas, modus eſſendi abſolutè, relatiuè, & ſic in infinitum. Perfectiones etiam Diuinæ poſſunt quidem primò diſtingui in perfectiones eſſendi, & operandi, per intellectum, & voluntatem,: ſed perfectiones intellectus, & voluntatis poſſent ſubdiuidi in obiectiuas, & actiuas, intellectui & voluntati; Actiuæ, in potentiales, habituales, ſeu facilitates, & actuales. Sub quibus tandem videntur eſſe infinitæ, vel ſaltem nobis innumerabiles virtutes voluntatis. *Reſp.* Non eſſe contra, ſed ſecundùm omnia ſupra relata: quia non exigunt diſtinctionem formalem & adæquatam inter omnia; ſed neceſſariò & euidenter inadæquatam inter aliqua. Imò ipſe *Scotus in 1. diſt. 3.* ſub qua introducit ſuam diſtinctionem formalem, ad *Quæſt. 7.* & alibi ſæpè, reddit rationem trium Perſonarum Diuinarum, ab vnica prima improducta, & duplici modo perfectiſſimo producendi, per duo principia perfectiſſima, Intellectum, & Voluntaté, ex Eſſentia vt obiecto præſentiſſimo, & pertinente ad proximam & totalem vim operandi. Ergo non cenſet perfectiones obiectiuas, nec virtutes Intellectus & Voluntatis eſſe formaliter & totaliter diſtinctas, à perfectione operandi per Intellectum & Voluntatem. Alioquin poſſent æquè inferri plures productiones per virtutes, ac duæ ſolæ per Intellectum & Voluntatem. Idem cum *Alenſi & S. Bon.* reducit Iuſtitiam & Miſericordiam ad condecentiam Bonitatis Dei. Cùm ergo perfectiones participatæ reuniendæ ſint, quantum fieri poteſt, in ſuis originalibus: ſi omnes modi perfectionis poſſint ad vnicum totalem reduci, & omnes perfectiones ad tres formales & totales; cur non potiùs vniendæ ſunt etiam obiectiuè, quàm in infinitum multiplicandæ? Ad plurimos illos modos. *Reſp.* Vel non eſſe modos, ſed vnam eandemque perfectionem eſſentialem Dei, non quaſi intenſiùs, ſed diſtinctiùs expreſſam; vt eſſe neceſſariò, eſſentialiter, actualiter, ſingulariter, ſubſtantialiter, vitaliter, ſpiritualiter, intellectualiter: vel non differre à modo, aut pluribus modis infinitis; de quibus per ſingulas *Quæſt.* ſequentes: vel eſſe tantùm negationes ſupponentes aliquam perfectionem poſitiuam; vt eſſe à ſe, ex ſe, propter ſe, ſummè, primò .i. non ab alio, nec propter aliud, ſupra, & antequam nullus: vel denique ſolùm differre relationibus, quæ non ſufficiunt ad modum, vel perfectionem formalem Dei. Nam modi exiſtendi relatiuè & incommunicabiliter, non ſunt modi quaſi intenſiui, ſed tantùm quaſi receptiui perfectionis Dei. Modus eſſendi abſolutè .i. perfectè, totaliter, infinitè: non differt ab ipſa infinitate.

Contra. Subſtantialitas eſt modus per ſe exiſtendi, ſeu ſubſiſtendi: Intellectualitas eſt æquè modus intrinſecus Eſſentiæ Diuinæ, ac infinitas, ex *Scoto 1. d. 26. à n. 53. ſupra Col. 174.* *Reſp.* Subſtantialitas eſt formaliter ipſa Eſſentia, vt ſubſtantialis: ſubſiſtentia, ſeu per ſe exiſtentia Diuina, vel eſt etiam ipſa Eſſentia Dei vt ſubſtantialis, vel vt infinitè perfecta in ſubſiſtendo: Intellectualitas Dei, eſt etiam Eſſentia Diuina, [vt Natura, ſeu prima radix intelligendi & volendi. Vt *Scotus* expreſsè *Quodl. 1.* ſupra *col. 212.* Hinc in *Diſt. 26. Quæſt. 1. n. 55.* vocat Intellectualitatem modum intrinſecum Eſſentiæ Diuinæ: quia Eſſentia vt Eſſentia eſt ſola ratio formalis eſſendi; ſed vt natura intellectualis includit etiã modum operandi. Comparat autem ibidem intellectualitatem, cum infinitate: non ad æqualitatem, ſed ad ſimilitudinem in modo perfectiſſimo operandi, cum modo eſſendi. Comparat etiã cum rationabilitate: non vt eſt ſola ratio formalis eſſendi; ſed etiam modus operandi. Quia non poſſumus concipere formales rationes eſſendi, niſi per aliquem ordinem ad modum operandi.

Ad plurimas illas perfectiones formales: *Reſp.* Vt ex *Quæſt. noſtra 2.* & *Quodl. 1. Scoti* ibidem, vnica eſt perfectio formalis & totalis Eſſentiæ Diuinæ, quamuis diſtinctè & inadæquatè exprimatur per ſubſtantiam, ſpiritualem, viuentem, & Intellectualem: ſic vnica eſt perfectio formalis & totalis intelligendi in Deo, includens formaliter & adæquatè omnem perfectionem obiectiuam, potentialem, quaſi habitualem ſeu facilitatem, & actualem intelligendi; & vnica eſt perfectio formalis & totalis volendi in Deo, includens formaliter & adæquatè omnem perfectionem obiectiuam, potentialem ſeu facilitatem, & actualem volendi. Has enim omnes perfectiones coïntelligit *Scotus* ſub duplici principio perfectiſſimo producendi in Deo. *1. d. 2. q. 7. d. 8. q. 4. d. 13* Et *d. 26. n. 55.* *Propria Attributa ſunt, Sapientia, Charitas, Veritas, & Bonitas.* Vt *Veritas*, & *Sapientia* ſit tota perfectio obiectiua, potentialis; habitualis, & actualis intelligendi: *Bonitas* autem & *Charitas*, ſit tota perfectio obiectiua, potentialis habitualis & actualis volendi; ſed *Infinitas* ſit modus intrinſecus & adæquatus ſingularum perfectionum, Eſſendi, Intelligendi, Volendi.

Digitized by Google

Contra. *Scotus* ibidem *n.* 54. & 55. negat Intellectum & Voluntatem in Deo eſſe Attributa: ſed vult eſſe de ipſa Eſſentia Dei. Et *n.* 56: negat Eſſentiam Dei eſſe punctualiter ſimplicem: eique tribuit plures perfectiones, ipſaque principia propria operandi, vt de Eſſentia Dei.

Reſp. ex 1. d. 26. n. 54. Eſſentia vt *Quid*, eſt ratio communicandi Eſſentiam: vt eſt Intellectus & Voluntas, eſt principium productiuũ Perſonæ, & communicatiuum Eſſentiæ. Ergo agit coniunctim de Eſſentia communicabili vt eſt Eſſentia, & communicatiua, vt eſt Intellectualis. *Infra. Eſſentia Diuina eſt principium operationum propriarum tali naturæ, in quantùm natura eſt Intellectus & voluntas: quia intelligere & velle ſunt propriæ operationes illius naturæ; ideo priùs eſt Eſſentia, non tantùm Eſſentia, ſed etiam Intellectus & Voluntas, quàm ſit quanta vel qualis, &c.* Ergo non loquitur de Eſſentia præciſè vt eſt ſola ratio formalis eſſendi: ſed vt eſt Natura intellectualis, ſeu prima radix intelligendi & volendi. Nec de Intellectu & Voluntate, pro principijs proximis intelligendi & volendi: ſed pro ipſa natura intellectuali. Sicque *ad* 1. concedit *n.* 55. non eſſe propriè Attributa, ſed de Eſſentia. Vnde ad idem reſpondet *meliùs: Hæc Eſſentia, vt hæc Eſſentia eſt intellectualis & volitiua. Vt rationalitas non eſt Attributum homini: ſic nec intellectualitas huic Eſſentiæ.* Vbi mutat nomen *Intellectus & Voluntatis*, in *Intellectualitatem*. De qua etiam, non de Intellectu & Voluntate, docet *Quodl.* 1. ſupra, non eſſe Attributum, ſed de ipſa Eſſentia Dei. Nec aliũd intendit *Scotus d. 26. q. 1. à n.* 53. quàm quòd relationes originis ſint in Deo priores ad conſtituendum Perſonas Diuinas, quàm relationes communes æqualitatis & ſimilitudinis inter Perſonas: quia illæ fundantur in natura intellectuali Dei; hæ in quantitate & qualitate perfectionis, quæ ſupponit naturam vt intellectualem. *A. n.* 56. Quid Dei non eſt punctualiter ſimplex, quaſi vnicam ſolam perfectionem in ſe continens: ſed hæc Eſſentia eſt ſimplex & illimitata; quia illimitata non tantùm intenſiuè in vna operatione; ſed in omnibus quæ ſunt propriarum operationum Dei. Vt natura creata eſt quodammodo illimitata: quia identicè eſt quodlibet principium tale operandi. Cum hac tamen illimitatione Eſſentiæ Diuinæ quaſi extenſiuè, ſtat ſimplicitas: imò ex infinitate ſequitur ſimplicitas; quia infinitum nulli eſt componibile vt pars parti, ſed poteſt eſſe realiter, non formaliter, idem cuilibet infinito.] Ergo non negat perfectum conceptum formalem Eſſentiæ Dei eſſe vnicum & indiuiſibilem formaliter: ſed adæquatè, vel fundamentaliter, ſeu radicaliter; quia ſic non ſolùm continet in ſe quaſi *intenſiuè* & adæquatè ſuam propriam infinitatem; ſed etiam quaſi *extenſiuè* principia propriarum operationum. Vt patet ex illo ſimili naturæ creatæ, quatenus identicè eſt quodlibet principium proprium operandi. Vnde ex noſtro Compendio *Scoti*, *col.* 174. *à n.* 53. corrigendum eſt quòd *Quidditas Dei contineat formaliter plures perfectiones:* cùm textus *Scoti* nõ habeat *formaliter*. Sicque Conciliator *Scoti* in *Quodl.* 1. Et noſter *R.P. Smiſinck Tomo 1. Tract. 3. Diſp. 2. à col. 9. ad* 17. ex plurimis alijs locis expreſſis: contra *Lychetum*, & ſi quos alios interpretes *Scoti*. Excepto, quòd Conciliator cenſeat potentiam intelligendi non eſſe propriè Attributum, ſed potiùs modum intrinſecum: *Smiſinx* autem, eſſe propriè Attributum, non propriè modum intrinſecum; ſed diſtinguat plures perfectiones intelligendi, & volendi, quàm nos. De quibus adhuc ſub Quæſt. proprijs.

QVÆSTIO IV.

De perfectiſſima Simplicitate Dei.

NOn vt de virtute morali, verè & rectè intendendi idipſum quod prætenditur: Oppoſitâ duplicitati, fallaciæ, ſeu fictioni veræ ac rectæ intentionis; ſed de ſimplicitate entitatiua Dei. De qua *Alenſis, p. 1. q. 5. & p. 2. q. 2.* De ſimplicitate & compoſitione creaturarum. *S. Bon. in 1. Diſt. 8. Art. 3.* & in varijs Opuſculis Theol. *Scotus in 1. Diſt.* 8. Ex quibus inter ſe collatis pleraque ſcitu neceſſaria, & digniora, de ſimplicitate Dei innoteſcunt: ſed quædam ſcholaſtica difficiliora vlteriorem diſquiſitionem merentur. 1. An, & quomodo Deus ſit ſimplex, quoad ipſam Trinitatem Perſonarum. 2. An ſimplicitas Dei ſit perfectio formalis, eſſentialis, vel attributalis: an verò modus intrinſecus perfectionis eſſentialis, vel alicuius aut ſingularum *attributalium*, imò & omniũ ſimul quæ in Deo ſunt. 3. An, & quomodo differat ab infinitate, & immutabilitate Dei. 4. An immediatè ſequatur ex eſſentia, vel mediáte infinitate, aut immutabilitate Dei. 5. An diſtinctio illa formalis *Scoti* ſit contra perfectiſſimam ſimplicitatem ſaltem obiectiuam Dei. 6. An quæuis vniuocatio conceptuum communium Deo & creaturis ſit contra eandem ſimplicitatem obiectiuam Dei.

Reſponſio.

AD 1. Deus eſt perfectiſſimè ſimplex, per aliquam identitatem realem omnium quæ ſunt in Deo. 2. Simplicitas Dei non eſt perfectio formalis & ſpecialis: ſed modus intrinſecus & perfectiſſimus exiſtendi, habendo omnia ſua & ſingula ſimul per ſummam identitatem realem eorum inter ſe, vel cum Eſſentia & omnibus perfectionibus Diuinis. 3. Differt modaliter ab infinitate, & immutabilitate Dei, ſaltem inadæquatè. 4. Sequitur immediatè ex infinitate Dei, potiùs quàm ex eius immutabilitate. 5. Diſtinctio illa formalis *Scoti*, non ſolùm non eſt contra, ſed potiùs ad maiorem ſimplicitatem realem, imò & obie-

Digitized by Google

obiectiuam Dei. 6. Nec illa vniuocatio *Scoti* minuit vllatenus ſimplicitatem obiectiuam Dei. Quæ omnia & ſingula ſimul aut ſucceſſiuè probantur.

1. Ex ſacra Script. *Exod.* 3. Ego ſum Qui ſum. .i. Sum quicquid in me habeo. *Pſal.* 4. In pace in idipſum, &c. *Pſal.* 121. Cuius participatio eius in idipſum, &c. Vt ſupra *Quæſt.* 2. *col.* 215. 216. Nec enim poſſunt hæc dici de Eſſentia Dei, quin inferant etiam ſimplicitatem, ſeu illam omnium in Deo identitatem. *Ioan.* 10. Ego & Pater vnum ſumus. Et quicquid de perfectiſſima Dei vnitate ac ſingularitate dicitur, pertinet ad ſimplicitatem, ſeu identitatem omnium in Deo; quia nulla perfectior vnitas eſſe poteſt. Quicquid de perfectiſſima ſpiritualitate & incorporeitate Dei dicitur, *Ioan.* 4. *Act.* 17. *Rom.* 1. eſt etiam pro Simplicitate: quia non poteſt eſſe perfectiſſima ſpiritualitas, niſi per ſimplicitatem, ſeu realem omnium perfectionum identitatem. Quicquid dicitur de perfectiſſima infinitate, immutabilitate, & æternitate Dei, reſultat ad eius ſimplicitatem, ſeu realem illam identitatem omnium quæ in Deo ſunt. Denique quicquid de virtute morali ſimplicitatis, & ſpecialiter de illa Chriſti, 2. *Cor.* 1. Non fuit in Chriſto Eſt & non, ſed Eſt, &c. referri poteſt ad Simplicitatem entitatiuam Dei, vt originalem ipſius virtutis moralis.

2. Ex ſacris Symbolis & Conc. quibus profitemur vnum Deum, vnitate perfectiſſima, quæ eſt Simplicitatis: eumque infinitum, immutabilem, æternum, quæ requirunt hanc perfectiſſimam Simplicitatem. Singulariter ex Conc. *Rhemenſi* contra *Gilbertum Porretanum* ſupra, *Lateran.* ſub *Innocentio* 3. *can.* 1. Vnus eſt Deus indiuiſus in Eſſentia. *Can.* 2. Contra errorem Abbatis *Ioachim.* Nos credimus & confitemur cum *Petro*, quòd vna quædam res eſt incomprehenſibilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

3. Ex SS. Patribus. *S. Dion. cap.* 4. *Diuin. Nom.* Simplicitas Diuina quantitate omnia comprehendit. *B. Aug. Lib. De Quantitate Animæ:* non mole, ſed virtute. *Cap.* 11. Præponendum eſt quòd omnino diuidi non poteſt. *Lib.* 2. *Conf. cap.* 4. Deo nihil *ſimplicius* reperitur. *Lib.* 6. *De Trin. cap.* 3. Si virtutes ſunt in animo, quamuis alio & alio modo ſingulæ intelligantur: nullo tamen modo ſeparantur ab inuicem, &c. Quantò magis in illa Dei ſubſtantia incomparabiliter *ſimpliciore?* Deo enim hoc eſt Eſſe quod fortem eſſe, aut Iuſtum, aut Sapientem; & ſi quid aliud de illa *ſimplici multiplicitate*, & *multiplici ſimplicitate* dixeris, &c. *Cap.* 5. Perſonæ Diuinæ ſunt æquales propter ſummã *ſimplicitatem. Cap.* 5. Si autem quæritur quomodo *ſimplex & multiplex* ſit illa ſubſtantia: animaduertenda eſt primò, creatura quare ſit *multiplex*, nullo autem modo verè *ſimplex*. Corpus conſtat partibus, & afficitur accidentibus: ac per hoc conuincitur *multiplex*, non *ſimplex*. Creatura ſpiritualis ideo *ſimplicior* eſt corpore: quia non mole diffunditur, &c. Sed manifeſtum eſt non *ſimplicem*, ſed *multiplicem* eſſe animæ naturam. Nihil enim *ſimplex mutabile eſt*: omnis autem creatura mutabilis. *Cap.* 7. Deus quidem *multipliciter* dicitur: ſed in illo omnia idem ſunt. Nec quoniam Trinitas eſt, ideo *triplex* putandus eſt: alioquin minor eſt Pater ſolus, aut Filius ſolus, quàm ſimul Pater & Filius, &c. *Lib.* 1. *Ciu. cap.* 10. Deus eſt bonum ſolum *ſimplex*, & ob hoc ſolum incommutabile: à quo bono cætera omnia, ſed non *ſimplicia*, & ob hoc mutabilia, &c. Quod de *ſimplici* bono genitum eſt, pariter ſimplex eſt, &c. Trinitas non ideo non *ſimplex* quia Trinitas: neque enim propter hoc naturam iſtam boni *ſimplicem* dicimus, quia Pater in ea ſolus, aut Filius ſolus, &c. ſed ideo *ſimplex* dicitur, quoniam quod habet, hoc eſt: excepto quod relatiuè quæque perſona ad alteram dicitur, &c. Propter hoc igitur natura dicitur *ſimplex*: cui non ſit aliquid habere quod poſſit amittere, vel aliud ſit habens, aliud quod habet, &c. *Lib. De vera Relig. cap.* 35. Vnum quærimus, quo ſimplicius nihil eſt: Ergo in ſimplicitate cordis quæramus illum. *S. Proſper ſent.* 366. *ex B. Aug.* Nullius incorporeæ creaturæ ſubſtantia verè *ſimplex* eſt: cui non eſt hoc eſſe, quod noſſe. Poteſt enim eſſe, nec noſſe: at illa diuina non poteſt; quia id eſt, quod habet. Ac per hoc non ſic habet ſcientiam, vt aliud ſit illi ſcientia qua ſcit, aliud Eſſentia qua eſt, ſed vtrumque vnum. *Damaſc. Lib.* 1. *Fidei, cap.* 12. Deus *ſimplex* eſt & *incompoſitus.* Si igitur Increatum, Incorporeum, Æternum, Bonũ, &c. ſubſtantiales differentias, differentesque ſubſtantias dixerimus in Deo: ex tot coalitum, minimè *ſimplex* erit, ſed *compoſitum. Cap.* 13. Illa igitur omnia ſuſcipienda ſunt *identiter*, *ſimpliciter*, *indiuiduè*, & *vnaliter. S. Anſel. Cap.* 15. *Monol.* Natura Dei videtur participatione qualitatis iuſtitiæ iuſta. Quod ſi ita eſt: per aliud eſt iuſta, non per ſe, &c. Quapropter, ſi quæratur Quid ſit: quid verius reſpondetur quàm Iuſtitia? Videndum igitur quomodo intelligendũ ſit, quando dicitur iuſta. Homo non poteſt eſſe iuſtitia, iuſtitiam autem habere poteſt, &c. Summa natura non propriè dicitur iuſta, quia habet iuſtitiam; ſed exiſtit iuſtitia, &c. Cùm dicitur exiſtens iuſtitia, non dicitur qualis eſt, ſed quid eſt. De illa idem eſt dicere, eſt iuſta, & eſt exiſtens iuſtitia. Cùm quæritur de illa, Quid eſt: non minùs congruè reſpondetur iuſta, quàm iuſtitia. Quod verò in exemplo iuſtitiæ: hoc de omnibus quæ de ea dicuntur, &c. Quicquid igitur eorum de illa dicatur: non qualis vel quanta, ſed magis quid ſit monſtratur. Sed quodlibet bonum ſumma natura ſit, ſummè illud eſt. Eſt igitur ſumma eſſentia, ſumma vita, ſumma ratio, &c. *Cap.* 16. Si illa ſumma natura tot bona eſt: eritne compoſita tot bonis; an potiùs non ſunt plura bona, ſed vnum pluribus nominibus ſignificatum? Omne enim compoſitum indiget his ex quibus componitur, & illis debet quicquid eſt; ideoque ſummum non eſt, &c. Cùm igitur illa natura nullo modo compoſita ſit, & tamen omnimodo tot illa bona ſit: neceſſe eſt vt omnia illa non plura, ſed vnum ſint. Idem igitur eſt quodlibet vnum illorum, quòd omnia ſimul. Itaque vt vnum eſt quicquid eſſentialiter de ea dicitur: ita ipſa vno modo, vna conſideratione eſt quicquid eſt eſſentialiter, &c.

Cùm

Digitized by Google

Cùm enim homo dicatur corpus, & rationalis, & homo: non vno modo vel conſideratione hæc tria dicitur. Secundùm aliud enim eſt corpus, ſecundùm aliud rationale, & ſingulum horum non eſt totum id quod eſt homo. Illa verò ſumma Eſſentia nullò modo ſic eſt aliquid, vt illud idem ſecundùm alium modum aut conſiderationem non ſit: quia quicquid aliquo modo eſſentialiter eſt, hoc eſt totum quod ipſa eſt, &c. *In Proſologio*, *cap.* 18. Quomodo, Domine, es omnia hæc? An ſunt partes tui, aut potiùs vnumquodque horum totum eſt quod es? Nam quicquid eſt partibus iunctum, non eſt omnino vnum: ſed vel actu, vel intellectu diſſolui poteſt. Quæ aliena ſunt à te: quo nihil melius cogitari poteſt, &c. Ergo Vita, & Sapientia, & reliqua, non ſunt partes tui: ſed omnia ſunt vnum, & vnumquodque horum eſt totum quod es, & quod ſunt reliqua omnia.

S. Bern. Serm. 80. *in Cantica*, probat animam non eſſe perfectè vnam & ſimplicem in ſe, cum ſua propria magnitudine ſeu perfectione, quantumuis realiter inſeparabili. *Quia*, inquit, *eſt etiam extra animam in Angelis*: ſicque compoſita cum his & illis. Item. *Nulla forma eſt id cuius eſt forma: eſt autem magnitudo forma animæ. Nec enim ideo non forma, quia inſeparabilis: hoc ſiquidem ſunt ſubſtantiales differentiæ omnes, & propria quædam, &c.* i. de forma partiali, informante, vel contrahente, compoſita, & componente, &c. *Solus Deus hanc ſibi vendicat ſimplicitatem; vt non aliud & aliud, non alibi quoque & alibi, ſed ne modo quidem & modo inueniatur in eo. Nempe, in ſemet manens, quod habet eſt: & quod eſt ſemper & vno modo eſt* .i. vno nunc inuariabili æternitatis. Nam ſubdit: *Tempora ſub eo tranſeunt, non ei, &c. Recedant à nobis nouelli hæretici; quia Sapientiam qua Deus eſt ſapiens, Diuinitatem qua Deus eſt; Deum non eſſe impiiſſimè diſputant, &c. Si aliquid eſt quod non eſt Deus: aut minus erit Deo, aut maius, aut par, &c. Sed dicit hæreticus: Quid? Deum Diuinitatem eſſe negas? Non, ſed eandem Diuinitatem quâ eſt, Deum aſſero: ne Deo excellentiùs aliquid eſſe aſſentiar.* Sicque de Magnitudine, Bonitate, &c. *Securus pergo in eius ſententiam qui dicebat:* Deus nonniſi ea magnitudine magnus eſt, quæ eſt quod ipſe. Alioquin illa erit maior magnitudo quàm Deus. *Auguſtinus hic eſt validiſſimus malleus Hæreticorum. Quia ſi Deus non eſſet ſua Diuinitas, Magnitudo, Bonitas, &c. videretur eſſe minus. Si quid itaque de Deo propriè dici poſſit: rectiùs diceretur, Deus eſt Magnitudo, Bonitas, &c. quàm eſt magnus, bonus, &c. Vnde nuper in Conc. quod Papa Rhemis celebrauit, tam ipſi quàm cæteris Epiſcopis peruerſa viſa eſt & ſuſpecta illa Expoſitio Gilberti Epiſcopi Pictauenſis, in verba Boëtij de Trin.* Pater eſt Veritas .i. verus, &c. *Quam veriùs dixiſſet, Pater eſt verus .i. veritas. &c. Quanquam manifeſtiùs in alijs locis liber ille à rectitudine fidei viſus eſt diſcrepare, &c. Nam dicente Authore .i. Boëtio,* Cùm dicitur Deus, Deus, Deus, pertinet ad ſubſtantiam: *noſter Commentator .i. Gilbertus, intulit,* Non quæ eſt, ſed quâ eſt. *Quod abſit, eſſe rem aliquam quâ Deus ſit, & quæ non ſit Deus. Sed hæc minimè iam contra ipſum loquimur, qui humiliter acquieſcens, hæc proprio ore damnauit.* Lib. 5. De conſid. *Quid eſt Deus? Quo nihil melius cogitari poteſt, &c. Non eſt ergo in Deo niſi Deus. Quid?* inquiunt: *negas Deum habere Diuinitatem? Non, ſed quod habet hoc eſt. Negas Diuinitatem Deum eſſe? Non, ſed non aliâ, quàm quæ ipſa eſt, &c. Quaternitas orbem diſterminat, non ſignat Deitatem*] .i. Sunt 4. partes orbis, non Dei. *Deus Trinitas eſt, &c. Si quartam Diuinitatem adijcere placet: ego hanc quæ Deus non eſt, perſuaſi mihi minimè adorandam, &c.*] relata ſupra *col.* 233. vſq; ad hæc. *Non eſt compoſitus Deus, merum ſimplex, &c. Tam ſimplex Deus, quàm vnus eſt, &c. Si dici poſſit vniſſimus eſt. Vnus eſt ſol, quòd non ſit alter: Deus etiam vnus eſt ſibi. Idem eſt ſemper, & vno modo: non ſic vnus ſol, &c. Deus non modo vnus ſibi: & in ſe vnus eſt. Nihil in ſe, niſi ſe habet. Hinc* Boëtius: *Hoc verè vnum in quo nullus eſt numerus. Nullum in eo Aliud, præter id quod eſt, &c. Trinitas tamen eſt Deus, &c. Quid ſibi vult iſte abſque numero numerus? Sed,* inquis, *ſubſtantia vna eſt, Perſonæ tres, &c. Quæ non ſint illa vna natura? Catholicus es, minimè hoc dabis, &c. Dicamus itaque tres; ſed non ad præiudicium vnitatis. Dicamus vnum: ſed non ad confuſionem Trinitatis, &c. Sacramentum hoc magnum eſt; & quidem venerandum, non ſcrutandum.* Infra. *Quid eſt Deus? Longitudo, Latitudo, Sublimitas, & Profundum. Quid,* inquis? *Tenemus te Quaternitatis profeſſorem? Minimè, &c. Signatus eſt Deus pro captu noſtro, non pro ſtatu ſuo. Diuiſus eſt hic* .i. captus noſter: *non ille* .i. non ille Deus; *voces diuerſæ, ſed vnum per eas ſignificatur, &c. Dum contendimus apprehendere vnum: occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc ſpeculum & ænigma, &c. Similes ei erimus: quia eum videbimus ſicuti eſt.* Subdit. *Res vna, effectus multiplex, operationeſque diuerſæ: & illa vna res, eſt Longitudo propter Æternitatem, Latitudo propter Charitatem, Sublimitas propter Maieſtatem, Profunditas propter Sapientiam.*

4. Ex concordia *Alenſis*, *S. Bon.* & *Scoti*, tam inter ſe, quàm cum ſacra Script. Conc. & PP.

5. Ex ratione ſingularum partium noſtræ *Reſp.* Pars 1. eſt expreſſiſſimè *B. Aug.* 2. Eſt expreſsè *S. Bon. in* 1. *d.* 8. *art.* 3. *q.* 2. *Ad* 1. *Simplicitas non eſt ipſa vnitas: ſed modus perfectiſſimus vnitatis.* Reliquum illius partis eſt etiam expreſsè *B. Aug.* Ratio autem eſt ex Parte 3. Vt Infinitas eſt modus intrinſecus entis infiniti; quia non habet proprium conceptum formalem, ſed modificat, ſeu quaſi adæquatè intendit eundem conceptum totalem entis: ſic & ſimplicitas non habet proprium conceptum formalem; ſed quia intendit infinitè conceptum vnius vſque ad ſummam identitatem ac ſingularitatem, non videtur adæquatè diſtingui ab ipſa infinitate, ſed eſſe quaſi modus inadæquatus infinitatis. 4. Eſt etiam expreſsè *B. Aug.* ſupra *Lib.* 11. *Ciu.* 10. Vbi infert immutabilitatem ex ſimplicitate. Hæc autem videtur immediatè ſequi ex infinitate ſimpliciter, vt quædam infinitas ſecundùm vnitatem. Ratio 5. Partis eſt. Quia plures perfectiones formales Dei ſunt ſingulæ infinitæ: Ergo pluribus titulis ſimplificant, ſeu

Q idem-

Digitized by Google

identificant ſibi realiter omnia quæ ſunt in Deo. Nec obſtat quòd non identificent ſeinuicen formaliter ſeu obiectiuè: quia ſatis eſt quòd ſingulæ ſua infinitate ſint formaliter ſeu obiectiuè totales, obiectiuè indiuiſibiles, & quaſi per ſe ſubſiſtentes, ac incomponibiles. Ratio 6. partis. Quia vniuocatio illa non eſt entis aut vllius perfectionis quaſi ex ſe communis, ſeu indifferentis ad Deum & creaturas, nec vt in Deo compoſitæ aut modificatæ per infinitatem, indeque abſtractæ ad ſtatum quendam communem ſeu indifferentem. Cùm entitas & quæuis perfectio ſimpliciter ſit ex ſe neceſſariò diuina, per eſſentiam, & infinita, priuſquam in vlla creatura finiri, & ab ea participari poſſit, imò vel concipi finibilis vel participabilis. Sed eſt vniuocatio attributionis & comparationis, ad aliquam ſimilitudinem formalem, non autem ad æqualitatem, nec ad vllam indifferentiam. Vt ſatis patet ex *Scoto diſt.* 8. *quæſt.* 3. *a.* 11. Vbi optimè conuenit cum *Alenſi* & *S. Bon.*

Difficultates promiſcuæ.

1. SAp. 7. Spiritus Dei multiplex. 2. *S. Aug.* 5. *Trin.* 4. de illa *ſimplici multiplicitate, & multiplici ſimplicitate. Lib.* 3. *in Max. cap.* 10. De quaternario in Deo. 3. *S. Anſelmus* videtur excludere à Deo omnem diſtinctionem formalem *Scoti.* 4. *S. Bern.* ſupra, videtur reprobare eandem diſtinctionem *Gilberti*, quæ fuit poſtea formalis *Scoti.* Vt patet ex *Ottone Frigiſenſi, Lib.* 1. *De geſtis Frederici* 1. vbi tribuit *Gilberto* diuiſionem inter Naturam Dei & Perſonas, *non mathematica abſtractione, ſed Theologica conſideratione.* 5. *Alenſis* tractat de Simplicitate Dei, *q.* 5. ante Infinitatem, & poſt Incommutabilitatem. *Q.* 42. *m.* 3. *q.* 50. *m.* 8. *p.* 2. *q.* 12. *m.* 2. negat *Quo* & *Quod* in Deo diſtingui: & tamen *p.* 1. *q.* 15. *m.* 2. *q.* 57. *m.* 2. diſtinguit inter Deum, Deitatem, Hypoſtaſes, & Perſonas, per *Quod, Quo, Quæ*, vel *Qui, & Quis.* 6. *S. Bon. in* 1. *diſt.* 8. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 1. *Simplicitas eſt modus vnitatis:* Ergo non Eſſentiæ, nec omnium quæ in Deo ſunt. *Quæſt.* 4. Negat omnem vniuocationem ad Deum & creaturas, vt contrariam ſimplicitati Dei. 7. *Scotus*, 1. *d.* 2. *q.* 2. & alibi, negat Deo conceptum ſimpliciter ſimplicem. *D.* 8. *q.* 1. præfert actualitatem ſimplicitati. *q.* 2. Componit omnem creaturam ex aliqua entitate, & infinita priuatione. *q.* 3. Tribuit Deo & creaturis conceptus communes & vniuocos. 8. In Deo eſt Trinitas: Ergo non ſumma ſimplicitas. 9. Simplicitas videtur eſſe tantùm negatio compoſitionis: cùm compoſitio ſit negatio ſimplicitatis. 10. Non modificat vt Infinitas: ergo non eſt modus, vel non eſt aliqua infinitas. 11. Quæ perfectio poteſt eſſe in ſimplicitate? 12. Eſt potius puritas actus, quàm identitas omnium. 13. Deus eſſet ſimplicior, ſi eſſet vnicæ Eſſentiæ & Perſonæ: ſic enim haberet omnia intrinſeca identicè, non ſolùm in Eſſentia, ſed & inter ſe.

Ad 1. *Reſp.* ex *B. Aug. Epiſt.* 102. Legitur *Sap.* 7. Spiritus Sapientiæ multiplex: ſed rectè etiam dicitur ſimplex. Multiplex enim, quoniam multa ſunt quæ habet: ſimplex autem, quia non eſt aliud quàm quod habet. Vel ex *Alen. p.* 1. *q.* 66. *m.* 1. *art.* 4. *ad* 2. dicitur multiplex: non in ſe, ſed in ſuis effectibus.

Ad 2. Ex *Al. p.* 1. *q.* 66. *a.* 4. *ad* 1. Deus non dicitur propriè multiplex, vt quid cõmune ad triplex & quadruplex: ſed impropriè, à pluralitate Perſonarum. Ratio autem cur potuit transferri genus ad diuina, & nulla ſpecierum: eſt quia genus minus habet de poſitione, quàm aliqua ſpecierum.] .i. minùs habet ſitus, vel imperfectionis poſitiuæ & actualis. Confirmat enim ex *B. Aug.* eodem *lib. cap.* 7. Nec quia Deus Trinitas eſt, ideo triplex putandus eſt: alioquin minor eſt Pater ſolus, & Filius ſolus, quàm ſimul Pater & Filius .i. Ibi non eſt Triplicitas, vbi eſt perfecta Vnitas, & Æqualitas: quia triplex non ſolùm dicit ordinem, ſed poſitionem ſeu ſitum.] *Lib.* 3. *contra Max.* Non numerat in Deo 4. ſimpliciter: ſed 4. Virtutes; nec 4. realiter, ſed formaliter. Hinc tamen rectè infert, tres Perſonas Diuinas non eſſe partes Dei, ſed vnum Deum. Cui etiam numero formali perfectionum fauet, *Epiſt.* 102. *in Sap.* 7. vt ſupra.

Ad 3. Imò videtur *Anſelmus* ſupponere & fundare diſtinctionem formalem *Scoti.* Quia *cap.* 14. *Monol.* ſupra, diſtinguit in Deo relatiua ab abſolutis: quòd hæc ſint meliora quàm non ipſa, ſeu perfecta ſimpliciter, non autem illa. Nec excipit relatiua ad intra: Ergo ſupponit eſſe plura abſoluta, ſeu meliora quàm non ipſa: relatiua autem non eſſe ſic formaliter meliora, ſeu perfecta ſimpliciter. *Cap.* 15. Cauet & monet ne quæ de Deo dicuntur, intelligantur per participationem, ſed per eſſentiam & totalitatem .i. ex vi propriæ Eſſentiæ, non formaliter, ſed radicaliter, & ſecundùm totalitatem ſingularum perfectionum. Nec obſtat quòd neget Deum eſſe & dici Iuſtum qualitatiuè, ab habendo iuſtitiam: ſed quidditatiuè, ab eſſendo & exiſtendo Iuſtitiam. Quia non eſt eius ſenſus, quòd Deus ſit ipſâ Iuſtitiâ, vt propriâ formâ eſſendi & exiſtendi: ſed quòd ſit Iuſtitia, non vt forma informans vel dependens, ſed vt per ſe exiſtens ſeu ſubſiſtens. Quia nulla perfectio formalis Dei abſtrahit à propria exiſtentia & ſubſiſtentia. Nec eſt ſenſus, quòd Deus non habeat Iuſtitiam identicè & totaliter: ſed nec participatam, nec compoſitam, vt homo, cum quo fit ibi comparatio. Quòd verò ad Quæſtionem *Quid* eſt Deus, æquè congruè reſpondeatur Iuſtus ac Iuſtitia: non eſt ſenſus, quòd hæc ſit Deo prima & formalis ratio eſſendi; ſed quod Deus dicatur Iuſtus Iuſtitiâ totali, infinita, & per ſe exiſtente, ſicque idem ſit ei etiam formaliter eſſe Iuſtum, & eſſe Iuſtitiam. Non tamen ad *Quid* eſt Deus eſſentialiter, æquè primò & formaliter reſpondetur, eſt Iuſtitia, ac eſt Ens infinitum, eſt ſubſtantia, ſpiritus, &c. ſed æquè identicè. Denique Deus nec eſt, nec dicitur qualis aut quantus accidentaliter, vel compoſitiuè: ſed ſimpliciſſimè, & quidditatiuè .i. ſubſtantialiter. *Cap.* 16. Ad quæſtionem, an in Deo ſint plura bona, vel vnum pluribus nominibus ſignificatum: reſpondet quidem non eſſe plura inter ſe compoſita, ſed vnum:

non

Digitized by Google

non tamen addit pluribus nominibus ſignificatum: Ergo ſupponit plura ſignificata. Nec per identitatem cuiuſlibet cum omnibus, intelligit identitatem formalem, ſed realem. Nec per vnum modum, & vnam conſiderationem, intelligit vnicam rationem formalem, ſed omnium æqualitatem, ac identitatem realem. Opponit enim eam diſtinctioni reali, & inæqualitati eorum quæ ſunt in homine, &c. *Cap.* 18. *Proſol.* Nil niſi de ſimplicitate Dei ab omni compoſitione reali, vel obiectiua, quæ vel actu, vel intellectu diſſolui poſſit; ſicque ſingula ſunt identicè totum quod Deus eſt. Vt ergo *S. Aug.* 5. *Civ.* 1. Intelligamus Deum ſine quantitate magnum, ſine qualitate bonum, &c. Eſt tamen ſubſtantia vel eſſentia. *Cap.* 5. In Deo nihil ſecundùm accidens dicitur: quia nihil in eo mutabile eſt, &c. *Cap.* 8. Quicquid ad ſe dicitur .i. abſolutè, ſubſtantialiter dicitur: quod autem ad aliquid, non ſubſtantialiter, ſed relatiuè, &c. *Cap.* 10. Deus non ea magnitudine magnus eſt, quæ non eſt quod ipſe eſt, vt quaſi particeps eius ſit Deus. *Lib.* 7. *cap.* 5. Deus abuſiuè Subſtantia vocatur, &c. Sed ſiue Eſſentia, ſiue Subſtantia, vtrumque ad ſe dicitur, non relatiuè.] .i. Non eſt in Deo ſubſtantia, à ſubſtando realiter, nec obiectiuè, ſeu compoſitiuè. Nec in Deo ſunt vlla accidentia, realia, vel obiectiua: ſed ſolùm ſubſtantiua ſeu abſoluta, & relatiua. Inter quæ, Eſſentialia formaliter dicuntur in concreto ſubſtantiuo: quia ſunt prima in Deo obiectiuè, nec ſupponunt aliud cuius ſint, & de quo dicantur. Eadem etiam dicuntur in abſtracto, ad exprimendam eorum ſimplicitatem & totalitatem formalem. Sed propria, & attributa Eſſentiæ, dicuntur in concreto adiectiuè: ad connotandam eſſentiam quam ſupponunt. Dicuntur & abſtractiuè: ad exprimendam eorum propriam ſubſiſtentiam, ſeu per ſe exiſtentiam, à qua non poſſunt abſtrahi; & totalitatem formæ, in eſſendo & prædicando totaliter, de toto ſubiecto prædicationis, non compoſitionis. Quia Deus nec ſecundùm aliquid ſui eſt Sapiens, Iuſtus, &c. vt homo, ſecundùm animam: nec participatiuè ex aliquo toto, cumque alijs participibus; ſed ſecundùm ſe totum, ſeu ſe toto, ſolus eſt totum & totaliter quicquid eſt abſolutè. Sic & *Anſel.* ſupra, nonniſi ex *B. Aug.* vt diſcipulus ex Magiſtro. Qui modus eſſendi ac dicendi, non eſt communis vllis creaturis. Quia licet philoſophicè loquendo, ſint quædam formæ partis, vt anima corporis: quædam formæ totius, vt humanitas hominis; dicanturque in concreto ſubſtantiuo vel adiectiuo, & in abſtracto. Omnes tamen ſunt compoſitæ cum ſubiecto vel ſuppoſito, vt ab eo dependentes: & partiales, ſeu participatæ ex aliquo toto, cum pluribus alijs. Quæ compoſitio cum ſuppoſito, ſignificatur in concreto ſubſtantiuo: cum ſubiecto, in concreto adiectiuo; dependentia autem & partialitas aliqua, in abſtracto à ſuo ſubiecto, ſingulari, vel ſuppoſito. Vt humanitas communis, quamuis dicatur, & ſit forma totius hominis: eſt dependens in exiſtendo ab aliquo ſuppoſito, & particeps maioris totius, tum potentialis, vt entis communis, tum totaliſſimi actualis .i. Dei, & eſt participabilis à pluribus ſingularibus. Hæc humanitas ſingularis, eſt compoſita obiectiuè ex communi, & ex hac: eſt vltimò particeps ac participata ex communi, & realiter diſtincta ab omnibus comparticipibus, dependetque ab aliqua compoſitione cum ſuppoſito ſeu perſona. Non ſic in Deo: ſed formæ totius, ſunt ſingulariſſimæ, totaliſſimæ, & independentiſſimæ. Nec realiter, nec formaliter, nec inadæquatè differunt à ſuis concretis: ſed ab inuicem, formaliter, ſeu obiectiuè. Ideoque inter concreta & eorum abſtracta, eſt reciproca affirmatio, etiam formaliter: Inter varia concreta & abſtracta eſt reciproca affirmatio identicè & ſimpliciter; nulla autem negatio, niſi expreſsè formaliter. Sed varia abſtracta differunt formaliùs, quàm eorum concreta, quæ ſaltem connotant eundem Deum. Nec obſtat quòd *Scotus* neget Paternitatem eſſe Spirationem actiuuam: vt abſtrahunt ab Infinitate Dei, qua ſola inter ſe realiter identificantur. Quia vt *Aug. lib.* 5. *Trin.* 6. Alia eſt *Notio* quâ intelligitur Genitor, aliâ quâ Ingenitus. Sic & *Al. p.* 1. *d.* 68. *m.* 5. *a.* 5. *S. Bon.* 1. *d.* 33. *q.* 3. Niſi quòd hic det *Notiones* eiuſdem Perſonæ dici de inuicem in concreto, non in abſtracto: ille neget etiam in concreto; ſed hic negat in altero abſtracto, ille ait in vtroque concreto. Horum autem ratio eſt: quia *Notiones* vt ſic ſunt tantùm notificatiuæ, & diſtinctiuæ quoad nos: nec includunt vllam rationem identitatis.

Ad 4. *S. Bern.* intelligendus eſt in ſenſu *Anſelmi* vt vicini, & ferè coætanei: non contra diſtinctionem formalem *Scoti*; ſed tantùm contra omnem diſtinctionem & compoſitionem realem, aut prædicamentalem, omnemque negationem ſimpliciter inter vlla concreta & abſtracta in Deo. Vt patet ex toto vtroque textu relato, & hinc inde breuiter expoſito. Sed præcipuè ex eo quòd *S. Bern.* referat ſe ad verba & ſenſum *B. Aug. Lib.* 5. *Trin. cap.* 10. *Deus non ea magnitudine magnus eſt quæ non eſt quod ipſe eſt, vt quaſi particeps eius ſit Deus cùm magnus eſt: alioquin illa erit magnitudo maior quàm Deus.* Inter quæ, hæc verba, *quaſi particeps ſit eius Deus*: exprimunt totum ſenſum, & rationem cur ſi Deus non eſſet ſua magnitudo, hæc eſſet maior Deo. Quia Deus non eſſet totalis magnitudo: ſed tantùm eius particeps; ſicque de Deitate, bonitate, &c. Ideo enim ſupra negat animam eſſe ſuam magnitudinem: quia hæc eſt etiam extra animam .i. non eſt totalis in anima, ſed participata, & comparticipata ab Angelis, per aliquam compoſitionem, ex communi magnitudine, & quibuſdam differentijs. Subdit autem: *Rectiùs dicetur, Deus eſſe Magnitudo, Bonitas, &c.* Quia ſic potiùs exprimitur eſſe totaliter, & non participatiuè. Sed *Lib.* 5. *De Conſid.* inſtat maximè pro identitate trium Perſonarum Diuinarum, cum vna eademque Deitate: contra quaternitatem, & omnem aliam pluralitatem, aut paucitatem quàm trium ſimpliciter loquendo. Quia Deitas non eſt connumerabilis cum tribus Perſonis, vt res quarta: imò nec attributa inter ſe diſtincta formaliter, ſunt propriè numerabilia ſimpliciter, ſed tantùm formaliter vt at-

tributa. Hoc ſolùm videtur difficile ex textu ſupra relato. *Non multa*, inquiunt, *ſed vnam tantum Diuinitatem, quæ omnia illa ſunt, Deo vt SIT conferre aſſerimus. Aſſeritis ergo etſi non multiplicem, duplicem Deum. &c.* .i. Non quaſi duos Deos ; ſed eundem compoſitum, ex eo omni quod eſt Deus, .i. ex Perſonis & Attributis, vt ſubiecto quodam potentiali, & ex Diuinitate velut forma quâ ſunt idem Deus. Vnde ſubdit. *Tam non eſt ſimplex, quod vel vni fuerit obnoxium formæ : quàm nec virgo vel vni cognita viro. Meus Deus ipſe catholicè eſt.* .i. Totaliter ; non vt ſubiectum & forma, ſeu potentia & actus. *Tam non habet hoc & illud* .i. duo inter ſe compoſita : *quàm non hæc & illa* .i. plura inter ſe compoſita. *Eſt Qui eſt, non Quæ eſt.* .i. non plura realiter, ſed nec per vllam compoſitionem. Vel *Catholicè eſt :* non hoc & illud, nec hæc & illa, in ſenſu *B. Aug. Lib. 8. Trin. cap.* 2. Deus veritas eſt, &c. Noli quærere quid ſit Veritas, &c. *Cap.* 3 Bonum hoc, & bonum illud : tolle hoc, & illud, & vide ipſum Bonum ſi potes. Ita Deum videbis : non alio bono bonum ; ſed bonum omnis boni. Sic & verum ſimpliciter, & totaliter abſque vlla reſtrictione per hoc & illud, &c. *Infra. Vnus eſt ſol, quòd non ſit alter* .i. Reſpectiuè, & negatiuè ad alterum. *Deus eſt etiam vnus ſibi* .i. abſolutè, & poſitiuè : *& in ſe vnus eſt* .i. intra ſe, per identitatem omnium quæ habet. Vt ſubdit : *Nihil in ſe, niſi ſe habet.* Quem ſenſum confirmat ex *Boëtio.* Quod autem ſubdit de vnitate rei pro captu noſtro, ſignificari per plures voces & effectus : non refertur ad ipſas proprias Dei perfectiones ; ſed ad illas 4. metaphoras, *Longitudinis, Latitudinis, Sublimitatis, & Profunditatis*; vel ad vnitatem realem, non formalem eiuſdem rei. Nec obſtat, imò fauet toti noſtræ expoſitioni *S. Bern.* quòd nunc *Gilbertus* in *Boëtium* non habeat verba, nec ſenſum quem cenſemus à *S. Bern.* reprobatum, ſed contrarium. *Deus nihil habet quo ipſe ſit, niſi ſingularem, ſimplicemq́; Eſſentiam, &c. Cùm dicitur homo eſt iuſtus : non dicitur eſſe iuſtus toto quod ipſe eſt ; ſed diuisè, ſolâ iuſtitiâ dicitur iuſtus. Cùm verò Deus dicitur Iuſtus : toto eo quo ipſe eſt dicitur Iuſtus. Nam Deus idem ipſum eſt, quod eſt Iuſtum* .i. *eodem quo eſt Deus, eſt Iuſtus.* Quia cùm *S. Bern.* ſub finem *Serm.* 80. *in Cant.* inſtet pro correctione libri, vt Authoris, nec in illo extent illa correcta à *S. Bern.* certum eſt correctum fuiſſe, & quidem in ſenſum expreſſiſſimè contrarium priori errori. Qualis videtur eſſe, *Quòd Deus toto eo quo eſt, & quo eſt Deus, ſit iuſtus.* Poteſt tamen intelligi radicaliter : vel, quòd cùm eſſe iuſtum includat ipſum eſſe ; Deus non poteſt eſſe iuſtus, niſi eo toto quo & quod *Eſt*, ſeu eſt Deus. Sed eſt iuſtus formaliter, iuſtitiâ totali, radicaliter ex toto Eſſe Dei. Supereſt ergo ſola difficultas de illa diuiſione rationis, inter Naturam Diuinam, & Perſonas : *non mathematica abſtractione, ſed Theologica conſideratione.* Quam verbatim refert *Otto Friſingenſis Epiſc.* & imputat *Gilberto* : *Vaſquez* autem ſupra, transfert ad diſtinctionem formalem *Scoti.* Quaſi diuiſio per *abſtractionem mathematicam*, ſit minor quàm *per conſiderationem Theologicam* : hæcque vt illi opponitur, non poſſit eſſe niſi diſtinctio formalis *Scoti.* Cùm illa ſit potiùs maior, & imaginaria inter quantitatem, & materiam : hæc autem minor & ſubtilior. Nec *Otto* referat illam vt minorem, ſed fortè vt nimiam : nec hanc vt vno modo, ſed *Quoquo modo ratio diuideret Theologica conſideratione.* Ergo æquè, vel potiùs eſſet contra diſtinctionem *Vaſqueſij*, *ſola ratione* : quàm obiectiuam, ſeu formalem *Scoti.* Videtur ergo hoc non tam referri ab *Ottone*, vt error ſpecialis *Gilberti*, quàm vt aliqua eius excuſatio ab errore ſaltem grauiori. Alioquin *S. Bern.* hunc errorem etiam verbatim reprobaſſet. Sed detur *Vaſqueſio* hoc eſſe contra diſtinctionem formalem inter Deum abſolutè, vel vt Perſonam, & Deitatem : Quid hoc contra diſtinctionem formalē *Scoti?* Qui non diſtinguit formaliter inter concreta & eorum abſtracta : cùm hæc includantur in ſuis concretis ; ſed inter alia & alia concreta, & eorum abſtracta. Vt vt ſit ergo de errore *Gilberti* : nihil ad doctrinam *Scoti.* Nec ad tuendum *Scotum* opus eſt tribuere *Gilberto*, viro tam docto, vllam diſtinctionem realem inter Naturam Diuinam & Perſonas formaliter, nec inter vlla Dei Attributa. Vt tribuit ei noſter *Smiſinck*, quaſi ex *Al. p.* 1. *q.* 68. *m.* 5. *art.* 6. §. 3. Vbi tamen reſpondet : *Non eſt credibile tam peritos viros hæreſim ſenſiſſe, licet verba eorum viderentur aliquibus hæreſim ſonare ; nec fuiſſe inter eos contradictionem ſecundùm rem, &c.* Nec ſolùm eſt excuſandus *Scotus* : ſed ad confirmandam eius diſtinctionem formalem, retorquenda eſt in eius Cenſores, cenſura *Conc. Later.* maximi, *Can.* 2. in *Abbatem Ioachim*; quia imputabat *Petro Lombardo Magiſtro Sent.* ad hæreticam quaternitatem in Deo, quòd tres Perſonæ Diuinæ ſint vna res, quæ nec generet, nec generetur. Quaſi hæc vna res eſſet quarta, cum illis tribus : cùm hæ tres illi vni identificentur. Vnde & negabat tres Perſonas eſſe verè & propriè, ſed tantùm collectiuè vnum. Sic & qui cenſurant *Scotum* de quaternitate & pluralitate in Deo : quia diſtinguit 4. & plura formaliter ; merentur cenſuram *Abbatis Ioachim.*

Ad 5. *Alenſis* non ſemper ſequitur ordinem obiectiuum inter ſuas Quæſtiones : ſed ſæpè ordinem doctrinæ, & intelligentiæ noſtræ. Quo ordine Incommutabilitas eſt prior ſimplicitate, & hæc infinitate. Negat *Quod, Quo,* &c. differre in Deo, ne quidem vt in creaturis ſaltem metaphyſicè compoſitis, ex ſuo *Quod* vt ſubiecto potentiali, & ſuo *Quo* vt formali & participato. Diſtinguit tamen in Deo ratione, ſeu modo noſtro concipiendi, *Quod*, vt totum cōſtitutum actuale, à ſuo *Quo*, vt totali conſtitutiuo formali. Concipimus enim idem perfectum, vt *Quod* : ad exprimendam eius ſubſiſtentiam ; vt *Quo*, ad exprimendam maiorem eius actualitatem, formalitatem, totalitatem, & ſimplicitatem.

Ad 6. Simplicitas eſt modus perfectiſſimus vnitatis, & omnium ac ſingulorum quæ in Deo vnum ſunt. Nec *S. Bon.* negat vniuocationem ſimilitudinis dependentis & inadæquatæ : ſed ſuperioritatis, & indifferentiæ.

Ad 7. *Scotus* non negat Deo, ſed nobis conceptum obiectiuum ſimpliciter ſimplicem, ſeu irreſolu-

Digitized by Google

reſolubilem in plures, vel in vnum ſimpliciorem: tribuit tamen nobis conceptum Dei vt *Entis infiniti*, tam ſimplicem, vt non ſit reſolubilis in plures, ſed in ſimpliciorem, *Entis ſimpliciter*. Præfert actualitatem ſimplicitati: ſed illam vt perfectam, huic vt imperfectæ & illi contrariæ. Tribuit Deo & creaturis conceptus communes vniuocè: ſed vt nos ſæpè ſupra, ex *Alenſi* & *S. Bon.* ipſoque *Scoto*, 1. *d* 8. *q*. 3. ſupra *col*. 153. *n*. 11. Componit omne Ens finitum, ex modico Entis, & infinita priuatione perfectionis poſſibilis, ſeu cuius Ens vt Ens eſt capax.

Ad 8. Imò ex *Alenſi* ſupra *q*. 5. *m*. 2. & *S. Bon. d*. 8. *art*. 3. *q*. 2. *ad* 1. Eſt ſimplicius eſſe vnum idemque ſingulare in pluribus, quàm non in pluribus. Quia illud eſt infinitæ perfectionis, &c.

Ad. 9. Imò eſt modus perfectionis ſimpliciter: quia repugnat compoſitioni, quæ eſt modus imperfectionis.

Ad 10. Imò modificat intenſiuè, vt infinitas: quia infinitè vnit, ſeu identificat. Modus enim intrinſecus Dei, non extendit eum extra ſe: ſed quaſi intendit eius perfectionem intra ſe. Sicque ſimplicitas quaſi intendit vnitatem omnium quæ ſunt in Deo, vſque ad vniſſimam, ſeu identitatem infinitam. Ex *S. Bern.* ſupra.

Ad 11. Non eſt perfectior modus habendi omnem perfectionem poſſibilem, quàm per omnium identitatem. Ex *SS. Aug.* & *Bern.* ſupra. Quod declaratur ab *Aug.* toto libro *De Quantitate Animæ*: ex perfectione puncti ſimpliciſſimi, ſeu indiuiſibilis in quantitate molis; & pupilla oculi, ac omnium quorum vis quo vnitior, eo eſt maior. Patet etiam ex æſtimatione, affectatione, & fictione vnitatis & integritatis, tam in rebus naturalibus & moralibus, quàm artefactis: & ex vilitate conſutorum, reſarcitorum, diſſolutorum. Hinc *S. Greg. Nazian. Orat. 2. De Theologia*. Compoſitio pugnæ initium eſt, pugna autem diſſidij, diſſidium ſolutionis: ſolutio porrò nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit.

Ad 12. Puritas actus, eſt ab omni mixtione priuationis & imperfectionis: ſimplicitas perfectiſſima, eſt ab omni compoſitione & componibilitate. Entitas finita, vt actualis, ſed mixta priuationi infinitæ perfectionis poſſibilis, eſt impura: vt potentialis ad infinitam perfectionem, eſt compoſita cum eius priuatione.

Ad 13. Eſſet minùs ſimplex, ſi non identificaret ſibi plura, etiam relatiuè oppoſita. Eo enim eſt maior identitas & ſimplicitas: quò plurium, etiam oppoſitorum.

QVÆSTIO V.

De perfectiſſima Incommutabilitate Dei.

DE qua *Alenſis p*. 1. *q*. 4. *p*. 2. *q*. 13. *S. Bon. in* 1. *d*. 8. *art*. 2. & in varijs Opuſculis. *Scotus in* 1 *diſt*. 8. *q*. 5. Inter quos nulla eſt diſſenſio: Sed eiuſdem veritatis ſub varia verborum forma expreſſio ac profeſſio. Poſſunt tamen eorum Quæſtiones diſtinctiùs extendi, ac reſolui: de hac perfectione, modo, vel ſola negatione imperfectionis; deque eius origine, & varijs modis immutabilitatis Dei, oppoſitis omni modo mutabilitatis creaturarum; ſubſtantialiter, & accidentaliter; abſolutè, & relatiuè; intrinſecè, & terminatiuè; realiter, & moraliter.

Reſponſio.

DEus ex ſua infinita perfectione, & ſimplicitate, eſt poſitiuè, contrariè, perfectiſſimè, & infinitè incommutabilis: modo intrinſeco toti perfectioni ac entitati Dei, ab alijs modis inadæquatè diſtincto .i. Eſt tam ſtabilis, vt ſit impoſſibile eum vllo modo ab eodem ſtatu mutari.

1. Ex ſacra Script. *Num*. 3. Non eſt Deus vt filius hominis, vt mutetur. *Malac*. 3. Ego Dominus, & non mutor. 1. *Reg*. 15. Deus non eſt homo, vt eum pœniteat. *Pſal*. 101 Mutabilis ea & mutabuntur: Tu autem idem ipſe es, &c. *Sap*. 7. Sapientia in ſe permanēs omnia innouat. 2. *Tim*. 2. Deus ſeipſum negare non poteſt. 1. *Tim*. 6. Qui ſolus habet immortalitatem .i. immutabilitatem. *Iac*. 1. Deus apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, &c. De omni modo immutabilitatis, & contra omnem modum mutabilitatis etiam moralis, in dictis, promiſſis, & volitis.

2. Ex ſacris Symbolis & Conc. quibus vel ſupponitur, vel ſub alijs titulis, vel ſub hoc ipſo Immutabilis, exprimitur. Vt in *Conc. Later. De Fide Catholica, cap. Firmiter*.

3. Ex SS Patribus. *S. Dion. cap*. 9. *Diu. Nom.* inter alia de *Eodem*, *Statu*, & *motu Dei*. Quid autem de Diuino *ſtatu*, ſiue *ſeſſione* dicemus? Quid, niſi quòd ipſe in ſeipſo Deus manet, in ſua immobili identitate ſtabiliter fixus atque fundatus, &c. nuſquam ex ſeipſo migrando, & mutatione omni ac motu omnino carendo, iſtaque ineffabili modo. Ipſe enim eſt omnium *Status*, ac *Seſſionis* Author: qui ſupra Seſſionem omnem ac Satum eſt; & in ipſo conſiſtunt omnia, atque à bonorum ſuorum ſtatu immota ſeruantur, &c. *Infra*. Sed & *motus immobilis* Dei, dignè & piè laudari conuenit, &c. *Supra*. Idem verò ſuperſubſtantialiter æternum eſt, inuertibile, in ſeipſo manens, ſemper ſecundùm eadem, & eodem ſe habens modo, omnibus eodem modo præſens, ipſumque ſecundùm ſeipſum in ſeipſo firmiter & intemeratè in pulcherrimis excellentis identitatis finibus collocatum, immutabile, caſui minimè obnoxium, forte & conſtans, inuariabile, impermixtum, immateriale, ſimpliciſſimum, nullius egens, quod augeri minuique non poſſit, &c. exprimentia ipſam immutabilitatem, vt ſtatum ſeu ſtabilitatem perfectiſſimam. *Origines* 1. *Periar. cap*. 2. Sapientia

Digitized by Google

Dei in omnibus inconuertibilis & incommutabilis eſt,& ſubſtantiale in eo omne bonum eſt: quod vtique mutari atque conuerti non poteſt. *S. Aug. Lib.* 13. *Conf. cap.* 16. Sicut omnino tu es Domine, tu ſolus ſcis, qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter, & Eſſentia tua ſcit & vult incommutabiliter, & voluntas tua eſt & ſcit incommutabiliter. *Lib.* 11. *Ciu. cap.* 21. *De æterna & incommutabili ſcientia ac voluntate Dei*, in *Gen.* 1. *Vidit Deus, &c.* Non ex hoc in illud cogitatione mutata: ſed omnino incommutabiliter videt, &c. *Lib.* 12. *cap.* 17. *De immutabili conſilio ac voluntate Dei.* Mentem Diuinam omnino immutabilem, cuiuſlibet Infinitatis capacem, & innumera omnia ſine cogitationis alternatione numerantem, de ſua mutabili anguſtaque metiuntur. Vt 2. *Cor.* 10. Quia illis quicquid noui venit in mentem, nouo conſilio faciunt, mutabiles quippe mentes gerunt: profectò non Deum quem cogitare non poſſunt; ſed ſemetipſos pro illo cogitantes, non illum ſed ſeipſos, nec illi ſed ſibi comparant. Nobis autem fas non eſt credere aliter affici Deum cùm vacat, aliter cùm operatur: quia nec affici dicendus eſt, tanquam in eius naturam fiat aliquid quod ante non fuerit. Patitur quippe qui afficitur, & mutabile eſt omne quod aliquid patitur, &c. Deus nouit quieſcens agere, & agens quieſcere. Poteſt ad opus nouum, non nouum, ſed ſempiternum adhibere conſilium, &c. Vna eademque ſempiterna & immutabili voluntate res quas condidit, & vt priùs non eſſent egit, & vt poſteriùs eſſent. *Tract.* 23. *in Ioan.* Tranſi omnem mutabilem ſpiritum, qui modò ſcit, modò neſcit; nunc vult, nunc non vult: ſiue patiatur iſtas mutabilitates, ſiue pati poſſit. Non inuenis in Deo aliquid mutabilitatis. *Epiſt.* 28. *ad S. Hier.* Anima non eſt pars Dei: alioquin omnino incommutabilis eſſet; nec deficeret, nec proficeret quoad affectiones pertinet, &c. Quod verò incommutabile ac incorruptibile eſt, nullius rei acceſſu mutari vel corrumpi poteſt, &c. Non eſt itaque natura incommutabilis, quæ aliquo modo, aliqua cauſa, aliqua parte mutabilis eſt: Deum autem nefas eſt, niſi verè ſummèque incommutabilem credere. *Lib. De natura boni*, *cap.* 19. Ego Sum Qui ſum, *Exod.* 3. Quia incommutabilis eſt. Omnis enim mutatio facit non eſſe quod erat. *Cap.* 24. Probat Deum eſſe incommutabilem ex *Pſal.* 101. *Sap.* 7. *Iac.* 1. *Lib.* 1. *Trin.* 1. & *Lib.* 3. *Contra Max. c.* 12. Deus dicitur ſolus habere immortalitatem, 1. *Tim.* 6. Quia eſt immutabilis ſolus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors eſt ipſa mutatio; quia facit aliquid in ea non eſſe quod erat. *Lib. contra Aduerſarium Legis & Prophetarum, cap.* 9. Vtrum aliqua ſubſtantia prorſus ad nihilum redigatur, diſputatio ſubtiliſſima eſt: ſed fides veraciſſima decantat Deo, *Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es.* Nec fecit igitur, nec regit mutabilia bona, niſi immutabile bonum, quod eſt Deus. Porrò bona mutabilia, propterea bona ſunt, quia à ſummo Bono: propterea mutabilia, quia non de illo, ſed de nihilo.] Et libris omnibus contra Manichæos, de impoſſibili conuerſione Naturæ Diuinæ in animas: vel harum ex illa productione. Præter ea quæ *Quæſt.* 2. 3. & 4. De Eſſentia, Infinitate, & Simplicitate Dei, vt origine Immutabilitatis. *Damaſc. lib.* 1. *Fidei. cap.* 8. Credimus in vnum Deum, &c. Immutabilem, inalterabilem. *Cap.* 18. Omnino igitur inuertibilis Deus, & inalterabilis. Nam ipſe omnia, quæ in noſtra poteſtate ſunt, præſcientia prædeterminauit: vnumquodque ſecundùm proprium tempus, & locum, &c. *S. Anſel. Monol. cap.* 27. Deus propter incommutabilem æternitatem ſuam nullo modo ſecundùm aliquem motum fuit aut erit, ſed ſimpliciter eſt: nec mutabiliter eſt aliquid; ſed quicquid eſt, ſemel, & ſimul, & interminabiliter eſt. &c. Omnia alia aliquando aut fuerunt, aut erunt quod non ſunt, &c. Quoniam ergo tam mutabiliter ſunt: non immeritò negantur ſimpliciter & perfectè & abſolutè eſſe; & aſſeruntur ferè non eſſe, & vix eſſe, &c. In *Proſologio, cap.* 22. Tu ſolus es Deus quod es, & qui es: nam quod aliud eſt in toto, & aliud in partibus, & in quo eſt aliquid mutabile, non omnino eſt quod eſt. Et quod incœpit à non eſſe, & poteſt cogitari non eſſe, & quod habet fuiſſe, & futurum eſſe quod non eſt, id non eſt propriè & abſolutè. Tu verò es quod es: quia quicquid aliquando, aut aliquo modo es, hoc totus & ſemper es, &c.

4. Ex doctrina concordi noſtrorum Authorum ſupra, & plerorumque Doctorum.

5. Ex rationabili probatione totius noſtræ Reſp. *Deus ex ſua infinita perfectione, & ſimplicitate*. i. Hæc infert obiectiuè incommutabilitatem: ex *B. Aug.* ſupra. Quia infinitas & ſimplicitas eſt neceſſariò *incommutabilis*. Quo titulo vtitur potiùs *Aug.* & Antiqui, quàm *Immutabilis*: fortè quia vt immutare ſignificat mutare, ſic & immutabile poteſt ſumi pro mutabili. Imò *S. Bon. in Compendio Theol. cap.* 19. diſtinguit inter *Incommutabile*, quaſi motu accidentali: & *Impermutabile*, quaſi motu ſubſtantiali. *Poſitiuè.* Quamuis enim ſonet negatiuè, vt plerique tituli Dei: ſubſignificat tamen aliquam perfectionem poſitiuam, de qua infra. *Contrariè*. i. Perfectione repugnante omni mutationi, vt infra. *Perfectiſſimè & infinitè*. i. Tanto perfectionis modo: qui non videtur diſtingui ab ipſa Infinitate. i. *Tam ſtabilis vt ſit impoſſibile eum vllo modo ab eodem ſtatu mutari.* Vt ſupra ex *S. Dion.* In quo exprimitur illa perfectio, ſeu modus perfectionis poſitiuus, infinitus, & repugnans omni modo mutationis. De quibus modis in 4. *à col.* 420. *ad* 445. *ex Scoto diſt.* 11. & 12. See nos hic excludimus omnem modum mutationis. *Subſtantialiter*. i. A non eſſe ſubſtantiali totali, partiali, vel modali, ad aliquod eſſe ſubſtantiale; vel ab hoc eſſe, ad eius non eſſe. *Accidentaliter*. i. Ab aliquo non eſſe accidentali ad hoc eſſe; vel ab hoc eſſe, ad eius priuationem. *Abſolutè & relatiuè*. i. Non ſolùm ab aliquo non eſſe, vel eſſe abſoluto, ſed etiam relatiuo. *Intrinſecè, & terminatiuè*. i. Non ſolùm nil noui recipiendo in ſe: ſed nec variando ſuos actus, & eorum obiecta extra ſe; imo nec terminando vllam actionem aut conuerſionem realem vllius rei in ſe, ſed ſolùm omnes actus vitales circa ſe,

&

Digitized by Google

& relationes ad ſe. Cùm enim Deus ſit obiectum infinitum omnis intellectus & voluntatis : non eſt vllius imperfectionis aut mutationis, terminare obiectiuè omnem actum intelligendi & volendi ſe. Cùmque ſit prima cauſa & vltimus finis omnium : ex ſua infinita perfectione, abſque vlla vmbra mutationis, terminat omnem neceſſariam dependentiam creaturæ à ſe, ad ſe,& propter ſe. Sed non poſſet ſine imperfectione, ſubiectione, & mutabilitate terminare vllam actionem, mutationem, ſeu conuerſionem vllius rei in ſe. Vt nos in 4. *col.* 421. ex *Scoto diſt.* 11. *q.* 2. *a* 1. Vbi negat Deum poſſe conuerti in creaturam : probatq; nec creaturam poſſe conuerti in Deum; *Quia nihil poteſt conuerti nec vt terminus à quo, nec vt terminus ad quem, niſi cuius eſſe & non eſſe totaliter ſubeſt virtuti conuertentis. Realiter & moraliter* .i. Non ſola mutatione reali, ſed nec morali. Quia & hæc eſt contra Infinitam perfectionem intellectus & voluntatis Dei, in præſciendo omnia immutabiliter ab æterno, & præuolendo quæ vult liberè, & tamen etiam immutabiliter ab æterno. Nam etſi liberè determinet ſuam voluntatem ad extra, ſine vlla relatione reali extra ſe : ſicque poſſet variare ſine vlla ſui mutatione reali, non tamen ſine imperfectione & mutatione morali in intellectu quaſi non præſciente omnia, & in voluntate quaſi non ſatis ab æterno deliberata, reſoluta & conſtante.

Difficultates.

1. EX ſacra Script. *Sap.* 7. Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia. *Gen.* 5. Dixit Deus, tactus dolore cordis intrinſecus : pœnitet me feciſſe hominem, &c. *Ioan.* 1. Verbum caro factum eſt, &c.

2. Ex ſacris Symbolis, & Conc. De Incarnatione Filij Dei per nouam vnionem realem & perſonalem inter Filium Dei, & Naturam eius humanam.

3. Ex SS. Patribus. *S. Dion. cap.* 9. *Diu. Nom.* De motu Dei recto, obliquo, æquali. *S. Aug. lib.* 1. *Trin.* 8. *Serm.* 2. *De diuerſis*, & alibi, non cenſet impoſſibilem conuerſionem naturæ humanæ Chriſti, nec Beatorũ omnium in Deum: ex illo 1. *Cor.* 15. Tunc erit Deus omnia in omnibus.

4. Ex *Scoto, in* 4. *diſt.* 11. *Et Quodl.* 10. Vbi docet conuerſionem fieri poſſe ſine vlla mutatione termini ad quem : ergo poteſt fieri in Deum.

5. Ratione, ex libertate Dei ab æterno in æternum circa omnia extra ſe, & ex contingenti dependentia omnium creaturarum à Deo, variaq; Dei relatione ad, & denominatione ab extra.

Reſp. Sap. 1. Spiritus Dei, inter alia, tandem dicitur *Subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia : attingit autem vbique propter ſuam munditiam* .i. puram ſimplicitatem. *Cap.* 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Ergo illa eius maxima mobilitas, eſt hæc eius attingentia ſimul à fine ad finem. Vt explicat *S. Aug. in Pſal.* 147. Vbi pro *Velociter currit ſermo eius:* legit, *Vſque ad velocitatem currit verbum eius.* Velocitas ipſa quid eſt? Vbique eſt, non in parte. Hoc pertinet ad verbum Dei, vbique eſſe per ſeipſum, &c. *Sap.* 8. *Attingit à fine vſque ad finem, &c.* Quanta velocitas? Quid ergo? Non habet motum Verbum illud, & Sapientia illa ſtolida eſt? *Sap.* 7. *Subtilis, mobilis, &c.* Hoc facit velocitas, vt vbique ſemper ſit, &c.] .i. Spiritus Sapientiæ eſt vitaliſſimus, ſemper, & vbique operans in ſeipſo vitaliter, & extra ſe cauſaliter. *Gen.* 5. Eſt metaphora, ſeu tranſlatio affectus humani ad Deum. Ex *B. Aug. Quæſt.* 52. *ex* 83. Quoniam mutare cœptum, & ad aliud transferre non facilè ſolemus, niſi pœnitendo : accomodatiſſimè ad humanam intelligentiam, ea quæ incipiunt eſſe, nec perſeuerant quantum ſperata ſunt, quaſi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata. *Lib.* 2. *Ad Simpl. q.* 2. Quicquid de Deo humanitùs dicitur, humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruẽter de Deo dici exiſtimat, tranſcendenda eſſe ſaniore intellectu, &c. Quis eſt enim cui non occurrat in Deo cuncta præſciente pœnitentiam eſſe non poſſe? *Infra.* Vt ſcit & præſcit ineffabili modo : ſic & eum pœnitet ineffabili modo. *Infra.* Cùm pœnitere dicitur, vult non eſſe aliquid ſicut fecerat, &c. ſed perpetuo & tranquillo æquitatis iudicio, cuncta mutabilia incommutabili voluntate diſponit. Nam 1. *Reg.* 15. Deus non eſt vt homo, vt eum pœniteat. *Lib.* 17. *Ciu.* 7. Vbi legitur, quòd *pœniteat Deum* : mutatio rerum ſignificatur, immutabili præſcientia manente Diuina. *Ioan.* 1. *Verbum caro factum eſt* : nulla Verbi, ſed naturæ humanæ mutatione, vnione, & terminatione ad verbum. Vt in 3. *Sent. q.* 2.

Ad 2. Vt ad *Ioan.* 1. *Ad* 3. Ibidem, *S. Dion.* vocat *motum Dei immobilem* : vt ſupra, ad *Sap.* 7. Negatque Deum moueri propriè vllo motu : ſed per motum rectum metaphoricè ſignificari eundem modum ordinarium operandi ad extra; per obliquum, ſignificari propagationem & varietatem indiuiduorum; per circularem, reductionem omnium ad ſuum primum principium & vltimum finem. *S. Aug.* non cenſet vllam conuerſionem poſſibilem in Deum : ſed refert hanc quorundam opinionem, vt nimis à ratione alienam, quàm vt reprobari mereatur. Explicat autem illud 1. *Cor.* 15. *Lib.* 1. *Trin.* 8. De viſione & fruitione Dei. *Quæſt.* 69. *ex* 83. *Vt ſit Deus omnia in omnibus* .i. nemo eorum qui ei cohærent, amet aduerſus eum propriam voluntatem. *Lib.* 22. *Ciu.* 29. De viſione Dei in omnibus & per omnia. *Lib. contra Serm. Arrianorum, cap.* 37. *Tunc Deus erit omnia in omnibus* : cùm præter ipſum nihil omnino habere velle cœperimus. Omnia quippe ipſe nobis erit, quãdo ipſo ſufficiente nihil deerit.

Ad. 4. Etſi conuerſio totalis fieri poſſet ſine vlla mutatione termini ad quem : non tamen ſine eius mutabilitate, ſubiectione, & dependentia in eſſe.

Ad 5. & principale. *Reſp.* ex *B. Aug. Lib.* 2. *Ad Simpl. q.* 2. Quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo? Si enim in ſcientia res habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes: ſi autẽ ea præuenit ſciendo; bis ergo ea ſentit, ſecundùm præſcientiam, & ſecundùm præſentium ſcientiam. Aliquid ergo temporaliter

acce-

Digitized by Google

accedit ſcientiæ Dei : quod falſiſſimum eſt, &c. Placet ergo vt non dicamus præſcientiam Dei, ſed tantùm ſcientiam : quæramus & quo modo. Non enim ſcientiam ſolemus dicere in nobis,niſi cùm intellecta memoriâ retinemus, vt cùm volumus recolamus. Quod ſi ita in Deo eſt : admittit tempus, & ſubrepit mutabilitas, &c. Vt tamen & ſcit Deus, & præſcit ineffabili modo : ſic eum & pœnitet ineffabili modo. *Infra.* Cùm dempſero de humana ſcientia mutabilitatem, & tranſitus quoſdam à cogitatione in cogitationem: & reliquero ſolam viuacitatem certæ atque inconcuſſæ veritatis, vna atque æterna contemplatione cuncta colluſtrantis; imò non reliquero, non enim habet hoc humana ſcientia, ſed pro viribus cogitauero, inſinuatur mihi ſcientia Dei. Quod tamen nomen ex eo quòd ſciendo aliquid non latet, potuit eſſe vtrique commune. *Infra.* Sed melius dicitur aliam eſſe ſcientiam Dei, & non eiuſdem generis, cuius iſta eſt quæ hominum dicitur. Sicut quod Deus dicitur, longè aliud eſt quàm quod ſtetit in Sinagoga Deorum. Tamen ad non latere quoquo modo pertinet cõmunicatio ipſa vocabuli. *Lib.* 13. *Conf. cap.* 6. *Lib.* 11. *Ciu.* 21. ſupra. Ex quibus videtur *Scotus* hanc conciliationem libertatis cum immutabilitate diuina collegiſſe. In 1. *d* 8. *q.* 5. *n.* 23. Voluntate antiqua poteſt fieri nouus effectus, ſine mutatione voluntatis. Sicut ego volitione mea eadem continuata, qua volo aliquid fieri, faciam illud tunc pro quando volo illud facere : ita Deus in æternitate voluit aliquid aliud à ſe eſſe, pro aliquo tempore; & tunc illud facit pro quando voluit eſſe, &c, Vt breuiter ſupra *col.* 156. Et *diſt.* 39. per 5. Quæſt. ſimul, *q.* 1. *n.*21. *Ad* 1. *Arg. q.* 3. Voluntas Dei non eſt indifferens ad actus volendi & nolendi : ſed idem actus infinitus eſt ſufficiens ad volendum & nolendum quæuis obiecta volibilia & nolibilia, & ad quoſuis effectus. *Infra.* Libertas eſt voluntas Dei vt per ſe primò formaliter operatiua, non receptiua, nec productiua, ſuæ volitionis: ſed tantùm ſuorum volitorum ſaltem in eſſe volito, &c. Deus vult neceſſariò ſolam ſuam eſſentiam: reliqua omnia contingenter; ita vt ſit prior naturaliter ſuo actu, & actu volens ſit prior naturaliter ſua tendentia in alia obiecta. *N.* 29. Non poteſt eſſe tranſitus inter contradictoria ſine mutatione : nec inter oppoſita ſine ſucceſſione. Sed hic nullus eſt tranſitus,nec eſſe poteſt. *Ad* 1. *Arg. Quæſt.* 4. In Deo non eſt ſola neceſſitas immutabilitatis, ſic quòd immutabilitas ex ſe ſit neceſſitas : quia immutabilitas ex ſe non priuat niſi poſſibilem ſucceſſionem oppoſiti ad oppoſitum. Neceſſitas autem ſimpliciter, priuat abſolutè poſſibilitatem huius oppoſiti,&c. vt breuiter ſupra, *à col.* 186. *ad* 189. De quibus ex profeſſo ſub Quæſtione propria, De voluntate Dei. Sed hæc ſufficiunt pro eius immutabilitate : non ſolùm contra omnem mutationem intrinſecam & realem ; ſed etiam contra omnem eius vmbram,vel apparentiam ex libertate Dei volendi extra ſe, & contingentiâ volitorum ab æterno, & effectuum in tempore. Cùm enim actus intelligendi & volendi in Deo, ſit infinitus & adæquatus ſuo obiecto neceſſario : nil recipit ab obiectis ſecundarijs; ſed ad illa infinita & in infinitum ſufficit abſque vlla ſui auctione, minutione, vel mutatione. Cùmque actus infinitus intelligendi ſit omnium intelligibilium : exigit ab æterno vt omnia ſint intelligibilia ; ergo vt voluntas velit aut nolit ab æterno immutabiliter omnia contingentia. Denique cùm actus volendi ſit etiam infinitus & æternus : eſt ſimul ab æterno omnium ſuorum obiectorum. Nec ideo minus eſt liber circa contingentia : ſed eo liberior, quo ab æterno in æternum exercet actu hanc ſuam libertatem. Quæ videntur hic ſufficere ad hanc grauiſſimam Difficultatem.

QVÆSTIO VI.

De Æternitate Dei.

DE qua *Alenſis Quæſt.* 12. diſtinctè & ordinatè per 10. Membra : ſed nec *S. Bon.* nec *Scotus*, niſi promiſcuè, ſub Immutabilitate Dei, & æqualitate Perſonarum in ipſa etiam æternitate. Hinc *S. Bon.* videtur ſupplere in ſuo Compendio Theolog. veritatis, *cap.*10.*De Æternitate Dei.* Secundùm rem, propriè dicitur Æternitas ſine principio, fine, & mutabilitate : & ſecundùm hoc conuenit ſolùm Diuinæ naturæ. Secundùm æthymologiam verò, dicitur quaſi extra terminos : quia termino caret, tam initiali, quàm finali. Sed ſecundùm definitionem *Boetij : Æternitas eſt interminabilis vitæ iucunda ſimul & perfecta poſſeſſio.* In quibuſdam eſt terminabilitas ſimpliciter : quia ex parte corrumpi poſſunt. Ad quorum differentiam ponitur, *Interminabilis*, per negationem: quia ſimplicia,& præcipuè diuina,nullo modo meliùs manifeſtantur, &c. In quibuſdam eſt interminabilitas eſſentiæ, ſed non vitæ: vt in corporibus cœleſtibus. Ad quorum differentiam additur, *vitæ, &c.* In quibuſdam eſt interminabilitas vitæ : ſed cum miſeria & infœlicitate ; vt in Dæmonibus & Damnatis. Ad quorum differentiam additur ; *iucunda poſſeſſio, &c.* In quibuſdam eſt interminabilis vitæ poſſeſſio : ſed non tota ; vt in Beatis ante iudicium. Ad quorum differentiam dicitur,*tota,&c.* In quibuſdam eſt interminabilis vitæ poſſeſſio tota : vt in Angelis ante iudicium ; ſed non *ſimul*,cùm aliqua ſit in eis ſucceſſio reuelationum & gaudiorum. Ad quorum differentiam ponitur ,*ſimul.* In quibuſdam eſt tota ſimul, ſed non perfecta, ſeu nullo indigens, vt in omnibus alijs Beatis. Ad quorum differentiam additur, *perfecta* .i. nullo indigens ad ſuum beatum eſſe. Videtur etiam *Scotus* ſupplere *Quodlibeto* 6. ſub Quæſtione de æqualitate

Digitized by Google

tate Dei breuiter relato, *col.* 196. ſed hîc paulò latiùs reſumendo ab *Art.* 3. *n.* 13. Reſtat nunc videre de Æternitate. Patet quòd ipſa eſt alicuius, quod eſt Dei ex natura rei: quia ipſa eſt Exiſtentiæ, vt Exiſtentia, &c. Sed oportet quærere an ex natura rei cōueniat ſibi Æternitas, vt Æternitas. Videtur quòd ſic: quia vt infinitas intenſiua dicit modum intrinſecum Eſſentiæ vt Eſſentiæ; ita Æternitas vt Æternitas, dicit modum intrinſecum Exiſtentiæ vt Exiſtentiæ, &c. Pro hoc eſt *Dion. cap.* 5. *Diuin. Nom.*: *Deus non quodammodo eſt exiſtens, ſed ſimpliciter, &c. Propter quod dicitur Rex ſæculorum, &c.*

Contra. Ex Boëtio 5. *De Conſol.* Proſa 6. *Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Sic & *Anſel. Monol.* 27. Vita accipitur pro exiſtentia actuali perfecta. Vt *Ioan.* 5. *Sicut Pater habet vitā in ſemetipſo: ſic dedit & Filio, &c.* Hoc quaſi fundamentum æternitatis, certum eſt eſſe in Deo ex natura rei, vt exiſtentia perfecta: ſed alia tria, 1. *Interminabilis*, quod excludit deſitionem, 2. *Tota ſimul*, quod excludit ſucceſſionem, 3. *Perfecta poſſeſſio*, quod excludit dependentiam & participationem: non videntur dicere vltra vitam, niſi negationem terminationis, ſucceſſionis, & dependentiæ; & relationem poſitiuam coëxiſtentiæ aptitudinalis ſimul cuicumque durationi, &c. Sic ergo hæc eſt propriiſſima deſcriptio Æternitatis, &c. Hæc concluſio ſi concedatur, poteſt negari quòd Æternitas ſit proprius modus Exiſtentiæ Diuinæ: quia ſi per impoſſibile Eſſentia Diuina raptim tranſiret, adhuc haberet tam Eſſentia quàm Exiſtentia modum intrinſecum, infinitatem intenſiuam; ſed non haberet Exiſtentia æternitatem, ſeu infinitatem durationem, quæ vltra intenſiuam, non addit niſi illas negationes, & relationem rationis. Vt, ſi Angelus annihilaretur cras: non haberet alium modum intrinſecum, quàm ſi maneat in æternum. Sed non eſt poſſibile vltra infinitatem intenſiuam Eſſentiæ vel Exiſtentiæ, intelligere ibi aliquā quantitatem ex natura rei, quæ ſit durationis perpetuæ: ſed quicquid intelligitur ſuperadditum, addit relationem rationis, vel negationem. Verum eſt igitur, quòd Exiſtentia habet modum ſibi intrinſecum, ſicut Eſſentia: ſed illud non eſt niſi Infinitas intenſiua; Æternitas autem vt Æternitas, ſeu interminabilis duratio, non eſt Infinitas. *Ad Dion.* Concedo quòd ex natura rei Deus eſt Exiſtentia infinita intenſiuè, &c. Sed quod addunt quòd ipſe eſt Æternus, vel Æternitas: verum eſt quidem, quia eius Exiſtentia habet repugnantiam ad deſinere eſſe, cuius fundamentum ſeu Exiſtentia eſt ibi ex natura rei; ſed formalis ratio huius repugnantiæ, ſiue ſit negatio deſitionis, ſiue neceſſitas coëxiſtendi cuicumque compoſſibili, ſolùm addit negationem imperfectionis, vel reſpectum ad extra, &c. Quantùm ergo ad iſtum Art. habetur cuius ſit æternitas, ſcilicet Exiſtentiæ. De Æternitate, an inſit ex natura rei: teneatur altera via duarum dictarum, quæ videtur inquirenti probabilior.]

Ex quibus omnibus inter ſe collatis, colligi poteſt integra doctrina de Æternitate Dei: ſed non ſatis expreſſè reſolui. 1. An ſit in Deo poſitiua & abſoluta, vel ſolùm negatiua & relatiua. 2. An ſit perfectio, vel modus intrinſecus ſolius Exiſtentiæ, Eſſentiæ, Vitæ, vel etiam cuiuſuis Perfectionis Diuinæ. 3. An, & quàm ſit diſtinctus modus ab Infinitate, Simplicitate, & Immutabilitate. 4. In quo conſiſtat fundamentaliter, & formaliter, vel modaliter.

Reſponſio.

SOlus Deus eſt verè & propriè Æternus: non ſolùm negatiuè aut relatiuè; ſed poſitiuè, abſolutè, perfectiſſimè, & infinitè; modo intrinſeco inadæquatè diſtincto ab Infinitate, Simplicitate, & Immutabilitate Dei; non proprio ſoli Eſſentiæ, nec ſoli Exiſtentiæ aut vitæ eſſentiali, ſed cuiuis Perfectioni Diuinæ, vt per ſe exiſtenti, & vitali. Cuius fundamentum proximum eſt hæc ipſa Exiſtentia actualis, & vitalis: Formalitas autem vel modalitas eius, eſt infinita ſtabilitas & ſimultas totius Exiſtentiæ ac Perfectionis Dei vitalis. Quæ ſtabilitas & ſimultas continetur ſub Immutabilitate, & Simplicitate, omneſq; ſub Infinitate.

1. Ex ſacra Script. *Exod.* 15. Dominus regnabit in æternum, & vltra .i. vltra quam concipi poſſit. *Iſa.* 7. Deus habitans æternitatem. *Pſal.* 76. Annos æternos in mente habui. *Pſal.* 89. A Sæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus. *Pſal.* 101. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. *Pſal.* 102. Miſericordia Domini ab æterno, & vſque in æternum. *Prou.* 1. Ab æterno ordinata ſum, &c. De Sapientia Dei. *Sap.* 1. Iuſtitia perpetua eſt & immortalis. 1. *Tim.* 1. Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo, &c. 2. *Tim.* 6. Qui ſolus habet immortalitatem, &c. ſupra, de Eſſentia, Infinitate, Simplicitate, & Immutabilitate Dei. Sed quæ hîc de Immortalitate ſolius Dei, videntur propria Æternitati, vt modo proprio & intrinſeco vitæ Diuinæ.

2. Ex ſacris Symbolis & Conc. quæ ſupponunt, aut etiam diſtinctè exprimunt profeſſionem Æternitatis ſoli Deo propriæ. Vt, *Credo vitam æternam. Symb. S. Athan. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus S. non tamen tres æterni, ſed vnus æternus.* Ergo eſt æquè perfectio, aut modus Perfectionis Diuinæ, ac omnia alia ibidem expreſſa.

3. Ex SS. Patribus. *S. Dion. cap.* 5. *Diu. Nom.* Deus dicitur Rex ſæculorum: vt in quo & circa quem totum eſſe verſetur; neque erat, neque erit, neque fuit, neque fit, neque fiet, &c. Ipſe verò eſt Sæculum ſæculorum, qui ante ſæcula eſt, &c. Et omne quidem ſæculum ac tempus ex eo eſt, &c. *Cap.* 6. *De Vita.* Nunc celebranda eſt laudibus vita æterna: ex qua vita omnis eſt, &c. Et ipſa immortalium Angelorum vita, ex ipſa & per ipſam eſt. Quocirca viuentes ſemper, immortaleſque dicuntur, & non immortales: quia non ex ſe habent vt immortales ſint, ſed ex viuifica cauſa, &c. Ex ipſa & animæ immortalitatem habent, &c. Largitur primùm ipſi per ſe vitæ, vt ſit vita, &c. Supercœleſtibus quidem vitis, ſpiritualem, immutabilemque immortalitatem, &c. Nos

Digitized by Google

totos ad perfectam & immutabilem immortalitatem transferre pollicetur, &c. *Cap.* 10. Antiquus dierum Deus prædicatur, *Dan.* 7. quòd ſit ipſe omnium & ſæculum & tempus, & ante dies, & ante ſæculum, ac tempus. Quamuis & tempus, & diem, & momentum, & ſæculum eum appellare poſſimus: vt qui per omnem motum incommutabilis atque immobilis ſit; quique cùm ſemper moueatur, in ſeipſo manet, vt ſæculi, & temporis, ac dierum Author. Sæpè antiquiſſima ſæculi appellatione ſignantur: & tota temporis ſeries ſæculum appellatur. Verùm ſæculi proprietas, eſt Antiquum & Immutabile, & totum impartibiliter, totumque eſſe metiens, &c. Non itaque ſimpliciter Deo qui ante ſæcula eſt, coæterna putanda ſunt, quæ ſæcularia ſeu æterna dicuntur: ſed ſacris Eloquijs inhærendo, ſæcularia ac temporalia iuxta proprios modos intelligenda.

S. *Aug. Quæſt.* 19. *Ex* 83. Quod incommutabile eſt, æternum eſt, &c. Licet omne æternum ſit immortale: non tamen omne immortale ſatis ſubtiliter æternum dicitur; quia etſi ſemper aliquid viuat, tamen ſi mutabilitatem patiatur, non propriè æternum appellatur. *Lib.* 11. *Conf. cap.* 1. Domine cuius eſt æternitas, &c. *Cap.* 10. Si vllus motus in Deo nouus extitit, & voluntas noua: quomodo iam vera æternitas? *Cap.* 11. Conantur æterna ſapere: ſed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus cor eorum volitat, & adhuc vanum eſt, &c. Quis tenebit cor hominis, vt ſtet & videat quomodo ſtans dictet futura & præterita tempora, nec futura, nec præterita æternitas? *Cap.* 13. Non erat *tunc*, vbi non erat tempus, nec tu Deus tempore tempora præcedis: ſed præcedis omnia tempora, celſitudine ſemper præſentis æternitatis, &c. In *Pſal.* 45. Æternitas in ſe ſine fine eſt. In *Pſal.* 61. Quicquid vis dicis de æternitate, &c. In *Pſal.* 76. Qui ſunt anni æterni? Magna cogitatio, &c. Nunquid anni in quibus ſumus, æterni ſunt? Abſit. Quid enim de his annis manet? Dicimus hoc anno, &c. Dic hodie, hac hora, hoc momento. Si duas ſyllabas dicam: altera non ſonat, niſi altera tranſierit. Si vna ſyllaba duas litteras habeat: non ſonat poſterior, niſi prior abierit, &c. Vt in *Pſal.* 39. ſupra. In *Pſal.* 101. Non aliud anni Dei, & aliud ipſe Deus: ſed anni Dei, æternitas Dei eſt. Æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile: ibi nihil eſt præteritum quaſi iam non ſit; nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit; ſed non eſt ibi, niſi eſt. In *Pſal.* 91. Quid eſt longa vita hominis, ad æternitatem? Iunge cor tuum æternitati Dei, & cum illo æternus eris. In *Pſal.* 109. Ante Luciferum genui te .i. Ante ſydera, ante tempora, ab æternitate. Noli quærere quando: æternitas non habet quãdo.] Sicque nec ante, nec priùs, nec poſt. *Lib. De natura boni, cap.* 39. Illa eſt vera æternitas, quæ eſt vera immortalitas: hæc eſt illa ſumma incommutabilitas, quam ſolus Deus habet, &c. Cuius ſolius immortalitas ipſa eſt vera æternitas. *Lib.* 4. *Trin.* 18. Vera immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas, ipſa eſt æternitas. *Lib.* 15. *cap.* 5. Solus Deus habet immortalitatem, 1. *Tim.* 6. Nam immortalitas eius, verè immortalitas eſt: in cuius natura nulla eſt commutatio. Ipſa eſt etiam vera æternitas, qua Deus eſt immutabilis, & conſequenter incorruptibilis. Vna ergo eademque res dicitur, ſiue dicatur æternus Deus, ſiue immortalis, ſiue incorruptibilis, ſiue immutabilis. *Tract.* 2. *in Ioan.* Chriſtus, *Ioan.* 6. optimè dixit, *Ante Abraham ego ſum*: non autem, *Ego fui.* Non enim nouit niſi eſſe: fuiſſe, & futurum eſſe non nouit. Dies eſt ibi vnus, ſed ſempiternus. Quod vis illum dic: ſi vis, dies eſt, ſi vis, annus eſt, ſi vis, anni ſunt. *Lib.* 7. *Conf. cap.* 10. Qui nouit veritatem, nouit æternitatem. O æterna Veritas, vera Charitas, & chara Æternitas? *Lib.* 10. *cap.* 27. Serò te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, &c.

Boëtius lib. 5. *De Conſol. Proſa* 6. Deum æternum eſſe, commune iudicium eſt. Quid ſit igitur æternitas conſideremus. *Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Quod ex collatione temporalium clarius liquet, &c. Quod temporis patitur conditionem: licet (vt de mundo cenſuit *Ariſt.*) nec cœperit vnquam eſſe, nec deſinat, vitaque eius cum temporis infinitate tendatur; nondum tamen tale eſt, vt æternum eſſe iure credatur, &c. Aliud eſt enim per interminabilem duci vitam, quod mundo *Plato* tribuit: aliud interminabilis vitæ totam pariter complexã eſſe præſentiam, quod diuinæ mentis eſſe proprium manifeſtum eſt. Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet, temporis quantitate: ſed ſimplicis potiùs proprietate naturæ. Hũc enim vitæ immobilis ſtatum, infinitus ille temporalium motus imitatur. Cùm enim eum æquare non poſſit: ex immobilitate deficit in motum, &c. Cumque totam vitæ ſuæ plenitudinẽ nequeat poſſidere, &c. aliquatenus videtur æmulari: alligãs ſe ad qualemcumque præſentiam huius exigui voluciſque momenti, &c. vt continuet vitam eundo, cuius plenitudinem complecti non valet permanendo, &c. Eſt autem Deo ſemper æternus, ac præſentarius ſtatus. Scientia quoque eius omnem temporis ſupergreſſa immotionem, in ſuæ manet ſimplicitate præſentiæ: infinitaque præteriti ac futuri ſpatia complectens, omnia quaſi iam gerantur in ſua ſimplici cognitione conſiderat, &c. Vnde non præuidentia, ſed prouidentia potiùs dicitur: quod porrò quaſi ab excelſo rerum cacumine cuncta proſpiciat.

Damaſc. Lib. 1. *Fidei, cap.* 8. Credimus in vnum Deum, viuum, immortalem, æternum, &c. *Cap.* 18. Deus eſt æterna ſubſtantia, & immutabilis. *Cap.* 20. Increatum, immortale, infinitum, æternum, &c. Omnia hæc Deus naturâ habet, non aliunde. *Lib.* 2. *cap.* 1. Ipſe ſæcula fecit, qui eſt ante ſæcula: Ad quem *Pſal.* 68. A ſæculo & vſque in ſæculum tu es. *Heb.* 1. Per quem fecit & ſæcula, &c.

Anſel. Monol. cap. 17. Summa natura, nec per ſe, nec ex ſe, nec per aliud, nec ex alio, nec per nihil, nec ex nihilo habet principium, neque finem. Si enim finem habitura eſt: non eſt ſummè immortalis, & ſummè incorruptibilis. Si finem habitura eſt: aut volens, aut nolens deficiet. Sed non eſt ſimplex bonum, cuius voluntate perit ſum-

ſummum bonum,&c. Si verò nolens peritura eſt: non eſt ſummè potens, nec Omnipotens, &c. Si finem habebit, non eſt vera æternitas, &c. Impoſſibile eſt vel cogitare, quòd veritas vel principium, vel finem habeat, &c.

Proſologij cap. 18. Quid eſt Domine, Veritas, Bonitas, Æternitas? &c. Nec tu habes partes, nec tua Æternitas quæ tu es, eſt pars tua, aut Æternitatis tua tota eſt ſemper. *Cap.* 20. Tu es ante, & vltra omnia, &c. An quia illa ſine te nullatenus eſſe poſſunt? An etiam quia illa cogitari poſſunt habere finem,tu verò nequaquam? An hoc quoque modo tranſis omnia etiam æterna: quia tua & illorum æternitas tota tibi præſens eſt; cùm illa non habeant de ſua æternitate futurum, nec præteritum? Sic quippe ſemper es vltra illa: cùm ſemper ſis præſens, ſeu cùm illud ſemper ſit tibi præſens, ad quod illa nondum peruenerunt. *Cap.* 21. An ergo hoc eſt ſæculum ſæculi, ſiue ſæcula ſæculorum? Vt enim ſæculum temporum continet omnia temporalia: ſic tua æternitas ipſa ſæcula temporum. Quod quidem ſæculum eſt, propter indiuiſibilem vnitatem: ſæcula verò propter interminabilem immenſitatem.

4. Ex facili concordia noſtrorum Authorum inter ſe, & cum Patribus in hanc noſtram Reſp.

5. Ex ſenſu rationabili totius noſtræ *Reſp. Solus Deus eſt verè & propriè æternus.* Eſt de Fide. *Non ſolùm negatiuè, aut relatiuè: ſed poſitiuè abſolutè, perfectiſſimè, & infinitè.* Quia æternitas Dei refertur à ſacra Script. & SS. Patribus inter titulos poſitiuos, & abſolutos Dei: nimiſque ab ea laudatur Deus,quàm à ſola negatione aut relatione rationis. *Modo intrinſeco*, durationis: quæ nec differt realiter, nec formaliter, ſeu conceptu integro & adæquato ab ipſa re durante; ſed eam neceſſariò afficit quaſi extenſiuè, æternitas tamen potiùs intenſiuè. *Inadæquatè diſtincto, &c.* Vt ſupra de *Immutabilitate.* Quia cùm Æternitas Dei ſit eius duratio intrinſeca, poſitiua, & abſoluta: non poteſt eſſe extenſiua, nec extenſa in ſe, nec extra ſe,vt poteſt eſſe duratio creaturæ; ſed nonniſi quaſi intenſiuè infinita. Non vt ipſa Infinitas ſimpliciter, nec vt Simplicitas eſt infinita vnitas, nec vt Immutabilitas eſt infinita ſtabilitas in toto ſtatu eſſendi quicquid eſt: ſed vt infinita ſtabilitas & ſimultas ſolius & totius Exiſtentiæ ac Perfectionis Dei vitalis, vt eſt vitalis. *Non proprio ſoli Eſſentiæ, nec Exiſtentiæ, &c.* Quia ſacra Script. & SS. Patres ſupra tribuunt æternitatem ſingulis perfectionibus diuinis diſtinctè: ſingulæque formaliter ſunt per ſe exiſtentes & vitales. Vnde patet reliquum Reſponſionis.

Difficultates.

1. EX ſacra Script. *Apoc.* 1. 11. 14. Qui eſt, Qui erat, & Qui venturus eſt. *Heb.* 13. Chriſtus heri, & hodie, & in ſæcula. *Sap.* 11. Deus fecit omnia in numero, pondere, & menſura. Ergo eius æternitas eſt menſura relatiua ad omnem duratione participatam, & participabilẽ.

2. Ex SS. Patribus, *S. Dion,* ſupra negat Deo omne Erat, Erit, Fuit: contra *Apoc.* ſupra, & *Exod.* 3. Hebraicè *Ero Qui Ero.* Idem tribuit Deo eſſe *ipſum ſæculum omnium ſæculorum:* Ergo æternitas Dei videtur relatiua. Imò vult Deum poſſe dici *tempus.* Denique non vocat durationem Dei æternitatem: ſed *ſæculum, totum eſſe metiens*; ergo ſub ratione relatiua menſuræ. *S. Aug. Lib.* 4. *in Gen. cap.* 4. 5. 6. Tribuit Deo menſuram rerum omnium: ergo relatiuè. *Quæſt.* 19. *ex* 83. Diſtinguit æternitatem ab immortalitate. *In Pſal.* 101. *Lib.* 4. *Trin.* 18. confundit Æternitatem cum Subſtantia, & Immutabilitate Dei. *Tract.* 2. *in* 1. *Ioan.* Quod vis illum dic, &c. *Lib.* 7. *Conf. c.* 10. Tribuit eam formaliter, vel quaſi cauſaliter Veritati.

3. *Alenſis P.* 1. *q.* 12. *Memb.* 8. 9. 10. Comparat Æternitatem ad æuum & tempus, vt menſuram ab his participatam. Cur nec *S. Bon.* nec *Scotus* egit diſtinctè de Æternitate Dei: ſi cenſebant eſſe propriam eius perfectionem, aut modum intrinſecum? *S. Bon in* 2. *d.* 2. ſupponit Æternitatem eſſe menſuram durationis. *In Compendio ſupra*, refert & exponit aliter definitionem Æternitatis ex *Boëtio*, quàm ipſe *Boëtius* ſupra. *Scotus Quodl.* 6. tribuit Æternitatem ſoli Exiſtentiæ Dei: cenſetq; eſſe potiùs negationem & relationem, quàm vllam perfectionem aut modum eius poſitiuum.

4. Cùm Æternitas ſit propria & adæquata duratio Dei: non poteſt quin ſit ei commenſurata, vt eius menſura menſurans,vel menſurabilis. Nec videtur poſſe aliquid durare intenſiuè: ſed extenſiuè, ſeu comparatiuè ad omnem aliam durationem poſſibilem.

Reſp. Ad 1. Poteſt intelligi de Chriſto, quòd ſemper ſit *Hodie*, ſecundùm Diuinitatem: *Fuit* autem, *Eſt*, & *Erit* ſecundùm humanitatem. Vel,vt *B. Aug. Tract.* 99. *in illud Ioan.* 16. De Spiritu S. *Quæcumque audiet loquetur, &c.* Quamuis illa natura immutabilis, non recipiat *Fuit*, & *Erit*, ſed tantùm *Eſt*, &c. Tamen non mendaciter dicimus, & *Fuit*, & *Erit*, & *Eſt*: Fuit, quia nunquam defuit; Erit, quia nunquam deerit; Eſt,quia ſemper eſt. *Sap.* 11. Deus omnia diſpoſuit in menſura .i. finita & menſurata in ſe: non autem ab aliqua menſura in ipſo Deo, vt infra ex *B. Aug.*

Ad 2. Negat de Deo, *Fuit, Erat, Erit*, ſucceſſiuè: non autem vt *Apoc.* ſupra; nec vt *Ioan.* 1. Erat Verbum; nec vt *Exod.* 3. *Ero Qui Ero*, non ſucceſſiuè, ſed infinitè. Vocat Deum *ſæculum ſæculorum*, & quaſi *tempus temporum:* non formaliter, ſed cauſaliter; vel non ſub primo ac proprio conceptu æternitatis; ſed impropriè, ac relatiuè ad extra. Tribuit ei proprietatem metiendi: vel cauſaliter quoad totum eſſe creabile; vel identicè, quoad totum eſſe Diuinum; vel formaliter, aut modaliter coæquando quamlibet Perfectionem Diuinam, vt infinitam ſecundùm ſuam propriam formalitatem, Eſſentiæ Diuinæ vt infinitæ ſimpliciter. Quæ relatio æqualitatis non eſt ipſa Æternitas: ſed poteſt in ea fundari; vt in quauis perfectione Dei infinita. *S. Aug.* ibidem. Menſura ſine menſura eſt: cui æquatur quod de illa eſt; nec aliunde ipſa eſt .i. Eſt Pater reſpectu Filij, vt ſibi æqualis. *Cap.* 5. Refert Deum omnia

Digitized by Google

nia diſpoſuiſſe *in menſuris* .i. vt ſingula habeant ſuam propriam menſuram, ſeu finitam perfectionem. Nec diſtinguit Æternitatem ab ipſa Immortalitate Dei,ſed Angelorum. Nec confundit, ſed realiter identificat Æternitatem cum Subſtantia; formaliter autem ſed inadæquatè, cum Immutabilitate : vel etiam adæquatè, cum immutabilitate vitali. Vult quodlibet tempus dici poſſe de Æternitate : vt ſupra ad 1. Quia excedit omnia quæ dici poſſunt. Tribuit Æternitatem veritati : vel fundamentaliter, vt exiſtenti & vitali; vel vt rationi eam cognoſcendi.

Ad 3. *Alenſis* priùs definit Æternitatem abſolutè, quàm comparet relatiuè : nec participatio Æternitatis ſupponit hanc eſſe menſuram omnis durationis participatæ aut participabilis, potiùs quàm participatio aliarum perfectionum Dei. Imò excipit potiùs Deum ab omni menſura formali creaturarum : quia excedit omnem earum proportionem neceſſariam ad rationem formalem menſuræ. Nec quod eſt primum in quouis genere, eſt menſura formalis,ſed cauſalis reliquorum : niſi ſint ſub eodem genere finito. *S. Bon.* & *Scotus* non inuenerunt fortè in *Magiſtro Sent.* diſtinctum titulum Æternitatis, de quo commentarentur; ſed alibi ſuppleuerunt, vt ſupra.

S. Bon. Supponit Æternitatem eſſe menſuram .i. modum infinitum durationis Diuinæ. *In Compendio* exprimit *Iucunditatem* æternæ poſſeſſionis : ad magnam differentiam inter Æternitatē beatā, & miſeram. Vt & *Al. q.* 12. *m.* 3. *Ad* 5. *Poſſeſſio* .i. fruitio. *Scotus* tribuit Æternitatem Exiſtentiæ Dei, vt vitali. Nec cenſet *potiùs, &c.* Sed relinquit optioni & iudicio Lectorum. Nec præfert opinionem pro qua pluribus agit : ſed potiùs aliam vt certiorem, minuſque probatione egentem. Vnde non eſt cur noſter *R. P. Smiſinck. Tomo* 1. *Tract.* 2. *Diſp.* 4. tribuat *Scoto* potiùs Æternitatem negatiuam & relatiuam, quàm poſitiuam & abſolutam.

Ad 4. Æternitas eſt adæquata duratio Dei .i. infinita : nec aliter menſura, quàm ipſa infinitas, excludens potiùs à Deo omnem propriè dictam menſuram. Poteſt autem concipi vita Dei, vt durans infinitè intenſiuè, per ſimultatem indiuiſibilem totius vitæ actualis & incompoſſibilis. Ex qua ſimultate & infinitate eſt pluſquam ſufficientiſſima ad coëxiſtendum ſimul omnibus poſſibilibus ſucceſſiuè. De æuo autem & tempore, *in* 2. *col.* 238. 239. 240. 241.

QVÆSTIO VII.

De Immenſitate, & Vbiquitate Dei.

DE qua *Alenſis, p.* 1. *q.* 8. 9. 10. 11. *S. Bon. In* 1. *Diſt.* 37. Et in *Compendio Theol. ver. cap.* 17. vbi refert hos duos Verſus :

Dic vbi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet ?
Tunc, vbi nunc, in ſe; quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Subdit diſtinctionem inter eſſe alicubi circumſcriptiuè, diffinitiuè, & vtroque, aut neutro modo, &c. vt in 4. De Sacramento Corporis Chriſti. *Scotus in* 1. *d.*19. De æquali magnitudine, & circumınceſſione Perſonarum Diuinarum. *Diſt.* 37 *q.* 1. & in *Reportatis q.* 1. 2. *Ad* 1. Probat ex Omnipotentia Dei non ſequi immenſitatem. 1. Quia poteſt agere in diſtans. 2. Quia agit volendo. 3. Ante creationem mundi Deus non plus erat vbi nunc eſt mundus, quàm vbi non eſt. 4. Nunc eſt præſens mundo, non ante : non mutatione ſui, ſed mundi, &c. Quòd ſit vbique per Eſſentiam, eſt tantùm mihi creditum. Si quæ ratio valeret, eſſet illa Magiſtri : quia Deus aut nuſquam eſt, aut vbique, aut alicubi, aut non *Ad* 2. Deus eſt vbique. 1. Per *Potentiam*, vt cauſans & conſeruans omnia. 2. Per *Præſentiam*, vt cognoſcens omnia. 3. Per *Eſſentiam* .i. per illapſum intimum. 4. In ſanctis per gratiam, vt obiectum in potentia. In 4. *d.* 10. *q.* 2. *n.* 14. Concedo quòd ex parte Dei actiui, & corporis vt ſuſceptiui, æqualis eſt poſſibilitas ad omnia vbi, ſeu ad eſſe vbique, &c. Quia ipſi concedunt Corpus Chriſti poſſe eſſe vbique ſacramentaliter. Poſſet enim Deus quodcumq; corpus vniuerſi conuertere in corpus Chriſti, ſicut panem, &c. Et ego dico quòd non eſt maior limitatio ad eſſe localiter, quàm ſacramentaliter, &c. Cùm dicitur quòd eſſe vbique eſt proprium Dei : dico quòd Deus ex ſua immenſitate neceſſariò eſt vbique, quia nullum poteſt eſſe vbi, in quo non ſit ſecundùm potentiam, præſentiam, & eſſentiam. Et ſic impoſſibile eſt aliud à Deo eſſe vbique : ſed non eſt inconueniens aliud à Deo per eius potentiam eſſe in quocumque vbi; ſed nec per hoc debet dici eſſe propriè vbique ſicut Deus, quia non eſt immenſum.]

Ex quibus omnibus inter ſe collatis, ſuperſunt eadem 4. dubia de Immenſitate, & Vbiquitate Dei, quæ ſupra *q.* 6. De æternitate. Quibus adde 5. *An Deus ſua Immenſitate & Vbiquitate ſit etiam extra hoc vniuerſum per omnia ſpatia imaginaria.*

Reſponſio.

DEus eſt verè, & propriè immenſus, & vbique: poſitiuè, abſolutè, & infinitè; modo intrinſeco, à prioribus inadæquatè diſtincto, cuius Perfectioni Diuinæ proprio. Quo Deus eſt ſibiipſi præſentiſſimus & intimiſſimus ac conſequenter ſufficientiſſimus ad terminandam omnium poſſibilium neceſſariam præſentiam ad ſe; abſque vlla tamen ſui extenſione extra ſe, multo minùs per ſpatia imaginaria.

1. Ex ſacra Script. *Pſal.* 144. Magnitudinis eius non eſt finis. *Barùch* 3. Magnus Dominus, & non habet finem. Sed propriè de Immenſitate præſentiæ. *Sap.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam

Digitized by Google

tiam habet vocis. *Sap*. 8. Attingit à fine vſque ad finem, &c. 2. *Paral*. 6. Cœli cœlorum te capere non poſſunt. *Iob*. 11. Deus excelſior cœlo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognoſces? Longior terra menſura eius, & latior mari. *Pſal*. 138. Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. *Eſa*. 40. Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ. *Eſa*. 66. Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum, dicit Dominus. *Ier*. 23. Nunquid non cœlum & terram impleo, dicit Dominus? *Act*. 17. Non eſt procul ab vnoquoque noſtrum: in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.

2. Ex ſacris ſymbolis, & Conc. Quæ ſupponunt, vel exprimunt Dei Immenſitatem & Vbiquitatem. Vt, Credo in Deum Omnipotentem, Creatorē cœli & terræ. Sed an id ſupponat neceſſariò Immenſitatem, infra. *In Symb. S. Athan*. Immenſus Pater, Immenſus Filius, Immenſus Spiritus ſanctus: non tamen tres Immenſi, ſed vnus Immenſus. *Conc. Lateran. cap. Firmiter*. Credimus quòd vnus ſit ſolus Deus æternus, Immenſus, &c.

3. Ex SS. Patribus. *S. Dion. cap. 9. Din. Nom*. Magnus appellatur Deus, iuxta propriam ipſius magnitudinem: quæ magnis omnibus ſuimet conſortium tradit, & extrinſecus ſuper omnem magnitudinem funditur, & ſupra expanditur, omnem tranſcendens numerum, omnem tranſiliens infinitatem, &c. Magnitudo hæc & infinita eſt, & quantitate caret, & numero: atque hæc excellentia ſecundùm abſolutam & supernè expenſam incompræhenſibilis magnitudinis redundantiam. Paruum verò, ſiue tenue in eo dicitur, quod molem omnem excedit, atque diſtantiam, & quod abſque impedimento per omnia pergit. Hoc autem puſillum & quantitate caret, & qualitate: Infinitum & interminatum, comprehendens omnia, & ipſum comprehenſibile nulli, &c. Omnibus eodem modo præſens. *Infra*. Latitudo Diuina, eſt ampliſſima Dei ad cuncta progreſſio: longitudo, virtus peruagans omnia; profundum, abdita illi virtus, &c.

S. Aug. Q. 20. *ex* 83. Deus non alicubi eſt .i. non continetur loco. In illo ſunt potiùs omnia: non tamen vt ipſe ſit locus. *Lib. De Fide contra Manich. cap*. 37. Mira dementia dicere ſoletis: Vbi erat Deus, ante cœlum, & terram? *Lib*. 1. *Conf. cap*. 2. Quomodo inuocabo Deum meum? Vtique in meipſum eum vocabo. Et quis locus eſt in me, quò veniat Deus meus? An quia ſine te non eſſet quicquid eſt, fit vt quicquid eſt capiat te? Quoniam itaque vt ego ſum: quid peto vt venias in me, qui non eſſem, niſi eſſes in me, vel potiùs niſi eſſem in te? *Cap*. 3. Capiuntne ergo te cœlum & terra, quoniam tu imples ea? An imples, & reſtat, quoniam non te capiunt? Et quò refundis quicquid impleto cœlo & terra reſtat ex te? An non opus habes vt à quoquam continearis, qui contines omnia? Quoniam quæ imples continendo imples, &c. Sed quia imples omnia, te toto imples omnia. An quia te totum non poſſunt capere omnia, partem tui capiunt? An vbique totus es, & res nulla te totum capit? *Cap*. 4. Summe, Optime, Præſentiſſime. *Lib*. 7. *cap*. 1. Cogitare te conabar, &c. Quicquid priuabam ſpatiis, nihil mihi eſſe videbatur, tanquam ſpatioſum nihil, &c. Ita te, vita vitæ meæ, grandem per infinita ſpatia vndique cogitabam penetrare totam mundi molem, & extra eam quaquauerſum per immenſa, &c. *Cap*. 5. Feci vnam maſſam grandem creaturarum: te autem ex omni parte ambientem eam & penetrantem, ſed vſquequaque infinitum; tanquam ſi mare eſſet vbique & vndique per immenſa ſpatia, & haberet intra ſe ſpongiam, &c. Sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam. *Cap*. 10. Vidi ſupra mentem meam lucem Domini incommutabilem, &c. Nec erat ſupra ſicut oleum ſuper aquā, nec ſicut cœlum ſuper terram: ſed ſuperior, quia ipſe me fecit, &c. Et dixi: nunquid nihil eſt veritas, quoniam neque per finita, neque per infinita locorum ſpatia diffuſa eſt? *Cap*. 14. Anima mea fecerat ſibi Deum per infinita ſpatia, & eum collocauerat in corde ſuo, & facta erat templum Idoli ſui, abominandum tibi. *Cap*. 20. Non ſinebat per tenebras animæ meæ contemplari te infinitum eſſe, nec tamen per locos tantos infinitoſque diffundi. *Epiſt*. 57. *Ad Dardanum, De præſentia Dei, Quæſt*. 1. In eo quod dicitur Deus vbique diffuſus, carnali reſiſtendum eſt cogitationi, & mens à corporis ſenſibus auocanda: ne quaſi ſpatioſa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, ſicut aër aut lux, &c. ſed potiùs ſicuti eſt magna Sapientia, etiam in homine cuius corpus eſt paruum, &c. Eſt ergo Deus per cuncta diffuſus, &c. Non tamen per ſpatia locorum, ita vt in dimidio ſit dimidius, & per totum totus; ſed in ſeipſo vbique totus.] A ſimili animæ in corpore.

Fatendum eſt vbique eſſe Deum per Diuinitatis præſentiam; ſed non vbique per inhabitationis gratiam. Propter hanc enim non dicimus *Pater noſter qui es vbique*: cùm & hoc verum ſit; ſed *Pater noſter qui es in cœlis, &c*. Quomodo vbique, ſi in ſeipſo? Vbique, quia nuſquam eſt abſens: in ſeipſo autem; quia non continetur ab eis quibus eſt præſens, tanquam ſine eis eſſe non poſſet. *Lib*. 11. *Ciu. cap*. 5. Si infinita ſpatia temporis ante mundum cogitant: ſimiliter cogitent extra mundum infinita ſpatia locorum, &c. Quod ſi dicunt inanes eſſe cogitationes quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus ſit præter mundum: reſpondetur eis, iſto mòdo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cùm nullum tempus ſit ante mundum. *Lib*. 7. *cap*. 30. Deus vbique totus, nullis incluſus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, ex nulla parte mutabilis; implens cœlum & terram præſente potentiâ, non abſente naturâ: ſic adminiſtrat omnia quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat. *Epiſt*. 3. *Ad Voluſianum*. Non eſt metuendum ne in corpuſculo Chriſti Deus anguſtias paſſus eſſe videatur. Neque enim mole, ſed virtute magnus eſt Deus: qui meliorem ſenſum formiculis & apiculis dedit, quàm aſinis & camelis. Qui pupillam tuam

paruam ditauit acie, quâ per oculos emicante, in ictu temporis cœlum luſtraret, &c. *Serm.* 44. *De diuerſis, cap.* 4. Non tibi facias hominem aliquem grandem & pulchrum, &c, Non quaſi aureum Deum, &c. *Cap.* 5. Sed vide, ſi potes, quid eſt Veritas, quid Sapientia, quid Iuſtitia, &c. *Cap.* 6. Conamini cogitare lumen Veritatis, Sapientiæ, Iuſtitiæ, quomodo præſens eſt omnibus : præſens eſt enim omni cogitanti, &c. Nullo loco eſt, & vbique eſt. *Lib.* 25. *contra Fauſt. cap.* 1. *Fauſtus.* Si eſt vnus & infinitus Deus : quid ſibi vult hæc inuocatio; Deus *Abraham* ? &c. Si non eſt *Malum*, profectò infinitus eſt Deus : habet autem finem, ſi *Malum* eſt; Conſtat autem eſſe *Malum* : non igitur infinitus eſt Deus. Illic enim eſſe Mala incipiunt, vbi Bonorum eſt finis. *Cap.* 2. *B. Aug.* Hæreſis veſtra nihil aliud nouit, quàm & corpus & animum, & Deum per locorum ſpatia, vel finita, vel infinita diſtendere : cùm ſolùm corpus talia occupet loca, &c. Cùm quæri cœperit, quomodo Deus ſit finitus, quem nullus capit locus : quomodo infinitus, quem totum filius nouit; quomodo finitus, immenſus; quomodo infinitus, perfectus; quomodo finitus, nullum habens modum; quomodo infinitus, modus omnium : omnis carnalis cogitatio euaneſcit; etſi vult fieri quod nondum eſt, priùs erubeſcat quod eſt. Quapropter quod proponitis de Deo finito & infinito, melius tacendo finitis, &c. Hic & alibi ſæpè contra Manichæos, vt varijs phantaſmatibus de Deo quaſi ſpatioſo & lucido illuſos, & incredulos ac incapaces veræ præſentiæ Dei ſpiritualis. Cuius hæreſis fuerunt participes idiotæ *Antropomorphitæ* : qui adorabant Deum ſub phantaſmate quaſi magni gigantis. A quo errore correctus, in vitis Patrum, quidam ſenex Anachoreta, cùm eſſet priuatus deuotione ſenſibili, quam experiebatur circa ſuum prius phantaſma Dei, lamentabatur quaſi amiſiſſet Deum ſuum, ſeu ſuam ad Deum deuotionem.

S. Damaſc. lib. 1. *cap.* 16. *De loco Dei. &c.* Deus vt immaterialis & incircumſcriptus, in loco non eſt : Ipſe enim locus ſuiipſius eſt, cuncta replens, ſuper omnia eminens, & continens omnia, &c. Dicitur autem locus Dei, qui plus participat operationis eius & gratiæ, &c. Sciendum etiam Deum impartibilem, eſſe totum, totaliter, vbique exiſtentem, &c. Totum in omnibus, & totum ſuper omnia. *Cap.* 17. *De loco Angeli.* Non dicitur eſſe nuſquam, ſed alicubi intelligitur circumſcribi, vbi & operatur, &c. Incircumſcripta igitur eſt ſola Diuinitas, &c.

S. Anſel. Monol. 19. 20. 21. mouet varias difficultates de Eſſe Dei, toto vel partiali in omni loco, & tempore, vel in aliquo, vel in nullo. *Cap.* 22. Eius tantùm rei eſt aliquis locus, cuius quantitatem locus circumſcribendo continet, & continendo circumſcribit : & eius rei ſolùm eſt aliquod tempus, cuius diuturnitatem tempus metiendo aliquo modo terminat, & terminando metitur, &c. Quomodo non eſt impudentis imprudentiæ dicere, quòd Summæ veritatis aut locus circumſcribat quantitatem, aut tempus metiatur diuturnitatem : quæ nullam penitus localis & temporalis diſtenſionis magnitudinem ſuſcipit, vel paruitatem. *Infra.* Quia nulla ratio loci aut temporis prohibet Summam Eſſentiam omni loco vel tempori ſimul totam adeſſe : neceſſe eſt eam ſimul totam omnibus & ſingulis præſentem eſſe. *Infra.* Conuenientiùs dici videretur eſſe cum loco vel tempore, quàm in loco vel tempore, &c. Quia à nullo continetur, & tamen in omni loco vel tempore ſuo quodam modo poteſt dici eſſe : quoniam quicquid aliud eſt, ab ea præſente ſuſtinetur, &c. *Cap.* 23. Cùm conſtet Summam Naturam non magis eſſe in omnibus locis, quàm in omnibus quæ ſunt, non velut contineatur, ſed penetrando cuncta contineat : cur non dicatur eſſe vbique .i. in omnibus quæ ſunt, potiùs quàm in omnibus locis ? &c. Solemus enim verba localia etiam tribuere rebus, quæ nec loca ſunt, nec localiter continentur. Vt ſi dicam intellectum ibi eſſe, vbi eſt rationalitas, &c. *Proſol.* 19. Licet ſit nihil ſine te Deus : non eſt tamen in loco aut tempore; ſed omnia ſunt in te. Nihil enim te continet, ſed tu contines omnia.

S. Bern. hom. 3. *ſuper Miſſus eſt. Dominus tecum.* Deus enim qui vbique totaliter æquus eſt, per ſuam ſimplicem ſubſtantiam, &c. In ſolis bonis ita eſt, vt etiam ſit cum ipſis, propter concordiam voluntatis, &c. Sed ſpecialiter cum MARIA. *Serm.* 6. *in Dedic.* Licet Deus in omni loco ſit, qui nullo clauditur loco : ſignanter tamen dicimus, *Pater noſter qui es in cœlis*; quod aliter illic & proprio quodam modo præſentem ſe exhibeat. *Lib.* 5. *De Conſid.* ſub finem. Deus locales, temporaleſque anguſtias excedit : ſed libertate naturæ, non enormitate ſubſtantiæ. Tali modo immenſus eſt, qui omnia fecit in menſura : & quamuis immenſus, hic tamen modus eſt ipſius Immenſitatis. *Supra.* Deus in quo omnia, *Rom.* 11. Non quaſi in loco, ſed in virtute, &c. Si in ipſo omnia : ipſe vbi ? Incomprehenſibilis eſt Deus, &c. Nuſquam eſt qui non clauditur loco : nuſquam non eſt qui ſi non excluditur loco. Suo autem ſublimi, atque incomprehenſibili modo, ſunt omnia in ipſo, ſic ipſe in omnibus eſt. *Ioan.* 1. *In mundo erat.* Aliàs vbi erat ante, ibi eſt. Non eſt quod quæras vltra vbi erat : præter ipſum nihil erat. Ergo in ſeipſo erat.

4. Ex ratione totius noſtræ Reſp. *Deus eſt verè & propriè Immenſus, ac Vbique.* Eſt de fide : vt expreſſum in ſacra Script. ſacris Symbolis, & Concilijs. *Poſitiuè, abſolutè, & perfectiſſimè, ſeu infinitè.* Quia quamuis ſonet negatiuè, & explicetur relatiuè ad creaturas: refertur tamen inter Perfectiones Diuinas, de quibus laudatur Deus. Ergo ſubſignificat, & ſupponit, non ſolùm fundamentum, ſed etiam propriam formalitatem, aut modalitatem Deo intrinſecam, poſitiuam, abſolutam, & infinitam : quæ vix poteſt nobis explicari niſi negatiuè & relatiuè, vt pleræque perfectiones Dei. Qui, cùm ſit Ens ſimpliciter, & pleniſſimum omni entitate ac perfectione poſſibili: non poteſt ei ineſſe vlla negatio, ſeu vllum nihil, nec vlla relatio ad extra. Nec obſtat quòd Deus laudetur etiam à titulis negatiuis, & relatiuis ad extra: vt *Improducti*, *Inuiſibilis*, *Regis Regum*, *Domini Dominantium*.

Digitized by Google

minantium. Quia illi vel non ſunt negatiui, vel non ſunt diſtincti ab alijs poſitiuis: hi autem, ſunt morales, digni magna laude ac æſtimatione morali. Non ſic ſola negatio menſuræ, vel termini localis; nec vbiquitas, vt relatio rationis. *Modo intrinſeco* .i. non propria perfectione formali, ſed modali; non extenſiua, ſed intenſiua ſuæ propriæ perfectionis formalis, vt infra. *A prioribus inadæquatè diſtincto* .i. Contento quidem ſub Infinitate, Simplicitate, & Immutabilitate ſimpliciter: ſed exprimente quendam proprium modum Infinitatis, Simplicitatis, & Immutabilitatis, vt infra. *Cuius Perfectioni Diuinæ proprio.* Quia vt quælibet habet ſuam propriam exiſtentiam: ita propriam præſentiam infinitam. Vt patet ex pluribus locis *B. Aug.* ſupra; quibus facilitat & commendat conceptum Dei vbique præſentis, ſed diſtinctis perfectionibus formalibus, Primæ Veritatis, Sapientiæ, Bonitatis, Charitatis, Iuſtitiæ; ad varios affectus & fructus ſpirituales. 1. Ad magnam fidem Primæ Veritatis præſentis. 2. Ad magnam reuerentiam, & quaſi adorationem continuam Dei præſentis. 3. Ad timorem offendendi Deum, ſub oppoſita perfectione; voluntate, & intuitu præſentiſſimum. 4. Ad magnam ſpem, & fiduciam in Deum, ſub ſua etiam propria fidelitate præſentem. 5. Ad commendandum ſtudium cuiuſuis perfectionis & virtutis: ex ſuo præſentiſſimo exemplari Diuino. 6. Ad magnam charitatem Dei præſentis, vt Summi Boni. 7. Ad facilem fruitionem, quietem, & gaudium continuum de hac præſentia Dei. Vt *Pſal.* 4. *Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete, Dominus enim propè eſt.* Hinc enim omnes fideles poſſunt concipere ſe eſſe plenos ipſa Veritate, Charitate, & omni perfectione Dei nobis illabente ad facilem ſui communicationem, & participationem. *Quo Deus eſt ſibiipſi præſentiſſimus, & intimiſſimus, &c.* Ex illo verſu communi: *Tunc vbi nunc in ſe; quoniam ſibi ſufficit ipſe.* Quæ præſentia & intimitas infinita Dei in ſeipſo, eſt propria modalitas Immenſitatis Dei: non extenſiua, ſed quaſi intenſiua; nec adæquatè, ſed inadæquatè identica & diſtincta à prioribus modis, vt ſupra. Sed vbiquitas Dei exprimitur relatiuè ad extra, per ſequentia. *Ac conſequenter ſufficientiſſimus ad terminandam neceſſariam omnium poſſibilium præſentiam ad ſe.* Cùm enim inter Hebraica nomina Dei, vnum ſit *Scaddai* .i. ſufficiens: non ſolùm eſt ſibiipſi ſufficiens ad omnem perfectionem & beatitudinem; ſed etiam pluſquam ſufficientiſſimus ad terminandam omnem omnium poſſibiliũ neceſſariam dependentiam. Inter quas, neceſſaria eſt dependentia præſentiæ ad Deum, vt prius in ſeipſo infinitè præſentem. Vnde non poſſumus concipere aliquid finitum eſſe, & in eſſe alicubi: non quia neceſſariò ſupponat aliquod vbi ſit; ſed Deum cui præſens ſit, ſeu ad quem terminet ſuã præſentiam. *Abſque vlla tamen ſui extenſione extra ſe, multò minùs per ſpatia imaginaria.* Quia illa extenſio non eſſet perfectio, ſed potiùs imperfectio. Nec ſunt vlla ſpatia imaginaria per quæ extendatur. Vt patet ex *B. Aug.* ſupra, & *Lib.* 2. *Solil. cap.* 17. Inane, nec eſt, nec eſt verum. *Quæſt.* 29. *ex* 83. Quæ ſurſum ſunt ſapere iubemur .i. ſpiritualem ſubſtantiam: ne in eius mundi parte figamus animum, quo Vniuerſo debemus nos exuere. Surſum enim aut deorſum in huius mundi partibus eſt: nam Vniuerſus, nec habet ſurſum, nec deorſum, &c. ſed ſenſibus & conſuetudini difficilè obſiſtitur, &c.] Nec fauet imaginationi præſentiæ Dei in ſpatio imaginario, ante vel extra hunc mundum: quòd hoc ſpatium, ſeu vacuum ſit capax quantitatis realis, ſeu in quo Deus creet entia realia, & realiter ſpatioſa; ergo Deus neceſſariò eſt in illis ab æterno, vt poſſit eſſe in rebus creatis & creandis abſque vlla ſui, vel ſuæ præſentiæ mutatione. Quia nec Deus eſt neceſſariò vbi agit: ſed quò vis agendi eſt maior, eò in diſtantius agere poteſt. Vnde & meritò *Scotus in 1. d.* 37. probat Dei Omnipotentiam nec ſupponere, nec inferre Immenſitatem: Quia quò illa eſt actiuior, eò potiùs & in diſtantius; & quia illa eſt ipſa Voluntas Dei quæ poteſt æquè efficaciter velle in diſtans ac in præſens. Nec denique Deus ſubit vllam mutationem ſuæ præſentiæ, creando & terminando nouam coëxiſtentiam, vel ſubexiſtentiam, & præſentiam creaturarum ad ſe, ſicut nec terminando vllam aliam dependentiam. Cùm ergo Immenſitas Dei non oriatur ex Omnipotentia: an immediatè ex Eſſentia, Infinitate, Simplicitate, vel Immutabilitate; ita vt inde à priori demonſtrari vel probari poſſit?

Reſp. Conſequenter ad priora de ſolo modo adæquato Infinitatis ſimpliciter: alijs autem modis inadæquatè diſtinctis. Vt ſimplicitas eſt modus infinitæ identitatis, Immutabilitatis, infinitæ ſtabilitatis in eſſendo, Æternitas infinitæ ſimultatis & ſtabilitatis totius exiſtentiæ vitalis: ſic & Immenſitas eſt modus infinitæ præſentiæ intenſiuè, ſeu quo Deus eſt ſibiipſi præſentiſſimus & intimiſſimus. Quæ præſentia intimiſſima, & intimitas præſentiſſima, videtur prior ipſa Simplicitate, & oriri immediatè ex Infinitate ſimpliciter: quia vt intima præſentia totius & omnium partium Corporis Chriſti intra ſe, differt ab earum inter ſe identitate: ſic & ſuo modo Immenſitas Dei ab eius Simplicitate. Et ſicut præſentia intima animæ in corpore, eſt prior & præſuppoſita vnioni: ſic & ſuo modo Immenſitas, Simplicitati: ita vt Immenſitas oriatur immediatè ab Infinitate ſimpliciter, vt quidam modus illius. Vnde qua certitudine Deus probatur infinitus ſimpliciter: eadem & eſſe infinitus his omnibus modis infinitatis, & ſecundùm omnes ſuas perfectiones.

Difficultates.

1. EX ſacra Script. *Act.* 17. *Deus non eſt procul: in ipſo enim viuimus, &c.* Iob 11. *Excelſior cælo, &c.* Eſa. 66. *Cælum ſedes mea eſt, & terra ſcabellum pedum meorum.* Pſal. 13. 52. *Deus proſpicit de cælo, &c.* Matt. 6. *Pater noſter qui es in cælis.*

2. Ex PP. qui nunc tribuunt Deo Immenſitatem extenſiuam, & Vbiquitatem per Eſſentiam, Potentiam, & Præſentiam: nunc negant omnem extenſionem & vbiquitatem; nunc explicant per ſolam

Digitized by Google

ſolam potentiam & operationem, potiùs quàm in Angelis, non per Eſſentiam. Imò *B. Aug.* ſæpè tribuit Deo motum ſine loco & tempore: contra Immenſitatem.

3. Ex apparenti diſcordia inter *Alenſem, S. Bon. Scotum,* & noſtram *Reſp.* De Vbiquitate Dei per Eſſentiam, Potentiam, & Præſentiam; de ſola fide, uel etiam ratione naturali Immenſitatis, & Vbiquitatis Dei. Denique, An Deus ſit ſolùm in omnibus, vel etiam extra, per omne vacuum.

4. Ex ratione. Præſentia Dei intima in ſeipſo, non videtur eſſe poſſe niſi negatio diſtantiæ, aut extenſionis propriæ, vel relatio rationis inter ſe, & ſe, ſeu inter omnia ſua intrinſeca. Nec videtur eſſe vlla realis præſentia creaturæ ad Deum, diſtincta ab ipſa dependentia cauſali à Deo: ergo Immenſitas aut Vbiquitas non eſt illa ſufficientia terminandi, uel actualis terminatio vllius præſentiæ ad Deum. Denique non videtur poſſe concipi aut diſtingui Immenſitas Dei ab alijs modis, niſi per quandam extenſionem infinitam, ſeu in infinitum vltra omnia finita, ſicque per omne vacuum.

Reſp. Ad 1. *Act.* 17. Deus non eſt procul, imò nec prope, ſed nihil diſtat. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Non quòd hoc ſit cauſa illius, nec illud huius, nec hoc ſit illud: ſed quòd nos ſimus potiùs in Deo, quàm Deus in nobis. Quamuis enim *eſſe in ipſo*, ſit eſſe per ipſum cauſaliter: non tamen per ipſum vt diſtantem, & procul, vel propè agentem; ſed vt omnia continentem, eminenter, exemplariter, virtualiter, actualiter, totaliter, & præſentialiter. *Totaliter* .i. vt Totum totaliſſimum continet omnem ſui participationem poſſibilem. *Præſentialiter* .i. non ſolùm terminando omnem dependentiam cauſalem à ſe, & propter ſe: ſed etiam omnem relatiuam ad ſe; vt ſimilitudinem, & præſentiam neceſſariam cuiuſuis creaturæ ad Deum. Deus eſt ſupra *Cherubim*, infinita dignitate: ſupra omnes cœlos, potentiâ creandi, & capacitate ſeu ſufficientia infinita continendi omnia poſſibilia, & terminandi neceſſariam omniũ exiſtentium præſentiam ad ſe. *Iob* 11. *Excelſior cœlo, &c.* i. Dignitate, Potentiâ, continentiâ, & capacitate, ſeu ſufficientiâ infinitâ. Hinc *Sap.* 7. *Repleuit orbem, & continet omnia.* Nec Chriſtus aſcendit ſuper omnes cœlos, velut ad locum aut ſpatium priùs vacuum: ſed ad ſtatum ſupremum. Sic enim ſedet ad dexteram Patris. *Eſa.* 66. i. Metaphoricè, cœlum eſt ſummum meorum operum, terra infimum: vel cœlum eſt locus quietis & beatitudinis; terra, viæ, & laboris. *Pſal.* 13. 52. Eſt de præſentia Dei morali & vitali, per omnium perfectiſſimam cognitionem & prouidentiam. *De cœlo* .i. quaſi ex ſpecula, ſeu ſumma omnium euidentia. *Matt.* 6. *In cœlis* .i. ſecretiſſimus, eminentiſſimus: vel in ſolis Beatis per gloriam, in Sanctis per gratiam; vel *in cœlis* replendo actu totum mundum, ſed infinita capacitate continendo & excedendo.

Ad 2. SS. Patres ſupra, ſeipſos ſatis explicant, & ſua dicta conciliant. Tribuunt Deo extenſionem virtualem, ſeu vim attingendi à fine ad finem, & capacitatem continendi omnia, ſeu terminandi omnium præſentiam. Negant autem extenſionem formalem Dei, & coëxtenſionem ad creaturas. Dicunt Deum eſſe vbique, vt continentem omne vbi. Negant eſſe vbique, vel vllibi, vt contentum vllo, vel omni vbi. Negant vbiquitatem Dei *per eſſentiam* .i. eſſentialem, aut intrinſecam Deo: non autem negant ſecundùm eſſentiam, vt continentem & terminantem omnium præſentiam ad ſe. Nec reſtringunt ad ſolam potentiam & operationem vbique: quia hæc ſupponit exiſtentiam, & præſentiam Dei in ſeipſo actu infinitam, & contentiuam, ſeu capacem plurium in infinitum. *S. Aug.* tribuit Deo motum vitalem: nec localem, nec temporalem, nec continuum, nec diſcretum: vt ſunt motus vitales Angelorum, qui non mouentur vitaliter per locum, ſed per tempus .i. ſaltem per inſtantia diſcreta & ſucceſſiua.

Ad 3. Ex *Al. q.* 9. *m.* 1. *Deus eſſe alicubi, eſt replere locum, dando ei vim continendi: vt Sapientia eſt in Sapiente.* Ad vlt. *Deus eſt in ſeipſo .i. independens, per ſe, ſine reſpectu ad extra.* M. 3. *Deus ſua vbiquitate æquè continet ſpiritus, ac corpora.* Ergo vbiquitas eius & continentia non eſt quaſi extenſiua; ſed potiùs quaſi intenſiua, ſeu exceſſiua & terminatiua omnis limitationis creaturarum. *M.* 4. *Deus eſt vbique ab æterno, quoad principale ſignificatum, & neceſſitatem exiſtendi in omnibus poſſibilibus: non autem quoad actualem coëxiſtentiam, niſi exiſtentibus actu.* Ergo diſtinguit principale ſignificatum, ab omni relatione coëxiſtentiæ. Subdit autem: *Deum eſſe vbique, dicit principaliter plenitudinem bonitatis eius: connotando omnia vbi* .i. Dicit infinitam præſentiam intimam ſui totius, intra ſeipſum. Sic enim eſt plenus ſeipſo, vt contento, & continente: ac ſufficiens ad replendum & continendum omnia in infinitum poſſibilia. *Quæſt.* 10. *m.* 1. *Deus eſt in omnibus, & extra omnia alia à ſe* .i. vt explicat in textu integro. *Deus eſt in rebus, non incluſus: extra, non excluſus; & idem eſt dicere Deus eſt extra res, & Deus eſt in ſe.* M. 2. *Deus eſt in omnibus eſſentialiter, potentialiter, & præſentialiter, &c.* i. *Per ſuam, Eſſentiam, virtutem, & operationem. Nam per operationem innoteſcit Diuina Potentia & Eſſentia*, Rom. 1. Sap. 13. *Quia igitur Eſſentia, Virtus, & Operatio Dei attingit omnem rem, dicitur eſſe in omnibus eſſentialiter, potentialiter, & præſentialiter.* M. 3. Ad 2. *Eſſe præſentialiter eſt dupliciter.* 1. *Adeſſe rei, & non deeſſe.* 2. Eſſe *præſenſu .i. cognoſcibiliter.* 1. *Modo, idem eſt eſſe præſentialiter, quòd eſſentialiter.* 2. *modo, non.* Sed Deum eſſe in omnibus per operationem: poteſt intelligi non per ſolam actionem tranſeuntem in nos; ſed etiam per actum intellectus & voluntatis Dei circa nos. Deum eſſe in omnibus cognoſcibiliter, ſeu obiectiuè: poteſt intelligi non ſolùm quatenùs eſt à nobis facilè cognoſcibilis; ſed & potiùs quatenùs nos & omnia actualiter intuetur. Quod eſt eſſe moraliter, & vitaliter, ſeu intellectualiter præſentem. Quæ omnia fauent noſtræ Reſponſioni.

S. Bon. d. 37. *Art.* 1. *q.* 1. Probat quidem vbiquitatem Dei ex eius Immenſitate, Potentia, & Sim-

Digitized by Google

Simplicitate : non tamen quaſi demonſtratiuè; nec probat ipſam Immenſitatem ex potentia Dei; ſed Vbiquitatem ex Potentia, & ex omnium dependentia à Deo immediatè. Vt forma ſigilli in aqua, pendet ab eius continua impreſſione : non ſola dependentia cauſalitatis, ſed neceſſariæ ac continuæ vnionis. Ergo eſt aliqua neceſſaria vnio, ſeu relatio præſentiæ ad Deum. Idem ibidem. *Ad* 4. *Deus*, inquit, *non poteſt agere in diſtãs: quia eſt infinitus in ſe, & in ſua vi agendi.* Non probat ab agendo Immenſitatem, ſed ab Infinitate indiſtantiam. *Art.* 1. *q.* 2. *Deus eſt vbique : vt continens, conſeruans, & excedens in infinitum.* Art. 2. Q. 2. *Deus eſt vbique ab æterno : quoad ſuam immenſam præſentiam in ſe ; vt eſt ſemper quoad immenſam ſuam durationem ; non quoad connotata.* Art. 3. q. 2. *Deus eſt in omnibus præſentialiter* .i. *indiſtanter : Potentialiter* .i. influendo *cauſaliter* ; *Eſſentialiter*, .i. *intimè exiſtendo. Aliqui tamen volunt hos modos diſtinguere penes ſubſtantiam, virtutem, & operationem; ſed præſentialiter, non reſpondet principaliter operationi. Nam præſens eſt aliquis alicubi, etiamſi non operetur.* Vbi non negat modum operandi vitaliter circa aliquid, eſſe modum quendam præſentiæ moralis. In 2. P. Diſt. a. 1. q. 2. *Si daretur locus vacuus, Deus adhuc eſſet in illa capacitate reali.* Ergo non ipſo ſpatio, nihilo, vel potiùs in ipſo nihilo ſpatij. Nam *q.* 3. *Ad vlt. Deus non eſt extra mundum, vbi nihil eſt.* Hinc patet facilis concordia *Scoti*, cum *S. Bon.* & *Alenſi*, totiuſque noſtræ Reſp. cum illis.

Ad 4. Deum eſſe ſibi intimè vel in ſeipſo præſentiſſimum, poteſt intelligi. 1. Vitaliter, & obiectiuè .i. adæquata comprehenſione ſuipſius. 2. Per circuminceſſioné, ſeu per eandem immenſitatem & coëxiſtentiam adæquatam trium Perſonarum inter ſe. 3. Per intimam & indiuiſibilem ſimultatem realem omnium quæ ſunt in Deo: prout ſupponitur identitati. 4. Per plenitudinem Dei in ſeipſo, & ex ſeipſo : vt continentis & contenti identicè, ſeu vt habẽtis, & habiti. Deus autem non eſt realiter præſens ad extra: ſed quæuis creatura eſt neceſſariò præſens Deo; non ſolùm vt cauſæ creanti vel conſeruanti, ſed etiam vt termino præſentiæ. Quæ eſt relatio neceſſariæ coëxiſtentiæ, vel potiùs ſubexiſtentiæ. Quia creatura non ſolùm ſupponit Deum vt primam cauſam à qua creetur : ſed etiam vt primum & ſolum Eſſe ſimpliciter, cui coëxiſtat, vel potiùs ſubexiſtat. Nec tamen Immenſitas Dei eſt vlla realis coëxiſtentia nobiſcum, nequidem aptitudinalis: ſed eſt præſentia Dei, vt ſupra; non quaſi extenſiuè extra Deum, ſed quaſi intenſiuè intra, ſeu eminentiſſimè & abſolutè ab omni reſpectu ad extra.

QVÆSTIO VIII.

De Incomprehenſibilitate, Inuiſibilitate, Ineffabilitate, & ſi quibus adhuc alijs modis intrinſecis Dei.

DE quibus proœmialiter ſupra, à *col.* 97. *ad* 102. Ex ſacra Script. Conc. PP. noſtriſque Authoribus, *col.* 97. breuiter citatis : hæc tamen non ſunt tantùm ſuperficialiter prænoſcenda & ſupponenda; ſed etiam hac propria Quæſtione perſcrutanda. 1. An hæ ſint propriæ perfectiones, vel modi intrinſeci Dei. 2. Quid, & cuius perfectionis formalis ſint hi modi. 3. An, & quomodo differant inter ſe, vel à prioribus modis. 4. An ſint adhuc alij modi, & qui. 5. An hi modi ſint contra poſſibilem, futuram, & præſentem viſionem, ac fruitionem Dei?

Reſponſio.

SOlus Deus eſt Incomprehenſibilis, Inuiſibilis, & Ineffabilis : vno eodemque modo intrinſeco, poſitiuo, & abſoluto, veritatis obiectiuæ, ſeu infinitæ intelligibilitatis, inadæquatè diſtincto ab infinitate ſimpliciter, & ab omnibus alijs modis infinitatis. Inter quos huic ſimilis & æqualis eſt infinita fruibilitas, & ſi quæ alia volibilitas Dei à ſeipſo, ſupra omnem capacitatem naturalem, ſaltem actiuam, voluntatis finitæ. Præter quos, & priores modos infinitatis Dei: non videtur eſſe vllus alius modus poſitiuus, & Deo intrinſecus. Nec hic modus eſt contra noſtrum finem & inclinationem naturalem videndi Deum, eoque fruendi : nec contra poſſibilem, futuram, & præſentem viſionem Beatorum, non ſolùm per infuſionem, ſed etiam per eorum operationem formalem, & actionem propriam videndi Deum; nec neceſſariò per lumen habituale gloriæ, nec per aliquam ſpeciem impreſſam, ſed ſaltem per ſufficientem illuminationem, & eleuationem actualem ad ipſam viſionem expreſſam.

1. Ex ſacra Script. ſupra *col.* 99. Supple, ex *Rom.* 1. *Inuiſibilia Dei, &c.* 1. Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali & inuiſibili, ſoli Deo, &c.* Ergo de inuiſibilitate vt ſoli Deo propria, ſeu de eius infinitate obiectiua. *Sap.* 7. *Candor eſt lucis æternæ.* Ioan. 1. *Erat lux vera, & tenebræ eum non comprehenderunt.* 1. Tim. 6. *Lucem inhabitat inacceſſibilem, &c.* 1. Ioan. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ, &c.* De Deo vt obiecto lucidiſſimo, eiuſque luce infinita, ſeu veritate ac euidentia obiectiua : quæ eſt proprijſſima lux, potiùs quàm vlla viſibilis; vt expreſsè *B. Aug. Lib.* 4. *Gen. cap.* 27. Pſal. 138. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius* .i. Lux eius inacceſſibilis, eſt nobis æquè inuiſibilis, ac tenebræ. Vnde *S. Dion.* ſæpè vocat eam caliginem, & tenebras : de quibus *Pſal.* 17. *Deus poſuit tenebras latibulum ſuum, &c.* *Pſal.* 47. 144. & alibi ſæpè, Deus dicitur *laudabilis nimis* .i. infinitè. *Pſal.* 35. *In lumine tuo videbimus lumen* .i. per aliquod lumen gloriæ videbimus

Digitized by Google

bimus ipſam lucem obiectiuam Dei. 2. *Cor.* 3. *Reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes : in eandem imaginem transformamur , à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu* .i. ex *B. Aug.* 15. *Trin.* De forma obſcura in lucidam, &c. vel de gloria fidei in gloriam ſpeciei.

2. Ex ſacris Symbolis & Conc. vt ſupra *col.* 99. Supple, ex Symbol Conſtant. *Deum de Deo, lumen de lumine.* Quo propriè exprimitur infinita perfectio obiectiua, ſeu intelligibilitas Dei in ſe : & generatio Filij Dei à Patre, per intellectum , vt infinitæ lucis intellectualis, ex infinita luce obiectiua & eſſentiali Dei. Et ex *Conc. Viennenſi* ſub *Clem.* 5. De neceſſario aliquo lumine gloriæ ad videndum Deum.

3. Ex SS. Patribus, vt ſupra *col.* 99. 201. 202. Supple, ex *S. Dion.* quòd non ſolùm exprimat omnes perfectiones Dei negatiuè, & myſticè ; ſed etiam ſuperlatiuè , vt ſupra captum noſtrum infinitè ; ſæpèque inter omnia Deo propria referat lucem ſeu veritatem Dei formalem & obiectiuam ac infinitam. Vt *Lib. De cæleſt Hier. cap.* 1. *Omne datum optimum deſcendens à Patre luminum, Iac.* 1. Sed & candidiſſimæ illius lucis quæ à Patre motus initium ſumit, &c. *Cap.* 9. De infinitate , & æqualitate lucis diuinæ in ſeipſa : noſtraque eiuſdem capacitate, ſed varia & inæquali participatione. *Lib. Diu. Nom. cap.* 4. De luce & pulchritudine Dei obiectiua, ac infinita. *Cap.* 7. Solenne Theologis eſt, in Deo quæ ſunt , priuationes aſſerere. Ita & inuiſibilem aiunt Sanctæ Litteræ clariſſimam lucem : eumque qui celeberrimus eſt, & qui multis inſignis nominibus eſt, ineffabilē & ſine nomine appellant , præſentemque omnibus, & qui inuenitur ex omnibus , incomprehenſibilem, atque inueſtigabilem dicunt.

Ex *B. Aug. Lib. Solil. cap.* 31. Tu ſolus Deus ſuperlaudabilis , ſupergloriosus , ſuperexaltatus, ſupereſſentialis, ſupereſſentialiter , & ſuperintelligibiliter eſſe dignoſceris. Quoniam ſupereſſentiali , & occulta Diuinitate , ſuper omnem rationem, intellectum, & eſſentiam inacceſſibiliter, & imperſcrutabiliter habitas in teipſo : vbi lux inacceſſibilis , & lumen imperſcrutabile , & incomprehenſibile, & inenarrabile. Ad quod non attingit aliquod lumen : quoniam incontemplabile, & inuiſibile, & ſuperrationale, & ſuperintelligibile, & ſuperinacceſſibile, & ſuperincommutabile, & ſuperincommunicabile creditur ; quod nullus vnquam Angelorum vel hominum vidit , ſed nec videre poteſt. Hoc eſt cœlum tuum Domine : cœlum cælans, ſuper arcanum lumen, &c. De quo *Pſal.* 113. *Cælum cæli Domino, &c.* Soli tibi Trinitas integrè nota eſt : Trinitas ſupermirabilis, ſuperinenarrabilis , ſuperinſcrutabilis, ſuperincomprehenſibilis, ſuperintelligibilis, ſupereſſētialis, &c. *Serm.* 1. *De verbis Apoſt. cap.* 1. Quid eſt Deus ? Quid niſi inæſtimabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, vltra omnia, extra omnia, præter omnia ? *Lib.* 2. *De ordine Prouid. cap.* 16. Deus ſcitur meliùs neſciendo. *Cap.* 18. Deus cuius nulla ſcientia eſt in anima, niſi ſcire quo modo eum omnes neſciant. *Cap.* 19. Quid dicam de Deo ? Quotidiana verba occurrunt , & ſordidata ſunt omnia viliſſimis rebus .i. applicantur etiam creaturis. *Lib.* 1. *Conf. cap.* 6. Tu autem idem ipſe es , &c. Quid ad me ſi quis non intelligat ? Gaudeat & ipſe, &c. Ametque non inueniendo inuenire, potiùs quàm inueniendo non inuenire te] .i. Gaudeat mecum de tanta Dei excellentia ſuper captum noſtrum : malitque non inueniendo eum per cognitionem, inuenire eum inconceptibilem : potiùs quàm inueniendo, quadam indigna opinione aut cognitione, non inuenire Deum , ſed aliquid pro eo. Vt *S. Leo Serm.* 10. *De Paſſ. Domini.* Bonum eſt vt nobis paruum ſit , quod etiam rectè de Domini Maieſtate ſentimus. *Lib.* 1. *Conf.* 4. Summe, Optime, Secretiſſime, & Præſentiſſime, &c. Quis dicit aliquid cùm de te dicit ? Et væ tacentibus de te : quoniā loquaces muti ſunt] .i. Quamuis nihil poſſit dici dignum Deo : non eſt tamen ab eius laude tacendum. De quibus adhuc plura ſub Quæſt. De Veritate Dei obiectiua. Sed hic ad noſtram Reſp. referenda eſt integra Doctrina *B. Aug.* tam ex alijs SS. Patribus, quàm ex ſeipſo.

Doctrina integra B. Aug.

E*Piſt.* 111. *ad Fortunatum.* Non pœnitet quia dixi iſtius corporis oculū, nec videre Deum, nec eſſe viſurum : ne Deus ipſe corporeus credatur. *Infra.* Si quid diligentiùs poſſumus de ſpiritali corpore concorditer inquiramus. Si doceri poteſt quòd charitas corporalibus oculis aliquando videbitur : poteſt fortaſſis & Deus, &c. Magni quidem viri dixerunt inuiſibilem Deum ; inuiſibiliter videri : hoc eſt per eam naturam quæ in nobis quoque inuiſibilis eſt. *B. Ambr.* Diuinitatis ſubſtantia non videtur , &c. *S. Hier.* Videre Deum ſicuti eſt in natura ſua, oculus hominis non poteſt, &c. Neque enim creatura poteſt aſpicere Creatorem ſuum, &c. Quantumlibet enim oculi corporis noſtri mutentur in melius : nunquam Angelorum oculis æquabuntur. *Luc.* 20. Nos autem reuelata facie, &c. 2. *Cor.* 3. .i. De facie cordis. *Infra. B. Athan. Alexandrinus* æqualem Trinitatis inuiſibilitatem aſſeruit , &c. *S. Greg.* apertiſſimè dicit Deum natura inuiſibilem. *Non mutabitur vtique in futuro ſæculo illa natura : vt de inuiſibili, viſibilis fiat.* Hinc *B. Amb,* dixit in ipſa reſurrectione non eſſe facilè videre Deum, niſi eis qui mundo ſunt corde. Quod ſacra Script. de membris Dei commemorat : puto ſpiritaliter intelligendum ; ſed & omnes qui ſpiritali intelligentia reſiſtunt eis, qui ob *Anthropomorphytæ* nominantur. Vt *B. Hier. in Pſal.* 93. Qui plantauit aurem non audiet, &c. *Iſte locus aduerſus eos maximè facit qui Antropomorphytæ ſunt : qui dicunt Deum habere membra quæ nos habemus, &c. Ego autem dico quod Deus totus oculus eſt , totus manus eſt, totus pes eſt, &c.* Qui plantauit aurem, non audiet, &c. *Membra tulit, efficientias dedit.* Hæc *S. Hier.* Infra. *B. Aug.* De ſpiritali autem corpore, quantam capiat in melius mutationem : verū in ſimplicitatem ſpiritus cedat, &c. An quod magis puto , ſed nondum pleno iudicio confirmo, propter quandam facilitatem ſpiritale dicatur :

fateor

Digitized by Google

fateor me nondum alicubi legiſſe,quod mihi ſufficere exiſtimem.

Lib. De videndo Deum,ad Paulinum,ſeu *Epiſt.* 112. *c.* 12. Præſentia videntur,credũtur abſentia. *Cap.* 5. Confert Scripturas pro & contra noſtram viſionem Dei. *Cap.* 6. Conciliat ex *S. Ambr. Lib.* 1. *in cap.* 1. *Luc.* Sacra Script. quod non poteſt videri, dicit apparere. Nam ſi non vult, non videtur: ſi vult, videtur, &c. Refelli non poteſt, Deum ea ſpecie videri, quam voluntas elegerit, non natura formauerit. *Infra.* Deum nemo vidit vnquam, *Ioan.* 1. Quia nemo mente aut oculis comprehendit, &c. Tamen etſi poteſtas non eſt videndi, eſt gratia promerendi: vt videre poſſimus, &c. Nec Deus in loco videtur, nec oculis quæritur, nec circumſcribitur viſu,nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec ſentitur inceſſu: & cùm abſens putatur, videtur; & cùm præſens eſt, non videtur. Hæc *S. Ambr. Cap.* 8. *Aug.* Inuiſibilis eſt igitur naturæ Deus, & incommutabilis,&c. Deſiderium autem piorum non opinor in eandem ſpeciem contuendam flagrat, quâ vt vult apparet quod ipſe non eſt: ſed in eam ſubſtantiam, quâ ipſe eſt quod eſt,&c. 1. *Ioan.* 3. Videbimus eum ſicuti eſt. Non quia Dei plenitudinem quiſquam vel ipſa mente comprehendit. *Cap.* 9. Aliud eſt eum videre, aliud videndo totum comprehendere. Id videtur, quod præſens vtcunque ſentitur: totum autem videndo comprehenditur, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumſpici poſſunt. Sicut te nihil latet voluntatis tuæ: circumſpicere autem poteſt fines annuli tui. *Infra.* Eo modo quo Deus videtur ſicuti eſt, nunc fortaſſe videtur à quibuſdam Angelis: à nobis autem tunc ita videbitur, cum eis facti fuerimus æquales. *Cap.* 11. 12. Explicat illud *B. Amb. Et cùm abſens putatur, videtur:* & cùm præſens putatur, non videtur, vt ſupra *col.* 201. *Cap.* 13. Cenſet *S. Paulum*, 2. *Cor.* 12. & *Moyſen*, *Exod.* 33. Deum in raptu vidiſſe, ſicuti eſt. *Cap.* 14. Colligit ex *S. Amb.* ſupra: *Nec Apoſtoli omnes*, inquit, *Chriſtum videbant. Cap.* 15. Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei, *Epheſ.* 3. Quidam ſic intellexerunt, vt putarent nos hoc futuros quod Deus eſt, &c. Auerſaris iſtum vtique & deteſtaris errorem, &c. Nunc ſi quæris an Deus videri poſſit: Reſpondeo, poteſt. Si quæris, quomodo dictus ſit Inuiſibilis: Reſpondeo, Inuiſibilem eſſe naturâ, videri autem cùm vult, ſicut vult, &c. Si quæris vtrum etiam ſicuti eſt: Reſpondeo, hoc Filijs eſſe promiſſum, 1. *Ioan.* 3. Si quæris vnde eum videbimus: Reſpondeo,vnde Angeli vident, quibus tunc erimus æquales. *Cap.* 17. Ipſam lucem in qua vera perſpicis intuere: & vide vtrum ad eam poſſit accedere vllus radius oculorum. Attende vtrum in ea videas vlla locorum ſpatia, &c. Nihil ibi tale inuenis: ſed vigilanter abigis quicquid ſenſus inuexit, &c. Cui reſiſtere conatus, exclamaui dolens in illa breui Epiſtola: *Audiat caro carnalibus cogitationib᷑ ebria*: Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus, &c.* Si non potes aciem mentis à corporearum ſimilitudinum nubilo ſerenare: eas ipſas attende, &c. Et vnde vinceris, inde conuince,&c. Porrò,ſi corporibus ſimillima, non tamen locorum ſpatijs in noſtra memoria reponuntur: quantò magis quæ nullam gerunt ſimitudinem corporum, vt Charitas? Quantò magis Deus ipſe, cuius hoc pignus in nobis eſt? *Cap.* 20. Quia corpora viſibilia nominantur: Deus inuiſibilis eſſe dicitur, ne corpus eſſe credatur. *Cap.* 21. De ſpiritali corporis qualitate diſſere adhuc aliquid non recuſo, &c. Ne tamen dum altercando quærimus veſtigare, quomodo poſſit videri Deus: ipſam pacem perdamus, ſine qua nemo poterit videre Deum, &c. Non dubito quòd Dei natura nunquam videatur in loco: vtrum poſſit oculis corporeis videri aliquid,quod in loco non videtur, audire paratus ſum,&c. Sunt enim quidam qui Deum ipſum omnino corpus eſſe præſumunt: putantes quicquid corpus non eſt, nullam prorſus eſſe ſubſtantiam. Iſtos omnino auerſandos eſſe cenſeo. Sunt alij qui Beatos etiam per corpus Deum viſuros putant: quoniam talem ſperant corporis ſpiritalis qualitatem, vt etiam ipſa caro ſpiritus fiat, &c. Conatus mentis vtcumque ferendus eſt, volentis corpus conuertere in ſpiritum,non in corpus Deum. *Cap.* 22. Sed eo modo, aut duplicabitur ſpiritus, aut nil aliud dici videtur, quàm corpora nulla futura. *Infra.* Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum, 1. *Cor.* 13. Si ergo tunc corporali Deum facie cognoſcemus: corporali eius nunc facie cogniti ſumus. *Cap.* 23. Sed ab hac carnali conſuetudine orando,& in anteriora nòs extendendo, corda mundentur. *Lib.* 2. *Retract. cap.* 41. Vtrum, vel quomodo Deus,qui ſpiritus eſt, etiam per corpus glorioſum videatur, &c. *Lib.* 22. *De Ciu. Dei*, ſatis explicaui.

Lib. 22. *Ciu.* 29. Quid acturi ſint in corporibus immortalibus, & ſpiritualibus Sancti, videamus, &c. Ibi eſt pax Dei, quæ ſuperat omnem intellectum. *Phil.* 4. Quem, niſi noſtrum, aut etiam omnium Angelorum? Quia pacem Dei, qua ipſe pacatus eſt, ſicut nouit Deus non poſſumus noſſe, nec vlli Angeli, &c. Sed quia & nos pro modulo noſtro pacis eius participes facti ſumus: pro ſuo modo ſciunt eam ſancti Angeli, homines autem nunc longè infra, &c. Sicut illi vident: ita & nos uiſuri ſumus; ſed nondum ita videmus, 1. *Ioan.* 3. Sancti viſuri ſunt Deum in ipſo corpore: ſed vtrum per ipſum, non parua quæſtio eſt. Si *Elizeus* puerum ſuum *Giezi* abſens corpore vidit, 4. *Reg.* 5. quantò magis in illo corpore ſpiritali videbunt Sancti omnia? *Infra.* Habebunt tamen etiam oculi corporei officium ſuum. Longè alterius erunt potentiæ, ſi per eos videbitur illa incorporea natura. *Infra.* Si ratiocinatio Philoſophorum, *Mentis aſpectu intelligibilia videri*, *ſenſu corporis ſenſibilia*, poſſet nobis eſſe certiſſima: certum eſſet per oculos corporis, etiam ſpiritualis, nullo modo poſſe videri Deum. Sed quis dicere audeat Deum corporea iſta neſcire? Sicut ergo conſtat corpora videri ſpiritu: quid ſi tanta erit potentia ſpiritalis corporis, vt corpore videatur & ſpiritus? *Infra.* Fieri poteſt, valdeque credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora: vt Deum vbique præſentem, per corpora quæ geſtabimus, & quæ conſpiciemus,

qua-

Digitized by Google

quaqua verſus oculos duxerimus, clariſſima perſpicuitate videamus: non vt nunc inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt; ſed vt homines viuere videmus, &c. Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, vt aliquid habeant menti ſimile: aut, quod eſt ad intelligendum facilius, ita Deus erit nobis conſpicuus; vt videatur ſpiritu à ſingulis nobis, in ſingulis nobis; videatur ab altero, in altero, videatur in ſeipſo, videatur in omni creatura, videatur & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint oculi ſpiritualis corporis directi. Vt *in* 4. *De* 4. *Nouiſſimis Quæſt*. 7. *&* 11.

Serm. 102. *De diuerſis*, *cap*. 13. Quærit humana curioſitas: putaſne per illud ſpiritale corpus videbimus Deum? In loco non videtur Deus, per partes non videtur Deus, &c. *Cap*. 15. *Regi ſeculorum immortali & inuiſibili*, *&c*. 1. *Tim*. 1. Si mutatur inuiſibilitas, metuendum eſt ne mutetur immortalitas. *Cap*. 16. Teneamus iſtam indeclinabilem confeſſionem. *Cap*. 19. Si caro illa tantam acceperit immutationem, vt poſſit per eam videri quòd non videtur in loco: omnino ita ſit, &c. Conetur vnuſquiſque, quantum potuerit, corpus conuertere in ſpiritum: dum tamen in corpus non conuertat Deum.

4. Ex facili concordia noſtrorum Authorum inter ſe, cum ſacra Script. ſacris Symbolis. Conc. & PP. in hanc noſtram Reſponſionem. Vt patet ex *Alenſi p*. 1. *q*. 2. 7. *p*. 2. *à Quæſt*. 22. *ad* 29. De cognitione Angelorum. *Quæſt*. 98. De cognitione *Adæ* in ſtatu innocentiæ *P*. 3 *q*. 13. De ſcientia Chriſti. Ex *S. Bon*. 1. *per* 4. Quæſt. proœmiales. *Diſt*. 3. De intelligibilitate Dei ab extra. *Diſt*. 22. De nominibus Dei. *In* 2. *Diſt*. 3. *p*. 2. De cognitione naturali Angelorum. *Diſt*. 4. *a*. 2. 3. De cognitione gratuita Angelorum. *In* 3. *Diſt*. 14. De ſapientia & ſcientia Chriſti. *In* 4. *Diſt*. 49. De ſtatu Beatitudinis. Ex *Scoto in* 1. per Quæſtiones prologomenas, & *Diſt*. 1. *per* 5. *Quæſt*. De obiecto, fine, actu, & modo fruendi. *Diſt*. 3. De Deo vt obiecto noſtro naturali, per 9. *Quæſt*. *Diſt*. 22. De nominatione, & conceptu Dei. *In* 2. *d*. 3. *q*. 8. 9. 10. 11. De cognitione Angelorum. *In* 3. *d*. 14. De perfectione cognitionis Chriſti. *In* 4. *d*. 49. De eodem ſtatu beatitudinis per 16. Quæſt.

Quibus adde ex *Quodl*. 14. *Scoti*: *Vtrum anima ſuæ naturali perfectioni relicta poſſit cognoſcere Trinitatem Perſonarum in diuinis*. *A n*. 10. Nec anima, nec Angelus poteſt attingere ad notitiam Dei propriam, & immediatam ex ſua perfectione naturali pro quouis ſtatu naturæ, concurrentibus quibuſuis cauſis naturaliter motiuis. Quia talis notitia Dei requirit ipſum obiectum præſens, vel perfectè repræſentatum ſub propria, & per ſe ratione cognoſcibilis. Deus autem non eſt ſic præſens vlli intellectui creato, niſi merè voluntariè. Ex *S. Ambr*. in *Luc*. 1. ſupra. Nec poteſt repræſentari abſtractiuè ſub propria ratione, niſi per aliquid ab ipſo Deo immediatè cauſatum. *Infra*. Motio omnino prima in entibus, eſt neceſſariò naturalis: quia præſupponitur motioni voluntatis, &c. Primum mobile motione naturali, extenſiuè loquendo, eſt Intellectus diuinus: & ideo primum motiuum motione naturali, eſt Eſſentia Diuina, vt eſt primum obiectum intellectus ſui. Igitur omnino prima motio, eſt motio naturalis intellectus Diuini à ſuo obiecto. Cùmque naturale mouens, moueat quantùm poteſt, & illud obiectum poſſit mouere ad intellectionem ingenitam & actualem ſui, & ad notitiam genitam ſui: ad vtramque naturaliter mouebit, licet ordine quodam priùs operandi actu immanente, quàm producendi, &c. Similiter Eſſentia Dei eſt naturale motiuum intelligendi quodcumque ſimplex: ſed nonniſi illa priùs ſit in omnibus ſuis ſuppoſitis, &c. Sic igitur completa eſt actio merè naturalis, & ad terminum omnino primum, & infinitum: vbi motio omnino prima eſt quaſi elicere intellectionem, & huic proxima gignere Verbum. Hanc ſequitur actio non naturalis, ſed neceſſaria. Et hæc eſt motio voluntatis, ad amare ſimplex, & ad amorem producendum, &c. Completo autem iſto proceſſu originis reſpectu Eſſentiæ Diuinæ communicandæ, ſequitur alius ordo reſpectu creabilis. Eſſentia Diuina in hoc 2. ordine mouet primò ad ſimplicem intelligentiam omnis intelligibilis, vt iam eſt in tribus Perſonis: non autem mouet ad diſtinctam notitiam vllius complexionis; quia ſi moueret determinatè ad alteram partem contingentium, Deus neceſſariò intelligeret eam, nec eſſet contingens, ſed neceſſaria, &c. Si quæras quare non neceſſariò mouet ad talem qualem cognitionem? *Reſp*. Quia vel non eſſet determinata, vel cognitum eſſet neceſſariò determinatum. Completo toto ordine motionis neceſſariæ, ſequitur motio contingens per voluntatem. 2. Ad extra. Primò igitur determinat ſe ad volendum hoc fore determinatè. 2. Intellectus videns iſtam determinationem infallibilem voluntatis: nouit hoc eſſe futurum, &c. Completà motione contingenti ad intra, ſequitur motio ad extra, &c. Nullum igitur intellectum creatum mouet Eſſentia, vt Eſſentia; per modum naturæ: ſed voluntas Dei immediatè. *N*. 17. Eſſentia Diuina motiua eſt immediatè ſui intellectus: ſed non intellectus creati, &c. Quælibet eſſentia creata eſt immediatè motiua intellectus creati, & ideo motione naturali: nulla autem voluntas creata, eſt motiua ad intellectionem alicuius eſſentiæ, vt eſſentia eſt; quia non continet eam perfectè, &c. Eſſentia Dei vt prior voluntate, eſt obiectum primum & immediatum, vt terminatiuum viſionis beatæ: non tamen vt motiuum, niſi remotè, &c. Per hoc patet, quòd ſi illa Eſſentia non eſſet formaliter volens, nihil poſſet cauſare ad extra: quia non niſi naturaliter & neceſſariò, cùm nihil ſit neceſſarium ad extra, &c. *N*. 18. Eſſentia & voluntas Dei non ſe habent vt mouens ſuperius, & inferius, attingendo ipſum motum: ſed ſola voluntas, ſuppoſita motione Intellectus Diuini ab ipſa Eſſentia, &c. Voluntas, eſt perfectè idem cum Eſſentia: ideo poteſt eſſe principium motiuum videndi Eſſentiam, vt Eſſentia eſt. *N*. 19. Voluntas Dei vt infinita, perfectè, identicè, & vnitiuè continet perfectionem infinitam Eſſentiæ: ideoque poteſt eſſe principium communicandi Eſſentiam. *N*. 20. Hine vide-

Digitized by Google

videtur ſequi, quòd Eſſentia Dei non eſt repræſentatiua ſui *S. Michaëli*, priùs naturâ quàm viſio cauſetur in *Michaële*. Ergo multò minùs eſt repræſentatiua alicuius alterius; ſed tam ipſa, quàm alia contingenter repræſentatur per actum voluntatis; ita vt ipſum repræſentare non eſt præcedens ipſam intellectionem obiecti. Sed repræſentatio prior in memoria diuina, non eſt propriè niſi ipſum obiectum præſens. *Contra*. Quomodo ergo Beatus videt obiectum ſecundarium in ipſa Eſſentia, ſi non eſt ibi repræſentatum? *Reſp.* Lapis videtur in Eſſentia Diuina: non vt in ſpeculo in quo reluceat vt obiectum præſens; ſed ipſa Eſſentia ſe ſolam, & ſoli ſuo intellectui repræſentat ante actum intelligendi. Sed lapis videtur in Eſſentia Diuina, vt obiectum ſecundarium in primo: non motiuo ad intellectionem ſecundi, vt mouet intellectum primum; ſed ordine obiecti primi & ſecundi terminantis, voluntate mouente ad iſta duo obiecta ordine quodam actum intellectus terminantia. N. 21. Anima ex naturalibus, in quouis ſtatu, vel Angelus, non poteſt cognoſcere Eſſentiam Diuinam ſub ratione propria immediatè, &c. Quia nihil aliud continet eam perfectè ſub ratione entitatis: igitur nec ſub ratione cognoſcibilitatis. N. 22. Nihil ſufficienter continet, continentia virtuali, ipſam notitiam, niſi contineat obiectum cognoſcibile, vt proprium eius repræſentatiuum formale, vel virtuale. Species autem proprij obiecti, & ſi minuta in entitate, continet ipſum vt eius repræſentatiuum formale: ſed virtuale, debet virtualiter continere ipſum formale; & ſi eſt obiectum cognitum, debet continere illud obiectum quaſi per ipſum eſt cognoſcendum, &c. Poteſt dici quòd tam anima quàm Angelus poſſit naturaliter noſſe ſe abſolutè: ſed non vt eſt imago Dei, relatiuè ad terminum. Ex *B. Aug.* 15. *Trin.* 24. *vel* 70. Qui vident ſuam mentem, & in ea memoriam, intelligentiam, & voluntatem: nec tamen credunt eſſe imaginem Dei & SS. Trin. Speculum quidem vident, ſed vſque adeo non vident per ſpeculum, vt nec ſciant eſſe ſpeculum .i. imaginem. *N.* 23. *Contra*. Quod includit aliud in entitate, & in cognoſcibilitate: Eſſentia animæ includit relationem imaginis in entitate, ergo & in cognoſcibilitate. *Reſp.* Non includit eam in entitate, vt totalis eius cauſa: ſed vt cauſa proxima, ſuppoſita alia .i. termino, &c. Includit eam & in cognoſcibilitate: ſed ſuppoſita alia cauſa eius in cognoſcibilitate. *N.* 26. Medium cognoſcendi, vel eſt vt per ipſum cognitum aliud cognoſcatur: vel vt ſit ſola ratio cognoſcendi. 1. modo nihil poteſt eſſe medium cognoſcendi aliud, niſi contineat in ſe cognoſcibilitatem illius obiecti, ſecundùm quàm iſtud cognoſcitur per illud: quia ſi iſtud excedat illud in cognoſcibilitate, tunc illud qualitercumque perfectè cognitum, deficiet ab iſto cognito in cognoſcibilitate. 2. modo, benè poteſt aliquid eſſe medium cognoſcendi aliud, licet cognoſcibilitas ſua propria deficiat à cognoſcibilitate illius: dum tamen ſit natum ducere in illud vt cognoſcibile, &c. Anima, licet ſit imago Dei: non tamen eſt nata eſſe medium cognoſcendi Deum 2. modo, ſed tantùm primo modo. Medium autem ſecundo modo, eſt aliquod proprium formale repræſentatiuum ipſius animæ. Et per illud cognoſcitur anima ſub propria ratione, tanquam perfectiſſimum repræſentabile per illud: & per conſequens per illud non poteſt intelligi. Deus ſub ratione ſuæ intelligibilitatis; ſed tantùm in aliquo diminuto intelligibili, imitante & participante intelligibilitatem eius, &c. Intellectus cui actus ineſt, per illum vt rationem proximam attingit obiectum: ſuppoſita tamen præſentia propria obiecti. Cui autem ille actus eſt cognitus, non habet illum vt ſibi propriam rationem attingendi: ſed oporteret habere alium actum quo formaliter attingat; & cum hoc, propriam præſentiam obiecti, &c. Anima beata poteſt reflecti ſuper actum ſuum beatificum: ſed nonniſi eâ vi qua habet actum rectum.

5. Ex lumine naturali, quo & Athenienſes habebant Aram inſcriptam *Ignoto Deo*, *Act.* 17. & Ægyptij vnum ſimulacrum facie velata: totiuſque noſtræ *Reſp.* rationabili explicatione. *Solus Deus eſt incomprehenſibilis, Inuiſibilis, & Ineffabilis.* Quia ex *B. Aug. Lib. ſeu Epiſt.* 112. *De videndo Deum.* Comprehenſio eſt tam perfecta viſio, intenſiuè, & extenſiuè: vt nihil obiecti lateat, & *omnes eius fines circumſpiciantur*. Eſt enim cognitio totalis obiecti, & totaliter, totalitate intelligibili. Et *Lib.* 12. *Ciu.* 18. Quicquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur] .i. ex *Scoto in* 3. *d.* 14. *Ad* 2. *Arg.* Non quaſi obiectum finiatur in ſe: ſed ipſi ſcienti .i. Intellectualitas ſcientis, ſua comprehenſione adæquat totam intelligibilitatem obiecti: non ſolùm intenſiuè, ſed & extenſiuè, ſeu terminatiuè. Quia hoc eſt *omnes eius fines*, ſeu terminos, non ſolùm intrinſecos, ſed etiam extrinſecos *circumſpici*. Vnde patet quòd Deus nec ſit, nec dicatur ſibiipſi Incomprehenſibilis, quia non habet vllum finem intrinſecum qui circumſpici poſſit: ſed ſoli intellectui finito; quia nec poteſt adæquare intenſiuè infinitam intelligibilitatem Dei; nec extenſiuè circumſpicere infinita poſſibilia, ad quæ intellectus, voluntas, & potentia Dei terminari poteſt. Vt autem ſolus Deus, non vlla creatura, ſit incomprehenſibilis: ad comprehenſionem creaturæ, ſufficit vt quicquid eſt ei intrinſecum adæquatè cognoſcatur: & omnes eius termini, ſeu ad quos cauſaliter, vel relatiuè terminatur, aut terminari poteſt circumſpiciantur, non autem neceſſariò adæquentur. Alioquin nulla creatura poteſt comprehendi: niſi comprehendendo Deum, à quo eſſentialiter dependet, & ad quem variè terminatur. Vel ſolus Deus eſt Incomprehenſibilis ex ſe: reliqua nonniſi ex dependentia à Deo. Ex 1. *Ioan.* 3. & *B. Aug.* ſupra, Eſt cognitio rei ſicuti eſt. Ex *Scoto d.* 1. *q.* 2. *n.* 6. *d.* 3. *q.* 3. *n.* 2. *d.* 10. *q.* 1. *n.* 14. *In d.* 3, *q.* 9. *n.* 19. *In* 3. *d.* 14. *n.* 4. *In.* 4. *d.* 10. *q.* 8. *d.* 45. *q.* 2. *d.* 49. *q.* 20. *Quodl.* 7. 13. 14. Viſio eſt cognitio intuitiua obiecti vt exiſtentis, præſentis, & ad ſui cognitionem obiectiuè influentis, vel per propriam entitatem immediatè, vel mediante propria ſpecie actuali. Non quaſi ad viſionem cuiuſcumque neceſſaria ſit eiuſdem pro-

propria exiſtentia, præſentia, & influentia: cùm Deus perfectiſſimè videat omnia præterita, præſentia, & futura, independenter ab eorum exiſtentia, præſentia, & influentia. Vt expreſsè *Scotus* 1. *d.* 10. *q.* 1. *n.* 14. Sed poteſt ſuppleri defectus propriæ exiſtentiæ, præſentiæ, influentiæ, imò & terminationis obiectiuæ: ſaltem per obiectum & intellectum infinitum; quo perfectiùs & actualiùs repræſentatur, & videtur exiſtentia rei actualis, quàm in ſeipſa. Poteſt ergo viſio intellectualis dici & intelligi cognitio rei *ſicuti eſt*, vel *vt exiſtentis, præſentis, & influentis*. 1. Specificatiuè .i. rei quæ verè eſt actu, ſicut cognoſcitur eſſe, & ſecundùm eius exiſtentiam actualem. Quamuis enim cognitio abſtractiua poſſit eſſe etiam de exiſtentia, & de actuali: non tamen vt actuali, à qua vtique eſt abſtractiua. Sicque viſio poſſet eſſe rei, nec vt actu præſentis, nec vt actu influentis; ſed vt actualiter exiſtentis, ſeu vt reuera actu exiſtit. 2. Reduplicatiuè, ſeu exprimendo cauſam, aut conditionem neceſſariam ad viſionem: quæ cauſa ſit ipſa rei viſæ exiſtentia; conditio neceſſaria ad cauſandum, ſit eius præſentia; cauſalitas, ſit ipſa actualis influentia. Quæ tria videtur *Scotus* tam neceſſariò exigere ad viſionem: vt nec à Deo ſuppleri poſſint. Vt patet ex 2. *d.* 3. *q.* 11. *n.* 11. Si Angelus haberet notitiam ſingularis non acceptam à rebus: adhuc neceſſariò acciperet notitiam exiſtentiæ actualis, vel non, &c. Quia ex notitia quidditatum non poteſt cognoſci complexio contingens exiſtentiarum, &c. N. 12. Dico 3. Quòd quantumcumque haberet ſibi concreatam notitiam ſingularis, & exiſtentiæ contingentis: tamen cognitionem intuitiuam ſingularium, neceſſariò recipit à rebus. Non enim omnis cognoſcens exiſtentiam alicuius, cognoſcit ipſam intuitiuè: quia poteſt cognoſcere ipſam abſtractiuè. Nam cognitionem intuitiuam ſingularium non poteſt habere in verbo, vbi tamen cognitionem exiſtentiæ habet: & ideo ad cognitionem intuitiuam rei neceſſariò concurrit obiectum reale.] Sed hæc videntur contra ſacram Script. & SS. Patres, precipuè *Aug.* qui tam ſæpè præfert viſionem rerum omnium in Verbo, viſioni earum in ſeipſis: imò & contra ipſum *Scotum*, qui 1. *d.* 1. *q.* 2. *n.* 6. *& alibi ſæpè*, tribuit Deo perfectiſſimam viſionem ſui, & omnium aliorum in ſe; & *Diſt.* 2. *q.* 3. *n.* 2. & alibi ſæpè, non exigit ad cognitionem rei perfectiſſimam, niſi vt ſit ex eius eſſentia, vel ex obiecto eminentiori. *Reſp.* 1. Poſſe cointelligi, quòd cognitio rerum in Deo non ſit viſio naturalis: ſed ſupernaturalis, & pluſquàm viſio. 2. Quòd Deus quidem videat omnia in ſeipſo: quia ex propria eſſentia vt obiecto infinitè perfectiori in eſſendo, & repræſentando rerum omnium exiſtentiam, ſuppoſita de eis voluntate ſua, quàm ſint res ipſæ exiſtentes. Nulla tamen creatura poteſt ſic videre ex ipſa Eſſentia Dei, vt immediatè motiua: ſed ſolùm vt terminatiua viſionis cauſatæ à libera voluntate Dei. Itaque hæc viſio rerum exiſtentium in Deo, non eſſet viſio ex obiecto vt motiuo, ſed vt terminatiuo. 3. Fortè *Scotus* ſupra non negat viſionem illam in verbo: ſed potentiam videndi, ſeu *poſſe ſic videre*; quia dependet à libera voluntate Dei, ſuppoſita etiam viſione Eſſentiæ. 4. Eſſentia mouet obiectiuè intellectum & voluntatem Dei, ad cauſandam in Beatis viſionem ſui & aliorum in ſe. Sicque hæc viſio non eſt immediatè ex obiecto, ſed mediante voluntate Dei. In quos ſenſus poteſt exponi illa definitio *Viſionis rei ſicuti eſt*, vel *vt exiſtentis, præſentis, & influentis:* non ſolùm, *vt ſpecificatiuè*, vel *reduplicatiuè* vt ſupra; ſed etiam 3. comparatiuè, & ſuperlatiuè .i. ſimiliter, æqualiter, vel etiam perfectiùs, quàm ipſa ſit in ſe, vel poſſit videri ex ſeipſa.

Hinc patet quo ſenſu ſolus Deus ſit Incomprehenſibilis, & Inuiſibilis. 1. Eſt Solus Inuiſibilis abſolutè, omni viſu & ſenſu corporeo. Quamuis enim omnia ſpiritualia ſint ex natura ſua per ſe inſenſibilia; poſſunt tamen ita vniri ſenſibilibus, vt per ea cognoſcantur. 2. Eſt ſolus Inuiſibilis naturaliter, ab omni creatura poſſibili .i. nulla creatura habet vim naturalem videndi Deum; ſed quidlibet infra Deum. 3. Solus eſt nobis inuiſibilis ex ſe, ſeu, ex propria natura & Infinitate obiecti. Quòd cum ſit infinitum, ex ſe naturaliter mouens, & terminans quantùm poteſt: non poteſt eſſe immediatè motiuum & terminatiuum vllius intellectus finiti, vt incapacis infinitæ motionis ac terminationis obiectiuæ; ſed ſolùm mediante libera ſua voluntate, eiuſque determinatione, non in ipſum obiectum, ſed in ſubiectum & eius actum, ſeu viſionem obiecti. Qui modus Inuiſibilitatis Dei, eſt perfectiſſimus, & vnᵘ idemque cum Incomprehenſibilitate.

Ex quo etiam facilè perſuadetur illa opinio *Scoti* ſupra, 1. *d.* 1. *q.* 1. & alibi: De abſolutè poſſibili viſione & fruitione, non tamen comprehenſione Eſſentiæ Diuinæ, ſine Perſonis, & vnius ſine alia ſaltem non correlatiua; imò & vnius perfectionis diuinæ, ſine alia ſaltem attributali. Quia cùm habeant proprios & diſtinctos conceptus obiectiuos: nec Eſſentia moueat aut terminet naturaliter quantùm poteſt, vllam viſionem & fruitionem finitam, niſi mediante libera voluntate determinante: cur hæc non poſſit abſolutè terminare & determinare viſionem & fruitionem ad ſolam Eſſentiam, vel ad vnam perfectionem per ſe viſibilem & fruibilem, ſine alia.

Ineffabilitas ſoli Deo propria, poteſt intelligi, 1. De ſola Ineffabilitate vocali inter viatores: qui cùm non habeant propriũ & diſtinctum conceptum Dei, nec poſſunt illum inter ſe exprimere; ſed tantùm appropriare, per aliquam compoſitionem. Quamuis enim nec vlla alia obiecta videantur verbis exprimi poſſe: poſſunt tamen verbis doceri, & in memoriam reuocari, ſub aliquo conceptu proprio & diſtincto; non ſic autem Deus. 2. De ineffabilitate mentali, ſub conceptu proprio & diſtincto. 3. De Ineffabilitate naturali. 4. De Ineffabilitate mentali, Dictione Verbi propriè dicti, ex ipſo obiecto, & in eius expreſſam ſimilitudinem. Quo ſenſu coïncidit cum Inuiſibilitate. 5. De Ineffabilitate, non ſolùm à fando, ſeu dicendo: ſed ab effando, ſeu edicendo toto, & totaliter. Quæ eſt ipſa Incomprehenſibilitas in dicendo, potiùs quàm in intelligendo.

De

De qua diſtinctione infra, ſub Quæſt. De intellectu Dei, & de SS. Trin. 1. Modus ineffabilitatis, eſt inter ſolos viatores: qui non poſſunt ſibi inuicem ſignificare intuitiuè, nec diſtinctè, quod non poſſunt concipere. Sed poſſunt Beatis ſignificare intuitiuè, & Deo comprehenſiuè: non tantùm vtendo nominibus à Deo inſtitutis, ſed etiã ea ad hunc finem inſtituenda. Quia Viatores ſciunt Beatos videre Deum, & Deum ſe comprehendere: ergo poſſunt referre ſuam inſtitutionem & ſignificationem ad illorum captum. Reliqua noſtræ *Reſp.* breuiter expediamus: vſque ad difficultates, infra. *Vno eodemq́, modo intrinſeco, &c.* vt ſupra, ad ſingulos modos. *Inter quos, eſt infinita fruibilitas.* Quia Deus obiectiuè eſt æquè fruibilis, ac viſibilis; æquè incomprehenſibilis fruẽdo, ac videndo, æquè ſupra capacitatem noſtram perfectè fruendi, ac videndi. *Et ſi quæ alia infinita volibilitas Dei à ſeipſo, &c.* i. Si ſit poſſibilis alius affectus voluntatis Dei ad ſeipſum, quàm Fruitio: de quo ſub Quæſt. De voluntate Dei. Quia quamuis prima Veritas, ſeu veracitas Dei, ſit nobis nimis credibilis, *Pſal.* 92. Sicque vt Deus eſt obiectum noſtræ Spei, Timoris, Obedientiæ, Charitatis, Laudis, Adorationis. Hæ tamen relationes Dei obiectiuæ ad nos, non ſunt reales; nec omnes videntur eſſe poſſe infinitæ, aut formaliter in Deo. Quia Deus non eſt ſibi ipſi obiectum fidei, ſpei, timoris, &c. ſed ſolius charitatis. Vnde illud, *nimis credibile*, Pſal. 92. *nimis laudabile* .i. hebraicè *valde*; non fortè actu infinitè, ſed ſaltem in infinitum. Niſi credibilitas Dei ſumatur pro infinita certitudine obiectiua: de qua ipſe Deus eſt infinitè certus formaliter, ſicque reliqua obiecta noſtrorum actuum imperfectorum ſint in Deo ſimpliciter perfecta, infinita, & digna aliquo affectu, vel actu formali Dei, & infinito. Vt Deus eſt infinitè glorioſus & laudabilis, & laudatus etiam à ſeipſo ab æterno, per clariſſimam ſuiipſius notitiam & expreſſionem, ſuo Verbo ſiue Filio; vel eſt infinitè collaudatus inter Perſonas Diuinas. Voluntas Dei vt infinitè recta & perfecta, eſt digna infinito conſenſu inter Perſonas Diuinas, &c. Ipſa iuſtitia vt infinita obiectiuè eſt digna infinita approbatione Dei. Sed omnia vt obiectiuè, formaliter vel identicè infinita ſunt digna infinita complacentia, ſeu fruitione Dei in ſeipſo, & reciproca Perſonarum Diuinarum inter ſe.

Præter quos, &c. ſupra *col.* 240. & infra. *Nec hic modus eſt contra noſtrum finem, & inclinationem naturalem* .i. contra noſtram capacitatem ſaltem paſſiuam; imò & aliquantulum actiuam. *Nec contra poſſibilem, &c.* Vt in 4. *Quæſtione noſtra* 7. *&* 11. De 4. Nouiſſimis. *Non neceſſariò per lumen habituale gloriæ: ſed ſaltem, &c.* i. non negando illud lumen: ſed eius neceſſitatem abſolutam, ad viſionem; vt infra ad hanc difficultatem.

Difficultas 1. *ex S. Script.*

1. COr. 9. Sic currite vt comprehendatis. *Epheſ.* 3. Vt poſſimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum; *Phil.* 3. Sequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto IESV. 1. *Cor.* 13. Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum à Chriſto IESV. 2. *Cor.* 3. Nunc autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, &c. 1. *Tim.* 6. Deum nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt. Ex illis locis videtur Deus etiam hic & nunc viſibilis & comprehenſibilis: ex hoc autem, impoſſibile vt ab homine videatur.

Reſp. Ad 1. 2. 3. Ibi comprehendere ſumitur pro peruenire, & apprehendere: vt opponitur curſui, tendentiæ, & ſequelæ, ſeu proſecutioni ibidem expreſſæ. Imò *Epheſ.* 3. exponitur ab *Aug. Epiſt.* 112. *Lib.* 2. *Doct. Chriſt. cap.* 41. & alibi, de quadam comprehenſione ſeu perfectione viæ, in Fide, Spe, & Charitate. *Ad* 4. ſeu 1. *Cor.* 13. *Sicuti* .i. ſimiliter, non æqualiter: vel ad quantùm præcognitus & præuolitus ſum à Deo, & Chriſto *Ad* 2. *Cor.* 3. Ex *B. Aug. Lib.* 15. *Trin. cap.* 8. *Speculantes* .i. per ſpeculum videntes, vt 1. *Cor.* 13. non de ſpecula proſpicientes, &c. Vnde patet, *faciem nunc reuelatam eſſe*, à velo legis Moſaicæ; necdum tamen ab obſcuritate fidei, ſed ab ea tandem reuelandam eſſe. *Ad* 1. *Tim.* 6. Negat potentiam humanam videndi Deum, imò & viſionem vt humanam ſeu naturalem, non autem ſupernaturalem, vt ſupra.

2. *Ex ſacris Concilijs.*

1. COncilium *Vien.* ſub *Clemente* 5. inter 8. errores *Beguardorum, & Beguinarum*, condemnauit hunc 5. *Quòd qualibet intellectualis natura in ſeipſa eſt naturaliter beata*: quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & Deo beatè fruendum. Contra illam opinionem *Scoti, d.* 49. *q.* 11. *Lumen gloriæ non videtur eſſe neceſſarium: quia quò obiectum eſt magis ex ſe lux, eò minus requirit lumen.* Nec ſufficit illuminatio actualis ab obiecto, vel voluntate Dei. Quia *Conc.* exigit lumen, non autem ſolam illuminationem, diſtinguitque hanc neceſſitatem luminis gloriæ, à neceſſitate communi gratiæ actualis. 2. *Benedictus* 12. *Conc. Flor. in Decreto Eugenij. Trid. ſeſſ. vlt.* definiunt Beatos ex nunc videre Deum clarè & immediatè: ergo non mediante voluntate, aut vllo medio lumine, vel ſpecie; ſed facie ad faciem.

Reſp. ex ipſo *Scoto* 1. *d.* 17. *q.* 3. *Ad vlt.* Si arguitur, quòd ſine habitu informante poteſt eſſe viſio perfecta: ergo & fruitio perfectiſſima. Reſpondeo, Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu: & iſte ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex parte voluntatis. *In* 3. *d.* 14. *q.* 1. *a.* 2. Docet quidem animam Chriſti poſſe paſſiuè recipere viſionem Verbi immediatè, ſine priori lumine; ſed non elicere. *Contra, ibidem.* Lumen prærequiritur ob imperfectionem obiecti, quod vel non eſt de ſe actu intelligibile, vel non ſufficiens per ſe ad mouendum intellectum, &c. Eſſentia Diuina eſt lux ſumma ex ſe: ergo nullum lumen requirit, &c. *Infra.* Si quis actus eſſet ex natura

ſua

Digitized by Google

ſua ita permanens, ſicut habitus: non oporteret ponere habitum, &c. Sed viſio beata eſt ex natura ſua ita permanens; ergo, &c. Si obijciatur: tunc poſſet intellectus ex puris naturalibus videre Verbum; quia ſine lumine gloriæ, & ſine habitu præcedente viſionem. *Reſp*. Quòd conclusio videtur ſequi, ponendo lumen vel habitum præcedentem viſionem: ita quòd ſit neceſſaria, vel ſufficiens ratio viſionis. Si enim cœcus illuminatur, naturaliter videt, &c. Ita ſi detur intellectui habitus, quo poſſit videre Deum, &c. Sed non ſequitur negando lumen præcedens, &c. Ad formam Arg. non ſequitur niſi quòd intellectus animæ Chriſti poſſet naturaliter in viſionem: ſed non ſequitur quòd viſio poſſit ſibi ineſſe ex naturalibus, &c. Quia non poteſt ibi ineſſe, niſi à Verbo immediatè, & ſupernaturaliter cauſante iſtam viſionem. Sic & *in* 4. *d*. 49. *q*. 11. Ergo videtur non ſolùm negare neceſſitatem luminis habitualis gratiæ: ſed etiam ipſum habitum huius luminis; imò & omnem illuminationē actualem diſtinctam ab ipſa viſione.

Reſp. Ex eadem *d*. 14. *q*. 2. *conſequenter*. Si quæratur vtrum ſine tali habitu vel lumine poſſit intellectus creatus, non tantùm paſſiuè ſe habere ad talem viſionem, ſed etiam actiuè ad eliciendum tantam & æquè perfectam. Supponendo quòd poſſit ſe habere actiuè: poteſt dici vt ad *Quæſt*. 4. *d*. 13. Sed quantùm ad receptionem: non videtur ſimpliciter neceſſarium, concedere obiectum priùs perficere intellectum, quàm viſionem. Sed ſi poteſt recipere: congruum eſt vt illis perfectionibus ordinatè perficiatur. Sed vtraque poſſet ineſſe ſine alia.] Hinc patet *Scotum* non negare congruitatem, & receptionem actualem huius luminis ante viſionem: nec omnem eius neceſſitatem ad eliciendam viſionem; ſed ſolam neceſſitatem abſolutam, quæ non poſſit ſuppleri æquiualente illuminatione actuali. Nec cenſet lumen non requiri niſi ex defectu obiecti: ſed ex aliquò defectu obiecti naturalis; ex nimia autem perfectione obiecti Diuini ſupra lumen noſtrum intellectuale. Quod indiget maiori illuminatione lucis obiectiuæ: non ad ſupplendum defectum obiecti, ſed ſolius potentiæ. Retorquet autem obiectionem in oppoſitum: quòd per lumen habituale gloriæ, videretur potiùs viſio Dei naturalis, potentiæ ſic illuminatæ; quàm illuminatæ actualiter. Quia potentia cum illo habitu videretur habere vim intrinſecam permanentem, & ſufficientem ad viſionem Dei. Sed reuera neutrum ſequitur: quia vt *Scotus*, *Quamuis intellectus poſſet naturaliter, vel ex illo habitu in viſionem: viſio non poſſet ei ineſſe ex ſolis naturalibus; ſed neceſſariò à verbo immediatè & ſupernaturaliter eam cauſante.* Quia & intellectus ſolus poteſt aliquid in viſionem, & multò plus cum illo habitu: ſed nunquam ſufficienter, niſi actione, ſeu illuminatione actuali, & ſupernaturali ipſius Dei immediatè; non ſolùm vt obiecti ſupernaturalis noſtro intellectui, imò & illi habitui; ſed potiùs vt Agentis ſupernaturaliter, ſeu ſupplentis defectum illius potentiæ & habitus, ad talem actum. Vnde non vult à Verbo vt obiecto immediatè cauſari viſionem: contra *Quodl*. 14. ſupra; ſed à *Verbo*, vt volente, ſeu per ſuam liberam voluntatem, quæ non mediat propriè inter nos & Deum, vt obiectum cui identificatur. Cùm ergo ſit equidem neceſſaria illuminatio, & eleuatio actualis intellectus, & ipſius habitus, ad viſionem Dei, vt obiecti liberi, & ſupra omnem exigentiam creaturæ: quid mirum quòd *Scotus* neget neceſſitatem abſolutam illius habitus, qui nec ſufficit ad viſionem Dei, & ſine quo ſufficere poteſt illuminatio ſeu eleuatio actualis? Sed cùm *Scotus* ſupra, ſe referat ad ſimile, *d*. 13. *q*. 4. vbi tam expreſsè docet voluntatem ordinatè perfici charitate in actu primo, ad fruitionē beatificam: conſequēter idem cenſet ad de perfectione ordinata intellectus in actu primo, lumine gloriæ, ad viſionem Dei; ſiue vt diſpoſitione ad eam recipiendam, ſiue etiam vt concauſa, ſed necdum ſufficiente, ad eam eliciendam. Sic & *in* 4. *d*. 49. *q*. 11. *col. noſtra* 942.

Nec *Concilium Vien*. condemnat ibi duos errores: ſed recenſet vt vnicum explicitè. Nec exigit lumen habituale: ſed lumen gloriæ; quo vt actualiter dependente à luce, ſolet etiam ſignificari illuminatio actualis. Nec denique diſtinguit neceſſitatem communem gratiæ actualis, ab hac neceſſitate luminis habitualis: ſed explicat ſenſum illius erroris.

Ad 2. Ex *Quæſt*. noſtra 7. & 11. *in* 4. *De* 4. *Nouiſſimis*. Nec viſio Dei habet voluntatem Dei pro medio *Quod*, ſeu per *Quod* vt cognitum: nec pro medio *Quo* incognito; ſed pro cauſa influente, & ſupplente defectum intellectus, & cuiuſuis habitus. Nec poteſt intelligi, Deum videri immediatè ex ſolo obiecto præſente, & obiectiuè influente, ſine actione voluntatis Dei in intellectum, & cum intellectu, ad effectum viſionis Dei. Nec denique voluntas mediat inter intellectum, & Eſſentiam Diuinam, vt obiectum cui voluntas eius identificatur. Ad videndum ergo Deum immediatè, Facie ad faciem, prout 1. *Cor*. 13. & 2. *c*. 3. opponitur viſui per ſpeculum in ænigmate, imò prout opponitur cuiuis viſioni per medium *Quod* vel *Quo*, ſeu per quamcumque repræſentationem Dei: neceſſarium eſt vt obiectum beatificum influat obiectiuè & immediatè in ipſam viſionem beatam: ſed per ſuam voluntatem, ſeu mouendo obiectiuè voluntatem propriam, ad ſupplendum cauſaliter defectum intellectus finiti; ſufficitque vt viſio terminetur immediatè ad ipſum obiectum beatificum .i. ſine vllo alio medio terminatiuo, imo nec obiectiuè motiuo.

3. *Ex SS. Patribus.*

Plerique Græci, & Latini negant Deum videri poſſe ab vlla creatura, ſeu vllam creaturam eleuari poſſe ad veram viſionem Dei. Vel ſi loquimur de viſu ſenſitiuo: non cenſent eum aliter eſſe Inuiſibilem; nec hanc inuiſibilitatem eſſe ſoli Deo propriam. Imò non pauci videntur ſperare viſionem Dei oculo glorioſo. Vt patet ex *B. Aug. ſupra*, & Patribus ab eo citatis. Quibus adde *S. Chryſoſt. Hom. 1. De Incomprehenſibili Dei natura*. Ex parte cognoſcimus, &c. 1. *Cor*. 13.

Non

Digitized by Google

Non dicit partem cognoſcimus: ſed ex parte .i. partis partem tenemus. *Infra.* Quantum eſt inter virum perfectum, & lactentem puerum: tanto futura ſcientia, præſente præſtantior eſt. *Infra.* Videmus nunc per ſpeculum, 1. *Cor.* 13. Deum totum vbique eſſe noui: ſed quemadmodũ ſit, neſcio. *Infra.* Contendere ſcire quid ſubſtantiæ Deus ſit: poſtremæ eſſe inſaniæ iudico. *Pſal.* 138. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. *Pſal.* 146. Scientiæ eius non eſt numerus .i. nulla eſt comprehenſio. *Eſa.* 53. Generationem eius quis enarrabit? *Rom.* 11. Quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! 1. *Cor.* 2. Nec in cor hominis aſcendit. *Phil.* 4. Pax Dei excedit omnem intellectum. 1. *Cor.* 13. Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum, à Deo ſcilicet. Deum igitur ipſum ex parte cognoſcit: non ita vt partem nouerit, partem ignoret, cùm Deus natura ſimpliciſſima ſit; ſed quòd Deum eſſe nouit, quid autem ſit ignoret. Sapientem eſſe ſcit: quantum, neſcit, &c. *Infra.* Sed cœlum petamus, & an ibi ſint qui Dei ſubſtantiam norunt, quæramus. *Infra.* Audiamus Angelos ipſos: non quòd de Dei ſubſtantia diſputent inter ſe; ſed quòd glorificant, adorant, &c. Alij gloriam in excelſis Deo modulantur, *Luc.* 2. Alij Sanctus, Sanctus, Sanctus concinunt, & ſuos auertunt oculos, &c. *Eſa.* 6. Homines petulantes ſcrutantur, & contendunt impudenter inſpicere, &c.

Hom. 2. *Anomæi* ſe ita Deum noſſe aſſerunt, quemadmodum Deus ſeipſum nouit. Hoccine refelli debeat argumentis? *Infra. Eſa.* 40. *Quaſi ſtillæ ſitulæ omnes gentes in conſpectu Dei, &c.* Dic quæſo quota eius guttæ particula ſis, &c. *Infra.* O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? *Phil.* 3. Ego me nondum arbitror comprehendiſſe, &c.

Hom. 3 Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli ſapienti Deo, &c. 1. *Tim.* 1. Solus habet immortalitatem, & lucem inacceſſibilem habitat, 1. *Tim.* 6. Vt intelligas quàm ipſe inacceſſibilis ſit, quando quod inhabitat inacceſſibile eſt, &c. Inacceſſibile, longè pluſquàm incomprehenſibile eſt, &c. *Hominibus*, inquis, *lux illa incomprehenſibilis eſt, non Angelis, &c.* Infra. *Eſa.* 6. Seraphim duabus alis obuelabant facies ſuas, &c. Quanquam non ipſam merã videbant lucem: nec ipſam ſinceram ſubſtantiam; ſed quæ videbant, condeſcenſus erat & indulgentia. Quid condeſcenſus ſignificat? Cùm Deus, non vt eſt, ſe oſtendit: ſed quoad videre is poteſt, qui aſpectum huiuſmodi meruit, eatenus infirmitatem videntis ſuam repræſentationem, metitur ac temperat; condeſcendere illum tantiſper dicimus, &c. Conſtat condeſcenſum fuiſſe, *Eſa.* 6. Vidi dominum ſedentem. At Deus non ſedet, &c. Attamen ne condeſcenſum quidem ferre potuerunt, &c. *Seraphim ſtabant circa eum, &c.* Vt propiùs quàm nos eſſe oſtenderet, &c. Quantò Sapientiores ſunt naturâ humanâ; tantò perfectiùs norunt, &c. *Infra.* Cùm Seraphim alis ſeſe obuelant: nulla alia ratio eſt, quàm lux inacceſſibilis, quam Deus inhabitat. Nec Seraphim ſolùm; ſed etiam Cherubim, qui his ſuperiores virtutes ordinantur. *Infra. Cherubim* plenam ſcientiam exprimit: *Seraphim* verò à candente ore, &c. Quod ſi virtutes tam expletæ ſcientiæ compotes, nec condeſcenſum Dei valeant tolerare: quantæ ſit amentiæ, hominem ea ſibi perſpicua putare, quæ ne illis quidem patere licet. Statueram non modo *Cherubim* ac *Seraphim*, verùm etiam omni virtuti creatæ Deum eſſe incomprehenſibilem explicare, &c.

Hom. 4. Sunt & aliæ virtutes, quarum ne nomina quidem nouimus. *Eph.* 1. Super omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Quid mirum ſi virtutes illæ exquiſita careant cõprehenſione Diuinæ Subſtantiæ? *Eph.* 1. Vt manifeſtetur nunc Principibus & Poteſtatibus per Eccleſiam multiformis Sapientia Dei: ſed vnde pateat de cœleſtibus dici? Addit, *In cæleſtibus.* 1. *Ioan.* 4. Deum nullus vnquam vidit, &c. Vt exquiſitam illam comprehenſionem, & expreſſam cognitionem in nullo adhuc contigiſſe intelligas. *Exod.* 33. Nemo videbit faciem meam, & viuet. *Ioan.* 1. Vnigenitus ipſe expoſuit, &c. Quoties nullum vidiſſe Deum audis: intellige nullum eſſe qui Subſtantiam Dei *exquiſita* ratione perceperit, &c. Reſtat vt à Filio & Spiritu S. duntaxat Deum cognoſci *exquiſitè*, diſſeramus.

Hom. 5. Chriſtus reſpondit Iudæis, *Ioan.* 6. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt ex Deo, hic vidit Patrem, &c. Nunquid etiam Spiritus S. ſecluſus eſt? Nequaquam, &c. *Nullus*, ſemper ad diſtinguendã creaturam poni ſolet, &c. 1. *Cor.* 2. Quæ Dei ſunt, nullus cognouit, niſi Spiritus Dei. *Rom.* 11. Quis cognouit ſenſum Domini? *Matt.* 11. Nullus nouit Filium niſi Pater, neque Patrem niſi Filius, &c. Subſtantia ſubſtantiam ſuperiorem nunquam perfectè intelligere poteſt, etiamſi parum interſit. *Pſal.* 8. Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis. Tamen quia intereſt aliquid, neſcimus *exquiſitè* Angelorum ſubſtantiam, &c. Ne ipſius animi noſtri ſubſtantiam attingere valemus, &c. Quemadmodum inſit animus in noſtro corpore, ignoramus. *Contra. Eſſe poteſt, vt nec creatura, nec Filius Deum expreſſè ſciant: ſed quanquam Filius expreſſiùs; tamen plena illa & exquiſita comprehenſione Filium quoque carere. Nam quòd eum videt, quicquid tandem eſt cognoſcere ait: perfectè autem & abſolutè cognoſcere, & ita vt ſe ipſe, nondum oſtendit, &c. Reſp.* Audi quid ad Iudæos ipſe dicat, *Ioan.* 6. Sicut cognoſcit me Pater, & ego cognoſco Patrem, &c. *Matt.* 11. Nemo nouit Filium niſi Pater: neque Patrem, niſi Filius; & cui velit Filius reuelare. Reuelat autem: non quantum ipſe cognoſcit; ſed quantum nos recipere poſſumus. *Infra. Heb.* 7. Credere oportet quia Deus eſt. *Pſal.* 13. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, &c. Non quia quid ſit ignorat: ſed quia neſcit Deum eſſe. *Dicitur*, inquiunt, *Deus ſpiritus eſt. Reſp.* Sed nunquam hoc nomen exprimens Diuinæ Subſtantiæ eſt, &c. Nam vt ſcriptum eſt *Ioan.* 4. Deus Spiritus eſt: Ita Deus noſter ignis conſumens eſt, &c. Spiritus quippe nomen plura ſignificat, &c. Erit igitur Deus hæc omnia?

Sic & ex Latinis, *S. Greg. Lib.* 10. *Moral. c.* 7. in illud *Iob. c.* 11. Forſitan eius veſtigia comprehendes?

Digitized by Google

hendes? Ipſi quoque electi ſpiritus, viſionem tantæ celſitudinis non penetrant. *Cap.* 11. Ipſorum quoque intelligentiam, qui in ſupernam recepti fuerint cogregationem tranſcendit, &c.

Reſp. Mirum eſt quoſdam interpretari SS. Patres in prauum ſenſum: cùm facilè in rectum exponi poſſint, & mereantur; imò & eum ſatis exprimant. Quis enim ex hoc toto contextu non facilè colligat, *S. Chryſoſt.* non negare veram viſionem Dei à Beatis: ſed tantùm perfectam comprehenſionem? 1. Quia inſcribit has Homilias, *De incomprehenſibili natura Dei.* 2. Contra *Anomæos*, ſeu *Eunomenianos*, & *Ætianos* hæreticos: qui contendebant diſſimilem in omnibꝰ eſſe Patrem, Filium, & Spiritum S. etiam in videndo Deum; ſeque ipſos videre Deum, vt Filius & Spiritus S. Hinc vel præſumebant ſe comprehendere Deum, vel nec Filium, nec Spiritum S. comprehendere. 3. Ex *Hom.* 1. *Non dicit partem: ſed ex parte, &c.* Infra. *Deum igitur ipſum ex parte cognoſcit.*] Nec obſtat quòd illud explicet de cognitione quòd Deus ſit: non autem quid ſit, nec quantus ſit. Quia agit contra eos qui ex nunc præſumebant ſe comprehendere. 4. Ex *Luc.* 2. & *Eſa.* 6. Ab exemplo Angelorum glorificantium Deum, & *velantium oculos* coram eo: redarguit petulantiam, impudentiam, & præſumptionem intuendi Deum in hac vita; imò & inde conuincit hos non videre Deum, ſed illos qui hoc ipſo experiuntur infinitam excellentiam obiecti ſupra ſuum captum naturalem. 5. Et expreſſè *Hom.* 2. *Anomæi ſe ita Deum noſſe aſſerunt, quemadmodum Deus ſeipſum nouit.* Nec obſtat quòd eos redarguat à ſola Inuiſibilitate Dei, etiam ab Angelis: non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad *condeſcenſum*, ſeu repræſentationem externam. Quia redarguit ipſos à minori ad maius .i. ab Inuiſibilitate, & incognoſcibilitate propria, ad incomprehenſibilitatem: & à maiori ad minùs .i. ab Angelis, ad homines. Nec *condeſcenſio* illa metaphorica, eſt ad Angelos, ſed ad Prophetas: ad Angelos autem eſt condeſcenſio moderatæ viſionis Dei, & quorundam in Deo. 6. Nec præfert *Cherubim* ipſis *Seraphim* perfectione: ſed denominatione, à plenitudine ſcientiæ, ad hanc ipſam difficultatem pertinente. 6. Ex *Hom.* 4. Vbi *exquiſitam* cognitionem, & viſionem, ſumit pro perfecta comprehenſione. 7. Ex *Hom.* 5. Vbi tribuit ſoli Patri, & Filio, & Spiritui S. *exquiſitam* illam cognitionem, ſeu viſionem comprehenſiuam Dei: negatque Deum cognoſci *ſicut, & quantum* à ſeipſo. Negat autem Deum eſſe ſpiritum eſſentialiter: prout ſpiritus varia ſignificat. Sic & *B. Aug. Lib.* 4. *in Gen.* 6. Et ſi ſanctis Angelis eſſemus æquales: non ita nobis nota eſſet Diuina Subſtantia, ſicut ipſa ſibi. *Lib.* 13. *Conf. cap.* 15. Videbimus eum ſicuti eſt 1. *Ioan.* 3. Sicuti eſt Domine videre noſtrum, quod nondum eſt, da nobis. *Cap.* 16. Nam ſicut omnino tu es, tu ſcis ſolus incommutabiliter, &c.] Vbi diſtinguit videre noſtrum, ab adæquata & incommutabili viſione ipſius Dei.

Sic & *S. Greg.* ibidem ſe ſatis explicat, *Lib.* 18. *cap.* 27. Non videbimus ſicut ipſe videt ſeipſum: quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creaturæ ſumus. *Cap.* 41. Non ita conſpicimus Deū, ſicut ipſe conſpicit ſe.

Ad reliquos SS. Patres, videtur ſatis reſponſum à *S. Aug.* vel ex ipſo facilè reſponderi poſſe: SS. Patres non dubitaſſe quin Deus ſit ſpiritus, incorporeus, & infinitus; ideoque abſolutè inuiſibilis viſu corporeo, niſi ſub aliqua forma obiectiua huius viſus, vel hac ipſa vi perfecta in ſpiritualem, vel annexa & ſubordinata ſpirituali in idem obiectum; & inuiſibilis, tum adæquatè, ſeu comprehenſiuè, tum ex natura obiecti, ac intellectus creati; ſed viſibilis omni intellectui ſupernaturaliter, & terminatiuè, ſeu vt obiectum ſeipſo ſaltem immediatè terminatiuum, vt ex *Scoto* ſupra. Nec huic Doctrinæ *B. Aug.* ſubeſt vlla difficultas: niſi de viſione præſenti Animarum beatarum, vt & Angelorum: de qua *in* 4. *Quæſt. noſtra* 7. *ad* 4. Nouiſſima; & de illa quaſi non impoſſibili vi ſpirituali oculi glorioſi, ad videndum Deum. Sed & hanc vim, vt intrinſecam oculo glorioſo, ſatis improbat: nec videtur impoſſibilius talem vim ſpiritualem vniri ſenſui, quàm animam ſpiritualem vniri corpori, vim ſupernaturalem vniri animæ & potentijs eius, Deum perſonaliter vniri naturæ humanæ. Nec tamen hæret in hoc, vel vllo dubio: ſed omnia facillimè reſoluit in futuram viſionem Dei, ſolo ſpiritu, ſeu viſu ſpirituali; ſed per omnia corpora, quocumque fuerint oculi corporis ſpiritualis vel glorioſi directi. Non quaſi hi oculi ſuo viſu attingent ipſum Deum: ſed *quocumque fuerint directi* ad ſua obiecta ſenſibilia, Deus tranſparebit, & apparebit ſicuti eſt, ſoli ſpiritui, ſeu intellectui. Vt patet ex comparatione cum viſione experimentali viuentium: non quòd vllus ſenſus percipiat ipſam vitam, aut viuentia viuere; ſed ſolus intellectus, per experientiam ſenſibilem motuum vitalium.

4. *Inter Al. S. Bon. & Scotum.*

NAm *Al. p.* 1. *q.* 2. *m.* 3. *a.* 1. An Deus in futuro poſſit cognoſci ſine medio aliquo: alias inquiretur. *Quæſt.* 8. *m.* 2. Diuerſitas viſionis Dei, non prouenit ex re viſa: imò Deus quātùm eſt de ſe, ab omnibus videtur æqualiter; quia omnibus ſe offert, &c. Nec ex parte medij videndi: quia non videtur per ſimilitudines, ſed per ſe, & in ſe. Solùm erit ibi diuerſitas ex parte videntis. *P.* 2. *q.* 23. De cognitione *matutina* Verbi, ſeu Dei, & viſione rerum in Deo ab Angelis ante perfectam beatitudinem. *Q.* 24. *m.* 1. Angelus cognoſcit Deum ſine medio ex parte Dei: ſed ex parte ſui, media aliqua aſſimilatione naturæ, gratiæ, vel gloriæ. *Q.* 98. *m.* 2. Reprobat vt hæreticam opinionem, quòd Deus non ſit viſibilis vt in ſe eſt immediatè: ſed tantùm mediante aliqua ſui repræſentatione. *Ad* 3. Amor Dei immediatè, non pendet à viſione Dei immediatè. *Ad vlt.* Videre non eſt agere in obiectum: ſed potiùs ab eo pati. Nec Deus videtur vt infinitus: ſed vt finis noſter. Nec ad hoc requiritur proportio perfectionis: ſed perfectibilis ad ſuum perfectiuum, & ſimilitudinis expreſſæ ad ſuum obiectum.

S. Bon.

Digitized by Google

S. Bon. 1. d. 3. a. 1. q. 1. Deus eſt ſummè cognoſcibilis ex ſe, etiam nobis: niſi vis noſtra ad hoc deficeret, quæ non perficietur niſi per gloriam. *Ad 1.* Eſt proportio conuenientiæ. *In 3. d. 14. a. 1. q. 3.* Anima Chriſti videt Deum in ipſa eius luce eſſentiali. *Ad 5.* Nimia lux corporalis corrumpit organum: non lux ſpiritualis intellectum. *Ad 6.* Anima videt Deum per influentiam Dei in ſe: non autem ſui in Deum. *In 4. d. 49. a. 1. q. 1.* Beatitudo formaliter, eſt influentia beatifica Dei in animam.

Scotus in 1. d. 3. q. 3. cenſet Deum eſſe obiectum etiam motiuum intellectus noſtri. *Ad 2. Arg.* Ratio formalis obiecti eſt motiua intellectus. *In 2. d. 3. q. 9.* Tribuit Angelis in via ſpeciem concreatam, repreſentantem diſtinctè Eſſentiam Dei. *In 3. d. 14. q. 1. ad 2. Arg.* Deus videtur vt infinitus. *Q. 2.* Cenſet animam Chriſti poſſe vna eademque viſione, vel infinitis ſimul, videre infinita poſſibilia in Verbo Dei: vel videre in eo, vt ſpeculo, omnia quæ vult. *In 4. d. 49. q. 8.* Cenſet omnem intellectum eſſe capacem eiuſdem obiecti. *Q. 11.* Sufficit proportio obiecti ad potentiam, intelligibilis ad intellectum, motiui obiectiuè ad mobile. Qualis eſt inter Deum, intellectum, & voluntatem etiam noſtram. Quæ *Scoti*, non videntur ſatis conſtare cum *Alenſi*, & *S. Bon.* ſupra, nec ſecum ipſo *Quodl. 14.* & *in 3. d. 14. q. 1.* De inuiſibilitate Dei à nobis, ex natura obiecti vt motiui: deque ſola viſione finita Dei, vt obiecti terminatiui, non motiui.

Reſp. Hæc omnia facilè conciliari poſſe. *Ad Alen. q. 7. m. 2. Deus omnibus offert ſe videndum æqualiter* .i. ex ſe eſt æquè viſibilis & inuiſibilis omnibus: ſed ex gratia & meritis ſe inæqualiter oſtendit cauſaliter per ſuam voluntatem. *Videtur per ſe, & in ſe* .i. Terminatiuè, & immediatè, ſine alio medio terminante, nec mouente. *Solùm erit diuerſitas ex parte videntis* .i. ex inæquali gratia, & meritis, & influentia voluntatis Dei: quæ cùm non ſuppleat defectum obiecti, ſed intellectus noſtri, cenſenda eſt ex parte intellectus noſtri. *P. 2. q. 23.* Necdum agit de viſione, ſed de cognitione *matutina* Dei, & rerum in Deo: quæ videtur ſimilis diſtinctæ cognitioni *Scoti*. *Q. 24. Sine medio ex parte Dei: ſed ex parte ſui, &c.* Quia voluntas Dei, mota ab obiecto, ſupplet defectum noſtrum, non obiecti. *Media aliqua aſſimilatione naturæ, gratiæ, vel gloriæ* .i. Vel ipſa viſione formali & actuali, qua Beati fiunt ſimiles Deo repræſentatiuè, ex *1. Ioan.* 3. Vel medio lumine gloriæ, aut illuminatione aſſimilante Deo cauſaliter. *Q. 98. m. 2.* Reprobat negationem viſionis Dei vt *in ſe eſt immediatè*: prout opponitur medio quaſi neceſſario repræſentationis, vice obiecti. *Ad 3.* Non vult amorem beatificum non pendere à viſione beatifica: ſed amorem Dei poſſe excedere omnem cognitionem intenſiuè, non ſpecificatiuè. *Ad vlt.* Intellectus beatus *patitur*, ſeu recipit ab obiecto: ſed vt libero, ſeu volente. *Deus non videtur vt infinitus intenſiuè* .i. ſecundùm totam perfectionem ſuæ infinitatis; *ſed vt finis noſter* .i. terminans & finiens omnia in infinitum. *Proportio illa* vel eſt ſolùm vt paſſiui, vel non eſt ſufficiens, niſi ſuppleatur & perficiatur à voluntate Dei; per illuminationem ſaltem actualem.

Ad S. Bon. Deus eſt ſummè cognoſcibilis ex ſe, *etiam nobis, &c.* non tamen *nobis* connaturaliter, ſed liberè, &c. *Vis noſtra perficietur per gloriam* .i. per lumen, vel illuminationem glorioſam. *Proportio illa conuenientiæ*, vel eſt paſſiua, vel incompleta. Anima Chriſti videt Deum *in*, non *ex* ipſa eius *luce eſſentiali* .i. Terminatiuè, non motiuè. *Lux ſpiritualis non corrumpit intellectū*: ſed tota infinita, eſt inacceſſibilis intellectui finito. Nō tribuit Deo influentiam obiectiuam in nos, ſed cauſalem. Nec negat actiuitatem intellectus noſtri ad viſionem Dei: ſed in ipſum Deum. Quia videndo Deum non agit niſi in ſeipſum: ſed operatur, ſeu terminatur ad Deum. Imò hoc inſinuat viſionem noſtram non elici à nobis ex illo obiecto, ſed ſolùm terminari ad illud. Quia eliciendo potiùs influeret, quàm ſola terminatione. Beatitudo formaliter non eſt *influentia* actiua Dei in animam: ſed *influxa*, ſeu terminus formalis illius *influentiæ* actiuæ; non tamen ſine aliqua noſtra *coïnfluentia*, ſeu *ſubinfluentia*.

Ad Scotum. Deus eſt etiam obiectum *motiuum* intellectus noſtri: ſed ad cognitionem viæ, per varia media; ad viſionem autem beatificam, per ſuam voluntatem vt ſibi identicam, & ſolam à ſe ſolo obiectiuè mobilem ac motam. *Ratio formalis obiecti, eſt motiua intellectus*: ſed naturaliter, & quantùm poteſt; ergo nonniſi obiecti capacis talis ac tantæ motionis obiectiuæ. Nec eſt neceſſarium vt ſit immediatè motiua cuiuſuis intellectus: ſed ſolius adæquatè capacis. Species illa & cognitio diſtincta *Scoti*, plurimum differt à viſione & euidentia. Deus videtur vt infinitus: non contra, ſed vt *Al.* ſupra .i. Videtur etiam ipſa infinitas Dei: ſed non quantùm ipſa eſt. De viſionibus ſimul infinitis, aut vnica infinitorum in anima Chriſti, vt *in 3. Quæſt. noſtra* 11. *col.* 355. Non repugnat intellectui recipere, ſi tot eſſe poſſent. Nec refert *Scotus* hanc opinionem vt ſuam: ſed præfert aliam vt propriam, de viſione habituali, non actuali omnium in Verbo. Anima Chriſti *videt omnia quæ vult in Deo, vt in ſpeculo*: non vt naturali, ſed libero, & volente repræſentare animæ Chriſti omnia quæ ipſa vult videre. *In 4.* Cenſet omnem intellectum eſſe capacem eiuſdem obiecti: ſed paſſiuè; vel ſaltem incompletè. Sufficit illa proportio paſſiua intellectus: vt mobilis ab obiecto motiuo, ſed vt libero & volente.

5. *Ex Rationibus.*

1. BEati ſolent vocari *Comprehenſores*: ergo à vera comprehenſione Dei. 2. Eſſentia Diuina ſolet vocari *Speculum*, in quo & ex quo Deus & Beati vident: ergo non ſolùm à terminando, ſed etiam à repræſentando ſe & omnia obiectiuè. 3. Subiectum non eſt neceſſariò præſens ad mouendum cauſam vt agat in ſe: ſed ſolâ ſuâ præſentiâ, vt conditione neceſſaria, determinat agens ad agendum. Ergo & ſola præſentia obiectiua Eſſentiæ Diuinæ poteſt determinare omnem intellectum ad operandum circa ſe quantùm

poteſt. Sic enim determinat, non autem mouet Intellectum Diuinum immobilem. 4. Omnipotentia quamuis infinita, non eſt ad infinitum, nec ad omnia poſſibilia ſimul: nec ideo nihil poteſt, aut nihil agit niſi per voluntatem, quia naturaliter ageret quantùm poſſet. Ergo nec infinita perfectio Dei obiectiua, eſt ex natura ſua tota ſimul & totaliter ex ſe intelligibilis, vel nonniſi per voluntatem: ſed poteſt ex natura ſua mouere quemlibet intellectum quantùm ipſe poteſt. 5. Omnis intellectus eſt ex natura ſua omnis obiecti intelligibilis: ergo omne intelligibile eſt ex natura ſua obiectum omnis intellectus. 6. Intelligere eſt quoddam pati: ergo multò magis videre Deum. Hinc *Scotus in 4. d. 49. q. 10. 11.* & alibi, cenſet viſionem Dei non eſt nobis poſſibilem actiuè, ſed paſſiuè. 7. Intelligere eſt connaturale intellectui: Ergo connaturaliſſimum ei eſt intelligere & videre Deum: Vnde & *Scotus quaest. 1. Prologi* §. *Ad Quest.* cenſet Dei viſionem eſſe naturalem. 8. Poſſet creari Intellectus tam lucidus & perfectus ex natura ſua, quàm cum quouis lumine gloriæ: ergo capax videndi Deum naturaliter. 9. Modi illi non videntur minùs differre ab Eſſentia & Attributis, quàm hæc inter ſe & ab Eſſentia. 10. Illi modi ſunt potiùs vnicus modus infinitatis: vel poſſent ſic in infinitum multiplicari.

Reſp. Ad 1. Vocantur Comprehenſores, vt comparantur Viatoribus: à peruentione ad ſuum terminum, & ſtatum beatificum. Ex illo 1. *Cor.* 9. Sic currite vt comprehendatis. *Ad* 2. Solet vocari *Speculum*: ſed liberum extra ſe; ergo ſolâ ſua voluntate, quæ ſola libera eſt. Non ad repræſentandum formaliter vel obiectiuè, ſeu per ipſum obiectum vt obiectum: ſed cauſaliter per voluntatem, vt eſt Omnipotens ad extra. Nam hoc obiectum nec eſt medium vt *Quod*, ſeu per quod viſum, nec vt *Quo non viſo*, vel ipſum, vel alia in ipſo videantur: ſed vt eſt ens primum & finale omnium entium, non continens omnia formaliter, ſed eminenter; ſic eſt & obiectum primum & finale omnium obiectorum, non quaſi continens omnia obiectiuè formaliter, ſed eminenter. Nec vt ſpeculũ repræſentat ſe, & omnia in ſe formata & figurata, per ſui & horum ſpecies ſimiles, nobis impreſſas: ſic & Eſſentia Diuina ſeipſam & omnia repræſentat, per ſui & horũ ſpecies ſimiles nobis impreſſas, ſibi & ſuis idæis formaliter ſimiles. Sed repræſentat, ſeu potiùs præſentat immediatè ſeipſam per ſeipſam ſuo intellectui, eique & cum eo exprimit viſionem ſibi adæquatam. Vt infra, de myſterio *SS. Trin.* Repræſentat autem ſe extra ſe, ſeu nobis, non formaliter, ſed eminenter, & cauſaliter, per varia media *Quæ*, & *Quibus*: ſed perfectiſſimè, per viſionem formalem ſibi obiectiuè ſimilem; non quaſi à ſe formaliter vel obiectiuè, ſed cauſaliter & liberè impreſſam ac expreſſam.

Ad 3. Obiectum non ſe habet ad intellectum, vt ſubiectum ad ſuam cauſam: ſed vt cauſa vel principium prius & determinatius ad actum ſibi ſimilem; quàm ſit ipſe intellectus, qui eſt communis ad omnes ſuos actus. Non quòd ſint duæ concauſæ aut principia eiuſdem rationis: aut quorum alterum ſit alterius principale, vel inſtrumentale; ſed differunt modo principiandi obiectiuè, & actiuè. Obiectum ergo non præmouet, nec mouet intellectum actiuè: ſed obiectiuè, ſuâ præſentiâ obiectiuâ determinando ſecum intellectum, ad exprimendum actum ſibi ſimilem. Vt monet *Scotus Quodl.* 14. vocans hunc motum ab obiecto, *extenſiuè*, ſeu impropriè. Nec ideo eſt ſola conditio neceſſaria ad intelligendum: ſed vera cauſa, vel principium exemplare ſui actus.

Ad 4. Omnipotentia Dei, non eſt niſi ad poſſibilia, vt finita, in infinitum: eſt tamen vel ipſa libera voluntas, vel hac ipſâ liberè determinatur ad omnem ſuam actionem. Sed perfectio Dei obiectiua, non ſolùm eſt in ſe infinita: ſed etiam ad actum Dei infinitum. Ergo non eſt ex ſe, ſeu ex natura ſua obiectiuè determinabilis ad vllum actum finitum, niſi per liberam voluntatem. Non enim per intellectum finitum, intelligendo quantum poteſt ex illo obiecto infinito: quia Intellectus nec eſt ex ſe ſolo capax vllius actus circa obiectum; nec ex ſe determinatus ad vllum obiectũ vel actum, niſi ipſo obiecto, vel aliquo æquiualenti ſupplente hunc defectum intellectus, cumque determinante ad hoc obiectum.

Ad 5. Omnis intellectus eſt ex natura ſua omnis intelligibilis: ſaltem paſſiuè, vel etiam actiuè, ſed remotè & incompletè. Ergo omne intelligibile eſt ex natura ſua obiectum omnis intellectus: ſed infinitum eſt connaturale ſoli infinito; alijs autem ex natura ſua ſupernaturale, & liberum per voluntatem.

Ad 6. Intelligere finitum, eſt quoddam pati: non à ſolo obiecto, ſed ab ipſomet intellectu, propria actione immanente. Dicitur tamen intellectus potiùs pati, quàm agere: quia recipit in ſe obiectum, ſeu actum ſimilem obiecto.

Ad 7. vt *ad* 5. Item eſt connaturaliſſimum appetitui naturali, paſſiuè, remotè, incompletè, videre Deum: non autem appetitui elicito, nec actiuè, proximè, & completè. Quod non eſt videre, aut poſſe naturaliter videre Deum nec eſſe capacem videndi Deum, ſola capacitate naturali.

Ad 8. Natura non poteſt confundi, aut coaleſcere in idem cum gratia vel gloria: ex *Alenſi p. 2. q. 96. m. 2. Ad vlt. S. Bon. in 2. d. 19. a. 1. q. 1. Scoto in 2. d. 23. q. 1. Ad vlt.* 1. Quia ſunt diuerſi ordinis. 2. Quia tota perfectio naturalis eſt adhuc perfectibilis gratiâ & gloriâ. 3. Quia Deus non niſi liberè gratificat, & glorificat: ergo nec gloria, nec gratia poteſt eſſe nobis naturalis. 4. Quia creatura eſt finita in infinitum, & Deus eſt Omnipotens in infinitum: ergo illa poteſt fieri perfectior omni naturali, & Deus poteſt illam perficere ſupernaturaliter. 5. Nec natura cum omni gratia & gloria illi intrinſeca, aut ſi poſſibile foret, identica, poteſt videre Deum, ſine illuminatione, ſeu eleuatione actuali Deo liberrima.

Ad 9. Quæſtione ſequenti. *Ad* 10. Sunt vnicus modus adæquatus infinitatis: quia Deus non eſt pluribus modis, ſed vnico adæquato. Nec tamen poſſent ſic inadæquatè in infinitum multiplicari: vt ſæpè ſupra, ſpecialiter *à col.* 237. *ad* 242.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO IX.

De Vnitate Dei.

DE qua ſtudioſiſſimè, & ſubtiliſſimè *Al.p.* 1. *q.* 13. 14. *p.* 2. *q.* 1.2.3.4.5. *S.Bon.in.*1. *d.*2. *q.*1. *d.*3. *a.*1.2. *Scotus in* 1. *d.*2. *q.*1.2.3. Sed tantam, tamque neceſſariam, & antiquam controuerſiam diſtinguamus. 1. Quid ſit Deum eſſe vnum. 2. Quam ſit certum, & euidens. 3. An Vnitas dei ſit ſolùm negatiua diuiſionis Dei in ſe, & relatiua ad omnia alia à ſe: vel poſitiua & abſoluta in ſe. 4. An ſit ipſa Dei ſingularitas eſſentialis, vel ſimplicitas modalis, vel alius modus, aut perfectio, vel proprietas Dei attributalis. 5. An & quantùm differat ab alijs Attributis, Modis intrinſecis, & ab ipſa Eſſentia Dei.

Reſponſio.

DEum eſſe vnum, eſt eſſe vnicum Deum, nec poſſe eſſe plures Deos. Quod non ſolùm eſt fide certum: ſed etiam euidens ratione naturali. Vnitas Dei non eſt ſolùm negatiua omnis diuiſibilitatis in ſe: nec relatiua ad omnia alia à ſe diuiſa, ſeu diuerſa; ſed priùs poſitiua, & abſoluta perfectio, integritas, ſingularitas, vel ſimplicitas ſeu identitas Dei in ſeipſo; non autem formaliter, nec modaliter ab illis ſeorſim, vel coniunctim diſtincta.

Quorum principale .i. Deum eſſe vnicum, ſub certitudine fidei, & euidentia rationis, conſtat. 1. Ex S. Script. *Exod.* 20. *Deut.* 5. Ego ſum Dominus Deus tuus: non habebis Deos alienos coram me. *Deut.* 6. Deus tuus, Deus vnus eſt. *Deut.* 32. Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. 1. *Reg.* 2. 4. *Reg.* 5. 1. *Paral.* 17. Non eſt alius Deus. *Pſal.* 17. Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum? *Pſal.* 80. Non erit in te Deus recens, &c. *Pſal.* 85. Tu es Deus ſolus. *Sap.* 12. Non eſt alius Deus quàm tu. *Sap.* 13. 14. De origine Idololatriæ. Homines affectui aut Regibus ſeruientes, incommunicabile nomen, lapidibus, & lignis impoſuerunt. *Eſa.* 41. 44. 45. 48. *Apoc.* 1. Ego ſum Primus & Nouiſſimus: ſine me, vel extra me, vel præter me non eſt Deus. *Rom.* 1. Cùm cognouiſſent Deum, &c. Mutauerunt gloriam Dei in ſimilitudinem hominũ, & volucrum, & ſerpentum. *Gal* 4. Ignorantes Deum, ijs qui naturâ non ſunt Dij ſeruiebatis. *Epheſ.* 4. Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptiſma. 1. *Cor.* 8. Idolum nihil eſt: nullus Deus niſi vnus, &c. Denique quæcumque de Deo, eoque credendo: ſunt etiam de vnico.

2. Ex Symbolo Apoſtolico: *Credo in Deum*: vtique in vnicum, non in plures Deos. Symb. Nicæno. Conſtantinop. Chalced. *Credimus in vnum Deum.* Symb. S. Athan. *Fides Catholica hæc eſt: vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Ex Conc. 5. Conſtantinop. Can 1. *Si quis non confitetur vnam naturam Diuinam, &c. Anathema ſit.* Conc Later. cap. Firmiter. Sicque ſingula Conc. in ſuis Symbolis contra omnes Atheos, Idololatras, & quoſdam hæreticos quaſi plurium Deorum cultores. Quales erant *Manichæi* circa Summum Bonum, & ſummum malum: Tales *Arriani*, & tot quot coluerunt tres Perſonas Diuinas, vt naturâ inæquales.

3. Ex SS. PP. *S. Dion. Lib. Diu. Nom. cap.* 13. *De Vno.* Vnum dicitur: quod ſingulari eximioq; modo eſt omnia, vnâ vnitatis præſtantiâ, cauſaq; ſit omnium, ſine vnius amiſſione. Nihil enim eſt eorum quæ ſunt, quod *Vnius* non ſit particeps. Vt numerus omnis eſt particeps vnitatis, vnaque Decas, dimidium vnum, &c. Sic omnia Vnum in ſe continent: atque hoc ipſo quòd vnum ſunt, in rerum natura ſunt. Nec *Vnum* illud quod eſt cauſa omnium, vnum eſt de multis: ſed omne vnum, omnemque multitudinem determinat. Neque enim eſt multitudo quæ non ſit Vnius particeps: ſed id quod multa eſt partibus, toto vnum eſt; quod multa eſt accidentibus, vnum eſt ſubiecto; quod multa eſt numero, vnum eſt ſpecie, &c. Nec quicquam eſt quod non aliqua ex parte *Vnius* ſit particeps. Quippe quod hoc ipſo quòd eſt omni ex parte ſingulare, omnia & quæ tota ſunt, & contraria, ſingulari modo ante in ſe comprehenderit. Ac ſine vno quidem multitudo non erit: vnum autem erit ſine multitudine; vt etiam *Monas* omnem numerum antecedit. Hoc igitur modo Scripta Diuina totam Diuinitatem, vt omniũ cauſam laudant, & appellant *Vnius* nomine: vnuſque Deus & Pater, ac vnus Dominus IESVS Chriſtus, vnuſque Spirituſſanctus dicitur; ex præſtanti totius Diuinitatis vacuitate partium, &c. Nulla *Monas*, aut *Trias*, neque numerus, neque Vnitas, neque quicquam eorum quæ ſunt, aut cognita ſunt, arcanum illud enuntiat: neque eius nomen eſt, neque ratio, &c.

S. Iuſtinus Martyr, Sermone exhortatorio Gentium, ad fidem Chriſtianam vnius Dei: ex ridicula Theogonia, & diſſenſione antiquorum Poëtarum & Philoſophorum, ipſiuſque Platonis & Ariſtotelis, de natura & pluralitate Deorum ſed rationabili & concordi doctrina noſtrorum Prophetarum, præcipuè *Moyſis*, antiquioris *Socrate*, *Platone*, &c. Qui & in Ægypto ex ſcriptis *Moyſis* aliquid de vno Deo didiciſſe videntur. Vt *Orpheus* Poëtarum antiquiſſimus. Vnus eſt per ſe genitus, ab eo cuncta prognata ſunt: Et in eis ipſe ſuperat, nec eum quiſquam Mortalium videt. *Homerus.* Non ſi mihi promittat *Deus ipſe* .i. Qui verus eſt Deus. *Rex vnicus eſto. Sophocles.* Vnus verè, vnus Deus eſt, &c. *Pythagoras.* Deus vnus eſt, in ſeipſo totus, in orbe toto. *Plato*, cùm in Ægypto audiſſet Deum olim dixiſſe *Moyſi*, *Ego ſum Ens ille*: intellexit Deum non indicaſſe illi nomen ſuum proprium. Nullum enim poteſt Deo

conuenire propriè. Nam nomina imponuntur rebus: vt per ea dignoſcatur ipſarum varietas. Deus autem nec ſuperiorem habet à quo nominetur: nec ſeipſe nominare voluit; cùm vnus & ſolus eſſet, *Eſa.* 41. 44. Ideo *Exod.* 3. non nomine vſus eſt, ſed participio: quo ſe vnum ſolumque Deum eſſe ſignificat. *Ego ſum*, inquit, *Ens Ille*: ad differentiam eorum qui non ſunt, &c. *Plato in Timæo.* Quid ſit Ens ſempiternum, ingenitum: & quid quod gignitur, eſt tamen nunquam. *Infra.* Deus volens indicare *Moyſi* ſempiternitatem ſuã, inquit, *Ego ſum Ens Ille*: ſyllabà Ens ſignificante præſens, præteritum, & futurum. Sic enim *Plato* vocẽ hanc vſurpat de infinito tempore: cùm dicit, *fit tamen nunquam, &c.* Inuenies & in *Timæo Platonis*, poſt verum *Entem* Deũ, etiam Prophetas, &c.

Tertullianus Lib. contra Idololatriam. Ab *Eidos* græcè, forma, per diminutionem *Eidolon* .i. formula. Igitur omnis forma, vel formula Idolum ſe dici expoſcit. Inde Idololatria, omnis circa omne Idolum ſeruitus, &c. Idolum tam fieri quàm coli Deus prohibet, &c. ad eradicandam Idololatriam. *Infra.* Cur ergo *Moyſes* in Eremo ſimulachrum Serpentis ex ære fecit? Seorſim figuræ, &c. Ne facias aduersùs legem ſimulachrum, niſi & tibi Deus iuſſerit, &c. Quomodo renuntiauimus diabolo, & Angelis eius, ſi eos facimus? Potes verum Deum prædicare, qui falſos facis? Facio, ait quis ſed non colo. Illis ingenium tuum immolas, ſudorem tuum libas, &c. *Infra.* Sunt & aliæ ſpecies quæ ſine Idoli confictura opem victus præſtent, &c, Tot ſunt artium venæ, quot hominum concupiſcentiæ, &c. Sufficiant ad quæſtum artificiorum, frequentiores omni ſuperſtitione, luxuria & ambitio, &c. Contra quandam Idololatriam Aſtrologorum, inſcribendo, & quaſi alligando ſtellis virtutem Dei: & Ludimagiſtrorũ, docendo literas ex ſcriptis Idololatricis, & vtendo nominibus falſorum deorum; vt *Minerualium* à *Minerua*, &c. *Infra.* Dæmonia nullum habent nomen: ſed ibi nomen inueniũt, vbi & pignus, &c. De honorandis Regibus: *ſed intra limites diſciplinæ, donec ab Idololatria ſeparamur. Infra.* Deos Nationum nominari lex prohibet .i. Ne illos Deos vocemus, &c. niſi adijciendo aliquid quo appareat non dici Deos. Ex eiuſdem *Apologetico contra gentes.* Deos veſtros colere deſijmus, ex quo illos non eſſe cognouimus. Hoc igitur exigere debetis, vt probemus non eſſe Deos, &c. Sed nobis, inquitis, Dij ſunt. Appellamus ad conſcientiam veſtram, &c. Ante *Saturnum* Deus penes vos nemo eſt. *Saturnum* nullus Commentator Antiquitatum aliud quàm hominem promulgauit, &c. Sed cuius parentes ignoti erant, facilè fuit eorum filium dici, quorum & omnes poſſumus videri, &c. Proinde *Saturno*, repentino aduentu vbique cœlitem contigit dici. Nam & terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum eſt, &c. Poſt mortem Deos factos aſſeritis. Neceſſe eſt concedatis eſſe aliquem ſublimiorem Deum, & mancipem .i. proprietarium, Diuinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit, &c. Si ipſi ſe facere Deos potuiſſent: nunquam homines fuiſſent, &c. Volo igitur merita recenſere: an vt illos in cœlum extulerint, vel potius in imum tartarum merſerint, &c. Contra eorum mores, ſimulacra, & ritus abominabiles. *Infra.* Quid ergo colunt Chriſtiani? Sunt Veritatis cultores, &c. Somniaſtis caput Aſininum eſſe Deum noſtrum, ex *Corn. Tacito* mendaciorum loquaciſſimo. Qui tamen in eadem hiſtoria Belli Iudaici, refert *Pompeium* in Templo Hieroſol. nullum reperiſſe ſimulacrum, &c. Sed qui Crucis nos Religioſos putat, conſectaneus noſter erit, cùm lignum aliquod propitiatur, &c. Pars Crucis eſt omne robur, quod erecta ſtatione defigitur: nos ſic forlè integrum & totum Deum colimus, &c. Alij Solem credunt Deum noſtrum, &c. quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari. Sed noua Dei noſtri editio publicata eſt, cum hac Inſcriptione: Deus Chriſtianorum *Ononychites.* Is erat auribus aſininis, altero pede vngulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus & nomen, & formam, &c. Quod colimus Deus Vnus eſt, &c. Inuiſibilis eſt, etſi videatur: Incomprehenſibilis eſt, etſi per gratiam repræſentetur; Inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur, &c. Quod verò immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt: Hoc quod eſt Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit. Ita enim vis magnitudinis & notum obiecit, & ignotum. Et hæc ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt. Vultis ex Animæ teſtimonio comprobemus? Quæ licet falſis Dijs exancillata, Deum nominat, & quod Deus dederit omnium vox eſt. Iudicem quoque conteſtatur, Deus videt, reddet, &c. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! *Infra.* De veſtris fuimus: fiunt, non naſcuntur Chriſtiani, &c. De vno Deo, ex Traditione & antiquitate Prophetarum, & ſacra Script. miraculosè eodem modo tranſlatæ à 72. Vt & refert *S. Iuſtinus* ſupra. *Infra.* Neque de Chriſto erubeſcimus, &c. De generatione Chriſti Diuina & humana, æterna & temporali, eiuſque Vita, Paſſione, Morte, Reſurrectione, Aſcenſione, & ipſorum Dæmonum coacta confeſſione; deque cladibus publicis non imputandis fidei Chriſtianæ. Vt videtur imitatus *B. Aug.* in libris *De Ciuit. Dei. Tert. Lib.* 1. *contra Marcionem.* Deus ſi non vnus eſt, non eſt, &c. Scias vnum eſſe debere. Quære quid ſit Deus, &c. Nemo negabit Deum Summum Magnum quid eſſe, &c. Ergo vnicum ſit neceſſe eſt: par non habendo, ne non ſit ſummum magnum, &c. Duo ſumma magna quomodo conſiſtent: cùm hoc ſit ſummum magnum, par non habere? *Lib.* 4. Deus commune vocabulum factum eſt, vitio erroris humani. *Lib. contra Praxeam.* Ante omnia Deus erat ſolus, &c. Ne tunc quidem ſolus: habebat enim ſecum rationem ſuam, &c.

S. Cyprianus, Lib. De Vanitate Idolorum. Deos non eſſe quos colit vulgus, hinc notum eſt. Reges olim fuerunt, &c. Antrum *Iouis* in Creta viſitur, & ſepulchrum eius oſtenditur. *Mauri* manifeſtè Reges colunt, &c. Hoc ita eſſe *Alexander* magnus inſigni volumine ad Matrem ſuam ſcribit, &c. Si autem aliquando Dij nati ſunt: cur non hodie æquè naſcuntur? Niſi forlè *Iupiter* ſenuit, aut partus in *Iunone* defecit. *Socrates, Plato, Hermes,*

vnum

Digitized by Google

vnum Deum cognoſcunt. *Infra.* Dæmones à nobis adiurati per Deum verum, ſtatim de obſeſſis corporibus exire coguntur, &c. Vnus igitur omnium Dominus eſt Deus: neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cùm ſola omnem teneat poteſtatem. Quando vnquam Regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſijt? Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus: multò magis vnus mundi Rector, &c. Hic videri non poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt; nec æſtimari, ſenſu maior eſt; ideo eum dignè æſtimamus, cùm inæſtimabilem dicimus, &c, Nec nomen Dei quæras: illic vocabulis opus eſt, vbi proprijs inſignibus multitudo dirimenda eſt. Deo, qui ſolus eſt, Deus vocabulum totum eſt. Ergo vnus eſt, & vbique totus diffuſus. Nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, &c. Dici frequenter audimus, ô Deus! Deus videt, quod vult Deus, ſi Deus dederit. Atque hæc eſt ſumma dementia, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſſis. *Libro ad Demetrianum.* Oblatrantem te aduerſus Deum, qui vnus & verus eſt, frequenter contempleram, &c. Sed cùm dicas plurimos conqueri, quòd bella crebriùs ſurgant, quòd lues, quòd fames ſæuiant, quòd imbres & pluuias ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari, &c. Reſpondeo tibi, & cæteris, quos tu forſitan concitaſti, &c. Quia ignarus, & diuinæ Veritatis alienus es: primò ſcire debes ſenuiſſe iam mundum, &c. Quid ſi & ſenes imputent Chriſtianis, quòd minùs valeant in ſenectute, &c. Quòd crebriùs bella continuant: ſcias eſſe prædictum, &c. Nec iſta accidunt, quòd Dij veſtri à nobis non colantur: ſed quòd à vobis non colatur Deus. *Infra.* Deum non colis, nec coli permittis, &c. Fumant vbique in Templis veſtris hoſtiarum buſta: & Dei altaria vel nulla ſunt, vel occulta, &c. Innoxios, Deo charos, beſtijs, gladio, ignibus punis. Admoues laniandis corporibus longa tormenta: excogitat nouas pœnas ingenioſa crudelitas, &c. Si crimen eſt, eſſe Chriſtianum: quid non interficis confitentem? Si crimen non eſt, quid perſequeris innocentem? Torqueri debui, ſi negarem, &c. nunc verò cùm ſponte confitear, & Chriſtianum me eſſe conteſter: quid tormenta admoues confitenti? Cum animi vigore congredere: vince ſi potes ratione, &c. O ſi audire velles, & videre, quando Dij veſtri à nobis adiurantur, & torquentur, &c. Veni, & cognoſce vera eſſe quæ dicimus, vel ipſis quos colis crede, &c. De exorciſmis Chriſtianis, &c.

Lactantius, Lib. 1. Diuinarum Inſt. contra Gentes, cap. 3. Nemo eſt qui ſapiat, qui non vnum Deum eſſe intelligat, &c. Niſi fortè arbitremur, ſi plures ſint minùs habere ſingulos virium, &c. Deus autẽ qui eſt æterna Mens, perfectæ veritatis eſt. Quòd ſi verum eſt: vnus ſit neceſſe eſt, &c. Virtutis perfecta natura non poteſt eſſe niſi in eo in quo totum eſt: non in eo in quo pars exigua de toto eſt. Deus verò non poteſt eſſe niſi vnus, vt in eo ſint omnia. Deorum igitur virtutes infirmiores ſint neceſſe eſt: quia tantum ſingulis deerit, quantum in cæteris fuerit; quantò plures, tantò minores erunt. Diuina vis ne ſemel quidem diuidi poteſt: quod enim capit diuiſionem, & interitum. Deus incorruptibilis eſt, & æternus: conſequens eſt vt diuidi non poſſit. Deus ergo vnus eſt: ſi nihil aliud poteſt tantum capere poteſtatis, &c. *Infra.* Non vident qui Deos multos eſſe credunt, fieri poſſe vt aliquid diuerſum velint: ex qua re inter eos certamen oriatur. Vt *Homerus* bellantes inter ſe Deos finxit, &c. Dicere multorum arbitrio Regi mundum: tale eſt, quale ſi quis affirmet in vno corpore multas eſſe mentes, &c. Si omnes pares non ſunt: non igitur omnes Dij ſunt. Nam Deus eſt nomen ſummæ poteſtatis. *Cap. 6. Triſmegiſtus* Deum dicit Anonymum .i. ſine nomine; eo quòd nominis proprietate non egeat, ob ipſam vnitatem. Ipſius hæc verba ſunt. *Deo nomen non eſt, quia ſolus eſt: nec opus eſt proprio vocabulo, niſi cùm diſcrimen exigit multitudo, &c. Deo autem quia ſemper vnus eſt, proprium nomen eſt Deus. Infra. Sybillæ* vnum Deũ prædicant, maximè Erythræa quæ celebrior habetur. *Cap. 1.* Quærenti quis, aut quid eſſet Deus, reſpondit *Apollo*: *Ex ſe ortus, non edoctus, ſine matre, inconcuſſus, cuius nomen non poteſt capi, &c.* Sed *Triſmegiſtus* vocat etiam eum ſine Patre. Quærat aliquis quod *Hortenſius* apud *Ciceronem*: Si Deus vnus eſt, quæ eſſe beata ſolitudo queat? Tanquam nos qui vnum eſſe dicimus, deſertum ac ſolitarium eſſe dicamus. Habet enim miniſtros, &c. Verùm hi neq; Dij ſunt, neque Deos ſe adorari aut coli volunt.]

Sicque omnes, & ſinguli Patres: ſed præ omnibus *S. Aug.* Libris *De Ciuitate Dei*, contra calumniam Infidelium, qui cladem vrbis & Imperij Romani imputabant fidei Chriſtianæ in vnum Deum & Chriſtum. *Lib. 1. cap. 1.* Multi nunc Chriſtianis temporibus detrahunt, & mala quæ Roma pertulit *Chriſto* imputant, &c. Cùm potiùs deberent diuinæ prouidentiæ tribuere, quòd eis in locis Chriſti nomini dicatiſſimis & ampliſſimis, præter bellorum morem truculenti Barbari pepercerunt. *Cap. 10.* Amiſerunt omnia quæ habebant: Nunquid fidem? Nunquid pietatem? Hæ ſunt opes Chriſtianorum, &c. *Cap. 11.* Quos fames necauit, malis huius vitæ eripuit. *Cap. 12.* At nec ſepeliri potuerunt. Neque iſtud pia fides nimium reformidat, &c. *Cap. 14.* Sed multi Chriſtiani etiam captiui ducti ſunt. Deum ſuum vbique inuenerunt. *Cap. 16.* Addunt ſtupra commiſſa, etiam in quaſdam Sanctimoniales. Quod ſine peccato proprio non valet euitari, præter culpam eſt patientis, &c. Quæ ſe occiderunt, ne quicquam huiuſmodi paterentur: quis humanus affectus nolit eis ignoſci? *Cap. 26.* Quid ſi hoc fecerunt non humanitùs deceptæ, ſed diuinitùs iuſſæ? Sed videatur vtrum diuina iuſſio nullo nutet incerto. *Lib. 2.* De prauis moribus Romanorum, ſub cultu falſorum Deorum. *Cap. 13.* Quomodo vt Dij colendi ſunt: qui inter ſuos honores, ſua celebrari crimina popoſcerunt? *Lib. 3.* De varijs cladibus Romanorum ſub Idololatria. *Cap. 17.* Vbi erant illi Dij, cùm Romani quibus ſe colendos venditabant, tantis calamitatibus vexarentur? *Lib. 4.* De incremento Imperij Romani, vt & aliorum Regnorum: non ex cultu & fauore

Digitized by Google

fauore falſorum Deorum. *Cap.* 4. Remotâ iuſtitiâ, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? *Cap.* 7. Si nullo Deorum adiutorio regnum *Aſſyriorum* tam magnum & prolixum fuit: quare Dijs Romanis tribuitur Romanum Regnum? *Cap.* 11. Omnes Dij Deæq; ſit vnus *Iupiter*, ſiue ſint vt quidam volunt omnia iſta partes eius, ſiue virtutes eius: quid perderent, ſi vnum Deum colerent prudentiore compendio? *Cap.* 12. Si mundi animus, Deus eſt: nihil eſt quod non ſit pars Dei. *C.* 20. Virtutem quoque Deam fecerunt, &c. An quia in nomine generali ipſius virtutis, omnes coluntur? Sic ergo & poſſet vnus Deus coli.] Sic & *S. Hil. in Pſal.* 65. *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui* .i. Ex multitudine virtutum Dei, veneratione falſorum in Dijs nominum mentientes. *Aug. Cap.* 21. Si *Iupiter* vt hæc daret colebatur: cur non intellectum eſt dona Dei eſſe, non Deas. *Lib.* 5. Imperium Romanis ſucceſſiſſe ex prouidentia Dei, in mercedem temporalem operum moralium, & ad aliquos vſus bonos. *Cap.* 12. Cùm diu fuiſſent regna orientis illuſtria: voluit Deus & Occidentale fieri, &c. *Cap.* 15. Quibus Deus non erat daturus vitam æternam: ſi neque eis hanc terrenam gloriam concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum .i. virtutibus. *Cap.* 21. Vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deſerit genus humanū, quando voluit, & quantum voluit Romanis Regnum dedit, qui dedit Aſſyrijs, Perſis, &c. qui *Conſtantino* Chriſtiano, ipſe Apoſtatæ *Iuliano*, &c. *Lib.* 6. Contra cultum plurium Deorum ob vitam æternam, & contra pſeudoTheologiam *Varronis*. *Cap.* 13. Diſtinguit Deos in certos, & ſelectos. *Cap.* 5. Tria genera Theologiæ dicit eſſe. 1. Fabuloſum. 2. Naturale. 3. Ciuile. *Cap.* 8. Verus Deus, non opinione, ſed naturâ Deus eſt: non tamen omnis natura Deus. *Lib.* 7. Contra varias interpretationes phyſiologicas Deorum à *Varrone*. *Cap.* 5. Fatetur *Varro* animam mundi, ac partes eius eſſe veros Deos. *Cap.* 6. De naturali Theologia præloquens, dicit ſe arbitrari Deum eſſe animam mundi: & hunc ipſum mundum eſſe Deum; ſed Deum dici ab animo, cùm ſit ex animo & corpore. *Cap.* 17. Hominis eſt (inquit *Varro*) hæc opinari: Dei ſcire. *Cap.* 29. Nos Deum colimus, non cœlum & terram, nec animam vel animas ſed Deum qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt. *Cap.* 30. Hæc facit vnus verus Deus, vbique totus, præſente potentiâ, non abſente naturâ. *Lib.* 8. Contra Platonicam pluralitatem Deorum. *Cap.* 9. *Plato* non dubitat hoc eſſe philoſophari, amare Deum. *Cap.* 10. Hæc eſt cauſa cur iſtos cæteris præferamus. *Cap.* 11. Illud *Exod.* 3. *Ego ſum, qui ſum: Plato* vehementer tenuit, & diligentiſſimè commendauit. *Cap.* 12. Ideo hos elegi, quoniam de vno Deo meliùs ſenſerunt. *Infra.* Sed & ipſe *Plato* Dijs plurimis eſſe Sacra facienda putauit. *Cap.* 13. Habemus ſententiā *Platonis*: omnes Deos bonos eſſe. *Cap.* 24. Omnium, inquit *Hermes*, mirabilium vincit admirationem: quòd homo Diuinam potuit inuenire Naturam, eamque efficere, &c. Proaui noſtri euocantes animas Dæmoniorum, vel Angelorum, indiderunt eas imaginibus, ſanctis diuiniſque myſterijs: per quas Idola & benefaciendi, & malè vires habere potuiſſent. *Lib.* 9. Contra malitiam & falſam mediationem Dæmonum. *Cap.* 11. *Apuleius* Platonicus dicit animas hominum Dæmones eſſe: & ex hominibus fieri *Lares*, ſi meriti boni ſunt; *Lemures* ſeu *Laruas*, ſi mali; *Manes* autem, cùm incertum eſt, &c. *Cap.* 23. Immortalem beatamque creaturam, Deos appellant Platonici. *Lib.* 10. De vera Religione & cultu Latriæ ſolius veri Dei: contra omnem idololatriam, magiam, & errores ipſorum Platonicorum. *Cap.* 26. *Porphirius* vtcumque ſapiebat: ſed contra multorum Deorum cultum, Deum verum non libere defendebat.

Lib. 1. *De conſenſu Euangeliſtarum, à cap.* 12. *ad* 35. De vnico vero Deo Iudæorum: ex eius ſolius inhibitione, colendi ſecum vllum alium Deū; cùm omnes alij paterentur ſe ſimul coli. Vt 1. *Reg.* 5. De Arca Dei euerterte Dagon. *Cap.* 12. Hebrææ Gentis nullus alius Deus erat, niſi vnus verus, &c. Solebant autem Romani Deos Gentium quas ſubiugabant, colendos propitiare, & eorum ſacra ſuſcipere. Hoc de Deo Gentis Hebrææ facere noluerunt. Credo quòd videbant, ſi eius Dei ſacra reciperent, qui ſe ſolùm coli iuberet, dimittenda eſſe omnia quæ prius colenda ſuſceperant. *Cap.* 13. Cur ergo Deus Hebræorum, nec ipſos, ne à Romanis ſubiugarentur, adiuuit? Præceſſerunt manifeſta peccata eorum, &c. *Cap.* 18. *Socratis* ſententia eſt, vnumquemque Deum ſic coli oporteret, quomodo ſeipſum colendum eſſe præcepit. *Cap.* 21. Cùm ergo ſimul coli non poſſint: quis non ſentiat illum eſſe potiùs eligendum, qui iſtos coli tam publicè prohibet, qui eorum ſimulachra euerti iuſſit, prædixit, euertit? Quis eſt Deus iſte: qui omnes Deos Gentium ſic perſequitur? *Cap.* 22. Aliqui dicunt, *Saturnus* eſt: credo propter Sabbathi ſanctificationem, &c. Sed quando *Saturnus* prohibere auſus eſt coli alium Deum? Neque iſtum coli *Iupiter* prohibuit. *Cap.* 23. Nos, inquiunt, *Saturnum* interpretamur vniuerſum tempus: vnde *Saturnus* quaſi ſaturetur annis, &c. Quid aliud indicant quàm omnes Deos ſuos temporales eſſe? Erubuerunt hinc recentiores Platonici, dicentes appellatum eſſe velut à ſaturitate intellectus, græcè *Nous*. *Cap.* 25. Quæ eſt iſta inter Deos Gentium tam fœda conſenſio: vt nec *Diana* virgo coli prohibeat *Venerem*, nec *Priapum*? Sed interpretantur quod ſapiunt: tamen omnia eorum argumenta perturbat Deus Iſraël. Qui cùm illos omnes coli prohibuerit, & à nullo eorum coli prohibitus ſit: ſatis oſtendit illos falſos atque fallaces, & ſe eſſe verum ac veracem Deum. *Cap.* 25. Si Deum Iſraël *Iouem* putant: cur ergo *Ioui* non credunt, Idola eſſe delenda? *Cap.* 29. Quid dicunt de iſto Deo *Sabbaoth*? *Cap.* 30. *Lucanus lib.* 2. ſub finem, maluit incertum Deum, quàm nullum dicere. *Et dedita ſacris incerti Iudæa Dei, &c.*

Lib. 3. *contra Maximinum, cap.* 23. De vnitate Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Ex ſacris Script. ſupra citatis. *Pſal.* 80. Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. *Deus*

recens

Digitized by Google

recens, eſt ad tempus factus: Deus autem noſter, ab æternitate in æternitatem. Chriſtus fortè recens homo, ſed ſempiternus Deus, &c. *Deus recens*, aut lapis, aut phantaſma eſt, &c. Quid recentius Deo ex officina: licet illos iam vetuſtos aranearum caſſes contexerint? *Infra.* Multi Hæretici cum Paganis alios & alios Deos ſibi finxerunt: & eos ſi non in templis, in ſuo corde poſuerunt; & falſorum ridendorumque ſimulachrorum templa ipſi facti ſunt. *Epiſt.* 3. *ad Voluſianum.* 5. *ad Marcellinum.* 20. *&* 22. *ad Longinianum.* 42. *ad Madaurenſes.* 44. *ad Maximum.* 56. *ad Dioſcorum*, contra Idololatriam. *Libro* 6. *Quæſtionum contra Paganos q.* 3. Imò omnibus Libris contra Manichæos, & Arrianos, vt Idolatras propriorũ phantaſmatum, de ſummo Bono, & ſummo malo; deque inæquali natura Perſonarum Diuinarum.

Huc vſque *B. Aug.* De vnitate Dei, Dogmaticè: ſed ſæpè etiam Anagogicè. Vt *Lib. De verâ Religione, cap.* 1. Reprobat Idololatriam ex doctrina contraria ipſorum Philoſophorum Idololatrorum. *Cap.* 2. *Socrates* audacior cæteris fuiſſe perhibetur: iurando per canem, lapidem, &c. Non quòd lapis, & cänis eſſent colenda: ſed vt intelligerent qui poſſent, tanta ſuperſtitione demerſos eſſe homines, &c. Quòd ſi execrarentur, mutarent ſententiam, & vnum Deum colerent, quem ſolùm ſupra mentes noſtras eſſe conſtaret, &c. Non ſic iſti nati erant: vt populos ad verum cultum veri Dei conuerterent. Itaque & ipſe *Socrates* cum populo ſimulachra venerabatur: & poſt eius damnationem mortemque, nemo auſus eſt iurare per canem, nec appellare lapidem *Iouem. Cap.* 3. De efficacia Doctrinæ Chriſtianæ, præ omni illa philoſophica. *Cap.* 4. Si hanc vitam illi viri nobiſcum agere potuiſſent: paucis mutatis Chriſtiani fierent, ſicut plerique Platonici fecerunt; aut ſi non fierent, in ſuperbia & inuidia remanerent, &c. *Cap.* 22. *Anagogicè.* Quis non videat, neque vllam ſpeciem, neque vllum corpus eſſe, quod non habeat Vnitatis veſtigium: Cùmque neceſſariò aliud alibi habeat, non poſſe aſſequi quam ſequitur vnitatem? Vbi videt hanc vnitatem, aut vnde videt? Si hoc loco eſſet: non eam videret, qui hoc modo in Oriente iudicat. *Cap.* 33. Quod ſi eam vnitatem corpora mentiuntur: non eſt credendum mentientibus. Nec tamen mentiuntur, &c. ſed animus peruersè iudicat, &c. *Cap.* 24. O animæ peruicaces, date mihi qui videat omnis vnius principium, non eſſe niſi *Vnum ſolum*, à quo ſit omne vnum, ſiue illud impleat, ſiue non, &c. *Cap.* 35. Vnum quærimus quo ſimplicius nihil eſt: ergo in ſimplicitate cordis quæramus illum. *Lib.* 3. *De libero Arbitrio, cap.* 23. Quid eſt dolor, niſi quidam ſenſus diuiſionis impatiens? Vnde apparet quàm ſit anima auida & tenax vnitatis, &c. Quod ſi non appareret, minùs admoneremur, ab illa ſumma, & ineffabili Vnitate Creatoris eſſe omnia conſtituta, &c. Nulla enim res eſt, quæ non aliqua vnitate decus proprij generis aſſequatur. Nulla res eſt ſentiens, quæ ſe diremptionem fugere, vnitatemque appetere non fateatur. Inque ipſis rationalibus animis, omnis appetitus cognitionis, ad vnitatem refert quod percipit: & in errore nil fugit aliud, quàm ambiguitate confundi. Omne autem ambiguum vnde moleſtum eſt: niſi quia certam non habet vnitatem? Ex quo apparet omnia ſiue cum offendunt vel offenduntur, ſiue cum delectant vel delectantur, vnitatem inſinuare Creatoris. *Lib.* 2. *De Ordine Prouid. cap.* 18. Sciat quis in Ordine quid ſit vnum in numeris, quantumque valeat, &c. In ipſa Philoſophia nihil plus inueniet, quam quid ſit Vnum: ſed longè altiùs, longèque diuiniùs, &c. Hunc ordinem tenens anima, ita ſecum loquetur, &c. In diſcernendo & connectendo, vnum volo, & vnum amo: ſed cùm diſcerno, purgatum; cùm connecto, integrum volo, &c. Lapis vt eſſet lapis, omnes eius partes, omniſque natura in vnum ſolidata eſt, &c. Amici, quid aliud, quàm vnum eſſe conantur? Quæuis multitudo eò minùs vincitur, quò magis in vnum coït. Quid amor omnis? Nonne vnum vult fieri cum eo quod amat? Voluptas non ob aliud delectat: niſi quòd amantia ſeſe corpora in vnum coguntur. Dolor vnde pernicioſus eſt? Quia id quod vnum erat diſſcindere nititur.

S. Ioan. Damaſc. Lib. 1. *Fidei, cap.* 5. Quòd vnus ſit Deus, non plures, *Exod.* 20. *Eſa.* 43. *Ioan.* 7. Cognoſcant te ſolum verum Deum. At cùm ijs qui nullam Scripturæ ſacræ fidem habent, ad hunc modum diſſeremus. Deus omnibus modis perfectus eſt, &c. Si autem diſcrimen aliquod inter plures exiſtit: vbi tandem erit perfectio? Etenim ſi vel Bonitatis, vel Potentiæ, vel Sapientiæ aliquid in eo ad perfectionem deſideretur: Deus certè non erit. Identitas per omnia ſibi conſtans, vnum potiùs oſtendit, quàm multos. Si multi ſunt, quomodo ſalua erit ipſis incircumſcriptio? Quid afferri poteſt, quin ſi mundus à multis gubernetur, non intereat? Diſcrimen ſiquidem contentioni aditum præbet. Quòd ſi quis ſingulos ſingulis Regionibus præeſſe contendat: quæra quis huius ordinis author fuerit? Hic enim potiùs Deus erit, &c. Adde quòd naturali neceſſitate Vnitas Binarij origo ſit. *Bern.* ſupra *col.* 246.

4. Ex Theologis Scholaſticis, qui ſacras Script. & rationes Sanctorum Patrum recollegerunt, ordinarunt, & in fauorem noſtræ Reſp. explicarunt. Vt *Alenſis P.* 1. *q.* 13. *m.* 2. Ens vt in ſe abſolutè, determinatur per vnum. *Ad* 2. Notio vnius coïntelligitur Enti, potiùs quàm notio Veri, & Boni. *Ad* 4. Indiuiſio principiorum eſſendi, eſt Vnitatis: quia eſt prior entitate rei cuius ſunt illa principia.

S. Bon. in 1. *d.* 2. *q.* 1. *d.* 24. *à.* 1. *q.* 1. Deus dicitur vnus poſitiuè quoad rem, &c. ſupra, *col.* 99. Sed latiùs in *Compendio Theol. Ver. Cap.* 1. Quod Deus eſt. *Cap.* 2. Vnus Deus eſt. *Deut.* 32. Ego Sum ſolus. *Epheſ.* 4. Vnus Deus. *Boëtius.* Si dici poteſt, vniſſimum eſt. Idem eſt ſemper, in vno modo, nihil in ſe, niſi ſe habet. Hoc verè vnum eſt, in quo nullus eſt numerus, nullum aliud præter id quod eſt. Idem oſtenditur & ratione: quia ſimplex forma Deitatis, ſi non eſſet vna & eadem numero, ſed communicabilis pluribus; contraheretur ab aliquo addito ad eſſe ſingulare, & ita

componeretur alteri, nec eſſet ſimpliciſſima, &c. Vnum vt eſt principium numeri, non conuenit Deo: ſed vt conuertitur cum ente, conuenit Deo potiùs quàm vlli creaturæ. Quia cùm vnum ſit indiuiſum in ſe, & diuiſum ab alijs: excepto Deo ſolo, nihil eſt in quo non intelligatur aliqua diuiſio, vel actualis, vel potentialis. Cùm Vnitas, vel numerus aliquis de Deo dicitur: nihil ponit, vt quidam dicunt, ſed tantùm priuat. Vnde cùm dicitur Deus vnus .i. non plures.] Non contra propriam ſententiam ſupra, *col. 99. ſed vt quidam dicunt*, inquit. *Infra.* Eſt itaque in Deo vera vnitas: propter ſimplicitatem, immutabilitatem, ſingularitatem, & propter vnitatis creatæ ſimilitudinem.] Non eodem modo propter hæc: ſed propter tria priora, vel aliquod eorum formaliter: propter alia cognoſcibiliter.

Nomen Dei naturaliter ſoli Deo conuenit: adoptiuè per aliquam participationem; nuncupatiuè falſis Dijs. *Cap.* 3. Vnum ſolum principium eſt, &c.

Scotus in 1. *d.* 2. *q.* 1. *&* 2. non ſolùm demonſtrat Deum eſſe: ſed etiam vnum eundemque primũ eſſe triplici primitate, & infinitum. *Quæſt.* 3. Contra negantes demonſtrari poſſe Deum eſſe vnicum: *Videtur*, inquit, *ratione naturali oſtendi poſſe*; ergo demonſtratiuè, per octo rationes breuiſſimè relatas ſupra, *col.* 131. ſed latè *q.* 1. & 2. explicatas & ſuppoſitas. *Diſt.* 8. De ſimplicitate & immutabilitate ſolius Dei. *Diſt.* 24. De Vnitate Dei: non numerante formaliter; nec numerabili per compoſitionem aut aggregationem; nec ſimpliciter, *ſed tantùm ſecundùm quid, ſeu ſecundùm perſonas*, & ſecundùm conceptus. *In* 2. *d.* 3. *q.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. Et in *Report. d.* 12. *q.* 6. De vnitate poſitiua, vt repugnante diuiſioni: deque ſingularitate, vt perfecta vnitate formali. De quibus infra ſub propria Difficultate.

5. Ex conſequentia, & conſtantia rationabili totius noſtræ Reſp. in ſe, & cum omnibus prioribus. Quia ſingularitas, & exiſtentia actualis, eſt de eſſentia Dei: nec poteſt perfectè concipi, aut vt ſimplex, niſi vt vnica. Sicque explicatur à ſacra Script. & SS. PP ſupra: vt à *S. Bern. col.* 146. Nec poteſt ſiſti proceſſus in infinitum, niſi in triplici perfectione Dei: in eſſendo, intelligendo, & volendo, vnicoque modo infinito ſingularum; ergo vnitas non eſt formaliter diſtincta à ſingularitate vel ſimplicitate Dei. Vn infra ad hanc propriam difficultatem.

Difficultas I.

EX ſacra Script. Quæ non ſolùm vtitur nomine plurali Deorum falſorum, ſed & verorum: vt *Pſal.* 49. Deus Deorum. *Pſal.* 81. Ego dixi Dij eſtis. 1. *Cor.* 8. Sunt Dij multi, & Domini multi; imò & nomine proprio veri Dei in plurali אלהים .i. Dij creauit, &c. Cur enim non ſint verè & propriè plures Dij per participationem, *æquè* ac plures Boni, Patres, Magiſtri, Sancti, Domini, & plura Entia: Quamuis *Matt.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 18. Nemo bonus niſi ſolus Deus, per Eſſentiam & Antonomaſticè; *Matt.* 23. Non plures, ſed vnus ſit Pater & Magiſter noſter in Cœlo; in Hymno Eccleſiæ, *Tu ſolus ſanctus*, *Tu ſolus Dominus*; *Exod.* 3. Ego ſum Qui ſum? Cùm nec ſacræ Script. videantur negare plures Deos niſi vt noſtros, vel æquales, vel omnium creatores. 1. *Cor.* 8. Etſi ſunt qui dicuntur Dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra: ſiquidem ſunt Dij multi, & Domini multi; nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia, &c. *Reſp.* ex *Ioan.* 10. Illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt .i. nonniſi repræſentatiuè, & denominatiuè à Deo per eos loquente, apparente, agente. Nec nomen plurale Dei *ELOHIM* ſignificat pluralitatem Deorum, ſed Perſonarum Diuinarum: vel ad maiorem reuerentiam; vt Principes ſolent loqui de ſe ſolis, *Nos*, &c. & dici ſolet ad vnicum, Vos, &c. Nec tamen nomen illud plurale conſtruitur cum verbo plurali, ſed ſingulari: Vt *Gen.* 1. Creauit *ELOHIM*; ad ſignificandam vnitatem Naturæ, Intellectus, Voluntatis, & Potentiæ Diuinæ. Nomen ergo Dei eſt proprium huic ſoli naturæ ſingulari: quæ vt non eſt participabilis; ſic nec verè & propriè nomen Dei. Sed nomen Entis, Boni, Sancti, Domini, Patris, Magiſtri: non eſt proprium Deo, niſi antonomaſticè, vel ſimpliciter, pro principali, vel totali ſignificato; ideoque ſicut res eſt participabilis, ſic & nomen, verè ac propriè.

2. *Ex ſacris Symbolis & Conc.*

QVæ profitentur tres Perſonas Diuinas, æqualis perfectionis: ergo non eſt in Deo Summa Vnitas, Identitas, Singularitas. *Reſp.* Ex *Alenſi* ſupra, *col.* 12. *q.* 14. Perfectior eſt Vnitas ſingularis Dei in pluribus Perſonis, quàm in vnica poſſibili. Quia tanta eſt vnitas ſingulariſſima, & ſingularitas vniſſima Naturæ Diuinæ: vt hæc eadem ſingularis, poſſit eſſe tota communis tribus; non vt ſingularibus, eandem naturam communem participantibus, diſtrahentibus, contrahentibus, diſtinguentibus; ſed vt Perſonis, eandem totam & ſingularem communicantibus ac habentibus; nec per tantam communicationem vllatenus participari, diuidi, aut diſtingui poſſit. Quæ Diff. eſt propria Myſterio *SS. Trin.* de quo ſuis proprijs Quæſt. infra.

3. *Ex SS. Patribus.*

SAnctus *Dionyſius* videtur negare omnem vnitatem formalem Dei: eique tribuere ſolam vnitatem cauſalem, & eminentiæ. *S. Iuſtinus* negat Deo nomen proprium, tribuitque ei ſolum participium Entis. *Tertul.* videtur reprobare omnem vſum & cultum ſacrarum Imaginum. Nec vllus, aut omnes Patres ſimul videntur tam efficaciter probaſſe vnitatem Dei, quàm Theologi Scholaſtici. *S. Aug.* numerat in Deo non ſolùm tres Perſonas: ſed plurima eſſentialia. *Reſp. S. Dion.* non negat vnitatem formalem Dei: ſed vt communem, numeralem formaliter numerantem, vel numerabilem, nobiſuè connumerabilem. Vnde colligi poteſt vnitatem Dei propriã, eſſe eius ſingularitatem actualiſſimã. *S. Iuſtinus* legebat græcè in

par-

Digitized by Google

participio maſculino, quod nunc legimus latinè verbo *Sum*, hebraicè, *Ero. Tertul.* agit contra omnes & ſolas figuras ac formas idololatricas: vel (vt inquit) *Niſi Deus iuſſerit*, ſaltem conſequenter ad honorandum Chriſtum vt hominem, & Sanctos eius; vel, vt addit, *Donec ab Idololatria ſeparamur* .i. donec Idololatria ſit abolita. *S. Aug.* nihil numerat in Deo ſimpliciter: ſed ſecundùm perſonas realiter; ſecundùm Attributa, formaliter. Nec ipſe, nec alij Patres, tam metaphyſicè, quàm moraliter demonſtrarunt Vnitatem Dei, ad captum populi. Quamuis vix vlla ratio à poſteris excogitata fuerit, quam ipſi non perſtrinxerint.

4. Ex Alenſi, S. Bon. & Scoto.

ALenſis p. 1. q. 13. m. 1. Primæ determinationes entis, ſunt Vnum, Verum, Bonum. M. 2. Ens vt in ſe abſolutè determinatur per vnū. *Ad* 1. Ratio vnius addit enti. *Ad* 2. Notio vnius coïntelligitur enti. *Ad* 3. Diſcretio rei à re in eſſe, eſt vnitatis. Indiuiſio principiorum eſſendi eſt vnitatis, &c. Vnum, Verum, Bonum coincidunt, &c. Vnitas principiorum eſt prior entitate cuius ſunt. *Q.* 45. *m.* 1. *Ad* 1. Deus eſt numerus numerans omnia.] Quæ non videntur inter ſe conſtare: nec cum tota doctrina priore. *S. Bon. in* 1. *d.* 14. *a.* 1. *q.* 1. tribuit Deo vnitatem numeralem. *Q.* 2. Vnitas eſſentialis, & vnitas perſonalis, non ſunt duæ re, ſed ſola ratione.] Cùm tamen hæc ſit trina, illa vnica. *Scotus* videtur vbique ſupponere tres paſſiones entis, Vnum, Verum, Bonum, vt æquè diſtinctas, tam ab ente quàm inter ſe: & vnitatem Dei eſſe proprium eius attributum, æquè ac eſt Veritas & Bonitas; vt ei tribuit noſter *Smiſing, Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſp.* 1. *Quæſt.* 1. *n.* 8.

Reſp. Ad Al. Non omnia *Quæſt.* 13. ſunt de propria vnitate Dei: nihil tamen contra. Nam non omnes primæ determinationes Entis, ſunt æquè diſtinctæ, vt proprietates. *Ens vt in ſe abſolutè determinatur per vnum* .i. Vnitas eſt determinatio cuiuſuis entis, ad hoc ſolum eſſe, ſine eius comparatione ad non eſſe aliud. *Ratio vnius addit enti* .i. hanc ipſam determinationem intelligentiæ eius, formalis, & obiectiuæ. *Notio vnius coïntelligitur enti* .i. Non vt prorſus eadem; ſed vt ſubdit, *potiùs quàm Notio veri & boni. Diſcretio rei à re in eſſe, eſt vnitatis* .i. non primò, ſed conſequenter. *Indiuiſio* .i. Identitas, vel integritas principiorum, intrinſecorum eſſendi, *eſt vnitatis* .i. vnitas eſt ratio formalis illius indiuiſionis, identitatis, vel integritatis cuiuſuis rei in ſe, & ſecum ipſa. *Vnum, Verum, Bonum coincidunt* .i. vt ſubdit, *in noſtra memoria, intellectu, & appetitu*; vel coïncidunt in eandem rem, non in eandem prorſus formalitatem. *Vnitas principiorum* .i. Intrinſecorum eſſendi, *eſt prior entitate rei cuius ſunt illa principia.* Quia ſi ſunt partialia, ſingula habent ſuam vnitatem partialem, priorem totali: ſi non ſunt partialia, ſed vnicum totale & formale, vt in Deo; vt eius *Quo*, ſeu ratio formalis & totalis conſtitutiua eſt prior ratione, ſuo *Quod*, ſeu conſtituto, ſic & vnitas illius eſt prior vnitate huius. *Deus eſt numerus omnia numerans, cauſaliter*, non formaliter: nec numerabilis ſimpliciter; vt expreſsè *Al.* ibidem *q.* 45. *m.* 1. Ex quo & nos ſupra, & infra de Tribus Perſonis Diuinis.

Ad S. Bon. Non tribuit Deo vnitatem propriam, vt numeralem cum alijs: ſed aliorum inter ſe. Nam, *q.* 1. *Deus*, inquit, *& creatura non ſunt propriè duo quoad rem.* Imò *q.* 2. *nec vnitas Dei ſimpliciter eſt connumerabilis vnitati perſonali.* Vt *Al. q.* 45. *m.* 1. 2. 4.

Ad *Scotum*. Imo nec ipſis locis à noſtro *Smiſing* citatis, nec vllibi exprimit aut ſupponit vnitatem eſſe æquè proprietatem entis, multò minùs ipſius Dei, ac eſt Veritas & Bonitas: ſed potiùs eſſe ipſam Dei ſingularitatem. Nam in 1. *d.* 3. *q.* 3. §. *Ad Quæſt.* Nam reſoluit niſi quòd ens non ſit vniuocum in *Quid*, de omnibus per ſe intelligibilibus: quia nec de differentijs vltimis, nec de proprijs paſſionibus entis; non tamen has numerat, nec ſupponit abſolutè vnitatem. Sed, inquit. *Sunt aliquæ paſſiones entis inquantum ens, &c. Si iſta eſt per ſe 2. modo, ens eſt vnum: hæc*, vnum eſt ens, *non eſt per ſe 1. modo, ſed quaſi per accidens, &c. Si vnum, vt vnum, includat quidditatiuè ens: continebitur ſub aliquo genere limitato, &c. Sicq́, repugnaret enti infinito, nec poſſet dici de ipſo formaliter. Quod eſt falſum: Quia omnia tranſcendentia dicunt perfectiones ſimpliciter, & conueniunt Deo in ſummo, &c. Si vnum includit ens quidditatiuè, non includit præcisè ens: quia idem tunc eſſet paſſio ſuiipſius; ergo includit ens & aliquid aliud, &c. Vnum ratione entis incluſi non eſt paſſio: & per conſequens illud aliud incluſum eſt paſſio, quæ non includit ens quidditatiuè; & ita quicquid eſt paſſio entis, ex hoc non includit ens quidditatiuè.* Quorum nihil reſoluitur abſolutè de ipſa vnitate: ſed nonniſi conditionaliter. §. *Quantum ad 2. Arg. Hoc nonobſtante, dico quòd ens eſt obiectum primum intellectus noſtri: quia omne per ſe intelligibile, aut includit eſſentialiter rationem entis, aut continetur virtualiter vel eſſentialiter in includente eſſentialiter rationem entis.* Infra à §. *His viſis de ente*, referendo & refutando quòd ens non vt ens, ſed vt verum, ſit obiectum primum, & adæquatum intellectus noſtri, exprimit abſolutè, *Verum eſt paſſio entis, & cuiuſlibet inferioris ad ens.* Diſt. 8. *q.* 4. §. *Contra iſtam poſitionem*, & §. *contra iſtam opinionem*, nihil de vnitate; ſed de ſola veritate, & bonitate, vt de Attributis & perfectionibus ſimpliciter, ac diſtinctis formaliter. Ergo non idem, aut non æquè cenſet de Vnitate. *Diſt.* 26. *n.* 55. *Ad* 1. Inter Attributa Dei recenſet Veritatem & Bonitatem, etiam vt tranſcendentalem: cur non ergo priùs & potiùs vnitatem; ſi æquè cenſeret eſſe Attributum? *In* 2. *d.* 3. *per* 5. *priores Quæſt.* & in *Report. d.* 10. *q.* 6. agit de ſingularitate, vt de perfecta & formali vnitate poſitiua: ſed vt diſtincta à quadam minori vnitate naturæ communis, eamque perficiente. Vnde non infert vnitatem ſingularitatis conſequi naturam, vt huius proprietatem: ſed vt differentiam vltimam, ſeu ſiſtentem, & vltimò terminantem totam diuiſibilitatem naturæ communis. Neque horum quic-

V 2 quam

Digitized by Google

quam refert ad ipſam vnitatem, vel ſingularitatem Dei: in quo non eſt diſtinctio formalis inter naturam, & ſingularem; ſicque nec inter vnitatem naturæ, & ſingularitatis. *Diſt. 3. q. 2. n. 2. Non quæritur quo formaliter repugnet diuidi in plura: quia ſic repugnantiâ formaliter repugnat; ſed quo vt fundamento proximo, & intrinſeco, iſta repugnantia ineſt.* Ergo per hoc non excludit ipſam vnitatem à ratione formali abſoluta ſingularitatis: nec ſingularitatem à ratione formali vnitatis; ſed ſolam repugnantiam negatiuam diuiſibilitatis. *Quæſt. 6. n. 9. Vt vnitas in communi per ſe conſequitur entitatem in communi: ita quæcumque vnitas, per ſe conſequitur aliquam entitatem.* Infra. n. 10. *Vnitas propria conſequens naturam vt natura, prior eſt naturaliter vnitate eius vt hæc natura, &c. Concedo ergo quòd vnitas realis non eſt alicuius entitatis exiſtentis in duobus indiuiduis, ſed in vno. Potentiale quod contrahitur per actuale, informatur ab illo actuali, & ab vnitate eius conſequente: non tamen eſt ſic vnum per ſe primò, ſed denominatiuè, &c. Ita concedo, quòd quicquid eſt in iſto lapide, eſt vnum numero: vel primò, vel per ſe, vel denominatiuè, &c. vt ſupra col. 163.* Vnde patet quòd non eſt vlla diſtinctio formalis inter ſingularitatem, & vnitatem Dei, ſed ſolius creaturæ: in qua ſola, natura eſt ex ſe communis, & potentialis ad compoſitionem cum ſingularitate, ex qua poſſit ſequi aliqua vnitas quaſi compoſiti. Sed in Deo natura eſt ex ſe actualiſſima, & ſingulariſſima: ideoque non poteſt ex ea ſequi vlla vnitas; ſed hæc eſt formaliter ipſa eius ſingularitas, vel ſimplicitas, ex qua ſequitur indiuiſibilitas illa negatiua, ſeu repugnantiæ. Hinc nec vnitas videtur eſſe proprietas entis in communi ad Deum & creaturas: ſed vt potentialis, vel huius vt compoſiti.

5. *Ex varijs Rationibus.*

1. SI eſſet tam euidens lumine naturali, Deum eſſe Vnicum: quomodo potuiſſet tot ſæculis à pleriſque hominibus ignorari; & ad primum fidei Articulum pertinere? 2. Æquè eſſet euidens eſſe vnicam Perſonã Diuinam, ac vnicum Deum. 3. Diſtinctio illa formalis ex natura rei inter perfectiones Dei, videtur fuiſſe occaſio, aut prætextus ille apud *B. Aug.* ſupra, colendi plures Deos vt plures Virtutes eiuſdem Dei. 4. Deus eſt propriiſſimè & perfectiſſimè vnus, ſeu vnicus, & ſolus Deus: eiuſque vnitas formaliter repugnat pluralitati Deorum ſingularium, ſeu excludit formaliter omne aliud, tam ſingulare quàm commune, à Deitate; ergo eſt formaliter negatiua alterius, vel relatiua excluſiuè ad omne aliud. 5. Singularitas infert vnitatem: quia quod eſt hoc, non eſt vllum aliud; ergo vnitas non eſt ipſa ſingularitas, ſed illa ſequitur ex hac. 6. Simplicitas non eſt ipſa vnitas: ſed perfectiſſimus modus vnitatis, ex *S. Bon. in 1. d. 8. a. 3. q. 2.* Ergo nec vnitas eſt ipſa ſimplicitas.

Reſp. Ad 1. ex *Rom. 1. Veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius & Diuinitas; ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, &c. Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Sap. 13. *Vani ſunt omnes homines in quibus non eſt ſcientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum Qui Eſt, &c. A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri, &c.* eodem cap. 13. 14. De origine Idololatriæ: non ex defectu naturali, ſed vitioſo rationis, ſeu ex culpa originali & actuali vitiante affectum, & per hunc offuſcante ipſum intellectum, ac demerente veram illuminationem & cognitionem Dei. Nec neceſſaria eſt fides in vnum Deum ad omnem eius cognitionem: ſed ad ſupernaturalem, & ſuo modo dignam ac gratam Deo.

Ad 2. Cùm hæc euidentia naturalis vnius Dei, ſit ex eius infinita perfectione neceſſaria, non includit vnicam Perſonam, nec excludit plures: quia hæ non important maiorem, vel minorem, imò nec vllam perfectionem.

Ad 3. Verus cultus Dei, eſt ſecundùm eius exiſtentiam realem & actualem: non autem ſecundùm varios eiuſdem conceptus obiectiuos. Nec *S. Aug.* & *S. Hilarius* ſupra, reprehendunt fidem & cultum plurium virtutum, vel potiùs eiuſdem Dei ſub pluribus titulis virtutum: ſed hunc prætextum & abuſum colendi plures Deos, aut etiam plures virtutes Dei, vt partiales, & inæquales.

Ad 4. Vt *Al.* ſupra *col.* 14. *ad* 7. Veritas negationis, fundatur in veritate affirmationis, imò eſt eadem: vt homo eſt homo, & non eſt aſinus.] Sic & eadem veritate formali qua Deus eſt hic, eſt vnicus Deus, nec poteſt eſſe alius vel aliud: nec ideo ſingularitas, aut vnitas Dei eſt formaliter, ſed ſolùm virtualiter, vel æquiualenter negatiua, vel relatiua, & excluſiua omnis alterius.

Ad 5. vt *ad*. 4. Non infert propriè: ſed formaliter æquiualet; & hoc ipſo quo quid formaliter eſt hoc, non eſt vllum aliud.

Ad 6. Simplicitas non eſt modus perfectiſſimus vnitatis, vt attributalis & poſterioris: ſed vt prioris ſeu eſſentialis; ergo vt ſingularis. Niſi fortè cenſeatur modus perfectiſſimus vnitatis communis: non autem ipſius Diuinæ.

Ne ergo videamur hac Quæſt. fruſtra contendiſſe contra communem opinionem, de Vnitate, vt prima ex tribus paſſionibus entis: ſed pro Vnitate Dei, vt ſola eſſentiali, ac ſingulariſſima; ad ſiſtendum in tribus perfectionibus infinitis, eſſendi, intelligendi, & volendi. Nec mirum ſit Vnitatem eſſe communem paſſionem entis: non tamen eſſe proprietatem, ſed de ipſa eſſentia Dei. Quia ens non eſt tam vniuocum ad Deum & creaturas, quàm ad ſolas creaturas: vt harum communes proprietates entis, ſint etiam proprietates Dei, ſed poſſunt eſſe eſſentialiores Deo, quàm creaturis. Vt Exiſtentia, Singularitas, Subſiſtentia, non ſunt de eſſentia entis, aut ſubſtantiæ communis; ſed ſolius Dei.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO X.

De Veritate Dei obiectiua, eiq́; oppoſita falſitate.

DE veritate & veracitate formali, *Quæſt.* 12. & 13. hic autem de ſola veritate obiectiua. De qua perfectiſſimè *Al. P.* 1. *q.* 15. 16. 38. 40. *S. Bon. in* 1. *d.* 8. *a.* 1. *Scotus* ſæpè, ſed promiſcuè, recenſet veritatem inter perfectiones proprias, & attributales Dei. *In* 1. *d.* 48. *Ad arg.* Veritas intellectus non dependet, niſi à ſolo obiecto: quòd ſi ita ſe habeat vt intelligitur, verus eſt intellectus. Bonitas autem voluntatis pendet etiam ab omnibus circumſtantijs, & potiſſimùm à fine. *Diſt.* 3. *q.* 4. *n.* 26. ad illud *B. Aug.* 8. *Trin.* 2. Cùm audis, *Deus eſt Veritas*, noli quærere quid eſt veritas: ſtatim enim obijciunt ſe phantaſmata, &c. Quia, ait *Scotus*, quando intelligimus vniuerſale, phantaſiamur eius ſingulare, &c. Concipiendo ergo Deum conceptu vniuerſaliſſimo, noli deſcēdere ad aliquem conceptum particularem, qui eſt propinquior phantaſmati, &c. Quia ſtatim intelligitur veritas contracta: quæ non conuenit Deo, ſed veritas in communi. *Quæſt.* 4. De veritate vt naturaliter cognoſcibili, vt ſupra *col.* 140. Ex quibus facile colligi poteſt, quid, & quotuplex ſit veritas: An, & quæ ſit perfectio Dei, quamque ab alijs diſtincta. Sed totam hanc Quæſtionem reſtringamus ad Veritatem obiectiuam, ſub hac Reſponſione.

Reſponſio.

OPtimè *Alenſis* ſupra, *q.* 15. & 16. *col.* 13. 14. ex *B. Aug.* diſtinguit Veritatem, & falſitatem: in obiectiuam, ſeu rei vt eſt intelligibilis; formalem, ſeu cognitionis, & ſolius ſignificationis; ſingulaſque ex eo definit & explicat. Veritas obiectiua entis in communi, & cuiuſuis in ſingulari, rectè explicatur per indiuiſionem eiuſdem in ſeipſo, ſeu non implicantiam contradictionis: & per intelligibilitatem, ſeu proportionem ad intellectionem. Non eſt tamēn negatiua, nec neceſſariò relatiua: ſed poteſt eſſe abſoluta perfectio mouendi, aut terminandi veram cognitionē. Quæ perfectio obiectiua, vt infinita ſimpliciter, eſt proprietas attributalis ſolius Eſſentiæ Diuinæ: vt infinita intenſiuè, ſecundùm ſingulas perfectiones Dei diſtinctè intelligibiles, eſt proprietas attributalis ſingularum; eſtque ipſa Lux, Pulchritudo, Facies, Imago, & infinita Gloria Dei obiectiua, qua dignus eſt omni gloria formali, propriâ, & noſtrâ. Vt infinita extenſiuè ad omnia intelligibilia: non eſt perfectio, ſed ex perfectione intenſiua. Non videtur tamen adæquatè diſtincta à perfectione formali ipſius Intellectus Diuini: ſed ad vnam eandemque, non partialiter, ſed totaliter pertinere. Quorum ſingula ſucceſſiuè explicabuntur.

1. Ex ſacra Script. *Pſal.* 116. Veritas Domini manet in æternum. *Pſal.* 118. Principium verborum tuorum Veritas. *Ioan.* 1. Vnigenitus à Patre plenus gratiæ & Veritatis. *Ioan.* 14. Ego ſum Via, Veritas, & Vita, &c. Spiritus Veritatis. 1. *Cor.* 13. Charitas congaudet Veritati. 1. *Ioan.* 1: Deus eſt Lux .i. Veritas, ex *B. Aug.* 8. *Trin.* 2. Et quæcumque de Deo vt vero & veraci: deque eius Luce, Decore, Pulchritudine, Facie, & Gloria Diuina. *Sap.* 7. Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Maieſtatis, & Imago Bonitatis illius. *Sap.* 13. Quantò his Dominator eorum ſpecioſior eſt? *Exod.* 33. Oſtende mihi faciem tuam. *Pſal.* 79. Oſtende faciem tuam & ſalui erimus. 1. *Cor.* 13. Tunc videbimus facie ad faciem. *Phil.* 3. Qui cum in Forma Dei eſſet, &c. Sicque de Gloria & Beatitudine Dei obiectiua, ſuæ propriæ gloriæ formalis & comprehenſiuæ, noſtræque æternæ, ſed finitæ.

2. Ex ſacris Symbolis & Conc. quibus profitemur fidem in vnum verum Deū, eiuſque veram Beatitudinem obiectiuam. Vt expreſsè in Symbolo Conſtantinop. *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* In Conc. Later. cap. Firmiter, *Credimus quòd vnus eſt ſolus verus Deus.* Imò & in Symb, Athan. *Æqualis gloria, &c.*

3. Ex SS. Patribus. Vt *S. Dion. c.* 4. Sub titulo lucis & pulchritudinis Diuinæ. Quid dicemus de ipſo ſolari radio? Ex ipſo namque Bono lux eſt, & Imago Bonitatis. Idcirco *Lucis* quoque appellatione laudatur *Bonum*, velut in Imagine expreſſa primitiua forma. Sicut enim tranſcendit omnia Deitatis Bonitas, &c. Ita & liquida Diuinæ Bonitatis Imago magnus iſte Sol, perexigua Boni ſimilitudine, &c. *Infra.* Neque id dixerim iuxta obſoletam rationem, vt Deus ſit Sol, &c. Sed quòd *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur, &c. Rom.* 1. Nunc Boni illius intelligibilem à luce ductam appellationem celebrare nos conuenit, &c. *Lux* igitur intelligibilis dicitur Bonum illud omnem ſuperans lucem: vt principalis radius, & exuberans effuſio lucis, omnem vel mundo præeminentem, vel circa mundum, vel intra mundum agentem ſpiritum ex ſua illuſtrans plenitudine, &c. Bonum quoque iſtud vt *Pulchrum* à Theologis ſanctis prædicatur, & vt pulchritudo, & vt dilectio, & vt diligibile, & quæque ſunt aliæ decentiſſimæ ſpeciei illius venuſtificæ, plenæque gratiarum diuinæ appellationes. Porro pulchrum & pulchritudo in cauſa ſuprema, cunctaque in vnum colligente, diſtinguenda non ſunt. Iſta enim in participationes participantiaque diuidimus: pulchrum eſſe dicentes, quòd ſit pulchritudinis particeps; pulchritudinem verò, participationem venuſtificæ pulchrorum omnium cauſæ. Enimuerò ſuperſubſtantiale illud *pulchrum*, pulchritudo quidem dicitur propter illam quam tradit omnibus pro captu cuiuſque pulchritudinem, & vt omnibus ſpecificas principalis ſui

Digitized by Google

radij diſtributiones infulgens,&c. *Pulchrum* verò, & per omnia pulchrum, & ſupremè pulchrum, quòd ſemper ſit ſecundùm eadem, & eodem modo pulchrum, neque oritur, neque occidit, neque augetur, neque interit. Neque hic pulchrum, alibi deforme : neque aliàs pulchrum, aliàs non ; neque ad aliud pulchrum, ad aliud fœdum; nec alijs pulchrum, alijs non : ſed vt ipſum in ſeipſo, atque ſecum vniforme ſemper eſt pulchrum ; & vt omnis pulchri principalem pulchritudinem excellentiſſimè in ſeipſo ante omnia habens. Simplici etenim & præcellenti pulchorum omnium naturæ, pulchritudo omnis, atque omne pulchrum vniformiter ſecundùm cauſam præadeſt. Ex hoc quoque *Pulchro* omnibus prouenit, vt ſingula ſint ſuo modo pulchra : efficitque rerum omnium congruentias, amicitias, & ſocietates ; pulchroq; iſto coniunguntur omnia, eſtque velut cauſa mouens omnia, & continens amore pulchritudinis propriæ, finiſque eſt omnium & exemplar. Pulchri enim gratia omnia fiunt, & iuxta id diffiniuntur omnia. Quocirca *Pulchrum* idem eſſe quod bonum perſpicuum eſt. Pulchrum enim & bonum cuncta deſiderant : neque eſt aliquid in ſubſtantijs rerum, quod pulchri & boni non ſit aliquatenus particeps. Illud item diſcere præſumimus : id quoque quod non eſt, pulchri & boni particeps eſſe. Tunc enim & ipſum pulchrum eſt ac bonum, cùm in Deo per omnium priuationem ſuperſubſtantialiter celebratur. Illud vnum bonum & pulchrum, omnium bonorum ac pulchrorum ſingulariter eſt cauſa Ex hoc ſubſtantiales eſſentiæ ſunt, coniunctiones, diſcretiones, identitates, alteritates, ſimilitudines, diſſimilitudines, ſocietates, congruentiæ, amicitiæ inconfuſæ, conuenientiæ vniuerſi, indiſſolubileſque rerum continentiæ, &c.

S. Aug. promiſcuè de Veritate Dei obiectiua, & formali. *Lib.* 1. *Solil.* inter *Aug.* & Rationem. *Cap.* 1. *Aug.* Te inuoco Deus Veritas, &c. Deus intelligibilis Lux : in quo, & à quo, & per quem intelligibiliter lucent omnia. *Cap.* 8. Vt ſol eſt, fulget, illuminat : ita in Deo tria ſunt, quòd eſt, quòd fulget, quòd illuminat. *Cap.* 14. *R.* Nouit illa pulchritudo quando ſe oſtendat. *Cap.* 15. *R.* Cùm duo verba ſint, Veritas, & Verum : an tibi res duæ, vel vna videatur ? *A.* Duæ. *R.* Quid horum præſtantius ? *A.* Veritas. *R.* Cùm quis caſtus moritur, cenſeſne mori caſtitatem? *A.* Nullo modo. *R.* Ergo cùm aliquod verum interit, non interit Veritas. *Infra.* *R.* Quicquid eſt, alicubi eſt : fateris autem eſſe Veritatem, &c. Vbinam igitur illam eſſe credis ? Non eſt certè in rebus mortalibus. Quicquid enim eſt, non poteſt manere, ſi non maneat in quo eſt. Eſt autem Veritas, & non eſt nuſquam : ſunt igitur res immortales. *Lib.* 2. *Solil. cap.* 2. *R.* Si ipſa Veritas occidat, verum erit occidiſſe : Verum autem non poteſt eſſe, ſi veritas non ſit ; nullo modo igitur occidet Veritas. *Cap.* 3. Falſum eſt, quòd aliter ſeſe habet, quàm videtur. *Cap.* 4. *R.* Verum eſt, quod ita eſt, vt videtur, &c. Ergo ablato eo cui videtur, nec falſum quicquam, nec verum eſt ? *Cap.* 5. *R.* Defini ergo verum. *A.* Verum eſt, quòd ita ſe habet, vt cognitori videtur, ſi velit, poſſitque cognoſcere. *R.* Non erit igitur verum, quod nemo poteſt cognoſcere ? *A.* Ergo ſic definio. Verum mihi videtur eſſe id quod eſt. Nihil ergo erit falſum. *Cap.* 9. *R.* Video tentatis omnibus non remanſiſſe quod falſum iure dicatur : niſi quòd aut ſe fingit eſſe quod non eſt, aut omnino eſſe tendit, & non eſt. Sed illud falſi genus, vel fallax etiam, vel mendax eſt. Nam fallax dicitur, quod habet quendam fallendi appetitum : ſed partim ratione fit. vt in homine ; partim naturâ, vt in vulpecula. Mendax à mentientibus fit : Qui differunt à fallacibus ; quòd omnis fallax appetit fallere, non omnis qui mentitur. Nam omnes ferè qui iocantur, mentiuntur. *A.* Sed expecto, quale ſit quod dixiſti : *Eſſe tendit*, *& non eſt*. *R.* An non tibi videtur imago tua de ſpeculo, quaſi tu ipſe velle eſſe : ſed ideo eſſe falſa, quòd non eſt ? Quid omnis pictura ? Quid ea quibus dormientes, vel furentes falluntur ? Quid de turrium motu, vel de merſo remo, vel de vmbris corporum plura dicam ? Taceo de cæteris ſenſibus : nam nemo non hoc inueniet, falſum appellari in rebus ipſis quas ſentimus, *quod eſſe aliquid tendit*, *& non eſt*. *Cap.* 10. *R.* Quædam eſſe falſa reſpectu verorum, & vera reſpectu falſorum. *R.* Vnde vera pictura eſſet, ſi falſus equus non eſſet ? Vnde in ſpeculo vera hominis imago, ſi non falſus homo ? *Cap.* 11. De veritate qua omnes Diſciplinæ veræ ſunt : ſed præ omnibus ipſa Diſciplina diſputandi. *Cap.* 15. *R.* Falſum eſt quod ad ſimilitudinem alicuius accomodatum eſt : neque id tamen eſt, cuius ſimile apparet, &c. *A.* Solet falſum dici etiam quod à veriſimili longè abeſt. *R.* Sed tamen habeat ad verum nonnullam imitationem. *Infra.* *A.* Quis enim lapidem falſum argentum eſſe dicens, non iure rideatur ? Stannum autem, aut plumbum non abſurdè falſum argentum vocamus : quod res velut ipſa imitatur. *Cap.* 16. *R.* Vide vtrum & argentum falſi plumbi nomine appellare poſſimus. *A.* Non. *R.* Num fortè quòd argentum melius eſt : plumbi autem velut honor eſt, ſi falſum argentum vocetur ? *A.* Prorſus explicaſti. Ideo credo iure infames inteſtabileſque haberi, qui muliebri habitu ſe oſtentant : quos neſcio an falſos viros, an falſas mulieres vocem ; veros tamen hiſtriones, veroſque infames. *Cap.* 17. Inane nec eſſe, nec eſſe verum. *Cap.* 13. *A.* Videamus an corpus non ſit verè verum .i. non in eo ſit veritas, ſed quaſi imago veritatis, &c. Verum eſt enim & corpus : ſi verò & imitatione aliqua verum eſt, &c. *R.* Ego puto corpus aliqua forma & ſpecie contineri : quam ſi non haberet, corpus non eſſet ; ſi verò haberet, animus eſſet, &c. Taleſne in corporibus figuræ inueniuntur, quales Geometria demonſtrat ? Quas ergo iſtarum veras putas ? *A.* Quis non videat geometricas habitare in ipſa veritate, aut in ijs etiam veritatem : illas verò corporis, quaſi ad iſtas tendere, ſeu habere neſcio quam imitationem veritatis, & ideo falſas eſſe ? *Cap.* 19. *R.* Ac per hoc in animo noſtro veritas eſſe cognoſcitur, &c. Immortalis igitur eſt anima : crede veritati, clamat & in te ſeſe habitare, & immortalem eſſe, nec ſibi ſuam ſedem qua-

cunque

Digitized by Google

cunque corporis morte poſſe ſubduci. *Cap.* 20. A. Quid interſit inter veram figuram quæ intelligentia continetur, & eam quam ſibi fingit phantaſia? R. Mens interior quæ vult verum videre, ad id ſe conuertat, ſecundùm quod iudicat omnia, &c. Quare ergo iudicat quantamuis pilam veram, vera planitie puncto tangi? Quid tale vnquam oculus videre poteſt: cùm ipſa imaginatione fingi non poſſit?

An non etiam hoc probamus, cùm minimum circulum imaginando deſcribimus, & ab eo ad centrum lineas ducimus? Nam cùm duas duxerimus, inter quas vix acu pungi poſſit: alias in medio non poſſumus imaginari, &c. Cùm clamet ratio innumerabiles poſſe duci, &c. Hoc cum phantaſia implere non poſſit: manifeſtum eſt eam multum differre à veritate.]

Quam rationem pro animæ immortalitate pluribus proſequitur, *Libro* ſeq. De Immortalitate animæ. De qua ex *B. Aug. in* 2. *à col.* 403. *ad* 413. Nec videatur *S. Aug.* hic æquiuocè agere de Veritate, & ex ea ſophiſticè inferre Immortalitatem animæ. Quamuis enim lectorem exerceat ad veritatem, videaturque platonizare de ſola recordatione veritatis ante corpora præcognitæ: cùm hoc tamen ſolum retractet, & in verum ſenſum explicet, *lib.* 1. *Retr. cap.* 4. 8. reliqua omnia cenſetur approbare: imò & ſua Soliloquia, totamque hanc ratiocinationem plurimùm commendat *Epiſt.* 151. Ad *Nebridium.* Quid ſi Nebridius Soliloquia noſtra legiſſet? Lætaretur multò exundantius. *Infra.* Illa ratiocinatio, cui tanquam vnicę meę blandiri ſoleo, & ea me nimis oblectare. Vnde conſtamus? Ex animo & corpore. Quid horum melius? Animus. Quid laudatur in corpore? Pulchritudo. Quid eſt corporis pulchritudò? Congruentia partium cum quadam coloris ſuauitate. Hæc forma vbi vera melior, an vbi falſa? Vbi vera. Vbi ergo vera eſt? In animo. Animus igitur magis amandus eſt, quàm corpus. Sed in qua parte animi eſt iſta veritas? In mente atque intelligentia. Quid huic aduerſatur? Senſus. Reſiſtendum ergo ſenſibus totis animæ viribus, &c. Quid ſi ſenſibilia nimium delectant? Fiat vt non delectent. Vnde fit? Conſuetudine ijs carendi, appetendique meliora. Quid ſi moritur animus? Ergo moritur veritas, aut non eſt in intelligentia veritas, aut intelligentia non eſt in animo, aut poteſt mori aliquid, in quo aliquid immortale eſt? Nihil autem horum fieri poſſe, Soliloquia noſtra iam continent.] Quæ ſiue de veritate formali, potentiali, habituali, vel actuali, ſiue de veritate obiectiua, ſiue potiùs de vtraque: rectè inferunt immortalitatem animæ rationalis; quia hæc eſt capax æternæ veritatis, eique vt proprio obiecto indiſſolubiliùs vnita, quàm proprio corpori. Vt expreſsè *B. Aug.* 1. *Retr.* 8. Anima intellectualis connectitur non ſolùm intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus.] Vnde ex natura ſua conſeruatur extra ſuum corpus: quia non tàm eſt propter corpus mortale, quàm propter obiectum ſuum æternum. Vt etiam in 2. *Sent. col.* 412.

Sic & *Lib. de vera Relig. cap.* 33. & 36. Cui manifeſtum eſt falſitatem eſſe qua id putatur eſſe quod non eſt: intelligit eam eſſe veritatem, quæ oſtendit id quod eſt. At ſi corpora fallunt, in quantum non implent illud vnum quod conuincuntur imitari: datur intelligi eſſe aliquid quod illius vnius ita ſimile ſit, vt hoc omnino impleat, ac ſit id ipſum; & hoc eſt Veritas, &c.

Ipſa eſt quæ illud oſtendit ſicuti eſt: vnde & Verbum eius, & Lux rectiſſimè dicitur. Cætera illius Vnius ſimilia dici poſſunt in quantum ſunt, in tantum enim & vera ſunt: hæc autem ipſa ſimilitudo, & ideo veritas. *Infra.* Falſitas oritur, non rebus ipſis fallentibus: quæ nihil aliud oſtendunt, quàm ſpeciem ſuam. Sed peccata animas fallunt, cùm verum quærunt, relicta & neglecta veritate.

Lib. 2. *de lib. arb.* Inter *B. Aug.* & *Euodium*, à *cap.* 8. *ad* 17. De obiectis æternæ Veritatis, ipſaque Sapientia & Veritate æterna, vt omnibus communi obiectiuè & participatiuè. Vt *cap.* 9. *Aug.* Arbitraris ſingulos homines habere ſingulas ſapientias: an verò vnam præſto eſſe omnibus communem, cuius quantò magis quiſque ſit particeps, tantò eſt ſapientior? *Infra.* Num aliam putas eſſe Sapientiam, niſi Veritatem: in qua cernitur & tenetur ſummum bonum? *Infra.* Vt multa ſunt quæ in luce ſolis homines vident: lux tamen ipſa vna eſt, &c. *Cap.* 13. *Aug.* Quid beatiùs eo qui fruitur incommutabili Veritate. *Infra.* Hæc Veritas oſtendit omnia bona quæ vera ſunt &c. Fortis acies mentis erigit ſe in ipſam Veritatem qua cuncta monſtrantur, eique inhærens obliuiſcitur cætera, & in illa ſimul omnibus fruitur. Quicquid enim iucundum eſt in cæteris veris, ipſa vtique Veritate iucundum eſt. *Quæſt.* 36. *ex* 83. Honeſtatem voco, intelligibilem pulchritudinem.

Lib. de mendacio: & altero *contra Mendacium*; vt nullo caſu licitum, ad cauendum vllum malum, vel ad vllum maius bonum; quia eſt contra ipſam primam Veritatem, qua nihil melius. Hinc *cap.* 18. *contra Mend.* Cùm propoſuero ante oculos cordis mei intelligibilem illius pulchritudinem, de cuius ore nihil falſi procedit: quamuis vbi radians magis magiſque clareſcit veritas, ibi palpitans mea reuerberatur infirmitas; tamen amore tanti decoris ſic accendor, vt cuncta quæ me reuocant, humana contemnam, &c. *Infra.* Vitæ huius amatores, ne homo moriatur, imò vt ſeriùs moriatur, non tantùm mentiri, ſed etiam peierare nos volunt, &c. Suntque in eis docti, qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat peierari. O Vbi eſtis fontes lachrymarum! Quo ibimus ab ira veritatis? *Cap.* 19. Nemo diſcit à caſtitate eſſe adulterandum, nec à pietate Deum eſſe offendendum, nec à benignitate cuiquam eſſe nocendum: & diſcamus à Veritate eſſe mentiendum? Porro ſi hoc non docet Veritas, non eſt verum: ſi non eſt verum, non eſt diſcendum; ſi non eſt diſcendum, nunquam igitur eſt mentiendum. *Cap.* 20. A periculo quo cogimur pro æterna ſalute hominis mentiri, quo confugiam, niſi ad te veritas? Cur ideo non facimus contraria caſtitati, & facimus contraria veritati?

Lib. 3. *Conf. cap.* 6. Manichæi dicebant, Veritas, Veritas, & nuſquam erat in eis. *Infra.* O Veritas, Veritas, quàm intimè etiam tunc medullæ animi mei

mei

Digitized by Google

mei ſuſpirabunt tibi! *Lib.* 4. *cap.* 13. Dicebam amicis meis: num amamus aliquid niſi pulchrum? Quid eſt ergo pulchrum, & quid eſt pulchritudo? Scripſi libros de Pulchro & Apto, puto duos aut tres: ſed aberrauerunt à nobis. *Cap.* 14. Pulchrũ illud & Aptum libenter verſabam. *Cap.* 15. Pulchrum quod per ſeipſum, Aptum autem quod ad aliquid accomodatum deceret, definiebam & diſtinguebam. *Lib.* 7 *cap.* 10. Vidi ſupra mentem meam lucem Dei incommutabilem, &c. Qui nouit Veritatem, nouit eam: & qui nouit eam, nouit æternitatem. O æterna Veritas, & vera Charitas, & chara Æternitas! Tu es Deus meus, tibi ſuſpiro die ac nocte, &c. Et dixi, nunquid nihil eſt Veritas, quoniam neque per finita, neque per infinita locorum ſpatia diffuſa eſt? Et clamaſti de longinquo: imò verò, Ego ſum qui Sum, *Exod.* 3. Faciliuſque dubitarem, me non viuere, quàm non eſſe Veritatem, quæ per ea quæ facta ſunt conſpicitur. *Cap.* 15. Omnia vera ſunt, in quantum ſunt: nec quicquam eſt falſitas, niſi cùm putatur eſſe quod non eſt. *Lib.* 10. *cap.* 23. Beata vita eſt gaudium de Veritate. Hoc eſt enim gaudium de te, qui Veritas es, &c. Omnes volunt gaudium de Veritate, &c. Cur ergo non de illa gaudent? Quia fortiùs alijs occupantur, &c. Cur autem Veritas odium parit? Niſi quia ſic amatur Veritas, vt qui aliud amant, hoc velint eſſe Veritatem; & quia falli nolunt, nolunt conuinci quòd falſi ſint, &c. Amant Veritatem lucentem, oderunt redarguentem. *Cap.* 24. Vbi inueni Veritatem, ibi inueni Deum meum, ipſam Veritatem, &c. Hæ ſunt ſanctæ deliciæ meæ. *Cap.* 26. Vbi ergo inueni te, niſi in te, ſupra me? Vbique Veritas præſides omnibus conſulentibus te: liquidè tu reſpondes, ſed non liquidè omnes audiunt. Omnes vnde volunt conſulunt: ſed non ſemper quod volunt, audiũt, &c. *Cap* 27. Serò te amaui, Pulchritudo tam antiqua, & tam noua: Serò te amaui. Intus eras, & ego foris, &c. *Cap.* 37. Pulchra traiecta per animas in manus artificioſas, ab illa pulchritudine veniunt, quæ ſuper animas eſt, cui ſuſpirat anima mea die ac nocte. Sic & *Lib. De Magiſtro, cap.* 11. De ijs quæ intelligimus, non loquentem qui perſonat foris, ſed intus præſidentem conſulimus Veritatem, verbis fortaſſe, vt conſulamus admoniti, &c. Sed tantùm cuique panditur, quantum capere propter propriam ſiue malam, ſiue bonam voluntatem poteſt.

Lib. 8. *De Trin. cap.* 1. In Eſſentia Veritatis, hoc eſt verum eſſe, quod eſt eſſe: & hoc eſt eſſe, quod eſt magnum eſſe; hoc eſt ergo magnum eſſe quod verum eſſe. *Cap.* 2. Ecce vide ſi potes, ò anima: Deus Veritas eſt. Noli quærere quid ſit Veritas: ſtatim enim ſe opponunt caligines imaginum corporalium, & nubila phantaſmatum; & perturbant ſerenitatem quæ primo ictu illuxit tibi cùm dicerem, Veritas. Ecce in ipſo primo ictu quo velut corruſcatione perſtringeris, cùm dicitur, Veritas, mane ſi potes: Sed non potes, relaberis in illa ſolita, &c. *Lib.* 14. *cap.* 15. Vbi ſcriptæ ſunt regulæ immutabiles iuſtitiæ: niſi in libro lucis, quæ Veritas dicitur? Vnde omnis lex iuſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur iuſtitiam, non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur. Sicut imago ex annulo in ceram tranſit, & annulum non relinquit. Qui verò non operatur, & tamen videt: ab illa luce auertitur. Qui autem nec videt: etiam ipſe ſplendore præſentis Veritatis attingitur, quando admonitus confitetur.

Serm. 44. *De Diuerſis, cap.* 6. Conamini cogitare lumen veritatis, &c. Præſens eſt enim omni cogitanti, &c. Nullo loco eſt, & vbique eſt, &c.

S. Anſel. Dialogo de Veritate, inter Diſcipulum, & Magiſtrum. *Cap.* 1. De Veritate vt æterna. *Cap.* 2. De veritate & rectitudine ſignificationis: ſignificando quod eſt, aut non eſt, & quod debetur. *Cap.* 3. De veritate & rectitudine opinionis: putando eſſe quod eſt, aut non eſſe quod non eſt, & quod debetur. *Cap.* 4. De Veritate & rectitudine voluntatis, volendo quod velle debemus. *Cap.* 5. De veritate & rectitudine actionis rationalis, & naturalis: agendo quicquid poteſt, & debetur. Vt etiam ignis in calefaciendo, & verba in ſignificando. *Cap.* 6. De veritate & falſitate ſenſus interioris, non exterioris. *Cap.* 7. De veritate omnium quæ ſunt in ſe, vt ſint in prima Veritate. *Cap.* 8. De omnium bonorum & malorum eſſe, vt debent eſſe, ſaltem permiſſiuè. *Cap.* 9. De actione & paſſione debita, aut non debita. *Cap.* 10. De vera vel falſa ſignificatione facti. *Cap.* 11. De ſumma Veritate & rectitudine ex ſeipſa: quia eſt quod eſt non quia vlli debet eſſe. *Cap.* 12. De Veritatis diffinitione. *M.* Veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis. *Cap.* 13. Iuſtitia eſt etiam Veritas, & rectitudo: ſed ſolius voluntatis, & ſeruata propter ſe, ſeu propter hanc ipſam rectitudinem. *Cap.* 14 De vna Veritate & rectitudine communi. *M.* Veritas impropriè huius, vel illius rei eſſe dicitur: quoniam illa non in ipſis rebus, aut ex ipſis, aut per ipſas in quibus eſſe dicitur, habet ſuum eſſe; ſed cùm res ipſæ ſecundùm illam ſunt, quæ ſemper præſto eſt his quæ ſunt ſicuti debent, tunc dicitur huius vel illius rei veritas; vt veritas vocis, actionis, voluntatis, &c. Sicut tempus eſſe per ſe non dicitur alicuius, &c. Ita ſumma Veritas per ſe ſubſiſtens, nullius rei eſt; ſed cum aliquid ſecundùm illam eſt, tunc eius dicitur veritas vel rectitudo.

4. Interpretando *Alenſem*, *S. Bon.* & *Scotum*, ſupra. *Alenſis q.* 15. *m.* 2. Vnitas eſt indiuiſio entis in ſe: Veritas, indiuiſio eſſe ab ente. *M.* 3. Veritas rei eſt indiuiſio eſſe ab eo quod eſt. *M.* 5. Veritas cuiuſuis rei, eſt indiuiſio eſſentiæ, ſeu eſſentialium inter ſe, & ab eis quæ ſunt.] Sic enim optimè explicatur illa definitio *B. Aug.* ſupra: Quod *verum ſit id quod eſt*: non ſolùm ſpecificatiuè, vel fundamentaliter, ſed etiam reduplicatiuè, vel formaliter .i. Quia, vel quatenus eſt quoad exiſtentiam, id ipſum quod eſt quoad eſſentiam; vel quia & quatenus eſſentialia eiuſdem rei conueniunt inter ſe, non autem ſibi inuicem contradicunt. Hæc enim eſt prima & communiſſima ratio Veritatis obiectiuæ, ſeu intelligibilitatis: vt & prima ratio falſitatis, ſeu inconceptibilitatis obiectiuæ, eſt implicantia contradictionis. Neque hæc indiuiſio veritatis, coincidit cum indiuiſione Vnita-

Digitized by Google

vnitatis : quia indiuiſio vnitatis opponitur pluralitati eiuſdem de ſeipſo. Nec obſtat *Quaſt*.13. *m*.2. *Ad* 4. Indiuiſio principiorum eſſendi, eſt vnitatis: cognoſcendi, veritatis, &c. Quia vt verbatim *Al*. in Textu. *Eſt indiuiſio principiorum , vt conſtituunt rem in eſſe ſimpliciter, & ab illa eſt vnitas in rebus: eſt indiuiſio ſecundùm quod conſtituunt illam in eſſe cognoſcibili , & ab hac eſt veritas; & eſt indiuiſio principiorum, vt conſtituunt rem in ordine ad finem , & ſic ab illa eſt bonitas .i.* Conuenientia principiorum, vt pertinentium ad hoc idem eſſe , eſt vnitatis : conuenientia autem vt proportionata cognitioni , ſeu non contradictoria , eſt veritatis , &c. Neque obſtat quod *Quaſt*. 16. non definiat falſitatem in re, per implicantiam contradictionis : ſed per fictionem , aut tendentiam , aut apparentiam eius quod non eſt. Quia vt *m*. 4. 5. *Falſitas non eſt negatio ſimpliciter : ſed in aliquo genere , & in aliquo vero*. Nec eſt tam euidens impoſſibilitas, aut implicantia cõtradictionis, quin ſubſit alicui fictioni, tendentiæ, apparentiæ, ſimilitudini veritatis. Vnde *m*. 5. *Ad* 2. meritò negat ſummo vero opponi vllum falſum : quia nihil ei vt ſic , poteſt eſſe ſimile. Nec Dij poſſunt propriè aut ſeriò dici falſi , ex aliqua apparentia : ſed ſolùm ridiculè , ſine vlla apparentia veri.

S.Bon. 1. *d*.8. *p*.1.*a*. 1. *q*. 1. *Veritas comparatiuè ad ſuum ſubiectum, eſt indiuiſio actus, & potentiæ .i.* Exiſtentiæ actualis , à ſua eſſentia potentiali , vt *Al*.ſupra. Reliqua ſunt per ſe facilia & fauorabilia. *Ad vlt*. *Eſſentia & Veritas in Deo non ſunt ſynonima: ſed hæc eſt illius proprietas , in modo ſignificandi & intelligendi* ; non quaſi modo ficto , ſed vero , ſeu conformi ſuo obiecto.

A quibus nec *Scotus* in vllo diſſentit : niſi fortè in 1. *d*. 3. *q*. 3. à *n*. 20. negando verum eſſe adæquatum obiectum intellectus noſtri. A. *n*. 25. Explicando *B*. *Aug*. 8. *Trin*. 2. 3. De Veritate & Bonitate communi , non propria Deo. Et *q*. 4. tribuendo intellectui noſtro vim ſufficientem cognoſcendi naturaliter aliquas certas veritates, abſque illuſtratione lucis ſeu Veritatis Diuinæ.

Ad 1. Non tamen negat veritatem vt ſupra ab *Al*. explicatam , eſſe primam rationem formalem intelligibilitatis : ſed eſſe obiectum adæquatum intellectus noſtri; quia ipſum ens eſt etiam intelligibile. Quod non obſtat quin veritas entis vt ſupra .i. conuenientia eius in ſeipſo ſine contradictione , ſeu hæc proportio eius ad intellectum , ſit prima ratio intelligibilitatis. *Ad* 2 Illa expoſitio *Scoti* , eſt ad intentam vniuocationem entis veri , boni, &c. Qua ſalua poſſunt eadem *B*. *Aug*. etiam exponi de Veritate & Bonitate ſimpliciter , vt ſupra *Quaſt*. 2. *à col*.213. De eſſe Dei ſimpliciter: non vt communi, nec vt determinato ad infinitũ ; ſed vt totali ſeu tanto quantum in vllo eſſe poteſt, & à quo minora quæuis participari poſſint. Neque hæc expoſitio illi opponitur , nec illa huic : ſed hæc illi ſuperadditur , ad intentum *B*. *Aug*. qui docet ibi modum facilem contemplandi Deum ipſum , non autem ſolùm aliquid commune Deo & nobis : illa autem huic facilè conciliari poteſt, intelligendo conceptum communem ; non vt indifferentem & æquè communicabilem , ſed vt totalem ſolius Dei, & participabilem à creaturis. *Ad* 3. Ipſe *Scotus* ſeipſum ibidem ſatis conciliat *B*. *Aug*. de neceſſaria participatione lucis , ſeu veritatis obiectiuæ , & formalis Dei , ad cognoſcendam aliquam veritatem : non tamen neceſſariò per illuminationem ſpecialem .i. gratuitam , ſed connaturalem noſtro etiam intellectui , ſaltem in ſuo primo ſtatu naturali.

5. Explicando rationabiliter totam noſtram Reſp. *Optimè Al. &c.* vt ſupra ſatis explicatum videtur. *Non eſt tamen negatiua*. Vt enim indiuiſibilitas vnitatis, eſt ex poſitiua & formali eius ſingularitate, aut identitate ſecum ipſo : ſic etiam indiuiſibilitas veritatis, eſt ex poſitiua & formali conuenientia, ſeu proportione ad intellectum, de qua ſupra. *Nec eſt neceſſariò relatiua, ſed, &c.* Quia cùm ſint quædam entia relatiua, quædam abſoluta : illa quidem habent aliquam imperfectam veritatem intelligibilem dependenter à ſuo termino; ſed abſoluta habent veritatem perfectam , ſeu intelligibilem abſolutè ab illa dependentia. Quæ perfectio obiectiua communis omnibus entibus abſolutis , eſt poſſe mouere ex ſe, aut terminare in ſe vel ad ſe veram aliquam ſui cognitionem , ſine alio obiecto cointellecto. *Hæc perfectio vt infinita ſimpliciter , eſt proprietas attributalis ſolius Eſſentiæ Diuinæ, &c.* Quia vt hæc continet radicaliter omnes ſuas proprietates , ſeu perfectiones attributales : ſic & omnium ac ſingularum veritatem obiectiuam. Sed vt ſingulæ ſunt formaliter , ſeu obiectiuè diſtinctæ : ſic & ſingulæ habent ſuam infinitam veritatem obiectiuam. *Eſtq; ipſa lux , &c.* Quia nulla Dei perfectio poteſt eſſe ex ſe , & in ſe obſcura : ſed neceſſariò ſibi ſaltem luciđiſſima, ſeu obiectiuè veriſſima, neceſſariò pulcherrima, ſeu proprio ſaltem intellectui proportionatiſſima, & delectabiliſſima ; ſicque quaſi *Facies* , & *Imago* totaliſſima , vt ſuiipſius totius perfectiſſimè ſeu comprehenſiuè repræſentatiua; & obiectiuè glorioſiſſima ac beatiſſima .i. digna omni glorificatione formali, per æternam, infinitam, & beatiſſimam ſui-ipſius comprehenſionem, noſtramque æternam, & beatam , ſed finitam contemplationẽ, admirationem, laudẽ, &c. *Non videtur tamen adæquatè diſtincta* , *&c.* Quia perfectio intelligendi in Deo, eſt actualiſſima: ergo coexigit non ſolùm realiter, ſed & obiectiuè omnia ad perfectiſſimè intelligendum neceſſaria. Quorum primum eſt , obiectum infinitum obiectiuè præſentiſſimum. Nec obiectum, potentia, & actus, ſe habent inter ſe partialiter , ad ſupplendam mutuam imperfectionem : ſed ſingula totaliter in ſuo genere , & in Deo perfectiſſimè ac infinitè. Vt enim infinitas ſimpliciter Eſſentiæ Diuinæ, nec includit formaliter , nec excludit infinitatem propriam ſingularum perfectionum: ſic nec perfectio infinita intelligẽdi ſimpliciter, excludit, ſed includit adæquatè infinitatem obiectiuam, potentialem, actualem, & fortè habitualem , vt infra ad hanc diff. & præcipuè *Quaſt*. 12. De perfectione intellectus diuini. Singulariter, quo ſenſu plures perfectiones Attributales, & ſingulæ infinitæ, ac formaliter diſtinctæ: non ſint adæquatè diſtinctæ , ſed ad vnam eandemque quaſi totaliorem , non partialiter , ſed totaliter , pertinere poſſint.

Digitized by Google

Difficultates.

1. PSal. 35. In cœlo miſericordia tua, & Veritas tua vſque ad nubes. 84. Veritas de terra orta eſt. 88. Veritas tua in circuitu tuo. Ergo non eſt formaliter in Deo. *Reſp.* Ex *B. Aug. Veritas tua vſque ad nubes* .i. deſcendendo vſque ad nos per reuelationem. *Veritas de terra orta eſt* .i. vera confeſſio peccatorum : *Et iuſtitia de cœlo proſpexit* .i. iuſtificatio verè confitentium ſua peccata. *Veritas tua in circuitu tuo* .i. Fides, & fideles tui circumquaque: vel hæc & ſimilia intelligenda ſunt cauſaliter, de effectibus ſimilibus veritati obiectiuæ, aut formali ipſius Dei, vel iuſtitiæ eius, quam ſacra *Script.* ſæpè vocat Veritatem.

2. *S. Dion.* videtur Deo tribuere ſolam lucem & pulchritudinem cauſalem, non autem formalē: & identificare pulchritudinem Bonitati Diuinæ, ſicque de Veritate. *Reſp.* Nunc tribuit ei cauſaliter, nunc formaliter, nunc ſuperlatiuè, nunc myſticè: vt ſolet tribuere omnes Dei perfectiones; ad extollendas eas ſupra omnem ſimilitudinem, & modum noſtrum loquendi ac intelligendi. Identificat autem pulchrum cum bono : non ſolùm realiter, ſed concomitanter obiectiuè, ad mouendum affectum vtroque motiuo ſimul.

3. Videtur *B. Aug.* Sophiſticè & æquiuocè procedere, de æterna veritate, & immortalitate animæ, ex inexiſtentia Veritatis æternæ: cùm Veritas æterna non inexiſtat animæ ſubiectiuè, imò nec neceſſariò obiectiuè, ſed ſoli Deo formaliter, obiectiuè, & identicè. *Reſp.* Nec *B. Aug.* ſupponit Veritatem æternam neceſſariò ineſſe actualiter animæ rationali, nequidem obiectiuè: ſed tantum potentialiter ſeu aptitudinaliter. Nec infert animæ coæternitatem, aut abſolutam immortalitatem, ad conſeruandam Veritatem : quaſi deficiente creatura rationali, Veritas deficeret, nec per ſe in æternum ſubſiſteret, ſicut per ſe in Deo ſubſiſtit ab æterno ; ſed tantùm infert immortalitatem animæ naturalem, propter ſuum proprium obiectum Veritatis æternæ.

4. *Idem B. Aug. 3. contra Acad.* 17. 2. *Solil.* 11. *Epiſt.* 218. Negat corporalia eſſe verè, aut vera intelligibilia : ſed tantum veriſimilia. *Quæſt.* 32. *ex* 83. Cenſet omnia æquè eſſe vera, & æquè intelligibilia. 5. *in Gen.* 16. Cenſet Deum eſſe nobis faciliorem intellectu, quàm ſint ipſa corporalia. 12. *in Gen.* 10. Confundit intelligibile cum intellectuali. *Reſp.* non negat corporalia eſſe verè corporalia, & vera ac verè intelligibilia, vt talia: ſed platonicè, nonniſi vt veriſimilia .i. non quaſi ficta, ſed verè ſimilia ſuis Ideis, vt ſolis abſolutè veris; vel nonniſi ſecundum ſuas eſſentias, ſeu earum veritates ſpirituales ac æternas in Deo. Nec negat corporalia & ſenſibilia, eſſe etiam intelligibilia, ſaltem terminatiuè : ſed non vt ſenſibilia; nec motiuè, ſeu vt motiua immediatè. Quia cenſet, 12. *in Gen.* 16. & alibi, corporalia non poſſe agere in ſpiritum, nequidem intentionaliter, mouendo intellectum obiectiuè. Retractando autem 1. *Retr.* 5. *Quod intelligitur einſmodi eſſe ſemper, cùm intelligatur & animus, qui vtique non einſmodi eſt ſemper* : videtur etiam retractaſſe quicquid ſonat contra veritatem corporum, vt intelligibilem terminatiuè. *Quæſt.* 32. *ex* 83. Non cenſet omnia eſſe æquè vera, & æquè intelligibilia : ſed ſingula eſſe æquè intelligibilia extenſiuè à quouis intellectu, non autem æquè intenſiuè. Quia ſingula habent ſuam propriam entitatem & veritatem indiuiſibilem, ſecundùm quam ſciantur, aut ignorentur. Sed intellectus & intellectiones eiuſdem rei ſunt inæqualis perfectionis. Vnde ibidem meritò infert, *eſſe perfectam intelligentiam, qua præſtantior eſſe non poſſit, nec per infinitum iri.* i. Eſſe perfectiſſimum intelligibile, & perfectiſſimum intellectum, ac intellectionem. Quia non datur proceſſus in infinitum de perfectiori in perfectius; ſed ſiſtitur in aliquo perfectiſſimo infinito. Subdit enim: *Quia quæq; res intelligitur, nec poteſt eam aliùs alio plus intelligere.* .i. Cùm quæuis res ſit intelligibilis quantum poteſt, intenſiuè, & extenſiuè : non poteſt non intelligi actu, nec ab vno pluſquam ab alio in infinitum. Vel non poteſt ab vllo plus intelligi quam ab alio, obiectiuè & extenſiuè: quia veritas conſiſtit in indiuiſibili. Poteſt tamen plus minuſùe intelligi ex parte potentiæ & actus : ſed non poteſt eſſe vllum intelligibile, quin perfectiſſimè intelligatur à Deo, quantumcunque intelligibile ſit. *Lib. 5. in Gen.* 16. Seipſum ſatis explicat. *Quamuis Deus ineffabilis ſit : tamen nobis propinquior eſt qui fecit, quàm multa quæ facta ſunt. In illo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Act. 17. *Iſtorum autem pleraque remota ſunt à mente noſtra, propter diſſimilitudinem ſui generis : quoniam corporalia ſunt, nec idonea eſt ipſa mens noſtra, in ipſis rationibus quibus facta ſunt, ea videre apud Deum; vt per hoc ſciamus quot, & quanta, qualiaq; ſint, etiamſi non ea videamus per corporis ſenſus. Remota quippè ſunt à ſenſibus corporis noſtri : quoniam longè ſunt, vel interpoſitis aut oppoſitis alijs, à noſtro intuitu tactuq; ſeparantur. Ex quo fit vt maior ad illa inueniendа ſit labor, quàm ad illum à quo facta ſunt : cùm ſit incomparabili fœlicitate præſtantius, illum ex quantulacunq; particula pia mente ſentire, quàm illa vniuerſa cōprehendere. Vnde rectè culpantur Sap.* 13. *inquiſitores huius ſæculi, &c. Ignota enim ſunt fundamenta terræ oculis noſtris: & qui fundauit terram, propinquat mentibus noſtris, &c.* Vt & 1. *Solil.* 4. *Quantùm in ſuo genere à cœlo terra: tantum ab intelligibili Dei Maieſtate vera & certa ſpectamina diſciplinarum differunt.* Vnde patet Deum non eſſe comparabilem cum vllis creaturis in perfectione veritatis intelligibilis : nec Deum hic aut vllibi cenſeri à B. Aug. facilem intellectu noſtro, quoad eſſentiam, ſed quoad ſolam exiſtentiam, ſeu quòd ſit, ſub aliquo conceptu confuſo Entis Primi, Summi Boni, aut Infiniti : nec cenſeri faciliùs intellectu, quid aut quòd ſit Deus, quàm quid aut quod quæuis creatura ſit; ſed quàm quædam creaturæ etiam corporales, ſed remotæ à noſtris ſenſibus. Quod tamen ait : *Remota ſunt à mente noſtra, propter diſſimilitudinem ſui generis; quoniam corporalia ſunt, &c.* Probat quod ſupra, corporalia non eſſe proportionata ad immediatè mouendum, vel nec per ſe & in ſe terminandum intellectum; ſed per ſuam propriam, aut perfectiorem veritatem,

ſeu

ſeu repræſentationem ſpiritualem. Sed quia maior eſt exceſſus Veritatis Diuinæ ſupra noſtrum captum, quàm defectus, ſeu improportio corporum cum intellectu: Hinc incomparabiliter eſt nobis difficiliùs ſcire quid Deus ſit, quàm quid ſit vllum corpus vel vlla creatura. *Lib.* 12. *in Gen. cap.* 10. *Siue intellectuale dicamus, ſiue intelligibile, hoc idem ſignificamus. Quanquam nonnihil intereſſe nonnulli voluerunt: vt intelligibilis ſit res ipſa, quæ ſolo intellectu percipi poteſt; intellectualis autem, mens quæ intelligit. Sed eſſe aliquam rem quæ ſolo intellectu cerni poſſit, ac non etiam intelligat, magna & difficilis quæſtio eſt: eſſe autem rem quæ intellectu percipiat, & non etiam intellectu percipi poſſit, non arbitror quenquam vel putare vel dicere. Mens quippe non videtur niſi mente. Quia ergo videri poteſt, intelligibilis: quia & videre, intellectualis eſt, &c. Nunc intellectuale & intelligibile ſub eadem ſignificatione appellamus.* Non quòd confundat intellectuale cum intelligibili formaliter: cùm ſupra ſatis diſtinguat; ſed realiter in eodem identificat. Nec quòd dubitet, quin qualitates ſpirituales, & ſubſtantiæ materiales ſint ſolo intellectu perceptibiles, nec tamen intellectuales, ſeu intellectiuæ: ſed an poſſint eſſe ſubſtantiæ ſpirituales ſolo intellectu perceptibiles, quæ non ſint etiam intellectuales, ſeu intellectiuæ.

4. *S. Anſel.* videtur confundere veritatem obiectiuam, cum rectitudine iuſtitiæ, & negare omnem veritatem ac rectitudinem nobis intrinſecã, contra *Trid. Seſſ.* 6. *Can.* 11. *Reſp. S. Anſ.* imitatus *S. Aug.* anagogicè: de vnica prima ac æterna veritate & rectitudine, vt omnibus communi obiectiuè; ſed ſingulis veris & rectis intrinſeca participatiuè, vt ſæpè ſupra.

5. Ex *Al.* P. 1. q. 52. m 1. *Nomina conſequentia naturam Dei, ſignificant eandem: ſed noſtro modo ſignificandi*; ergo non vt veritates obiectiuas, formaliter diſtinctas. *Reſp.* Connotant ſeu cõſignificant eandem naturam, ex qua obiectiuè ſequuntur: ſed in concreto ſignificant attributa, noſtro modo .i. adiectiuè; cùm ſint formaliter perfectiones ſubſiſtentes, & identicæ ipſi naturæ. Vt *Al.* ibidem. *Ad ſimilitudinem naturalium, ſignificant vt qualitatem, &c.* Ad 2. *Omne ſimplex, alio eſt, alio dicitur eſſe .i. ab effectu. Ideo nomen poſitiuum Dei, ſub forma determinata, vt Bonus, Iuſtus, Sapiẽs, habet modum ſuum ſignificandi ab effectu.* Sed non negat quin habeant ſuum formale ſignificatũ, præter cõſignificatum Naturæ: niſi Natura ſumatur pro ipſo principio *Quo* omnis actus & effectus Dei.

6. Veritas obiectiua Dei eſt formaliter relatiua ad Intellectum: ergo non eſt perfectio abſoluta. Quod ſi ſit perfectio abſoluta, & ſecundùm hanc infinita: eſt & adæquatè diſtincta ab ipſa perfectione Intellectus. Nec obſtat, ſed potiùs fauet huic formali diſtinctioni adæquatè: quòd obiectum ſuâ perfectione obiectiua exigat intellectum & actum adæquatum quo comprehendatur; & intellectus Dei exigat obiectum adæquatum quod comprehendat. Quia hæc coëxigentia, & illatio vnius ex alio, diſtinguit potiùs formaliter inter has, & inter plures alias Dei perfectiones. *Reſp.* Obiecta non ſunt formaliter relatiua ad ſuas potentias, nec è contra: quantominùs veritas obiectiua Dei eſt relatiua ad ſuum Intellectum ſibiipſi identicum, vel è contra? Nec verè & propriè concipiuntur relatiuè, ſed abſolutè, quamuis proportionatè. Quia cùm hæc proportio ſit perfectionis, & inter eadem realiter: non poteſt eſſe relatio realis, nec formalis; ſed ſolius rationis comparantis & poſterioris. Nec quæuis perfectio abſoluta, formalis & infinita, eſt à quauis etiam formali & infinita adæquatè diſtincta: vt patet ex eadem perfectione formali & infinita Eſſentiæ Diuinæ, quamuis ſub varijs gradibus eſſentialibus, non partialibus, ſed totalibus & infinitis, inadæquatè expreſſa. Quia quamuis omnes perfectiones infinitæ adæquentur inter ſe quaſi intenſiuè: non tamen quaſi extenſiuè; ſed vna poteſt ſic adæquatè continere plures ad eandem adæquatiorem pertinentes. Nec ideo erit vnica perfectio Dei formalis & adæquata, ſed potiùs tres: quia omnes pertinent ad tres primò diuerſos modos perfectionis, eſſendi, intelligendi, & volendi. Ad quos ſingulos adæquatè pertinent tot quot perfectiones eiuſdem modi: quamuis ſingulæ in ſe infinitæ, tamen conneceſſariæ ad hunc ſuum modum communem perfectionis.

7. Veritas obiectiua entis non poteſt concipi niſi vt cognoſcibilis, ſicque relatiuè ad cognitionem: ergo eſt relatiua. *Reſp.* Plæraque abſoluta non poſſe à nobis concipi niſi relatiuè: ſed ſupponendo aliquid abſolutum, vt notum quòd ſubſit, ſed non quid ſit, niſi per aliquam relationem ſeu collationem cum alijs. Quæ relatio Dei, vt intelligibilis, ad ſeipſum vt intelligentem, non poteſt eſſe realis: ſed eſt relatio realis neceſſariæ dependentiæ cuiuſuis entis creati vt intelligibilis, ad Intellectum Diuinum, à quo ex ſola Eſſentia Diuina intelligitur, & hoc ipſo poſitiuè & proximè in ſeipſo intelligibile ſit. Quæ relatio dependentiæ, ſeu conformitas ad eſſe à Deo intellectum, poſſet etiam dici veritas creaturæ: cùm hæc non ſit potiùs abſoluta à relatione dependentiæ ad Deum in veritate, quàm in entitate.

QVÆSTIO XI.

De Bonitate Dei.

DE qua, eiuſque participatione, ac oppoſita malitia *Alenſis* præ omnibus, ad ſtuporem vſque. P. 1. q. 17. 18. 19. P. 2. q. 100. 103. 104. Sed *S. Bon.* & *Scotus* nonniſi hinc inde promiſcuè. Vt in 1. d. 1. De fruitione, eiuſque obiecto, ſeu ſummo Bono. *Diſt.* 2. De vnitate Naturæ Diuinæ eiuſque communicatione pluribus Perſonis: ex infinita Bonitate. *Diſt.* 17. De charitate Dei, eiuſ-

premum illud Bonum: quod eſt informe formans, idque in ſeipſo ſolo, &c. Si dicere fas eſt, Bonum illud, ipſum quoque quod non eſt appetit, & quodammodo in Bono ſuperſubſtantiali per omnium ablationem eſſe contendit, &c. Cœleſtium quoque principiorum & finium cauſa, Bonum ipſum eſt: cùm nec augeri nec minui poſſit, &c. Ex ipſo Bono lux ſolaris eſt, & imago Bonitatis. Idcirco lucis appellatione laudatur Bonum: velut in imagine expreſſa primitiua forma. Vt enim tranſcendentis omnia Deitatis Bonitas illuminat omnia quæ lucem admittunt, & creat, viuificat, continet, perficit, &c. Ita & liquida Diuinæ Bonitatis imago, magnus iſte Sol, perexiguâ Boni ſimilitudine. *Infra.* Intelligibilis lux, Bonum ipſum dicitur: quòd omnem ſpiritum ſpiritali impleat luce, &c. Bonum, vt pulchrum quoque à Theologis laudatur, &c. Non ſunt in Deo diſtinguenda, &c. Omnia quæ ſunt, & fiunt, ob pulchrum & Bonum fiunt, & ab ipſo mouentur atque continentur, &c. Et quæ non ſunt, omnia ſuperſubſtantialiter ſunt in pulchro & Bono: eſtque ipſum initium omnium & finis, omne principium omnemque ſuperans finem; quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, atque in ipſum omnia ſunt. Omnibus igitur eſt pulchrum ac Bonum deſiderabile, & amabile. Per ipſum, & ipſius gratiâ inferiora amant præſtantiora, paria ſocialiter diligunt æqualia, præſtantiora minoribus prouidendo amore iunguntur, &c. Ipſe quoque Author omnium pro Bonitatis magnitudine omnia amat, facit, perficit, continet. Eſt & Diuinus amor Bonus, & Boni, & propter Bonum. Ipſe enim Author, beneficus entium amor: cùm antea in Bono excellenter eſſet, nequaquam ipſum in ſeipſo manere infœcundum permiſit, ſed ipſum ad operandũ mouit per excellentiam cuncta gignentem. *Infra.* Si omnibus pulchrum, & amabile eſt. &c. quomodo Dæmonum turba, pulchra non deſiderat? Quid eſt quod ipſam efficit malam? Quid eſt malum? A quo & in quo eſt? Malum ex Bono nequaquam eſt, &c. Nulla igitur ſubſtantia ex malo eſt: nequidem ex malo ipſum erit malum, ſiquidem ſibi ipſi ſit malum. Quod niſi ita ſit, malum non omnino erit malum: ſed boni quandam habebit portionem &c. Igitur Bonum erit longè prius eo quod eſt, & non eſt: malum verò neque in his quæ ſunt eſt, neque in his quæ non ſunt; ſed ipſo quoque quod non eſt, à Bono alienius eſt malum. Vnde ergo malum? Niſi enim ſit malum, virtus & vitium idem erit &c. Eſt igitur inter ſubſtantias malum bono oppoſitum, ipſumq; ſubſtantias generans. An non corruptio alterius generatio fit? Dicet ad hæc vera ratio: malum qua malum nullam ſubſtantiam facere, ſolùmque corrumpere &c. Non qua parte corrumpit, tribuit generationem &c. Generatio verò propter Bonum fit: Et qua parte eſt malum, neque ſubſtantia eſt, neque efficiens. *Infra.* Quæ per omnia pergit perfecta Bonitas: ad extrema quoque pertingit. Vt ſingula capere poſſunt, participant Bono. Alia magis, minuſùe priuata ſunt &c. Quæ ſunt omnia, in quantùm ſunt, & Bona. & ex eo Bona ſunt: in quantùm verò priuata ſunt Bono, neque Bona ſunt, neque ſubſiſtunt &c. Quod autem per omnem modum Bono priuatum eſt: nuſquam, nequaquam, neque fuit, neque eſt, neque erit, neque eſſe poteſt. Vt impudicus Bono priuatus eſt: iuxta tamen amicitiæ vel tenuem imaginem, eſt particeps Boni. Ira eſt Boni particeps, ex ipſo motu quo appetit quæ videntur mala, ad id quod videatur Bonum conuertere &c. Si ſuſtuleris Bonum, nec ſubſtantia erit, nec vita, nec deſiderium, nec motus, nec aliud. Itaque quod ex corruptione fiat generatio: non eſt vis mali, ſed minoris Boni præſentia. Vt & morbus eſt defectus ordinis non tamen omnis. *Infra.* Itaque non eſt in Deo malum, & malum Diuinum non eſt: ſed neque eſt ex Deo malum, &c. Ne in Angelis eſt quidem malum, &c. Nam ſi ſunt per naturam mali: neque ex Bono ſunt, neque ſunt. *Infra.* Dixerit quiſpiam: mali dicũtur non ex eo quod ſunt, ſed ex eo quod non ſunt, &c. In quo obſecro, malos fieri Dæmones dicimus: niſi in priuatione Diuinorum Bonorum, habitus, atque operationis? Si naturâ mali ſunt: ſemper ergo mali, &c. Si non ſemper mali: non naturâ mali ſunt, ſed Angelicorum Bonorum indigentiâ, &c. Ad hæc, quid eſt in Dæmonibus malum? Furor, imaginatio præceps, atque proterua. Verùm iſta, nec in omnibus, nec ſecundùm ſe mala ſunt. Nam in alijs animantibus, non iſta habere, ſed his carere malum eſt. Non itaque mala eſt Dæmonum gens, quâ parte eſt: ſed quâ non eſt traditum illis totum Bonum, ſed illo exciderunt. *Infra.* Neque in Dæmonibus, neque in nobis eſt malum, quaſi exiſtens: ſed vt defectus conſummationis propriorum bonorum. Sed nec in animalibus eſt malum. Nam ſi ſuſtuleris iram: Leo ferocitate amiſſa, Leo eſſe deſinet &c. Ne in corporibus quidem eſt malum. Feritas enim & morbus, defectus eſt ſpeciei, & ordinis: hic verò non eſt malum, ſed minùs pulchrum. Sed nec in materia quidem, vt materia, eſt malum: & ipſa enim ad ſpeciei accedit conſortium. Si autem extra exiſtens, in ſeipſa ſpeciem deſiderat: quo pacto facit aliquid, quæ nec pati poteſt? Si nuſquam, nulloque pacto eſt: nec bonum nec malum eſt; ſi autem eſt, ex Bono ſit neceſſe eſt, &c. Si aſſerunt ad perfectionem mundi fuiſſe neceſſariam: quomodo erit malum? *Infra.* Vt paucis expediam, Bonum eſt ex vna & tota cauſa, malum ex multis particularibuſque defectibus. Nouit Deus malum, vt bonum &c. Quòd ſi malum eſt, & creat, & poteſt: vnde ſibi iſta? *Infra.* Reſtat vt malum ſit defectio à Bono &c. Omnia boni gratiâ ſunt, & Bona & contraria. Nemo enim intuendo in malum operatur. Itaque Malum eſt præter intentionem, præter naturam, præter cauſam, præter initium, præter finem, præter diffinitionem, præter voluntatem, præter ſubſtantiam. Eſt igitur malum priuatio, & defectio &c. Quomodo poteſt aliquid eſſe malum? Permixtione Boni. Tandem nunc pro captu noſtro ſatis laudatum eſt Bonum, vt verè admirandum, principium & finis omnium Bonorum, non cauſa malorum.

S. Aug. *Lib.* 3. *De Libero Arb. Cap.* 6. Si quis dixerit, non eſſe quam miſerum me eſſe mallem: Reſpondebo, mentiris. *Cap.* 7. Conſidera quàm magnum bonum ſit ipſum eſſe: videbis te in tantùm

tùm

Digitized by Google

commendare non ſufficio, &c. Ineffabili dulcedine teneor, cùm audio, *Bonus Dominus, &c.* Inuenio cœlum bonum, ſolem bonum, terram bonam, &c. ſed tamen cum ſuis nominibus. Ad Deum autem cum me refero: puto nihil melius dicere quàm Bonum. *Matt.* 19. Stimulauit nos ad inquirendum quid ſit Bonum, & alio bono bonum, & Bonum ſeipſo bonum. Quàm ergo Bonum eſt, à quo omnia ſunt bona? *Exod.* 3. *Ego Sum, Qui Sum, &c.* Sicut bonorum bonum, Bonum eſt, &c. Si nil laudamus, niſi quia bonum eſt: nulla maior cauſa dari potuit, quare laudet Deum, niſi quia Bonus eſt. Ergo laudate Dominum quoniam bonus. Quis corde concipiat quàm Bonus ſit? &c. *Serm.* 256. *cap.* 2. Gratis amemus: Dominum enim amamus, quo nihil melius inuenimus. Ipſum amemus propter ipſum, & nos in ipſo, tamen propter ipſum, &c.] Quæ ſtudioſè collegimus in 3. *Sent. De Charitate, à col.* 569.

Ex libello *Boetij: An omne quod eſt, Bonum ſit. Regula.* 1. Quæ incorporalia ſunt, in loco non ſunt. 2. Diuerſum eſt eſſe, & id quod eſt. Ipſum enim eſſe nondum eſt: at verò quod eſt, accepta eſſendi formâ, eſt. 3. Quod eſt, participare aliquô poteſt: ſed ipſum eſſe, nullo modo aliquô participat. Fit enim participatio, cùm aliquid iam eſt: Eſt autem aliquid, cùm eſſe ſuſceperit. 4 Id quod eſt, poteſt habere aliquid, præter idipſum quod eſt: ipſum verò eſſe, nihil aliud præter ſe habet. 5. Diuerſum eſt, eſſe aliquid, & eſſe aliquid in eo quod eſt. 6. Omne quod eſt, participat eſſe, vt ſit: alio verò aliquo, vt aliquid ſit. 7. Omni compoſito, aliud eſt eſſe, aliud ipſum eſt: omne ſimplex, eſſe ſuum, & id quod eſt, vnum habet. 8. Omnis diuerſitas eſt diſcors: ſimilitudo verò quædam appetenda eſt; & quod appetit aliud, tale ipſum naturaliter eſſe oſtēditur, quale eſt illud ipſum quod appetit, &c. Tenet communis ſententia Doctorum, omne quod eſt, ad bonum tendere: tendit autem ad ſimile; quæ igitur ad bonum tendunt, bona ipſa ſunt. Sed an participatione, an ſubſtantiâ? Si participatione ſunt bona: per ſe nullo modo bona ſunt; non igitur ad bona tendunt. Sed hoc conceſſum eſt: non igitur participatione ſunt bona, ſed ſubſtantiâ. Quod ſi ipſum eſſe in eis bonum eſt: non eſt dubium quin etiam ſubſtantialia cùm ſint bona, primo Bono ſint ſimilia: ac per hoc ipſum, bona erunt. Nihil enim illi præter ſeipſum ſimile eſt. Ex quo fit, vt omnia quæ ſunt, Deus ſint: quod dictu nefas eſt. Non ſunt igitur ſubſtantialia bona: ac per hoc non in his eſt, eſſe bonum. Non ſunt igitur, in eo quòd ſunt bona. Sed neque participant bonitate: nullo enim modo ad bonum tenderent; nullo igitur modo ſunt bona. *Reſp.* Multa ſunt quæ cùm ſeparari actu non poſſint: animo tamen ſeparantur, &c. Amoueamus igitur Primi Boni præſentiam, &c. Ponamus omnia quæ ſunt eſſe bona: conſideremus quomodò bona eſſe poſſent, ſi à Primo Bono non defluxiſſent. Hinc intueor aliud in eis eſſe quòd bona ſunt, aliud quòd ſunt. Ponatur enim idem eſſe bonum, album, &c. Tunc aliud eſſet, aliud eius color, aliud bonitas. Nam ſi hæc idem eſſent, idem eſſet color quòd bonitas, &c. Quod ſi nihil omnino aliud eſſent niſi bona, nec vlla in eis qualitas: tunc non res, ſed rerum viderentur eſſe principium, &c. Quæ quoniam non ſunt ſimplicia, nec eſſe poterant, niſi id quod ſolum bonum eſt ea eſſe voluiſſet: idcirco quoniam eſſe eorum à boni voluntate defluxit, bona eſſe dicuntur. Primum enim Bonum, eo quod eſt, bonum eſt: ſecundum verò bonum, quia ex illo fluxit, &c. Tunc enim non eſſent bona, ſi à primo bono non fluxiſſent. Idcirco licet in eo quòd ſunt, bona ſint: non tamen ſimilia primo bono. At non etiam alba ſunt, quoniam ex Dei Voluntate fluxerunt. Aliud eſt enim eſſe, & aliud alba eſſe, &c. Itaque quia ea voluit eſſe alba, qui non erat albus, ſunt alba tantùm: quia verò voluit eſſe bona, qui bonus erat, ſunt bona in eo quod ſunt. Sic & cuncta oportet eſſe iuſta: quoniam iuſtus eſt, qui ea eſſe voluit. Sed bonum eſſe, ad eſſentiam: iuſtum verò eſſe, ad actum reſpicit. Idem autem eſt in eo eſſe, quod agere: idem igitur eſt in eo bonum eſſe, quod iuſtum eſſe. Nobis verò non eſt idem eſſe, quod agere, &c.

Libello de vnitate & vno. Vnitas eſt qua res eſt vna, ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſita, &c. Cùm autem definit eſſe vna, deſinit eſſe id quod eſt. Vnde hoc? Quicquid eſt, ideo eſt quia vnum eſt. Omne enim eſſe in rebus creatis eſt forma, cùm materiæ vnita eſt. Vnde Philoſophi dicunt. *Eſſe, eſt exiſtentia formæ in materia, &c.* Vnitio autem non fit, niſi ab vnitate, &c. Quia creator vnus eſt: rebus conditis dedit, vt quæque etiam eſſet vna. Ac per hoc ex quo res habet eſſe, vna eſt: ideo motus eſt ad vnum, & propter vnum; & nihil eorum quæ ſunt appetit eſſe, ſed omnia ſicut appetunt. Habere autem eſſe non poſſunt, niſi vnum: ideo omnia ad vnum tendunt, &c. Ne materia diuidatur & ſpargatur, neceſſe eſt vt ab vnitate retineatur, &c. Vnitas eſt à prima Vnitate quæ creauit eam. Prima enim & vna Vnitas, quæ eſt ſibi-ipſi, creauit aliam vnitatem, quæ eſt infra ſe, &c. Quantò quæque vnitas fuerit propinquior Primæ & veræ vnitati: tantò materia formata per illam erit magis vna & ſimplex, & è conuerſo. *Infra.* Quo materia fuerit ſublimior, fit ſubtilior, & penetratur tota à lumine: & ideo ſubſtantia ipſa Sapientia ſubtilior, & prudentior, vt intelligentia, & rationalis anima. Quo materia fuerit inferior, fit ſpiſſior & obſcurior, &c. Aliud eſt eſſentiæ ſimplicitate vnum, vt Deus: aliud ſimplicium cognitione vnum, vt Angelus & Anima; aliud eſt continuitate vnum; alia aggregatione, alia præpoſitione, alia accidente, alia numero, alia ratione, alia ſacramento, alia naturâ, alia natione vel linguâ, alia more. Sic omnia vnitatem appetunt: vt etiam quæ multa ſunt, vnum dici velint.

S. Ioan. Damaſc. Lib. 1. Fidei, *cap.* 4. Si bonum, ſi iuſtum, ſi ſapiens dixeris: non naturam dicis Dei, ſed ea quæ circa naturam. *Cap.* 12. Vt *S. Dion.* ait, *Primarium nomen Dei eſt Bonum.* Non enim primum dicendum eſt de Deo *Eſſe*: ſed ipſum *Bonum*; ſequens verò nomen, eſt Deus.

S. Anſel. in Monologio, cap. 1. De quodam Optimo, ſeu ſummo bono. Illud eſt bonum per ſeipſum: quoniam omne bonum eſt per ipſum, &c. At nullum bonum quod per aliud eſt, eſt æquale

BONO,

Bono, quod per ſe eſt Bonum. Illud itaque eſt ſummũ Bonum, quod ſolum eſt per ſe Bonum. In *Proſol. cap.* 5. Quod Bonum deeſt ſummo Bono, per quod eſt omne bonum? Tu es itaque Deus quicquid melius eſt eſſe, quàm non eſſe. *Cap.*24. Si ſingula bona delectabilia ſunt: quàm delectabile eſt illud Bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum: non talem qualem ſumus experti, ſed tam differentem, quàm differt Creator à creatura? *Cap.*25. De beata fruitione tanti Boni, &c. ſupra citata *col.* 229.

S. Bern. à nobis citatus in 3. *Q.* De Charitate.

4. Interpretando *Al. S. Bon.* & *Scotum* in fauorem huius noſtræ *Reſp.* Nam *Al.Quæſt.* 17.*m.*1. *Ens, & Bonum ſunt idem re: ſed differunt ratione, ſeu notione* .i. obiectiuè: *quòd ens ſit primum intelligibile abſolutè* .i. non vt abſolutum, nec vt relatiuum, ſed neutrum; *Bonum dicat ens, vt completum & conueniens alteri, ideoque appetibile.* Sed textus integer non habet, *alteri*: ideoque poteſt intelligi de completo intrinſicè ſeu abſolutè, & extrinſecè ſeu relatiuè; & de conueniente ſibiipſi vel alteri, ideoque appetibili à ſeipſo vel ab altero. *M.* 2. *Honeſtas Boni, &c* .i. Bonitas illa perfectior. *Omne bonum, pulchrum eſt, & honeſtum: ſed bonum vt placens affectui; pulchrum, vt placens cognitioni* .i.Quicquid eſt pulchrum, eſt & bonum: ſed ſub diſtincta ratione formali. *M.* 3. *Bonum vt complet* .i. intrinſecè, vel extrinſecè, vt ſupra, *eſt propriè cauſa finalis* .i. proxima, quæ poteſt eſſe etiam formalis; vel de Bono intrinſecè perfecto, aut alterius perfectiuo, vt ſupra. *Vt mouet agens, induit rationem agentis* .i. per illud agit. *Sub ratione formali, eſt indiuiſio actus à potentia* .i. perfectionis, à ſuo perfectibili: vt ipſemet explicat *q.* 13. *m.* 2. De vnitate. *Actus dicitur perfectio, ſiue cõplementum* .i. intrinſecè, ſeu abſolutè, vel extrinſecè ſeu relatiuè, vt ſupra. Quæ perfectio relationum, à termino extrinſeco, non eſt contra *Scotum.*

M. 4. Non eſt contra, ſed pro *B. Aug.* 8. *Trin.* 2. 3. Quia *S. Aug* non vult quòd ens, verum, & bonum ſimpliciter, denominet tantum extrinſecè creaturas: nec quòd creaturæ dicantur eſſe, verum, Bonum ſimpliciter; ſed tantùm participatiuè. *M.* 5. *Ratio Boni abſolutè in ſe, eſt indiuiſio potentiæ, à ſuo actu ſeu perfectione*: vel identica ipſi potentiæ, vel ab ea differente, ab extrinſeco, intrinſeco, vel vtrimque. Quod ſic verbatim declaratur, ex ipſo *Al. m.* 5. *Bonum dicitur, vel abſolutè ſecundum ſe: vel comparatiuè ad vſum bonum. Abſolutè, aut eſt indiuiſio actus & potentiæ, quæ ſunt idem, vt in Deo: aut quæ ſunt diuerſa, vt in creatura; aut ſicut hæc ſunt in re, & ſic eſt Bonum naturæ; aut ex actione, & ſic eſt Bonum ex genere. Si actus rei acquiritur per actionem, aut acquiſitio illius actus, ſeu perfectionis, eſt à principio nobis intrinſeco, vel extrinſeco, vel vtrimq́. Si ab intrinſeco, eſt Bonum morale: ſi ab extrinſeco, eſt Bonum gloriæ; ſi vtrimq́, eſt Bonum gratiæ in adultis. M.8. Summum Bonum nihil addit ſuper Bonum ſimpliciter: quia eſt ſimplex; ſed dicendo ſummum, determino illud in cauſando; dicendo Bonum, determino in prædicando de omni Bono.* Non quaſi in recto: ſed tantùm in obliquo. Sic enim intellige hunc textum integrum. *Dicendo Bonum, determino ipſum in prædicando. Et licet in prædicando, Bonum ſummum determinetur & ſpecificetur: quia non eſt dicibile de omni Bono; commune eſt tamen in creando, ſicut Bonum in prædicando, & æqualis ambitus. Quia ipſum eſt cauſa omnis Boni: id autem eſt dicibile de omni Bono* .i. Quòd ſummum Bonum ſit Bonum, ſeu cauſa omnis Boni: non autem quòd omne Bonum ſit illud Bonum, quod dicitur ſummum; nec quòd illud Bonum, ſit quoduis Bonum. *Quòd autem dicit Aug.* 8. *Trin.* 3. Tolle hoc, & illud, &c. *Procedit ab effectibus ad cauſam, &c. Quod dicit*, Bonum omnis Boni .i. *In creando, non in dicendo, ſeu prædicando*, vt ſupra. *Quæſt.* 18. *M.* 1. *Modus, ſpecies, & ordo naturalis, reperiuntur in omni creatura, &c. Ex Sap.* 11. *Deus diſpoſuit omnia in menſura, numero, & pondere* .i. Vt *B. Aug.* Lib. 4. in Gen. Cap. 3. *Menſura omni rei modum præfigit, numerus omni rei ſpeciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem & ſtabilitatem trahit. Magnum eſt excedere omnia, quæ metiri, numerari, & appendi poſſunt: vt videatur menſura ſine menſura, numerus ſine numero, pondus ſine pondere, &c.* Cap.4. *Neq́ enim menſura, numerus & pondus in lapidibus tantùm ac molibus, &c. Eſt etiam menſura aliquid agendi: vt numerus affectionum, & virtutum animi, quo à deformitate ad ſapientiæ formam colligitur; & eſt pondus voluntatis & amoris, &c. Sed hæc mentium menſura, alia menſura cohibetur, numerus alio numero formatur, & pondus alio pondere rapitur.* Infra. *Si quiſquam dicit creatam eſſe menſuram, numerum & pondus, in quibus Deus omnia diſpoſuit: eadem ipſa vbi diſpoſuit? Non itaq́ dubitandum eſt, illa eſſe extra ea quæ diſpoſita ſunt, in quibus omnia diſpoſita ſunt.* Cap. 5. *An fortè omnia ſic diſpoſuit, vt haberent menſuram, & numerum, & pondus, &c. Fateamur ita dictum eſſe, &c. Nunquid ſicut iſta mutantur: ita ipſum Dei conſilium in quo ea diſpoſuit, mutabile dicimus?*

Sic & *Scotus in* 1.*d.*3.*q.*5.*n.*5. Ex *B.Aug.*6.*Trin.* 10. *Omnia quæ arte Diuina facta ſunt, & vnitatem quandam in ſe oſtendunt, & Speciem, & Ordinem.* Vnitas eſt perfectio abſoluta, & ſpecies ſeu forma: vt patet per exempla ibidem, &c. Ordo autem aliquem reſpectum dicit: non ad finem vltimum, ſed ad operationem, &c. Aliter, Modus, Species, & Ordo: vt *Sap.* 11. *In Numero, Pondere, & Menſura.* Vt *Aug.* ſupra *n.* 6. Modus & Menſura pro limitatione; Pondus, pro Ordine; Numerus, pro Specie. Sed menſura quæ eſt idem quod modus non repræſentat aliquid in Deo ſub ratione ſimilitudinis, ſed proportionabilitatis: quia limitatio producti repræſentat potentiam illimitatam producentis, &c.

*Al.m.*7. *Ad* 1. *Tribus modis poteſt quid dici eſſe per participationem, &c.* Quibus non contradicit: ſed potiùs conſentit *Scotus*, in 1. *d.* 8. *q.* 2. *Ad* 2. *Participare eſt partem capere, &c. Sed pars tripliciter capitur.* 1. *Vt totum captum ſit pars capientis.* 2. *Vt pars capti ſit pars capientis.* 3. *Vt pars capti ſit ipſum totum capiens.* Niſi quòd *Scotus* exemplificet, & applicet eſſentialiter, & metaphyſicè: *Alenſis* autem accidentaliter, & cauſaliter, de participatione gratiæ, gloriæ, & bonitatis Diuinæ, per quandam ſimilitudinem cum triplici participatione.

Digitized by Google

tione eſſentiali. *Quæſt.* 18. *m.* 3. Quid ſunt illæ *habitudines, ſeu diſpoſitiones naturales ad boni etiam gratuitum*, quarum malum ſit priuatiuum & corruptiuum: nunquam tamen totaliter, ſed in infinitum? Cùm non ſit vlla diſpoſitio naturalis ad gratiam? *Reſp.* Non eſſe diſpoſitiones agendi, ſed recipiendi: nec propinquas, ſed remotas; nec tàm poſitiuas, quàm negatiuas .i. eſſe ſolam capacitatem, aut nunquam totalem incapacitatem boni gratuiti.

5. Explicando totam noſtram. Reſp. *Bonum obiectiuè, eſt quod omnia appetunt, ſeu quod eſt omnibus appetibile*: vel vt bonum omnibus commune, vel vt ſingulis proprium. Vbi exprimitur quod ſit, & quid ſit, materialiter, & relatiuè ad appetitum: ſed non quid ſit quo, ſeu qua ratione formali, nec cur ſit appetibile ab omnibus & ſingulis; nec quo appetitu. Hinc quidam cenſent aliquam perfectionem cuiuſuis entis in ſeipſo, vel perfectiuam alterius, eſſe id *quo*, & *cur* quodlibet ens eſt bonum ſeu appetibile, ſiue idem commune omnibus, ſiue ſuum ſingulis proprium; ſiue appetitu naturali ſingulorum, ſiue ſolo intellectuali; non appetitu deſiderij, ſed alicuius cõplacentiæ ſeu approbationis. Sed quia ad cauendam inæqualitatem, aut differentiam perfectionis inter Perſonas Diuinas, negamus cum *Scoto* relationes perſonales tàm quà relationes, quàm quà perſonales, eſſe formaliter perfectiones, ſiue perfectas in ſe formaliter, ſiue perfectiuas: hic conſequenter diſtinguimus inter bonitatem perfectam, perfectiuam, & communiſſimam omnis entis. Subdimuſque: *Eius tamen .i. Boni ratio formalis & communis omni enti, non poteſt eſſe formaliter relatiua, nec abſoluta; ſed communis ad omnia relatiua.* Quia cùm ens diſtinguatur in abſoluta, & relatiua formaliter: nec relatiua poſſunt habere bonitatem abſolutam, nec abſoluta relatiuam; ſed ſingula propriam, & vtraque æquè communem bonitatem, ac entitatem. *Hæc autem .i.* Bonitas communis entis, *videtur eſſe proportio ſeu conuenientia, vel potiùs, quà ens eſt proportionatum ſeu conueniens ſuo proprio appetitui naturali eſſendi, vel etiam eſſendi id quod eſt.* Quodlibet enim naturaliter appetit eſſe, imò & eſſe id quod eſt: nec quicquam naturaliter appetit, nec fortè poteſt appetere non eſſe, imò nec non eſſe hoc ipſum quod eſt; ſed naturaliter appetit ſeu placet ei eſſe hoc ipſum quod eſt, & tendit ad perfectionem huius ipſius quod eſt. Vnde & naturaliter ſeipſum conſeruat, & perficit. Vt ſupra de vero proportionato intellectui: niſi quòd non intellectui proprio, ſicut bonum appetitui proprio; quia non omnia habent intellectum proprium, ſicut appetitum naturalem. Sed ſi omne ens finitum eſt verum, ſeu intelligibile relatiuè & dependenter ab Intellectu Diuino, vt ſupra: cur non & bonum ſeu appetibile, relatiuè & dependenter à Voluntate Diuina, à qua volitum, & volendo fiat poſitiuè & proximè volibile? *Bonitas autem alicuius perfectionis, propriæ & eſſentialis, vel alienæ & accidentalis, non eſt niſi entium abſolutorum, &c.* Quia relationes nec ſunt in ſeipſis perfectæ, cùm non habeant niſi eſſe ad aliud: nec ſunt vllius perfectiones ſeu perfectiuæ, cùm non ſint in ſeipſis perfectæ. Sed entia abſoluta quantumuis imperfecta habent tamen aliquid perfectionis ſaltem eſſentialis in ſeipſis; etſi ordinetur ad vlteriorem ſui ipſorum vel aliorum perfectionem. Vnde non ſolùm naturaliter appetunt ſuam propriam, ſed & aliorum perfectionem. Quia hic appetitus ſeu inclinatio naturalis, non eſt niſi capacitas paſſiua, formalis, vel actiua perfectionis cuique poſſibilis: quæ vt non tendit & extendit ſe ad naturaliter impoſſibilem, ſed quaſi quieſcit & ſiſtitur in ſua perfectione præſenti & actuali, ſimilis eſt appetitui complacentiæ; quatenus eſt capax vlterioris perfectionis naturalis, eſt ſimilis appetitui deſiderij. Sic enim dicitur materia appetere formam, vt naturalem ſui perfectionem: non æquè forma materiam, niſi ad perfectionem compoſiti. *Bonitas perfectior, eſt proportio cuiuſuis appetibilis, ad appetitum intellectualem*: vel deſiderij, vel complacentiæ, ſeu approbationis, vt *Gen.* 1. *Sed Bonitas perfectiſſima ſolaq; ex ſe & propter ſe irreferibiliter amabilis ſeu fruibilis, eſt Diuina.* De qua ſola bonitate fruibili, ſeu propter ſe finaliter & irreferibiliter amabili, eiuſque ſolius ordinata fruitione: *Al. P.* 3. *à col.* 101. De Charitate. *S. Bon.* & *Scotus* ſupra, tota *diſt.* 1. *col.* 81. 82. 83. 125. 126. 127. 128. *Diſt.* 17. De Charitate. *In* 3. *à d.* 27. *ad* 32. In 4. *d.* 49. Noſque ex *B. Aug.* ſupra *col.* 202. 203. ſed latiùs *in* 3 *q.* 19. De Charitate. *col.* 572. 573. 576. Quibus ſatis explicatur & confirmatur hæc pars noſtræ *Reſp.* Niſi fortè quòd *B. Aug.* Libro 1. Doct. Chriſt. cap. 5. *Res*, inquit, *quibus fruendum eſt, Pater & Filius & Spiritus S. eſt, eademque Trinitas vna ſumma res, communiſque omnibus fruentibus*: Quaſi eſſent tres Bonitates relatiuæ, fruibiles, præter vnicam abſolutam, & tribus communem. Quodque *cap.* 4. definiat, *Frui, eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam*: Et tamē *Quæſt.* 80. Ex 83. *Frui*, inquit, *dicimur ea re, de qua capimus voluptatem, &c. Fruendum eſt honeſtis.* 10. *Trin.* c. 10. 11. *Fruimur cognitis, in quibus voluntas propter ſe delectata conquieſcit.* Quaſi fruitio eſſet potius ipſa volupras, ſeu delectatio, vel paſſio amoris, quàm ipſe actus: Nec fruendum ſit ſolo Deo, ſed quibuſuis bonis honeſtis. Sed inde ſatis patet, tres Perſonas dici Res quibus fruendum eſt, non ob tres bonitates, ſingulis proprias; ſed ob vnam eandemque tribus communem. Hinc etiam ſatis patet primam illam definitionem *fruendi*, eſſe de actu formali amoris: non deſiderij, ſed complacentiæ in obiecto præſente; *inhærendo ei*, affectu actuali, ſed quieto; *propter ſe .i.* non propter bonum ipſius fruentis vt talis, ſed ſolius obiecti fruibilis; non vt ſit vel fiat bonum, aut melius, vel fruibile fruendo; ſed quia eſt, vel quaſi eſſet bonum fruibile ſeu fruitione dignum. Non enim definit ſolam fruitionem ordinatam, ſed communem, opponens eam vſui etiam communi, ſeu affectui relatiuo cuiuſuis obiecti ad aliud quaſi melius, ſiue ſit melius, ſiue non. Sed *Lib.* 10. *Trin.* & *quæſt.* 30. *ex* 83. non docet quid ſit frui formaliter, nec quid aut propter quid ſit Fruibile: ſed quòd fruitio dicatur à delectatione concomitante vel conſequente, vt notiore ipſo actu fruendi. Nec 10. *Trin.* 11. confundit fruitionem cum vſu, dicens: *frui eſt vti cum gaudio, non ſpei, ſed rei*; ſed diſtinguit fruitionem

Digitized by Google

neui ſolius obiecti, ab vſu neceſſario ipſius voluntatis, ad fruendum. Vnde ſubdit, *Omnis qui fruitur, vtitur: non è contra.* Nec q.80. ex 83. docet *fruendum eſſe omnibus honeſtis*: ſed nonniſi *honeſtis*, & quidem *honeſtate diuina.* Cùm ibi vocet *vtilitatem ipſam Diuinam Prouidentiam, ex qua ſola proſunt quæcunq; proſunt*: quantò potiùs *honeſtatem illam* ſeu *pulchritudinem intelligibilem* ſumit pro diuina, ex qua honeſtum eſt quicquid honeſtum eſt. Itaque *Frui* non eſt ſolùm amare bonum aliquod honeſtū præſens, propter ſeipſum .i. propter aliquam eius honeſtatem, ſeu decentiam intelligibilem, non referendo eam actualiter ad alium finem vt maius bonum: ſed eſt amare irreferibiliter, ſeu vt Bonum irreferibile, & affectu proprio ſoli Bono irreferibili; quod non poteſt eſſe niſi ſummum Bonum, & finis vltimus, qui ſolus eſt ex ſe capax ſiſtendi omnem relationem ſeu affectum relatiuum. De qua fruitione Dei iterum *Quæſt.* 12. *Vt infinita intenſiuè & extenſiuè, &c.* Quia infinita perfectio intellectualis, & actualis Dei, exigit infinitam Veritatem & Bonitatem, obiectiuam, & formalem, vt nihil ei deſit ad totalem perfectionem intellectualem. *Sub qua ratione formali intenſiua, non extenſiua, &c.* Quia infinita Dei perfectio eſt abſoluta ab omni dependentia aut [illegible]tione reali extra ſe. Ex quibus reliqua ſatis patent: vel à ſimili de Veritate *Quæſtione* 10.

Difficultates.

1. EX Sacra Script. quæ videtur totam Eſſentiam Dei ſtatuere in Bonitate: vel ſaltem cenſere hanc eſſe de Eſſentia Dei. Nam *Exod.* 33. *Moyſi* petenti videre faciem eſſentialem Dei, promittitur viſio *omnis Boni.* Ergo hoc eſt illa *Facies Dei. Sap.* 7. Filius dicitur *Imago bonitatis Dei* ergo Bonitas Dei eſt ipſa eius eſſentia; quia Filius Dei eſt genitus formaliter ex Eſſentia Patris, vt expreſſa Imago naturalis eius.

2. Ex *S. Dion. Diu. Nom.* Cap. 2. *Diuinam totam ſubſtantiam, ipſa Bonitas diffinire dicitur.* Cap. 3. *Perfectiſſimam Dei interpretem Bonitatem intueamur.* Cap. 4. *Theologi peculariter Bonitatem ſummæ Deitati applicant: ipſam, vt reor, Diuinam Subſtantiam Bonitatem appellantes.* Reſp. *Ad* 1. 2. Veritas & Bonitas Dei poteſt dici Facies totius Eſſentiæ Diuinæ: quia vt facies repræſentat totum, ſic & Veritas ac Bonitas eſt tota perfectio obiectiua Eſſentiæ Diuinæ, qua mouet & terminat omnem intellectum & affectum ad ſeipſam. Sed Eſſentia vt Eſſentia eſt ſola ratio formalis eſſendi; quę non formaliter, ſed conſequenter eſt veriſſima intellectui, & optima affectui. *Sap.* 7. Filius Dei dicitur *Imago Bonitatis illius* .i. expreſſiſſima & adæquata Eſſentiæ Diuinæ, vt obiecto infinitè Vero & Bono. Prout dici ſolet Verbum Eſſentiæ: vt obiecti infiniti. Imò eſt & dicitur Filius naturalis: vt naturaliter genitus à Patre, ex propria Eſſentia obiectiuè. *S. Dion. Diu. Nom. c.* 2. Seſe explicat, quòd Bonitas ſit communis toti SS. Trinitati, & ſingulis Perſonis. *Cap.* 3. Tribuit Bonitati Dei *interpretationem omnium proceſſuum Dei*, ad intra, & ad extra: quia *Bonum eſt ſui communicatiuum, & ſacri Theologi interpretantur omnem communicationem Dei ex eius infinita Bonitate*, vt primo ac proprio motiuo. *Cap.* 4. *Theologi ſubſtantiam Diuinam Bonitatem appellant*, obiectiuè: & per eam præ omnibus *Deum definiunt*; vt per proprietatem notiorem, vel principalem. Quo ſenſu *S. Damaſc.* cenſet ex *S. Dion.* primum Dei nomen eſſe *Bonum*, priuſque ipſo Eſſe .i. in noſtra cognitione.

3. Ex eodem *S. Dion.* ibidem *cap.* 4. *Ipſum quoque quod non eſt appetit illud Bonum, &c. Lucis appellatione laudatur Bonum. Bonitas Dei illuminat omnia, &c. Sol eſt liquida Diuinæ Bonitatis imago, &c. Lux intelligibilis, Bonum ipſum dicitur, &c. Pulchrum, & Bonum non ſunt in Deo diſtinguenda, &c. Summum Bonum dicitur pulchrum propter traditam omnibus propriè pulchritudinem.* Quaſi non eſſet formaliter pulchrum. Quæ videntur contra ea quæ ſupra de Veritate, & Bonitate Dei.

Reſp. Si Dicere fas eſt, inquit, *ipſum quoque quod non eſt appetit illud Bonum* .i. Impropriè appetit eſſe, par participationem illius Boni: vel, *ipſum quod non eſt* ſimpliciter, ſeu quæuis creatura, *appetit*, ſeu præfert illud eſſe, & Bonum ſimpliciter, ſuo proprio; & *quodammodo* inquit .i. non propriè, *contendit eſſe in illo Bono ſuperſubſtantiali*, vel vt in ſuo obiecto, vel vt in ſuo principio & fine vltimo, *per omnium ablationem* .i. per quandam myſticam expropriationem, & priuationem propriarum limitationum. Vt ſupra ex *B. Aug. Tolle hoc & illud, &c. Laudatur bonum lucis appellatione* .i. Eminenter, & cauſaliter, ab effectu illuminationis: vnde ſubdit, *Illuminat omnia.* Vel metaphoricè, à perfectiſſimo ſenſibili: vnde etiam ſubdit, *Sol eſt liquida Diuinæ Bonitatis imago* .i. principale Dei veſtigium inter omnia ſenſibilia. Vel denique propriè & formaliter: vt 1. *Ioan.* 1. *Deus lux eſt, & B. Auguſt. lib.* 4. *in Gen.* Cap. 28. *Nec quiſquam arbitretur quòd dixi de luce ſpirituali, non propriè, ſed quaſi figuratè conuenire. Vbi enim melior & certior lux eſt? Neque enim Chriſtus dicitur ſic lux, quomodo lapis: ſed illud propriè, hoc figuratè.* Vnde *S. Dion.* repetit, *Lux intelligibilis, Bonum ipſum dicitur.* Non quòd lux ſit formaliter Bonitas, aut Bonitas ſit formaliter Lux; ſed luciſſima, luce formali ipſius Veritatis. *Pulchrum, & Bonum non ſunt in Deo diſtinguenda* .i. Non ſolùm realiter, vt nec vllæ perfectiones Dei: nec contra diſtinctionem formalem *Scoti*; ſed ſimul à nobis ſunt contemplanda & amanda, non autem ſeorſim ſpeculanda. Vnde ſæpè repetit, *Pulchrum & Bonum ab omnibus ſimul amari. Summum Bonum dicitur pulchrum propter traditam omnibus propriè pulchritudinem* .i. Hoc vno modo, cauſaliter, & eminenter, ſupra omnem à nobis conceptibilem pulchritudinem: ſed & propriè ac formaliter, ſecundùm ſe. Prout *S. Dion.* ſolet aſſignare duplicem ſignificationem nominum Diuinorum. i. cauſalem, & formalem.

4. Ex *S. Aug.* qui vbique ſupra videtur cum Manichæis, miſcere ſummum Bonum omnibus inferioribus bonis & malis, ſeu omnibus negationibus, priuationibus, modificationibus, ſpecificationibus, & ordinationibus, ſeu limitationibus boni ſimpliciter, ſeu totalis. In *Pſal.* 102. *Omnes crea-*

Digitized by Google

creaturæ habent quoddam bonum ſuum, integritatis ſuæ, & perfectionis naturæ ſuæ. Intereſt quid cuique rei imperfectæ neceſſarium ſit vt perficiatur. Ergo tribuit cuiuis creaturæ aliquam integritatem, ſeu imperfectam perfectionem, naturæ ſuæ, adhuc perfectibilem: in eaque ſtatuit rationem formalem Boni, ſeu Bonitatis communis etiam relatiuis & relationibus; quæ hoc ipſo ſunt integræ & perfectæ relationes, quo formaliter referunt ad ſuum terminum. *Reſp.* Cùm *B. Aug.* tandem conuerſus à Manichæiſmo, tam abhorruerit confuſionem illam Boni Diuini cum omnibus inferioribus bonis & malis: non poteſt intelligi de participatione formali ipſius Boni Diuini; ſed ſolius Boni communis, per aliquam eius limitationem. Vel de participatione ſeu receptione alicuius Boni partialis, à Bono Diuino & totali, vt primo & proprio motiuo finali, cauſa, & exemplari, ad aliquam eius imitationem. Cùm enim Bonum Diuinum ſit ſingulariſſimum, & infinitum: non poteſt intrinſecè & realiter affici vlla alia ſingularitate, limitatione, priuatione, aut negatione ſuiipſius; ſed nec ſic concipi, ſub tanta tamque euidenti implicantia contradictionis. Non ergo *B. Aug.* toties commendat euolutionem & liberationem Boni Diuini, quaſi inuoluti, & confuſi cum bonis & malis participatis: vt delirabant Manichæi, & *B. Aug.* frequenter eis exprobat. Sed vel commendat ſolum conceptum Boni communis Deo & creaturis, relictis earum imperfectionibus proprijs: vel potiùs commendat relaxationem & liberationem animi, ſeu intellectus & affectus, à quadam captiuitate ſeu conſuetudine comitandi phantaſmata circa hæc & illa ſenſibilia, aut ex eis intelligibilia; vt animus ab his liberatus, ſuo quaſi proprio motu, pondere, ſeu inclinatione naturæ anagogicè euolet ad Deum, vt Ens, Verum & Bonum ſimpliciter; non vt hoc vel illud partiale, ſed ſingulariſſimum & totaliſſimum; vel ab omnibus bonis participatis per ſolam aſſimilationem, ad Bonum & exemplar illorum veriſſimum. Ad *Pſal.* 102. *Omnes creaturæ* .i. creabiles: Relationes autem non ſunt creabiles; ſed ſunt neceſſariò ex fundamento & termino: *Habent quoddam bonum ſuum* .i. Non neceſſariò ſuum formale, ſed vel ſuum formale, vel ſuum receptum, contentum, habitum: Vt ſubſtantiæ propriæ, quæ non ſunt niſi vltimò receptiuæ, non perfectæ, aut perfectiuæ; vel vt ſuum fundamentum & terminum, vt relationes. *Integritatis ſuæ, & perfectionis Naturæ ſuæ* .i. *ſuæ* vt ſupra, & quidem *Naturæ ſuæ. Natura* autem propriè & phyſicè, eſt principium agendi vel patiendi: ſed metaphyſicè & obiectiuè, eſt principium aliquarum proprietatum. Porrò, Relationes nec ſunt principium agendi, nec patiendi, nec vllius proprietatis; ergo non ſunt formaliter Naturæ. Nec habent vllam propriam intrinſecam & formalem integritatem aut perfectionem: quia non ſunt niſi ad aliud; nec ſunt entitatiuæ quantæ, ſed termini vltimi & indiuiſibiles totius entitatis, vt puncta quantitatis materialis. *Contra. B. Aug. Libro De Quantitate Animæ*, probat perfectionem Animæ, vt indiuiſibilis, ex perfectione puncti. *Lib. De Natura boni*, & alibi ſæpè contendit contra *Manichæos*, materiam primam, vt eſt ſola capacitas formæ, eſſe aliquod bonum. *Reſp. Ad* 1. Punctum eſſe indiuiſibile quantitatiuè, ſeu extenſiuè: ſed quantum entitatiuè, & quaſi intenſiuè, ſeu perfectiuè. Nec *B. Aug.* agit ibi de perfectione puncti, vt eſt corruptibile, in corpore quanto & corruptibili: ſed vt eſt indiuiſibile ac incorruptibile in ſolo animo ſeu intelligentia, obiectiuè; quia hæc indiuiſibilitas eſt perfectionis, & incorruptibilitatis; diuiſibilitas autem, imperfectionis & corruptibilitatis. Sed relationes ſunt termini vltimi, & indiuiſibiles entitatiuè, & quaſi intenſiuè, ſeu perfectiuè: ideoque nec ſic quantæ, nec perfectæ, aut perfectiuæ; quia integritas & perfectio, eſt quædam quantitas entitatiua intenſiuè. *Ad.* 2. Materia prima eſt aliquod bonum: non vt eſt ſola capacitas, ſeu inanitas, & poſſibilitas exiſtendi; ſed vt eſt alicuius exiſtentis, & capacis maioris boni ſeu perfectionis. Nec *S. Aug.* ait Materiam primam eſſe perfectam, ſeu bonum perfectum, vel perfectionem: ſed eſſe aliquod bonum; quia ipſa capacitas, ſeu eſſe capax boni, bonum eſt. Quòd ſi materia prima ſit ſola capacitas entitatiua, indiuiſibilis intenſiuè: non erit bonum quantum ſeu perfectum; ſed quaſi primum punctum entitatis, cuius quaſi punctum vltimum ſint relationes. Vt autem phyſicè, de materia prima: ſic & metaphyſicè de ſubſiſtentia etiam abſoluta, ſi eſt ſola punctualis capacitas receptiua Naturæ. De qua ſub Myſterio SS. Trin.

5. Ex *Boëtio*: qui Regula 8. negat Bonum appeti, niſi à bono ſimili & æquali; & libello de Vnitate, negat ea quæ ſunt appetere eſſe, ſed Vnitatem, contra noſtram opinionem ſupra. *Reſp.* Imò fauet noſtræ *Reſp.* Quia *Regula* 8. ſtatuit Bonum in appetibili, & Bonitatem in quadam ſimilitudine naturali appetibilis, & appetentis: Vocat autem etiam hunc appetitũ naturalem, tendẽtiam ad bonum ſimile. Quæ videntur dupliciter poſſe intelligi 1. De Bonitate cuiuſdam ſimilitudinis .i. conuenientiæ, ſeu proportionis ad proprium appetitum naturalem, vt nos ſupra. 2. De ſimilitudine naturali cuiuſuis boni participati, cum Bono eſſentiali: vt nihil ſit appetibile, niſi quatenus huic Bono ſimile. Nec obſtat, quòd hunc appetitum etiam vocet tendentiam: quia ille appetitus eſt complacentiæ, vt in bono intrinſeco, aut præſente, ſeu exiſtente; & eſt tendentiæ, vt ad perfectionem ſui boni intrinſeci, vel ad Bonum per eſſentiam, à quo omne bonum participatur. Nec etiam obſtat, quòd per illam ſimilitudinem videatur intelligere æqualitatem naturalem, indeque negare veram bonitatem per participationem: quia poteſt intelligi de ſimilitudine naturali & æquali inter quodlibet bonum, & proprium appetitum naturalem; vel de neceſſaria ſimilitudine naturali & æquali, inter ſummum Bonum, vt ſolum appetibile propter ſe, & ſuum proprium appetitum. Vnde non negat veram bonitatem participatam: ſed ſolùm negat hanc eſſe vlli enti eſſentialem, & propter ſe appetibilem, ſed ab Eſſentia rei differentem, & nonniſi appetibilem propter Bonitatem eſſentialem, ſeu aliquam eius parti-

Digitized by Google

participationem, & imperfectam ſimilitudinem. Libello de Vnitate. *Motus eſt ad vnum & propter vnum: & nihil eorum quæ ſunt appetit eſſe, ſed omnia ſicut appetunt* .i. Nihil naturaliter appetit eſſe, vt confuſum, alienum, vel plura ſimul; ſed vnum in ſe. Vt patet ex his verbis: *ſed omnia ſicut appetunt* .i. ſuo proprio modo eſſendi, & appetendi.

6. Ex S. *Damaſc.* 1. *Fidei* 4. Quòd primarium & primum Dei nomen ſit Bonum, non Deus, nec Eſſe. *Reſp.* vt *col.*221. Nomen Boni, eſſe primum ac primariũ Dei Notione, ſenſu & conſenſu communi: non autem Origine obiectiua, nec ſuppoſitione; quia ſupponit & ſequitur ex eſſe. Porrò, inter decem nomina hebraica Dei, quæ recenſet & interpretatur *S. Hier. Tom.* 1. *Epiſt.* 136. & *Tomo* 7. *in Pſal.* 146. non videtur eſſe nomen Boni ſeu

תוב: *SED* 1. אל 2. אלוהים 3. אלוהי 4.
צבאות 5. עליון 6. אשר אהיה 7. ארוני
8. יה 9. יהוה 10. שרדי

1. *El* .i. Deus, vel Fortis. 2. *Elohim* .i. Deus vel Dij. 3. *Elohei* .i. Dij in eodem plurali, ſed regente aliquid, vt Dij deorum, Dij veſtri, in ſingulari *Eloah.* 4. *Sabaoth* .i. Virtutum, vel Exercituum, in genitiuo plurali & fæminino, addito priori nomini Dei. 5. *Helion*, vel *Gelion* .i. Excelſus. 6. *Eſer Eheie*, vel *Aſcher Ehieh* .i. Qui Ero, Qui Sum, Qui Eſt. 7. *Adonai* .i. Domin' meus. 8. *Ia* vel *Iah*, quod ſæpè affigitur alijs verbis & nominibus, vt *Hallelu-Iah* .i. Laudate Deũ *Iah*. 9. Quod ſolet dici 4. literarum, & ineffabile. Vnde vt refert *S. Hier.* quidam imperiti ob aliquam ſimilitudinem cum literis grçcis, legebant *Pipi*: ſed ſolet legi *Iehoua.* 10. *Saddai* .i. Robuſtus, Sufficiens, Qui ſufficit. Quod videtur eſſe ipſum nomen Boni, vt perfectiſſimi, & ſufficientiſſimi ſibiipſi, & omnibus, ad beatitudinem perfectam. De quo Bono *S. Hier. Tomo* 6. *in Epiſt ad Philem.* Deus voluntariè, non ex neceſſitate Bonus eſt, &c. Ideo bonus eſt, quia vult, non quia cogitur .i. De bonitate morali. *Libro Didymi, De Spiritu S. à S. Hier.* tranſlato. Quòd alieni boni capax eſt, à Deo ſeparatur. Deus verò, cùm bonus ſit, fons & principium bonorum eſt, &c. Ideo capabilis, non capax, &c. Creatura rationalis non eſt capabilis, ſed capax, & receptatrix alterius boni, participatione habet bonum: & non eſt de his quæ habentur ab alijs, ſed que habent alia. Si enim capabilis eſſet, nullius boni capax eſſet] .i. Bonum eſt communicabile & communicatiuum ſui, non autem capax ſeu receptiuum alieni.

7. Ex *Alenſi*, quòd tam variè, & confusè definiat & diſtinguat formaliter, Vnum, Verum, Bonum: nunc per aliquam indiuiſionem, vel indiuiſibilitatem, vel per ea quibus indiuiſibilia ſunt; nunc per diuiſionem ab alio. Vt *q.*13. *m.* 2. *Ad* 3. Diſcretio rei à re in eſſe, eſt vnitatis: in cognoſci, eſt veritatis. *Ad* 4. Indiuiſio principiorum eſſendi, eſt vnitatis: cognoſcendi, veritatis; ordinandi, bonitatis. *Q.* 15. *m.* 2. Vnitas, eſt indiuiſio entis in ſe: Veritas, indiuiſio eſſe ab ente; Bonitas, indiuiſio à bene eſſe. *M.* 5. Veritas eſt indiuiſio Eſſentiæ ſeu Eſſentialium inter ſe, & ab eis quæ ſunt. *M.* 6. Poſſent dici tres veritates perſonales, relatæ ad intellectum: ſed vnica Eſſentiæ. *Q.* 16. *m.* 1. Bonum dicit ens vt incompletum, & conueniens alteri, ideoque appetibile. *M.* 2. Honeſtas boni propter ſe appetibilis, eſt pulchritudo intelligibilis. *M.* 3. *Ad* 2. Definitio Boni appetibilis, & diffuſiui ſui ſimpliciter, eſt ſummi Boni: ſed contrahitur ad quælibet bona in ſuo genere. *M.* 5. Ratio boñi abſolutè in ſe, eſt indiuiſio potẽtiæ à ſuo actu, ſeu perfectione, &c.] Quorum aliqua videntur inter ſe contraria, alia identica, alia confuſa, nec ſatis ſupra interpretando declarata, alia contra noſtram *Reſp.*

Reſp. ergo vlteriùs, ex ipſo textu integro. *Q.* 13. *m.* 2. *Quia ens aliquod non accipitur à meo intellectu, niſi coïntellecta indiuiſione: inde eſt quòd pro eodem accipiuntur; cùm tamen indiſtinctio non importetur per ens, ſed per vnum. Non ſic autem eſt de intentione Veri, & Boni. Noſter enim intellectus accipit ens, non cointellecto Bono. Similiter quantùm eſt ex parte rei*, vel potiùs *veri: niſi illud perhiberet*, vel potiùs *prohiberet, ratio intelligendi: quæ non poteſt intelligi, niſi Verum acciperet ens, non cointellecto vero*: vel potiùs, *ſi acciperet ens non cõintellecto vero* .i. Quia ens non poteſt intelligi, niſi vt verum, &c. *Ad aliud Arg. Diſcernitur res in quantum eſt, & in quantùm cognoſcibilis eſt. Primam diſcretionem efficit per ſe vnitas: ſecundam verò veritas. Ad aliud, vt plures poſuerunt, indiuiſio cadit in ratione vnius, & veri, & boni: ſed indiuiſio in ratione vnius, eſt indiuiſio entis; in ratio veri, indiuiſio eſſe; in ratione boni, indiuiſio complementi, à potentia quæ eſt nata compleri, cùm attingit ſuo fini. Vnde bonitas eſt indiuiſio actus à potentia: & actus*, vel potiùs *vt actus dicitur perfectio ſiue complementum. Eſt enim indiuiſio principiorum, vt conſtituunt rem in eſſe ſimpliciter, & ab illa eſt vnitas in rebus; & eſt indiuiſio ſecundùm quam conſtituunt illam in eſſe cognoſcibili, & ab hac eſt veritas; & vt conſtituunt rem in ordine ad ſuum finem, & ſic ab illa eſt bonitas.* Vnde patet indiuiſionem propriam Veri ſtatui in eſſe cognoſcibili, non in ſolo eſſe, vt ſupra corruptè. *Quæſt.* 15. *m.* 2. *Reſp.* Ad quæſt. *Ens & entitas abſolutam habent intelligentiam: vnum verò addit ad ens indiuiſionem, vnde vnitas eſt indiuiſio entis. Verum addit indiuiſionem eſſe: vnde Veritas eſt indiuiſio eſſe, & quod eſt. Bonum verò addit indiuiſionem ſecundùm bene eſſe. Vnde Bonum dicitur indiuiſio actus, à potentia: & actus, vel vt actus dicitur complementum, ſiue perfectio poſſibilitatis ad quam res nata eſt.* Vnde ſatis patet concordia *Alenſis* ſecum, & noſtra cum ipſo: correctis aliquot corruptis textibus, ijſque integrè relatis & collatis. Nam diſcretio rei à re in eſſe, in cognoſci, adde & in ordinari, non eſt contra indiuiſionem eiuſdem à ſeipſo in eſſe, cognoſci & ordinari; ſed illa ſequitur ex hac .i. Ex hac indiuiſione rei in ſe, ſequitur diuiſio cuiuſuis rei ab alia. Hæc autem indiuiſio non eſt negatio: ſed id quo ens vnum, verum, bonum eſt ſic vel ſic indiuiſibile. Indiuiſio veritatis nunc dicitur in eſſe, nunc in eſſe ab ente, nunc ab eo quod eſt, nunc in eſſe cognoſcibili: vel hoc corrupto, ſeu priùs omiſſo; vel addito, ad explicandam illam indiuiſionem in eſſe, ab ente, vel ab eo quod eſt. Hoc enim eſt eſſe intelligibile, eſſe

quod

Digitized by Google

quod eſt .i. Eſſe ſuæ propriæ eſſentiæ & exiſtentiæ. Non eſt autem intelligibile, ſed implicat contradictionem, eſſe quod non eſt, & non eſſe quod eſt, ſeu eſſe & non eſſe aliquid. Sed optimè explicatur ab *Alenſi* indiuiſio propria, & formalis Bonitatis. 1. Inter quidlibet, & proprium finem intrinſecum ſuæ entitatis. 2. Inter quidlibet, & eius ordinem naturalem ad finem etiam extrinſecum & vltimum. 3. Inter eſſe & bene eſſe .i. vt debet eſſe naturaliter, ſeu vt ex natura ſua eſt ordinatum. 4. Inter actum ipſius exiſtentiæ, & potentiam obiectiuam, ſeu poſſibilitatem exiſtendi, vel ipſam etiam eſſentiam vt præciſam ab exiſtentia. 5. Inter quamlibet rem exiſtentem, & ſi quam eius proprietatem connaturalem. Nec obſtat quòd actum illum indiuiſibilem à potentia, vocet perfectionem: quia, vel impropriè, prout quicquid eſt quod eſſe poteſt, etiamſi minimæ entitatis, dicitur perfectum: vel ſi propriè pro perfecto intenſiuè in ſuo eſſe, illa indiuiſio ſeu indiuiſibilitas intenſiuè inter gradus eiuſdem perfectionis, non eſt Bonitas communis omni enti, ſed ſolis quantis entitatiuè & intenſiuè, ſeu perfectis.

Nec indiuiſio formalis, Boni, eſt contra *Reſp.* noſtram de communi bonitate appetibilitatis naturalis. Quia *Al. q. 17. m. 1. ad quæſt. Reſp. Vt ens, ſic & bonum, vel eſt ipſius naturæ, idem cum eſſe, vel bonum ordinis, ſeu benè eſſe, &c. Bonum dicit ens cum actu .i. cum complemento, ſiue vtilitate, ſiue ordine: & ideo addit enti rationem appetibilis, ſiue deſiderabilis; nec eſt deſiderabile, niſi in quantum complementum, ſiue vtile, ſiue deſiderabile.* Ad 1. *Eſſe non appetitur niſi vt bonum ſeu cum actu ſiue vtilitate, ſiue delectabilitate.* Sub quibus intelligit omnem rationem boni, naturalis, & moralis, vtilis, deſiderabilis, & honeſti. Vt patet ex *m.* 2. De Bono honeſto & vtili. Cur non & de naturali, vt naturaliter cuique rei ſuo modo appetibili? Vt ſupra in noſtra Reſponſione.

6. Ex varijs rationibus. 1. Illa eſt æquè ratio pulchri, ac boni, apud *S. Dion.* ſupra. 2. Illa eſt formaliter relatiua ad appetitum: ergo non poteſt eſſe propria, nec communis omni enti. 3 Appetitus naturalis non eſt omnium entium: quem enim habeant relationes, & alia accidentia? Nec eſt propriè appetitus, ſed metaphoricè: ergo nec bonitas eius obiectiua. 4. Quod ſic eſt appetibile, eſt ipſum eſſe: & id quo, ſeu cur eſt appetibile, eſt idem eſſe; ergo hæc bonitas non differt formaliter ab eſſe. 5. Quodlibet minus bonum naturaliter potiùs appetit habere & eſſe maius bonum, quàm ſuum eſſe, & bonum proprium. 6. Omnia appetunt bonum vt ſic: imò vt ſummum, & omnium finem vltimum. Ex illo *B. Aug. Lib.* 1. *Solil. c.* 1. Deus quem amat omne quod amare poteſt, ſiue ſciens, ſiue neſciens. 7. Appetitus rationalis non eſt niſi ad bonum dignum ſe: ergo bona infima non ſunt ei proportionata. 8. Bona ſunt priùs volibilia, quàm volita: ergo non poſſunt eſſe bona, aut volibilia hoc ipſo formaliter quo ſunt à Deo volita. 9. Bonitas Dei eſt infinita: ergo nō eſt proportionata voluntati finitæ, ad eam obiectiuè mouendam & terminandam. 10. Veritas infinita non eſt per ſe motiua intellectus finiti, vt ſupra: ergo nec Bonitas infinita eſt per ſe motiua voluntatis finitæ, &c.

Reſp. Ad 1. Vt ſæpè ſupra, & vt *Al. q.* 17. *m.* 2. Bonum honeſtum dicitur pulchrum à *B. Aug. q.* 30. *ex* 83. non autem Bonum vtile. Differt tamen pulchrum à Bono: nam pulchrum eſt placitum apprehēſioni, ſeu ſimplici cognitioni: bonum verò delectat affectionem, &c. vt ſupra, *col.* 14. *q.* 17. *m.* 2. *Ad* 2. Non eſt relatio realis eiuſdem ad ſeipſum: bonum autem naturale, & eius proprius appetitus naturalis ſunt idem realiter, nec poteſt vlla entitas, veritas, aut bonitas creata eſſe abſoluta à relatione dependentiæ ad Entitatem, Veritatem, & Bonitatem etiam formalem Dei. Nec denique id quo vnum eſt alteri appetibile aut volibile, eſt formaliter relatio: quia hæc non eſt vlli bona, aut melior quàm non ipſa; nec eſt per ſe aut propter ſe motiua vel terminatiua vllius appetitus ab ea diſtincti. *Ad* 3. Appetitus naturalis accidentium, eſt ad ſuum ſubiectum, obiectum, vel terminum, imò potiùs ad hunc ſuum ordinem naturalem & eſſentialem. Sic & appetitus naturalis relationum, eſt ad proprium fundamentum & terminum, vel potiùs ad hunc ſuum proprium ordinem naturalem & eſſentialem. Nec hic appetitus eſt tantùm metaphoricus: qualis eſſet fictus, aut pictus, vel non entium ad eſſe; ſed imperfectus. Cùm ſit ſola inclinatio naturalis & eſſentialis cuiuſuis entis ad ſuam propriam eſſentiam, exiſtentiam, eſſentialia, & propria: non quaſi inclinatio tendentiæ ad illa; ſed quaſi ſiſtentiæ ſeu ſtatus naturalis in illis, ſine vlla tendentia ad aliena à ſeipſis. *Ad* 4. Eſſe eſt id *Quod*, non autem *Quo* formaliter & proximè eſt appetibile: ſed vt ipſi habenti ſeu exiſtenti eſt conueniens & proprium. Nam bonum proprium, vt proprium, habet aliquam rationem appetibilis præ bonis alienis vt talibus, non præ communibus, nec præ ſummo bono. *Ad* 5. Minus bonum non appetit naturaliter, nec ordinatè, non eſſe id quod eſt, vt ſit aliud quantumuis melius: ſed vt ſit idem melius ſeu perfectius. Hinc *Apoſt.* de hoc appetitu naturali, 2. *Cor.* 5. Nolumus exſpoliari, ſed ſuperueſtiri .i. Nolumus mori vt beatificemur; ſed vellemus viui beatificari. *Ad* 6. Omnia appetunt bonum commune, bonum ſimpliciter, ſummum bonum, & omnium finem: non tamen vt ſint illud bonum, ſed vt ipſum ſit, & ex eo quantùm poſſunt participent. Nec id appetunt immediatè, & explicitè: ſed appetendo proprium bonum, quod eſt participatum; hoc ipſo appetunt bonum commune, & ſimpliciter, & ſummum, & primum, & vltimum, ex quo participatur. *Ad* 7. Appetitus rationalis non appetit ſibi-ipſi naturaliter, & ordinatè, niſi bonum dignum ſe: ſed appetit ſeu placet ei ſingulorum bonum proprium, vt ſic ſatis proportionatum. *Ad* 8. Bona finita nec priùs ſunt, nec priùs realiter appetibilia aut volibilia ſunt, quàm ſint à Deo volita: à quo volendo recipiunt eſſe, & eſſe realiter volibilia. Sed vt ſola Bonitas infinita Dei eſt ex ſe: ſic & ſola ex ſe appetibilis & volibilis eſt. *Ad* 9. Bonitas Dei non eſt proportionata noſtræ voluntati entitatiuè, ſed obiectiuè: nec vt infinita etiam obiectiuè, ſed vt eſt Bonitas; nec intenſiuè, ſed terminatiuè. *Ad* 10.

Vt

Digitized by Google

Vt ſupra de Veritate, ſic & hîc de Bonitate Dei, non per ſe naturaliter motiua, imo nec naturaliter terminatiua noſtri intellectus & voluntatis: ſed liberè & ſupernaturaliter, per ſuam voluntatem. Nec inclinatio noſtra eſt naturalior ad Bonitatem, quàm ad Veritatem Dei in ſe.

QVÆSTIO XII.

De perfectione intellectus diuini.

QVæ poteſt ordinatè diſtingui. 1. In perfectionem potentialem, ſeu ipſius potentiæ intellectiuæ: habitualem, ſeu habituum intellectualium; & actualem, ſeu intellectionis actualis. De quibus omnibus & ſingulis quæritur an ſint formaliter in Deo. 2. In perfectionem intelligendi, ſeu operandi formaliter: & producendi per intellectum; dicendo ſolum verbum Eſſentiæ Diuinæ, vel etiam Idæas creaturarum. Quia licet in nobis non ſit niſi intellectio producta: in Deo tamen eſt intellectio eſſentialis improducta, & Verbum, Dei ſeu notitia dicendo producta. 3. In perfectionem intenſiuam, circa ſolum obiectum primariū: & extenſiuam, ad omnia intelligibilia. Perfectio intenſiua, ſine dubio eſt infinita, vt adæquata obiecto intenſiuè infinito: Sed dubium eſt an ſit etiam extenſiuè infinita, ſeu ad obiecta ſecundaria numero infinita, poſſibilia, futura abſolutè vel conditionatè, entia rationis, priuationes, & negationes, & quomodo ad hæc omnia extendatur, & terminetur. 4. In ſcientiam ſpeculatiuam, & practicam: ſeu ſimplicis intelligentiæ, & præſcientiam futurorum, vel etiam mediam. Vnde hæc Quæſtio eſt de tota perfectione intellectiua Dei, potentiali habituali, actuali, intenſiua, extenſiua, & Idæali, ſapientiæ, ſcientiæ, & præſciētiæ Diuinę.

De quibus *Al. P.* 1. *q.* 20. De Potentia Dei: non ſolùm ad extra, ſed etiam ad intra. *Quæſt.* 23. De Scientia Dei. *Qu.* 24. De Præſcientia Dei. *Qu.* 25. De Diſpoſitione Diuina. *Qu.* 26. De Prouidentia Dei. *Q.* 27. De Fato. *Q.* 28. De Prædeſtinatione. *Qu.* 29. De Reprobatione. *Qu.* 33. De Libro vitæ: vt hæc etiam pertinent ad ſcientiam vel præſcientiam Dei. *Qu.* 42. De Generatione Diuina per intellectum. *Qu.* 62. De Nomine Verbi. *Q.* 67. *M.* 3. *a.* 2. De Sapientia, vt appropriata Filio. *Parte* 2. *q.* 3. De cauſa exemplari, ſeu Idæali omnium poſſibilium.

S. Bon. In 1. *d.* 4. 5. 6. 7. 9. De potentia generandi, & generatione æterna Dei per intellectum. *Diſt.* 13. De differentia inter generationem Filij per intellectum, & proceſſionem Spiritus S. per voluntatem. *Diſt.* 32. *a.* 2. An Deus Pater ſit ſapiens ſapientiâ genitâ. *Diſt.* 35. De Scientia Dei. *Diſt.* 36. De exiſtentia omnium in Deo: vtique obiectiuè, & Idæaliter. *Diſt.* 38. De Præſcientia Dei. *Diſt.* 39. De perfectione ſcientiæ Dei. *Diſt.* 40. De Prædeſtinatione & Reprobatione: vt includunt etiam ſcientiam, & præſcientiam Dei.

Scotus in 1. *Quæſt.* 3. 4. prologi, De Theologia ipſius Dei formaliter. *D.* 2. *q.* 1. De infinita capacitate & perfectione Intellectus Diuini. *Q.* 2. De vnitate Dei, ex infinita perfectione intelligendi. *Q.* 4. 5. 6. 7. De Trinitate Perſonarum Diuinarum, ex infinita perfectione intelligendi & volēdi. *D.* 7. De potentia generandi in Deo. *Diſt.* 27. De Verbo Diuino, ſeu notitia genita per intellectum. *Diſt.* 35. 36. De Idæis Diuinis, ſeu eſſe cognito creaturarum. *Diſt.* 38. 39. De Scientia & Præſcientia Diuina omnium, etiam futurorum contingentium. *Quodl.* 2. De duplici productione Dei ad intra, per intellectum, & voluntatem, vt per duo principia formaliter diſtincta.

Ex quibus facilè colligi, & conciliari poteſt doctrina integra huius Quæſt. excepta graui difficultate inter recentiores, de contingentia futurorum abſolutè, vel conditionatè; deque concilianda libertate noſtra cum illorum infallibili præſcientia Dei. Ad quam diff. totamque hanc quæſt. hæc ſit

Reſponſio.

DEus eſt infinitæ perfectionis intellectualis, & intellectiuæ, Eſſentialis & Attribrutalis, Potentialis, Habitualis, & Actualis: intelligendi, & dicendi ſeipſum naturaliter, vnico actu formali & Verbo mentali eiuſdem perfectionis, comprehendendo ſeu adæquando ſua veritate, certitudine, & euidentia formali, totam ſuam obiectiuam; eodemque actu & Verbo non ſolùm adęquatè repręſentando ſeipſum, ſed ex ſeipſo & in ſeipſo omnia poſſibilia, etſi actu infinita, & futura abſolutè, vel fortè etiam conditionatè, vt in ſuo primo eſſe poſſibili, ſcibili, obiectiuo, vero, ſeu Ideali; non autem vlla impoſſibilia, falſa, vel mala formaliter. Vnde quamuis ſcientia Dei, ex ſe ſeu ex obiecto ſuo primario, ſit vna eademque: ex ſolo ſecundario diſtinguitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ omnium poſſibilium, ſecundùm eſſentiam vel exiſtentiam vt poſſibilem; & in ſcientiam viſionis, ſeu præſcientiam futurorum aut non, abſolutè vel conditionatè, ſecundùm exiſtentiam actualem; non neceſſariò in aliquam tertiam, vel Mediam.

1. Ex Sacra Script. 1. *Reg.* 2. *Deus ſcientiarum eſt Dominus, & ipſi præparantur cogitationes.* 2. *Par.* 6. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Pſal. 7. *Scrutans corda & renes Deus.* Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Pſal. 135. *Fecit cœlum in intellectu.* Pſal. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè, &c. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt & non potero ad eam, &c. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo, &c.* Pſal. 146. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.* Prou. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Infra. *Infernus & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?* Prou. 16. *Omnes viæ hominis*

Digitized by Google

hominis patent oculis eius , ſpirituum ponderator eſt Dominus. Sap. 1. *Renum illius teſtis eſt Deus, & cordis ſcrutator.* Sap. 8. *Si quis multitudinem ſcientiæ deſiderat : ſcit præterita, & de futuris æſtimat , &c.* Eccli. 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi ; & hominum corda in abſconditas partes: Domino enim Deo antequam crearentur omnia ſunt cognita.* Eccli. 33. *A ſæculo vſq; in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in cõſpectu eius.* Eccli. 42. *Abyſſum, & cor hominum inueſtigauit.* Eſa. 40. *Non eſt inueſtigatio Sapientiæ eius.* Ier. 17. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud ? Ego Dominus ſcrutans corda , & probans renes.* Ier. 51. *Qui præparauit orbem in ſapientia ſua , & prudentia ſua extendit cælos.* Luc. 16. *Deus nouit corda veſtra.* Ioan. 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Rom. 4. *Vocat ea quæ ſunt tanquam ea quæ non ſunt.* Rom. 8. *Scrutatur corda.* Rom. 11. *O altitudo Diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei ! Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit.* Rom. 16. *Soli Sapienti Deo, honor & gloria.* 1. Cor. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* 1. Ioan. 11. *Deus noſter lux eſt , & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* 1. Tim. 6. *Deus Beatus, & ſolus potens, &c.* Hebr. 4. *Viuus eſt ſermo Dei , &c. Diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius.* Cap. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula Verbo Dei : vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* 1. Ioan. 3. *Maior eſt Deus corde noſtro , & nouit omnia.* Apoc. 2. *Ego ſum ſcrutans renes, & corda.*

2. Ex Sacris Symbolis, Concilijs, & precibus : quibus profitemur fidem, ſpem, amorem, & timorem vnius Dei, Patris, Filij, & Spiritus S. vt Creatoris, Conſeruatoris, & Iudicis omnium, per ſuam infinitam Sapientiam.

3. Ex SS. Patribus. Vt *S. Dion. cap. 7. Diu. Nom.* Age, ipſam perennem vitam, & vt ſapientem, & vt ſapientiam ipſam celebremus: imò vt toti ſapientiæ ſubſtantiam largientem , & ſupra omnem ſapientiam longè eminentem. Non enim eſt ſolùm ſapientiæ exuberans Deus, & ſapientiæ eius non eſt numerus, *Pſal.* 146. Sed & ſupra omnem ſermonem , mentem , & ſapientiam eminet. 1. *Cor.* 1. *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.* Non modo quia omnis humana mens Diuinæ Intelligentiæ comparata, error quidam eſt: Verùm quia etiam ſolenne Theologis eſt, quæ ſunt in Deo priuationes aſſerere. Ita inuiſibilem aiunt clariſſimam lucem. Hoc modo *Apoſt.* Stultitiam Dei laudare perhibetur: quod indignum videtur ad ineffabilem referens Veritatem , &c. Hanc itaque ſtultam ſapientiam enimentia ſingulari prædicantes , dicamus omnis ſapientiæ & intelligentiæ Authorem eſſe, & in ipſa eſſe *omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos* , *Coll.* 2. Ex ea Angeli beatas intelligentias habent, &c. Per eam animæ ratiocinãdi vim habent , &c. Senſus ipſos ſi quis dixerit ſapientiæ ex aliquo eſſe participes , non errabit. Verum Deus ipſe qui eſt plus quàm ſapiẽs, quomodo vt ſapientia , ſenſus, ratio , & cognitor laudatur ? Quomodo enim intelligibile aliquid ſentiet : cùm intellectualibus operationibus careat ? Aut quomodo ſenſibilia noſſet , qui ſenſu omni ſuperior eminet ? Atqui illum ſcire omnia Scriptura teſtatur : verùm Diuina dignè Deo ſunt intelligenda. Sanè animi ſenſuſque priuatio , excellentiam in Deo, non defectum ſignat , &c. Itaque Diuina Mens omnia continet, cunctis ſupereminẽte ſciẽtiã, ſecundùm omnium cauſam, omnium in ſe notitiam ante complexa. *Eccli.* 23. *Dan.* 13. *Qui nouit omnia antequam fiant.* Non enim ex his quæ ſunt ea diſcens, Diuina mens nouit : ſed ex ſe, & in ſe, ſecundùm cauſam, omnem notionem, ſcientiam , & ſubſtantiam anticipat ; non ſingula ex cuiuſque ſpecie ducens, ſed ſecundùm vnicã cauſę complexionem omnia ſciens & continens. Sicuti lux ſecundùm cauſam, in ſeipſa tenebrarum ſciẽtiam præambit , non aliunde quàm ex luce tenebras noſcens. Seipſam itaque Diuina Sapientia noſcens, omnia ſcit : materialia ſine materia , indiuiduè diuiſibilia, vnicè plurima, vno ipſo cuncta ſciens & proferens, &c. Non habet itaq; Deus peculiarem ſcientiam ſui, aliam verò communem omnia comprehendentem : ipſa enim ſeipſam cognoſcens, qua ratione quæ abs ſe ſunt , & quorum eſt cauſa ignorabit ? Hac itaque Deus cuncta cognoſcit : non rerum , ſed ſui profectò ſcientia. *Infra.* Ratio quoq; Deus dicitur, *Ioan.* 1. Nõ modò quia rationis & ſapientiæ indultor eſt : ſed quia & omnium cauſas in ſe vniformiter ante complexus eſt , & per omnia pergit, penetrans vſque ad omnium finem, *Sap.* 8. Hæc ratio eſt ſimplex, verèque ſubſiſtens veritas : circa quam vt liquidam, & nuſquam oberrantem ſcientiam omniũ, diuina fides eſt ſtabilis credentium ſedes, quæ hos in veritate locat, &c. Nouit enim penitus qui veritati coniunctus eſt , quàm bene ſe habeat : etiamſi plures illum corripiant quaſi amentẽ, &c. Nouit ſeipſum veraciter, ab inſtabili erroris motu per ſimplicem veritatem euaſiſſe liberum. Ita noſtrates Diuinæ Sapientiæ Principes ac Duces pro veritate moriuntur, &c. *Cap.* 5. Exemplaria ſeu Idæas dicimus, rationes in Deo ſubſtantificas rerum, & ſingulariter ante ſubſiſtentes, quas prædeſtinationes Theologia vocat, & bonas Diuinaſq; voluntates, eorum quæ ſunt definitrices atque effectrices, ſecundùm quas Deus omnia prædeſtinauit atque produxit.

Sed præ & pro omnibus *B. Aug. Lib.* 13. *Conf.* 16. Sicut omnino tu es Domine , tu ſolus ſcis, qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter : & Eſſentia tua ſcit & vult incommutabiliter, & voluntas tua eſt & ſcit incommutabiliter, &c. Vt ſupra *q.* 5. De incommutabilitate Dei *col.* 255. *Lib.* 6. *Trin. cap.* 2. In principio erat Verbum .i. in Patre , vel ante omnia. *Cap.* 4. Deo hoc eſt eſſe, quod Sapientem, &c. *Lib.* 7. *cap.* 1. Quid aliud dicimus, cùm dicimus, *Hoc illi eſt eſſe , quod ſapere* : niſi eo eſt, quo ſapiens eſt ? Ergo & Pater ipſa Sapientia eſt : & Filius Sapientia Patris, quomodo Lumen Patris, Lumen de Lumine, Sapientia de Sapientia , & Vna Sapientia. *Cap.* 2. Sapientia eo quo Eſſentia. *Cap.* 3. Sapientia ergo Filius , de Sapientia Patris. *Lib.* 9. *cap.* 7. In æterna Veritate , formam ſecundùm quam ſumus, & operamur , viſu

mentis

Digitized by Google

mentis aſpicimus : atque conceptam rerum veracem notitiam, tanquam dicendo Verbum intus gignimus, &c. Nihil itaque agimus, quod non verbo apud nos edito præuenimus, &c. Naſcitur autem Verbum, cùm excogitatum placet, aut ad peccandum, aut ad rectè faciendum, &c. *Cap.* 9. Conceptum autem Verbum, & natum, idipſum eſt : cùm voluntas in ipſa notitia conquieſcit. Quod fit in amore ſpiritualium, &c. In amore autem carnalium : quod cupiendo dicitur, adipiſcendo naſcitur. Vnde latinè parta, reperta, comperta dicuntur. *Cap.* 10. Nec concepta, nec parta dicuntur animo, quæ nobis diſplicent,&c. Verbum igitur eſt ex amore notitia. *Cap.* 12. Omnis res quam cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui. Ab vtroque enim notitia paritur : à cognoſcente, & cognito. Itaque mens cùm ſeipſam cognoſcit, ſola parens eſt notitiæ ſuæ, &c. Cur non etiam cùm ſe amat? Quia notitia iam inuentum eſt, quod partum vel repertum dicitur, &c. Quæ autem reperiuntur, quaſi pariuntur in ipſa notitia, &c. Partum mentis antecedit appetitus quidam : quo id quod noſſe volumus, quærendo & inueniendo naſcitur proles, ipſa notitia, &c. Idemque appetitus quo inhiatur rei cognoſcendæ, fit amor cognitæ : dum tenet atque amplectitur placitam prolem ſeu notitiam, gignentique coniungit. *Lib.* 10. De notitia mentis noſtræ à ſeipſa, & ex ſeipſa. *Cap* 9. Cùm dicitur menti, cognoſce teipſam : eo ictu quo intelligit, teipſam, cognoſcit ſeipſam. eo quo ſibi præſens eſt,&c. Non ergo adiungat aliud ad ſeipſam, &c. Certè enim nouit ſibi dici, quæ eſt, & viuit, & intelligit, &c. *Lib.* 14. *cap.* 1. Deus ipſe, ſumma Sapientia : cultus autem Dei,Sapientia eſt hominis. *Cap.* 6. Mens quando cogitatione ſe conſpicit, intelligit ſe, & recognoſcit : gignit ergo intellectum hunc, & cogitationem ſuã : nec ſibi ante incognita erat; ſed vt res quæ memoria continentur, etiamſi non cogitentur. *Cap.* 15. Regulæ iuſtitiæ ſcriptæ ſunt in libro lucis illius quæ veritas dicitur : vnde omnis lex iuſta deſcribitur. *L.* 15. *c.* 6. An hæc Sapientia quæ Deus dicitur non ſe intelligit,non ſe diligit? Ecce ergo Trinitas Sapientia, Notitia, & Dilectio ſui. *C.* 10. Cùm loquimur quod ſcimus,ex ſciẽtia quam memoria tenemus, naſcitur verbum eiuſmodi, cuius eſt ſcientia de qua naſcitur. Formata quippe cogitatio ab ea re quam ſcimus, verbum eſt quod in corde dicimus. *Cap.* 11. Verbum quod foris ſonat, ſignum eſt verbi quod intus latet, &c. Quando per ſonum dicitur, non dicitur ſicuti eſt. Quando ergo quod in notitia eſt, hoc eſt in verbo : tunc eſt verum verbum, & veritas, &c. Hic agnoſcitur *Eſt*, *Eſt*, Non, non, *Matt.* 5. Vt *Ioan.* 1. Omnia per Verbum Dei facta ſunt : ita nulla hominis opera ſunt, quæ non priùs dicuntur in corde. *Eccli.* 37. Initium omnis operis verbum. Verum autem verbum eſt, cùm de ſcientia bene operandi gignitur : vt ſit *Eſt*, *eſt*, *non*, *non*; alioquin mendacium erit, non veritas, &c. Poteſt & eſſe verbum noſtrum, quod non ſequatur opus : opus autem eſſe non poteſt, niſi præcedat verbum. Sic & Verbum Dei potuit eſſe, nulla exiſtente creatura : Creatura verò nulla, niſi per ipſum. *Cap.* 12. Ex theſauro memoriæ, gignitur verbum verum, quando quod ſcimus loquimur, &c. Tunc enim eſt verbum ſimillimum rei notæ de qua gignitur, & imago eius : quoniam de viſione ſcientiæ viſio cogitationis exoritur, verbum verum de re vera, nihil de ſuo habens, ſed totum de illa ſcientia de qua naſcitur. *Cap.* 13. Sed nunquid Deus Pater in illa Sapientia, quod eſt ipſe, ſibi aliunde didicit? Non vtique. Ad omnia quippe ſcienda quę ſcit, ſufficit ſibi illa perfectio,&c. Creaturas non nouit, quia ſunt, ſed ſunt,quia nouit. Nec aliter ſciuit creata, quàm creanda. Non enim eius Sapientiæ aliquid acceſſit ex eis,&c. Scientia Dei,eſt Sapientia & Eſſentia eius. Deus Pater tanquam ſeipſum dicens, genuit Verbum ſibi æquale per omnia. Non enim ſeipſum perfectè dixiſſet : ſi quod minus, aut amplius eſſet in eius Verbo, quàm in ipſo. Ibi ſummè agnoſcitur illud *Eſt*, *eſt*, *Non*, *non*. *Matt.* 5. & 2. *Cor.* 1. Nouit itaque omnia Deus Pater in ſeipſo, nouit in Filio : ſed in ſeipſo tanquam ſeipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de ijs omnibus quæ ſunt in ipſo. Omnia ſimiliter nouit & Filius : in ſe, vt nata de ijs quæ Pater nouit in ſeipſo; in Patre, vt ea de quibus nata ſunt quæ Filius nouit in ſeipſo. Sciunt ergo ſe inuicem Pater, & Filius : ſed ille gignendo, iſte naſcendo. *Cap.* 15. Magna Verbi Diuini potentia eſt, non poſſe mentiri : quia non poteſt eſſe illic *Eſt* & *Non*; ſed *Eſt*, *eſt*. *non*, *non*. *Matt.* 5. 2. *Cor.* 1. *Cap.* 16. Verbum Dei cogitatio non dicatur : ne quid volubile in Deo credatur. Cogitatio noſtra perueniens ad id quod ſimus, atque inde formata, verbum noſtrum verum eſt : Verbum Dei ſine cogitatione debet intelligi; vt forma ſimplex intelligatur. *Cap.* 21. Ineſt Voluntati ſua Scientia, &c.

Quæſt. 15. *ex* 83. Omne quod ſe intelligit,comprehendit ſe : quod autem ſe comprehendit, finitum eſt ſibi. Intellectus intelligit ſe : ergo finitus eſt ſibi. Nec infinitus eſſe vult, quamuis poſſit : quia notus ſibi eſſe vult. Amat enim ſe. *Lib.* 11. *Conf. cap.* 4. Scientia noſtra, ſcientiæ tuæ comparata, ignorantia eſt. *Lib* 12. *Ciu.* 18. Quod dicunt infideles, nec Dei ſcientia quæ infinita ſunt comprehendi : reſtat eis vt dicere audeant, quòd non omnes numeros Deus nouerit. Eos quippe infinitos eſſe certiſſimum eſt, &c. Itane numeros propter infinitatem neſcit Omnipotens Deus : & vſque ad quandam ſummam numerorum ſcientia Dei peruenit, cæteros ignorat? Quis hoc vel dementiſſimus dixerit? Nec audebunt contemnere numeros, illi apud quos *Plato* Deum commendat, mundum numeris fabricantem : & apud nos Deo dictum legitur, *Sap.* 11. *Omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti.* Abſit itaque vt dubitemus quòd ei notus ſit omnis numerus : cuius intelligentiæ non eſt numerus. Infinitas itaque numeri, quamuis infinitorum numerorum nullus ſit numerus, non eſt tamen incomprehenſibilis ei, cuius intelligentiæ non eſt numerus. Quapropter,ſi quicquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur : profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita eſt;

Digitized by Google

eſt; quia ſcientiæ ipſius incomprehenſibilis non eſt. Quare ſi infinitas numerorum ſcientiæ Dei qua comprehenditur, eſſe non poteſt infinita: quid tandem nos ſumus homunculi, qui eius ſcientiæ limitem figere præſumamus? Cuius ſapientia ſimpliciter multiplex, & vniformiter multiformis, tam incomprehenſibi comprehenſione omnia incomprehenſibilia comprehendit.

Lib. 2. De Libero Arb. cap. 16. Væ qui nutus tuos pro te amant, & obliuiſcuntur quid innuant. O ſuauiſſima lux purgatæ mentis ſapientia! Non enim ceſſas innuere nobis quæ & quanta ſis: & nutus tui ſunt omne decus creaturarũ.] Et ſic quæ ſupra *Quæſt.* 8. De Veritate Dei, quæ eſt ipſa ſapientia: nobis quidem obiectiua, ſed Deo formalis, imo & ipſi obiectiua, ſibique ſoli notiſſima. *c.17.* Forma incõmutabilis per quam mutabilia cuncta ſubſiſtunt, ipſa eſt eorum prouidentia.

Quæſt. 46. ex 83. Ideas primus *Plato* appellaſſe perhibetur, &c. Tanta in eis vis conſtituitur, vt niſi his intellectis Sapiẽs eſſe nemo poſſit. Ideas igitur, latinè poſſumus vel formas, vel ſpecies dicere. Sunt namque Ideæ, formæ principales quædam, vel rationes rerum ſtabiles, atque incommutabiles: quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, & ſemper eodem modo ſeſe habentes, quæ in Diuina Intelligentia continentur, &c. Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidiſſe? Reſtat vt omnia ratione ſint condita: nec eadem ratione homo quâ equus. Singula igitur proprijs ſunt creata rationibus. Has autem rationes vbi arbitrandum eſt eſſe: niſi in ipſa mente Creatoris? Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret: nam hoc opinari ſacrilegium eſt, &c. Non ſolùm ſunt Ideæ: ſed ipſæ veræ ſunt, quia æternæ, &c. Quarum viſione anima fit Beatiſſima. Quas rationes, ſiue Ideas, ſiue formas, ſiue ſpecies licet vocare: ſed pauciſſimis videre quod verum eſt. *Quæſt. 78.* Ars illa Omnipotentis Dei, etiam operatur per artifices.

Epiſt. 115. ad Nebridium. Quæris an ſumma ſapientia & forma rerum, generaliter hominis, an etiam cuiuſque rationem contineat. Magna quæſtio: ſed mihi videtur, ad hominem faciendum, hominis tantùm, non meam vel tuam ibi eſſe rationem; ad orbem autem temporis, varias hominum rationes in illa ſinceritate viuere, &c. Nam quoties demonſtrare angulum volo, nonniſi vna ratio anguli mihi occurrit: ſed quadratum non ſcriberem, niſi 4. ſimul angulorum rationem intuerer. Ita quilibet homo vna ratione qua homo intelligitur, factus eſt: at vt populus fiat, quamuis & ipſa vna ratio, non tamen hominis ratio, ſed hominum.

Lib. 1. in Gen. c. 9. Vidit Deus, &c. Vt quod intus videt artifex in arte, hoc foris probat in opere. *Lib. 4. in Gen.* 23. In comparatione lucis illius quæ in Verbo Dei conſpicitur, omnis cognitio qua creaturam quamlibet in ſeipſa nouimus, non immerito nox dici poteſt: quæ rurſus tantum differt ab errore, vt eius comparatione non incongruè dicatur dies. *Cap.* 24. Sancti Angeli vniuerſam creaturam priùs nouerunt in Verbo Dei, deinde in ipſa creatura, tanquam infra deſpicientes, &c. *Lib. 11. Civ. 29.* Angeli Sancti creaturam meliùs in Sapientia Dei, quàm in ea ipſa ſciunt: & ſeipſos ibi meliùs, quàm in ſeipſis; ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in ſeipſis autem tanquam in veſpertina, &c. Vt *in 2. ſent. col 9. q. 23. col. 103. a. 3. col. 165. q. 9. col.* 201. 241. 242. 243. 244. *Tract. 1. in Ioan.* Quod factum eſt, in illo vita eſt. Quia Sapientia Dei ſecundùm Artem continet omnia. *5. in Gen.* 13. Quis tam demens, vt dicat non ea Deum feciſſe quæ nouerat? Porro ſi nouerat: vbi, niſi apud ſeipſum? *C.* 14. *Quod factum eſt, in illo vita eſt*.i. Non in ſua natura. Emendatiores codices habent: *Quod factum eſt, in illo vita erat. C.* 15. His probatur quod hæc omnia priuſquam fierent, erant in notitia facientis: & vtique ibi meliora, vbi veriora, vbi æterna. *C.* 18. Antequam fierent, erant, & non erant: erant in Dei ſcientia, non erant in ſua natura. *Lib. 1. Conf.* 34. Pulchras formas amant oculi. Non teneant hæc animam meam: teneat eam Deus, &c. O lux quam videbat *Tobias cap. 4. Iſaac Gen. 27. Iacob Gen.* 48. At iſta corporalis & illecebroſa, &c. Reſiſto ſeductionibus oculorum, & erigo ad te inuiſibiles oculos, &c. Quam innumerabilia varijs artibus addiderunt homines ad illecebras oculorum! At ego Deus meus, decus meum, etiam hinc dico tibi hymnum, &c. Quoniam pulchra traiecta per animas in manus artificioſas, ab illa pulchritudine veniunt quæ ſuper animas eſt, cui ſuſpirat anima mea die ac nocte. *Lib. De vera Relig. cap.* 39. Vnde non poſſit anima recordari primã pulchritudinem quã reliquit, quando de vitijs ſuis ipſis poteſt? Quære in corporis voluptate quid teneat: nihil aliud inuenies quàm conuenientiam, &c. Recognoſce ergo quæ ſit ſumma cõuenientia. Noli foras ire, in teipſum redi, &c. Tranſcende & teipſũ. Illuc ergo tende, vnde ipſum lumen rationis accenditur. Quò enim peruenit omnis bonus ratiocinator, niſi ad Veritatem? Vide ibi conuenientiam qua ſuperior eſſe non poſſit, & ipſe conueni cum ea. *Lib. 2. De ordine Prouid. c.* 8. Lex æterna Dei in ſapientes animas quaſi tranſcribitur. *Lib. De Magiſtro cap.* 11. De ijs quæ intelligimus, non loquentem qui perſonat foris, ſed intus præſidentem conſulimus veritatem. Ille autẽ qui conſulitur, docet .i. Chriſtus incommutabilis Dei Sapientia: quam quidem omnis anima rationalis conſulit; ſed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam ſiue bonam, ſiue malam voluntatem poteſt. *Lib. 10. Conf. 26.* Vbique veritas præſides omnibus conſulentibus te: liquidè tu reſpondes, ſed non liquidè omnes audiunt. *Lib. 1. Solil. cap.* 13. Vt oculi infirmi paulatim à minùs lucidis ad lucidiora vſque ad ipſam lucem aſſueſcendi ſunt, &c. Tale aliquid Sapientiæ ſtudioſiſſimis Magiſtri optimi faciunt. *Lib. De quantitate animæ, cap.* 33. In ipſa contemplatione Veritatis, quæ ſunt gaudia, quæ perfruitio ſummi Boni, cuius ſerenitatis atque æternitatis afflatus! Tanta in contemplanda veritate voluptas eſt, quantacunque ex parte eam quiſque contemplari poteſt, tanta puritas, tanta ſinceritas, tam indubitata rerum Fides: vt neque quicquam ſciſſe ſe quis putet, cum ſibi ſcire videbatur. *Lib. 3. De Lib. Arb. cap.* 25. Vt in contemplatione ſummæ Sapientiæ, etiam ſeipſum animus

Digitized by Google

i tueatur: non fit niſi differētiâ quâ non eſt quod Deus, & tamen poteſt placere poſt Deum. Melior eſt autem cùm obliuiſcitur ſui, præ charitate Dei, vel ſeipſum præ charitate Dei contemnit, &c. Tanta eſt autem pulchritudo Iuſtitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ .i. Veritatis & Sapientiæ: vt etiamſi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei hora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitę pleni delicijs rectè meritòque contemnerentur. *Quæſt.* 82. *ex* 83. Non defuerunt qui ſequeſtrata ſpe futuræ vitæ, iucundiùs & lętiùs præ amore Veritatis torquerentur, quàm luxurioſi præ cupiditate ebrietatis epulentur, &c. *Serm.* 46. *De Verbis Domini cap.* 3. Si peccare vis, quære vbi Deus te non videat, & fac quod vis. *Lib.* 10. *Ciu. c.* 12. Deus non aliter nouit facienda, quam facta: nec aliter inuocantes exaudit, quàm inuocaturos videt. *Lib.* 3. *De Lib. Arb. c.* 3. Cum Deus ſit præſcius voluntatis noſtræ: cuius eſt præſcius, ipſa erit. *Lib.* 5. *Ciu.* 9. *Cicero* tollit præſcientiam futurorum. Confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt, &c. Dum vult facere homines liberos, fecit ſacrilegos, &c. Noſtræ voluntates tantùm valent, quantùm Deus eas valere voluit atque præſciuit: & ideo quicquid valent, certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt, ipſæ omnino facturæ ſunt; quia valituras atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt. *Lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. Cuius Deus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat. *Lib.* 14. *Ciu.* 11. Quia Deus cuncta præſciuit, & hominem peccaturum ignorare non potuit: ſecundum id quod præſciuit atque diſpoſuit, ciuitatem ſanctam debemus aſſerere; non ſecundum id quod in noſtram cognitionem peruenire non potuit, quia in Dei diſpoſitione non fuit. *Lib.* 1. *De anima cap.* 12. Deus non natum iudicaret, ſi creare noluiſſet, quia non bonum futurum eſſe præſciſſet, &c. De perfectis operibus debuiſſet hominem iudicare: non de præcognitis, nec fieri aliquando permiſſis. Nam ſi peccata quæ homo ſi viueret commiſſurus eſſet, etiam non commiſſa damnantur in mortuo: nullum beneficium collatum eſt illi, qui raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, *Sap.* 4. Et de nullo mortuo baptizato poterit eſſe ſecuritas, &c. Quid quòd ipſa exinanitur omnino præſcientia: ſi quod præſcitur, non erit? Quomodo enim dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum? *Lib.* 6. *Quæſtionum contra Paganos*, ſeu *Epiſt.* 49. *ad Deo gratias. Quæſt.* 2. Quid, ſi excepta altitudine Sapientiæ & Scientiæ Dei, & ſine præiudicio aliarum cauſarum, hoc ſolum dicamus, tunc & ibi voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, quando & vbi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri? *Infra:* Quibus Fides Chriſti annuntiata non eſt, non credituri præſciebantur: & quibus non credituris annuntiata eſt, in illorum exemplo demonſtratur. *Lib. De prædeſt. SS. cap.* 9. Quod *Epiſt.* 49. me dixiſſe recolitis: ita dixi, vt hanc diligentiorem diſputationem de gratia præterirem. *Infra.* Cernitiſne me ſine præiudicio latentis conſilij Dei, aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe? Quid enim eſt veriùs, quàm præſciſſe Chriſtum, qui, quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? *Cap.* 10. Præſcire potens eſt Deus, etiam quæ non facit. *Cap.* 12. Vnde talibus viris in mentem venerit, neſcio: vt futura quæ non ſunt futura puniantur, aut honorentur merita paruulorum? *Cap.* 14. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, Sap.* 4. Dictum eſt ſecundùm pericula vitæ huius, non ſecundùm præſcientiam Dei: qui hoc præſciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat. *Lib* 2. *De Ordine Prouid. cap.* 2. Vt oculis tenebras videamus, eo ipſo quo volumus non videre: ſic quiſquis volet vitare ſtultitiam, non eam conetur intelligere; ſed ea quæ poſſunt intelligi, per hanc ſe non intelligere doleat, eamque ſibi eſſe præſentem, non quo ipſam magis intelligit, ſed quo alia minus intelligit, ſentiat. *Lib.* 12. *Ciu.* 7. Cauſas defectionum .i. culparum velle inuenire, tale eſt ac ſi velit quis videre tenebras, vel audire ſilentium, &c. Ea quippe quæ non in ſpecie, ſed in eius priuatione ſciuntur: quodammodo neſciendo ſciuntur, vt ſciendo neſciantur. *Pſal.* 18. *Delicta quis intelligit? Lib. De duabus animabus cap.* 6. Poteſt vitium animæ nequaquam inter ſenſibilia numerari: vt lucis defectus, de ſenſibilium numero eximitur, &c. Quòd ſi placeret omnia ſenſibilia numerare, non modo quæ ſentimus, ſed etiam ſentiendo iudicamus, vt per oculos tenebras, per aures ſilentium, &c. rurſuſque intelligibilia, non ea tantum quæ illuſtrata mente conſpicimus, vt eſt ipſa ſapientia, ſed etiam quæ ipſius illuſtrationis priuatione auerſamur, vt eſt inſipientia, quam tenebras animæ congruè dixerim: nullam de verbo facerem controuerſiam, &c.]

Subdit ſubſtantias intelligibiles ſenſibilibus præponi: non earum defectus, &c. Priuant enim tantùm, & non eſſe indicant, ſicut ipſæ negationes. Nam quamuis inter aurum & virtutem ſit plurimum: nihil tamen inter negationes quas eis adiungimus, diſtat. Verùm peius eſt non eſſe virtutem, quàm non eſſe aurum, &c. Quod non propter ipſas negationes: ſed propter res quibus adiunguntur accidere, quis non intelligat? Auro enim virtus quantò præſtat: tantò eſt virtute quàm auro carere miſerius. *Tract.* 1. *In Ioan. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ne cogitetis quia nihil aliquid eſt: vt ſolent multi malè intelligentes. Peccatum non per ipſum factum eſt: quia peccatum nihil eſt. Et Idolum non per Verbum factum eſt, &c. Nam forma hominis in idolo non per Verbum facta eſt. *Infra. Quod factum eſt, in illo vita eſt.* Quia Sapiētia Dei per quam facta ſunt omnia, ſecundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia, &c.

S. Anſel. in Monol. cap. 28. De locutione Dei per quam facta ſunt omnia, &c. Si nihil fecit niſi per ſeipſum: quomodo illa eſt aliud, quàm ipſe? Hæc ipſa locutio nihil poteſt aliud intelligi, quàm eiuſdem Spiritus intelligentia, quâ cuncta intelligit. Quid enim eſt aliud illi rem aliquam loqui, hoc loquendi modo, quàm intelligere? *Cap.* 29. Non igitur conſtat pluribus verbis: ſed eſt vnum Verbum per quod facta ſunt omnia, &c. Si nullam habet mutabilium ſimilitudinem: quomodo ad illius exemplum facta ſunt? Vt in viuo homine

veritas

Digitized by Google

Veritas eſſe dicitur: in picto verò, ſimilitudo ſeu imago illius veritatis. Sic exiſtendi veritas intelligatur in Verbo: in ijs verò quæ per, & ſecundùm illud facta ſunt, aliqua imitatio illius ſummæ Eſſentiæ perpendatur. *Infra*. Itaque omnis eſſentia eo ipſo magis eſt, quo ſimilior eſt Eſſentiæ quæ ſummè eſt. *Cap*. 30. Quomodo illa veritas poteſt eſſe Verbum eorum, quorum non eſt ſimilitudo? Si non eſt Verbum eorum quæ facta ſunt per ipſum: quomodo conſtabit quia ſit verbum? An eſſentia quidem eſſet æterna, ſed verbum non eſſet, ſi nihil per illam vnquam fieret? Eius quod nec fuit, nec eſt, nec futurum eſt, nullum verbum eſſe poteſt, &c. Si nullum in illo verbum eſſet, nihil apud ſe diceret: cùmque idem ſit illi ſic dicere, quod intelligere, nihil intelligeret, &c. Quomodo ergo eſſet ſumma ſapientia? Sed nunquid ſeipſam non intelligeret? At ſi æternè ſe intelligit, æternè ſe dicit: ſi æternè ſe dicit, æternè eſt Verbum eius apud ipſum. *Cap*. 31. An ergo alio Verbo dicit ſeipſum, & alio ea quæ fecit? Nam hoc quoque Verbum quo ſeipſum dicit, neceſſe eſt idipſum eſſe quod Deus eſt, &c. Quomodo ergo duo verba ſunt? Sed forſitan non cogit identitas ſubſtantiæ, verbi vnitatem admittere. Nam idem ipſe qui his verbis loquitur, eandem illis habet ſubſtantiam, & tamen verbum non eſt: ſed vtique verbum quo ſe dicit ſumma Sapientia, conuenientiſſimè dici poteſt Verbum eius, quia eius perfectam tenet ſimilitudinem. Nam negari non poteſt, cùm mens rationalis ſeipſam cogitando intelligit, ipſam cogitationem ſui eſſe imaginem, ad ſuam ſimilitudinem tanquam ex ſui impreſſione formatam, &c. quamuis ipſa ſe à ſua imagine nonniſi ratione ſeparare poſſit, quæ imago eius, Verbum eius eſt. *Cap*. 32. Quis neget ſummam Sapientiam, cùm ſe dicendo intelligat, gignere conſubſtantialem ſibi ſimilitudinem ſuam .i. Verbum ſuum? Verbum autem quo creaturam dicit, nequaquam eſt verbum creaturæ: quia non eſt eius ſimilitudo, ſed principalis eſſentia, &c. Vno igitur eodemque verbo dicit ſeipſum, & quæcunque fecit. *Cap*. 33. Sed quomodo res tam differentes dici poſſunt vno Verbo æterno? Vt opus quod fit ſecundùm artem, ſemper eſt in ipſa arte, non aliud quàm quod eſt ars ipſa, &c. *Cap*. 35. Cùm ergo conſtet, quia omnis creata ſubſtantia, tantò veriùs eſt in Verbo & intelligentia Dei, quàm in ſeipſa: quantò veriùs exiſtit creatrix quàm creata eſſentia. Quomodo comprehendat mens humana, cuiuſmodi ſit illud dicere, & illa ſcientia, quæ ſit longè ſuperior & verior eſt creatis ſubſtantijs: ſi noſtra ſcientia tantùm ſuperatur ab illis, quantùm earum ſimilitudo diſtat ab earum eſſentia? *Cap*. 36. Quæcunque ſummus Spiritus facit, eadem & ſimiliter Verbum eius. Quicquid igitur eſt ad creaturam: hoc & Verbum eius; nec tamen pluraliter. *Cap*. 37. Licet Deus & Verbum eius ſit ſumma Veritas: non tamen ambo ſimul ſunt duæ Veritates. Sed nec ille cuius eſt Verbum, poteſt eſſe Verbum ſuum: nec Verbum poteſt eſſe is cuius eſt verbum, &c. Nullo tamen modo exprimi poteſt, quid duo ſint. *Cap*. 38. Tantò congruentiùs dici poteſt Verbum ſummi Spiritus ex illo exiſtere naſcendo: quantùm perfectiùs quaſi proles parentis trahit ſimilitudinem, ex illo exiſtendo. *Cap*. 39. Tantò verior eſt ille parens, & iſta proles: quantò magis & ille ad huius natiuitatis perfectionem ſolus ſufficit, & quod naſcitur eius ſimilitudinem exprimit. *Cap*. 40. Magis conuenit ſummo Spiritui dici Patrem, quàm Matrem: quia prima & principalis cauſa prolis, ſemper eſt in Patre. Maternam cauſam ſemper paterna præcedit. Si filius ſemper eſt ſimilior patri, quàm filia, &c. Veriſſimum eſt hanc prolem non eſſe filiam, ſed filium. *Cap*. 45. Filius eſt Intelligentia, Sapientia, Scientia, & Notitia Patris: quia intelligit, ſapit, ſcit, & nouit Patrem, &c. Eſt veritas Patris: non ſolùm quia eſt eadem Filij veritas, quæ Patris; ſed etiam quia non eſt imperfecta quædam imitatio, ſed integra veritas paternæ ſubſtantiæ. Conſequenter, ſicut Filius eſt intelligentia, ſcientia, ſapientia & veritas paternæ ſubſtantiæ: ita eſt intelligentia intelligentiæ, ſcientia ſcientiæ, ſapientia ſapientiæ, & veritas veritatis. *Cap*. 46. Rem cogitare, cuius memoriam habemus, eſt eam mente dicere: verbum vero rei, eſt ipſa cogitatio ad eius ſimilitudinem, ex memoria formata. Summa Sapientia ſic ſemper ſe dicit, ſicut ſemper ſui memor eſt: quia de æterna memoria, coëternum verbum naſcitur. Sicut igitur verbum congruè intelligitur proles: ita memoria Parentis nomen ſuſcipit, &c. Conſequitur itaque, vt quomodo filius eſt Intelligentia, ſeu Sapientia Patris: ita ſit paternæ memoriæ. *Cap*. 47. Et igitur Filius memoria Patris, & memoria memoriæ .i. memoria memor Patris, qui eſt memoria; ſicut & Sapientia Patris, & Sapientia Sapientiæ .i. Sapiens Patrem Sapientiam; & Filius eſt memoria nata de memoria Patris, ſicut Sapientia nata de Sapientia Patris.

4. Ex noſtris Authoribus *Alen*. P. 1. q. 20. De Potentia Dei. *m*. 1. Potentia non conuenit Deo ſecundùm aliquem defectum perfectionis: *M*. 2. Potentia generandi, intelligendi, creandi, eſt vna potentia: cuius eſt per ſe aliquis actus; ſed aliter & aliter determinata. *M*. 3. Potentia Dei determinatur ad aliquid æternum: vt potentia intelligendi, &c. *M*. 4. *Ad Arg*. Potentia communiſſimè determinatur ad poſſe eſſe: communiter ad poſſe agere; propriè ad poſſe ipſum actum elicere, &c.] Ergo *Alenſis* tribuit Deo formaliter perfectionem potentiæ, intelligendi, dicendi, volendi, &c. *Quæſt*. 23. De ſcientia Dei. *m*. 1. Quid ſit? *Reſp*. Significat Diuinam eſſentiam, vt habitum. *Infra*. Scire res in habitu .i. in ſuo exemplari, vel arte, &c. *Ad* 5. Scientia ſimplicis notitiæ, ſeu ſpeculatiua, non dicit rationem exemplaris: ſed ſcientia practica, ſeu cum approbatione. *Ad* 6. Diſtinguit inter intelligentiam, ſapientiam, ſcientiam, præſcientiam, quaſi habitualiter: ergo tribuit Deo etiam perfectionem habitualem intellectus. *M*. 2. *a*. 4. Si Idæa ſit ipſa eſſentia Dei, vt eſt ars, vel ſpecies ſecundùm quam res ſint: Deus ſcit per Idæam. *Ad Arg*. Scit malum per Idæam boni.] Non quaſi per ipſum actũ ſciendi; nec vt per propriam rationem ſciendi;

Digitized by Google

ſed vt per terminum ſcitum .i. Sciri res in ſuo eſſe cognito, ſeu obiectiuo. *M.3. a.2.* Scientia ſimplicis notitiæ, non eſt per Ideam: quia eſt etiam malorum, quæ non habent ideam; ſed ſcientia approbationis habet Ideam, eſtque finitorum] .i. Non poteſt formari Idea malorum formaliter; ſed bonorum. *M. 4. A.* 1. Idea, Ratio, Sapientia, Ars, ſunt idem quoad rem: differunt tamen variè, vt ibi.] Ergo tribuit Deo has perfectiones habituales & actuales, vt aliquo modo diſtinctas. *A.2.* Deus nec ſcit, nec præſcit mala, per aliquam eorum in ſe ſimilitudinem ſeu Ideam, ſed per diſſimilitudinem. *A* 3. Deus ſcit omnia: quia habet omnium rationes præſentiſſimas. *A.* 4. Deus videndo ſe, videt ſimul omnia in ſe, & ex ſe.] Ergo non videt per Ideas, vt per priorem rationem: nec vt per ipſum actum videndi; ſed vt per terminum cognitum. *Quæſt.* 24. *m.* 7. §. 1. Deus præſcit immutabiliter quoad ſe: ſed non quoad res præſcitas, &c. Nec tamen neceſſariò, ſed contingenter, etiam ex parte Dei. *Ad* 4. Deus poteſt ſcire quod non ſcit, quia poteſt facere quod non facit.] Ergo ratio ſciendi futura, eſt voluntas ea faciendi. *Quæſt.* 33. De libro vitæ, vt de quadam Idea: ergo hæc non eſt formaliter ipſa Eſſentia Dei, nec ipſe actus intelligēdi, nec actio dicendi, ſeu quaſi ſcribendi; ſed potiùs ipſum ſcriptum dictum, ſeu intellectum, ex & in Eſſentia Dei. *Quæſt.* 42. *M.*2. §. 1. Non eſt idem ſecundùm intelligentiam, generare, & dicere, ſicut neceſſe.] Ergo nec dicere, & intelligere. *M.3. a.2.* Potentia qua Pater generat, eſt in Filio, ſine generatione actiua.] Ergo ſunt, & differunt formaliter. *Quæſt.* 62. *m.* 1. *a.* 2. Verbum dicendo exprimitur ex priori notitia memoriæ. Ergo ſupponit notitiam non dictam. *Art.* 4. Dicere Verbum, eſt dicendo gignere: ſed dicere Verbo aut in Verbo, connotat creaturas; nec tamen eſt Verbum creaturarum.] Ergo Verbum non dicitur ex Eſſentia vt obiectiuè vel formaliter repræſentante creaturas: ſed hæ in illo terminatiuè repræſentātur.

S. Bon. In 1. *d.* 7. *Q.* 3. Tribuit etiam Deo perfectionem formalem potentiarum. *Diſt.* 35. *Art.* 5. *q.* 1. Sunt in Deo Ideæ omnium: non vt ſimiles rebus cognitis, ſed vt eas ſibi aſſimilantes. *Diſt.* 36. *Art.* 36. *q.* 1. Res fuerunt ab æterno in cognitione Dei. *Q.* 2. Vt in cauſâ. *Art.* 2. Vt in vivo exemplari. *Diſt.* 38. *Art.* 1. *q.* 1. Præcognitio & Idea, eſt cauſa entitatis, non priuationis. *Q.*2. Res præſcitæ non ſunt cauſa præſcientiæ: ſed è contra. *Diſt.* 39. Deus cognoſcit alia à ſe: ſed nonniſi ex ſe, & in ſe ſeu in ſuis exemplaribus.] Ergo vt terminatiuè cognitis. *Art.* 2. *q.* 3. Deus cognoſcit omnia, vt præſentia in ſuis exemplaribus:] ergo vt in cognitis terminatiuè. Quibus Scotus in illo ſenſu facilè conciliabitur, infra.

5. Explicando & probando rationabiliter totam noſtram Reſp. *Deus eſt infinitæ perfectionis intellectualis, eſſentialis, & Attributalis.* Vt *Quæſt.* 2. *col.* 213. 224. *Quæſt.* 3. *col.* 240. 241. 242. Quibus adde ex *Scoto* in 2. *Sent. Diſt.* 1. *q.* 4. *a.* 2. *Si protermiatur quòd relationes non ſint entia rationis, nec aliæ res à fundamentis, ſed tātum quidam modi proprij rei.* Videtur *tantùm contentio de nomine modi, & rei. Licet enim modus non ſit res cuius eſt modus: non tamen eſt nulla res, &c. Nec omnia entia ſunt æquè perfectè entia: imò qualitas poteſt dici modus ſubſtantiæ. Sic & relatio eſt adhuc modus imperfectior qualitate: ſed non intrinſecus fundamento, vt eſt infinitas in Deo.* Vnde patet quòd vt res quædam poſſunt dici modi imperfectionis, non intrinſeci fundamento: ſic & Intellectualitas, & Intellectus Dei, poſſit dici modus perfectionis eſſentialis, & attributalis; non vt intrinſecè varians, ſed exprimens perfectionem eſſentialem & attributalem Dei, vel potiùs earum connexionem. Nam Intellectualitas exprimit eſſentiam, vt eſt natura intellectualis, ſeu prima radix intelligendi: Intellectus autem exprimit proximum principium proprium intelligendi, ſeu *Quo* proximè hæc natura intellectiua eſt. *Potentialis, Habitualis & Actualis* .i. Simul, formaliter, & adæquatè. Quia & poſſe, & facilè, & actu intelligere, eſt perfectionis ſimpliciter, ſine imperfectione: ſed poſſe, ſine facilitate, aut ſine actualitate; imò & actu intelligere, ſine potentia, & facilitate intelligendi, eſt alicuius imperfectionis. Vnde *S. Script.* ſupra tribuit Deo non ſolùm actum intelligendi: ſed etiam potentiam, imò & varias perfectiones quaſi habituales intelligendi; vt Artem factibilium, Prudentiam agibilium, Scientiam ſpeculatiuam omnium cauſarum & effectuum poſſibilium ac futurorum; Sapientiam & Intellectum primorum principiorum. Quàuis enim hi habitus ſint in nobis imperfectè, ſuppleantque varias imperfectiones: non tamen ſunt ex ſe formaliter imperfecti. *Intelligendi, & dicendi ſeipſum naturaliter* .i. modo naturali; *Vnico actu formali* .i. vt perfectione Dei improducta. Quia Deus non eſt tantùm perfectus in actu primo, quaſi ad perficiendum ſeipſum in actu ſecundo: ſed vt eſt à ſe ſeu ex ſe, ſic & operatur formaliter & perfectiſſimè à ſe ſeu ex ſeipſo: non perficiendo ſeipſum cauſaliter, nec formaliter operando; ſed exiſtendo à ſe, ſeu ex ſe, quicquid eſt, & formaliter operatur in ſe. *Et vnica dictione ac verbo mentali.* Quia cùm intellectus ſit potentia intelligendi formaliter, & dicendi ſeu exprimendi verbo mentali quicquid intelligit: Deus non ſolùm intelligit ſeipſum formaliter, ſed & dicit ſeu exprimit ſeipſum Verbo ſibi adæquato, ſeu producendo Verbum ſibi adæquatum; non ad perficiendum ſeipſum dicendo, aut Verbo ſuo, ſed ad exprimendam & communicandam ipſi Verbo ſuo totam ſuam perfectionem intellectualem. Vt infra Quæſt. propria, de hoc myſterio SS. Trin. *Comprehendendo. ſeu adæquando, &c.* Vt ſupra *Quæſt.* 8. De comprehenſione Dei à ſeipſo ſolo: explicādo hîc eius adæquationem, inter veritatem, certitudinem, & euidentiam obiectiuam, ac formalem. *Eodemque actu intelligendi improducto, & Verbo mentali producto, non ſolùm adæquatè repræſentando ſeipſum,* vt ſupra: *ſed etiam ex ſeipſo* motiuè, & in *ſeipſo* terminatiuè, *omnia poſſibilia* immediatè ex ſola Eſſentia; ſed *futura abſolutè vel conditionatè,* nonniſi mediatè aliquo decreto libero, vt cognito, vel vt conditione, vel etiam vt proxima ratione cognoſcendi. *In ſuo primo eſſe ſcibili, obiectiuo, vero, ſeu ideali.* Quia quamuis ſint ex ſe negatiuè poſſibilia, & ſcibilia, ſeu non repugnantia: & poſitiuè, ſed

Digitized by Google

ſed remotè ex ipſa Eſſentia vt obiecto primario; & propinquè ex ipſo, & ipſo actu intelligendi; proximè tamen nonniſi ex vel in ipſo Verbo vt dicto, & quouis obiecto vt à Deo intellecto, ſicque repræſentato in ſuo primo eſſe ſcibili vero, obiectiuo, ſeu ideali. Vnde infra facilè componetur difficultas de Idea: per remotam, propinquam, & proximam. *Non autem vlla impoſſibilia, falſa, mala formaliter.* Quia hæc vt talia non ſunt vllatenus ex ſe, nec in ſe conceptibilia .i. nec motiua, nec terminatiua vllius cognitionis; ſed ſola veritas oppoſita, ſimplex, & complexa, ſeu negatiua omnis veritatis, aut cognoſcibilitatis poſitiuæ talium. *Vnde ſcientia Dei, ex ſolo obiecto ſecundario, diſtinguitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ omnium poſſibilium, ſecundum eſſentiam vel exiſtentiam poſſibilem.* Quia hæc vt talis, pertinet ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. *Et in ſcientiam viſionis, ſeu præſcientiam futurorum, &c.* Quia eadem eſt viſio præſentium obiectiuè ab æterno, quæ præſcientia futurorum ſucceſſiuè, &c. *Non neceſſariò in aliquam tertiam vel mediam*: quia ſi quæ talis, ſub alterutra continetur. Quæ omnia & ſingula per difficultates ſequentes illuſtrabuntur.

Difficultates.

1. EX Sacris Script. *Matt. 7. 25. Luc. 13. Neſcio vos*, inquit *Chriſtus*, etiã vt Deus. *1. Cor. 14. Ignorans*, Deum, *ignorabitur*, ab ipſo Deo. Sæpèq; dicit Deus & prædicit aliqua quaſi ſub dubio proprio. Vt *Gen. 3. Ne fortè Adam ſumat de ligno vitæ, &c.* Eſa. 6. *Ne fortè conuertatur, & ſanem eum.* Ezech. 2. *Loqueris verba mea ad eos, ſi fortè audiant, &c. Reſp.* Ad illam neſcientiam Dei, ſeu ignorationem: per frequentem diſtinctionem ſcientiæ Dei, in ſcientiam ſimplicis notitiæ & approbationis. Non vt illa ſolet ſignificare ſolam ſcientiam poſſibilium: ſed vt noſter *Al. q. 23. m. 1. Ad 5.* Vocat eam ſpeculatiuam, hanc autem practicam; vel vt illa eſt ſimplex ſine approbatione, hæc cum approbatione. Vt *Gal. 4. Cogniti eſtis à Deo.* Hinc meritò reprobi dicuntur à Deo neſciri, ſeu ignorari ad gratiam & gloriam: quia non ſunt eam finaliter habituri; non autem ignorari ſpeculatiuè quoad naturam, ſed fortè quoad culpam, quatenus hæc non eſt ex ſe aut per ſe cognoſcibilis, ſed per ſolam oppoſitam veritatem & bonitatem. Ad dubias formas loquendi & prædicendi. *Reſp.* Nunquam eſſe ipſi Deo dubias: ſed vel eſſe tantùm comminationes, vel dubitationes ipſorum Prophetarum, quibus non ſemper pro certo reuelantur futura, vt patet de Iona; vel ſignificare noſtram libertatem, & incertitudinem ipſius euentus in ſe, vel communem hominum, vel ſingularem alicuius difficultatem, aut periculum futuri vel non. Sed *Gen. 3.* Videtur eſſe quædam alluſio & exprobratio illius infidelis dubitationis Euæ, paulò ante. *Gen. 3. Ne fortè moriamur.*

2. Ex *S. Dion. cap. 5. Diu. Nom.* Vocat Ideas *Diuinas prædeſtinationes, & bonas Dei voluntates eorum quæ ſunt effectrices. Cap. 6.* Tribuit Sapiẽtiæ Dei cauſalitatem omnium capacium, participantium, & participationum eius: cùm tamen Ideæ ſint intellectuales, nec intellectus Dei, ſed voluntas ſit efficax ad extra; nec Ideæ cenſeantur futurorum, ſed poſſibilium. *Reſp.* Idæam poſſe ſumi. 1. Remotè, pro obiecto ex quo vt cognito omnia repræſentantur. 2. Propinquè, pro actu formaliter omnia repræſentante. 3. Proximè, pro ipſo obiecto vt cognito & repræſentato. Cùm enim Idæa ſit exemplar artificis, ad cuius imitationem aliquid fit, factum eſt, aut fieri poteſt, quodque res ipſæ exiſtentes imitantur, ſeu cui ſimiles ſunt, cenſendæ ſunt Idææ proximiores; creaturæ autem ſunt ſimiliores ſuo eſſe repræſentato, ſeu cognito à Deo, quàm ipſi obiecto ex quo, vel actui quo repræſentantur; ergo eſſe cognitum ſeu repræſentatum in Deo, eſt Idæa proxima creaturarum. Hinc fortè *S. Dion.* vocat Idæas; non formaliter, ſed cauſaliter, & antonomaſticè, *Prædeſtinationes Dei, & voluntates efficaces*: quia hæ ſunt cauſæ principalium Idæarum quæ ſcriptæ ſunt in libro vitæ, ſeu in eſſe à Deo volito, & conſequenter cognito, ſeu obiectiuo ac æterno omnium futurorum Beatorum. Sicque voluntas Dei efficax eſt cauſa cuiuſuis rei futuræ in eſſe volito, & conſequenter cognito, obiectiuo, æterno, & proximè Idæali. Nec ſola poſſibilia, ſed & omnia futura habent ſuam Idæam, ſecundùm eſſentiam & exiſtentiam, ſaltem ut poſſibilem, imò vt futuram. Vnde *Boëtius, Lib. De conſol. Metro 9.* ſic accinit Deo: *Tu cũcta ſuperno ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe mundum mente gerens ſimiliq; ab Imagine formans. Cap. 6. S. Dion.* tribuit Sapientiæ Dei cauſalitatem exemplarem omnium, per Idæas ſingulorum: ſed præcipuè participationem omnis Sapientiæ ab ipſa Sapientia Dei, vt totali, originali, & exemplari.

3. Ex *S. Hier. & B. Aug.* Ille enim in *Pſal. 146. Sapientia eius non eſt numerus* .i. Vna ſapientia non poteſt numerari; quia vna ſola non facit numerum. Hîc autem *Lib. 12. Ciu. 18.* inde colligit Sapientiam Dei comprehendere omnes numeros, quantumuis actu infinitos, & eos comprehendendo finire; imò & ſeipſum *q. 15. ex 83.* Idem *Quæſt. 46. ex 83.* & alibi ſæpè, ſtatuit tantam vim in Idæis, vt niſi his intellectis Sapiens eſſe nemo poſſit: Vocat *Formas principales, non formatas, ſed æternas, & contentas in Intelligentia Diuina*; tribuitque earum viſioni *ſummam Sapientiam, & Beatitudinem. Lib. 3. Conf. 16.* tribuit Eſſentiæ & Voluntati Diuinæ ſcire ſeipſam. Imò *15. Trin. 21.* tribuit omni bonæ voluntati & charitati, ſcire quod vult. Sæpe videtur formaliter identificare ſapientiam ipſi Eſſentiæ Dei, & Deum menti noſtræ, in intelligendo, & dicendo ſe ex memoria fœcunda .i. ex proxima potentia ad actum: ergo non ſine aliqua imperfectione Dei, ſeu perfectione alicuius imperfectionis. Sæpè tribuit ipſi Deo viſionem ſuiipſius, & omnium in Verbo: ergo non ſine aliqua priore imperfectione ſeu perfectione ſuiipſius ex Verbo ſuo, & dictione ſeu expreſſione Verbi ſui ex obiecto ſecundario. Denique ſæpè ſupponit nos hic intelligere primam veritatem, & omnia ex ipſa.

Reſp. SS. Hier. & Aug. in hoc optimè conueniunt: quòd ille interpretetur *Pſal. 146.* de infinita

Digitized by Google

nita perfectione intenſiua Sapientiæ Dei, ſeu de eius vnitate, totalitate, & infinitate, hoc ipſo in ſe innumerabili, nec connumerabili vlli Sapientiæ participatæ, aut participabili; ſed *S. Aug.* hanc perfectionem infinitam extendat etiam ad comprehendendum infinita, vel ſolo numero, vel etiam ſpecie differentia, omneſque poſſibiles numeros numerantes, quantumuis infinitos actu, vel tantùm plures in infinitum. Quam difficultatem non videtur *B. Aug.* velle mouere, aut definire: ſed ſolam infinitatem actualem ſcientiæ Dei extendere ad, imò & vltra infinita poſſibilia quouis modo ſint infinita. Quia vnica ſcientia Dei actualiſſimè infinita, vt adæquata ſuæ infinitæ veritati obiectiuæ, non ſolùm adæquatè comprehendit, ſed etiam excedit omnia alia intelligibilia. Hinc & propriè dici poteſt ſua comprehenſione finire numeros infinitos, & infinita numero: quia non ſolùm ea excedit ſua perfectione vt infinita: ſed etiam vt vnica, ſeu ſuâ propriâ vnitate innumerabili, inconnumerabili, & infinitè excedente omnes vnitates finitas, & omnem earum numerum poſſibilem. Non ſic autem intendit, Deum ſeipſum finire comprehendo, nec comprehendere finiendo; ſed adæquando ſeipſum ſibi ſoli formaliter & obiectiuè. Quod ſatis exprimit *Quæſt.* 15. *ex* 83. *Omne quod ſe intelligit* .i. quantùm intelligi poteſt, *comprehendit ſe. Quòd autem ſe comprehendit, finitum eſt ſibi* .i. adæquatum. *Intellectus*, vtique Diuinus, *intelligit ſe* adæquatè: non ſolùm ſe vt Intellectum, ſed ſeipſum vt eſt. *Ergo finitus eſt ſibi* .i. adæquatè ſeipſum intelligit. *Nec infinitus eſſe vult. quamuis poſſit* .i. quamuis poſſet, non vellet eſſe infinitus ſibiipſi, ſeu plus eſſe quàm intelligere. *Quia notus ſibi eſſe vult: amat enim ſe* .i. Vel amore ſeu inclinatione naturali ipſius intellectus ad ſuum proprium obiectum, & actum; vel amore ſeu affectu volũtatis intelligendi ſeipſum adæquatè. Vnde ſi per impoſſibile non intelligeret ſe ex ſeipſo naturaliter, actualiter, & adęquatè: vellet ſeipſum intelligere. Cùm ergo Deus ſit tam Perfectus & Beatus in ſeipſo, vt nihil poſſit ſibi velle, quod non ſit, vel pluſquam ſit: intelligit ſeipſum adæquatè; quia id eſt deſiderabile, ad propriam perfectionem & beatitudinem. Vel fortè *B. Aug.* hanc *Quæſt.* 15. refert ad 16. De Dictione Sapientiæ ſeu Verbi Dei: non ex ſola Sapientia Dei, ſed etiam ex aliquo amore. De quo ſub myſterio *S. Trin. Ad Quæſt.* 46. *ex* 83. Refert potiùs ſenſum *Platonis* quàm proprium, de Idæis. Suntque verè Prima principia Sapientiæ circa eſſentias. Ipſe autem eas eſſe in Deo profitetur: & definit eſſe *formas principales* reſpectu omnium poſſibilium, & futurorum, vel actu exiſtentium: *non formatas* .i. ad prius aliquod exemplar, ſed primas formas exemplares omnium; *ac per hoc æternas* .i. hoc ipſo quo ſunt primæ, nec habent vllam priorem; *& contentas in Intelligentia Diuina* .i. obiectiuè, formaliter, & terminatiuè. Statuit in eis ſummam *Sapientiam & Beatitudinem*: terminatiuè, extenſiuè conſequenter; non immediatè, formaliter, intenſiuè, nec obiectiuè, vt ſupra, non contra noſtram *Reſp. Ad* 13. *Conf.* 16. tribuit reciprocè Eſſentiæ, Intellectui, & Voluntati Dei, eſſe, ſcire, & velle: non cuilibet formaliter, ſed identicè. *Ad* 15. *Trin.* 21. Tribuit omni bonæ voluntati, & charitati, aliquod ſcire: non formaliter, ſed obiectiuè, & directiuè .i. obiectum verum & ſcitum, non autem falſum; & veram cognitionem præuiam ac connexam obiecti vt volibilis, & actus vt boni circa illud. Nec plus exigũt hæc verba. *Nunquid dicturi ſumus voluntatem noſtrã quando recta eſt, neſcire quid petat, quid uitet: porro ſi ſcit, profectò ineſt ei quædam ſua ſciẽtia: quæ ſine memoria & intelligẽtia eſſe non poſſit.* Cùm enim ſcire tribuat ſoli voluntati actuali, & rectæ, æquè coexigens memoriam, & intelligentiam: non poteſt intelligi de ineſſe formaliter; ſed directiuè, coniunctiuè, obiectiuè, &c. vt ſupra. *An audiendus eſt dicens*, 1. *Cor.* 13. *Charitatem neſcire quid agat, quæ non agit perperam?* Quia charitas habitualis, & actualis habet connexam fidem, & veritatem, imò & intrinſecam inclinationem à Deo directam ad ſolum verum bonum. *Sicut ergo ineſt intelligẽtia, ineſt dilectio memoriæ, &c. Sicut ineſt memoria, ineſt dilectio intelligentiæ, &c. Quia iſta inuenimus ibi, &c.* Ergo non de ineſſe formaliter; ſed vt *ibi* obiectiuè. Nam hoc totum refert ad dicendum Verbum ex priori aliqua notitia, & amore obiecti. *Ad* 1. *Trin.* 1. *&* 7. *Trin.* 2. 3. De quaſi identitate formali, inter Sapientiam & Eſſentiam Dei, vt ſupra *col.* 234. Eſſentia eſt identicè & formaliter ſua Sapientia: In ò Sapiẽtia ſumpta pro prima perfectione intellectualiſſima, eſt formaliſſimè ipſa Eſſentia Dei; ſed ſumpta pro proximo principio *Quo*, eſt perfectio attributalis Eſſentiæ, & formaliter ſolius intellectus. Ad comparationem inter mentem noſtram & Deum, non eſt niſi ſimilitudo: vt ſicut mens noſtra ſibi-ipſi obiectiuè præſentiſſima, habet quaſi memoriam fœcũdam ſui-ipſius, ſeu ſcit ſeipſam in actu primo & proximo ad intelligendum, & dicendum, ſeu exprimendum ſeipſam Verbo mentali, ſibi ipſi vt obiecto ſimili; ſic & Deus Pater, &c. Sed Deus non ſolùm ex ſe eſt ſibi-ipſi præſentiſſimus obiectiuè: ſed & actuali comprehenſione ſui-ipſius. Nec tantùm habet memoriam fœcundam ſeipſo vt obiecto proximè intelligibili, nec ſolùm vt intellecto in actu primo, ſed actualiſſimo. Nec ad perfectiùs intelligendum ſeipſum: ſed tantùm ad communicandum totam ſuam perfectionem intelligibilem & intellectualem Verbo ſibi adæquato, dicendo ſeu exprimendo illud, vt terminum adæquatum Dictioni; ſeipſum in illo, vt in ſua imagine ſibi ſimillima; & ſe illi, vt perſonæ, vt à ſe ſibi coexiſtenti & conſubſiſtenti. De quo plura ſub myſterio *S. Trin.* Ad viſionem illam Dei, & omnium à ſeipſo: non ſolùm in ſeipſo, ſed etiam in Verbo ſuo .i. non Verbo ſuo quaſi ſibi-ipſi principio Quo, vel actu videndi: nec in Verbo ſuo quaſi in obiecto ex quo ſeipſum, vel aliud, aut plus videat quàm in ſeipſo; ſed in Verbo vt in termino ſibi adæquato, & Verbo, & per Verbum vt per principium quod à ſe principiatum, ad ſeipſum & omnium ſecum æqualiter, repræſentanda & cointelligenda. De quo etiam plura ſub Myſterio *S. Trin.* Ad frequentem ſuppoſitionem & expreſſionem *B. Aug.* quod hîc poſſimus intelligere

Primam

Digitized by Google

Primam Veritatem in ſe,& aliqua ex ipſa, in ipſa, vel eius Ideis .i. ſupra ſenſibilia & phantaſmata; ex & in noſtro lumine rationis, vt propinquiore & ſimiliore ipſi Veritati Dei, & Idæis rerum. Vt in 2. *A col.* 241. *ad* 246. & *à* 413. *ad* 425. De cognitione naturali, vel ſupernaturali Angelorum & hominum: vt beatifica ex ſolo obiecto primario, non ex Ideis, aut vllo alio ſecundario. Imò & proxima *Quæſtione* 8. & 10. De Inuiſibilitate naturali Dei, ſed viſibilitate libera ſuæ voluntati: Quæ non vult ſe nobis in via repræſentare clarè, nec diſtinctè; ſed ordinariè nonniſi obſcurè & cõfusè, ſiuè ex hoc ſtatu naturali, ſiue pœnali.

4. Ex *Al. S. Bon.* & *Scoto.* Cur *Al. P.* 1. *q.* 20. 21. 22. agit de Potentia Dei, priùs quàm de Intellectu & Voluntate Dei? *Quæſt.* 23. *m.* 3. *a.* 4. Scientia Dei eſt neceſſariorum, & contingentium, per eandem cauſam neceſſariam.] Ergo non ſunt contingentia, quæ habent tantam cauſam neceſſariam. *Quæſt.* 24. Quod præſcientia Dei, non ſit cauſa futurorum]: Contra *B. Aug. Lib.* 15. *Trin. cap.* 13. Deus creaturas non nouit, quia ſunt: ſed ſunt, quia nouit.

S. Bon. tota *Diſt.* 3. & *Diſt.* 39. *a.* 1. *q.* 1. Quòd Ideæ in Deo ſint ei ratio cognoſcendi omnia: Quodque Deus cognoſcat omnia ex ſe, & in ſe, ſeu ex & in ſuis Ideis.] Ergo Ideę non ſunt eſſe cognitum. *Diſt.* 36. De quadam exiſtentia omnium in Deo ab æterno: quaſi vt *VVicleff*, infra. *D.* 38. Præſcientia eſt cauſa rerum, etiam in eſſendo:] contra *Al.* ſupra.

Scotus Diſt. 35. *q.* 1. *Ad* 1. *arg.* Nullæ relationes Eſſentiæ, aut cognitionis Diuinæ ſunt Ideæ: ſed ſolùm eſſe cognitum cuiuſque, contra quædam *Alenſis*, & *S. Bon.* ſupra, imò & contra ſeipſum; quia eſſe cognitum non ſolùm eſt relatiuum ad res ipſas, ſed etiam ad obiectum ex quo, & cognitionem qua cognitæ ſunt. *Diſt.* 35. *q.* 1. Negat illud eſſe cognitum, eſſe potiùs verũ eſſe eſſentiæ, quàm exiſtentiæ: contra *S. Aug. Al. S. Bon.* & ſeipſum, *diſt.* 43. *q.* 1. quòd res ſint primo poſſibiles in eſſe cognito per Intellectum Diuinum; & contra ſenſum communem, quòd rerum eſſentiæ ſint æternæ veritatis, vtique vt à Deo in eſſe cognito. Nec per hoc eſſe cognitum cuiuſque ab æterno, quamuis nec veræ eſſentiæ propriæ, nec exiſtentiæ, videtur ſatis poſſe excuſari *Scotus* à quodam errore *VVicleffi*, relato à *Thoma VValdenſi Tomo* 1. *Antiq. Lib.* 1. *cap.* 16. De quodam eſſe creaturarum in Deo ab æterno. Quia non eſt credibile, quod tribuerit eis eſſe proprium & reale: quod ergo, niſi eſſe cognitum, ſeu obiectiuum, ſiue eſſentiæ, ſiue non? *Diſt.* 38. *q.* 1. Negat illam ſcientiam Dei eſſe practicam: contra Sacram Script. SS. PP. *Al.* & *S. Bon.* ſupra, de Arte Dei, & Ideis vt formis eius artificialibus. *Diſt.* 39. *q.* 1. ſubdiuiſâ in 5. n. 1. Directè contra *S. Bon.* de cognitione futurorum à Deo, ex eorum Ideis. *A n.* 23. De duplici modò Dei, videndi futura. 1. Ex proprio decreto libero ac æterno, circa futura, aut non. 2. Sed ne ſic videatur ſcire per diſcurſum, 2. modo, ex ſola ſua Eſſentia, vt repræſentante omnia vera, ſuppoſito decreto Dei, quo fiunt vera futura.] Cùm decretum voluntatis ſit priùs verum in ſe, & repræſentatum in Eſſentia Dei, quàm vlla futura: & hæc in decreto Dei ſint priùs vera, ac inde ſine diſcurſu ſcibilia, quàm in ſeipſis vera, vel in ipſa Eſſentia Dei repræſentata. *Ad* 4 *Quæſt.* ſubalternam, iterum contra *S. Bon. d.* 38. Quaſi non eſſet diſtinguendum inter neceſſitatem ſciendi futura, ex parte huius obiecti, & ex parte ipſius Scientiæ Dei. Cùm tamen ipſa ſcientia ſit neceſſaria, non autem futura ſcita. Reliqua huius *Diſt.* & *Quæſt.* pertinent ad ſequentem Quæſt. de libertate Voluntatis Diuinæ.

Reſp. Ad Al. q. 20. 21. 22. Agit de potentia in communi ad intra, & ad extra: ſed quia nomen Potentiæ ad extra eſt notius, priùs ordine Doctrinæ agit etiam de Potentia ad extra. De qua nos ſub *Quæſt.* propria 16. De Omnipotentia Dei. *Ad q.* 23. *m.* 3. *a.* 4. Non quòd Scientia Dei ſit neceſſariorum, & contingentium, per eandem cauſam neceſſariam eſſendi: ſed ſciendi, ex ipſo Deo, non autem ex rebus ipſis, ſiue neceſſariis, ſiue contingentibus inter ſe. *Ad q.* 24. Optimè ſe ipſum, totamque difficultatem de infallibili præſcientia contingentium explicat. Vt *m.* 2. Quod non præſcientia ſimplicis notitiæ ſeu ſpeculatiua, ſed approbationis, ſeu practica, ſit cauſa rerum. Nec *S. Aug.* plus intendit: imò minus .i. de ſola cauſa ſciendi, non eſſendi.

Ad S. Bon. Diſt. 35. & 39. Vt infra ad *Scotum*. *Ad Diſt.* 36. Imo negat expreſsè omne aliud eſſe, quàm ſolius Dei: vt infra ad *Scotum*. *Ad Diſt.* 38. vt *Al.* ſupra: De præſcientia approbationis, ſeu practica; & de cauſa directiua, ac exemplari.

Ad Scotum Diſt. 5. *q.* 1. Meritò negat Eſſentiam & cognitionem Diuinam eſſe Ideam propriam: quia illa eſt abſoluta ab omni reſpectu ad creaturam; hæc eſt relatiua ad obiectum ex quo, & ad actum quo formatur, & ad rem cuius eſt forma exemplaris. Nec id eſt contra *Al.* aut *S. Bon.* nec contra ſeipſum, vt adhuc infra. *Ad Diſt.* 35. Negat illud eſſe cognitum eſſe vllum verum & proprium eſſe creaturarum: quia eſt ſoli Deo intrinſecum & identicum; ſed creaturarum obiectiuum .i. exemplar. In quo optimè conuenit cum Sacra Script. *S. Aug. Alenſi S. Bon.* ſecum ipſo *d.* 43. & cum ſenſu communi: non quod eſſentiæ rerum ſint æternæ; ſed quod Veritas Dei obiectiua & formalis de rerum Eſſentiâ, & exiſtentia, ſit æterna. Nec eſſe poſſibile aut cognitum à Deo eſt eſſentia, aut de eſſentia vllius creaturæ. Quod eſt directè contra errorem *VVicleff*, ac ſimilium phanaticorum: qui ex *Ioan.* 1. Quod factum eſt, in ipſo vita erat; ex 1. *Cor.* 15. Deus erit omnia in omnibus; ex eſſe Dei per Eſſentiam, noſtro autem per participationem; & ex quadam myſtica & affectiua transformatione in Deum, à tempore *S. Aug.* manicheizant .i. quaſi inſaniunt Deum eſſe noſtram & omnium eſſentiam, aut de noſtra eſſentia; nos eſſe, fuiſſe aut factos eſſe aliquid in Deo ab æterno, & Beatos in illud tandem iterum cõuertendos, cuius cõuerſionis quaſi prælúdia ſint quædam experiẽtię affectiuæ contemplatiuorum. Vt monet *S. Aug. Tract.* 1. *in Ioan.* 1. *Trin.* 8. *Epiſt.* 111. *c.* 21. & alibi. *Ad diſt.* 38. Refert ſeipſum ad ſuam *Quæſt.* 4. *Prologi*: in qua ſub problemate relinquit, an Theologia,

Digitized by Google

Theologia, ſeu ſcientia Dei circa neceſſaria, vel contingentia inter ſe, ſit ſolùm ſpeculatiua, vel etiá practica; & an ad hanc ſit neceſſaria directio voluntatis, vel ſufficiat ſola aptitudo ad dirigendum, vel ſola oſtenſio rectitudinis, vel directio executionis. Quamuis autem *diſt.* 38.*q.* 1. neget eſſe practicam voluntatis Dei, quæ eſt ex ſeipſa rectitudo,& qua liberè decernit omnia facienda: non tamen negat ipſas Idæas eſſe practicas, ſeu cauſas exemplares & artificiales omnium factibilium. Sed *Ad* 1. *Arg.* concedit ſolam cognitionem rectitudinis agendorum poſſe dici Artem in Deo. *Ad* 2. Negat eas dirigere Deum ad facienda factibilia: ſed concedit eas repræſentare factibilia; non tamen vt facienda, nec vt futura ex determinatione aut directione Idæarum, ſed ex ſolo decreto libero ſuæ voluntatis. *Ad diſt.* 39. *q.*1. *n.*1. *Scot⁹* non exprimit *S.Bon.*Nec hic exprimit Deum videre omnia ex ipſis Idæis obiectiuè, ſeu vt ex proprio motiuo: ſed in Idæis terminatiuè, ſeu formando, & videndo ipſas Idæas. Vel *S. Bon.* ſumit Idæas non ſolùm proximè, vt *Scotus*: ſed & remotè pro ipſo obiecto ex quo Idææ proximè formantur; imò & proximè, non tamen pro ſolo eſſe vt cognito ſpeculatiuè, ſed vt volito practicè, vt *S. Dion.* ſupra. Sicque nulla eſt difficultas inter *Scotum* & *S. Bon.* *Ad n.* 23. *Scotus* proponit hos duos modos explicandi ſcientiam infallibilem contingentium: nec per ſecundum, reuocat primum,quaſi impoſſibilem ſine diſcurſu; *ſed ne videatur*, inquit. Nam re vera ipſa Voluntas Dei poteſt obiectiuè repræſentare ſeipſam, & omnia ad quæ ſe extendit: poteſtque intellectus eam comprehendere, & omnia ad quæ ſe extendit. Sicque vterque modus eſt probabilis,& prior fortè probabilior. *Ad Quæſt.* 4. ſubalternam. Nec *Scotus* exprimit hic *S. Bon.* nec refert eius textum: nec improbat diſtinctionem inter neceſſitatem,vel contingentiam obiecti, & ipſius ſcientiæ Dei; ſed cenſet potiùs abſolutè negandum eſſe, quòd Deus neceſſariò ſciat futura, quàm diſtinguendum inter neceſſitatem ſcientiæ Dei, & contingentiam futurorum; quia Deus non ſcit neceſſariò, ſcientia determinata ad futura. Quæ eſt ipſa ratio *S. Bon. d.* 38. *q.* 2. circa medium. *Reſp. Iudicanda eſt contingentia in totali dicto: non ratione totalitatis,ſed connotati.* Sub finem. *Quando ſignificatur per modum præſcientiæ,connotat futurum contingens: & omne dictum quod claudit in ſe contingens, iudicandum eſt contingens; ideo totale contingens iudicatur.* Dequibus omnibus plura *Quæſt.* 13. De perfectione voluntatis Dei.

6. Ex varijs rationibus. 1. Intellectualitas Dei eſſentialis, eſt actualiſſima: ergo non eſt intellectiua intellectione actuali. 2. Obiecta perfecta repræſentant ſeipſa, per ſe, vel ſui ſpeciem, abſque vlla alia potentia repræſentante: Eſſentia Dei eſt obiectum ſibiipſi præſentiſſimum, repræſentans perfectiſſimè,& actualiſſimè quicquid eſt, aut eſſe poteſt; ergo non habet vllum intellectum formaliter diſtinctum à quo repræſentetur. 3. Potentia intellectiua non eſt niſi ad actum intelligendi: in Deo non eſt actus intelligendi quaſi a potentia, ſed à ſeipſo, ex ſeipſo, & ſeipſo formaliter; ergo in Deo non eſt potentia intellectiua. 4. Obiectum & intellectus non differunt formaliter, niſi vt duo principia eiuſdem actus intelligendi: Ergo nonniſi ex aliqua imperfectione, ſeu inſufficientia alterutrius principij ad hunc actum? vel ſufficit vt actus ſit ex obiecto, non autem neceſſariò ſimul ab intellectu. 5. Potentia, habitus, & actus ſeorſim,includunt, ſupplent, & mutuò perficiunt aliquam imperfectionem: per aliquam inter ſe compoſitionem; ergo non poſſunt eſſe in Deo formaliter. 6. Habitus facilitat potentiam, vt concauſa adiuuans, vel vt forma determinans: ergo non poteſt eſſe formaliter in Deo. 7. Actus eſt formaliter ab agente, vel actiuo: ideoque neceſſariò differt realiter ab illo; quia idem non poteſt eſſe poſitiuè à ſeipſo. Atqui in Deo non eſt intellectio à Deo intelligente, vt agente, vel actiuo: nec poteſt ab eo realiter differre; ergo non eſt actus intelligendi. 8. Dicere mentaliter, & intelligere, eſt ſibiipſi exprimere obiectum: ergo idem eſt dicere, quod intelligere, & dicto quod intellecto; aut hæc eſt terminus formalis ipſius dictionis, vel perceptio ipſius obiecti, & verbi dicti. Atqui Deus eſt obiectum per ſe expreſſiſſimum: ergo non poteſt plus exprimi vlla dictione, aut intellectione; ſed intellectio eſt ipſa perfectiſſima expreſſio formalis, vel obiecti expreſſiſſimi perceptio. 9. Comprehenſio eſt adæquata obiecto intenſiuè & extenſiuè: Ergo ſi Verbum Dei, ſit comprehenſiuum Dei, vel à Deo comprehenſiuè, non erit ſolum Verbum Dei, ſed & omnium poſſibilium ac futurorum. 10. Eſſet imperfectio & magna confuſio in ſpeculo Eſſentiæ Diuinæ, repræſentare obiectiuè, vel formaliter omnia in ſeipſo. 11. Non poſſunt eſſe ſimul actu infinita: ergo nec in Deo ſimul actu repræſentari. 12. Infinitum non poteſt excedere ſeipſum: ergo nec Deus poteſt ſe obiectiuè & intellectiuè extendere ad obiecta vltra ſeu extra ſe. 13. Intellectio Dei eſt tota & totaliter infinita: Ergo non eſt terminabilis, nec poteſt terminari ad infinita; quia & ipſa eius terminatio intrinſeca eſt infinita. 14. Omnia poſſibilia & futura ſunt finita perfectione, & intelligibilitate: ergo non poſſunt vllatenus terminare infinitam intellectionem Dei. 15. Nihil poteſt eſſe ex ſe, vel ex ſola cauſa ſecunda futurum conditionatè: ergo nonniſi ex aliqua libera voluntate Dei conditionata. Atqui Deus non poteſt velle conditionatè, ſeu inefficaciter: quia hoc eſt imperfectionis; ergo non poſſunt eſſe vlla futura conditionatè. 16. Eſt imperfectio, ſeu incertitudo, ſcire aliquid conditionatè: conditionata non poſſunt ſciri niſi conditionatè; ergo non poſſunt ſciri, niſi imperfectè & incertè. Quod non eſt propriè ſcire: nec perfectionis Diuinę. 17. Deus eſt ex ſe obiectum infinitum, & cauſa infinita, repræſentans obiectiuè omnia ſcibilia, & potens omnia poſſibilia: ergo non fiunt ſcibilia nec poſſibilia per actum intellectus Diuinæ; ſed hic ſupponit illa eſſe ſcibilia ex Eſſentia Dei, & poſſibilia ex Potentia Dei. 18. Impoſſibilia ſunt ex ſe impoſſibilia, falſa ex ſe falſa, mala ex ſe mala: ergo ſunt ſcibilia vt talia, & poſitiuè ſciuntur à Deo eſſe talia.

Digitized by Google

talia. 19. Non futura, non ſunt futura: ergo non poſſunt præſciri; quia præſcientia non eſt niſi futurorum. 20. Si ſint aliqua conditionatè futura, & præſciantur conditionatè, vel vt conditionata, cur non aliqua ſcientiâ mediâ?

Reſp. Ad 1. Vt *Scotus in* 1. *d.* 5. *q.* 2. *Abſtracta vltima abſtractione non poſſunt ſumi niſi formaliſſimè.* Cùm ergo intellectualitas Dei ſit eius eſſentia actualiſſima, & abſtractiſſima: non à ſingularitate, ſed ab omni ſuo modo intrinſeco, & proprietate; non poteſt ſumi niſi formaliſſimè, pro ſola ratione formali eſſendi Deum. Sicque de omnibus ſimilibus abſtractis: vt de Entitate, ſubſtantialitate, vitalitate, ſpiritualitate, & ſingularitate Dei; non vt de modis quibuſdam intrinſecis, ſed de ſola ratione formali eſſendi, & exiſtendi ſimpliciter ſubſtantiam, vitam, Spiritum, ſingularem. Sed nec modi intrinſeci, nec proprietates videntur tam abſtrahi poſſe: quin ſupponant & connotent eſſentiam, vel in illam reſoluantur ſeu tranſeant. Vnde & *Scotus d.* 5. *qu.* 1. *Ad* 1. *Arg. Sapientia dicitur genita quia non abſtrahit vltima abſtractione à potentia intellectiua.* Sapientialitas autem videtur ſic abſtrahere, vt ipſa intellectualitas eſſentialis Dei. Natura intellectualis vltra eſſentiam, ſeu vltra ſolam rationem formalem eſſendi, videtur conſignificare primum principium proprietatum, ſeu operandi per intellectum & voluntatem. Ergo intellectualitas, ſeu eſſentia, & natura vt intellectualis, habet neceſſariò omnes proprietates ſeu perfectiones proprias operandi per intellectum & voluntatem. *Ad* 2. Obiecta repræſentant ſeipſa obiectiuè, per ſeipſa, vel per ſui ſpeciem: ſed repræſentantur actiuè à potentia, & formaliter actu eius expreſſo, ſeu actuali cognitione obiecti. Nam non omnia obiecta quæ ſe repræſentant obiectiuè, poſſunt ſeipſa actiuè aut formaliter repræſentare, cognoſcere ſeu percipere. Hinc quamuis Eſſentia Dei ſeipſam & omnia perfectiſſimè repræſentet obiectiuè, actiuè, & formaliter: eius tamen repræſentatio obiectiua, differt formaliter ab actiua, & formali; nec ſeipſam intelligit repræſentãdo obiectiuè, ſed actiuè & formaliter. *Ad* 3. Potentia non eſt niſi ad actum intelligendi: non quaſi ad illum neceſſariò & realiter producendum; ſed actu formali ſiue producto, ſiue improducto formaliter operandum, ſeu intelligendum. Ad quam formalem operationem non eſt per ſe neceſſaria productio actus, ſi hic poſſit eſſe improductus. Cum autem tota infinita Dei perfectio, ſit neceſſariò ex ſe improducta: eius intellectio, quæ eſt infinita perfectio, non poteſt eſſe producta. Nec ideo non eſt actus intelligendi, & ipſius intellectus: quia cùm actus ſit quid abſolutum, non eſt eſſentialiter ab aliquo agente, nec ad aliquem terminum producendum; ſed ſatis eſt quod ſit alicuius, non vt ſubiecti recipientis, ſed vt proprius habenti, eoque formaliter operanti. Ergo actus intelligendi ſupponit in Deo potentiam intellectiuam, ſeu habendi proprium actum intelligendi. *Ad* 4. Obiectum & intellectus, non differunt vt duæ cauſæ partiales, vel totales eiuſdem generis: ſed vt duo principia diuerſi generis, conneceſſaria ad eundem actum; non vt producendum, ſed habẽdum vt proprium; non eodem modo, ſed vt eo obiectum intelligatur, & intellectus intelligat. Vnde non poteſt actus eſſe obiecti vt intellecti, quin ſit & intellectus vt intelligentis: non tamen neceſſariò cauſaliter. *Ad* 5. Potentia, habitus, & actus ſupplent quidem mutuò aliquam imperfectionem: non tamen illis, ſed nobis intrinſecam; quia nec ratio formalis potẽtiæ ſeu poſſe, nec habitus ſeu facilitas, nec actus ſeu operatio ſupponit vllam impotentiam, difficultatẽ, priuationem, aut aliam imperfectionem ſeu defectum, ſupplendum, & perficiendum; ergo poſſunt eſſe in Deo formaliter. *Ad* 6. Habitus in nobis iuuat aut determinat potentiam vt imperfectam: ſed in ſe & in Deo eſt ſola facilitas, & determinatio formalis ipſius intellectus & actus circa ſuum obiectum. *Ad* 7. Vt ſupra. Actus non neceſſariò differt realiter à ſuo principio *Quod*, vel *Quo* vt cum habente, & eo operante: quia non eſt neceſſariò & realiter ab illo, ſed ſolùm obiectiuè, nec ſic propriè ab illo, ſed potiùs illius, vt ſupra. Nec idem eſt actiuum & agens, actio & actus: ſed actio eſt ab agente, vt cauſante vel producente; actus, eſt formaliter ſui actiui, vt habentis & operantis. *Ad* 8. Dicere, eſt exprimere obiectum actiuè, & dictio eſt ipſa actio exprimendi: ſed intelligere eſt formaliter exprimere obiectum, & intellectio eſt formalis obiecti expreſſio. Quæ poteſt quidem eſſe terminus formalis dictionis, ſeu verbum mentis: ſed poteſt etiam eſſe, & eſt in Deo improducta. Intellectio exprimit formaliter ſolum obiectum ſibi ipſi: ſed dictio exprimit illud quaſi alteri. Deus eſt obiectum per ſe ſibi ipſi expreſſiſſimum obiectiuè & formaliter, proprio actu improducto: ſed poteſt etiam æqualiter dici ſeu exprimi alteri æquali; non tàm vt præexiſtenti, quàm exiſtenti hac ipſa æquali expreſſione. Vt infra, de Myſt. S. Trin. *Ad* 9. Vt comprehenſio, ſic & Verbum Dei, eſt ex ſolo Deo obiectiuè: ſed omnium poſſibilium ac futurorum ſolùm terminatiuè. Hinc Verbum eſt ſolius Dei vt obiecti infiniti, ex quo ſolo habet ſuam infinitam perfectionem: ſed poſſet dici omnium terminatiuè, & exemplariter. *Ad* 10. Speculum finitum non poteſt plura ſimul repræſentare, niſi imperfectè & cõfusè: ſed obiectum totum & totaliter infinitum non poteſt vlla multitudine confundi. *Ad* 11. Siue poſſint eſſe ſimul actu infinita, ſiue tantùm potentia & ſucceſſiuè in infinitum: poſſunt à Deo ſimul actu obiectiuè & formaliter repræſentari, prout poſſunt eſſe; quia qualia ſunt in eſſe aut poſſe eſſe, talia & poſſunt à Deo intelligi. Imò videntur infinita poſſibilia in ſola potentia, ſeu ſucceſſiuè in infinitum, poſſe ſimul actu in Deo repræſentari, & ab eo cognoſci. Quia omnia & ſingula poſſibilia continentur in Omnipotentia Dei: ergo & obiectiuè, & formaliter repræſentantur in Deo. *Ad* 12. Quæ ſunt extra Deum entitatiuè: non ſunt vltra intenſiuè, nec extenſiuè: ſed potiùs citra, & infra infinitè. *Ad* 13. Vt quantillacunque viſio Dei poteſt terminari ad totum Deum vt infinitum, quia non terminatur infinitè, nec intrinſecè: ſic & intellectio Dei poteſt terminari ad infinita, ſingula finita; quia nec ſe finit ac contrahit ad illa, nec terminatur ad illa vt ſibi realiter extrinſeca ſed obiectiuè

Digitized by Google

intrinſeca. *Ad* 14 Finita non terminant cognitionem Dei intrinſecè, nec ſe ſe illi adæquando, aut realiter proportionando: ſed ab illa finiuntur, & aſſimilantur, ſeu ſimilitudinariè proportionãtur, & infinitè exceduntur. *Ad* 15. Quæſt. 13. De perfectione Voluntatis Dei. *Ad* 16. Si Deus velit conditionatè: ſcit conditionata, non tamen conditionatè, nec incertè, ſed certiſſimè. *Ad* 17. Non ſunt ex ſe poſſibilia, nec ſcibilia, poſitiuè, ſed negatiuè: ſunt autem poſitiuè poſſibilia, & ſcibilia Deo obiectiuè ex ſua Eſſentia, & Potentia; ſed proximè & exemplariter per intellectum. *Ad* 18. Impoſſibilia, falſa, & mala non ſunt poſitiuè ſcibilia ſimplici conceptu talium: ſed veritas complexa, ſeu negatiua talium, eſt ſcibilis. *Ad* 19. Deus ex omnibus poſſibilibus decreuit non ſolùm futura, ſed etiam non futura: ergo præter ſcientiam poſſibilium, & præſcientiam futurorum, eſt etiam præſcientia abſoluta omnium non futurorum, ex decreto poſitiuo. *Ad* 20. Si ſint aliqua ſolùm conditionatè volita, & futura: non tamen præſciuntur conditionatè; ſed certò & abſolutè vt conditionata, ſeu ſolùm cõditionatè futura; ideóque non aliqua ſcientia mediâ, ſed vel vt poſſibilia, vel vt futura.

Vt patet ex *B. Aug.* ſupra, *col.* 359. 360. Sed dubium eſt, an neget omnem cognitionem futurorum ſub conditione: an verò ſolam eorum præſcientiam vt futurorum, vel vt motiuam puniendi aut præmiandi, vel etiam vt directiuam prouidentiæ Dei circa liberum arbitrium.

Reſp. Non negat Deo præcognitionem omnium bonorum, vt ſibi poſſibilium independenter ab omni conditione noſtra naturali: nec malorum vt futurorum ex defectu liberi arbitrij ſine gratia; ſed negat præſcientiam talium, vt futurorum; & præcognitionem vllius boni ex quacunque conditione naturali ſine gratia; & omnem punitionem, præmiationem, & directionem prouidentiæ Dei ex vlla præcognitione naturalium conditionum. Quia nulla conditio naturalis poteſt eſſe cauſa, vel diſpoſitio neceſſaria ad vllum bonum actum liberum, ſed tantùm ad malum: ergo ex nulla tali poteſt prænoſci bonum, ſed malum; non vt obiectum liberum iuſtitiæ, ſed vt neceſſarium. Nec poſſunt bona ſub conditionè futura, à Deo præſciti ex conditione ſuæ propriæ voluntatis .i. Si vellet dare talem, vel tantam gratiam: quia cùm voluntas Dei & omnis eius reſolutio ſit ab æterno, non poteſt habere vllam rationem futuri, ſed æterni. Sicque facilè explicãtur omnes prædictiones futurorum ſub conditione: vel de malis certò futuris, ex ſolo defectu liberi arbitrij ſine gratia; vel de bonis certò futuris ex gratia efficaci, non autem ex vlla conditione naturali. Vt 1. *Reg.* 23. Si Dauid manſiſſet in Ceila, tradidiſſent eum viri Ceilæ, ex timore, & perfidia à Deo præcognita ex propria voluntate nõ dandi eis gratiam fidelitatis. *Matt.* 11. *Luc.* 10. *Si in Tyro & Sidône factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis: olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent* .i. Vt *B. Aug. Lib. de Dono perſeuerantiæ cap.* 14. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ: quo moueantur ad fidem, ſi congrua, vel ſuis mentibus, vel verba audiant, vel ſigna conſpiciant; & tamen ſi Dei altiore conſilio à perditionis maſſa non ſunt prædeſtinationis gratia diſcreti, nec ea ipſis adhibẽtur dicta diuina, nec facta, per quæ poſſent credere, &c. Non erant ergo ſic excoecati oculi, nec ſic induratum cor *Tyriorum & Sydoniorum*: quoniam crediſſent, ſi qualia viderunt iſti ſigna vidiſſent, &c. Verum de *Tyrijs & Sydonis* aliquo alio modo fortaſſis poteſt intelligi.] Quibus vltimis verbis, vel reuocat priorem ſenſum, vel præfert aliquem alium ſecretiorem, vel vtrumque reſoluit in hunc: quòd *Tyrij & Sydonij* faciliùs fuiſſent ad Chriſtum conuerſi, quàm Iudæi; quia illi minùs erant à Chriſto auerſi, ſua infidelitate, quàm hi inuidia & malitia directè oppoſita gratiæ neceſſariæ. Cùm enim Deus non det gratiam externam ſine interna, niſi vbi eſt oppoſitio: non fuiſſet in illis tanta oppoſitio, ideoque data fuiſſet gratia & conuerſio. De quo Quæſt. 17.

QVÆSTIO XIII.

De perfectione Voluntatis Diuinæ.

QVę poteſt diſtingui pluſquam perfectio intellectus. 1. In Eſſentialem, Potentialem, Habitualem ſeu affectiuam, actualem; & ſi cuius paſſionis, vt delectationis. 2. In perfectionem formalem volendi, ſeu formaliter operandi: & ſi quam ſpirandi ſeu producendi actum voluntatis. 3. In perfectionem intenſiuam, vt adæquatam obiecto primario: & extenſiuam, ad omnia obiecta volibilia, vel nobilia, volenda vel nolenda, & volita vel nolita. 4. In voluntatem ſimplicis cõplacentiæ, vel efficacem; abſolutè, vel conditionatè. 5. In voluntatem Beneplaciti, & Signi. 6. In Antecedentem, & Conſequentem. De quibus plurima *Alenſis* P. 1. q. 24. De Præſcientia Dei, vt eſt practica. *Qu.* 25. De Diſpoſitione Diuina, ſeu vt ordinante omnia inter ſe facienda, aut futura, vel non. *Quæſt.* 26. De Prouidentia Dei generali, vt ordinante omnia facta: ſed ſpeciali circa creaturam rationalem. *Quæſt.* 27. De Fato, vt diſpoſitione cauſarum ſecundarum, & prouidentia Dei ad certos effectus. *Quæſt.* 28. De Prædeſtinatione, vt actu ſpeciali voluntatis & prouidentiæ Dei. *Quæſt.* 29. De Reprobatione, vt eſt ex ſpeciali præſcientia practica. *Quæſt.* 30. De Electione Voluntatis Dei. *Quæſt.* 31. De Dilectione Dei generali ad creaturas. *Qu.* 32. De Dilectione Dei ſpeciali ad creaturas rationales. *Quæſt.* 33. De Libro Vitæ, vt eſt ex voluntate Dei. *Quæſt.* 34. De ipſa Voluntate Dei. *Quæſt.* 35. De Cauſalitate Voluntatis Dei. *Quæſt.* 36. De varia denominatione Voluntatis Beneplaciti, & ſigni. *Quæſt.* 37. De præcepto & prohibitione, vt Signis Voluntatis Dei. *Quæſt.* 38. De Permiſſione, vt ſigno

Digitized by Google

ſigno Voluntatis Dei. *Quæſt.* 39. De impletione Voluntatis Dei,per opera miſericordiæ,& iuſtitiæ. *Quæſt.*40. De ſubiectis Voluntati Diuinæ. *Qu.* 41. De conformatione voluntatis noſtræ cum Diuina. *Quæſt.*43. De ſpiratione ſeu proceſſione Spiritus S. per voluntatem. *Quæſt.* 67. *m.* 3. *a.* 3. De voluntate, ſeu amore, vt appropriato Spiritui S.

S. Bon. *In* 1. *d.* 10. 11. 12. 13. De ſpiratione ſeu proceſſione Spiritus S. vt amoris Dei, à Patre & Filio, per voluntatem. *Diſt.* 17. De Charitate voluntatis, vt propria vel appropriata Spiritui S. vel nobis infuſa. *Diſt.* 18. De Dono voluntatis, vt proprio vel appropriato Spiritui S. *Diſt.* 32. *a.* 1. An Pater & Filius diligant ſe Spiritu S. *D.* 38. De Præſcientia Dei,vt practica,& ex libera voluntate. *Diſt.* 40. & 41. De Prædeſtinatione, electione,& reprobatione, vt ſunt Voluntatis Dei. *Diſt.*45. De Voluntate Dei, eiuſque cauſalitate,& diſtinctione in voluntatem Beneplaciti, & quintuplicis Signi. *Diſt.* 46. De impletione Voluntatis Dei. *Diſt.* 47. De Efficacia Voluntatis Dei. *Diſt.* 48. De conformitate voluntatis noſtræ cum Diuina.

Scotus in 1. *d.* 1. De obiecto, fine, & actu fruitionis: ſed ſpecialiter *Q.* 5. De Fruitione Dei à ſeipſo. *Diſt.* 10. 11. 13. De ſpiratione ſeu proceſſione Spiritus S. vt amoris Dei, per Voluntatem Patris & Filij. *Diſt.* 13. De Charitate voluntatis, vt propria, vel appropriata Spiritui S. vel nobis infuſa *Diſt.*32. An Deus Pater, & Filius, diligant ſe Spiritu S. *Diſt.* 39. *q.* 1. De libertate Voluntatis Dei. *Diſt.* 40. 41. De Prædeſtinatione & reprobatione. *Diſt.* 45. *q.* 1. An Deus ab æterno voluerit alia à ſe. *Diſt.* 46. *q.* 1. An voluntas Beneplaciti Dei ſemper impleatur. *Diſt.*47. *q.* 1. An permiſſio Dei ſit aliquis actus voluntatis eius? *Diſt.* 48. *q.* 1. An voluntas noſtra ſit moraliter bona, quandocunque conformatur Diuinæ. *Quodl.*16. De libertate,& neceſſitate naturali agendi,ipſius etiam Dei.

Sed nec ex his omnibus ſatis conſtat. 1. An Voluntas Dei non ſit æquè eſſentialis,ſeu de eſſentia, imò formalis, & formalior Eſſentia Dei, quàm Intellectualitas. Cùm 1. *Ioan.* 3. Deus dicatur potiùs eſſe *Charitas*, quę eſt formaliter Voluntas,quàm vlla alia perfectio attributalis: ſitque vltima ſeu ſumma perfectio, & Beatitudo Dei. 2. An & in quo differat formaliter ab eſſentia, & intellectu. 3. An & quomodo ſit libera,in operando formaliter,& principiando,extra,vel etiam intra ſeipſum. 4. An ſit formaliter virtus, vel habeat in ſe formaliter aliquas virtutes, Theologicas vel morales, & quam vel quas,quàmque inter ſe & ab ipſa voluntatè diſtinctas? 4. An ſit vel habeat formaliter aliquem actum ex ſe & per ſe efficacem:an verò nonniſi per potentiam executiuā. 5. An habeat aliquem actum inefficacem ſolius ſimplicis complacentiæ: vel etiam ſolùm conditionatè efficacem. 6. An habeat formaliter aliquam paſſionem, qualem, & quàm ab actu diſtinctam. 7. An & quam habeat omnium & ſingulorum bonorum vel etiam malorum prouidentiā. 8. An habeat formalem affectum, vel ſolum effectum charitatis, & aliorum virtutum extra ſeipſum. 9. An dirigatur aliquā ratione volendi, & agendi extra ſe. 10. An & quod habeat, motiuum vel finem volendi & agendi, diſtinctum à propria libertate. 11. An, & quomodo velit vel nolit omnia alia à ſe. Ex quibus omnibus,quędam reſeruabimus in diſtinctas Quæſt. De Beatitudine formali,ſeu fruitione Voluntatis Dei. De Sanctitate ſeu perfectione morali Voluntatis Dei. De Potentia ſeu Omnipotentia Dei. De Prædeſtinatione & Reprobatione: vt principali ſecreto Voluntatis & Prouidentiæ Dei circa creaturas rationales. Reliqua, De Perfectione & perfecta libertate Voluntatis Dei, noſtræque ab ea participatione, dependentia, & protectione: poſſunt breuiter hac *Reſp.* perſtringi; deinde ſimul & ſeorſim probari, explicari, & ſuſtineri.

Reſponſio.

DEus eſt infinitæ perfectionis, Eſſentialis & Attributalis,potentialis,habitualis,& actualis: in volendo,amando,& delectando Seipſum, ex ſeipſo, actu & affectu improducto; & ſpirando amorem ſuiipſius eiuſdem perfectionis ſecum ipſo; eodemque actu, non affectu, volendo vel nolendo ab æterno,non ſolùm ſimpliciter & conditionatè, ſed efficaciter & abſolutè, ex ſe ſolo vt motiuo, in ſe ſolo vt exemplari, ſibi ſoli vt fini cui, propter ſe ſolum vt finem aliorum, non ſui, omnia volibilia vel nolibilia; modo quodam libero, vt eſſentiali ſolius voluntatis, nihil operandi formaliter, aut agendi, niſi proprio motu volendo ſuum actum, ſed neceſſariò obiecta ex ſe neceſſaria, contingenter autem non neceſſaria, ſed contingentia. Quomodo differt formaliter à modo & perfectione intellectus, operandi & agendi naturaliter, ſeu ex motiuo,& motu determinato ab obiecto. Sed vna eademque voluntas Dei in ſe: ex diuerſis obiectis, & modis ea volendi,variè & rectè diſtinguitur,vt ſupra,& infra.

1. Ex ſacra Script. quæ tribuit Deo eſſentialiter Charitatem ſui, 1. *Ioan.* 3. *Deus Charitas eſt*: & perfectionem omnia operandi *propter ſeipſum*, *Prou.* 16. Propter nomen ſuum, *Exod.* 32. *Pſal.* 24. 1. *Reg.* 12. *Matt.* 6. nec agere niſi quæ, quando & vbi vult. Vt *Iob.* 21. *Deus quodcunque voluit hoc fecit.* Pſal. 5. *Scuto bonæ voluntatis coronaſti iuſtum.* Pſal. 17. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Pſal. 23. *Saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Pſal 29. *Vita in voluntate eius.* Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, &c.* Pſal. 40. *In hoc cognoui quoniam voluiſti me.* Pſal. 50. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua.* Pſal. 72. *In voluntate tua deduxiſti me.* Pſal. 110. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Pſal. 113. 134. *Deus omnia quæcunque voluit fecit.* Prou. 19. *Voluntas Domini manet in æternum.* Prou. 21. *Cor Regis in manu Dei: quocunque voluerit inclinabit illud.* Sap. 9. *Quis poterit cogitare quid velit Deus?* Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodo enim potuiſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? Parcis autem omnibus quia tua ſunt: Domine qui amas animas!* Cap. 12. *Subeſt tibi cùm volueris poſſe.* Eſa. 46. *Omnis voluntas mea fiet.* Eſa 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Matt. 6.

Digitized by Google

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra. Matt.8. Marc.1. Luc.5. *Si vis, potes me mundare.* Matt.20. *An non licet mihi quod volo facere?* Matt. 26. Marc. 14. *Non quod ego volo, ſed quod tu.* Luc.2. *Pax hominibus bonæ voluntatis* .i. Diuinæ. Luc.19. *Quoties volui, & noluiſti.* Cap.22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Ioan. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat.* Cap. 4. *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris.* Cap. 5. 6. *Non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit.* Rom.9. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali: vt ſecundùm electionem Dei propoſitum maneret, &c. Scriptum eſt,* Mal.1. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, &c. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, &c. Voluntati eius quis reſiſtit? O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* Rom. 12. *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* 1.Cor.12. *Spiritus S. diuidens ſingulis prout vult.* Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, &c. Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* 1.Tim.2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Pſal. 93. *Deus vltionum liberè egit.* Ioan. 8. *Veritas liberabit vos, &c. Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* Rom.6. *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Gal. 4. *Non ſumus Ancillæ Filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberauit.* 2. Cor. 3. *Dominus Spiritus eſt: vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Iac. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.*

2. Ex ſacris Symbolis, Concilijs, Præceptis, & Precibus: quibus profitemur Deum eſſe Creatorem omnium ab initio temporis, ex libera voluntate; non ab æterno, vel ex vlla neceſſitate. Profitemur etiam non ſolùm eſſe liberum Authorem Naturæ: ſed & potiùs gratiæ, ac gloriæ: precamurque dependenter ab eius libera voluntate, *Fiat voluntas tua, &c.* Denique, proteſtamur eius ſupremam voluntatem, per eius præcepta, & noſtram obedientiam.

3. Ex SS. Patribus, Voluntatem Dei præ omnibus eius perfectionibus, colentibus, adorantibus, ſuſpicientibus, & commendantibus. Vt *S. Dion.* non quidem ſub expreſſo nomine Voluntatis Dei, ſed Amoris, *Cap.* 4. *Diu. Nom.* Ipſe quoque Author omnium, pro Bonitatis magnitudine omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, conuertitque omnia. Eſt etiam Diuinus Amor bonus, & boni, & propter bonum. Ipſe enim Author beneficus entium amor: cum antea in bono excellenter eſſet, nequaquam ipſum in ſeipſo manere infœcundum permiſit; ſed ipſum ad operandum mouit per excellentiam cuncta gignentem. Et nemo nos arbitretur præter ſacræ Script. authoritatem amoris cognomen introducere. Eſt enim irrationabile affigi dictionibus, &c. Sciendum eſt enim quòd vocabulis vtimur, ſenſuum gratiâ, &c. Cùm verò Mens per ſenſibilia agi ad intelligibiles ſtuduerit motus: illi ſenſus præferuntur, qui liquidiùs noſtram intelligentiam adiuuant, &c. Sed qui Amoris vocabulum in ius trahunt: audiant, *Prou.* 4. *Ama Sapientiam, & ſeruabit te.* Atqui viſum eſt pleriſque ex noſtris diuinius eſſe amoris, quàm dilectionis nomen. Scribit enim Diuinus Ignatius: *Amor meus crucifixus eſt.* Ne ergo metuamus hoc amoris nomen, &c. Apud eos qui Diuina rectè audiunt, tantundem valet dilectionis, & amoris nomen. Eſtque hoc virtutis cuiuſdam vnificæ: quæ in pulchro & bono, propter pulchrum & bonum antea ſubſtitit; & ex pulchro & bono, pulchri & boni cauſa emanat ad nos, &c. Eſt autem extaſim faciens Diuinus Amor, amatore ſui iuris eſſe non ſinens, ſed in ea quæ amat penitùs transferens. &c. Idcirco *Gal.* 2. *Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus, &c.* Audebimus & id pro veritate loqui: quod ipſe quoque author omniũ, pulchro & bono amore omnium, pro amatoriæ bonitatis magnitudine extra ſe ſit, ad omnia quæ ſunt pertingendo, veluti bonitate ac amore mulcetur; & ex ſupremo illo ſtatu, ad id vt inter omnia ſit, ſemet demittit. Quocirca, Zelotem illum qui Diuina callent, appellant, *Exod.*20. Quid autem ſibi volunt Theologi, qui aliquando amorem ipſum vocant, aliquando verò amabilem? Alterius nempe author, alter verò ipſe eſt: altero mouetur, altero mouet; ſiue quia ipſe ſuiipſius, & ſibiipſi motor eſt, &c. Amorem, ſiue Diuinum, ſiue Angelicum, ſiue ſpiritualem, ſiue animalem, ſiue naturalem dixerimus: inſitiuam quandam intelligamus commiſcentemque virtutem, &c. Quibus ſupereminent ſpiritualium amorum ordines & diſtinctiones, &c. Has rurſus in vnum colligentes, dicamus: Vna quædam eſt ſimplex virtus ſeipſam mouens ad inſitiuam quandam concretionem, ex ſummo Bono ad extremam vſque ſubſtantiam; à quo per omnia ad bonum ipſum ex ſe, per ſe, & in ſeipſa ſeipſam circuiens, & in ſeipſam ſemper eodem modo remanens, &c.

Cap. 9. Sub nomine ſtatus & motus. Deus in ſeipſo manet, in ſua immobili identitate ſtabiliter fixus atque fundatus: & ſecundùm eadem, circa eadem, eodemque modo operatur, penitùſque ſubſiſtit, nuſquam ex ſeipſo migrando, & omni mutatione ac motu carendo, ineffabili modo. Moueri cum religiosè putandum eſt: non per corruptionem aut immutationem, ſed ex eo quod omnium prouidentiam gerat, &c. Sed & motus immobilis Dei dignè & piè laudari conuenit. Ac rectum quidem intelligere oportet in Deo, indeflexibilem conſtantiam, proceſſumque actionum nuſquam inclinantem, &c.

Sub finem *Cap.* 4. De prouidentia voluntatis Dei. Si Prouidentia eſt, quomodo fiunt mala? Nihil in rebus Prouidentiæ gubernatione deſeritur, &c. In omnibus quæ ſubſiſtunt Diuina Prouidentia eſt: nihilque ex his non Prouidentia agitur. His quoque qui fiunt mali, benignè prouidentia: vtitur ad illorum, ſiue aliorum communem, vel priuatam vtilitatem. Ideo abſurdam multorum rationem non admittimus: qui aſſerunt oportuiſſe prouidentiam inuitos etiam nos ad virtutem ducere. Neque enim eſt Prouidentiæ violare naturam. Quocirca vt prouidentia cuiuſque naturæ eſt ſeruatrix: eis quæ per ſe mouentur, vt libero vtuntur arbitrio, prouidet; omnibuſque & ſingulis, vt ſingulorum natura capit, pro modo cuiuſque prouidentiſſimas bonitates impertit.

S. Iu-

Digitized by Google

S. Iuſtinus Martyr, Quæſt. 9. Gentilium. An Deus faciat cum conſilio, vel ſine conſilio? *Reſp.* Facit ſua voluntate. Fecit enim creaturam, quæ priùs non erat, quia voluit: cuius ſtatum idem ſua prouidentia tuetur, &c. Quòd autem voluntate fecerit Deus mundum, hinc perſpicitur: quòd cum poſſet facere plures Soles, fecit vnum, &c. Cur non fecit plures; niſi quia noluit? Quòd ſi quos non fecit Soles, voluntate non fecit: ſequitur vt quem fecit, voluntate fecerit, &c. *Quæſt.* 10. An conſilio facit Deus, vtens inſtrumento, an ſine inſtrumento? *Reſp.* Non eget Deus vlla re quæ ſit extra ſuam naturam, &c. Simul atque vult aliquid fieri, id conſiſtit, &c. *Quæſt.* 11. An ſine ratione facit Deus, vel cum aliquo iudicio? *Reſp.* Neceſſe eſt vt ratione cognoſcat quæ facit, &c.

Tertull. Lib. De Oratione. Fiat voluntas tua, &c. Non quòd aliquis obſiſtat, quò minùs voluntas Dei fiat, &c. Petimus ergo ſubſtantiam, & facultatem voluntatis ſuæ ſubminiſtret nobis, vt ſalui ſimus: quia ſumma eſt voluntatis eius, ſalus eorum quos adoptauit. *Lib. ſeu exhortatione ad caſtitatem, & monogamiam.* Modeſtiæ laus eſt, ablatum non deſiderare: & ablatum à Deo, ſine cuius voluntate nec folium de arbore labitur, &c. *Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c.* Ideo ſi nuptias ablatas reſtauremus, ſine dubio contra voluntatem Dei nitimur; volentes rurſus habere, quod habere nos noluit. Si enim voluiſſet, non abſtuliſſet. Niſi & in hoc voluntatem Dei interpretamur: quaſi rurſus vellet in nos, quod iam noluit. Non eſt bonæ & ſolidæ fidei, ſic omnia ad voluntatem Dei referre, & ita adulari: dicendo nihil fieri ſine iuſſione eius; vt non intelligamus aliquid eſſe in nobiſipſis. Cæterum excuſabitur omne delictum: ſi continuerimus nihil fieri à nobis ſine Dei voluntate, &c. Vtique quæ vetat, non vult: vt & quæ vult, præcipit & accipit, &c. Itaque cùm ex præceptis eius didicerimus, quid velit, & quid nolit: iam nobis eſt voluntas eligendi. Sicut ſcriptum eſt, *Poſui ante te bonum, & malũ. &c.* Ideo non debemus quòd noſtro expoſitum eſt arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipſe velle & nolle, qui malum non vult. Ira noſtra eſt voluntas, cùm malum volumus, aduerſus Dei voluntatem, qui bonum vult. Si quæris vnde veniat iſta voluntas? Ex nobiſipſis, &c. Igitur in hoc probatur noſtra in Deo mens: an ea velimus, quę voluntatem eius ſapiunt. Recogitanda eſt voluntas Dei, quid etiam in occulto velit, &c. Non omne quod permittitur ex mera & tota voluntate procedit eius qui permittit. Ex indulgentia eſt, quodcunque permittitur. Quæ etſi ſine voluntate non eſt: quia tamen aliquam habet cauſam in eo cui indulgetur, quaſi de inuita venit voluntate, paſſa cauſam ſui, quæ cogit voluntatem, &c. Vult nos Deus ſibi placita, &c. Præponit quæ magis vult. Dubiumne eſt ea nobis taxanda eſſe quæ mauult, quàm quæ minùs vult? Nam oſtendendo quæ magis velit, minorem voluntatem maiore deleuit, &c.] Quæ cùm ſint in ſolum conſilium monogamiæ, refert erroneè ad præceptum.

S. Cypr. Serm. De Oratione Dominica. Fiat voluntas tua, &c. Non vt Deus faciat quod vult: ſed vt nos facere poſſimus quod Deus vult. Nam Deo quis obſiſtit, quominus quod velit faciat? Sed quia nobis à Diabolo obſiſtitur: petimus vt fiat in nobis voluntas Dei, quæ vt fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate .i. ope.

S. Greg. Niſſ. Lib. 5. Philoſophiæ, De voluntario, & inuoluntario. Cap. 1. Vtrumque in actione verſatur. Quidam autèm & verè voluntarium non ſolùm in patiendo, ſed agendo quoque ponunt. Actio eſt rationis operatio. Actionem autem laus vel vitium ſequitur. Sunt igitur ſigna voluntarij, laudem vel vituperationẽ ſequi, & cum voluptate agi, & eligibiles eſſe actiones his qui agunt, vel ſemper, vel cum geruntur. Inuoluntarij autem indicia ſunt venia vel miſericordia dignos fieri, & cum triſtitia geri, & non eſſe eligibiles. Inuoluntariorum, hæc violentia quadam aguntur: illa verò per ignorantiam, &c. Inuoluntarium vi, eſt cuius principium actiuum exterius eſt, nihil conferente paſſo. Cùm propter maiorum malorum timorem, minus malum quis eligit, vel propter maioris boni ſpem: nequaquam inuoluntariam ſuſtinet actionem vel paſſionem, &c. Igitur ex inuoluntario, & voluntario, mixtæ ſunt. *Cap.* 2. Eorum quæ per ignorantiam fiunt, duæ ſunt ſpecies: vna non voluntaria, altera inuoluntaria, &c. Non voluntarium habet principium inuoluntarium, finem verò voluntarium. Nam ex euentu, voluntarium, fit inuoluntarium: quod cùm voluntarium ſit, triſtitiam & pœnitudinem affert. Aliud eſt per ignorantiam quid facere, aliud ignorantem. Si enim in nobis fuerit ignorantiæ cauſa: ignorantes facimus, non per ignorantiam, &c. Singularia quidem inuiti: vniuerſalia autem volentes ignoramus. Singularia ſunt circumſtantiæ: Quis, Quid, Vbi, Quando, Qualiter, Propter quid. *Cap.* 3. *De Voluntario.* Eſt quod neque vi, neque ignorantiâ fit, &c. Voluntarium eſt, cuius principium exiſtit in ipſo ſciente ſingularia in quibus eſt actio. Voluntarium & inuoluntarium, in his quæ in poteſtate noſtra ſunt, conſiſtunt. *Cap.* 4. *De Electione.* Omne quod eſt ſecundùm electionem, voluntarium eſt: ſed non conuertitur, &c. Etenim pueri, & irrationalia voluntariè agunt, non tamen eligunt. Quæ per iram non prædeliberati voluntariè facimus, non eligimus, nec cùm repentè lætamur, &c. neque appetitus eſt electio, &c. Neque voluntas, &c. Dicimus enim velle ſanum eſſe, non eligere, &c. Velle etiam de impoſſibilibus dicitur, non eligere, &c. Voluntas eſt finis, electio verò eorum quæ ad finem, &c. Electio itaque eſt mixtum quid ex conſilio, iudicio, & appetitu, &c. Ex æthimologia, eligibile eſt alterum pro altero legibile, &c. Concluditur electionem eſſe appetitum conſultatiuum eorum quæ ſunt in nobis. Quod enim conſilio decreuimus, eligendo cupimus. *Cap.* 5. *De Conſilio.* De his conſultamus, quæ in nobis ſunt, & per nos fieri poſſunt, atque incertum habent finem. *Lib.* 6. *De Fato. Cap.* 1. Contra Fatum Stoicorum, ex motu & impetu Aſtrorum. *Quod ſi impetus ex neceſſitate ſequatur, vbi conſiſtent quæ ſunt in nobis. Liberum enim eſſe oportet quod eſt in nobis* .i. *in noſtra poteſtate. Cap.* 2. Contra Fatum Ægyptiorum etiam per aſtra: ſed quorum vis per quaſdam orationes

& virtutes auerti poſſit. *Cap.* 3. Contra eos qui tribuunt nobis liberam electionem, ſed Fato omnem euentum. *Cap.* 4. De Fato *Platonis*, ſecundùm legem ineuitabilem prouidentiæ Dei. *Lib.* 7. De Libero Arb. *Cap.* 1. Quædam ſunt in noſtra poteſtate. *Cap.* 2. Illa ſunt omnia quæ per nos voluntariè gerũtur,&c. Principaliter autem in nobis ſunt, omnes animæ actiones,& ea de quibus conſultamus, &c. Similiter contingens eſt, quod tum ipſum poſſibile nobis, tum oppoſitum eius, cuius electionem intellectus noſter facere videtur, &c. Inſuper in nobis ſunt energiæ, ſecundùm artem, & virtutes, & omnes operationes animales, & rationales, &c. Sed, aiunt, qualiter arbitrio liber eſt homo: cùm *Hier.* 10. in ipſo non ſit via eius? Talia blaterant, ignorantes quo pacto dicatur Liberum Arbitriũ. Non enim bonorũ quę fortuita cognominantur, vel eorum quæ ſecundum prouidentiam finem accipiunt, poteſtatem habemus: ſed actionum ſecundùm virtutem & vitium, & electionum, & motuum, & quorum ſimiliter oppoſita agere poſſumus. *Cap.* 3. Aut homo non erit rationalis, aut dominium ſuarum actionum obtinebit. Dominari autem actionum, eſt eſſe liberi arbitrij. *Infra.* Ideo facultatem electiuam vertibilẽ habemus: quia natura vertibiles ſumus. Non tamen vt mali ſimus, Deum quis cauſam eſſe dixerit. Neque in poteſtate noſtra vitia ſunt, ſed in habitibus: habitus autem ſecundùm electionem acquiruntur, &c. Omnis autem electiua poteſtas eadem oppoſitorum eſt. *Lib.* 8. *De prouidentia Dei. Cap.* 1. Quòd ſit, per eadem quis demonſtrauerit, quibus Deum eſſe oſtendimus, &c. *Cap.* 2. Quid ſit. Eſt procuratio Dei circa ea quæ facta ſunt. Eſt Volũtas Dei, per quam omnia quæ ſunt, conuenientem deductionẽ ſuſcipiunt,&c. Neceſſe autem eſt, eundem eſſe factorem, & Prouiſorem. Neque enim decens eſt alium facere, alium quæ facta ſunt prócurare. Omne enim quod genuit, procurat eſcam ei quod genitum eſt. *Cap.* 3. Quorum ſit: an vniuerſalium tantùm, vel & ſingularium. *Plato* vniuerſalia & ſingularia per prouidentiam Dei diſponi exiſtimat, &c. Sed Deum primum prouidere generationi indiuiduorum per Deos qui cœlum circumeunt,&c. Stoici qui fatum affirmant, nullum locum prouidentiæ reliquerunt, &c. *Cap.* 4. Contra *Ariſt.* Quòd 12. *Methap.* neget Deum curam habere ſingularium. *Cap.* 5. Deus huic Bono confert pauperiatem, ſciens quod mentem eius diuitiæ ſubuertant: Sciens autem diuitem peiorem futurum ſi pecunijs priuetur, diuitijs potiri ſinit. *Cap.* 6. Aut Deus ignorat, aut non vult, aut non poteſt prouidere ſingulis. Sed ignorantia à Beata illa Subſtantia aliena eſt,&c. Nolle, aut eſt ob pigritiam, aut ob indecentiam,&c. Aut ex contemptu ſingularium, aut ex timore inquinationis. Non ſunt niſi hominum Dei naturam neſcientiũ, hæc dogmata. Dixerit quis Deum non poſſe, aut quod ipſe non ſit natus prouidere, aut quod particularia non ſint ſuſceptibilia prouidentiæ. Sed confitentur eum prouidere vniuerſalibus, &c. Cæterùm indiuidua eſſe etiam ſuſceptibilia prouidentiæ, manifeſtum eſt ex apibus, formicis, hominibus, &c. *Cap.* 7. Singularia gubernari prouidentia, eius cognitio naturaliter nobis inſerta eſt. Neceſſitate enim obruti, confeſtim ad Diuinum Numen & orationes confugimus. *Cap.* 8. & 9. De varijs Dei permiſſionibus, ex ſingulari prouidentia.

Ex *S. Chryſoſt. Libris* 3. De Prouidentia Dei, ad *Stargirium*, ex prænobili Monachum, & ex Prouidentia Dei energumenum. *Lib.* 1. Refert rationes quæ mouebant *Stargirium* ad quærendam deſuper conſolationem: reſpondetque hoc eſſe ſignum magnæ Prouidentiæ circa ipſum, ad eius correctionem & humiliationem. 1. *Cor.* 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis, Angelus Satanæ.* Antea nulla tibi laborum cura erat: ſed ſolius hortuli, &c. Audiui ego tunc plurimos qui te ſuperbum dicerent, ex nobilitate generis, &c. Vigiliarum quàm tum negligens fueris, ipſe melius noſti. *Lib.* 2. Contra tentationem deſperationis,& propriæ necis. Non eſt ſolius dæmonis conſilium, ſed etiam mœroris: imò plus mœroris quàm dæmonis; fortaſſe verò ſolius mœroris, &c. Hunc igitur ex animo fuga: videbis nullam vim reſtare dæmoni, &c. Vt fures nocturni ad lumen tremunt & fugiunt: ſic & dæmon, cùm quis ſumma in Deum ſpe aſſurgens, ad Solem iuſtitiæ confugerit,&c. Quomodo, inquies, poſſit quis hoc dolore liberari, niſi priùs eripiatur à dæmone? Non dæmon eſt qui mœrorem mouit: ſed mœror potiùs vires dæmoni adminiſtrat, &c. 2. *Cor.* 2. *Ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui talis eſt.* Concedamus dæmonem acriùs inſtare: pulſo ex animi mœrore, quid ille poſſit contra nos? At verò mœror, abſente dæmone, multa per ſe horrenda efficit, &c. Quomodo, inquies, poſſum non affici mœrore? Si à multitudinis opinione, quam habet de hac re, longiſſimè recedens, ſola ſuperna ſentias, &c. An verò tuorum religione ſociorum gratiâ afficeris? Si his in ſumma continentia & ſobrietate degentibus, tu in ludis & commeſſationibus tempus conſumeres: rationabilis eſſet hic mœror tuus. Sin autem eandem incedis viam, quid angeris? Tanta didici tibi religionis accidiſſe incrementa: vt cum magnis viris virtute contendas, &c. Ergone non meritò dicebam mœrorem hunc præſumptæ ſolùm eſſe opinionis: ſummas verò nobis lætitiæ materias præbere? At fortè erubeſcis, cùm dæmon te ſub oculis aliorum deijcit, &c. Hoc non eſt cadere, ſed in peccatum corruere: De hoc caſu erubeſcere conuenit, &c. Vtile quidem eſt erubeſcere: ſed cum aliquid geſſerimus quod ille Iudex dignum cruciatu iudicet. Sed fortè dolenda iudicantur probra ab alijs. Iſti reuera inſani ſunt, ac dæmonio pleni, &c. Sed Patri, inquies, timeo: ſi quid horum illum explorare contigerit. Eſt maximæ puſillanimitatis, de incertis ſe mœrore conficere, &c. Concedamus illum cuncta noſciturum, plurimaque furioſè & atrociter facturum. Laudo te, ſi illius doleas vicem: cæterùm nolo id cum tuo detrimento facias. Quippe eos qui ſuperna ſapiunt, non ſolùm ira & concupiſcentia, ſed etiam mœrore abſtinere cõuenit. His enim lõgè pluribus nos incommodis afficit, &c.] Poſt multa exempla, & paſſiones SS. Patriarcharum, & Prophetarum.

[Nullus

Digitized by Google

[Nullus niſi Deus inferri tibi hanc tentationem permiſit. Nam ſi *Mat.* 8. nec porcos inuadere Dæmones auſi fuerunt, niſi prius ille permitteret: multò minus animam, &c. Nempe & *B. Iob* non-niſi Deo permittente paſſus eſt, &c. Librum ipſum in manibus ſume, plurimaque ad conſolationem inuenies, &c.

Lib. 3. Proſequitur eiuſdem conſolationem, ab alijs exemplis Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum. Sub finem. [Certum eſt Chriſtianum duas tantùm habere mœroris cauſas: vel cùm ipſe, vel cum proximus offendit Deum, &c. Sit, ſi vis vt dicis hanc eſſe peccatorum tuorum retributionem: non idcirco doles? Gaudere potiùs debes quod hîc peccata tibi remittãtur. Qui enim dolet: non quia cruciatur, ſed quia offendit Deum, dolere debet, &c.

Serm. 1. *De Prouidentia, vel Fato.* Referta eſt hęc vita turbellis, plena tumultibus, &c.] De diuerſis ac diuerſis hominum querimonijs, deq; vſu & abuſu inopiæ, ac diuitiarũ. [Multi Deum arguunt, & mundum nulla gubernari prouidentia arbitrantur: qui ſi non opes, ſanitatem, potentiam, ſed ſolam virtutem bonum putarent, neque alia mala quàm animæ vitia, neutiquam talia dicerent, qualia ſolent.

Serm. 2. De eiſdem. *Qui maledixerit patri, vel matri, morte intereat, Exod.* 21. *&* *Leuit.* 20. Quid dicemus nunc, quando ſub tanta gratia, in tanta ſcientia Deo maledicitur? *Infra. Gen.* 3. Nouit Deus quod eritis ſicut Dij, &c. Deficite à Deo: quia inuidus eſt, &c. Sic & nunc: deficite à Chriſto, &c. Dixit Deus, *Eſa.* 1. *Si volueritis, & ſi non volueritis*: Dominos faciens nos virtutis & vitij; & hoc reliquit in noſtro arbitrio. Ille autem quid dicit? Quicquid fatum decreuit, effugere non poſſumus, etiamſi velimus & conemur, &c. *Eccli.* 15. Deus dicit: *Poſui ante te vitam & mortem, ad quod volueris extende manum tuam.* Dæmon dicit: Non eſt in te, ſed neceſſitate quadam, & vi id agis.

Serm. 3. *De eiſdem.* Contra grauem culpam, & excuſationem fati. A fato deterrere non eſt ex eorum numero quæ oratione indigent, ſed quæ manifeſtaria ſunt. Non minus quippe licet improbum & prohibitum fatum eſſe credere, quàm mœchari & occidere, &c. Nam ſi de adulterio accuſatus dicat, non ego peccaui, ſed coegit me natiuitas, &c. An non propter hoc ipſum grauiores pœnæ ſumendæ?

Serm. 4. Contra omnem diffidentiam, de prouidentia Dei, ex præſenti fœlicitate malorum, & miſeria bonorum.

Serm. 5. Contra omnem neceſſitatem fatalem, eiuſque opinionem, vt pernicioſiſſimam, & contrariam omnibus bonis moribus, legibus, & Fidei Chriſtianæ ac ſaluti.

Sed præ omnibus doctrinaliter, *B. Aug.* Vt ſupra, *Quæſt.* 5. De incommutabilitate Dei, *col.* 255. *Quæſt.* 12. De perfectione intellectus Diuini. *col.* 354. Et *Libro* 11. *Conf. cap.* 11. Ad ipſam Dei ſubſtantiam pertinet voluntas eius, &c. *Lib.* 13. *cap.* 11. Vellem vt hæc tria cogitarent homines in ſeipſis: eſſe, noſſe, velle, &c. Sed non iam ſe putent inueniſſe illud quod ſuper iſta Eſt, Scit, & Vult incommutabiliter. *Cap.* 16. Sicut omnino tu Es, tu Scis, qui Es, & Scis, & Vis incommutabiliter: & Eſſentia tua Scit & Vult; & Scientia Scit & Vult; & Scientia tua Eſt, & Vult; & Voluntas tua Eſt, & Scit incommutabiliter.

Lib. 1. Ex duobus de *Gen. Cap.* 2. Prius diſcant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei noſſe deſiderant. Cauſas enim voluntatis Dei ſcire quærunt: cùm voluntas Dei omnium quæ ſunt ipſa ſit cauſa. Si enim habet cauſam Voluntas Dei, eſt aliquid quod antecedat Voluntatem Dei, quod nefas eſt credere, &c. Qui autem dicit quare voluit Deus facere cœlum & terram? Maius aliquid quærit, quàm eſt Voluntas Dei: nihil autem maius inueniri poteſt, &c. Si quis Voluntatem Dei noſſe deſiderat: fiat amicus Deo; quia ſi voluntatem hominis noſſe quiſquam vellet, cuius amicus non eſſet, omnes eius impudentiam deriderent. Quæſt. 26. ex 83. Nihil maius eſt Voluntate Dei: non ergo eius cauſa quærenda eſt, &c.

Lib. 5. *Ciu.* Contra fatalem neceſſitatem. *Cap.* 1. Si quis regna fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem vel poteſtatem fati nomine appellat: ſententiam teneat, linguam corrigat, &c. Sed qui ſine Dei voluntate opinantur ſidera decernere quid agamus: ab auribus omnium repellendi ſunt, &c. Hæc enim opinio quid aliud agit, niſi vt nullus colatur Deus. Qui verò poſitionem ſtellarum quodammodo decernentium qualis quiſque ſit, ex Dei voluntate ſuſpendunt: magnam cœlo faciunt iniuriam, in cuius velut clariſſimo ſenatu, opinantur ſcelera facienda decerni. *Cap.* 8. Qui omnium connexionem cauſarum fati nomine appellant: non multum cum eis de verbi controuerſia laborandum eſt; quandoquidem illam Dei tribuunt voluntati. Ipſam itaque præcipuè Dei ſummi voluntatem, cuius poteſtas inſuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum, probatur ex *Seneca Epiſt.* 18. *Duc me Summe Pater, &c. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Cap.* 9. Multò tolerabiliores ſunt qui vel ſidera fata conſtituunt: quam Cicero qui tollit præſcientiam futurorum. Nam confiteri Deum eſſe, & negare præſcium futurorum, aperttiſſima inſania eſt, &c. Dum vult homines facere liberos, fecit Sacrilegos, &c. Quomodo ordo cauſarum qui præſcienti certus eſt Deo, efficit vt nihil ſit in noſtra voluntate: cùm in ipſo cauſarum ordine magnum habeant locum noſtræ voluntates? Quapropter & noſtræ voluntates tantum valent, quantum Deus eas valere voluit atque præſciuit: & ideo quicquid valent, certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt, ipſæ omnino facturæ ſunt; quia valituras atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt. Quapropter ſi mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret: magis dicerem fatum eſſe infirmioris, voluntatem potentioris, qui eum habet in poteſtate; quam illo cauſarum ordine quem Stoici fatum appellant arbitriũ noſtrę volũtatis auferri. Vt *in* 2. *col.* 246. 315.

Lib. 22. *cap.* 1. Multa quidem fiunt à malis contra voluntatem Dei: ſed tantæ eſt ille ſapientiæ, tantæque virtutis, vt in eos exitus ſiue fines quos bonos & iuſtos ipſe præſciuit, tendant omnia, quæ voluntati

Digitized by Google

luntati eius videntur aduerſa, &c. Dicitur etiam voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium mandatis eius. De qua *Phil.* 2. *Deus eſt qui operatur in nobis & velle.* Sicut iuſtitia Dei dicitur, non ſolùm qua ipſe iuſtus eſt: ſed etiam quam in homine qui ab illo iuſtificatur, facit, &c. Secundùm hanc voluntatem, etiam velle dicitur quod ipſe non vult: ſed ſuos id volentes fecit; ſicut dicitur cognouiſſe quod vt cognoſceretur fecit. *Gal.* 4. Nunc autem cognoſcentes Deum, imò cogniti à Deo. *Cap.* 2. Multa volunt fieri Sancti eius, ab illo inſpiratâ ſanctâ voluntate, nec fiunt, &c. Secundùm illam verò voluntatem ſuam, quæ cùm eius præſcientia ſempiterna eſt, omnia quæcunque voluit, etiam futura, iam fecit. Verum ante tempus quo voluit vt fierent, &c. dicimus, fiet quando Deus voluerit, &c.

Lib. 3. *Trin. cap.* 4. Dei voluntas in ſpiritibus ſumma pace atque amicitia copulatis, tanquam in excelſa, ſancta, & ſecreta ſede præſidens: vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ, &c. Ac per hoc voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium, &c. Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili, atque intelligibili aula ſummi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundùm ineffabilem iuſtitiam, in iſta totius creaturæ ampliſſima, immenſaque Republica. *Lib.* 15. *cap.* 17. Deus eſt Charitas, 1. *Ioan.* 4. Non quòd Charitas nulla ſit ſubſtantia Dei nomine digna, &c. Sed vt *Ioan.* 4. Deus Spiritus eſt. *Infra.* Vt non ſit aliud ſubſtantia, aliud charitas: ſed ſubſtantia ipſa ſit charitas, & charitas ſubſtantia. *Cap.* 19. Filius charitatis Dei, *Coloſ.* 1. i. Filius ſuus dilectus, vel Filius eiuſdem ſecum ſubſtantiæ. *Cap.* 20. contra *Eunomium.* Non naturæ Dei dixit eſſe Filium: ſed voluntatis Dei, &c. Quidam ne Filium conſilij vel voluntatis dicerent: ipſum conſilium ſeu voluntatem Patris dixerunt. Sed melius dicitur Conſilium de Conſilio, Voluntas de Voluntate, vt Subſtantia de Subſtantia, Sapientia de Sapientia, &c. Sed ſi voluntas Dei propriè dicenda eſt aliqua Perſona: magis hoc nomen Spiritui S. competit, ſicut Charitas. Nam quid eſt aliud Charitas, quàm Voluntas? *Cap.* 21. Amor ſeu dilectio valentior eſt voluntas.

Lib. De Gratia & libero Arb. cap. 17. Imperfecta bona voluntas, ſeu charitas non deerat *Petro, Ioan.* 13. *Enchir.* 95. Deus omnia quæcunque voluit fecit, *Pſal.* 113. Non ergo fit aliquid niſi Omnipotens fieri velit: vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo. *Cap.* 97. Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti! *Matt.* 23. .i. Ea quoque nolente, filios eius collegit ipſe quos voluit. *Cap.* 100. Miro & ineffabili modo non fit præter eius voluntatem, quod etiam fit contra eius voluntatem. Quia non fieret, ſi non ſineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens. *Cap.* 101. Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, &c. Rurſus fieri poteſt, vt velit homo volũtate mala, quod Deus vult bona, &c. Tantùm intereſt, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem. Nam Deus quaſdam voluntates ſuas vtique bonas implet per hominum voluntates malas. *Cap.* 102. Sed quantælibet ſint voluntates Angelorum, vel hominum: Omnipotentis Dei voluntas ſemper inuicta eſt. *Cap.* 103. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. 1. *Tim.* 2. tanquam diceretur, nullum hominem fieri ſaluum, niſi quem ſaluum fieri ipſe voluerit, &c. aut omnes homines, per quaſcunque differentias, &c.

Lib. De Correptione & Gratia, cap. 14. De ijs qui faciunt quæ Deus non vult, facit ipſe quæ vult. 1. *Tim.* 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri, &c.* Multis quidem modis intelligi poteſt: ſed hic vnum dicam, vt intelligantur omnes prædeſtinati; quia omne genus humanum in eis eſt, &c. *Cap,* 15. Poteſt etiam ſic intelligi: quoniam nos facit velle, &c. Si *clamantem ſpiritum* rectè dixit Script. *Rom.* 8. à quo efficitur vt clamemus: rectè & volentem Deum, à quo efficitur vt velimus. Sicut 1. *Cor.* 15. *Omnes in Chriſto viuificabuntur*: quia nulli vitam æternam percipiunt, niſi in Chriſto. 1. *Tim.* 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*: quia omnes qui ſalui fiunt, niſi ipſo volente non fiunt; & ſi quo alio modo illa verba apoſtolica intelligi poſſunt, vt tamen huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſaluos non fieri, contraria eſſe non poſſint.

Lib. De Spiritu & littera, cap. 23. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, 1. *Tim.* 2. non ſic tamen vt eis adimat liberum Arbitrium, quo vel benè vel malè vtentes, iuſtiſſimè iudicentur, &c. Ita voluntas Dei ſemper inuicta eſt. Qui enim dicit, v. g. volo vt omnes ſerui mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes, epulentur: ita vt quiſquis eorũ hoc noluerit in piſtrino ſemper molat: videtur quidem quicunque contempſerit, contra voluntatem Domini ſui facere, ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate.

Epiſt. 106. Quod Chriſtus, *Matt.* 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti* .i. Quamuis ipſa nolente collegit ipſe quos voluit, &c. Hoc & nos clamamus aduerſus eos qui filios volentes Eccleſiæ colligi, nolunt. *Serm.* 29. *De verbis Domini, cap.* 8. Non nobis dicatur, *Matt.* 23. Quoties volui, & noluiſti.

Tract. 41. *in Ioan.* 8. *Veritas liberabit vos.* Nihil eſt aliud propriè, liberat: niſi, liberũ facit, &c. *Infra. Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis.* Hæc eſt ſpes noſtra, vt à libero liberemur, &c.] De qua libertate, vt noſtra in 2. *Sent. q.* 5. *à col.* 245. *q.* 7. *à col.* 275. *q.* 8. *à col.* 424. Sed hic de perfectione & libertate voluntatis ac prouidentiæ Dei circa nos, noſtraq; ab illa dependentia: De qua ſupra ex *B. Aug.* ſpeculatiuè. Sed practicè, *Libris duobus de ordine prouidentiæ Dei*, circa omnia bona & mala noſtra, ſub Dialogo, velut futuræ doctrinæ præludio, inter Diſcipulos *Licentium & Trigeſium. Libris tribus De libero Arb.* contra *Manichæos*, ad tuendam Dei præſcientiam, prouidentiam, & innocentiam ab omni cauſalitate peccatorum noſtrorum. Vt *cap.* 3. contra hanc calumniam: *Neceſſe eſt, vt velim quod Deus præſciuit.* O ſtultitiam ſingularem! Cùm Deus ſit præſcius volun-

Digitized by Google

voluntatis noſtræ : cuius eſt præſcius, ipſa erit. Voluntas ergo erit : quia voluntatis eſt præſcius. Nec voluntas eſſe poterit, ſi in poteſtate non erit: ergo & poteſtatis eſt præſcius. Non igitur per eius præſcientiam mihi poteſtas adimitur, &c. *Cap.* 4. Quia non peccare cogeres, quem peccaturum eſſe præſcires, &c. Vt enim memoria tua non cogit facta eſſe quæ præterierunt : ſic Deus præſcientiâ ſuâ non cogit facienda quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædam quæ feciſti, meminiſti, nec tamen omnia feciſti quæ meminiſti: ita Deus non eſt author omnium quæ præſcit. *Cap.* 9. Decori Vniuerſitatis congruit, vt peccati dedecus emendet pœna peccati, &c. Quid enim tàm magnum in domo eſt, quàm homo : & quid tàm abiectum & infimum, quàm cloaca domus? Seruus tamen in tali peccato detectus, vt mundandæ cloacæ dignus habeatur : ornat domum etiam turpitudine ſua; & vtrumque horum .i. turpitudo ſerui, & mundatio cloacæ, ita diſpoſitæ domui coaptatur, vt eius vniuerſitati ordinatiſſimo decore conueniat. *Cap.* 13. Quid inueniri poteſt in noſtris peccatis, vnde Deus vituperetur: quando vituperatio peccatorum noſtrorum nulla eſt, niſi ille laudetur? *Cap.* 15. Si vituperatio vitiorum, ipſarum etiam quarum ſunt vitia naturarum decus dignitatemque commendat: quantò magis Dei? *Infra.* Defectus non eſt vituperatione dignus, niſi voluntarius, &c. Nullo temporis interuallo eſt peccati dedecus, ſine decore vindictæ. *Cap.* 16. Deus nulli debet aliquid : quia omnino gratuitò præſtat, &c. Ex eo quod non accepit, nullus reus eſt : debet autem, ſi accepit & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem. *Cap.* 17. Voluntas eſt cauſa peccati, tu autem cauſam ipſius voluntatis inquiris : ſi hanc inuenire potuero, nonne & cauſam huius cauſæ quæſiturus es? Et quis erit quærendi modus : cùm te vltra radicem quærere nihil oporteat? *Infra.* Aut igitur ipſa voluntas eſt prima cauſa peccandi: aut nullum peccatum eſt prima cauſa peccandi. Nec eſt cui imputetur rectè peccatum, niſi peccanti : non eſt ergo cui imputetur, niſi volenti, &c.

Epiſt. 65. *S. Aug.* ad *S. Paulinum, de Voluntate Dei diſcernenda.* Poteſt ibi aliquantò diutiùs, & liberiùs habitare gratia oris tui : quonam modo Voluntatem Dei quæ noſtræ præponenda eſt, nouerimus. Vtrum tantùm quia & inuiti cogeremur, &c. Quia ille vult, cuius voluntatis nec excellentiam fas eſt recuſare, nec Omnipotentiam licet euitare, &c. An & vbi eſt poteſtas non mutandi ſententiam : quamuis aliud occurrat in quo potiùs appareat Voluntas Dei; non quia noſtra mala erat, ſed in qua rectè permaneretur, niſi ab illo in alteram vocaremur, vt in Abraham *Gen.* 22. Hinc non dubito nihil aliud videri tibi: ſed plerumque, non per reuelationem, ſed rebus ipſis accidentibus, & ad aliud vocantibus, cogimur agnoſcere Dei veritatem eſſe aliam, quàm erat noſtra, &c. Hic non falli difficilè eſt. *Pſal.* 18. *Delicta quis intelligit?* &c. Hinc oro participem me fieri cogitationum tuarum: quid in talibus facere ſoleas, vel faciendum eſſe reperias. Vt & *Libro de Cathechizandis Rudibus Cap.* 14. Res quidem agendas pro captu noſtro ordinare debemus: quas eo modo quo ſtatuimus ſi peragere potuerimus, non ideo gaudeamus quia nobis, ſed quia Deo ſic eas agi placuit. Si autem aliqua inciderit neceſſitas, qua noſter ille ordo turbetur : flectamur facilè, ne frangamur; vt quem Deus noſtro præpoſuit ordini, ipſe ſit noſter. Æquius eſt enim, vt nos eius, quàm vt ille noſtram voluntatem ſequatur : quia & ordo agendarum rerum quem noſtro arbitrio tenere volumus, ille vtique approbandus eſt, vbi potiora præcedunt. Cur ergo dolemus homines à Deo tanto potiore præcedi : vt eo ipſo quo noſtrum amamus ordinem, inordinati eſſe cupiamus? Nemo enim melius ordinat quid agat, niſi qui paratior eſt non agere, quod Diuina Poteſtate prohibetur, quàm cupidior agere, quod humana cogitatione meditatur. Quia multæ cogitationes ſunt in corde viri : conſilium autem Domini manet in æternum. *Prou.* 16.

S. Proſper ſent. 336. ex *B. Aug.* relata in *Can.* 22. *Conc. Arauſ.* 2. Suam voluntatem homines faciũt, non Dei: quando id agunt quod Deo diſplicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, vt Diuinæ ſeruiant voluntati : quamuis volentes agant quod agunt; illius tamen voluntas eſt à quo præparatur & iubetur quod volunt.

Boetius lib. 5. *De Conſolatione Proſa* 2. Quibus ineſt ratio, ipſis etiam ineſt nolendi volendique libertas. Sed hanc non in omnibus æquam eſſe cõſtituo. Nam ſupernis diuiniſque ſubſtantijs, & perſpicax iudicium, & incorrupta voluntas, & efficax præſto eſt poteſtas. Humanas verò animas liberiores quidem eſſe neceſſe eſt, cùm ſe in Mentis Diuinæ ſpeculatione conſeruant : minùs verò, cùm dilabuntur ad corpora, &c. Extrema verò eſt ſeruitus, cùm vitijs dediti, à rationis propriæ poſſeſſione ceciderint. Nam mox pernicioſis turbantur affectibus: quibus conſentiendo, ſunt quodammodo propria libertate captiuæ. Quæ tamen Deus, ab æterno cuncta proſpiciens, prouidentiæ cernit intuitu, & ſuis quæq; meritis prædeſtinata diſponit.

S. Damaſc. Lib. 2. *Fidei Cap.* 22. Voluntas eſt appetitus naturalis, & rationalis. Appetitus autem non rationalis, minimè voluntas dicitur, &c. Cognata enim eſt animæ hominis virtus naturaliter appetendi, &c. Voluntas eſt tàm eorum quæ in poteſtate noſtra ſunt, quàm quæ non ſunt .i. poſſibilium, & impoſſibilium. Voluntas eſt ipſius finis: eorum verò quæ ſunt ad finem, conſilium eſt, &c. Poſt voluntatem eſt inquiſitio, conſideratio, & conſilium. Eſt autem conſilium, appetitus inquiſitiuus de agendis, &c. Conſequenter affectatur, & amatur, quod conſilio iudicatum eſt, & vocatur ſententia : mox poſt affectionem, dicitur electio, &c. Deinde mouetur ad agendum, & dicitur proſecutio, &c. In animantibus rationis expertibus appetitus fit, & ſtatim motus : nam ducuntur à naturali appetitu. Quapropter illorum appetitus non dicitur voluntas, &c. Nam voluntas eſt rationalis, & liberam habens poteſtatem naturalis appetitus, &c. Sciendum tamen in Deo Voluntatem quidem dici : non tamen propriè electionem. Non enim conſultat Deus : nam ignorantiæ eſt conſultare, &c. Neque in anima Domini .i. Chriſti, dicimus conſilium, vel electionem, &c.

Digitized by Google

Ipſe enim eſt & Deus, & homo: & idcirco conſultricem non habuit voluntatem. Habuit enim voluntatem naturalem, & ſimplicem, quam & ſinguli homines: ſed non ſententiam voluntate affectatam, contrariam ſuæ Diuinæ Voluntati, &c. Sciendum etiam aliud eſſe voluntatem, volentiam ſeu volitionem, voluntate affectatum, volūtarium, & volens. Voluntas eſt ipſa ſimplex virtus quâ volumus. Volentiâ ſeu volitio, eſt eius circa aliquid actio. Voluntate affectatum, eſt id quod volumus, &c. Voluntarium eſt quod habet voluntatem, ſeu virtutem volendi. Volens eſt qui vtitur voluntate. Attamen voluntas quandoque ſignificat ipſam volentiam ſeu volitionem, quandoque potentiam qua volumus, & quandoque voluntate affectatum, quod dicitur ſententia diffinitum. *Cap. 23. De actu.* Eſt naturalis cuiuſque virtus & motus, &c. Eſt etiam prima virtus, ſemper motrix intellectualis animæ .i. ſemper motiua eius ratio; naturaliter ex ipſa ſemper ſcaturiēs. Eſt & naturalis cuiuſque virtus & motus: ſine qua ſolum eſt non ens. Dicuntur actus, & ipſæ actiones, operationeſque, & affectus naturales, & opera, ſeu res operatæ, &c. Actus naturæ in nobis, eſt prima, ſola, vera, per ſe electiua .i. rationalis, libera, & per ſe potens vita, noſtræque ſpeciei conſtitutiua. *Item.* Actus eſt motus ac vigor naturæ efficax. Dicitur autem efficax, quod ex ſe mouetur. *Cap. 24. De Spontaneo & inſpontaneo:* vt ex S. Greg. Niſſ. ſupra col. 382. *Cap. 25. 26. 27. 28.* De Libero Arbitrio, & de eis quæ in eius poteſtate ſunt, aut non. Vt ſupra ex *S. Greg. Niſſ. col.* 382. 383. *Cap. 29. De Prouidentia Dei.* Eſt Voluntas Dei per quam omnia quæ ſunt, conuenientem gubernationem ſuſcipiunt, &c. Verbatim vt ſupra ex *S. Greg. col.* 383. vſque ad hæc. [Quæ in nobis ſunt, non ſolum prouidentiæ, ſed & liberæ poteſtatis ſunt. Prouidentiæ quidem, vel ſecundùm acceptationem, vel ſecundum permiſſionem. Secundùm acceptationem ſunt, quæcunque ſine controuerſia bona ſunt. Sunt & quædam ſecundùm permiſſionem.] Inter varia exempla. [Permittitur quis quandoque in turpem incidere actionem, ad emendationem deterioris affectus, &c. Sciendum etiam quòd multi ſunt modi Prouidentiæ Dei: qui nec ſermone explicari, nec mente comprehendi queunt. Nec ignorandum eſt Deum *præcedenter* velle omnes ſaluari. Non enim ad puniendos nos plaſmauit: ſed vt bonus, efficiat nos bonitatis ſuæ participes; vt iuſtus autem, vult puniri peccantes. Dicitur igitur prima, *præcedens* voluntas, & acceptatio ex ipſo exiſtens: ſecunda verò voluntas *ſequens*, & permiſſio ex noſtra cauſa exiſtens. Quæ duplex eſt: hæc quidem diſpenſatoria & eruditiua ad ſalutem; illa verò deſperatiua, ad finalem punitionem. Quæ in nobis ſunt bona, *præſertim & antecedenter* vult & acceptat: mala, & reuera mala, nec *præſertim*, nec *conſequenter* vult; ſinit tamen arbitrium ad illa liberum. Nam quod per violentiam fieret, neque rationale, neque virtutis eſſet opus.] Hinc celebris illa diſtinctio Voluntatis Dei, in *Antecedentem*, & *Conſequentem*: quæ in varios ſenſus diſtrahitur. De quibus eorumq; veriore ſeu probabiliore, infra.

S. Anſel. Libello De Voluntate Dei. De Voluntate Dei aliquid dicere cupientes, actum rerum attendimus: quoniam ad ipſius celſitudinis culmen anhelare non valemus. Voluntatem Dei igitur appellamus, quicquid in nobis miſericorditer operatur, &c. Dicitur quoque pœna, & reprobatio iuſta: & quicquid fit in creaturis. Sed ſi omnia procedunt ex Voluntate Dei, quam conſtat ſemper bonam & rectam eſſe: tunc omnia recta ſunt, &c. Dicendum eſt igitur Voluntatem Dei multipliciter accipi. 1. Pro Omnipotenti præſcientia & ordinatione Dei. Vt *Pſal.* 113. *Omnia quæcunque voluit fecit.* 2. Pro quodam effectu miſericordiæ Dei. Vt 1. *Tim.* 2. *Deus vult omnes, ſaluos fieri* .i. facit ſanctos hoc velle, quod ipſe tamen vult .i. diſpoſuit. 3. Inſtitutio Diuina, non impropriè appellatur voluntas Dei. Dei autem inſtitutio diuidi poteſt in præcepta Sacræ Script. & legem naturalem, &c. Ecce Voluntas Dei 4. modis accipitur. 1. Pro Scientia Dei. 2 Pro voluntate Sanctorum. 3. Pro ratione humana. 4. Pro præceptis diuinis. Itaque cum dicitur, Deus vult, vel non vult fieri homicidium: hæc non repugnant. Nam Deus vult .i. præcipit: non vult .i. non præcipit, non facit velle, vel non habemus hoc ex ratione. Sed videndum eſt quoddam ſubtilius. Nam Voluntati Dei voluntas hominis adhæret, ſed inde damnatur: non adhæret, & inde remuneratur. Item, vult homo quod non vult Deus, & non vult, quod vult Deus, & inde habet præmium à Deo, &c. Sed vult homo damnosè, quod Deus vult .i. præſciuit. Vult Deus alicuius mortem, quod homo non vult affectu naturali, vel compaſſione proximi, & remuneratur ex tali affectu, &c. In omnibus tamen quæ vult & facit, Diuinæ Voluntati concordare intendit. &c. Quia tunc tantùm eſt bona voluntas humana: quando vult id quod Deus vult illam velle &c. Magna quidem Voluntas Dei, incomprehenſibilis eſt, ſicut ipſe Deus: contra quam vult homo; quia non plenè eam cognoſcit, quod in futuro erit. In præſenti verò, quoſdam eius effectus percipit. ſecundùm præceptionem vel prohibitionem. Hinc *B. Aug. Enchir.* 100. *Propterea magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, Pſal.* 110. *Vt miro & ineffabili modo non fiat contra voluntatem eius, quod etiam fit contra eius voluntatem, &c.* Eſt & alia huius voluntatis diuiſio: alia poteſt dici efficiens, alia approbans, alia concedens, alia permittens. Efficiens in Deo, facit quicquid vult: in homine, quod poteſt & vult, &c. Approbans in Deo, eſt quæ vult omnes homines ſaluos fieri: quoniam nullum prohibet quantum ad ſe, ſaluum fieri; imò ſi quis ad hoc laborat, approbat. Patet quæ ſit approbans in homine. Concedens eſt, quæ concedit vt fiat aliquid: vt qui melius non propoſuit, vxorem ducat. Permittens eſt, quæ permittit aliquid fieri, etſi diſpliceat quandoque. Et hoc modo Deus dicitur velle mala, quæ permittit fieri. *Rom.* 9. Quem vult indurat, &c. Dicitur etiam voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium. *Phil.* 2. Deus operatur in nobis & velle. Sic etiam velle dicitur, quod ipſe non vult: ſed ſuos id volentes facit; vt quando non facit quod orant ab eo inſpirati, &c. *Greg.* Deus vult omnes homines ſaluos fieri, .i. nulli

ſaluantur,

Digitized by Google

ſaluantur, niſi quos vult ſaluari: vel de omni genere hominum, aliqui ſaluantur, vel non cogit aliquem damnari.

Lib. De libero Arb. cap. 1. Libertatem Arbitrij non puto eſſe potentiam peccandi, & non peccandi. Quippe ſi hæc eſſet eius definitio: nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas eſt dicere, &c. Quamuis differat liberum arb. hominum, à libero arb. Dei & Angelorum bonorum: definitio tamen libertatis in vtriſque ſecundùm hoc nomen eadem debet eſſe, &c. Denique nec libertas, nec pars libertatis eſt, peccandi poteſtas. *Infra.* Liberior voluntas eſt, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quàm quæ illam poteſt deſerere, &c. Poteſtas ergo peccandi, quæ addita voluntati, minuit eius libertatem, etſi ſeparatur, auget: nec libertas eſt, nec pars libertatis. *Cap.* 2. Non pertinet ad libertatem arbitrij quòd ſic eſt extraneum à libertate. *Infra.* Angelus & homo peccauit per ſuum liberum arbitrium: ſed non per hoc vnde liberum erat .i. non per poteſtatem quâ poterat non peccare; ſed per poteſtatem quam habuit peccandi. Quia nec ad non peccandi libertatem iuuabatur, nec ad peccandi ſeruitutem cogebatur. *Cap.* 3. Licet peccato ſe ſubdidiſſent: libertatem tamen naturalem arbitrij in ſe interimere nequiuerunt; ſed facere potuerunt, vt iam non ſine alia gratia, quàm erat illa quam priùs habuerunt; illa libertate vti non valeant. *Infra.* Quoniam omnis libertas eſt poteſtas: illa libertas arbitrij eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem voluntatis, propter ipſam rectitudinem, &c. Etiamſi abſit rectitudo voluntatis: non tamen rationalis natura minùs habet quod ſuum eſt. Nullam namque poteſtatem habemus vt puto, quæ ſola ſibi ſufficiat ad actum, &c. *Cap.* 4. Si abſente viſibili, in tenebris poſiti, & clauſos ſiue ligatos oculos habentes, videndi poteſtatem habemus: quid prohibet nos habere poteſtatem ſeruandi rectitudinem voluntatis propter ipſam rectitudinem, etiam abſente ipſa rectitudine; quamdiu & ratio in nobis eſt, qua eam valemus cognoſcere, & voluntas qua illam tenere poſſumus? Ex his enim conſtat præfata libertas arbitrij. *Cap.* 5. Nemo illam deſerit, niſi volendo: ſi ergo inuitus dicitur volens, nemo deſerit illam inuitus. Ligari poteſt homo inuitus, quia nolens: torqueri poteſt inuitus, quia nolens; velle autem non poteſt inuitus, quia non poteſt velle, nolens velle. Nam omnis volens, *ipſum ſuum velle vult. Infra.* Dicitur quis inuitus mentiri, &c. Quia mentiendo vult deſerere rectitudinem propter vitam, &c. Aut quia inuitus eſt in hac anguſtia, & neceſſitate, &c. Eſt & alia ratio, &c. Nam quod nonniſi difficile facere valemus, & ideo non facimus: dicimus hoc nos facere non poſſe; & inuitos deſerere quod ſine difficultate dimittere nequimus, &c. Sicut igitur qui mentitur propter vitam, impropriè dicitur inuitus mentiri, quoniam mentitur volens: ita non propriè dicitur inuitus velle mentiri; quoniam hoc nonniſi volens vult. Nam ſicut cùm mentitur, vult ipſum mentiri: ſic cùm vult mentiri, *vult ipſum velle, &c.* Non ſic in equo, &c. Sed naturaliter ſemper ex neceſſitate appetitui carnis ſeruit, &c. Quis poteſt voluntatem dicere non eſſe liberam: ſi nulla tentatio poteſt illam niſi volentem auertere à rectitudine ad peccatum .i. ad volendum quod non debet? Cùm ergo vincitur: non aliena vincitur poteſtate, ſed ſuâ. *Cap.* 6. Si vult homo mentiri, vt non ſuſtineat mortem: quis dicet impoſſibile velle eum non mentiri, vt vitet mortem æternam, & ſine fine viuat? Quapropter dubitare non debes, hanc impotentiam quam dicis, non eſſe ex impoſſibilitate, ſed ex difficultate, &c. *Cap.* 7. Si ſcias virum ita fortem, vt eo tenente taurum, non poſſet ſe mouere: & videas eundem ita tenentem arietem, vt ſe de manibus eius excutiat: dubitabiſne illum minus fortem? Sic intellige voluntatem habere inſeparabilem fortitudinem, qua aliquando magis, aliquando minus vtitur in volendo, &c. Vides quia homo nulla vi aliena abſtrahitur: ſed ipſe conuertit ſe ad id quod fortius vult. *Cap.* 8. Seruare rectitudinem voluntatis, propter ipſam rectitudinem, eſt velle quod Deus vult nos velle, &c. Ergo ſi Deus hanc rectitudinem tolleret ab aliquo: non vellet eum velle, quod vult eum velle. Quo nihil eſt impoſſibilius. *Cap.* 9. Cernis itaque nihil liberius recta voluntate: cui nulla vis aliena poteſt ſuam auferre rectitudinem, &c. Non enim cogitur magis velle vitam, quàm veritatem, &c. Nec minus fortis eſt ad volendum veritatem, quàm ad volendum ſalutem: ſed fortiùs vult ſalutem, &c. *Cap.* 10. Vt nulla voluntas, antequam haberet rectitudinem, potuit eam Deo non dante capere: ita dum deſerit acceptam, non poteſt eam niſi Deo reddente accipere. Et maius miraculum exiſtimo, cùm Deus voluntati deſertam reddit rectitudinem: quàm cùm mortuo reddit vitam amiſſam. Corpus enim moriendo non peccat, vt vitam nunquam recipiat: voluntas verò per ſe rectitudinem deſerendo, meretur vt illa ſemper indigeat. *Cap.* 11. Quando quis non habet rectitudinem debitam: & ſeruus eſt, & liber. Nunquam enim poteſt capere rectitudinem, cùm non habet: ſed ſemper poteſt ſeruare, cùm habet. Quia redire non poteſt à peccato, ſeruus eſt: quia non poteſt abſtrahi à rectitudine, liber eſt. *Cap.* 12. Ita ſeruitus non eſt niſi impotentia recuperandi rectitudinẽ, &c. Quod autem quæris, cur quando habet rectitudinem magis dicitur liber, &c. Eſt ac ſi quæras, cur homo cùm ſol adeſt, magis dicitur habere poteſtatem videndi ſolem, &c. *Cap.* 13. In definitione libertatis, *poteſtas* eſt genus: *ſeruandi*, ſeparat ab omni poteſtate, quæ non eſt ſeruandi, vt ridendi, ambulandi; *rectitudinem*, ſecernit à poteſtate ſeruandi aurum, &c. *Voluntatis*, ſegregat à poteſtate ſeruandi rectitudinem virgæ, opinionis, &c. *Propter rectitudinem ipſam*, diuidit à poteſtate ſeruandi eam propter aliud; vt propter præmiam, aut naturaliter. Seruat enim naturaliter canis rectitudinem voluntatis, cùm amat catulos ſuos, aut dominum ſuum ſibi benfacientem, &c. Hæc de ſola libertate, propter quam imputatur illam habenti, ſiue faciat bonum, ſiue malum. *Cap.* 14. Diuiſio libertatis. Libertas arbitrij, alia eſt à ſe,

Digitized by Google

quæ nec facta eſt, nec ab alio accepta, ſed eſt ſolius Dei: alia à Deo facta, & accepta, quæ eſt Angelorum. Facta, alia eſt habens rectitudinem quam ſeruet, alia carens: Habens, alia tenet ſeparabiliter, alia inſeparabiliter, &c. Carens, alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter.

S. Bern. lib. 5. De conſideratione. Vnam petij à Domino, &c. vt videam voluntatem Dei, &c. *Pſal.* 26. Quidni ibi videatur cor Dei? Quidni ibi probetur, *Rom.* 12. *quæ ſit voluntas bona, beneplacens, & perfecta?* Bona in ſe, placens in effectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil vltra quærentibus.

Serm. 62. in Cantica. Pſal. 54. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Eccleſia columba eſt, & ideo requieſcit, &c. Videt gloriam ſponſi ſui: nec tamen opprimitur à gloria, vt *Prou.* 25. Quia non eſt ſcrutatrix Maieſtatis, ſed voluntatis. Interdum quidem & in illam tendere audet: ſed quaſi admirans, non quaſi ſcrutans, &c. Cùm Apoſtolus raptum ſe commemoret: Scrutatores tanquam irruptores dici reor, non qui rapiuntur in eam, &c. Ergo formidoloſa ſcrutatio Maieſtatis: at voluntatis, tam tuta, quam pia. Quidni ſcrutando inſtem Sacramento gloriæ voluntatis: cui mihi parendum per omnia ſcio, &c. Abſit vt in Maieſtatis gloria, & non magis in voluntatis modeſtia, Dei ab homine conformitas præſumatur. *Serm.* 72. Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem Patris. *Ioan.* 4. Sed hîc, non ibi. Quid enim faciet factam? & perfectam tunc eſſe conſtat. Denique probare iam tunc eſt omnibus Sanctis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Et certe poſt perfectum, faciendum ſupereſt nihil. Frui de cætero reſtat, non fieri: experiri, non operari, ea viuere, non exerceri in ea. Nonne ipſa eſt, quam ſicut in cœlo, ita & in terra perfici poſtulamus: quo eius iam delectet fructus, non actus fatiget?

Tract. De gratia & libero arbitrio voluntatis, à nobis relato, & explicato *in 2. Sent. à col.* 456. [*Epiſt. ad Fratres de monte Dei*, à nobis relata *in 3. Sent. à col.* 586. *ad* 590 Vt *col.* 588. Magna voluntas ad Deum, charitas eſt: vnitas verò ſpiritus, voluntatis eſt perfectio; cùm iam non ſolùm vult quod Deus vult; ſed ſic eſt affectu perfectus, vt non poſſit velle niſi quod Deus vult. Velle autem quod Deus vult, hoc eſt iam ſimilem Deo eſſe: non poſſe velle niſi quod Deus vult, hoc eſt iam eſſe quod Deus eſt, cui velle & eſſe idipſum eſt, &c. Vnitas ſpiritus nominatur: cùm fit homo cum Deo vnus ſpiritus, non tantùm vnitate volendi idem; ſed expreſſiore quadam vnitate virtutis, aliud velle non valendi. Dicitur autem hæc vnitas ſpiritus: non tantùm quia efficit eam, vel afficit ei Spiritus Sanctus; ſed quia ipſa eſt ipſe Spiritus S. &c.

5. Ex breui relatione, explicatione, & applicatione *Alenſis, S. Bon. & Scoti* ad noſtram *Reſp. Al. q. 26. m. 6.* De duplici voluntate Dei, Beneplaciti, & Signi .i. in ſeipſa, & in ſuis ſignis. Sic enim correctè legendum eſt in noſtro Compendio. Item, de voluntate Dei *Antecedente*, quâ vult omnes homines ſaluos fieri.i. *Paratus eſt omnibus dare gratiam, etiam finalem, qua ſaluentur*; & de voluntate *Conſequente*, qua vult electos eſſe in gloria, reprobos in pœna. Sic enim in textu integro refert & explicat *Damaſc. Lib. 2 Fidei cap.* 29. Reſp. *De bono abſolutè & ſimpliciter, eſt prouidentia ſecundùm acceptionem: de bono in comparatione, eſt prouidentia conceſſionis, ſecundùm quam diſtinguitur voluntas Beneplaciti, & permiſſionis. Eſt enim bonum quod elicitur ex bono, cuius eſt acceptatio: & eſt bonũ quod elicitur ex malo cuius eſt conceſſio, &c.* Infra. Ad 4. *Prouidentia ſecundùm acceptationem, & voluntas beneplaciti, eſt voluntas qua Deus quieſcit in ſe. De qua* Rom. 12. *Voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Prou. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Quia igitur hæc duo referuntur, & dicuntur terminari in Deum, qui in ſe manet indiuiſus: ideò ipſa indiuiſa manet. Voluntas vero ſigni, & prouidentia ſecundùm conceſſionem, referuntur ad creaturas.* De quibus latius infra. *Quæſt.* 34. De voluntate Dei. *M.* 1. An ſit. *Reſp. Quòd ſic: non tamen vt virtus vel operatio diſtincta à ſubſtantia. Quia melior eſt vis cognoſcens, & domina ſui actus, quàm non.* Quæ eſt ratio tribuendi Deo voluntatem formalem, ſumpta ex Arg. ante *Reſp.* Quæ Reſp. in textu integro ſic ſeipſam explicat. *Eſt voluntas qua volumus, & impropriè quod volumus. Sed voluntas qua volumus, tripliciter, ſubſtantia, virtus ſeu potentia, & operatio ſeu actus elicitus, &c. Voluntas dicitur ſubſtantia in Deo: non virtus, & operatio, vt differens à ſubſtantia.* De qua, & quanta differentia, *M.* 2. *Quid ſit voluntas.* Refert duas opiniones, vt probabiles: quarum prior conuenit cum noſtra, de quadam diſtinctione inter eſſentiam, potentiam, habitum, & actum Dei; non tamen quòd voluntas ſignificet ſolum actum. Nec altera eſt nobis contraria: quia quòd voluntas ſit idem quod eſſentia, non ſonat formaliter, ſed realiter; quodque velle connotet effectum in creatura, non negat quin ſupponat naturam, vim, libertatem, & rectitudinem volendi. *Quæſt.* 35. *m.* 2. *An voluntas Dei ſit cauſa omnium.* Reſp. *Eſt cauſa bonorum omnium.* §. 1. *An ſit cauſa immediata?* Reſp. *Eſt.* Supple: Non quaſi excludendo potentiam executiuam, de qua propria Quæſt. ſed medium temporale. *Ad 3. 4. Voluntas Dei eſt libera, & in actu perfecto ante effectum: ideo non neceſſariò habet effectum. Quæſt. 36. m. 1. Voluntas Beneplaciti, eſt qua Deus vult: Voluntas Signi, eſt id quod vult; hinc illa propriè, hæc impropriè.* Vnde videtur non agnoſcere in Deo vllam voluntatem actualem inefficacem, & conditionatam. *M.* 2. *Voluntas beneplaciti nunquam fruſtratur, &c.* Ad 3. *Non debet conditionari, &c.* Ad *Damaſc. Voluntas antecedens & conſequẽs, non eſt quoad aliquid prius & poſterius in Deo, ſed in nobis, &c.* Ex *Aug.* ſupra. *Quæſt.* 37. *m.* 1. De præcepto & prohibitione, vt ſignis Voluntatis Dei: non eget vlla explicatione, ſed optimè explicat quid ſit, & poſſit præcipi, vel prohiberi. *Quæſt.* 38. De permiſſione malorum: vt ſigno voluntatis Dei, non ad ipſa mala, ſed ad ſuam & noſtram libertatem, & varia bona inde elicienda. Vt ſatis patet ex hac ipſa *Quæſt.* 38. & 40. *Quæſt.* 39. De impletione

Volun-

Digitized by Google

Voluntatis Dei, per opera miſericordiæ & iuſtitię: vt ſigno quodam Volũtatis Dei ad hæc ipſa opera, & eorum finem. Sub qua *Quæſt*. ſatis explicat rationem formalem iuſtitiæ ac miſericordiæ Dei. *Quæſt*. 40. De ſubiectis Voluntati Diuinæ: ſolis quidem bonis cauſaliter, malis autem materialiter. Quod ſatis explicat *m*. 1. Vt *ad* 4. Arg. *Deus nec vult mala fieri, nec vult non fieri: ſed non vult fieri. Sicq́*, Ioan. 1. *ſine ipſo factum eſt nihil* .i. malum. *Ad* 5. *Verum eſt Deum nolle fieri mala negatiuè* .i. *non velle*; *ſed non contrariè*; quia ſic non fierent. *Quæſt*. 41. De conformatione noſtræ voluntatis ad Diuinam. Optimè etiam explicat ſeipſum, & alios circa eandem *Quæſt*.

S. Bon. Diſt. 45. De quidditate Voluntatis Dei. *Art*. 1. *q*. 1. *Eſt in Deo* .i. formaliter. Quod probat ex *Eph*. 1. & 4. rationibus: *ſed ſine vlla differentia* .i. reali, vel ſubiectiua, inter ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, virtutem ſeu potentiam, actum, & finem agendi. Sic enim comparat & præfert Voluntatem Diuinam, omni creaturæ: differẽtiamque oppoſitam explicat realiter, cauſaliter, mutabiliter, & finaliter, ſeu per diſtantiam à fine, vt realiter differente, abſente, & necdum exiſtente. *Quæſt*. 2. *Deus non eſt Omniuolens, vt Omniſciens, & Omnipotens. Quia potentia* .i. volendi, *abſtrahit ab actu volendi*. Ergo *Quæſt*. 1. non negat omnem differentiam inter potentiam & actum; ſed omnem talem, qualis eſt in nobis. Reliqua per ſe patent. *Art*. 2. *quæſt*. 1. *Quamuis omnia identificentur in Deo: voluntas tamen eius eſt cauſa rerum; quia eſt proprium voluntati producere per modum liberalitatis, ſeu quia ratio cauſandi eſt bonitas principij ſupra finem reflexi*. Vel verbatim ex textu. *Quia ratio cauſandi eſt bonitas, & in ratione effectiui, & in ratione finis, &c. Ergo quod dicit coniunctionem principij effectiui cum fine, eſt ratio cauſandi in effectu: ſed voluntas eſt actus ſecundùm quem bonum reflectitur ſupra bonum, ſeu bonitatem; ergo voluntas vnit effectiuum cum fine*. Vnde patet. 1. Illam identitatem omnium in Deo, non excludere hanc diſtinctionem. 2. Voluntatem habere modum proprium operandi *liberaliter*, ſeu *libenter*, motu proprio .i. *liberè*, prout diſtinguitur à modo ſeu neceſſitate & impetu naturali, ſine propria cognitione, & appetitu finis. 3. Hunc modum proprium voluntatis eſſe reflexiuum principij vt boni, ſupra finem vt bonum .i. non vt inter differentia, aut diſtantia, ſed vt eiuſdem ſupra ſeipſum. Nam hoc eſt reflecti, non tẽdere. Sed hæc reflexio non eſt tantùm eiuſdem principij ſuper ſeipſo vt fine: ſed etiam eiuſdem actus volendi ſupra ſeipſo, vt ex ſe & ſeipſo volito, vel conuolito cum obiecto. Qui eſt modus proprius, & eſſentialis, liberè volendi: vt primò diuerſus à modo proprio, & eſſentiali naturaliter intelligẽdi. Sic enim *B. Aug*. explicat hunc modum proprium volendi, *Lib*. 1. *De Libero Arb. cap*. 12. *Lib*. 3. *cap*. 3. *Lib*. 1. *Retr. cap*. 22. *Lib*. 2. *Retr. cap*. 1. *Lib*. 5. *Ciu. cap*. 9. *Lib. De Spiritu & littera c*. 31. Per poteſtatem, & eius vſum faciẽdi *quod volumus, cùm volumus, ſi volumus: quorum*, inquit, *primum eſt ipſum velle*, quod vtiq; & quo facimus, ſeu operamur. Sed optimè explicat *Quæſt*. 8. ex 83. *Moueri per ſe animam ſentit, qui ſentit in ſe eſſe voluntatem. Nam ſi volumus, non alius de nobis vult. Et iſte motus animæ ſpõtaneus eſt*. Nam facere ſeu operari, quod vult, cùm vult, aut ſi vult, eſt ſeipſum ad hoc mouere, non moueri: eſt operari ex proprio motu; eſt ita velle, vt ſolus volens, non alius poſſit hoc actu velle ſeu operari; eſt velle velle, ſeu proprio actu volendi, velle hunc ſuum proprium actum. Sic enim *iſte motus animæ ſpontaneus eſt*: non ſolùm vt animalis ad bonum cognitum vt conueniens; ſed vt rationalis, non ſolùm ad obiectum vt cognitum & conueniens, ſed etiam vt volibile, ſicque & ad ipſum actum volendi, quo obiectum volibile eſt. Nec obſtat quod & intellectus ſit reflexiuus: non ſolùm vno actu ſupra alium in infinitum; ſed etiam eodẽ ſupra ſeipſum, ſaltem in Deo. Quia reflexio intellectus non eſt vt voluntatis, ex primo motu proprio ipſius intellectus, ſed obiecti: nec ex propria poteſtate quaſi morali ſui. ipſius & ſuorum actuum, ſed ex neceſſitate & determinatione naturali; nec eſt reflexio practica ſupra ſeipſo vt opere proprio, ſed ſpeculatiua in ſeipſum vel ad ſeipſum vt ſolum obiectum. De quo plura in 2. *col*. 245. 246. 249. 250. 251. Et à 424. *ad* 463. Sed hic confirmatur ex *Anſel*. toto Lib. De Libero Arb. ſpecialiter *Cap*. 5. *Omnis volens, ipſum ſuum velle vult, &c. Cum vult mentiri: vult ipſum velle, &c*. Vt adhuc infra.

Quæſt. 2. *Voluntas Dei, eſt cauſa prima & immediata rerum .i. pertingens ad totum effectum*. Vt Alenſis, ſupra, *q*. 35. *m*. 2. §. 1. cuius intentum optimè explicat. *Art*. 3. *Quæſt*. 1. *Voluntas Dei rectè diuiditur in Voluntatem Signi, & Beneplaciti*. Ex 1. Theſſ. 4. De voluntate ſigni. *Hæc eſt Voluntas Dei ſanctificatio veſtra*: & ex vſu communi denominandi obiecta volita, & ſigna voluntatis, ab ipſa voluntate. *Diſt*. 46. *q*. 1. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, 1. *Tim*. 2. non ſola voluntate ſigni, ſed etiam Beneplaciti, &c. Vt *S. Aug. & Alenſis* ſupra. *Q*. 47. De efficacia Voluntatis Dei: Vt *Al. Q*. 35. 36. *m*. 2. *q*. 40. *m*. 4. Niſi quod, ex *S. Bon. Q*. 2. non poſſit à nobis fieri contra volũtatem ſigni de præterito, vel præſenti: vel contra voluntatem abſolutam, & conſequentem; ſed contra ſolam antecedentem, ſeu conditionatam ſigni de futuro. Supple. Non poſſumus facere contra illam Dei voluntatem aut eius ſigna: quin fuerint, ſint, aut fiant; ſed poſſumus velle vt non fuerint, non ſint, vel non fiant. *Diſt*. 48. Vt *Alenſis* ſupra, *q*. 41. Supplendo, *art*. 2. De obligatione volendi aliquando ex charitate: *quia nullus eſt ita obſtinatus, quin poſſit facere quod in ſe eſt, & redire ad cor; ideoq́ tenetur non pro quolibet inſtanti, ſed ſuo loco & tempore*. De qua poteſtate in 2. *col*. 479. 482. 483. 484. In 3. *col*. 589. 590. & *in* 4. *col*. 756. 757. Sed hic de obligatione, quaſi contra *Al. P*. 3. *Col*. 65. [Quod Charitas non ſit in pręcepto quoad habitum, nec quoad eius modum vel actum formalem, ſed materialem: Verum nec *S. Bon*. obligat ad volendum ſemper ex charitate: ſed, inquit, *ſuo loco, & tempore. Si quæras quo? Melius docet vnctio quàm ars, &c*. Nec *Al*. negat vnquam obligare: ſed eodem *Art. Ad* 3. Fatetur præceptum charitatis *ſemper obligare, non ad ſemper*. Et ſubdit, *Art*. 2. *obligare etiam aliquando ad affectum actualem charitatis*.

Scotus in 1. *d*. 1. *q*. 4. An voluntas neceſſariò fruatur,

Digitized by Google

ſituatur, &c. *Reſp.* Non neceſſariò, &c. Quia voluntas eſt eadem potentia volendi finem, & media ad illum: habetque vnicum modum liberè operandi, oppoſitum modo naturali; ergo nihil vult ex neceſſitate naturali, ſed omnia liberè. Ex *B. Aug. 1. Retr. 9.* &c. tota illa *Quæſt. Scoti.* Vt nos ſupra, in noſtra *Reſp.* & *S. Bon.* interpretatione, ac infra in noſtræ *Reſp.* explicatione. Niſi quod *Scotus d. 1. q. 4.* tribuat voluntati noſtræ, non Diuinæ, poteſtatem eliciendi omnem actũ ſuum, diuertendi intellectũ à quouis obiecto, intendendi & remittendi actum proprium; negetque neceſſitatem non ſolùm naturalem, ſed oppoſitam libertati volendi, vel nolendi, aut non volendi finem & media ad illum. *Diſt. 2. Ad 1. Quæſt.* Probat ens primum eſſe capax perfectiſſimè intelligendi, & volendi. *Ad Quæſt. 3.* Probat Deum eſſe vnicum: ex perfectione infinita volendi, ſeu amandi ſeipſum. *Ad Quæſt. 6.* In Deo eſt intellectus & voluntas perfectiſſima, &c. Ad *Quæſt. 7.* Sunt duæ productiones in Deo: naturaliter, per intellectum; liberè, per voluntatem. Qui duo modi oppoſiti, ſunt perfecti ſimpliciter: nec poſſunt reduci ad vnum, nec habent medium. *Diſt.* 8. *q.* 5. De libertate & indifferentia, nulla autem neceſſitate Dei, volendi & agendi extra ſeipſum. *Diſt.* 10. Ad *Quæſt.* In Deo eſt Voluntas beata, & infinita: non ſolùm vt operatiua, ſed & productiua, &c. *Ad 2.* Non diſtinguitur voluntas circa finem, vt eſt natura: à ſeipſa, vt libera circa media; quia eiuſdem potentiæ non poſſunt eſſe duo modi tam oppoſiti operandi.] Quod videtur contra *Al. p. 1. q. 17. m. 7. Voluntas naturalis eſt recta, non ſemper electiua. q. 46. m. 7. Voluntas vt natura, eſt prior notitia particulari: ſed vt libera, eſt poſterior.* Sed per voluntatem *naturalem*, & *vt eſt natura*, poteſt intelligi ipſa natura intellectualis, vel potentia volendi, vel paſſio, non eius actus, ſeu vſus actualis. Vt *in 3. d. 15. q. 1. col. 195. 196. in 4. d. 49. q.* 8. De origine paſſionum in voluntate. Imò fauet *Al. P. 2. q. 73.* & 74. De libertate naturali, ſeu eſſentiali, & inuiolabili, à ſola coactione. *Quæſt.* 125. De motibus primis, vt ſolius ſenſualitatis, non variantibus proprium modum eſſentialem liberè volendi. *P. 3. q. 17. m. 1. Vt Chriſtus habuit veram carnem, ſic & veram triſtitiam. Ad S. Hil. Voluntas noſtra non eſt libera, & domina ſuarum paſſionum, ſed actuum: voluntas autem Chriſti tàm ſuarum paſſionum, quàm actuum.* M. 2. § 3. *Chriſtus paſſus fuit etiam ſecundùm voluntatem rationalem, vt naturalis eſt ad ſuum corpus, vt ſubiectum: non vt eſt deliberatiua & electiua*, vtique circa obiectum. Ergo habet vnum eundemque modum operandi & agendi: ſed non informandi ſuum corpus, & ab eo patiendi. *S. Bon. in 2. d. 25. art. 2.* De libertate Dei, Chriſti, Beatorum, ab omni coactione: ad actus neceſſarios & contingentes, circa neceſſaria & contingentia. Vt *q. 5. Si quid vult, liberè vult, & ſeipſo mouente vult, &c. Vt in 2. col.* 246. 247. 248. 249. 250. 251.

Diſt. 11. *q.* 2. & *diſt.* 13. *q.* 1. De diſtinctione inter Filium Dei, & Spiritum S. quòd hic procedat per voluntatem *quomodo datus*, ſeu liberè; ille *quomodo natus*, ſeu naturaliter. Ex *B. Aug. 5. Trin.* 14.

Diſt. 38. *q.* 1. *Ad* 1. Libertas Dei non eſt ad eius intrinſeca, quæ præcedunt actum voluntatis: ſed ad omnia factibilia, determinata ab ipſa voluntate; non autem prædeterminata ab intellectu; quia ſic nihil poſſet eſſe contingens.

Diſt. 39. *q.* 1. Per 5. ſubalternas: de libertate Voluntatis Dei, & noſtra, ex profeſſo; non ſolùm eſſentiali, à ſola coactione circa quædam, ſed etiam indifferentiæ & contingentiæ circa alia. Vnde patet *Scotum* non patrocinari illis qui prætendunt ſolam libertatem eſſentialem: nec eſſe alienum, ſed huic doctrinæ congruum, ex voluntate & vtraque libertate Dei inferre etiam noſtram vtriuſque participationem. Quia non ſunt oppoſitæ: ſed hæc eſt quaſi illius proprietas. Ex eo enim quòd voluntas ſit eſſentialiter libera ad operãdum proprio motu, vt toties ſupra: ſi eſt perfecta, habet propriam perfectionem operandi neceſſariò circa neceſſaria, contingenter circa contingentia; ſi autem eſt imperfecta, deficit ab illa perfectione.

Diſt. 45. Voluntas Dei eſt capax volendi omnia volibilia: non tamen mutabiliter ex tempore, ſed immutabiliter ab æterno; nec vlla oppoſita ſimul, nec neutrum eorum, ſed alterutrum ab æterno. *Ex d. 2. q. 1. Ad Arg.* Voluntas Dei ſub ratione merè abſoluta terminat reſpectum ſuorum volitorum: quæ ab æterno producit in eſſe volito, ſicut intellectus in eſſe cognito. Sic & *Diſt.* 30. 35. 36. 43.

Diſt. 46. q. 1 Voluntas beneplaciti, eſt vltima determinatio voluntatis omnipotentis: ergo quod Deus ſic vult, erit. Ad 1. Arg. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri,* 1. Tim. 2. *multo melius poſſet exponi de voluntate Antecedente .i. quantum eſt ex ſe, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem.* Ad 2. *Quoties volui, & noluiſti?* Mat. 23. *Magiſter bene exponit* ex *B. Aug.* non quaſi *Deus voluerit, & non ſit factũ; ſed quod omnes quos congregauit, ſua voluntate congregauit.* Sed videtur hic *Scotus* diſſentire ab *Al.* & *S. Bon.* 1. De Voluntate Beneplaciti: quaſi non eſſet niſi vltima determinatio abſoluta Voluntatis Dei. 2. Quòd præferat expoſitionem, 1. *Tim.* 2. De Voluntate Dei Antecedente. 3. Quòd laudet, ſed aliter referat illam expoſitionem in *Mat.* 23. Cùm *Al. q. 36. m. 2.* ex *Damaſc.* diſtinguat volũtatem *Beneplaciti*, in *Antecedentem*, qua vult omnes ſaluari, ſed non ſingulos efficaciter; & in *Conſequentem*, ſemper efficacem. *Ibidem ad* 3. neget Deum velle omnes ſaluos fieri *conditionatè, ſi velint. Quæſt.* 40. *m. 4. Ad 3. Voluntas beneplaciti prædeterminat neceſſaria, non libera. S. Bon. diſt. 46. q. 1. Deus vult omnes ſaluos fieri etiam voluntate beneplaciti: vel voluntate antecedente ſeu conditionali, non omnes Conſequente & abſoluta.*

Reſp. Ad 1. De veriori ſenſu voluntatis *Beneplaciti*, & *Signi*, *Antecedentis*, & *Conſequentis*, infra. Sed *Scotus* hic per *vltimam determinationem voluntatis*, non intelligit vltimam poſt nos, ſeu ſolam conſequentem noſtra merita aut demerita: ſed etiam aliquam *Antecedentem*, imò omnem abſolutam reſolutionem Voluntatis Dei, ſiue ex ſe, ſeu ſolo proprio motu & motiuo Bonitatis ſuæ, ſiue ex præuiſione alicuius occaſionis noſtræ. Quod non eſt contra *Al.* qui diſtinguit voluntatem *Beneplaciti*, in *Antecedentem*, non quaſi nunquam, ſed

non

Digitized by Google

non ſemper, nec circa omnes efficacem; & in *conſequentem*; vt ſemper & circa omnes efficacem. Nec *ad 3.* negat omnem conditionem Diuinæ Voluntatis ſaluandi omnes: ſed hanc ſolam, *ſi velint*. Nec *q. 40.* negat voluntatem *Beneplaciti* eſſe vltimò determinatam: ſed *prædeterminare noſtra libera*, ſaltem mala, quæ ſola ſunt propriè noſtra. Nec denique eſt contra *S. Bon.* qui ibi non diſtinguit voluntatem *Beneplaciti* à voluntate *Antecedente*, ſed à voluntate *Signi*. Nec vult omnem, ſed aliquam voluntatem antecedentem, circa aliquos eſſe conditionalem; non *ſi velint*, ſed ſub alia conditione, ibidem, vt & ab *Al.* expreſſa.

Ad 2. Præfert expoſitionem *1. Tim. 2.* de voluntate antecedente, ſed non finaliter efficaci ſaluandi omnes & ſingulos: Aliæ autem expoſitiones *B. Aug.* ſunt de voluntate finaliter efficaci ſaluandi omnes qui ſaluabuntur, vel aliquos ex omni ſtatu. Nec *B. Aug.* excludit vllam aliam expoſitionem rationabilem, & concordem.

Ad 3. Non refert expoſitionem illam *Magiſtri* ex *B. Aug.* in illud *Matt. 23.* in ſenſu contrario, imò nec alio: ſed alijs verbis, alium quidem etiam ſenſum patientibus, expreſsè tamen intentis in ſenſu *Magiſtri* ex *B. Aug.* vt infra ex *Reportatis*.

Diſt. 47. Diſtinguit quidem in nobis actum voluntatis, in velle, & nolle poſitiuum, in efficax & remiſſum, ſeu non ſatis efficax: tribuens Deo velle & nolle ſine contrarietate, aut diſtinctione in duos actus; ſed ſub dubio ſuſpendit, an in Deo poſſit eſſe volitio aut nolitio alicuius remiſſa, ſeu non ex ſe efficax, quæ poſſit dici eius permiſſio: an verò permiſſio ſit ſolum ſignum externum alicuius mali permiſſi, vel ſolius non volitionis actualis Dei illud impediendi, vel volitio reflexa illud permittendi. De quo grauiſſimo dubio. & maximæ conſequentiæ, infra.

Diſt. 48. De conformitate voluntatis noſtræ cum Diuina: ſupplet & ſuppletur, ex *Alenſi* ſupra.

5. Probatur noſtra *Reſp.* eam diſtinctè luſtrando, ac illuſtrando ratione, & collatione cum ſacra Script. ſacris Conc. & PP. ſupra. *Deus eſt infinitæ perfectionis*: vt ſat ſupra *Quæſt. 3.* *Eſſentialis & Attributalis*, vt patet ex ſingulis Quæſt. *Potentialis, habitualis, & actualis*: non ſolùm ſecundùm intellectum, vt *Quæſt 12.* ſed etiam ſecundùm voluntatem. Quia, vt rationalitas non eſt tantùm prima ratio eſſendi naturæ rationalis ſecundùm intellectum, ſed etiam ſecundùm voluntatem: ſic & intellectualitas eſt prima ratio eſſendi huius totalis eſſentiæ, & eſt æquè natura ſeu prima radix voluntatis, ac intellectus. Vnde & ſacra Script. & *S. Aug.* ſupra, æquè ſubſtantialiter, eſſentialiter, & formaliter tribuit Deo eſſe Charitatem, ac eſſe Veritatem, & Sapientiam; non autem æquè eſſentialiter & formaliter eſſe alias perfectiones. *In volendo, amando, & delectando ſeipſum ex ſeipſo, actu & affectu improducto.* Quibus exprimitur tota infinita perfectio intenſiua Voluntatis Dei circa ſeipſum: vt obiectum primum & ſolum motiuum, terminatiuum, & adæquatum totius voluntatis, amoris, & delectationis propriæ; diſtinguendo voluntatem vt potentiam & actum, ab amore vt affectu quaſi habituali, connaturali, & determinato ad ſeipſum ſolum; & à delectatione, vt fructu tanti amoris, & fruitionis ſuiipſius. De qua fruitione & eius fructu delectationis, ſub Quæſt. propria de Beatitudine Dei. *Actu & affectu improducto* .i. Non quaſi producendo in ſeipſo hunc actum volendi, & affectum amandi & delectandi, ad perficiendum & beatificandum ſeipſum: ſed habendo & eſſendo à ſeipſo, & ex ſeipſo illum actum & affectum perfectiſſimum & beatiſſimum. Ex qua perfectione volendi & amandi ſeipſum, neceſſarium eſt Deum habere & eſſe quicquid ſibiipſi velle & amare poteſt, ſeu omne bonum, & omnem perfectionem compoſſibilem. Vt rectè infert *Raymundus Sebundus* in ſua Theologia naturali, *cap. 39.* & noſter *A Capite Fontium*, in ſua Illuſtratione Fidei; ab obiecto amabili, ad eius amorem; & hinc ad omne bonum obiecti amati & amantis. *Et ſpirando amorem ſuiipſius, eiuſdem perfectionis ſecum ipſo.* Non ad perficiendum, delectandum, & beatificandum ſeipſum: ſed ad infinitè communicandum ſuam infinitam perfectionem, bonitatem, & amorem beatiſſimum ſuiipſius. Vt ſupra *col. 364.* De Dictione Verbi Diuini, & infra De Myſterio *S. Trin.* ex *Scoto* in *1. d. 2. q. 1. 2. 3. 4. 10.* *Eodemque actu, non affectu.* Tum quia eſt perfectionis in nobis, ſoli Deo affici: ergo & in Deo, ſibi ſoli affici. Tum quia nihil eſt aliud dignum aut bonum Deo: affectus autem eſt naturalis. & naturaliter afficit voluntatem ſuo obiecto vt ſibi bono, ergo voluntas Dei nulli propriè & formaliter afficitur, niſi ſibiipſi; ſed eſt liberrima, independens, & indifferens ad omnia extra ſe, ſeu ad volendum & nolendum cuiuis & quoduis bonum poſſibile aliud à ſe. *Volendo vel nolendo*, etiam poſitiuè *ab æterno, omnia volibilia vel nolibilia.* Cùm enim voluntas Dei ſit ad hæc omnia perfectiſſimè libera, & ex natura ſua indifferens ac in-indeterminata, ſed ſuiipſius determinatiua: habeatque ab æterno omnem rationem poſſibilem volendi, aut nolendi quælibet extra ſe, imò non habeat maiorem rationem quàm vſum propriæ libertatis: non poteſt ab æterno quaſi deliberare, differre, ac ſuſpendere ſuam reſolutionem, ſine aliqua imperfectione ſaltem morali; ſed ab æterno perfectiſſimè, & actualiſſimè exercet ac reſoluit hanc ſuam libertatem circa omnia, liberrimè volendo aut nolendo ab æterno in æternum quicquid vult velle, aut nolle, non ſolùm negatiuè, ſed & poſitiuè. Vt ſupra Quæſt. De Immutabilitate Dei. Quia etſi non volendo negatiuè, nihil futurum ſit: perfectior tamen & liberior eſt reſolutio nolendi poſitiuè, quàm non volendi negatiuè: ipſaque ſola non volitio, eſſet quædam irreſolutio & ſuſpenſio ad volendum vel nolendum poſitiuè. Nam vt *B. Aug.* ſupra, *Enchir. 109.* *Non fieret, ſi Deus non fineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens.* .i. volens & faciens ipſam entitatem, cuius defectum ſinit à nobis ſolis fieri; vel volens ſuam ſolam permiſſionem, non autem defectum permiſſum. Sic nec Deus ſinit quicquam non eſſe, ſolùm negatiuè, ſeu non volendo ei eſſe: ſed poſitiuè, nolendo ei eſſe, nolendo ei ſuum velle, & volendo ſuum nolle. Vnde & *Scotus* ſupra *d. 47.* tribuit

Deo

Digitized by Google

Deo formaliter velle & nolle poſitiuè circa diuerſa. Nec obſtat quod ſubdit. *Poteſt dici quòd permiſſio externa ſit ſignum effectus contra præceptum Dei: cui non correſpondet in Deo niſi non velle prohibere* .i. impedire, *ſiue non nolle illum effectum fieri.* Quia nihil poteſt permitti vt fiat, volẽdo illud non fieri, aut poſitiuè nolendo fieri: poteſt autem non fieri à ſua cauſa, ſola priuatione aut negatione actionis ad hoc neceſſariæ; ſed non poteſt nunquam à Deo fieri, nec futurum eſſe, niſi poſitiua reſolutione, & nolitione. Nam vt *B. Aug. Libro* 12. *Conf.* 11. *Hoc ſolùm à te non eſt, quod non eſt, &c.* Ergo quod non ſolùm non eſt, ſed nec vnquam futurum eſt: non habet à Deo non eſſe; ſed vt futura habent à Deo eſſe futura, ſic & nunquam futura habent à Deo nunquam futura eſſe. *Non ſolùm ſimpliciter & condionatè, ſed efficaciter & abſolutè* .i. Non ſola ſimplici cõplacentia, aut diſplicentia poſſibilium, nec ſola volitione aut nolitione conditionata, vel conditionatorum: *ſed efficaciter & abſolutè.* 1. Quia Poſſibilia vt talia, non ſunt motiua, nec terminatiua vllius complacentiæ, vel diſplicentiæ. 2. Deus habet totam ſuam complacentiam in ſeipſo: non autem in vllo poſſibili extra ſe, ſed in ſua Omnipotentia. 3. Eſt liberrimus & indifferentiſſimus ad extra: ergo non habet vllum affectum ſimplicis complacentiæ ad vlla poſſibilia. 4. *Gen. Cap.* 1. & 2. Vidit Deus ſingula quæ fecerat, & erant bona: Vidit omnia quæ fecerat ſimul, & erant valde bona. Ergo antequam ea faceret, vel facere vellet, non videbantur ei nec erant bona, nec vlla cõplacentia, approbatione, aut volitione Dei digna.: imò nec ex ſe poſitiuè poſſibilia, aut volibilia, ſeu terminatiua vllius volitionis Dei; ſed vt ex ſola cognitione Dei erant poſitiuè intelligibilia, & poſſibilia, ſic & volibilia. 5. Volitio conditionata, ſiue ſub conditione intrinſeca volenti ſiue ſub extrinſeca, eſt dependens ab illa conditione: atqui in Deo non poteſt eſſe vlla dependentia, nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco: ergo non poteſt eſſe in Deo vlla volitio conditionata. 6. Si conditio volendi ſit prior, aut præſens, volitio eſt abſoluta: ſi eſt futura, non poteſt eſſe Deo intrinſeca, quia in eo nihil poteſt habere rationem futuri. Si eſt extrinſeca: non poteſt eſſe ex ſe, nec ex ſola volitione Dei conditionata, nec ex vlla cauſa aut vlla actione priore; ergo non niſi ex volitione Dei abſoluta. 7. Volitio conditionata eſſet. 1. *Si vellem hoc, vellem illud.* 2. *Vellem, ſi hoc eſſet.* 3. *Vellem ſi quis alius vellet.*

Non 1. modo in Deo. Tum quia includeret aliquam rationem futuri, aut futuribilis in Deo: imò illa, *ſi vellem*, non ſignificat vllam volitionem præſentem, ſed poſſibilem, futuribilem, vel ſub conditione futuram. Tum quia ſic Deus non eſſet æquè liber ad omnia extra ſe: ſed velleitas vnius determinaret aut inclinaret ad velle, aut velleitatem alterius. Tum quia tales velleitates, ſunt imperfectæ reſolutiones. Tum denique quia ſunt inefficaces: cùm tamen ex Sacra Script. & *S. Aug.* ſupra, omnis Voluntas Dei ſeu volitio ſit efficax, imò & formaliter Omnipotens, vt infra Quæſtione propria de Omnipotentia Dei. Non 2. modo: quia cùm nec hoc nec illud eſſe poſſit, niſi ex abſoluta Voluntate Dei, Deus ſic vellet ſub conditione impoſſibili, vel ſub prima conditione .i. ſi vellet hoc aut illud, vellet & aliud, quod ſupra reprobatur. Non 3. modo: quia nullus alius à Deo poteſt prius aliquid velle abſolutè, quàm Deus id velit abſolutè; nec vllius velle abſolutum poteſt eſſe prius velle abſoluto Dei. Cùm eſſe & velle cuiuſuis priùs & potiùs dependeat à Voluntate Dei, quàm ab vlla cauſa ſecunda: & ex *B. Aug. Lib. De correptione & gratia, cap.* 14. Deus incomparabiliter pluſquam nos ipſi habeat in ſua poteſtate noſtras voluntates, & volitiones, vt *Quæſt.* propria de Prædeſtinatione. *Ex ſe ſolo vt motiuo*: non quaſi vt obiecto mouente, ſeu inclinante Voluntatem Dei ad volendum aliquid extra ſe: cùm ſit ex ſe liberrima ab omni etiam inclinatione ad extra; ſed ex ſe ſolo vt motiuo .i. ex ſola ſua voluntate vt motiua ſui-ipſius, non autem obiectiuè præmota, ſeu inclinata ad extra. *In ſe ſolo vt exemplari*: quia non ſunt à Deo volibilia, niſi vt ab eo cognita, & exemplata; nec ſunt ex ſe, & in ſe terminatiua, ſeu digna & capacia terminandi volitionem Dei. *Sibi ſoli vt fini cui.* Non vt fini ſuæ propriæ voluntatis, & ſui ipſius: cùm non ſit melior ſeipſo aut ſuo actu; ſed vt fini omnium poſſibilium, cui ſoli ſunt volibilia. *Propter ſe ſolum non vt finem ſui .i.* Non propter finem ſui-ipſius, propter quem ipſe Deus ſit, aut velit: cùm ſit infinitus, & irreferibilis etiam ad ſeipſum, nec ſit melior ſuo proprio actu intrinſeco; ſed propter ſe ſolum vt finem aliorum omnium, ad quem omnia alia ſunt referibilia, vt ad ſummum bonum, propter quod ſolum à Deo ſunt volibilia, & ad quod ſolum vt ad finem eorum poſſunt à Deo referri. 1. Quia vt ſunt tantùm ex ſe negatiuè volibilia, & poſſibilia, non ſunt bona: ergo nec inter ſe meliora, aut minùs bona, vt hæc ad illa referri poſſint, nequidem vt ad fines proximos. 2. Quia Deus ea volendo ex poſſibilibus ad futura, & aliquando exiſtentia, non refert ea omnia inter ſe, vt ad aliquem finem omnium & ſingulorum: cùm nihil illorum poſſit eſſe finis omnium, ſicque & ſui-ipſius; nec ſingula nec vllum eorum ſit ſolùm immediatè, & neceſſariò propter aliud, cùm nullum eorum ſit alteri bonum neceſſarium ad eſſe; ſed refert ea inter ſe ordinando & ſubordinando omnia & ſingula vt partes, cauſas vel concauſas, effectus, & media, ad eundem finem, non vt remotum ſeu vltimum quaſi inter plures fines ſubordinatos, ſed vt ad vnicum verum finem formalem cognitionis & amoris, vnici eiuſdemque finis obiectiui ſeu ſummi boni. 3. Quia nihil eſt ex ſe dignum vt ſit: ergo nec vt ſit finis vllius, ſeu vt vllum aliud ſit propter ſe. 4. Quia vt ve ſit de noſtra volitione etiã ordinata vnius propter aliud, ſed referibiliter ſeu relatiuè ad Deum: eſt perfectius velle omnia propter ſolum Deum immediatè; ergo Deus vult omnia propter ſe ſolum immediatè, vt propter omnium & ſingulorum finem, etiam immediatum, ſolumque omnibus & ſingulis neceſſarium. *Modo quodam libero, vt eſſentiali ſolius voluntatis.* De quo ſupra ex *S. Aug. Anſ. S. Bern. Libro de Lib. Arb.* à nobis relato *in* 2. *col.* à 465. *Al. S. Bon.* & præ omnibus ex *Scoto* ſupra. Qui & hunc modum eſſentialem operãdi liberè, vt oppoſitum modo operandi naturaliter, ſæpè elicit ex

ipſo

ipſo *Ariſt.* 2. *Phiſ. textu* 48. 2. *Periherm. c.*2.*&* 9. *Metaph. cap.* 4. Vbi diuidit agentia, in agentia à propoſito .i. liberè, & agentia à natura .i. naturaliter: Negatque neceſſarium opponi libero, ſed contingenti; liberum autem opponit naturali. Qui modi agendi, vt primò diuerſi, non poſſunt eidem potentiæ conuenire: cùm hæ maximè differant ex diuerſis modis operandi. *Nihil operandi formaliter, aut agendi*: ſeu producendi, ſiue intra, ſiue extra ſe, vt ſupra *col.* 364. De diſtinctione inter operationem formalem intellectus ſeu intellectionem, & dictionem ſeu productionem Verbi. Cùm enim eadem potentia ſit formaliter operatiua, & actiua: poteſt operari formaliter, & actiuè. Ergo vt intellectus, ſic & Voluntas Dei, habens actum improductum, quo formaliter operatur: poteſt etiam producere actum illi æqualem. Vt latius infra de myſterio S. Trin. *Niſi proprio motu, volendo ſuum actum* .i. ſiue improductum, ſiue productum. Quia actus voluntatis non eſt velle ſolius obiecti, ſed etiam ſui-ipſius: ideoque eſt eſſentialiter & formaliter liber hac libertate eſſentiali. Sed ipſa potentia volendi eiuſque actio ſeu productio ad intra non videtur tàm formaliter libera, quàm virtualiter, ſeu principatiuè: nec ab ea producta ſunt aliter, quam denominatiuè libera, ab actu formaliter libero, eiuſque libera terminatione. Niſi ipſum productum ſit etiam formaliter actus volendi, vel æqualis actui improducto, vt eſt Spiritus S. vel inæqualis & participatus, vt in nobis: *Sed neceſſariò obiecta ex ſe neceſſaria, contingenter autem contingentia.* Quia cum Voluntas Dei ſit perfectiſſima: ex neceſſitate huius ſuæ perfectionis liberæ, & libertatis perfectæ, non autem ex vlla indigentia, aut determinatione naturali, vult neceſſariò obiectum ſimpliciter neceſſarium .i. ſeipſum ſolum: reliqua autem contingenter, & indifferenter: quia nullum illorum eſt ſimpliciter neceſſarium, ſed omnia contingentia, ſeu poſſibilia & indifferentia ad eſſe vel non eſſe. Cùm enim libertas ſit perfectionis ſimpliciter: Deus non eſt ſolum liber circa nos, ſed priùs & potius circa ſeipſum; quia nulla eius perfectio poteſt dependere à nobis, aut eſſe circa nos ſoles. Hinc in Deo & in nobis ſunt duo modi liberè operandi: non quaſi oppoſiti, nec diſparati, ſed ſubalterni. Prior eſt, & dicitur eſſentialis, de quo ſat ſupra: quia diſtinguit eſſentialiter potentiam & actum volendi, à potentia & actu intelligendi, vt naturali; nec poteſt violari, minui, vel augeri in vlla voluntate potentiali, vel actuali. Alter eſt, & dici poteſt *Contingentiæ, & Indifferentiæ*: vel æqualiter ad omnia poſſibilia, vt in Deo; vel inæqualiter, vt in nobis. Modus hic ſeu libertas indifferentiæ, vel eſt ſolius *Contradictionis*, ſeu *Exercitij*, inter contradictoria .i. inter velle & non velle: non ad vtrumq; ſimul circa idem, ſed ad alterutrum. Vel eſt etiam *Specificationis*, ſeu *Contrarietatis*: non quaſi inter ſola cõtraria, ſed etiam diſparata, nec ad hæc ſimul de eodem volenda, ſed ad alterutrum ex duobus contrarijs, vel ad aliquod ex diſparatis. Tam ergo aberrant à veritate probabiliori qui negant in Deo & nobis illam libertatem eſſentialem, quàm qui hanc contingentiæ: ſed quia illa eſt Scholaſtica, eſſentialis, & difficilior, hæc moralior, practica, & propria viatorum, ſolaque cum hæreticis controuerſa: ad cauendam æquiuocationem, Eccleſia ſuis cenſuris prouidit, vt hæc ſola vocetur libertas ſimpliciter; illa autem eſſentialis voluntati. Non quatenus eſt formaliter receptiua ſuorum actuum: quia vt ſic non habet vllam eorum poteſtatem. Nec tam formaliter, quatenus eſt eorum productiua: quàm quatenus eſt proprio actu formaliter operatiua, modo illo ſibi eſſentiali. Quomodo differt formaliter à modo & perfectione intellectus, operandi & agendi naturaliter, ſeu ex propria determinatione naturali, vel ab obiecto. Sic enim diſtinguit *B. Aug.* modum quo Dicitur Filius à Patre per intellectum, à modo quo Spiritus S. procedit à Patre & Filio per voluntatem: quòd hic procedat *quomodo datus* .i. modo quodam proprio dandi liberaliter, volendo dare priùs & potiùs ipſummet actum volendi, quàm vllam rem aliam datam; ille autem *quomodo natus* .i. naturaliter; vel à natura, eo modo quo natura & naturalia ſolent; vel in naſcendo, eo modo quo natura & naturalia etiam viuentia & rationalia ſunt ex ſe determinata ad generandum & naſcendum formaliter ſimilia in ipſa natura ſeu in principio naturali generandi. Nec obſtat quod tam ſæpè ſupra explicet libertatem voluntatis per poteſtatem faciendi quod vult, cùm vult, aut ſi vult, quorum primum eſt ipſum velle. Quaſi libertas cõſiſteret in poſſe facere ſeu producere ſuum proprium actum quo vult: quod eſt cõtra perfectionẽ actus in Deo; ſed in nobis eſt commune intellectui & voluntati, imò & omni potentiæ actiuæ, poſſe facere ſuum actum, & poſſe facere quod facit, cùm facit, & ſi facit. Quia per habere actum ſuum in poteſtate, non intelligit habere illum in potentia naturali, quomodo omnis cauſa habet ſuum effectum: ſed in poteſtate morali, ſeu iure quodam fruendi vel vtendi formaliter ſuo actu. Quod ipſum ſonat nomen poteſtatis, & verbũ habendi in ſua poteſtate. Neq; hæc poteſtas aut modus moralis habẽdi in poteſtate, eſt ad producẽdum aliquid: ſed potiùs ad vtẽdum vel fruendum re vt habita, & iam exiſtente. Nec facere quod quis vult, cùm vult, aut ſi vult, intelligit in ſenſu compoſito & nugatorio: quo ſi quid facit, cùm facit, aut ſi facit, neceſſariò facit; ſed in ſenſu diuiſo, & proprio ſoli voluntati. Id eſt, ſola voluntas vt prior ſuo actu volendi, ſi & cùm quid vult, neceſſarò conuult ſuum velle, ſeu non poteſt velle, quin conuelit ſuum velle. Nec denique per *facere* intelligit producere: ſed potiùs formaliter operari. Quia inquit, *cùm quod vult facit, quorum primum eſt ipſum velle* .i. volendo facit, & faciendo vult. Velle autem non eſt producere aliquem effectum: ſed operari circa obiectum, non ſolùm volendo obiectum, ſed ſuum proprium actum volendi obiectum. Quàmque hæc ſit notio radicalis totius veræ & perfectæ libertatis: patet ex liberrima & deliberatiſſima forma loquendi Principum, reddendo hanc primam rationem ſuorum actuum liberorum, *Quia nobis placet.* Quid eſt autem velle quia placet: niſi quia placet velle? Quid eſt, proprium velle placere volenti: niſi velle ſuum proprium velle? Non neceſſariò, velle prius, per

Digitized by Google

poſterius,aut aliud & aliud velle in infinitum:ergo idem velle ſui-ipſius. Imò idem patet ex peruerſa imitatione veræ ac perfectæ libertatis : de qua *B. Aug. 1. Conf. 6. An libuit facere contra legem : vt mancam libertatem captiuus imitarer, tenebroſa Omnipotentiæ ſimilitudine?* Cap. 7. *Quid facere non potui, qui etiam gratuitum facinus amaui?* Nec amatur facinus externum,niſi volendo & amando proprium velle internum. Nec eſt aliud, propriè & formaliter,conſentire : quàm proprium velle ipſi volenti placere. Sic enim peſſimi ſolent exprimere abuſum ſuæ libertatis : *Sit pro ratione voluntas.* Cùmque moneantur, cur hoc & illud velint & faciant, ſolent ſuperbè reſpondere : *Quia placet velle & facere.* Quod eſt ſolius Dei : cuius voluntas eſt prima regula & rectitudo volendi & agendi. Ad cuius imitationem, non æmulationem, noſtra libertas dirigenda& moderanda eſt. *Sed vna eademq; libertas Dei in ſe : ex diuerſis obiectis, & modis ea volendi, variè & rectè diſtinguitur, vt ſupra* .i. col.375. 376. & *infra* .i. poſt ipſam *Reſp.* ex Sacra Script. & SS.PP.varias Dei voluntates,aut etiam de eis varias formales diſtinctiones referentibus. Inter quas ordinatiores, & ſubordinatiores ſunt illæ *Scoti*, in 1. d 47. In *velle*,& *nolle* poſitiuè, vel negatiuè; abſolutè,vel conditionatè; efficaciter,vel remiſsè. Si tamen conditionata & remiſſa poteſt eſſe digna Deo : vt ſupra, & paulo infra. Quas diſtinctiones paulò aliter profert in *Reportatis* 1. *d.* 48. 5. *Ad 3. q. Vtrum voluntas Dei ſemper impleatur. Dico quòd voluntas poteſt accipi vt eſt potentia, vel vt eſt velle, vel vt eſt ſignum voluntatis. Actus voluntatis diuiditur in volitionem, & nolitionem in nobis. Quia eſt quædam nolitio poſitiua. Vtraq; ſubdiuiditur in velle& nolle,ſimplicis cõplacentiæ,aut diſplicentiæ,& efficacis,ſeu in efficax,& non. Velle efficax ſubdiuiditur in intenſum,quantum quis poteſt,& remiſſum, ſeu non ex toto conatu. Volitio Diuina ſolius complacentiæ, eſt omnium aliorum à ſe : ſed non habet volũtatem efficacem impoſſibilium, necnon fiendorum, neq; aliqua volitione ſimplici vult mala; ſed voluntate efficaci vult futura contingentia pro tempore quo erunt,&c. Alia eſt Voluntas Dei quæ eſt Beneplaciti, & illa ſemper impletur. Si quæ Voluntas Dei eſſet malorum, non eſſet efficax : ſed Deo Authore non fiunt mala. Quin ex Aug. q. 5. ex 83. Sapiente Authore non fit homo deterior.* Ad 1. Arg. ex Matt. 23. *Non eſt intelligendum, quod voluit congregare, & non fecit : ſed voluit & fecit, & tu noluiſti .i. te inuito.* Ad aliud ex 1. Tim.2. *Eſt diſtributio accomoda : ſed melius dicitur quod voluit omnes ſaluos fieri voluntate antecedente, non conſequente, &c.* Sed celebriores ſunt duæ illæ diſtinctiones Voluntatis Dei. 1 In Voluntatem Beneplaciti, & Signi. 2. In Voluntatem Antecedentem & Conſequentem. De quarum ſenſu veriori ſeu probabiliori, vt & de illo dubio *Scoti*, an detur in Deo Voluntas actualis inefficax, vel non ſatis efficax ſeu remiſſa : eſt difficultas grauiſſima, perplexiſſima, & ad ſecretum Prædeſtinationis & gratiæ Dei pertinentiſſima. Cùm enim Sacra Script. & *S.Aug.* ſupra tam ſæpè & expreſsè inculcet efficaciam,& Omnipotentiam cuiuſuis Voluntatis actualis Dei, nec ab vlla difficultate de Prædeſtinatione & gratia, refugiat ad vllam actualem Voluntatem Dei inefficacem,conditionatam, ſimplicis complacentiæ, vel diſplicentiæ : hìc modus volendi videtur nimis imperfectus, & indignus Voluntate Dei; nec alio fine excogitatus,& à nobis ad Deum tranſlatus, quàm ad humano modo concipienda & concilianda ſecreta inſcrutabilia Prædeſtinationis & gratiæ Dei, cum ratione, & libertate noſtra, contra vel ſupra Sapientiam Apoſt, *Rom. 9. 11.* & *S. Aug. Lib. De Prædeſt. SS. De bono perſeuerantiæ, de Libero Arb. De correptione & gratia, &c.* Aliunde, videntur aliquæ ſententiæ S. *Script.*& SS.*Patrum* ſupponere & exigere ſimilem aliquem modum volendi in Deo. Nam præter voluntatem ſaluandi omnes, 1.*Tim* 2.& qua Deus vult quod nolumus,*Mat.*23. de cuius vario ſenſu ex *B. Aug.* ſupra: Eſt de Fide Deum primò velle ſeipſum; non voluntate efficaci ſui-ipſius, ergo ſolius ſimplicis complacentiæ. Nec videtur dubium quin Deus aliter ſolus,aliter cum alijs creaturis, aliter nobiſcum velit & agat; ergo aliquo alio modo volendi,& agendi. Nec eſt imperfectionis, ſed perfectionis liberæ, & ſoli voluntati propriæ, poſſe ſuum actum modificare, & varijs obiectis, ſubiectis, & concauſis ſubordinatis accommodare. Sed quia hæc difficultas non tàm vrget hîc, quàm infra, *Quæſtione* de Prædeſt. nec *Scotus* audet eam reſoluere : nos eam hîc problematicè ſuſpendamus,& in vtrumque ſenſum duas illas celebres diſtinctiones explicemus. Voluntas *Beneplaciti*, ſic quidem denominatur ex *Rom.* 12. *Voluntas Dei Beneplacens*, & *Luc.* 2. *Pax hominibus bonæ voluntatis* .i. græcè *Beneplaciti Dei* : non tamen pro ſimplici complacentia Dei; nec pro ſola cõplacentia efficaci in aliquo obiecto, aut effectu placente ſeu grato Deo; ſed pro omni Voluntate Dei abſoluta, & efficaci, quatenus ipſa potiùs ſibiipſi placet, quàm eius effectus, & obiectum ſecundarium. Sic enim *Alenſis* noſter *Quæſt.* 26. *m.* 6. *Ad vlt. Voluntas Beneplaciti refertur ad Deum, qua Deus in ſe quieſcit, ex Rom. 12. Prou. 16.* Quid eſt autem Deum hac voluntate in ſe quieſcere, niſi ſibi in illa placere? *Quæſt. 36. m.1. Ad 3. Voluntas Dei Beneplacens*, Rom. 12. .i. *ex ſe quieta, & immobilis. M. 2. Voluntas Beneplaciti nunquam fruſtratur.* Et *Scotus diſt. 46. q. 1. Voluntas Beneplaciti eſt vltima determinatio Voluntatis omnipotentis.*]

Volũtas ſigni,vel eſt ipſum ſignum alicuius Voluntatis Dei,vel eſt ipſa Volũtas Dei vt ſignificata, ad huius diſtinctionem à Voluntate Beneplaciti,vt inſcrutabili. Si eſt ipſum ſignum: non poteſt eſſe falſum, aut vanum, ſine vlla ſignificatione Voluntatis Dei : ſed poteſt ſignificare aliquam Voluntatem Dei in ſe ipſo formaliter, vel Dei in nobis, obiectiuè, cauſaliter, directiuè, permiſſiuè. Si eſt ipſa Voluntas Dei ſignificata : vel eſt aliqua Voluntas, formaliter in Deo, ſimplicis complacentiæ, aut diſplicentiæ, inefficax, conditionata, remiſſa, poſitiua aut negatiua; vel eſt aliqua voluntas quæ debet eſſe, vel eſt in nobis aliquo modo à Deo, poſitiuè, vel negatiuè, ſeu permiſſiuè, obiectiuè, cauſaliter, exemplariter, vel directiuè. Quæ colligi poſſunt ex *Al. Quæſt.* 26. *m.* 6. *Voluntas ſigni eſt ad creaturas* .i. ad eas dirigitur, & earum voluntates dirigit. *Quæſt.*36. m.1. *Voluntas Beneplaciti,*

eſt qua

Digitized by Google

eſt qua Deus vult : voluntas ſigni, eſt id quod vult ; illa propriè, hæc impropriè. Ad 2. *Sunt 5. ſigna intellectualia Voluntatis Beneplaciti,&c.* Sed in textu integro hæc dicuntur ſigna *ratione connectorum quæ indicant aliquid eſſe volitum voluntate Beneplaciti, &c. Et ita per medium ſunt iſta ſigna beneplaciti.* Quæſt. 36. m. 1. *Deus poteſt præcipere quod non vult, & prohibere quod vult : ad probationem, non ad executionem.* Ad 1. Voluntas Dei fuit, Gen. 22. *circa hunc actum operandi : non circa ipſum actum imperatum.* Ad 2. *Verba imperandi ſignificant voluntatem imperantis, non autem ſemper executionem vltimam rei imperatæ.* §. 1. *Chriſtus,* Matt. 8. *Voluit ſuum actum prohibendi : ſed non voluit eius executionem.* S. Bon. d.45. a. 3. *Voluntas Dei rectè diuiditur in voluntatem Signi,& Beneplaciti : Quia ſolemus & ipſa volita, & ſigna voluntatis, vocare voluntatem.* Ex quibus patet quàm variè poſſit ſumi voluntas Signi : ſed immediatè pro ipſo ſigno volito; mediatè autem, pro aliqua volitione ipſius ſigni voliti, vel etiam vlterioris effectus ſignificati.

2. Diſtinctio Voluntatis Dei,ex *Damaſc.Lib.2. Fidei, cap. 29.* In Præcedentem & Conſequentem, ſeu vt nunc tradi ſolet, in *Antecedentem & Conſequentem :* videtur referri aut ſupponi ab *Al. S. Bon. & Scoto* ſupra *col.* 400. vt ſubdiuiſio voluntatis Beneplaciti. Non quaſi non ſit ſemper efficax : ſed ſola conſequens ſit ſemper finaliter efficax; antecedens autem ſit aliquando efficax ſolius alicuius effectus proximi. Vt expreſsè *S. Bon.* Diſt. 47. *q.* 1. *Voluntas Beneplaciti, Conſequens & abſoluta, non poteſt impediri ; ſed Antecedens. Neque hac idcirco priuatur proprio effectu :* ſupple proximo, ſed ſolùm finali. Sicque voluntas Beneplaciti vt efficax, diſtingueretur in *Antecedentem* vt ſemper efficacem alicuius ſaltem effectus proximi,& *Conſequentem* vt ſemper efficacem finaliter : quamuis & *Antecedens* ſit aliquando finaliter efficax. Sed *S. Damaſc.* nec vtitur priori diuiſione, in voluntatem *Beneplaciti & Signi :* ſed *Acceptationis & Permiſſionis,* in ſenſu illi inadæquato; neque hanc ſubdiuidit in voluntatem *Præcedentem* ſeu *Antecedentem, & Sequentem* ſeu *Conſequentem ;* neque vtramque ad eundem finem refert. Sed priorem refert ad diſtinctum modum Prouidentiæ circa bona & mala : hanc autem, ad expoſitionem 1. *Tim.* 2. De Voluntate Dei *Antecedente,* non *Conſequente* ſaluandi omnes. Poſſunt tamen facilè ſubordinari : vt & ſupra à noſtris Authoribus ſubordinantur. Alio tamen & quaſi oppoſito ſenſu videtur vti *Scotus* his terminis, in 2. *d.* 37. *q.* 2. *à n.* 24. *Quicquid Deus dat antecedenter, daret conſequenter ex ſe, niſi ſubeſſet impedimentum : dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ ſunt in poteſtate voluntatis ; & ideo ex parte ſua dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & daret conſequenter ſi voluntas ex parte ſua ageret,&c. Quamuis Deus nihil agat neceſſariò : quicquid tamen dat antecedenter, dat & conſequenter ex ſua parte.* Infra, poſt n.22. *Deus non dedit gratiam habitualem antecedenter, vt dedit rectitudinem actus.* Quorum ſenſus eſt: quicquid Deus dat *antecedenter* .i. virtualiter in potentia, *dat,* vel *daret conſequenter* .i. actualiter,ſecundùm virtutem, ſeu potentiam datam ad actũ ; quia fruſtra daret virtutem agendi, niſi conſequenter vellet dare, & daret influentiam actualem neceſſariam ad actum virtutis, ſeu potentiæ. Quòd ſi potentia ad actum aliquem data, naturaliter aut liberè deficiat : vel vis aliqua oppoſita intrinſeca aut extrinſeca præualeat, & aliam Dei influentiam exigat : Deus dat conſequenter ſeu actualiter, quod dedit cauſæ præualenti antecedenter ſeu virtualiter ; daretque deficienti, niſi naturaliter vel liberè à data ſibi virtute ſeu potentia deficeret. *Quamuis Deus nihil agat neceſſariò,* nequidem neceſſitate conſequentiæ vnius ad aliud : *quicquid tamen dat antecedenter* .i. virtualiter, vt ſupra, *dat & conſequenter ex ſua parte* .i. vel dat actualiter, ſeu per influentiam actualem, vel daret ſi cauſa ſecunda à virtute ſibi data non deficeret, &c. Subdit. *Non eſt ſimile de priuatione gratiæ, & rectitudinis actualis : quia Deus non dedit gratiam antecedenter .i.* virtualiter in aliqua potentia naturali, *vt dedit rectitudinem* actuum liberorum, virtualiter, in potentia naturali voluntatis ad illam. *Ideoque poteſt eam .i.* gratiam, *non dare conſequenter, potiùs quàm hanc* .i. rectitudinem actualem. Vnde infert non peccari priuando ſe gratia quæ infuit, non tamen ineſt actu,nec in potentia peccantis : ſed peccari toties quoties, priuando ſeipſum, ſeu actum ſuum, rectitudine actuali, quam peccans debet & poteſt ipſi dare, ſeu quam habet antecedenter in potentia, & quam Deus dat ex ſe,vel daret conſequenter & actualiter, niſi peccans ex ſe deficeret. Qui vſus & ſenſus horum terminorum videtur valde alienus ab vſu & ſenſu voluntatis Antecedentis & Conſequentis : quia voluntas Conſequens eſt efficacior Antecedente, datio autem conſequenter, eſt minus efficax quàm antecedenter. Poteſt tamen ſic accomodari : vt Deus Voluntate ſua Antecedente omnia merita & demerita, ſeu proprio motu ſuæ bonitatis, intendat ab æterno dare aliquem finem, propter quem velit conſequenter dare media ad illum neceſſaria : vel exequendo ſuam intentionem, det voluntate Antecedente media, per quæ vult conſequenter dare finem intentum : vel generaliter vt Deus det voluntate Antecedente & conſequente, ſeu antecedenter & conſequenter, quæcumque ordine naturæ vel gratiæ ſic à Deo inter ſe ordinata ſunt. Sed an, ſemper, & quam efficaciter, voluntate Antecedente, vel Conſequente : pertinet ad propriam Quæſt. De Prædeſtinatione.

Difficultates.

1. EX ſacra Script. quæ videtur ſibiipſi contradicere, de voluntate Dei : nunc vt eſſentiali, *Ioan.* 4. nunc vt vnica, interna, æterna, abſoluta, efficaci. *Prou.* 19. *Pſal.* 113 134. nunc vt pluribus, externis, mutabilibus, conditionalibus, inefficacibus, ſimplicibus complacentijs, deſiderijs, vel ſolis ſignis talium voluntatum. Vt ſupra *col.* 378. & *Deut.* 32. *Vtinam ſaperent, &c.*

Reſp. Deus ſapientiſſimè prouidit, vt ſacra

Digitized by Google

Script. nunc nobis exprimat quæ, quanta, & qualis ſit voluntas Dei in ſe, & ex ſe, & ad ſeipſum: nunc quàm variè terminetur ad nos, tam ex propria ſua libertate, quàm ex noſtra. Vt *Gen.* 2 *Deus requieuit*, in ſe ſolo, *ab omnibus operibus ſuis. Prou.* 16. Vult, & *operatur omnia propter ſeipſum*. 1. Ioan. 4. *Deus eſt Charitas*: vtique affectiua ſui ſolius; ſed effectiua, beneuola, & benefica alijs. Hinc enim *S. Ioan.* monet vt diligamus Deum & proximum ſicut noſipſos: ſed potiùs actu libero, quàm affectu non libero. Quæ Dei beneuolentia & beneficœntia nobis commendatur per varios modos volendi, ſiue proprios, ſiue metaphoricos, ſeu ad Deum à nobis tranſlatos: non ad ſignificandum ipſum noſtrum modum volendi in Deo, ſed infinitè veriorem & perfectiorem.

2. Ex SS. Patribus eodem modo ſibi inuicem, & ſibiipſis de voluntate Dei contradicentibus, vel æquiuocantibus. Vt *Tertul.* ſupra *col.* 381. *Non eſt ſolidæ fidei ſic omnia ad voluntatem Dei referre.* Infra. *Deus præponit quæ magis vult, &c. Minorem voluntatem, maiore delet, &c. S. Aug. col.* 385. ex 11. Conf. 11. *Ad ipſam Dei ſubſtantiam pertinet voluntas eius.* Col. 387. ex 15. Trin. 17. *Deus Charitas eſt*, 1. Ioan. 4. *Non quòd Charitas nulla ſubſtantia ſit Dei nomine digna*; ſed vt Ioan. 4. *Deus Spiritus eſt, &c. Vt non ſit aliud ſubſtantia, aliud Charitas; ſed ſubſtantia ipſa ſit Charitas, & Charitas ſubſtantia, &c. Quid eſt autem aliud Charitas quàm voluntas?* Ergo nec eſt potentia, nec habitus, nec actus: nec voluntas eſt libera, nec conditionata, ſed neceſſaria, naturalis, & abſoluta. *Col.* 388. Videtur *B. Aug.* alienare ſacram Script. *Matt* 23. & 1. *Tim.* 4. à verbis & ſenſu expreſſo: nec ſibiipſi conſtare, de efficacia & libertate voluntatis Dei, & noſtræ. Cùm de ea tam diuerſa & aduerſa conijciat: vt 5. *Cin.* 10. videatur cenſere ipſam vitam Dei eſſe liberam; ſed *lib.* 3 *De libero Arb. cap.* 1. exigat vim continendi motum proprium, ad veram libertatem. *Damaſc.* & ex eo Scholaſtici videntur fingere in Deo voluntatem Antecedentem & Conſequentem, quaſi priorem & poſteriorem.

Reſp. Eodem quaſi modo: Sed ſpecialiter ad *Tertul. Non eſt*, inquit, *ſolidæ fidei ſic referre, &c.* .i. abuti potiùs voluntate Dei ad noſtram, quàm noſtram referre ad Deum. *Deus præponit quæ magis vult, &c.* Non quaſi magis vel minus in ſe: ſed in ſuis præceptis, & conſilijs, magis vel minus obligantibus, vel in obiectis magis aut minus bonis, ſicque magis vel minùs obiectiuè, ſeu terminatiuè volitis. *Minorem voluntatem, maiore delet* .i. minorem obligationem, vel minorem perfectionem, maiore. Reliqua *Tertul.* ibi, redolent eius errorem de obligatione monogamiæ.

S. Aug. 11. *Conf.* 10. 11. Non contendit Voluntatem Dei eſſe formaliter eius ſubſtantiam ſeu Eſſentiam: ſed ipſam voluntatem creandi eſſe æternam, & ſic æquè pertinere ad ſubſtantiam Dei .i. æquè eſſe propriam & intrinſecam. 15. *Trin.* 17. Negat diſtinctionem realem: *Non eſt aliud, & aliud, &c.* Sed præcipuè intendit diſtinguere inter hanc, *Deus charitas eſt*, 1. *Ioan* 4, & illam *Pſal.* 70. *Tu es patientia mea*: quòd Deus propriè & formaliter ſit & dicatur *Charitas*, vt dicitur *Spiritus*, *Ioan.* 4. non æquè eſſentialiter, ſed æquè propriè & formaliter; non autem propriè & formaliter patientia, ſed ſolùm cauſaliter, *Patientia mea.* Ad *Matt.* 23. & 1. *Tim.* 2. *S. Aug.* non alienat ſenſum expreſſum, ſed inquirit latentem ac difficillimum. Nec huius ſenſus varietate, minùs ſibi conſtat: ſed vt apis ſtudioſè veritatem exſugit. Nec inaduertenter præterit expreſſum verborum ſenſum: ſed ſapienter aduertit non poſſe habere verum ſenſum vulgarem & humanum, ſed nonniſi Diuinum, ſeu Deo dignum. *Ad* 5. *Cin.* 10. Non cenſet Vitam Dei eſſentialem, eſſe liberam: ſed actum vitalem volendi, vel ipſam vitam, & quamuis perfectionem Dei, vt ſibi à ſeipſo liberè volitam. Vel potiùs *B. Aug.* nec vult eſſe liberam, nec non liberam: ſed probat non omnem neceſſitatem operandi eſſe contra aut ſupra libertatem; quia quamuis vita Dei ſit ſimpliciter neceſſaria, non tamen ſubeſt huic neceſſitati. *Ad* 3. *De libero Arb. cap.* 1. Agit de libertate qua quis ſe ſubijcit propriæ libidini: cùm poſſit ſe ab ea continere. Nec ideo promiſcuè & æquiuocè agit paulò poſt *cap.* 3. de libertate eſſentiali: ſed poſtquam egit de illa vt iam liberè ſubdita, facilè explicat concordiam præſcientiæ Dei cum reliqua libertate eſſentiali. *Ad Damaſc. & Scholaſticos*: non fingunt in ipſo Deo vllam priorem & poſteriorem voluntatem; ſed vtuntur hac diſtinctione ad obſeruandum ordinem inter obiecta nobis à Deo volita, quamuis eodem actu volendi. Vt monet noſter *Al. q.* 36. *m.* 2.

3. Ex *Al. S. Bon. & Scoto*, qui etiam nunc nullam tribuunt Deo voluntatem internam, & propriè dictam, niſi efficacem: nunc aliquas conditionales, & ſimplicis complacentiæ, etiam circa omnia poſſibilia. *Al. q.* 26. 36. *m.* 1. *Sola voluntas Beneplaciti eſt qua Deus propriè vult.* M. 2. Ad 3 *Non debet, ait, conditionari, Deus vult omnes ſaluos fieri, ſi velint*: & tamen ſubdit, *ſed quantùm eſt ex ſe, ſi ſint digni vel capaces. S. Ben. D.* 45. *a.* 1. *q.* 1. ſupponit voluntatem Signi non eſſe propriè voluntatem, ſed tantùm obiectum volitum, aut ſignum eius. *Diſt.* 46. & 47. *q.* 1. Vocat voluntatem Dei antecedentem conditionalem, totamque eius efficaciam ſtatuit in danda capacitate naturæ, & offerendis neceſſarijs ad ſalutem. Hinc monet *d.* 46. *q* 1. *Ad* 2. Voluntatem conditionalem Dei non eſſe ſolam *velleitatem.* Sed ſi eſt voluntas tantùm efficax ſubiecti capacis, vel aliquorum, ſed non omnium mediorum, nec ipſius finis: ergo eſt ſola aliqua velleitas finis, & mediorum efficaciorum. *Scotus d.* 41. *in* 3. *d.* 7. *q.* 3. tribuit Deo primam voluntatem, ſeu intentionem efficacem finis, & omnium propter finem: ergo non ſibi conſtat in 1. *d* 46. & in 2. *d.* 37. ſupra, de voluntate Dei Antecedente, & Conſequente, nec de dare *Antecedenter & Conſequenter.* Sed omnium grauior eſt difficultas: quòd *Scotus* contendat Deum liberè velle ſeu amare ſeipſum, & liberè ſpirare Spiritum S. quantumuis neceſſariò neceſſitate perfectionis, non tamen neceſſitate naturali, nec contraria libertati. Vt patet ex tot locis ſupra citatis, & ex Quodl. 16. breuiſſimè relato

lato

Digitized by Google

lato ſupra *col.* 196. Vnde nemo poſſet niſi liberè velle, ſicque & liberè peccare, quantumuis neceſſariò, quantacunque neceſſitate volendi, aut impoſſibilitate non volendi. Contra expreſſas cenſuras *Pij* 5. & *Greg.* 13., in has prop. *Bay.* 38. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* 63. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* 64. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod neceſſariò facit.* Quæ ſunt æquè contra *Scotum*.

Reſp. Tribuunt Deo ſimplicem complacentiam poſſibilium: non quoad vllum affectum, imò nec actum ad illa in ſeipſis terminatum; ſed ad ſolam Dei Omnipotentiam, vel ad eſſe eorum cognitum & exemplare, in quo ſunt poſitiuè & proximè poſſibilia. *Al.* & *S. Bon.* cenſent Deum propriè velle ſola voluntate Beneplaciti: vt opponitur voluntati Signi, ſeu Signo voluntatis; non autem vt opponitur veræ alicui Voluntati Dei ſignificatæ. *Al. S. Bon. & Scotus.* tribuunt Deo Voluntatem Antecedentem conditionalem: non quaſi conditione intrinſeca ipſi voluntati, eamq; ſuſpendente ab omni actu & effectu; ſed intrinſecâ obiecto proximo, & ſuſpendente ab vlteriori effectu. Sic enim *Al. Q.* 26. *m.* 6. *Voluntate Antecedente Deus vult omnes ſaluos fieri .i. paratus eſt omnibus dare gratiam etiam finalem qua ſaluentur.* Non tantùm quaſi præparatione remota, & ſoli Deo interna, ſeu ex ſola bonitate vt communicabili & communicatiua: ſed etiam aliqua præparatione externa. Vt patet *ex Q.* 36. *m.* 2. *Deus vult omnes ſaluos fieri: non debet conditionari, ſi velint*; quia vt ſubdit, *hæc conditio non ſubeſt in paruulis: ſed quantùm eſt ex ſe, ſi ipſi ſint digni vel capaces.* Ergo hæc eſt præparatio, & conditio præparatoria; ſi ſint digni per gratiam, vel ſaltem capaces ex natura rationali; quia Deus non fruſtra dedit hanc capacitatem, niſi ſuperuenerit obex alicuius peccati ſaltem originalis. Patet etiam expreſſiùs ex *S. Bon. D.* 46. *q.* 1. *Vult omnes & ſingulos ſaluos fieri Voluntate Beneplaciti Antecedente, ex parte Dei, ſeu conditionali, creando omnes capaces ſalutis, & offerendo eis gratiam neceſſariam; non Voluntate Conſequente & abſoluta, &c. Quæ differentia non eſt ex ipſo actu Dei: ſed ex eius connotatis. Ad* 2. *Voluntas conditionalis Dei, non eſt quaſi velleitas in Deo* .i. ſola inclinatio volendi, ſuſpenſa ab omni actu & effectu: ſed *quædam connotatio ad extra* .i. conditionis requiſitæ ad vlteriorem effectum. *Ad* 4. *Qui vult aliquid Voluntate Antecedente, vult neceſſariò annexa, &c.* D. 47. *Voluntas Beneplaciti Antecedens ſeu conditionalis, poteſt impediri. Nec ideo priuatur effectu proprio: qui non eſt niſi capacitas naturæ ad ſalutem, & oblatio neceſſariorum ad illam.* Sed expreſſiùs in textu integro. *Voluntas Dei nullo priuatur effectu ad quem eſt propriè: nam Voluntas qua Deus vult omnes ſaluos fieri, non connotat ſalutem, nec propriè eſt ad effectum ſalutis: ſed connotat ordinationem naturæ, ſiue naturam ordinabilem ad ſalutem. Vnde nihil eſt plus dicere, Deus vult iſtum ſaluum fieri, quantùm in ſe eſt: quàm Deo placuit dare iſti naturam per quam poſſet peruenire ad ſalutem, & paratus eſt iuuare, &c.* Vt ſupra ad *Al.* Sed expreſſiſſimè ex *Scoto* d. 46. & in 2. d. 37. Vt ſupra, & d. 32. n. 9. *Qui accepit voluntatem & gratiam bene operandi, eſt debitor bonorum operum quæ virtualiter continentur in illa gratia, &c. Hoc debitum oritur ab ipſo dante, ex eius datione virtuali, voluntate Antecedente: ſed Deus dando Adamo formaliter, dedit cuilibet poſtero virtualiter; ergo quilibet eſt eius debitor. In quo eſt ſimile de bonis operibus datis virtualiter per gratiam, &c.* Nec *Scotus* per hæc contradicit ſibi de Prædeſtinatione ſaluandorum ex intentione abſoluta, & antecedente omnem præuiſionem & conditionem: quia hæc eſt voluntas ſpecialis ſaluandi; illa autem eſt voluntas cōmunis ſaluandi etiam eos qui non ſaluabuntur. Ad difficultatem cum cenſuris *Pij* 5. & *Greg.* 13. referamus, & conferamus *Quodl.* 16.

An libertas voluntatis, & neceſſitas naturalis poſſint ſe compati in eodem reſpectu eiuſdem actus & obiecti? Suppoſitis ex *Scoto* ſupra relatis, toties que citatis col. 157. 158. 160. 186. 187. 188. 189. 196. *& à nobis hinc inde deſuper diſcuſſis.* N. 2. Hic, *inquit*, tria ſunt videnda. 1 An in aliquo actu voluntatis ſit neceſſitas. 2. Si cum hoc ſtet ibi libertas. 3. Si cum libertate ſtare poſſit naturalis neceſſitas. De 1. Dico, quod in actu voluntatis Diuinæ diligendi ſe, & ſpirandi Spiritum S. eſt neceſſitas ſimpliciter. Quia Deus neceſſariò eſt Beatus: ergo neceſſariò videt & vult obiectum beatificum. Spiritus S. eſt Deus, ſummè neceſſarius in eſſendo: ergo procedit actu ſimpliciter neceſſario. Voluntas Diuina eſt perfectiſſima: ergo neceſſariò ſe habet perfectiſſimè ad obiectum beatificum, illud adæquatè amando, & amorem ei adæquatum ſpirando. *Infra.* N. 4 *Ex* B. Aug. 1. *Retr.* 9. *&* 22. Nihil tam eſt in poteſtate volūtatis, quàm voluntas ipſa .i. quoad actum, &c. Non quod ipſa poſſit ſuſpendere omnem actum ſuum: ſed circa aliquod obiectum; habendo tunc aliud velle reflexum ſuper ſuum actum .i volo modo non elicere actum circa illud obiectum. Et hoc poteſt ex ſe: alioquin non poſſet omnem actum ſuſpendere poſt deliberationem, &c. Vt non poteſt ſuſpendere illam intellectionem, quæ neceſſaria eſt ad volitionem per quam ſuſpendit illam intellectionem: ſed poteſt quamcunque aliam ſuſpendere. Sic non poteſt pro nunc ſuſpendere omnem volitionem: quia non illam qua voluntariè ſuſpendit; ſed poteſt ſuſpendere quamcunq; aliam ad hoc non neceſſariò requiſitam. N. 5. Poſſet concedi quòd voluntas poteſt nolle obiectum in quo non oſtenditur aliqua ratio mali, nec defectus boni, &c. Nec ſequitur, ergo neceſſariò hoc vult: quia poteſt nec velle, nec nolle. *N.* 7. Saltem probabiliter poteſt dici quod non omnis voluntas creata neceſſitatur ex natura ſua ad volendū finem obſcurè cognitum: ſed certum eſt quòd Voluntas Diuina neceſſitatur ſimpliciter ad volendum bonitatem propriam, &c., Deus neceſſariò vult quicquid vult, ſolâ neceſſitate immutabilitatis, &c. Sed poteſt dici quòd neceſſariò habet actum complacentiæ cuiuſuis intelligibilis: vt in illo oſtenditur quædam participatio bonitatis propriæ; nihil tamen neceſſariò vult volitione efficaci ad exiſtentiam.

De 2. Dico, quòd cum neceſſitate ad volendum ſtat libertas. 1. *Ex* Aug. *Enchir.* 105. Multò liberius erit arbitrium quod non poterit ſeruire peccato, &c. Nec voluntas libera non eſt, qua ſic

beati eſſe nolumus, vt eſſe miſeri nequaquã velle poſſimus. 2. Ex *Anſel. De Lib. Arb.* cap. 1. ſupra. 3. Varijs rationibus. Quia Deus vult omnia propter ſe: ergo & omnia, & ſe liberè. Deinde libertas & neceſſitas ſunt perfectionis ſimpliciter: ergo ſunt ſimul. Denique libertas eſt conditio intrinſeca voluntati ad volendum: ergo poteſt ſtare cum perfecta neceſſitate.

Si quæras quomodo ſtat perfecta libertas cum neceſſitate *Reſp. Ex Ariſt. 4. Metaph.* Non eſt quærenda ratio eorum, quorum non eſt ratio, &c. Niſi addamus vnum breue: quòd voluntas infinita neceſſariò habet actum circa obiectum infinitum, non finitum; quia illud eſt perfectionis, hoc eſſet imperfectionis, &c. Nec eſt eadem diuiſio principij, in naturale, & liberum, quæ in neceſſarium & contingens. *Ex additione.* Sed in quo ſtat per ſe ratio libertatis? Hîc diceretur quòd neceſſitas volendi poteſt determinate actum ad obiectum, aut vt egreditur à voluntate. Et hoc, vel vt neceſſitas prçuia ad voluntatem, ſub quã cadat voluntas, ſeu impellens ad actum & in eo figens, ſicque voluntas ageretur & non ageret, nec ſtaret in tali actu libertas: Vel vt neceſſitas concomitans, cadens ſub voluntate, ob firmitatem libertatis ſuæ, ſibi-ipſi neceſſitatem imponente. In ſpiratione, concomitatur neceſſitas naturæ: ſiue vt eſſentiæ, ſiue vt principij naturalis producendi ſimile, &c.

In quo igitur eſt libertas volendi? Reſp. *Quia delectabiliter, & eligibiliter elicit actum, & permanet in actu.* Quod ſi ſit *Scoti*: non eſt ſolùm intelligendum ſponte, nec delectando ſe ſuo proprio actu, aut eligendo inter contraria, contradictoria, vel plura obiecta aut actus quaſi poſſibiles: ſed de modo proprio operandi, volendo, conſentiendo, placendo, & eligendo proprium actum, vel eius terminationem: quo quis vult, conſentit, placet eligit, ſiue neceſſariò circa obiectum neceſſarium, ſiue contingenter circa contingentia. Poteſt enim neceſſariò volens, eodem actu velle hanc ipſam ſuam neceſſitatem volendi, ei conſentire, ſibi in ea placere, ſicquè eam eligere, æquè ac ſi poſſet aliud vel aliter velle aut nolle. Nam agere propria electione agendi, eſt non cogi, nec applicari ab alio ad agendum: ſed ſeipſum proprio motu, ſeu volendo applicare; non autem ex pluribus actibus quaſi poſſibilibus hunc eligere, vel circa hoc ſubiectum aut obiectum præ alijs quaſi æquè poſſibilibus. Declaratur ex *Ariſt.* qui explicat libertatem ſolius voluntatis per modum agendi à propoſito proprio: non quaſi ſemper priori in infinitum, nec quaſi reflexo & ſupponente ſeipſum; ſed directè volente ſeipſum, & ſeipſo obiectum. Hincq; modum opponit modo agendi naturaliter, ſeu ex priore neceſſitate & determinatione naturali, ſiue ab extrinſeco, ſiue ab intrinſeco: non ſeipſum actu & motu proprio determinante aut condeterminante, ſed ſolùm prædeterminato ad agendum, circa ſubiectum aut obiectum præſens, & aptum. Quo ſolo, non illo modo, agit intellectus: quia licet naturaliter appetat ſeu inclinetur ad intelligendum ſuum obiectum, & Deus eodem actu intelligat ſeipſum & ſuum actum: non tamen vult ſeu appetit actu intelligendi nec proprio & quaſi priore motu ſe mouet directè nec ſe reflectit ad intelligendum; ſed quaſi poſt actum mouetur, ſeu naturaliter reflectitur, & determinatur ab obiecto actus, vel ab ipſo actu vt obiecto, ad ſui-ipſius intellectionem. Vt ſupra: ſed non ſine aliqua noua ſcintilla rationis.

De 3. Art. Non eſt difficultas de Natura, pro omni ente: ſic enim neceſſitas voluntatis poſſet dici naturalis; ſed de Natura ſtrictè, ex 1. *Phyſ. textu* 49. Eorum quæ fiunt propter finem, alia quidem ſecundum propoſitum, alia non, &c. Sunt autem quæ ab intellectu aguntur, & quæ à natura. *9. Metaph. cap.* 4. Potentias irrationales neceſſe eſt quando actiuum & paſſiuum appropinquantur, hoc quidem facere, illud autem pati: Rationales verò, non neceſſe eſt. *Aug. 5. Ciu. 9. Eſt cauſa fortuita, naturalis, & voluntaria*, &c. Sed intellectus per ſe agit modo Naturæ, &c. Voluntas autem, modo ſuo proprio, liberè. Et ideo quando concurrit cum alijs potentijs, totum dicitur fieri liberè, à principali agente, &c. Nec voluntas poteſt magis eſſe naturaliter actiua, quàm natura liberè. Sed vnde eſt quod voluntas licet neceſſariò agat non tamen naturaliter? *Reſp.* Quia ſeipſã determinat in agendo .i. Si voluntas vult aliquid neceſſariò: non tamen illud velle cauſatur à cauſa voluntatis, etſi eam naturaliter cauſaret; ſed poſito actu primo quo voluntas eſt voluntas, ſi ſibi relinqueretur, & poſſet contingenter hoc velle vel non; tamen ſeipſam determinaret ad hoc, &c. Si voluntas cauſata, neceſſariò vult aliquid: non eſt determinata à ſua cauſa ad illud velle, ſicut graue ad deſcenſum, ſed ab ea ſolùm habet vim determinandi ſeipſam ad hoc velle, &c. Breuiter. Vt eſſe, & modus eſſendi: ſic agere & modus agendi ſunt immediata. Ideo ſicut non eſt alia ratio quare hoc habet talem modum eſſendi, niſi quia eſt tale ens: ſic non eſt alia ratio cur hoc habet talem modum agendi, niſi quia eſt tale agens, ſcilicet liberum vel naturale]

[Quâ tota doctrina *Scoti* quid explicatius? Quid ab illis cenſuris liberius? Quæ non ſunt circa doctrinam ſpeculatiuam, de libertate eſſentiali, ſeu eſſentia libertatis: ſed circa practicam & praxim noſtræ libertatis; ne qua opinione neceſſitatis faciliùs & liberiùs peccetur. Cuius nullum ſubeſt periculum ex hac doctrina *Scoti*, de libertate eſſentiali Dei, in amando ſeipſum, & ſpirando Spiritum S. Imò nec ex libertate eſſentiali Beatorum, & Damnatorum: quia non eſt periculum ne illi ea abutantur, nec hi benè vtantur, nec nos horum aut illorum exemplo abutamur; ſed eſt motiuum cauendi ab horum libera ſed pertinaci neceſſitate peccandi, & conandi ad illorum liberam ac beatam neceſſitatem benè agendi. Nec obſtat quòd *prop.* 38. & 63. non faciant mentionem peccandi: quia referuntur ad 64. ſuntque expreſsè de libertate noſtra, ſeu viatorum, & cõtra neceſſitatem ei oppoſitam. Nec *ſub* 63. cenſuratur libertas eſſentialis *Scoti*: ſed quòd ſola violentia repugnet *libertati naturali* & humanæ viatorum .i. vel vt erat naturæ perfectæ, vel vt eſt etiam naturæ corruptæ, & ſine gratia, ſicq; opponitur ſupernaturali. Cùm talis libertas naturalis fuerit & ſit indifferens & contingens ad multa: ſicque non ſola

Digitized by Google

violentia ab extrinſeco, ſed & neceſſitas ab intrinſeco ei repugnet. Quia tamen cum hæreticis contenditur de ſola libertate propria Viatorum, bene vel malè agendi: *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. 5. & can. 4. & 5.* nihil definit niſi de libertate eſſentiali, quæ non poteſt mutari, ſed de ſolo libero arbitrio proprio Viatorum ad bene vel malè agendum; deque eo ſolo *Pius 5. Greg. 13.* Hinc loquendo cum multis, & ſentiendo cum paucis: vtendum eſt nomine libertatis & liberi arbitrij ſimpliciter, pro noſtro libero arb. cum hæreticis controuerſo, non autem pro libertate illa eſſentiali, niſi cum hac additione, aut in materia propria. Cùm nec hoc nomen, ſeu eius ethymologia & denominatio ſumatur ab illa ſecretiore libertate eſſentiali: ſed, vt ſolet, ab hac notiore, quamuis illam ſupponente. Nam liberum ſeu libertas, vel eſt à libendo, ſeu à modo agendi pro libitu: vel à liberando, non ab omni obligatione aut ſeruitute, ſed à neceſſitate naturali & determinante ad agendum. Arbitrium, ab arbitrando: non ſpeculatiuè, ſed practicè; nec ex ſola ratione, & iuris rigore, ſed ex æquo & bono.

Ex qua æthymologia liberi arb. eſt poteſtas moralis reſoluendi de agendis, ex præuia quidem ratione, non tamen neceſſariò ſecundùm eius dictamen, ſed propria electione & determinatione. Vnde patet non determinari nec neceſſitari vllo iudicio practico: vt volunt quidam *Thomiſtæ*, contra ſcholam noſtram. Imò contra *Trid.* quod ſupra definit liberum arb. à Deo excitatum ſeu motum vtique obiectiuè, quolibet dictamine intellectus, poſſe non conſentire. Directè contra illas cenſuras *Pij 5. & Greg. 13.* Contra ſacram Script. quæ nunquam dicit ſi iudicemus, cenſeamus; ſed ſi velimus. Contra omnes SS. Patres: ſed expreſſiſſimè contra *S. Bern. Lib. De gratia & libero Arb.* Contra exemplum libertatis Diuinæ: quæ non determinatur vllo iudicio practico ad volendum creare poſſibilia; ſed ad hoc determinat ſeipſam, ex ſola ſcientia ſimplici poſſibilium. Denique contra plurimas rationes, ipſamque experientiam. Inde enim ſequeretur, omnem actum malum procedere ex iudicio erroneo, imò & hæretico, quòd hoc malum ſit volendum. Sequeretur voluntatem nunquam proximè eſſe liberam ad exercitium aut ſpecificationem vllius actus. Sequeretur non voluntatem, ſed intellectum eſſe liberum: imò nec hunc, nec illam. Non hunc, quia neceſſariò & naturaliter determinatur ab obiecto: Non illam, ſi quidem determinetur iudicio practico intellectus, quod non ſit in poteſtate voluntatis; niſi ex alio iudicio practico, & ſic in infinitum, aut ſiſtendum eſt in prima aliqua determinatione voluntatis à ſeipſa, ex ſimplici cognitione, ad imperandum vel permittendum, & ſequendum, vel non, iudicium practicum intellectus. Quod ipſum videtur cadere ſub communem experientiam: vnde mirum eſt viros non ſolùm ſpeculatiuos; ſed & propriæ libertatis expertiſſimos, poſſe aliter opinari. Quis enim non facilè percipit, ſe plerumque velle & nolle ex ſola ſimplici notitia: nec voluntatem neceſſitari vllo iudicio practico?

Difficultas 4.

EX varijs rationibus, contra noſtram *Reſp.* 1. Voluntas neceſſariò & eſſentialiter ſupponit intellectum: ergo non poteſt eſſe de Eſſentia Dei, vt intellectualitas. Imò nec videtur eſſe poſſe in Deo formaliter: quia dependet ab intellectu. Vel intellectus non eſt niſi propter voluntatem, vt finem meliorem: ſicque ille non poſſet eſſe in Deo. 2. Eſt glorioſius & perfectius eſſe vel habere aliquam perfectionem eſſentialiter aut naturaliter, quàm liberè, quantumuis neceſſariò: ergo Deus eſt eſſentialiter Charitas ſeu amor ſuiipſius, vultque ſeipſum naturaliter, non liberè. 3. Cùm Eſſentia Diuina ſit infinitæ perfectionis intellectualis: Quæ eſſet imperfectio ex illa infinita perfectione producere actum infinitum intelligendi, & amandi ſeipſum? 4. Cùm actus infinitus & improductus ſit ſufficientiſſimus: ad quid vllus in Deo productus, quo nec plus nec minus, imò nihil intelligit aut vult? 5. Eſt imperfectionis amare ſeipſum ſolum: ſed perfectionis amare etiam inferiora, & ſingula ordinatè ac proportionatè. Ergo & Deus non ſolùm amat ſeipſum: ſed & vero affectu omnia ac ſingula ordinatè & proportionatè. Nam 1. *Ioan. 4. Deus charitas eſt*: Non ſolùm ad ſeipſum, ſed etiam ad nos; vt patet ex eodem textu, & *Sap. 11. Diligis omnia quæ ſunt, &c. Domine qui amas animas.* 6. Nolle aliquod aut alicui bonum, eſt odire: odium perfectum non poteſt eſſe niſi alicuius mali; ergo Deus non poteſt nolle poſitiuè quæ non ſint niſi poſſibilia; quia ſi non ſunt bona amabilia, ſaltem nec ſunt mala odibilia. Hinc *Sap. 11. Nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid feciſti.* Non ſolùm poſt, ſed nec priuſquam eſſent facta, vel volita. 7. Deus ex infinita neceſſitate vult & amat ſeipſum, pluſquã vlla cauſa naturalis agat in ſuum ſubiectum, vel circa ſuum obiectum: ergo minùs liberè amat ſeipſum, quàm vlla cauſa naturalis agit. 8. Actus volendi ſeipſum eſt ipſe Deus, & vita eius: ſed Deus non eſt, nec viuit liberè: ergo nec liberè vult ſeipſum. 9. Libertas ex ipſo *B. Aug.* ſupra, eſt quædam poteſtas ſupra ſuum actum: atqui Deus non habet in ſua poteſtate, ſeu ſub ſua voluntate ſuum proprium actum ſeu amorem ſuiipſius, nec productum, nec improductum; ergo nec liberè amat ſeipſum, nec liberè ſpirat, ſeu producit Spiritum S. ſeu amorem ſpiratum. 10. Spiratio ſecundùm *Scotum*, non eſt actus formalis, ſed actio productiua: non imperata, nec volens ſeipſam, ergo nullatenus libera, ſed naturalis. 11. Si mouere ſeipſum, ſeu agere proprio motu, eſſet agere liberè: grauia & leuia mouerent ſe liberè; aut ſaltem potiùs obiectum, & intellectus, quàm voluntas; quia illa priùs mouet, quàm hæc moueri, aut mouere poſſit. 12. Voluntas Dei eſt naturaliter determinata ad hunc ſolum actum volendi: hic autem ſpecificatur & determinatur ad hunc, ab hoc obiecto infinito; ergo eadem neceſſitate naturali vult hoc obiectum. qua neceſſitate habet hunc actum, & qua hic actus eſt hic, & tantæ perfectionis. 13. Deus vult ſeip-

ſum

Digitized by Google

ſum affectu naturali amoris: ergo non liberè ſed naturaliter. 14. Deus vult neceſſariò ſimplici complacentia, omnia poſſibilia: vultque ab æterno immutabiliter omnia futura; nolendo negatiuè vel etiam poſitiuè omnia nunquam futura. Ergo non vult ſeipſum ſolum neceſſariò: imò nec quicquam contingenter. Quia nec libertate ſpecificationis, cùm non poſſit quicquam velle eſſe, niſi vt ſuæ ſpeciei ſeu eſſentiæ: nec libertate exercitij, cùm velit ab æterno, nec priùs fuerit indifferens ad volendum, nec iam poſſit nolle aut noluiſſe quod voluit ab æterno. 15. Deus æquè eodem actu intelligit ſeipſum, & ſuum proprium actum intelligendi, ac eodem actu vult ſeipſum, & ſuum actum volendi: nec habet plus in ſua poteſtate actum volendi, quàm intelligendi; nec vnus plus aut minus quàm alius determinatur ab obiecto. Ergo vnus non eſt altero naturalior: nec differunt formaliter hoc vel illo modo operandi; ſed potiùs modo quodam impreſſionis ab obiecto, vel in ipſum obiectum. 16. Diſtinctio actus voluntatis Dei à *Scoto*, in velle & nolle poſitiuè, ſupponit Deum habere aliquod nolle: cùm tamen voluntatis ſit ſolùm velle, noluntatis autem eſſet nolle. Nec videatur Deus poſſe nolle ſine aliqua imperfectione, ſeu contrarietate. Nam non poteſt nolle niſi malum, vt ſibiipſi contrarium: quod tamen nolendo non ſuperatur, nec diſtruitur, nec mutatur in bonum. Ergo videtur perfectius tribuere Deo ſolùm velle, & velle bonum, & bene velle ac benefacere ipſis etiam peccatoribus damnatis: quibus melius eſt puniri, quàm impunes eſſe. 17. Diſtinctio in voluntatem *Beneplaciti*, & *Signi*, videtur potiùs æquiuoca, & fallax, quàm doctrinalis: quaſi voluntas *Beneplaciti* eſſet de ſolis obiectis Deo gratis, & voluntas ſigni eſſet aliqua vera & intrinſeca voluntas Dei. Sic & de voluntate Conſequente & Antecedente; quaſi vna eſſet prior altera, &c. vt ſupra.

Reſp. Ad 1. Nec voluntas, nec intellectus, vt potentiæ, ſunt formaliter de eſſentia, vel eſſentia Dei: ſed ſunt eadem intellectualitas, vel natura intellectualis. Nec voluntas Dei poteſt dependere ab eius intellectu, nec eius intellectus eſſe propter voluntatem, vt ſuum finem: quia dependentia etiam finalis, non poteſt eſſe niſi inter diſtincta realiter. Sed voluntas Dei ſupponit eius intellectum, vt & omnia Attributa Eſſentiam, ſolo ordine obiectiuo. *Ad* 2. Ex quadam *Additione* ad *Quodl.* 16. *Scoti*. Velle Dei eſt ex neceſſitate naturali, ſeu ex ſeipſo: ſed non eſt ſui obiecti, niſi liberè. Vel eſſe ipſius actus eſt ſimpliciter neceſſarium & naturale: ſed eius operari, ſeu operatio formalis eſt libera. Neque eſt glorioſius aut perfectius in Deo velle ſeipſum naturaliter, quàm liberè: quia hoc, vltra perfectionem naturalem eſſendi, & eſſendi actum, addit ſpecialem perfectionem actus liberi, vt obiecto amato gratiſſimi. *Ad* 3. Subeſſet aliqua imperfectio intelligendi, perfectibilis tali actu producto: vel eſſet maxima imperfectio impoſſibilitatis, aut ſuperfluitatis talis actus; vt infiniti, & duplicis; vt producti, nec tamen realiter à Deo producente diſtincti; vt actus volendi, nec tamen volentis, nec quo Deus velit. *Ad* 4. Actus improductus eſt Deo ſufficientiſſimus vt *Quo*, non vt *Quod*: ſeu ad intelligendum & volendum; ſed non ad æqualiter cointelligendum, & conuolendum. Nec tamen prima Perſona Diuina indiget Secunda ad intelligendum: nec Prima & Secunda indigent Tertia, ad conuolendum ſeu coamandum; ſed vt Eſſentia Diuina eſt infinitè communicabilis, ſic & Perſonæ Diuinæ ſunt infinitè communicatiuæ, Perſonis eiuſdem Eſſentiæ capacibus. *Ad* 5. Non eſt imperfectionis, ſed maximæ perfectionis, amare ſeipſum ſolum affectiuè: reliqua nonniſi effectiuè, eis beneuolendo, & benefaciendo, ex ſolo affectu ad ſeipſum. Vt ſupra, ex 1. *Ioan.* 4. Imò & ex *Sap.* 11. vbi illa dilectio creaturarum à Deo, explicatur per non odire, & per dare, ac conſeruare eſſe, non autem per vllum Dei ad hoc affectum. Nec illud ſpeciale de animabus, *Domine qui amas animas*, importat vllum affectum Dei ad ipſas animas: ſed vel ad ſeipſum vt per eas cognoſcendum & amandum; vel eo maiorem beneuolentiam & beneficentiam, quo natura ſua meliores, & maiorum bonarum capaces ſunt, quàm aliæ creaturæ. *Ad* 6. Deus non odit poſitiuè vlla poſſibilia, & nunquam futura: quia nihil ſunt ſimpliciter, nec ſibi, nec Deo, nec vlli mala ſunt; ſed odit ſola peccata vt ipſi peccanti ſubiectiuè mala, & ſibiipſi obiectiuè contraria. Nec odit peccatores, vt homines, vel Angelos: ſed vt peccatores. Imò hoc ipſo quo vult eos punire, aut à peccato liberare, eis bene vult, & bene facit. *Ad* 7. Nec modi tam diuerſi agendi liberè & naturaliter ſunt inter ſe comparabiles: nec vllus modus finitus creaturæ, cum infinito Dei. *Ad* 8. Vt ſupra, Deus non eſt, nec viuit liberè quoad eſſe: ſed quoad ſic operari. *Ad* 9. Libertas non eſt poteſtas dominij, quaſi in perſonas vel res diſtinctas realiter, & inæquales: ſed iuris proprij ad ſuos actus. *Ad* 10. Vt ſupra. Spiratio non eſt tam libera formaliter, vt actus circa obiectum: quàm vt actio voluntatis liberæ, terminata ad actum liberum. *Ad* 11. Vt *Scotus* perfectè ſupra. Nec obiectum, nec intellectus mouent voluntatem noſtram realiter, quantò minùs Diuinam? Nec determinant, ſed dirigunt, inclinant, vel ſolùm proponunt. *Ad* 12. Vt ſupra. Eſt determinata ad eſſe, & ad hunc actū abſolutè, vel etiam vt eſt capax huius obiecti: ſed operando, ſeu volendo formaliter, ſe determinat, ſeu applicat ad volendum, & ad ſuum obiectum. *Ad* 13. Deus vult ſeipſum ex affectu, ſeu infinita inclinatione naturali, imò & affectu actuali amoris: ſed qui vt eſt verus actus voluntatis, & volendi, eſt liber; vt eſt ex affectu naturali, poteſt dici naturalis. *Ad* 14. Non vult Deus neceſſariò, nequidem ſimplici complacentiâ, vlla poſſibilia in ſeipſis, ſed nonniſi in ſeipſo, ſeu in ſua Omnipotentia, vel omnium Idæa. Multò minùs vult neceſſariò vlla futura, aut non vult poſitiuè, vel negatiuè non futura: quia poteſt hæc velle, & illa nolle, libertate exercitij, & ſpecificationis. Nam poteſtas volendi eſt ſemper prior ſuo actu, aut eius terminatione ad obiecta ſecundaria: ergo vt ab æterno potuit velle quæ noluit, & nolle quæ voluit, ſic & nunc

Digitized by Google

nunc poteſt. Non enim vult, aut non vult temporaliter & tranſeunter: ſed ab æterno in æternum permanenter. Nec volendo, aut nolendo, quaſi conſumit: ſed exercet, & reſeruat eandem libertatem. Nec libertas ſpecificationis eſt poteſtas variandi ſpeciem eiuſdem rei: ſed volendi varijs actibus, varia obiecta, varios effectus, variæ ſpeciei. *Ad* 15. Vt ſæpè ſupra, de differentia inter modum eſſentialem volendi, & intelligendi: quibus ſimiles, & proprij ſunt illi modi impreſſionis quaſi actiuæ, & paſſiuæ. *Ad* 16. Eadem potentia volendi, & nolendi, denominatur ab actu primo & principali volendi & nolendi. Nec actus nolendi malum, eſt vllius imperfectionis: ſed eiuſdem aut conſequentis perfectionis, cum actu volendi bonum. *Pſal.* 98. *Qui diligitis Dominum, odite malum. Pſal.* 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Non ſolum nolens negatiuè: ſed etiam in multis poſitiuè. Nec Deus patitur vllam reſiſtentiam mali: ſed ſine vlla difficultate *vincit in bono malum*, vel corrigendo, vel puniendo, vel maius inde bonum eliciendo. Non eſt ergo illa phantaſtica pugna Manichæorũ, inter bonum & malum: ſed ſola in Deo formalis repugnantia malo, in nobis autem etiam cauſalis. *Ad* 17. Sat ſupra, explicando has diſtinctiones: quæ non ſunt ad diſtinguendas eas in Deo formaliter, vt perfectiones ei intrinſecas; ſed obiectiuè ſeu terminatiuè in nobis.

QVÆSTIO XIV.

De Sanctitate impeccabili, omniq; perfectione morali, ac Beatitudine Dei.

ID eſt, de innocentia Dei ab omni culpa propria & aliena: de omnibus eius virtutibus & affectibus quaſi habitualibus & actualibus, imò & ſiquibus paſſionibus ad eius bonitatem & perfectionem moralem pertinentibus; deque eius Beatitudine & gloria infinita ac æterna, quaſi intenſiuè & extẽſiuè.

De quibus omnibus *Al.* ſub *Quæſt.* 15. & 16. De Veritate Dei: non ſolùm naturali cognitionis; ſed & morali dictionis, ac ſignificationis, pertinente ad ſanctitatem, ſeu veracitatem & Beatitudinem Dei. *Quæſt.* 17. 18. 19. De Bonitate: non ſolùm obiectiua & naturali, ſed & formali & morali omnium virtutum. *Quæſt.* 25. De diſpoſitione Diuina. *Q.* 26. De prouidentia. *Q.* 28. De Prædeſtinatione. *Q.* 29. De Reprobatione. *Q.* 30. De electione Diuina. Quatenus ſunt ex Sapientia, Charitate, & Iuſtitia Dei. *Q.* 31. De dilectione Dei communi ad creaturas. *Q.* 32. De dilectione Dei ſpeciali, ad creaturas rationales. A *Quæſt.* 34. *ad* 42. De perfectione Voluntatis Dei in ſe, & in ſuis ſignis, ac effectibus: ſpecialiter *q.* 39. De perfectione Miſericordiæ, & Iuſtitiæ. & *q.* 41. De conformitate morali noſtræ voluntatis cũ Diuina. *Parte* 3. in Supplemento *Coll.* 1. *a.* 3. Virtus eſt futura in gloria. Ex *B. Aug. Epiſt.* 52. *Lib.* 6. *Muſicæ c.* 16. *Lib.* 1. *De Moribus Eccleſiæ & alibi. Ad* 3. *Arg.* Poteſt dici quòd in patria erit etiam fides, quoad eius perfectionem, non imperfectionem. *Coll.* 2. *Art.* 3. Virtus eſt neceſſaria in patria ad perfectam Beatitudinem. Ex *B. Aug. Lib.* 19. *Ciu. c.* 3. & 10. *Coll.* 6. *Art.* 1. Virtus increata eſt cauſa realis & exemplaris virtutis noſtræ. *Art.* 2. Eſt vna in ſe virtus exemplaris omnium. *Coll.* 10. Solus Deus, ſub ratione ſummi Boni, eſt cauſa finalis, ſeu finis vltimus omnium virtutum. *Coll.* 11. *Art.* 2. Poteſt dici quòd dilectio ſit futurus finis ſimpliciter, vt principalior & finalior omnium virtutum. *Coll.* 12. Delectatio fœlicitatis, & fœlicitas delectationis: non vt paſſio vitioſa, ſed vt perfectio omnis operationis, eſt finis formaliſſimus omnium virtutum. *Coll.* 13. Delectatio non eſt ſola paſſio: ſed forma perfectiua operationis delectabilis & delectantis. *Coll.* 14. *Art.* 1. Deus eſt virtus increata. *Coll.* 16. *Art.* 2. Virtus eſt ſummus amor Dei. Ex *Aug. Lib. De moribus Eccleſiæ cap.* 2. *Coll.* 17. *Art.* 1. *q.* 1. Virtus eſt in Deo: quia in eo eſt ſumma fœlicitas, noſque ei aſſimilamur per virtutem. *Quæſt.* 2. Quædam virtus eſt in Deo eſſentialiter, formaliter, & entitatiuè, vt virtus increata: quædam tantùm exemplariter, & effectiuè, habens aliquid imperfectionis: quædam exemplariter, effectiuè, quaſi formaliter, & denominatiuè, vt omnis creata, quoad rem & nomen perfectionis. *Coll.* 20. Virtus habet actum in Patria, ſemper adherendi Deo. *Coll.* 57. Deus eſt Charitas, Pax, &c. *Coll.* 66. *Art.* 2. 3. De Charitate formali ipſius Dei. *Coll.* 74. 75. De æternitate Charitatis, potiùs quàm Fidei, & Spei.

S. Bon. in 1. *d.* 1. *q.* 1. *a.* 3. *Ad* 2. Beati intrant in gaudium Dei. *Ad* 3. Deus fruendo ſe ſolo, diligit hominem: non affectione, ſed effectùs communicatione. *D.* 17. *a.* 1. De Charitate Dei, & noſtra. *D.* 48. De conformanda noſtra voluntate cum Diuina, vt prima regula & forma omnis perfectionis moralis. *In* 4. *d.* 46. *a.* 2. De Iuſtitia & Miſericordia Dei. *D.* 49. De Beatitudine, non tantùm noſtra formali, ſed & obiectiua & formali ipſius Dei.

Scotus Quæſt. 3. *Prologi*, de Theologia Dei in ſeipſo. *Q.* 4. De Theologia Dei, ſuo modo etiam practica, circa ſe, vel circa nos. *Diſt.* 1. *q.* 5. An Deo conueniat frui? *Reſp.* Deus fruitur ſeipſo adæquatè, &c. *Ad* 1. *Arg.* Deus non eſt finis ſuiipſius: ſed omnium finibilium. *Diſt.* 17. De Charitate Dei & noſtra. *Diſt.* 48. De noſtra bonitate morali, ex conformitate cum Voluntate Dei. *In* 2. *d.* 37. *q.* 1. & 2. An peccatum poſſit eſſe à Deo. *In* 3. *d.* 12. De impeccabilitate abſoluta ſolius Dei. *D.* 32. *n.* 2. Deus eſt intelligens & volens, per conſequens beatificabilis: non ex potentia ad actum; ergo eſt beatus, & nonniſi intelligendo & volendo ſe, &c. Vt in 1. *d.* 2. *q.* 1. *Ad* 1. *Arg.* Habitus Charitatis eſt in Deo, per identitatem cum potentia; quia eſt perfectionis ſimpliciter:

Digitized by Google

Diſt. 33. *q.* 1. *n.* 16. Angelus poteſt habere virtutes morales circa paſſiones in genere, vel circa noſtras moderandas. Quia per mihi & tibi, non variatur ratio formalis habitus. *Sic & in Deo poſſet poni virtus moralis, vt & charitas.* In 4. *d.* 46. De Iuſtitia & Miſericordia Dei. Sed Scholaſtici potiùs ſupponunt quàm diſcutiant & probent Sanctitatem, & innocentiam Dei ab omni culpa propria & aliena, eiuſque virtutes ſeu perfectiones morales, & ſummam beatitudinem obiectiuam ac formalem: ex tanta euidentia rationis, & Sacræ Script. ac SS. PP. præconijs; vt potiùs dubitandum foret an Deus ſit, quàm an ſit Sanctiſſimus, & Beatiſſimus. Nec tot & tanta Sacræ Script. & SS. PP. præconia de Sanctitate & virtutibus, ſeu perfectione & bonitate morali Dei, ſunt tàm teſtimonia noſtra Fidei: quàm exemplaria & motiua timendi, ſperandi, amandi, & imitandi Deum. Nec vllæ controuerſiæ Scholaſticæ, & Dogmaticæ, de cauſa peccati originalis & actualis, de quorundam à Deo prædeſtinatione, aliorum non, vel etiam reprobatione, quorundam vocatione, conuerſione, & perſeuerantia efficaci & finali, aliorum non: oriuntur ex vllo dubio de Sanctitate Dei; ſed ex difficultate conciliandi illa omnia cum Sanctitate Dei. Ita vt potius nihil illorum crederetur, quàm de hac dubitaretur. Sed quamuis ſit tam certum & euidens eam eſſe: non tamen quid ſit. 1. An ſit ſola eius in ſe Innocentia, ac impeccabilitas negatiua, vel etiam perfectio moralis poſitiua. 2. An ſit ſola perfectio Dei abſoluta in ſe, & circa ſeipſum, quicquid agat, permittat, aut non, circa nos, nobiſcum, per nos, & de nobis. 3. An conſiſtat in vnica virtute habituali & actuali Charitatis, vel etiam in alijs, & quibus? 4. An Veracitas, Fidelitas, Iuſtitia, Miſericordia, ſint virtutes formales ipſius Dei: obligantes & ordinantes eum etiam circa nos, vel nos tantùm circa ipſum, & inter nos. 5. An, vel potius quid ſit beatitudo Dei obiectiua, & formalis. Seu, an ſit formaliter ipſa eius eſſentia, operatio, viſio, fruitio, vel gaudium de ſeipſo, vel omnia ſimul. 5. An ad Sanctitatem vel Beatitudinem Dei pertineant formaliter etiam aliquæ paſſiones, & quæ? 6. An & quàm differant inter ſe Sanctitas, Beatitudo, & Gloria Dei.

Reſponſio.

DEus eſt tam Sanctus, & Beatus: vt ſit ipſa Sanctitas, & Beatitudo obiectiua & formalis; cuius vnione & participatione omnis creatura rationalis intrinſecè Sanctificari & Beatificari poteſt. Sanctitas Dei, eſt eius impeccabilitas & innocentia ab omni culpa propria, & aliena. Non eſt ſola negatio: ſed perfectio moralis poſitiua omnium virtutum poſſibilium, & compoſſibilium; infinita intenſiuè circa ſolum obiectum formale ſingularum in ipſo Deo; ſed extenſiuè & terminatiuè etiam circa nos, & omnes creaturas; non tamen obligãdo vel ordinando Deum ad nos, ſed nos & omnia ad Deum, & inter nos. Beatitudo Dei obiectiua eſt eſſe Deum, vt ſummum bonum, & infinitæ perfectionis in ſeipſo, & ſibi-ipſi. Beatitudo eius formalis, eſt vitalis comprehenſio, ſeu adæquata viſio, ſed formaliùs fruitio ſui-ipſius. Ad 5. item, vt & ad Sanctitatem pertinet infinitum Dei gaudium de ſummo ſuo bono naturali & morali: vel vt perfectio intrinſeca ipſius Sanctitatis, & Beatitudinis, vel vt fructus eius, non autem aliæ paſſiones vt diſtinctæ à perfecto affectu habituali & actuali virtutum. Nec differunt inter ſe adæquatè, ſed inadæquatè, Sanctitas, Beatitudo, & Gloria Dei obiectiua & formalis. Quia Sanctitas Dei includit formaliter charitatem & fruitionem, vt ſummam & formaliſſimam perfectionem Sanctitatis Dei. Beatitudo obiectiua, ſeu ſumma bonitas & perfectio Dei, eſt etiam obiectum gloriæ [illegible], ſeu infinita gloria formali digniſſimum. Beatitudo formalis includit infinitam Gloriam Dei formalem & intrinſecam. Quia Gloria eſt clara cum laude notitia: Deus autem non ſolùm clariſſimè videt ſeipſum, ſed & condignè æſtimat in ſeipſo; imò & declarat & laudat ſeipſum infinitè, dicendo ſeu exprimendo Verbum æqualè. De qua Gloria intrinſeca, obiectiua, & formali concinit, eique accinit Eccleſia: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Ad [illegible] independentiam æterna Gloria Dei, [illegible] Gloria extrinſeca: tam obiectiua, ſeu glorioſa eius apparitione in creaturis; quàm formali, ſeu eius à nobis debita glorificatione, cognitione, æſtimatione, laude, & honore.

Quæ omnia promiſſiuè ſcaturiunt ex Sacra Script. Vt *Quæſt.* 10. 11. 12. 13. De Veritate, Bonitate & perfectione intellectus ac Voluntatis Dei. Supple, ex Rom. 3. *Deus eſt verax, omnis autem homo mendax.* 2. Tim. 2. *Deus negare ſeipſum non poteſt.* Hebr. 6. *Impoſſibile eſt Deum mentiri.* Exod. 15. *Magnificus in Sanctitate, &c.* 1. Reg. 2. *Non eſt Sanctus, vt eſt Dominus.* Pſal. 144. *Magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquentur. &c. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: & Sanctus in omnibus operibus ſuis.* Eſa. 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius.* Mat. 6. *Sanctificetur nomen tuum.* Apoc. 3. *Hæc dicit Sanctus & Verus.* Cap. 4. *Requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Omnipotens, Qui erat, & Qui eſt, & Qui venturus eſt.* Deut. 32. *Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate, iuſtus, & rectus.* Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Pſal. 9. *Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.* Sap. 14. *Sunt Deo odio, impius & impietas eius.* Eccli. 15. *Non dixeris per Deum abeſt: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas ille me implanauit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* Ioan. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil* .i. vt volunt aliqui, peccatum. Rom. 3. *Nunquid iniquus eſt Deus?* Rom. 9. *Nunquid iniquitas eſt apud Deum?* 1. Ioan. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ* .i. nec vlla ignorantia, nec vlla macula moralis. 1. *Ioan.* 3. *Peccatũ in eo non eſt, &c.* 1. Tim. 6. *Beatus Deus, &c.* Pſal. 26. *Vt videam voluntatem, vel voluptatem Domini, &c.* Pſal. 35. *Torrente voluntatis tuæ potabis eos.* Pſal. 20. *Lætificabis eum in gaudio, cum vultu tuo.* Pſal. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem.* Mat. 26. *Intra in gaudium Domini*

tui.

Digitized by Google

tui .i. per eius participationem. *Act.20. Beatius eſt dare, quàm accipere.* Quia illud eſt ſufficientiæ, & abundantiæ Diuinæ.

2. Ex Sacris Symbolis, Sacramentis, Precibus, & Concilijs Eccleſiæ: quibus profitemur tantam in Deo Sanctitatem, vt nos intrinſecè ſanctificet per ſuam gratiam & charitatem, extrinſecè per Sacramenta: tantam Beatitudinem & Gloriam, vt nos etiam participatiuè beatificet, & glorificet. Proclamamus cum Angelis, *Sanctus, Sanctus, Sãctus Dominus, &c. Tu ſolus Sanctus.* Precamur ſuper omnia, vt *Sanctificetur nomen eius*, ſeu vt eius Sanctitas glorificetur in ſe, & in nobis. Deteſtamur cum Sacris Concilijs, non ſolùm blaſphemias antiquorum Idololatrarum, & hæreticorum: qui quoſdam Deos malos, aut ſummum Malum, vt omnium criminum Authorem & fautorem coluerunt; ſed cum Sacro Conc. Trid. etiam noſtrorum Pſeudo-reformatorum, qui cõtendunt Deum quidem eſſe impeccabilem in ſe, non tamen ſolùm permittere, ſed & decernere & inferre nobis neceſſitatem peccandi, ad habendam materiam exercendi ſuam miſericordiam, & iuſtitiam. Vt patet ex *Luthero* libro de ſeruo Arbitrio, *Caluino 1. Inſtit. 17. 13.* & alibi. Contra quam blaſphemiam: *Trid. Seſſ. 6. Can.* Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere: ſed mala opera, ita vt bona, Deum facere; non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe; adeo vt ſit proprium eius opus, non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, Anathema ſit. Vt & olim *Conc. Arauſ. 2. can. 23.* Suam voluntatem homines faciunt, non Dei: quando id agunt quod Deo diſplicet. *Can. 25.* Aliquos ad malum Diuina Poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus: ſed etiam ſi qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis Anathema dicimus. Sicque ſacræ Scripturæ ſupra, & SS. Patres infra.

3. Ex SS. Patribus. *S. Dion.* à *col.* 318. ad 332. & 379. 380. De Veritate, & Bonitate Dei, etiam morali, vt oppoſita falſitati & malitiæ etiam morali. *Col.* 379. 389. De Sanctiſſimo Amore Dei. Sed verbatim de ipſa Sanctitate, *Lib. De cæleſti hier. c. 7.* Seraphim, *Eſa. 6* laudatiſſimam illam, & reuerentiæ, ac ſacratioris intelligentiæ plenam clamantes emittũt vocem: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, &c. Lib. Diu. Nom. C. 12. De Sancto ſanctorum, &c.* Laudare iam conuenit infinitis nominibus præditum, vt *Sanctum ſanctorum, &c.* At primò dicendum, quid ipſam Sanctitatem eſſe putemus. Itaque *Sanctitas*, vt ſecundùm nos loquamur, eſt omni ſcelere libera, perfectaque, & penitus incoinquinata munditia. *Infra.* Quoniam verò pleniſſimus eſt omnium Author: per excellentiam *Sanctus Sanctorum* prædicatur. *Cap. 13. De Perfecto:* non ſola perfectione naturali, ſed & morali, quæ eſt ipſa Sanctitas. Vt *col.* 228. Sed *cap.* 8. de virtute naturali: poteſt etiam ſubintelligi de morali.

S. Iuſtinus in Dialogo cum *Tryphone.* Philoſophia eſt poſſeſſio præcipua, & Deo chariſſima: cui nos illa commendat; ſuntque verè Sancti, qui ad eam applicant animam. Quid autem ea ſit, & cur demiſſa ad homines, vulgus ignorat: alioquin non *Platonici* eſſent, non *Stoici*, non *Peripatetici*, non *Pythagorei*, cùm ſit vnica hæc ſcientia. *Infra.* Tandem viſum eſt conſultiùs accedere *Platonicos*, &c. Placebat mihi rerum incorporeum cogitatio: & Idæarum conſideratio, mihi reddebat intellectum volucrem; adeo vt breui viderer mihi factus ſapiens, ſtultè ſperans fore, vt confeſtim Deum videam. Hic enim finis eſt Philoſophiæ *Platonicæ.* Mihi ſic affecto collibuit aliquando ſecedere in ſolitudinem, in ruſculum quoddam maritimum. Cui cùm propinquarem, ſenex quidam manſuetos mores vultu præferens, ſequebatur me. Vt verò me ad eum verti: agnoſcis me? inquit: Negaui, &c. Quid hîc agis? Delector locis talibus, vbi mecum ipſo colloquar, &c. Ergo, inquit, mauis Sophiſta eſſe, quàm peritus rerum agendarum? Et quod eſt, inquam, potiùs negotium, quàm rationem cuncta moderantem inuenire? Quocirca oportet omnem hominem philoſophari, &c. Quid eſt, inquit, Philoſophia? Eſt, inquam, mentis ſcientia, & veritatis notitia: cuius ſapientiæ prœmium eſt fœlicitas. Deum verò quid vocas? inquit. Quod circa eadem, eodem modo ſe habet, & omnium rerum cauſa eſt. Hac reſponſione delectatus, rogauit denuo: ſcientia nonne eſt nomen commune? Scientia eſt quæcunque præbet, vel humanarum rerum, vel diuinarum notitiam. Num quoque Diuinitatis, & Iuſtitiæ? Etiam, &c. Ineſt igitur menti noſtræ tanta vis? Aut poterit Deum videre, niſi ſit exornata ſancto Spiritu? Certè, inquam, *Plato* ait talem eſſe mentis oculum, vt eo clariùs poſſimus Ens illud cernere, propter cognationem, & videndi cupidinem. At quæ nobis eſt cum Deo cognatio? Eſtne anima quoque Diuina & immortalis, illius ipſius Regiæ Mentis particula? Itane vt illa mens Deum videt, noſtra quoque poteſt intelligere? Poteſt, inquam. Eſtne alia anima hominis, alia equi? Reſpondi, non: ſed eædem ſunt in omnibus. Ergo, inquit, & omnino Equi, & Aſini videbunt Deum? Non, inquam, ne vulgus quidem hominum: ſed qui iuſtè vixerint, purgati per iuſtitiam, virtuteſque cæteras. Ergo, inquit, non propter cognationem videt mens Deum: nec quia mens eſt, ſed quia iuſta & ſobria. Etiam, inquam: & quia habet quo Deum intelligat, &c.] De Prouidentia, & Iuſtitia Dei retributiua bonorum & malorum, contra illam identitatem, tranſmigrationem, vel mortem omnium animarũ, &c.

Tertull. & tot quot Interpretes Orationis Dominicæ, *Sanctificetur nomen tuum*: ſupponunt infinitam Dei Sanctitatem in ſeipſo; vt à nobis recognoſcendam, & participandam. Idem *Libro De Pœnitentia, cap. 2.* Deus in ſeipſo pœnitentiam dedicauit.] Quantò potiùs & formaliùs omnes alias virtutes circa nos?

S. Cypr. Serm. De Oratione Dominica. *Sed libera nos à malo.* Malum non fecit Deus: igitur congruè petitur libertas à malo, cuius Deus Author non eſt. *Serm. De bono Patientiæ.* Eſt nobis cum Deo virtus iſta communis. Inde patientia incipit. *Rom. 2. Diuitiæ bonitatis & patientiæ Dei. 1. Cor. 13. Charitas patiens eſt.*

Lactantius Lib. 1. Diuinarum Inſtit. cap. 2. De

Digitized by Google

Prouidentia Dei. *Cap.* 3. De perfectione naturali, & morali Dei, ad regendum mundum. *Lib.* 2. *cap.* 9. De Deo, Diabolo, &c. Deus fecit ante omnia duos fontes rerum inter ſe pugnantium .i. duos ſpiritus, rectum, & prauum: vt in eorum poteſtate eſſent illa contraria, quorum mixtura totus mundus conſtaret. Item fecit bonum & malum, vt poſſit eſſe virtus: quæ niſi malis agitetur, aut vim ſuã perdet, aut omnino non erit, &c. Neceſſe igitur fuerat & malum fieri, vt bonum fieret, &c.] Quæ nonniſi ſanè intelligenda ſunt: De primo Angelo bono ex natura & gratia; altero ex natura bono, ſed in malum moraliter conuerſo. *Lib.* 3. *cap.* 7. De Æthica. *Cap.* 8. Contra varias opiniones Philoſophorum de ſummo bono. *Cap.* 9. 10. 11. De Deo vt vero ſummo bono: non ſolùm naturali, ſed & morali. *Lib.* De Ira Dei, *cap.* 3. Nemo de Deo vnquam dixit, eum tantùm iraſci, & gratia non moueri. Eſt enim diſconueniens Deo: vt poteſtate ſit præditus qua noceat, prodeſſe verò nequeat. Quæ ſpes ſalutis, ſi malorum tantùm Author eſt Deus? Non ad Iudicis poteſtatem, ſed ad Tortoris officium deducetur, &c. Abſurdum eſt & vanum, putare Diuinam Poteſtatem, qua nihil eſt maius, nihil melius, nocere poſſe, prodeſſe non poſſe. Et ideo nemo extitit qui auderet id dicere: quia nec rationem habet, nec vllo modo poteſt credi. *Cap.* 4. Ex ſchola *Epicuri*, ſicut ira in Deo non eſt, ita nec gratia, &c. Ex hoc, inquit, beatus eſt: quia nihil curat. Deus igitur non eſt, ſi nec mouetur, quod eſt proprium viuentis, nec facit aliquid proprium Deo. &c. Quæ in Deo poteſt eſſe beatitudo: ſi ſemper quietus torpet, ſi precantibus ſurdus, ſi colentibus cœcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quàm Prouidentia? Sed ſi nihil curat, nihil prouidet, amiſit omnem Diuinitatem, &c. Ignorantiâ veritatis errauit: Vno affectu iræ amputato: cæteros affectus adimere Deo, neceſſitas ipſa cogebat, &c. Quod ſi nullus affectus in Deo eſt: quia quicquid afficitur imbecillum; ergo nec cura vllius rei, nec prouidentia, &c. Vides quò perueniatur, irâ ſublatâ, & Deo ademptâ? Nullus id credit, aut pauci ſcelerati, qui ſperant peccatis ſuis impunitatem. *Cap.* 5. *Stoici* aiunt, gratiam in Deo eſſe, iram non eſſe. Fauorabilis ac popularis oratio, &c. Si hominem ſapientem ira non deceat: quantò minùs Deum? Specioſè iſta & populariter dicuntur. &c. Si Deus non iraſcitur impijs & iniuſtis: nec pios vtique & iuſtos diligit, &c. Itaque qui bonos diligit, & malos odit: Qui malos non odit, nec bonos diligit; quia & diligere bonos, ex odio malorum venit; & malos odiſſe, ex bonorum charitate deſcendit, &c. Qui ergo diligit, & odit: qui odit, & diligit. Sunt enim qui diligi debeant, ſunt qui odio haberi, &c. *Cap.* 6. Hæc tuenda nobis ſententia eſt. *Cap.* 8. Diſſoluitur Religio, ſi credamus *Epicuro*, dicenti de Natura Dei:

Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Cap. 9. *Epicurus* Deum quidem eſſe dixit: quia neceſſe ſit eſſe aliquid in mundo beatum; prouidentiam tamen nullam, &c. Quo quid repugnantius? *Cap.* 15. *De peccatis.* Iam explanaui, Deum bonum diligere, ac malum odiſſe: ſed ideo malum permiſiſſe, vt bonum emicaret, & quod alterum ſine altero, vt ſæpè docui, conſtare non poſſit, &c. Cùm igitur ſint bona, & mala: neceſſe eſt Deum moueri ad gratiam, cùm iuſta fieri videat; & ad iram, cùm cernit iniuſta. Sed occurrit *Epicurus*: ſi eſt in Deo lætitiæ affectus ad gratiam, & odij ad iram: neceſſe eſt vt habeat timorem & cupiditatem, cæteroſque affectus. Non eſt neceſſe vt timeat, qui iraſcitur: aut mœreat qui gaudet. Iracundi minùs timidi ſunt: natura læti, minùs mœrent, &c. Nolo in Deo naturam dicere: quia nunquam creditur natus. Timor habet in homine materiam: in Deo non habet, &c. Item libidinis ratio & cauſa in homine manifeſta eſt: In Deo locum non habet; quia fragilitas & interitus ab eo alienus eſt, &c. Eadem de inuidia & cupiditate dici poſſunt, &c. At gratia, ira, & miſeratio habet in Deo materiam, rectèque illis vtitur. *Cap.* 16. *Quæ ſit iſta materia.* Afflicti ad Deum confugiunt, obſecrant, &c. Habet igitur cauſam miſerandi, &c. Ira in malos, Charitas in bonos, Miſeratio in afflictos, Diuina Poteſtate ſunt digna. *Cap.* 17. Quies, aut ſomni res eſt aut mortis. Sed nec ſomnus habet quietem &c. Mors Deum non attingit; Deus igitur nunquam quietus eſt. *Infra.* Facinoribus ignoſcere: crudelitatis eſt potiùs quàm pietatis; non eſt ergo virtutis in Deo, ad ea non commoueri, &c. Neſcierunt Philoſophi quæ ratio eſſet iræ. *Seneca*, *Libris De ira.* Ira eſt cupiditas vlciſcendæ iniuriæ. *Ariſt.* Eſt cupiditas doloris rependendi, &c. Hæc in Deo eſſe non poteſt, &c. Ergo definire debuerunt: *Ira eſt motus animi ad coercenda peccata.* *Cap.* 18. Quid opus eſt, inquiunt, ira: cùm ſine hoc affectu pecata corrigi poſſint? Nullus eſt qui peccatorem poſſit videre tranquillè, &c. Ipſe peccati aſpectus indignus eſt. Nam quod non mouetur omnino: aut probat delicta, aut moleſtiam fugit, niſi ira ſtimulauerit, &c. *Archytas*, inquit: Verberibus eneccaſſem, niſi iratus eſſem, &c. Sed *Plato: Nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur, &c.* Non donanda erat pœna, ſed differenda. *Cap.* 20. Si Deus poteſt ignoſcere, poteſt iraſci, &c. *Cap.* 21. Dixerit quis, adeo non iraſci Deum, vt etiam hominem iraſci vetet, &c. Poſſem dicere, quòd ira hominis refrænanda fuerit: quia ſæpè iniuſtè iraſcitur, & præſentem habet motum, &c. Deus autem & non ad præſens iraſcitur, & nunquam niſi meritò iraſcitur, &c. Nec in totum prohibet iraſci: Quia is affectus neceſſariò datus eſt; ſed prohibet in ira permanere, &c. Denique iraſci quidem, ſed non peccare præcipit, &c. Qui ergo iraſci nos iubet, ipſe vtique iraſcitur, &c. Qui placari celerius iubet, eſt vtique ipſe placabilis.

S. Baſilius hom. 9. *Quod Deus non ſit Author malorum. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Hoc cùm in animum induxerint: ad omne reliquum peccati genus ruunt. Si enim nullus eſt inſpector, nullus qui pro meritis vitæ retribuat: quid prohibet pauperem conculcare, orphanos necare, & omnibus abominãdis affectibus inclinari? Idcirco ſubiun-

ſubiungit; *corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt, &c.* Stultus igitur, & verè à ſenſu alienus eſt, qui dixerit, *Non eſt Deus.* Similis huic eſt, qui Deum malorum cauſam eſſe dicit, &c. Si enim eſt malorum cauſa, non eſt bonus: ſi non bonus, neque Deus, &c. Nihil eorum quæ nobis accidunt, malum eſt: nec eo melius excogitare poſſumus. *Infra.* Ex Deo, inquiunt, ſunt mortes. Non eſt malum mors, niſi peccatoris. Mala quæ apud inferos ſunt, non Deum cauſam habent, ſed nos ipſos. Radix namque peccati in nobis eſt, & in noſtra poteſtate, &c. *Infra.* Quomodo dicitur de Deo? *Ego ſum creans mala. Non eſt malū quod Deus non fecerit, &c.* Creat mala .i. tranſmutat in meliorem ſtatum. Vt *Pſal.* 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Non, nunc *crea*: ſed renoua, &c. Itaque Deus pacem facit, ex eo quod mala creat. Si pacem intellexeris, ſublatis bellis, & mala bellorum, &c. dico iuſto Dei iudicio fieri, &c. *Deut.* 32. Ego interficiam, & viuere faciam .i. peccatum perimitur, vt iuſtitia viuat. *Infra.* Malum itaque, propriè peccatum, à noſtra volūtate pendet, quia in nobis ſitum eſt abſtinere. Reliqua verò mala, partim ad exercendos dantur iuſtos, & declarandam fortitudinem, partim in medelam aut pœnam peccatorum, &c. Vas iræ, *Rom.* 9. eſt qui omnem in ſe Diaboli operationem ſuſcepit, & ad nullum vſum aptari poteſt, ſed dignus eſt qui pereat, &c. Itaque noſce vnum verè eſſe peccatum, cuius finis perditio eſt: alterum apparens tantùm, &c. Deſine Diuinam inculare Prouidentiam, nec velis Deum mali Authorem putare, &c. Nam malum boni priuatio eſt, &c. Si autem omnia ex Deo: quomodò malum ex bono? Non enim turpe ab honeſto, neque vitium à virtute &c. Deus fecit animam, non autem peccatum. Vitio autem anima contaminata eſt, degenerans ab eo quod ex natura facta eſt, &c. Habebat Deum coniunctum per charitatem: qua excidens, varijs ſe malis contaminauit. Vnde mali capax eſt? Quoniam libero facta eſt arbitrio, &c. Habet à bono deflectendi, quandoque facultatem, &c. Erat aliquando Adam in ſublimi, non loco, ſed arbitrio: Deum vehementer amans, &c. Cùm quaſi præ ſatietate eluxurians, quod videbatur oculis delectabile, intellectuali pulchritudini prætulit, &c. Non ergo ex aliqua neceſſitate: ſed ſuapte temeritate malus eſt factus, &c. Sed cur, inquit, huic vaſi non inſitum eſt, vt peccare non poſſit? Virtus ex voluntate perficitur, non ex neceſſitate, &c. Qui factorem reprehendit, quod non tales nos natura fecerit, qui peccare nequeamus: nihil aliud opinari videtur, quàm naturam ratione carentem, eſſe rationali potiorem, &c. Hinc alia quæſtio naſcitur: vnde *Diabolus* ſit? Facilis eſt reſponſio, &c. Ex ipſius libera volūtate. *Infra. Sathanas* appellatur, quod bono aduerſetur: *Diabolus* verò dicitur quod & in peccato nobis cooperatur, & accuſator noſter eſt, &c.

Idem, *Libro de Virginitate.* Virginitas, vt totum ſimul explicem, hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit, &c. *Infra.* Quaſi Dei ſimulacrum, Virgo eſt, &c. Perſiſtat vt præclara Diuinæ Maieſtatis Effigies, ſolida atque immobilis ad omnem tactum, &c. Stet immobile, ſtet fixum ac ſolidum ſimulacrum Domini, perpetuò ſabbathizans.] Sicq; omnis virtus eo commendabilior eſt, quo Deo ſimilior. Idem, in Regulis breuioribus. 276. De Voluntate Dei bona, beneplacente, & perfecta: quâ vult Deus ex ſua bonitate & clementia, non ex iracundia propter peccata noſtra.

S. Greg. Niſſ. De vita *Moyſis.* Cùm perfectum dicatur, quod ita ſuum finem ſeu terminum habet, vt nihil ei deſit: in virtute nullus eſt terminus; quoniam bonum non habet terminum, ſed contrarij comparatione terminatur, &c. Natura Diuina, interminata eſt & infinita: quoniam nullus virtutis terminus, niſi vitium; & diuinitas contrarium ſuſcipere non poteſt. At qui non ſimulatè, ſed verè Virtutem ſequitur: Deo qui vera virtus eſt participatione coniungitur. Quare neceſsè eſt participantis quoque deſiderium, cum ad infinitum ſe extendat, nullum habeat exitum quo ceſſare poſſit, &c. Non tamen ideo Domini præceptum negligendum eſt, *Mat.* 5. Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt, &c.

S. Ambroſ. lib. de fuga ſæculi, cap. 4. Similem eſſe Deo, eſt habere iuſtitiam, ſapientiam .i. virtute perfectum eſſe. Deus enim eſt ſine peccato: & ideo qui peccatum fugit, eſt ad imaginem Dei. *Lib.* 1. *Epiſt.* 1. Deus tuus, Deus vnus eſt. Et tu ergo, ad ſimilitudinem eius, vnus eſto: non hodie ſobrius, cras ebrioſus; hodie pacificus, cras litigioſus. *Epiſt.* 84. Vt pars Charitatis, eſt humilitas: pars humilitatis, eſt Charitas, &c. Fœlix cui Deus dilectio, ſapientia, conſilium, fortitudo eſt.

Sed præ omnibus *S. Aug.* Dei Sanctitatem & innocentiam ab omni imputatione culpæ noſtræ originalis, actualis, & habitualis propugnauit, Libris omnibus contra blaſphemias *Manichæorum* & *Pelagianorum*, in Deum vt Authorem peccatorum, præcipuè originalis; aut nec Creatorem corporum noſtrorum, ex quibus peccatum originale contrahitur, nec liberi Arbitrij quo actualiter peccatur. Vt patet ex *Libro* 1. *De Ordine Prouidentiæ*, inter *B. Aug.* & duos eius diſcipulos, *Licentium* & *Trigetium. cap.* 1. *B. Aug.* Aut Diuinam Prouidentiam non vſque ad hæc ima portendi, aut mala omnia Dei Voluntate committi: vtrumque impium, ſed magis poſterius. *Cap.* 6. *Lic.* O ſi poſſem dicere quod volo! Rogo, vbi, vbi eſtis verba, ſuccurrite: & bona & mala ſunt in ordine. *Cap.* 7. Non diligit Deus mala, &c. Nam iſte ipſe eſt malorum ordo, vt non diligantur à Deo.

Lib. 1. De moribus Eccleſiæ. *Cap.* 6. Rectiſſimè quæri poteſt, vtrum virtus etiam per ſe, an niſi in anima eſſe non poſſit, &c. Aut virtus eſt præter animam, aut ſi non placet vocare virtutem, niſi habitum ipſum, & quaſi ſapientis animæ qualitatem: oportet vt Deum ſequatur anima, vt ei virtus poſſit innaſci.] Vbi ſupponit virtutem poſſe eſſe per ſe, ſeu ſubſiſtere formaliter in ipſo Deo. *Cap.* 15. Nihil omnino virtutem eſſe affirmauerim, niſi ſummum amorem Dei, &c. Vt *in* 3. *col.* 464. 465. 571. *Cap.* 16. Sobrietatem Sapientia docet, & Iuſtitiam, & Virtutem, *Sap.* 8. Sed correctiùs, inquit. 1. *Retr.* 7. Sobrietatem & Sapientiam docet, & Iuſtitiam, & Virtutem. Nos legimus, *Sobrietatē, & Prudentiam, docet, & Iuſtitiam, & Virtutem* .i. Sapientia Dei, ſeu Deus ipſe docet has 4. Virtutes Cardinales.

 Ibidem,

Ibidem, ex *Sap.* 8. Generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei, &c. Quaſi de generatione Filij Dei, eiuſque æqualitate cum Deo Patre.

Lib.6.Muſicæ c.16. De 4. Virtutibus Beatorum. *Contemplatio, Sanctificatio, Impoſſibilitas, & ordinatio*, aut 4. illæ virtutes perfectæ, aut pro iſtis tales quędam potētię in ęterna vita ſperandę ſunt.

Lib. 2. De moribus Manichæorum, de impoſſibili malorum origine à Deo, nec ab vllo ſummo malo, &c. Vt ſupra *Qu.* 11. De Bonitate Dei, *col.* 335.336.

Libris 3 De libero Arb. inter B. Aug. & Euodium: ad tuendam Sanctitatem, & Innocentiam Dei ab omni imputatione noſtrorum peccatorū. Vt *lib.* 1. *cap.* 2. *Aug.* Credimus ex vno Deo omnia eſſe: nec tamen Deum eſſe Authorem peccatorum, &c. Optimè namque de Deo exiſtimare, veriſſimum eſt pietatis exordium. *Lib.* 3. *Cap.* 23. De Innocentia Dei, vt laudabili ex ipſa morte & doloribus infantium. *Cap.* 24. De Innocentia Dei ab omni imputatione primi peccati Adæ. *Cap.* 25. De Innocentia Dei ab omni imputatione vllius obiecti, vel occaſionis peccandi.

Lib. De duabus Animabus cap. 8. Videtur imperitis, quaſi per quandam catenam ad Deum mala & peccata connecti. *Contra. Cap.* 10. Ex ſola noſtra voluntate & libertate peccandi. *Cap.* 11. Ex ipſa definitione peccati.

Lib. 2 De Sermone Domini in monte, *cap.* 20. Sanctum eſt quod violare atque corrumpere nefas eſt: cuius vtique ſceleris conatus, & voluntas tenetur rea, quamuis illud Sanctum natura inuiolabile, atque incorruptibile maneat.

Lib. contra Adimantum cap. 7. & 11. Conciliat nomen zeli & vindictæ Diuinæ, cum eius benignitate, & iuſtitia. [Spiritus S. inſinuans quàm ſint ineffabilia ſumma Diuina, his etiam verbis vti voluit, quæ apud hominis in vitio poni ſolēt. *Cap.*26. Non eſt malum quod Deus non fecerit, *Amos* 3. Non peccatum, ſed pœna intelligenda eſt, &c. Deus ergo malum fecit quod non ipſi Deo malum eſt, ſed eis in quos vindicat. *Cap.* 27. Ego Deus facio pacē, & conſtituo mala, *Eſa.*45. *i.* Vt *Rom.*11. Vides ergo bonitatem, & ſeueritatem Dei, &c.

Quæſt. 2. ex 83. An Deo authore ſit homo deterior? *Reſp* Nullo Sapiente authore fit homo deterior: multo minus Deo authore i. illo volente. Multò enim eſt præſtantior Dei Voluntas, quàm hominis ſapientis. *Quæſt.* 82. Nulla eſſet in hominibus iuſtitia, ſi res humanas non curat Deus: quia iuſtitia non imprimeretur animæ, niſi eſſet aliqua incommutabilis iuſtitia Dei, &c. Si verò grauia perpeti iuſtos fineret, quia contra ordinem rerum à ſe diſpoſitum nollet venire: nec ipſe iuſtus eſſet; non quia diſpoſitionem ſuam ſeruare non vult; ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum, vt immeritis pœnis iuſti affligantur, &c.

Lib. De mendacio, & altero contra omne mendacium: ex lege Dei, & fide ac reuerētia primæ Veritatis, etiā moralis, ſeu Veracitatis Dei. Vt ſupra *col.*322.323.

Hæreſi 79. Priſcillianiſtæ habent in ſuis dogmatibus & hæc verba: *Iura, periura, ſecretum prodere noli.* Quaſi licuiſſet illis non ſolùm mentiri, ſed & peierare contra Veritatem etiam Fidei. Quam hæreſim vſque ad minimum mendacium, pręcipuè in Fide vel Sacra Script. perſequitur Libris de mendacio, & contra mendacium. Vt ſupra *col.*322.323. Et *Epiſt.* 19. *Ad Hieron.* De expreſſa veritate *Apoſt. Gal.*2. contra errorem ſimulationem, ſub prætextu honeſtatis vel diſcretionis.

Lib. 1. *Ad Simplicianum. Q.*2. Niſi ſupernæ iuſtitiæ quadam impreſſa veſtigia teneremus: nunquam in ipſum ſublime, ac penetrale ſanctiſſimum atque caſtiſſimum ſpiritalium præceptorum noſtræ infirmitatis ſuſpiceret atque inhiaret intentio.

Lib. 2. *Quæſt.*2. De vero ſenſu præſcientiæ, ſcientiæ, pœnitentiæ, iræ zeli, miſericordiæ, &c. [Cùm de Deo dicitur, pœnitere: indignum aliquid dici arbitraretur, ſi quid dignum de illo diceretur. Cùm verò omnia Verba humana mirabiliter excedat: quicquid de illo humaniùs dicitur, quod etiam hominibus aſpernabile videatur, ipſa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter de Deo dicta exiſtimat, humanæ capacitati aptiora eſſe, quam diuinæ ſublimitati; ac per hoc etiam ipſa tranſcendenda eſſe ſaniore intellectu. Quis eſt enim cui non occurrat, in Deo cuncta præſciente, pœnitentiam eſſe non poſſe? Cùm verò quis quæſierit, quomodo vel ipſa præſcientia Deo congruat, & inuenerit huius etiam Verbi notionem illius ineffabili Diuinitate longè latèque ſuperari: non miretur vtique de illo propter homines dici poſſe. Quid eſt præſcientia niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo? Si enim in ſcientia res ipſas habet: non ſunt ei futuræ, ſed præſentes; ac per hoc non præſcientia, ſed ſcientia dici poteſt. Si autem ea præuenit ſciēdo: bis ergo ſciuit. Nec enim poteſt quæ ventura noſcit, neſcire cum venerint: niſi bis innoteſcunt, prænoſcendo antequam ſint, & cognoſcendo cùm iam ſint. Ita fit, vt aliquid accedat ſciētia Dei, &c. Si verò nihil noui accedit, &c. Quomodo iam præſcientia dicetur? Iam enim in præſcientia ſunt, quæ futura cernebat, & paulò poſt erunt præterita, &c. Placet ergo vt non dicamus præſcientiam Dei, ſed tantùm ſcientiam? Quæramus & hoc quomodo. Non enim ſcientiam ſolemus dicere in nobis, niſi cùm intellecta memoria retinemus, &c. Vt tamen ſcit, & præſcit Deus ineffabili modo: ſic etiam & pœnitet ineffabili modo. Sic & ira hominis turbida eſt, & non ſine cruciatu animi: ira verò Dei, illo in tranquillitate iugiter manente, in creatura ſibi ſubdita exercet admirabili æquitate vindictam. Miſericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miſeriam, &c. Quis autem ſano capite dixerit, vlla miſeria tangi Deum? Ita & zelum humanum, non ſine peſte liuoris intelligimus: zelantem verò Deum non ita; ſed eodem verbo, non eodem modo. Longum eſt, percurrere cætera &c. Nec tamen fruſtra eadem ſunt indita vocabula: quia nonnullam ad intelligenda illa ſublimia præbent viam. Cùm enim dempſero de humana ſcientia mutabilitatem, & tranſitus quoſdam, &c. Cùm hæc cuncta detraxero, & reliquero ſolam viuacitatem certæ atque inconcuſſæ veritatis: imò non reliquero, non enim habet hoc humana ſcientia, ſed pro viribus cogitauero; inſinuatur mihi vtcumque ſcientia Dei. Quod tamen nomen, ex eo quod

Digitized by Google

eo quod ſciendo aliquid, non latet: potuit eſſe rei vtrique commune, In ipſis hominibus ſolet diſcerni ſcientia à ſapientia &c. In Deo non &c. Sed melius dicitur aliam eſſe ſcientiam Dei, & non eiuſdem generis, cuius iſta eſt quæ hominum dicitur: ſicut quod Deus dicitur, longè aliud eſt quàm *pſal.81. In ſynagoga Deorum.* Tamen ad non latere quoquo modo, pertinet communicatio ipſa vocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum: vt remaneat vindictæ vigor; atque ita vtcumque aſſurgo in notitiam iræ Dei. Item de miſericordia ſi auferas compaſſionem, vt remaneat tranquilla bonitas ſubueniendi, & à miſeria liberandi: inſinuatur Diuinæ miſericordiæ qualiſcunque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus: ſed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris, & morbidam perturbationem animi, remaneatque ſolum iudicium, quo corruptio caſtitatis impunita eſſe non ſinitur, vt incipiamus capere zelum Dei. Dum legimus, 1. *Reg.* 15. & alibi, Deum dicentem, *pœnitet me, &c.* auferamus quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, & remaneat ſolùm velle, vt non ſit ita aliquid quemadmodum erat: ſic poteſt aliquantulum intimari menti noſtræ, qua regula intelligatur quòd pœnitet Deum .i. vult non eſſe aliquid, &c. Per hæc quæ diſplicent: diſcimus etiam illa ſic quærere in Deo, quæ apta eſſe putabamus. Nam ſi quid non eſt de Deo dicendum, quia in homine diſplicet: non dicamus incommutabilem Deum; quia dictum eſt, *Non eſt illi commutatio.* Item quædam in homine ſunt laudabilia: in Deo autem eſſe non poſſunt. Vt pudor, timor Dei, 2. *Cor.* 7. *Perficientes ſanctificationem in timore Dei*: qui vtique in Deo nullus eſt. Vt ergo laudabilia hominum non rectè dicuntur in Deo: ſic quædam culpabilia hominum, rectè intelliguntur in Deo: non vt in hominibus, ſed vocabulis tantùm communibus, longè alia ratione, & modo. Nam paulò poſt, 1. *Reg.* 5. idem *Samuel* ait *Sauli* de Deo: *Non eſt ſicut homo, vt pœniteat eum.*

Lib. 3. *Doct. Chriſt. cap.* 16. Si ſacra Script. flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem vel beneficentiam vetare, figurata locutio eſt. *Lib.* 12. *Conf. cap.* 11. Hoc ſolum Deus à te non eſt, quod non eſt: motuſque voluntatis à te qui es, ad id quod minus eſt; quia talis motus delictum atque peccatum eſt. *Lib.* 13. *cap.* 4. Quid tibi deeſſet ad bonum quod tu tibi es: etiamſi nulla alia eſſent?] Quid beatius? *Lib.* 14. *Trin.* 15. De lege naturali, nobis à Deo impreſſa: vt ex annulo in ceram. Vnde videtur eſſe in Deo formaliter: non tantùm ſecundùm intellectum, ſed & affectum. *Lib.* 15. *Cap.* 11. De veritate etiam morali Verbi Diuini: ex illo Chriſti, *Matt.* 5. & 2. *Cor.* 1. *Eſt, eſt, Non, non*, tam ſæpè applicato ad ipſam Veritatem Verbi Diuini. Vt & *cap.* 14. & 15. cùm hac ipſa explicatione. *Magna illius Verbi potentia eſt, non poſſe mentiri: quia non poteſt eſſe illic Eſt, & Non; ſed Eſt, eſt, Non, non. Matt.* 5. & 2. *Cor.* 1. *Cap.* 17. De Charitate eſſentiali, ſubſtantiali, aut formali Dei, ex 1. *Ioan.* 4. Quæ eſt ipſa Sanctitas formalis & originalis, repugnans omni defectui morali. *Lib. De Agone Chriſtiano cap.* 16. Cùm timent ne humana carne Veritas inquinetur, Veritatem dicunt eſſe mentitam: cùm præceperit, *Mat.* 5. *Sit in ore veſtro Eſt Eſt, Non Non.* Et Apoſt. clamet, 2. *Cor.* 1. *Non erat in illo Eſt & Non, ſed Eſt in illo erat.* Sic & *lib. De Fide & Symbolo cap.* 4.

Libris prioribus de Ciuitate Dei, contra pleroſque pſeudo-Deos, vt grauium criminum reos, complices, & patronos; quia id repugnat Diuinitati. Vt *lib.* 2. *cap.* 5. Talis Mater Deûm, qualem habere Matrem puderet quemlibet etiam peſſimum virū. *Cap.* 8. Adulterum *Iouem* Poetæ prodiderunt, &c. *Cap.* 10. Maligni Spiritus quos iſti Deos putant, etiam flagitia de ſe dici volunt: vt ad ea perpetranda ab ipſo cœlo traduci videatur authoritas. *Lib.* 4. *cap.* 12. Virtutem quoque Deam fecerunt: quæ ſi Dea eſſet, multis fuerat præferenda. Sed quia Dea non eſt, à ſolo Deo impetretur, &c. Cur & Fides Dea credita eſt? Cur non ſuffecerit virtus? Si Fides Dea eſt: cur non Temperantia, Fortitudo, Prudentia, Sapientia? An quia in nomine generali Virtutis omnes coluntur? Sic ergo & poſſet vnus Deus coli.] Quod pertinet ad vnam, vel plures, vel nullam virtutem formalem in Deo.

Enchir. 11. Cùm Deus ſit ſummè bonus: nullo modo ſineret mali aliquid eſſe: niſi adeo eſſet Omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. *Cap.* 27. Melius iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe permittere. *Cap.* 100. Non ſineret bonus fieri malè: niſi Omnipotens etiam de malo facere poſſet bene, &c. Vt ſupra *quaſt.* 11. *col.* 336. 337. De Bonitate Dei etiam morali, & *quaſt.* 13. De perfectione etiam morali Voluntatis Dei. *Lib.* 3. *in Iul.* 18. Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus: poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia Bonus eſt; non poteſt quenquam ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.] Ergo nec poteſt iuſtè facere aliquem peccatorem & damnabilem.

Ex B. *Proſpero*, de Prouidentia Dei.

Dic, aiunt, cauſas, qui rerum hominumq; labores
Arbitrio credis ſtare, regiq; Dei:
Quo ſcelere admiſſo, pariter periere tot vrbes,
Tot loca, tot populi, quid meruere mali?
Si totus Gallos ſeſe effudiſſet in agros
Oceanus, vaſtis plus ſupereſſet agris.
Quid pueri inſontes, quid commiſere puellæ?
Nulla quibus dederat crimina vita breuis.
Quare Templa Dei licuit popularier igni,
Cur violata Sacri vaſa miniſterij? Infra.
Seu noſtros annos, ſeu tempora priſca reuoluas:
Eſſe omnes cenſere Deum; nec defuit vlli
Authorem natura docens, &c.
Hic authore carens, & tempore permanet idem
Semper, & immenſum nec ſæcula, nec loca claudunt.
Eſt igitur Deus, & bonus eſt, & quicquid ab illo [Infra.
Effectum eſt, culpâ penitus vacat, atq; querelâ.

Ex *Boetio Libro* 3. *De Conſolatione*, *Metro* 9. Forma boni, liuore carens: tu cuncta ſuperno ducis ab exemplo, &c. *Proſa* 10. Deum rerum omnium principem, bonum eſſe, communis humanorum conceptio probat animorum. Nam cùm Deo melius nihil excogitari queat: id quod nihil eſt, bonum eſſe quis dubitat? Ita verò bonum in

Deo

Digitized by Google

Deo eſſe ratio demonſtrat: vt perfectum quoque in eo eſſe bonum cõuincat. Nam ni tale ſit, rerum omnium princeps eſſe non poterit. Erit enim eo præſtantius aliquid, perfectum poſſidens bonũ, &c. Quare ne in infinitum ratio prodeat, confitendum eſt, ſummum Deum, ſummi perfectique Boni eſſe pleniſſimum, &c. Veram igitur Beatitudinem in ſummo Bono ſitam eſſe, neceſſe eſt, &c. Nec illud Bonum vel extrinſecùs accepiſſe, vel ita naturaliter habere præſumas: quaſi habentis Dei, habitæque beatitudinis diuerſam cogites eſſe ſubſtantiam, &c. Quòd ſi eſt ratione diuerſum: fingat qui poteſt, quis hæc diuerſa coniunxerit. Quod diuerſum eſt, non eſt illud à quo diuerſum eſt, &c. Quare quod omnium principium ſit, id etiam ſubſtantiâ ſummum eſſe Bonum veriſſima ratione concluſerim. Sed ſummum bonum Beatitudinem eſſe conceſſum eſt: igitur Deum eſſe ipſam Beatitudinem, neceſſe eſt confiteri. *Infra.* Quod neque re, neque ſimilitudine vllum in ſe retinet bonum, id expeti nullo modo poteſt, &c. Cùm igitur omnia boni gratia appetantur: non illa potiùs, quàm bonum ipſum deſiderantur, &c. Ex quo liquidò apparet, ipſius Boni, & Beatitudinis, vnam atque eandem eſſe ſubſtantiam. *Proſa* 11. Monſtrauimus ea quæ appetuntur à pluribus, idcirco vera perfectaque bona non eſſe, quoniam à ſe inuicem diſcrepant: tum autem verum bonum fieri, cùm in vnum colliguntur, &c. niſi verò vnum atque idem omnia ſint, nihil habere quo inter expetenda numerentur. *Infra.* Cuncta quæ ſunt, appetunt naturaliter conſtantiam permanendi, &c. Quod autem permanere appetit: id vnum eſſe deſiderat. Hoc enim ſublato, ne eſſe quidem cuiquam permanebit. Omnia igitur vnum deſiderãt. Sed vnum id ipſum monſtrauimus eſſe, quod bonum eſt. Cuncta igitur bonum petunt. Quod ita deſcribas: ipſum bonum eſſe, quod deſideretur ab omnibus, &c.] Tàm de bono morali, quàm de naturali: potiùſq; de Beatitudine ipſius Dei, quã de noſtra.

4. Ex noſtris Authoribus, totam ſuam doctrinam ad maiorem Dei Sanctitatem, Beatitudinem, & Gloriam referentibus, ac conferentibus, noſtræq; reſponſioni fauentibus. Vt patet ex titulis præcitatis. Vt ex *Al.q.*21. *m.* 1. *a.*1. *Ad* 4. Deus poteſt proferre omnes voces: ſed non mentiri; quia hoc dicit proferre cum inordinatione, ad ſignificandum id quod non eſt. *Ad* 5. Melior eſt natura quæ non poteſt peccare: Ex *B. Aug.* ſæpè. *Ad* 2. Deus non dicitur Omniuolens. *M.* 2. §. 1. *Ad* 1. Deus non poteſt facere niſi quod bonũ, & iuſtum eſt .i. quod eſſet tale ſi faceret. *Ad* 2. & 3. Non poteſt facere niſi quod ſua iuſtitia exigit, aut debet .i. quod congrueret ſi faceret; non autem quod debeat facere, vel etiam actu congruat. *Ad* 4. Quicquid Deus poteſt, eſt iuſtitiæ. §. 2. *Ad* 2. Deus nihil poteſt facere aut omittere: niſi optima ratione faciendi & dimittendi .i. quin hoc ipſum ſit optima ratio faciendi aut omittendi, velle facere aut omittere; quia ſic decet eius bonitatem. *Quæſt.* 37. *M.* 2. Deus non poteſt contra legem ipſius naturæ Diuinæ, nec contra legem ſeu ordinem naturæ creatæ, ad Deum: quia, Deus nihil poteſt contra ſeipſum. *M.* 3. Sed poteſt contra ordinem creaturæ ad ſeipſam, vel ad alias. *Ad* 3. Deus non eſt ſupra ſeipſum, vt finem omnium. *Ad* 4. Poteſt contra ordinem ad finem proximũ: non contra ordinem ad finem vltimum. *Quæſt.* 39. *m.* 3. Iuſtitia & Miſericordia Dei, latè ſumptæ, ſunt in omnibus operibus Dei, *Pſal.* 24 Quia omnia fiunt ex condecentia Bonitatis, Poteſtatis, Sapientiæ, ipſiuſque Miſericordiæ & Iuſtitiæ Dei. *Parte* 2. *q.* 100. *m.* 3. *a.* 1. De cauſa mali. Non habet vllam cauſam reducibilem ad Primam, &c. *Parte* 3. *Quæſt.* 26. De lege æterna. *M.* 1. Eſt in Deo. *M.* 2. Notio eius eſt nobis impreſſa. *M.* 3. Ex *B. Aug.* Eſt vt omnia ſint ordinatiſſima. Eſt ſumma ratio. Eſt veritas incommutabilis. *M.* 4. Ad eam cõcurrunt Authoritas, Veritas, Bonitas. *M.* 7. Omnes leges iuſtæ ſunt ab illa. *M.* 8. Voluntas Dei non eſt ſubiecta legi æternæ: ſed vt ei bonum placet, eſt voluntas; vt alijs ordinat bonum, eſt ipſa lex. *Quæſt.* 27. De lege naturali. *M.* 1. Prima & exemplaris, eſt ipſa lex æterna: ſed ſecunda & exemplata, eſt nobis concreata.

Ex *S. Bon. d.*46. *q.* 2. Deus non vult fieri mala culpæ: quia non ſunt volibilia ordinatè. *q.* 3. Non eſt bonum, mala fieri: ſed poteſt eſſe occaſio boni. *q.* 5. Malum non eſt ordinatum ſubiectiuè, nec diſpoſitiuè ad bonum: ſed oſtenſiuè. *Diſt.* 47. *q.* 3. Decet ordinatiſſimè, mala à Deo permitti. *Ad* 1. Permittere non cohibendo, ſed arguendo, & puniendo, non eſt conſentire. *Diſt.* 48. *q.* 2. Voluntas noſtra eſt iuſta, ex conformitate cum Diuina, in volito, & modo volendi. *In* 2. *Diſt.* 44. De potentia peccandi. *Q.* 1. *a.* 1. Potentia, vt eſt ad actum, eſt à Deo: ſed vt peccandi & deficiendi, ſeu defectibilitas ipſa, non eſt à Deo, ſed ex nihilo. *Q.* 2. Potentia peccandi non eſt actu mala, ſed poteſt fieri mala. *Ad* 3. Vſus huius potentiæ poteſt eſſe malus. Sed expreſſiùs in *Breuiloquio P.* 1. *cap.* 9. De Voluntate & Prouidentia Dei. In *Compendio Theologicæ Veritatis Lib.* 1. *Cap.* 32. De Voluntate Dei. *Cap.* 33 De Iuſtitia Dei. *Cap.* 34. De Miſericordia Dei. *Lib.* 1. *Pharetræ cap.* 1 De Deo: ex *B. Aug.* 1. *Conf.* 4. Pœnitet te Deus, & non doles: iraſceris & tranquillus es. 2. *in Gen.* 29. Deum dicimus tantæ bonitatis & iuſtitiæ: vt neque peccet, neque alicui noceat, &c.

Ex *Scoto d.* 23. *q.*1. & *d.* 37. Vt ſupra, *col.* 181. 187. 188. 189. De impeccabilitate abſoluta ſolius Dei, per ſe, & per nos: ſeu quòd ſit impoſſibile vllum peccatum eſſe à Deo. *In* 3. *d.* 33. *Vt mihi & tibi non variatur ratio formalis virtutis. Sic in Deo poſſet poni virtus moralis, vt & charitas, &c.* In 4. d. 14. q. 1. & 2. De Pœnitentia vt eſt ſpecies iuſtitiæ vindicatiuæ *in ſeipſum, quaſi in alterum. Diſt.*46. De formali Iuſtitia & Miſericordia Dei.

5. Ex hac diſtincta & rationabili totius Reſp. noſtræ explicatione & probatione. *Deus eſt tam Sanctus & Beatus, vt ſit ipſa Sanctitas & Beatitudo obiectiua & formalis: cuius vnione & participatione omnis creatura rationalis intrinſecè Sanctificari & Beatificari poteſt.* Vt enim *B. Aug.* 8. *Trin.* 2 & 3. Ab his & illis veris, & bonis, anagogicè euolat ad ipſum Verum & Bonum ſimpliciter, ſeu ad totalem Veritatem & Bonitatem: ſic & nos hic ex *S. Dion.* ſupra, ab omnibus Sanctis, vt ſanctificatis & beatis,

imò

Digitized by Google

imò ſanctificabilibus ac beatificabilibus, ad totalẽ & infinitam Sanctitatem ac Beatitudinem Dei; vt ſufficientiſſimam ad ſanctificandos & beatificandos quotcunque, & quantoſcunque etiam peccatores, vel minima ſui participatione, & eorum ſecum vnione per gratiam ſeu charitatem viæ & patriæ. *Sanctitas Dei, eſt eius impeccabilitas, & innocentia ab omni culpa propria & aliena.* Vt patet ex ſacra Script. ſupra: & maximè *Eccli.* 15. *Nemini mandauit Deus impiè agere.* 1. Cor. 10. *Fidelis Deus non ſinit tentari vltra poſſe.* Iac. 1. *Deus neminem tentat, &c.* 2. Pet. 3. *Neminem vult perire.* Et ex ſacris Conc. ac PP. præcitatis. Imò & ex ipſa ratione naturali. Vt eſt illa *S. Baſilij* ſupra. *S. Aug. q.* 3. *ex* 83. & 3. *Conf.* 2. Approbatur officio charitatis, qui dolet miſerum: mallet tamen non eſſe quod doleret, qui germanitùs miſericors eſt. Si enim eſt maleuola beneuolentia, quod fieri non poteſt: poteſt qui miſeretur cupere eſſe miſeros, vt miſeriatur. Nullus itaque dolor amandus eſt. Hoc enim tu Deus, qui amas animas, longè puriùs quàm nos miſereris: quòd nullo dolore ſauciaris. *B. Fulg. Lib.* 1. *Ad Monymum, cap.* 23. Iuſtitia iuſta non eſſet, ſi puniendum reum non inueniſſe, ſed feciſſe dicatur Deus. *S. Anſel. Lib. De libero Arb. Cap.* 8. Deus non poteſt velle fieri contra ſuam voluntatem. Sed plures ex Doctore noſtro Subtili in 2. *d.* 23. 37. & aliunde recolligi poſſunt. 1. A perfectione & neceſſitate eſſendi, ad indefectibilitatem operandi: non ſolùm naturaliter, ſed & moraliter; nec ſolùm circa ſeipſum, ſed & circa nos. Vt enim *B. Aug. Libris De libero Arb. Lib. ad Secundinum*, & vbique, ſolet primam defectibilitatem naturalem, & moralem in operando, tribuere creaturæ: quia cùm non poſſit eſſe niſi ex nihilo, poteſt deficere à perfectione eſſendi, ad ſuam originem ex nihilo. Cùmque perfectio operandi ſit ſecundùm perfectionem eſſendi: quod poteſt deficere in eſſendo, poteſt & deficere iu operando; ſiue naturaliter, ſi ſit agens naturale; ſiue moraliter, ſi ſit agens morale ſeu liberum. Sic & prima radix indefectibilitatis Dei in operando naturaliter & moraliter, per ſe & per nos, tribuenda eſt eius perfectioni & neceſſitati eſſendi: cui identificatur eius voluntas, potentia, & actus; ideoque eſt æquè indefectibilis in operando, ac in eſſendo. 2. Ex identitate reali intellectus & voluntatis actualis Dei: imò & formali vtriuſque, cum lege æterna, & ipſi Deo connaturali. Deus non poteſt deficere moraliter in operando: quia nec voluntas eius poteſt diſſentire à ſua ratione, ſeu lege æterna; nec intellectus actualis, à ſua volũtate actuali. 3. Ex adæquata perfectione intellectus & volũtatis Dei, tam inter ſe, quàm cum obiecto ſuo eſſentiali, ſoloque vtriuſque motiuo. Quòd cùm ſit ſummum Verum, & ſummum Bonum: nec intellectus, nec voluntas Dei poteſt ab eo deficere, ſeu diſſentire in operando. 4. Ex prima regula & rectitudine morali operandi: quæ eſt ipſa Voluntas Dei. Ergo eſt impoſſibile vt moraliter deficiat à ſeipſa in operando. 5. Ex ſuprema Voluntate Dei: quæ cùm non poſſit habere ſuperiorem, non poteſt ab ea moraliter deficere, volendo contra aut præter vllam aliam voluntatem, nec contra ſeipſam. 6. Ex perfectiſſima & abſoluta Libertate Dei: quæ nec poteſt deficere à ſua propria perfectione volendi neceſſariò, ſola abſolutè neceſſaria; nec ab vllo obligari, quantominus ad vlla non abſolutè neceſſaria. 7. Ex vltimo fine. Cùm enim Deus ex natura ſummi Boni ſit finis vltimus omnium poſſibilium: non poteſt deficere moraliter, non referendo omnia ad ſeipſum. 8. Ex nihilo peccati. Cùm enim peccatum ſit ſola priuatio boni, ſeu perfectionis moralis, quæ deberet ineſſe actui, vel perſonæ rationali: non poteſt fieri à Deo; quia vt ſæpè *Aug. contra Manichæos*, Deus non poteſt eſſe cauſa non eſſendi, ſed tantùm eſſendi .i. Non poteſt cauſare niſi poſitiuè faciendo aliquid. Vnde *Ioan.* 1. *Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil* .i. ex *B. Aug.* omnia quæ ſunt: non autem ipſum nihil, quod nec eſt, nec factibile eſt; ſicque nec peccatum, quod eſt etiam quoddam nihil morale, peius nihilo naturali, eſt æquè aut minus à Deo factibile. Quia eſt ſola priuatio debitæ perfectionis moralis: Deus autem nec poteſt debere, nec carere, nec priuare ſe aut vllum alium debita perfectione morali; quia ſi quem ex ſe proprio motu priuaret, illa priuatio ſeu defectus non eſſet moralis, nec vlla culpa priuari. 9 Ex aliqua auerſione a Deo, & inordinatione peccati: cùm Deus nec poſſit auerti à ſeipſo intelligendo, & volendo; nec quicquam auertere à ſeipſo vt fine vltimo; nec inordinatè agere, aut quicquam deordinare, ſed omnia ordinare ac reordinare, ſecundùm ſuam propriam legem æternam, quæ eſt vt omnia ſint ordinatiſſima, ex *B. Aug.* 1. *De lib. arb. cap.* 6. & alibi. 10. Ex ipſa lege noſtra naturali, vt impreſſa & participata ab illa lege æterna: qua nobis tam certum & euidens eſt Deum eſſe inculpabilem; vt naturaliter abhorreamus omnem opinionem vt blaſphemam, quæ imputat Deo vllam culpam propriam vel alienam.

.*Non ſolùm vt negatio: ſed vt perfectio poſitiua omnium verarum virtutum poſſibilium, & compoſſibilium; infinita intenſiuè circa ſolùm obiectum formale ſingularum in Deo, ſed extenſiuè & terminatiuè etiam circa nos & omnes creaturas.* 1. Quia ſacra Script ſæpè tribuit eas Deo: non metaphoricè, ſed propriè; nec in ſolo ſenſu aut modo cauſali, ſed & formali. Sic enim ſacræ Script. ſunt intelligendæ, quando tam ſæpè idem eodemque modo ſignificant. 2. Ex SS. Patribus, in eundem ſenſum proprium, & formalem, ſupra. 3. Quia cùm reliquæ creaturæ ſint veſtigia Dei, participando ſolùm ab eo cauſaliter, quaſdam perfectiones ſecundùm quid: ſolæ rationales ſunt imago Dei, ſeu ad eius imaginem naturalem, & ſimilitudinem moralem virtutum; ergo habent eas à Deo etiam formaliter, vt perfectiones formales & infinitas Dei, ſed in nobis participando finitas ſeu limitas. 4. Virtutes, vt perfectiones formales & morales Dei, ſunt nobis amabiliores & imitabiliores, quàm ſi non eſſent ipſius Dei formaliter: ergo cùm nobis à Deo commendentur ad amandum & imitandum, ſunt formaliter ipſius Dei. 5. Si virtutes in ſe, & ex ſe eſſent creaturæ, & ſolùm accidentia: non eſſent tantæ perfectiones, nec dignæ

tanta æſtimatione; ſubeſſetque ſæpè periculum idololatriæ, in nimio affectu & ſtudio virtutum.

6. Omnes virtutes poſſibiles & compoſſibiles habent aliquam formalem perfectionem: inuolutam quidem varijs imperfectionibus noſtris; ſed quæ facilè euolui poſſit ad ſtatum perfectionis ſimpliciter,& circa aliquam perfectionem Dei obiectiuam. Ergo inuolucra noſtrarum imperfectionum, non ſunt imperfectiones ipſarum virtutum, ſed noſtræ. Nam virtus moralis habet pro obiecto formali ipſam honeſtatem,ſeu decentiam bene operandi: quæ eſt formaliter & exemplariter in Deo, vt omnia per ſe & per nos honeſtiſſimè operante, ſeu prout decet ſuam Naturam & Perſonam Sapientiſſimam. Hinc *S. Dion. cap.4. Diu. Nom.* ad pulchritudinem ſeu honeſtatem ſpiritualem in Deo, requirit proportionem actuum cum ipſo Deo, & claritatem Sapientiæ. *S. Aug.* vocat *honeſtatem, pulchritudinem ſpiritualem, q.30. ex 83.*

De Prudentia. Virtus hæc eſt quidem in nobis conſultiua,& directiua ad verum bonum morale, contra varia pericula errandi moraliter: non tamen includit formaliter, nec ſupponit vllum tale periculum, aut difficultatem cognoſcendi,vel volendi Verum & Bonum Honeſtum; ſed formaliter eſt ipſa ad vtrumque facilitas. Cur ergo non poſſit eſſe in Deo formaliter? Cùm ſacra Script. & SS. Patres hanc & varias eius ſpecies illi tribuant, ſub eodem nomine, vel ſynonimis? Vt patet ex ſacris Script. & Patribus ſupra, & ex noſtro *Al.* in Supplemento *ad 3. partem*, *col.* 78. De Prudentia Spiritus. *Col.* 51. De varijs definitionibus Prudentiæ. *Col.* 88. De ſpeciebus ſeu partibus Prudentiæ: inter quas ſola docilitas, & conſultatio videntur indignæ Deo; ſed hæc poteſt eſſe ſine vllo dubio, aut periculo errandi; illa poteſt eſſe actiua & directiua noſtri à Deo, non autem ipſius Dei. Vt docet ſaltem problematicè *Scotus, Quæſt. 1. Prolog. & in 3. d. 33. q. 1.* Quòd ſi ſufficiat ad rationem prudentiæ, vt ſit oſtenſiua honeſtatis in operando, vel directiua cuiuſcunque dirigibilis.

De Iuſtitia. Eſt quidem in nobis virtus inclinans affectum ad honeſtatem reddendi omnibus debitum: Deo, Parentibus, Superioribus,Maioribus, Benefactoribus, Æqualibus, Inferioribus, Offenſis, Miſeris, & Reis; per Religionem,Pietatem, Obedientiam, Obſeruantiam, Gratitudinem, Amicitiam, Prouidentiam, Pœnitentiam, Miſericordiam, Iuſtitiam vindicatiuam,vt per aliquas ſpecies Iuſtitiæ, vel proportionalis, vel commutatiuæ, vel diſtributiuæ. Contra noſtram vitioſam inclinationem ad proprium commodum, potiùs quàm ad honeſtatem reddendi alteri debitum. Non tamen includit formaliter, nec neceſſariò ſupponit hanc vitioſam inclinationem, imò nec ſubiectionem, obligationem, aut vllam imperfectionem: ſed eſt in Deo formaliter ſolus affectus perfectus ad honeſtatem Legis æternæ,reddendi cuique quiduis debitum, à quocunque debeatur. Qui affectus formalis Dei, liberè terminatur ad ſimiles eius effectus in nobis, & per nos. Vt patet ex *Al. p.1. q.39. S. Bon & Scoto in 4. d.46.* vbi explicant Iuſtitiam & Miſericordiam formalem Dei,in volendo & operando vt decet Deum, & vt poteſt debere; non nobis, ſed ſibi ſoli, ſeu propriæ ſapientiæ & legi æternæ, ex affectu ad illam ſolam honeſtatem. Ex quo etiam inclinat nos ad ſimiles aſſenſus, affectus, & effectus. Hinc vt *S. Dion.* explicat omnes perfectiones Dei cauſaliter, & eminenter: ad commendandam earum infinitam excellentiam, non ad negandam in Deo earum proprietatem,& formalitatem. Sic & *cap.8. Diu. Nom. De Virtute & Iuſtitia.* Dicamus,Deus eſt Virtus: quia omnem virtutem ſupremè habet, & vt omnis virtutis author,& ſupra omnem quoque virtutem,&c. Iuſtitia Deus dicitur, vt omnibus ſecundùm merita retribuens, menſuramque, & pulchritudinem, & ordinem ac diſpoſitionem ſingulis diſtribuens,&c. Contra eos qui conqueruntur mortalia non eſſe immortalia, libera non neceſſariò moueri, &c. *Infra.* Vera eſt Iuſtitia Dei, quòd omnibus quæ ſua ſunt tribuit, pro ſingulorum merito: & cuiuſque naturam in ſuo ordine ſeruat, atque virtute. At dixerit quis, non eſſe iuſtitiæ quod viri ſancti dimittantur à peſſimis conteri,&c. Hoc magis eſt diuinæ Iuſtitiæ proprium, non eneruare optimorum quorumcunque maſculum ſenſum, largitione carnalium, &c. ſed illos in præclaro inflexibilique ſtatu ſolidare,eiſque ſecundùm merita reddere. *Tertul. Lib. 2. contra Marcionem,cap.11.* Bonitas Dei operata eſt mundum: Iuſtitia Dei, modulata eſt. Vt *Sap.12.* Omnia fecit Deus in numero, pondere,& menſura.

De Veracitate. Veracitas eſt virtus quidem in nobis auertens affectum ab omni mendacio & fallacia, inclinando eum ad honeſtatem reddendi alteri debitum non fallendi, ſed dicendi, ſeu verbo & ſigno exprimendi veritatem,non ſolùm obiectiuam, ſed etiam formalem noſtræ mentis, ſeu cognitionis, voluntatis, & intentionis. Non tamen neceſſariò ſupponit vllum vitium aut defectum contrarium: ſed eſt hæc ipſa formalis perfectio affectus ad dicendam, ſeu exprimendam alteri veritatem. Qua perfectione infinita Deus ab æterno dicit Filio adæquatè omnem ſuam veritatem. Ex quo myſterio *S. Aug. 15. Trin. 17.* & alibi ſupra, extendit Diuinam ad omnia Veracitatem; quia tam eſt impoſſibile Deum falli, aut fallere, & mentiri,quàm negare ſeipſum,*2. Tim.2.* vel quàm non eſſe id quod eſt, aut eſſe id quòd non eſt. Cùmque Theologi ſtudioſè excogitent varias rationes,quibus conuincant *Caluinum, Lib. 1. Inſt.cap. 18.* & quoſuis contradictores, Deum nec per ſe, nec per alios poſſe vnquam mentiri,vel fallere: non videtur vlla efficacior, quàm illa *B. Aug.* ex *Matt. 5. 2. Cor. 1. 2. Tim. 2. Heb. 6.* Vt ſupra, præter reliquas authoritates, & rationes communes pro impeccabilitate Dei per ſe, & per nos. Nec videtur *Caluinus* alio fine reuocaſſe in dubiùm hanc Dei Veracitatem in ſe, & extra ſe: quàm contra veritatem Corporis Chriſti in Euchariſtia,& veracitatem ac ſinceritatem Chriſti in dicendo, *Hoc eſt Corpus meum.* Sed qua fide, vel ipſe, vel eius ſectatores, potuerunt aut poſſunt credere vlli Scripturæ, aut Scriptori canonico: ſi huic dicto Chriſti, vel vlli alteri poſſit ſubeſſe fallacia? Etſi enim Deus per ſacram Script. dicat ſe

vera-

Digitized by Google

veraciter loqui : vnde conſtat eum non fallere , aut vti his verbis in noſtra ſignificatione humana: niſi quia eſt de Fide & lumine naturali, Deum non poſſe fallere,nec imprimendo vllum aſſenſum falſi, nec dirigendo ad nos vlla verba , aut ſigna falſa , & fallacia , vel ſub nulla aut alia ſignificatione , quàm nobis nota? Quæ fides ex auditu Verbi Dei per homines, aut per Angelos , aut per vlla ſigna ſacra : ſi Deus poteſt per alios fallere, aut nobis falſum eloqui? Quamuis enim Veracitas Dei in ſeipſo ſit obiectum formale noſtræ Fidei infuſæ: non tamen niſi reuelata per VerbumDei.

De Fidelitate. Eſt quidem in nobis virtus inclinans affectum ad honeſtatem reddendi alteri debitum ex promiſſione. Quæ vel includit formaliter, vel ſaltem ſupponit veracitatem : non ſolùm de præſenti, ſed etiam de futuro. Non tamen includit vel ſupponit vllum oppoſitum defectum , nequidem poſſibilem : ſed eſt hæc ipſa formalis perfectio affectus ad honeſtatem legis æternæ , ſtandi fideliter promiſſis. Quæ fidelitas Dei cùm ſit obiectū formale noſtræ ſpei, vt nobis per fidem reuelatum : non poteſt eſſe dubium , quin ſit in Deo obiectiuè, & formaliter in eius affectu ad fidelitatem dignam ſeipſo. De qua *Apoſt. 2. Tim. 2.* Fidelis Deus, negare ſeipſum non poteſt.

De Amicitia. In nobis quidem eſt virtus inclinans affectum, à defectu, ad perfectionem & honeſtatem reciprocæ beneuolentiæ : Non tamen ſupponit vllum defectum , nequidem poſſibilem; ſed eſt hæc ipſa perfectio affectus ad honeſtatem reciprocæ beneuolentiæ. Quæ cum ſit formaliter inter Perſonas Diuinas: cur non terminetur ad nos ? Vt infra de Charitate inter illas.

De Miſericordia. Eſt virtus inclinans quidem affectum noſtrum, à defectu ad perfectionem & honeſtatem reddendi miſeris eiuſdem naturæ nobiſcum, debitum miſerendi, ſeu compatiendi , ad effectum eos liberandi, aut mitigandi eorum miſeriam. Sed nec ſupponit vllum defectum poſſibilem , nec exigit vllam miſerentis compaſſionem : ſed ſolum affectum perfectum ad ſuum motiuum, ſeu honeſtatem miſerendi , & terminabilem ad effectum. Ergo formaliſſimè tribuitur & accinitur Deo, *Pſal. 85. Deus miſerator & miſericors, patiens & multæ Miſericordiæ & Verax.* Pſal. 102. *Longanimus & multum miſericors.* Pſal. 114. *Miſericors Dominus & iuſtus. Deus cui proprium eſt miſereri.* Nec eſt vlla oppoſitio inter iuſtitiam & miſericordiam : ſed hæc vel eſt illius ſpecies , vel alia condecentia diuina miſerendi. Vt *Scotus in 4. d. 46. q. 3.*

De Temperentia. Eſt quidem in nobis virtus moderatrix appetitus noſtri circa omnia appetibilia, ex affectu ad hanc ipſam honeſtatem : non tamen ſupponit vllam immoderationem poſſibilē, nec defectum vllius boni; ſed eſt hęc ipſa perfectio affectus ad ſuum bonum,& ad honeſtatem ſeu decentiam huius perfectionis. Atqui in Deo eſt perfectiſſimus affectus ad ſuum bonum: infinitus quidem & neceſſarius ad infinitum; nullus autem,vel liberrimus ad ſua omnia bona finita& extrinſeca, honoris, laudis , gloriæ. Ergo in Deo eſt formaliſſimè vtraque ſpecies temperantiæ , ab omni exceſſu & defectu circa bonū ſibi , & nobis delectabile & honeſtum. Hinc Caſtitas & Virginitas poteſt formaliſſimè Deo tribui : vt eſt affectus integerrimus & puriſſimus ab omni corruptione , & vitioſa delectatione,in ipſa ſua ęterna generatione Filij. Imò nec Humilitas eſt nobis,noſtræque imperfectioni tam propria & intrinſeca : quin poſſit eleuari vſque ad perfectionem formalem Dei, ſeu vſque ad affectum perfectiſſimum, quo Deo placet ſua lex & ratio æterna humilitatis,vſque ad quoſdam eius effectus ſimiles circa nos , & in nobis. Vt *Sap. 12.* Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas : & cum magna reuerentia diſponis nos .i. inclinas & accomodas teipſum nobis, ſeu noſtræ capacitati, & infirmitati, in tuis circa nos iudicijs, beneficijs , & gratijs.

De Fortitudine. Eſt quidem in nobis virtus moderatiua timoris & audaciæ circa pericula grauiora, contra-agendo vel patiendo: non tamen includit, nec ſupponit tales proprias paſſiones, pericula aut difficultatem; ſed eſt ipſa formalis perfectio affectus ad honeſtatem ſeu decentiam patiendi contraria , ſine perturbatione , & contra-agendi ſine exceſſu vel defectu. Ergo & patientia noſtrorum peccatorum ſine vlla perturbatione , offenſa , aut dolore interiori: & fortitudo contra-agendi fortiter& ſuauiter,ſine defectu gratiæ,aut violatione noſtræ libertatis , formaliſſimè Deo conuenit.

De Fide infuſa. Eſt quidem virtus dirigens & inclinans nos obſcurè,ſed certo & infallibiliter ad credendum primæ Veritati. Quòd ſi hæc obſcuritas eſt tam eſſentialis certitudini Fidei , vt hæc ſine illa non poſſit eſſe in Beatis , multò minus in Deo : ſaltem eſt in Deo formaliter certiſſimus aſſenſus , & affectus ad primam Veritatem , & ad debitam perfectionem ei credēdi ſecundùm ſuam legem æternam. Qui affectus Dei perfectiſſimus poteſt etiam terminari ad ſimilem aſſenſum & effectum in nobis.

De Spe. Eſt virtus perficiens affectum noſtrum ad ſperandum à Deo, vt fideliſſimo promiſſore, ſummum bonum noſtrum, per gratiam & media adhoc ordinata. Sed quamuis imperfectio ſperādi, non poſſit eſſe formaliter in Deo: perfectio tamen affectus , ſeu affectus perfectiſſimus ad ipſam honeſtatem ſuæ fidelitatis , & ad debitam ſibi perfectionem ſperandi ſecundùm legem æternam, eſt formaliſſimè in Deo.

De Charitate. Nullum eſt dubium quin ſit virtus, & perfectio formaliſſima Dei: vt ſupra, & *Quæſt. 13.* Sed an omnes aliæ virtutes formaliter differant à Charitate. De quo infra.

Non tamen obligando, & ordinando Deum ad nos: ſed nos & omnia ad Deum , & inter nos. Quia , vt ſupra , Deus non poteſt propriè affici extra ſe: prout affectus eſt naturalis ; ſed eſt liberrimus & indifferens ad omnia; ſolùmque neceſſariò & naturaliter afficitur ſibi-ipſi , ſeu ſuæ propriæ perfectioni eſſendi , & honeſtè operandi , vt decet Deum. Nec poteſt ab vllo, nec vlli obligari, aut debere, niſi ſibi-ipſi: ad volendum & operandum condecenter ſuæ perfectioni. Nec denique poteſt vllatenus ordinari ad nos : cùm ſit ſolus ſupernaturaliſſimus,ſeu ſupra omnem ordinem ſuorum inferiorū; ſed omnia ordinet inter ſe, & ad ſeipſum.

Digitized by Google

ſic *Eſa.* 42. *Ego gloriam meam non dabo* .i. eandem æqualem: ſed eò minùs gloriam, quàm beatitudinem; quo gloria non ſignificat ſolam beatitudinẽ, ſed vt glorioſam, notoriam, eminentem, incomparabilem, independentem, & originem ac finem omnis beatitudinis participabilis. Hinc non ſolú à nobis omnia, 1. *Cor.* 10. ſed & à Beatis ſingulorum beatitudo ad Gloriam Dei refertur: non ſolùm nec tam ad acquirendam vel augẽdam ei gloriam externam, ſeu glorioſam eius cognitionem & amorem in nobis; ſed & potiùs ad gratulandum ei glorioſiſſimam cognitionem, & fruitionem ſuiipſius infinitam.

Difficultates.

1. EX Sacra Script. 3. *Reg.* 22. & 2. *Paralip.* 18. *Vidi Dominum*, inquit *Michæas* Propheta, *ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei: & ait Dominus, quis decipiet Achab. Egreſſus eſt autem Spiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: ego decipiam illum. In quo? Ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus: decipies & præualebis, egredere, & fac ita.* Sic & *Iud.* 20. Filij Iſrael bis Oraculo decepti ſunt. *Ezech.* 14. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* 2. Theſ. 2. *Mittet illis Deus operationem erroris.* Gen. 45. *Dicit Ioſeph fratribus ſuis. Non veſtro conſilio: ſed voluntate Dei miſſus ſum huc.* Exod. 7. *Indurabo cor Pharaonis.* Cap. 9. Dixit Deus ad *Pharaonem. Poſui te vt oſtendam in te fortitudinem meam* .i. ex Rom. 9. *In hoc ipſum ſuſcitaui te. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Exod. 20. 34. Deut. 5. *Deus punit peccata parentum in filios, vſq; ad 3. & 4. Generationem.* 2. Reg. 16. *Præcepit Dominus Semei, vt malediceret Dauid.* Cap. 24. *Commonit Dominus Dauid ad peccatum numerationis populi.* Eſa. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Ioan. 12. *Iudæi non poterãt credere, quia dixit Iſaias: excæcauit Deus oculos eorum, &c.* Prou. 16. *Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus, impium quoq; in diem malum.* Luc. 2. *Poſitus eſt Chriſtus in ruinam, & reſurrectionem multorum.* Act. 2. *Hunc* .i. *Chriſtum definito conſilio & præſcientia Dei traditum interemiſtis.* Rom. 1. *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum: vt facerent quæ non conueniunt.* Rom. 9. *Cùm Iacob & Eſau nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali: vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt Iſaac,* Gen. 25. *Maior ſeruiet minori; ſicut ſcriptum eſt* Mal. 1. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, &c. Moyſi enim dicit,* Exod. 33. *Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cui miſerabor* .i. Exod. 33. *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Infra Rom. 9. *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe fecit: quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta, vel aptata in interitũ: vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloria.* Infra. Ex Eſa. 8. *Ecce ponam in Syon lapidem offenſionis, & Petram ſcandali.* Rom. 11. Ex Eſ. 6. *Deus dedit Iudæis oculos vt non videant, & aures vt non audiant.* Ex Pſal. 68. *Obſcurentur oculi eorum ne videant, &c. Illorum delicto, ſalus eſt gentibus.* 2. Tim. 1. *In magna domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia: quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Ergo Deus & fallit per alios, & vult fieri multa peccata, ad maius bonum gloriæ ſuæ, & ipſorummet peccantium, vel aliorum.

Reſp. Ad horum primum ſonitum tinniunt aures fideles, & inhorreſcit animus fide & ratione munitus: ſed refert ad ſenſum aliquem ſecretum, Dei veritate & ſanctitate dignum, quem ex B. Aug. diſcamus.

Quæſt. 53. ex 83. Quantum ad decipiendum attinet: ſumma & perfecta virtus eſt, neminem decipere; atque illud exhibere *Mat.* 5 *Sit in ore veſtro eſt eſt, non non &c.* Sed quærendum eſt quibus gradibus ad iſtam ſummitatem, perfectionemque veniatur &c. Sicut ergo ſumma, & propè diuina virtus eſt, neminem decipere: ſic vltimum vitium eſt, quemlibet decipere. Ab hoc vitio, gradus eſt: neminem amicum vel ignotum, ſed tamen inimicum aliquando decipere. *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Sed quoniam & ipſe hoſtis poteſt iniuſtè decipi &c. multò purgatior, ſummæque illi virtuti propinquior eſt, qui non eum decipit niſi authoritate Diuina. Deus enim nouit qua quiſque pœna præmioue ſit dignus. Quapropter Deus quidem per ſeipſum neminem decipit: eſt enim Pater Veritatis, & Veritas, & Spiritus Veritatis; dignis tamen digna diſtribuens, quoniam hoc quoque pertinet ad Iuſtitiam & Veritatem, vtitur animis pro meritis & dignitatibus earum; vt ſi quis dignus eſt decipi, non ſolùm per ſeipſum eum nõ decipiat. ſed neq; per talem hominem, qui iam congruenter diligit, & cuſtodire perſiſtit illud *Matt.* 5. neque per Angelum cui non conuenit perſona fallaciæ; ſed per talem qui pro ſuæ voluntatis peruerſitate, vel ad vindictam, vel ad exercitationem, purgationemque, in infimis naturæ gradibus ordinatus eſt. Legimus enim 3. *Reg.* 22. Deceptum Regem *Achab* falſo vaticinio Pſeudo-prophetarum; nec ſine diuino iudicio, quoniam dignus erat ſic decipi; nec per Angelum quem non deceret, ſed per Angelum erroris, qui ſibi vltro tales partes imponi cum lætitia poſtulauit, &c. Ex hac ineffabili Prouidentia, quaſi tranſcripta eſt lex naturalis in animam rationalem, &c. Hinc eſt quòd Iudex damnatum percutere, indignum ſua perſona, & nefarium iudicat: eius tamen iuſſu hoc facit carnifex, pro ſua cupiditate, & crudelitate, &c. Hinc etiam brutis vtimur, &c. Nam dignus eſt fur morſu lacerari: id tamen homo non per ſeipſum agit, ſed per canem, &c. Cùm igitur quoſdam pati aliquid deceat, quod alios facere non deceat: miniſteria ſunt media, quibus vtatur Iuſtitia, &c. Quapropter cùm Ægiptij deceptione digni eſſent, & populus Iſrael in tali adhuc gradu morum eſſet, vt non indignè hoſtem deciperet: factum eſt, vt iuberet Deus, vel potiùs pro illorum cupiditate permitteret, vt vaſa aurea & argentea quibus inhiabant,

Digitized by Google

à quo ſibi tantum ſcelus dimiſſum eſſe gauderent. Vt *Act.* 2. Non ergo abhorret quod ait, *Ioan.* 12. ab ea ſententia qua intelligimus ideo excæcatos vt conuerterentur .i. ideo eis per obſcuritates parabolarum occultatas ſententias Domini; vt poſt eius Reſurrectionem ſalubriori pœnitentia reſipiſcerent, &c. Nam quibus non profuit illa cæcitas ad conuerſionem? *Eſa.*28. *In alijs linguis loquar populo huic, & nec ſic me exaudiet.* Non diceretur, *nec ſic,&c.* niſi ad hoc fieret, vt vel ſic exaudirent .i. Vt eis ad confeſſionem, conuerſionem, & dilectionem valeret. Eſt verò & iſta ratio medicinæ corporalis .i. vt priùs affligat, quàm ſanet. Nec moueat, *Eſa.*7.apud 70. *Niſi credideritis,non intelligetis* quaſi ſit contra *Ioan.*12.*Non poterant credere, quia, &c.* Sed *Eſa.* 7. de illa intelligentia dictum eſt, in qua ſemper manetur, rerum ineffabilium.

Lib. 5.*in Iul.cap.* 3.*Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.Rom.*1. Per hoc, aliud eſt habere mala deſideria cordis: aliud tradi eis; vtique vt conſentiendo eis, poſſideatur ab eis,&c. Cùm ergo dicitur homo *tradi deſiderijs ſuis*: inde fit reus, quia deſertus à Deo cedit eis atque conſentit,vincitur, capitur, traditur, poſſidetur; & fit ei peccatum conſequens, præcedentis pœna peccati, &c.

Lib. de gratia & libero Arb. cap. 20. Script. Diuina oſtendit, non ſolùm bonas voluntates, quas ipſe facit ex malis,&c. verum etiam illas quę conſeruant ſæculi creaturā, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quo voluerit, faciat inclinari; vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas ingerendas, occultiſſimo quidem iudicio, ſed ſine vlla dubitatione iuſtiſſimo. Nam inuenimus aliqua peccata eſſe etiam pœnas aliorum peccatorum. Vt *Rom.* 9. *Exod.* 7. 2. *Reg.* 16. Nunquid non ſua voluntate *Semei* maledicebat *Dauid*? Et tamen quomodo Deus dixerit ei maledicere *Dauid*: quis ſapiens & intelliget? Non enim iubendo dixit, vbi obedientia laudaretur: ſed quòd eius voluntatem proprio vitio ſuo malam, in hoc peccatum iudicio ſuo iuſto inclinauit, miſit, vel dimiſit,&c. Sic vſus eſt *Iuda* tradente *Chriſtum*: ſic vſus eſt Iudæis crucifigentibus Chriſtum, qui & ipſo Diabolo vtitur peſſimo, ſed optimè, &c.] Nec obſtat quod vbi legebat *B. Aug.* 2. *Reg.* 16. Dominus dixit *Semei*, maledicere *Dauid*: nos legamus, *Dominus præcepit Semei vt malediceret Dauid.* Quia nec hoc præceptum, nec factum erat obedientiæ: nec *B.Aug.* hic aliud monet quàm quòd non fuerit obedientiæ. *Cap.*21. Quis non iſta diuina iudicia contremiſcat: quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult; reddens tamen eis etiam ſecundùm merita eorum? *Infra.* Agit enim Omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum: vt per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino iniuſtè aliquid velle non nouit. *Ezech.* 14. *Ego Dominus ſeduxi Prophetam illum.* Prou.12.*Cor regis in manu Dei, quocunque voluerit declinabit illud.* 2.Theſ.2. *Mittet illis Deus operationem erroris, &c.* His ſatis manifeſtatur Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique ſuo,aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto, &c. Si autem potens eſt per Angelos vel alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipſe fecit, ſed aut originaliter tracta eſt ab *Adam*, aut creuit per propriam voluntatem: quid mirum eſt ſi per Spiritum S. operatur in cordibus electorum ſuorum bona, qui operatus eſt vt ipſa corda eſſent ex malis bona. *Cap.* 23. Non ideo auferatis à *Pharaone* liberum arbitrium, quia dicit Deus, *Ego induraui*, vel *indurabo cor Pharaonis Exod.* 7. Et Deus indurauit per iuſtum iudicium, & ipſe *Pharao* per liberum arb.

Lib. de corrept. & gratia cap. 14. Non eſt dubitandum voluntati Dei humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe quod vult: quandoquidem de ipſis etiam hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult facit. Vt quando Deus voluit Sauli Regnum dare, &c. Quod non fecit niſi per voluntates hominum: ſine dubio habens humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, ex 1.*Reg.* 10.& 1. *Paralip.* 11. 12. Subdit. *Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas. Lib. De Prædeſt.SS.*Eſt in malorum poteſtate peccare: vt autem peccando, hoc vel hoc, illâ malitiâ faciant, non eſt in eorum poteſtate; ſed Dei, diuidentis tenebras & ordinantis eas. Vt hinc etiam quod faciunt contra Voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntas Dei.

Præter ea quæ ſupra *col.* 386. 387. 388. 389. & infra *Quæſt.* 15. De Prædeſtinatione. Ex quibus recolligi poſſunt varij ſenſus veri: quibus hæc & ſimilia Sacræ Script. cum Veracitate & Sanctitate Dei conciliari poſſunt. 1. Metaphoricè,loquendo de Deo more humano apparenter. Vt *Gen.*7.Deus dicitur *tactus dolore cordis intrinſecus* .i. quaſi: ſic & *quaſi* fallere, &c. Quia videtur agere vt ſolent homines dolentes, & fallentes. 2. Aliter metaphoricè,dicitur Deus facere, quod oſtēdit ex occulto. Vt *Gen.* 1. *Diuiſit lucem à tenebris* .i. oſtēdit quàm ſit diuerſa. Et *B.Aug.*ſupra,*Indurabo cor Pharaonis* .i. oſtendam quàm durum ſit. Sic & fallacia & malitia actualis,ſed interna, vel occulta,fit à Deo vt ſit externa & manifeſta, ſine vlla Dei, vel noua noſtra fallacia aut malitia. Quamuis enim actio externa ab interna malitia, ſit ſaltem extenſiuè peior ſolâ internâ: poteſt tamen Deus Sanctè prouidere, ne malitia interna, vel etiam externa ſed occulta, poſſit malitioſiùs latere; ſed vt in actū ſolùm materialem & externum prodeat, vel ab alijs deprehendatur. Sic enim Deus ſæpè cōfundit, punit, & corrigit vitia interna, vel occulta: per lapſum in exteriora turpia & manifeſta. Vt ſæpè monet *B. Aug.* ſed ex profeſſo *Lib. de natura & gratia. Cap.* 28. Deſerit aliquantulum Deus vnde ſuperbis: vt ſcias,non tuum,ſed eius eſſe. *Cap.*31. Alius Dei conſilium me fateor ignorare: cur etiam ipſam ſuperbiam non cito ſanet Deus. Niſi, ne quis peius inde ſuperbiat. 3. Deus dicit,vult, facit per ſe, vel per nos, aliqua quæ videntur falſa & mala: ſed ſunt indifferentia, poſſuntque verè & benè fieri. Vt *Iudicum* 7. Deus ter conſultus à Filijs Iſrael, an pugnarent: reſpondit ter,

pugnate

Digitized by Google

pugnate; non tamen prædixit ad ſingulas pugnas victoriam, ſed tandem finalem. 3. *Reg.* 22. Michæas conſultus ab Achab, primò reſpondit ex ſe ambiguè: donec adiuratus fuit in Nomine Domini. 4. Deus dicitur velle, facere, iubere mala: quæ non ſunt mala niſi quia ab ipſo prohibita, vel in quibus poteſt diſpenſare, & iubendo diſpenſat, redditque licita & bona. Vt *Gen.* 22. de immolando *Iſaac*: & fortè *Exod.* 3. de furto illo Iudæorum, & fortè *Oſee.* 1. de fornicando materialiter. 5. Deus dicitur velle, & facere per ſe vel per nos, mala pœnæ: quæ licet ſoleamus facere aut pati cum aliqua culpa, non tamen neceſſariò. 6 Dicitur velle & facere peccatores materialiter .i. eos qui fuerunt, ſunt vel erunt peccatores; non tamen quia, quà, vel vt ſint tales. 7. Dicitur eos velle aut facere: non ſimpliciter, nec materialiter, nec cauſaliter, nec formaliter; ſed finaliter *.i.* ordinare ad pœnam eis debitam. Vt *Prou.* 16. *Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus: impiũ quoq; in diem malum* .i. Non vt alia omnia propter ſe; ſed impium iam ex ſe factum, ordinando ad tẽpus pœnæ. 8. Dicitur velle, facere, mouere ad falſum & malum: non per ſe, nec ex intentione aut fine Dei agentis, nec ex proprio fine actionis eius; ſed per accidens, ex ſola occaſione malitioſè à nobis accepta, non nobis à Deo ad hoc data. Solemus enim omnibus obiectis, & occaſionibus, etiam bonis, abuti ad errorem & malitiam actualem, ſecundùm ſenſum, intellectum, & affectum habitualem. 9. Dicitur velle & facere per ſe & per nos aliquam paſſionem bonam, ſimul cum aliena actione mala. Vt Deus voluit & fecit, vult & facit, Chriſtum & Sanctos optimè pati: quamuis à peſſimis peſſimè. 10. Deus dicitur agere falſa & mala, materialiter, ſeu quæ ſunt falſa, & mala culpæ: præbendo concurſum communem ad illorum entitatem & moralitatem, non autem gratiam efficacem ad cauendam falſitatem & malitiam. Quia tanta gratia non eſt ad hoc prorſus neceſſaria, aut vlli debita: ſed ſupra exigentiam naturalem intellectus & voluntatis defectibilis, ſupraque omnes communes promiſſiones Dei. 11. Dicitur facere falſa & mala materialiter in nobis, per ſuum concurſum communem: negando nobis omnem gratiam neceſſariam cauendi errorem & culpam; ſed ex noſtra aliqua priori culpa, originali vel actuali non remiſſa. 12. Dicitur eadem facere in nobis: influendo, & mouendo nos ad illa, ſecundum noſtras vitioſas inclinationes, naturales, & acquiſitas. Cùm enim ſit Author naturæ: vt connaturaliter mouet omnia agentia naturalia ſecundùm ſuas vires naturales, quæ naturaliter exigũt à Deo talem motum; ſic & nos, niſi Deus gratia ſpeciali excedat hanc exigentiã naturalẽ. Vt in 2. *à col.* 478. *ad* 513. De neceſſitate, ſufficientia, & efficacia gratiæ. 13. Deus dicitur velle aut facere falſa vel mala, etiam formaliter, ſed tantùm permiſſiuè: non quaſi neſciẽdo, aut ſolùm nil volendo, aut nolendo, ſeu vt Epicurei cenſebant, nil de eis curando; ſed nolendo velle, aut facere oppoſitum, ſed volendo permittere, ad ea retorquenda in varios fines, ſeu effectus bonos. De quibus ſupra, & infra. 14. Dicitur velle & facere aliqua falſa & mala formaliter, non tantùm permiſſiuè & negatiuè ſed etiam poſitiuè, & executiuè: præſidendo malis voluntatibus, ſeu ad errandum, & malè faciendum quaſi venundatis .i. expoſitis & reſolutis; ad continendam, moderandam, diuertendam, vel laxandam earum malitiam, interiùs & exteriùs, in vnum potiùs quàm in aliud; proponendo ei interiùs & exteriùs vnum ſubiectum, materiam, aut occaſionem, potiùs quàm aliam. Vt patet ex quibuſdam *B. Aug.* ſupra. Quorum nihil eſt indignum: ſed omnia digna Sanctitate Dei. Sic enim decet eam vincere, & frænare omnem malitiam: ne in infinitum pro ſuo libitu luxurietur. 15. Dicitur Deus velle & facere mala culpæ, vt ſunt pœnalia: ſeu vt à Deo permittuntur, & relaxantur ex iuſtitia, in pœnam non tantùm prioris alicuius peccati, ſed etiam huius ipſius quo quis peccat. Ex *B. Aug.* 1. *Conf. cap.* 12. De peccante meipſo, iuſtè retribuebas mihi: iuſſiſti enim & ſic eſt, vt pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus. *Cap.* 17. Lege infatigabili ſpargens pœnales neceſſitates, ſuper illicitas cupiditates. Et alibi ſæpè: Nunquam eſt dedecus culpæ, ſine decore iuſtitiæ. Nec negat *Scotus in* 2. *d.* 37. *q.* 2. *col.* 190. tales culpas vt pœnales, eſſe à Deo vt iuſtè permittente; ſed vt efficiente, vel deficiente. Nec eſt indignum Sanctitate Dei ſic punire. Quia peccator ex ſola voluntate finita eſt defectibilis & defecturus in infinitum, niſi Deo præſeruante: fitque adhuc defectibilior & indignior præſeruatione, per culpas priores. Ergo decet Sanctam & iuſtam Voluntatem Dei, tantam peccabilitatem naturalem refrænare, & moderare: ſed voluntatem actualem peccandi, punire; non ſola permiſſione huius peccati, ſed & plurium ac grauiorum ad quæ prius diſponit & trahit. Vnde patet quanta ſit Sanctitas Dei: quæ tanta peccatorum contagione nec infici, nec inficere poteſt; ſed inter omnes peccatores & omniũ peccata tam propè, prouidè, ac inculpabiliter verſatur, vt tamen infinitè diſtet ac emineat.

Difficultates.

Ex ipſo *B. Aug.* 1. *Quæſt.* 53. *ex* 83. Nihil probat, niſi quod Deus neminem per ſe immediatè poſſit decipere, ſeu hac pœna punire: ſed per miniſtros fallaces, ſeu proprio vitio ad hoc conuenientes. Ergo Deus poteſt æque velle, intendere, condemnare, & cogere peccatore ad errandum & peccandum: ac Iudex ſuos ſubditos & reos, ad alias pœnas. 2. Non reſpondet ad *Ezech.* 14. & 2. *Theſſ.* 2. 3. Ibidem, tribuit vitio Iudæorum, quòd Deus permiſerit eis ſpolium Ægyptiorum: cùm alibi excuſet eos à furto. 4. In *Epiſt. ad Rom. Prop.* 62. Excuſat *Pharaonem* à culpa inobediẽtię, *obdurato iam corde*: cùm *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 24. non excuſet *Loth* ebrium ab inceſtu; nec Iudæos excæcatos, à Chriſticidio. 5. *Lib. de gratia & lib. Arb.* Negat Deum iuſſiſſe *Semei* vt malediceret *David*: cùm 2. *Reg.* 16. exprimatur præcepiſſe. 6. *Lib.* 6. *in Gen. cap.* 15. Voluntas Dei eſt rerum omnium neceſſitas: ergo volendo culpam vt pœnalem, ad eam neceſſitat. 7. *Lib.* 5. *in Iul.* 3. Deus non ſolùm permittit; ſed etiam potenter in

peccata

Digitized by Google

peccata compellit. 8. *Lib. De Gratia & lib. Arb. cap.* 21. Inclinat ad peccandum. 9. *Libro De Corr. & Gratia, cap.* 7. Chriſtus elegit alios Apoſtolos ad ſuum Regnum : ſed *Iudam* ad effundendum Sanguinem ſuum.

Reſp. Ad 1. Deus non poteſt æquè ac Iudex : ſed plus quoad poſſe, & meliùs quoad modum. Nec *B. Aug.* comparat æqualiter, ſed ſimiliter. Nec probando Deum non poſſe per ſe decipere, ſupponit, ſed negat poſſe poſitiuè decipere per alios, & exprimit ſolùm permiſſiuè. Denique vt viſio illa *Michea* fuit metaphorica, ſeu impropria : ſic & iuſſio ſeu miſſio ad decipiendum. *Ad* 2. Deus ſeduxit, *Ezech.* 14. vt 3. *Reg.* 22. .i. Non præſeruauit à ſeductione, ſed permiſit ſeduci, in pœnam peccati. Non tamen tribuit ſibi Deus illam ſeductionem, vt vitioſam : ſed eius effectum & finem vt iuſtum. Vt ſæpè dicitur Deus irridere, ſubſannare peccatores .i. fruſtrare ſua vana ſpe, & confundere. 2. *Theſſ.* 2. *Mittit Deus operationem erroris* .i. non præſeruat, ſed dimittit, vel laxat noſtrâ propriam erroneitatem, vel etiam diabolum deceptorem. Vt expreſsè *B. Aug.* ſupra *col.* 453. *Ad* 3. Excuſat Iudæos ab illo furto : ſed non à vitio nimiæ cupiditatis. *Ad* 4. Vt *lib.* 22. *contra Fauſtum*, non excuſat *Loth* à toto, ſed à tanto : ſic & *Pharaonem*. Vel *non hoc tunc illi imputabatur*, cauſaliter : ſed formaliter .i. ad veram culpam, ſed præcauſatam ante ipſam totalem obdurationem. Vt quis dicitur peccare formaliter, neceſſariò continuando in aliquo peccato actuali, cauſaliter inchoato. *Ad* 5. vt ſupra. Idemque eſt illud, *dixit*, apud *B. Aug.* quòd noſtrum *præcepit* : non propriè dicto præcepto obedientiæ, nec vllius mali intentione, nec ſola eius permiſſione; ſed illius malitiæ directione, immiſſione, ſeu laxatione ad huius patientiam probandam, & accuſandam *Semei* malitiam. Nec *Dauid* dicit Deum præcepiſſe *Semei*, vt malediceret : ſed vt ſuam ſecretam maleuolentiam, & maledicentiam in *Dauid* euomeret. *Ad.* 6. Voluntas Dei, eſt rerum omnium .i. naturarum, & proprietatum naturalium neceſſitas; non autem actuum moralium, multominus defectuum. Quia hoc ipſum eſſet contra naturam ipſius voluntatis. *Ad* 7. Non eſt tam dictio *S. Aug.* quòd Deus per potentiam ſuam peccatores in peccata compellat, quàm negatio *Iuliani*: ſed quia *B. Aug.* hanc improbat, videtur illam approbare. Verùm nec hanc improbat, nec illam approbat, niſi ad tuendum contra *Iulianum*, quòd Deus peccata peccatis puniat; non tamen vi compellendo, ſeu cogendo ad peccandum, ſed non præſeruando aut liberando eos à quadam neceſſitate naturali, vel morali & culpabili peccandi. Vnde ſubdit *Cap.* 4. Tradit ergo Deus, *Rom.* 1. ſed conuenienter tradit; & fiunt eadem peccata, peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorum. Facit hæc miris & ineffabilibus modis : qui nouit iuſta iudicia ſua, & in ipſis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, ſed vtitur eis vt voluerit, cùm aliquid velle iniquè non poſſit. *Ad* 8. Non inclinat ex ſe, nec poſitiuè ad malum: ſed ſolùm permiſſiuè, ex noſtro demerito; non præſeruando, nec continendo nos à noſtris prauis inclinationibus, & earum motiuis ac occaſionibus. *Ad* 6. Elegit alios Apoſtolos electione gratiæ : ſed *Iudam* electione iuſtitiæ, exponendo ſeipſum tradendum eius malitiæ & auaritiæ, in eius pœnam, ſed aliorum gratiam.

Difficultates.

EX varijs rationibus. 1. *Ariſt. Æthic.* 4. & 10. docet virtutem moralem afficere ſuum proprium ſubiectum honeſtati morali, propter ipſam : perficere, & facilitare ad bene operandum; rectè ordinare ſuum ſubiectum ad ſeipſum, & ad alterum. Ideoque ex lumine naturali negat Deo tribui poſſe : alioquin virtutes morales filiorum eſſent formaliter parentum etiam vitioſorum, quibus placent, & quos dirigunt. 2. Idem 6. *Phiſ.* 4. docet prudentiam verſari circa ſingularia mutabilia. *Cap.* 7. eſſe prudentiæ, conſultare de dubijs, & per veram notitiam dirigere ad rectam operationem. Deus autem nec habet vllum dubium de quo conſultet : nec dirigit ſeipſum vlla notitia, ſed operatur omnia conſilio voluntatis ſuæ; nec dirigit nos ſuâ propriâ notitiâ, ſed noſtrâ: ergo non habet formaliter prudentiam. 3. Iuſtitia eſt virtus reddendi debitum alteri, vel ſaltem ſibiipſi tanquam alteri : Deus autem nihil debet alteri, nec ſibiipſi ad extra, ſed eſt liberrimus, & indifferens ad omnia; ergo non eſt in eo formaliter iuſtitia. Quòd ſi ad hoc debitum ſufficit quæuis decentia : nulla erit alia in Deo virtus ad extra, quàm iuſtitia; quia nihil operatur niſi ex decentia; imò nihil decet ad extra, niſi quod vult, & quia vult. 4. *Ariſt.* 8. *Æthic.* 2. Ad veram rationem amicitiæ, requirit aliquam æqualitatem, & communicationem inter amicos : erga non poteſt eſſe inter Deum ipſum, & nos. 5. Miſericordia conuenit Deo ex ſeipſo, ſeu proprio motu : iuſtitia autem ex nobis, ſeu ex aliquo motiuo noſtro; ergo illa eſt prior hac, non è contra. Quòd ſi hæc ſumatur pro virtute agendi condecenter ſuæ perfectioni, non diſtinguetur à miſericordia. 6. Si moderatio noſtra à Deo, appetendi voluptates & honores, agendique & patiendi contraria, eſſet formaliter Temperantiæ & Fortitudinis in Deo: quilibet eſſet formaliter temperans, & fortis, ac patiens, dirigendo, monendo, & mouendo alios ad has virtutes. 7. Non poteſt vllus actus fieri niſi à Deo : ſed fiunt aliqui ex obiecto intrinſecè mali, vt odium, mendacium, &c. Ergo nonniſi à Deo per cauſas ſecundas : imò & poſſunt ab eo ſolo infundi; quia quicquid Deus poteſt per cauſas ſecundas, poteſt & per ſe.

Reſp. Ad 1. *Ariſt.* defecit etiam à lumine naturali, in doctrina morali : nec potuit aſſequi ſummam illam honeſtatem Diuinam omnium virtutum; cui Deus ipſe afficitur, noſque ipſi affici poſſumus, & debemus, affectu etiam proprio ſingularum virtutum, præter affectum Charitatis, ſeu gratulandi Deo omne bonum quod eſt. Nec ſolus affectus ſimplicis complacentiæ ſufficit ad virtutem : quia hic eſt tantùm naturalis; ſed quantùm eſt ex ſe efficax in ſubiecto capaci. Porrò vitioſi non habent affectum efficacem ad ipſam hone-

Digitized by Google

neſtatem virtutis : ſed naturalem,ad eos in quibus virtus eis placere poteſt. *Ad* 2. vt ſupra de *Ariſt.* Nec Prudentia eſt neceſſariò de dubijs : nec neceſſariò directiua, ſed oſtenſiua. Nec Deus dirigit nos tantùm mediate noſtra notitia : ſed etiam ſua propria ; nec operatur circa nos conſilio formali ſuæ voluntatis,ſed liberè volito. *Ad* 3. Deus nec ſibiipſi debet quicquam ad extra,quoad exercitium,ſpecificationem, vel indiuiduationem operum : nec quoad vllum modum determinatum operandi ; ſed ſaltem quoad aliquem decentem, ſi vult operari. Nec ideo operatur ex ſola iuſtitia, ſeu ex debita ſibiipſi decentia : ſed etiam ex affectu ad alias decentias ſeu honeſtates ; non vt ſibi debitas , ſed tamen vt ſuas. *Ad* 4. De *Ariſt.* vt ſupra : nec eſt neceſſaria tanta æqualitas aut familiaritas,ad amicitiam; ſed ſufficit quædam proportio,ſeu capacitas reciprocæ beneuolentiæ. Nec amicitia Dei ad nos,eſt ex vlla animi paſſione: imò nec ex motiuo noſtro,vel affectu naturali ad nos; ſed eſt ſola beneuolentia , & beneficentia ad nos terminata. De charitate autem Dei ad ſeipſum, ſupra : inter Perſonas Diuinas, infra. *Ad* 5. Miſericordia vt eſt ſpecies, aut pars Iuſtitiæ, qua Deus agit vt debet , ſeu vt eum decet , eſt prior ſolâ Iuſtitia vindicatiua : Connotat tamen miſeriam ſaltem poſſibilem, vt obiectum ſecundarium. Iuſtitia autem agendi debitè ſeu decenter,nihil connotat extra Deum; ideoque vt ſic eſt prior Miſericordiâ. *Ad* 6. Vt ſupra. Non eſt affectus virtutis, niſi ſit ex ſe efficax, vel ſuiipſius communicatiuus. *Ad* 7. Vel nullus eſt actus tam intrinſecè & formaliter malus , quin poſſit ſaltem materialiter fieri, haberi , imò & infundi, ſine vlla formali malitia : vel Deus non influit ad illos moraliter, nec vt ſunt mali ; ſed realiter & connaturaliter, ad ſolam eorum entitatem , vitio cauſæ ſecundæ hunc concurſum exigente. Non enim ſunt peccata actualia, vt ſunt vel fiunt realiter: ſed moraliter ſeu liberè,& formaliter inordinatè,contra obiectum debitum. Non fiunt autem à Deo moraliter , ſeu liberè volendo velle , aut eos eliciendo, vel imperando : nec formaliter illis actibus circa vel contra obiectum operando ; ſed ſolum realiter , & connaturaliter voluntati defectibili ac vitioſæ.Ergo fiunt à Deo inculpabiliter, vt ſupra, de libertate volendi ac operandi, & de Sanctitate Dei. Nam licet Deus dicatur velle & facere in nobis bona per gratiam : quia ex ſe proprio motu facit nos bene velle & operari. Non tamen vult & facit in nobis mala per communem influentiam,ſeu concurſum : quia nec facit nos velle præueniendo ad volendum, nec vult aut facit illa ex ſe, ſeu proprio motu, ſed contra ; id exigente noſtra inclinatione naturali, & vitioſâ. Ex Conc. *Arauſ.* 2. *cap.* 23.

QVÆSTIO XV.

De Prouidentia Dei communi, circa omnes creaturas Rationales : ſed ſpeciali quarundam Prædeſtinatione ad Gratiam, & Gloriam ; aliarum autem Reprobatione.

QVorum arcanorum Dei nulla eſt præſumenda, vel affectanda notitia : ſed potiùs humiliter profitenda ignorantia, cum Apoſt.ad *Rom.* 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei : quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius , & inueſtigabiles viæ eius ! Quis enim nouit ſenſum Domini , aut quis conſiliarius eius fuit ?* Sed quia quædam de eis etiam ſunt credenda , & fidei contraria reprobanda : non poſſumus quin hæreſes cauendas referamus , & illis oppoſitas catholicas opiniones ſine præiudicio inter ſe conferamus.

Noſter *Alphonſus à Caſtro*, non refert ſub titulo Prædeſtinationis , niſi duas Hæreſes. 1. Ex Chronico *Sigiberti*, & Catalago *Bernardi de Luxenburgo*, ſub *Honorio* Imperatore, & *Zozimo* Papa : quorundam *Prædeſtinatorum*,ab incerto Authore; quòd nihil proſint vlla bona opera niſi prædeſtinatis, nec ſcelera noceant niſi reprobis , aut non prædeſtinatis. Quam, inquit, hæreſim poſt mille annos reſuſcitauit *Ioannes Hus*:vt patet ex pluribus eius Articulis relatis & condemnatis in Concilio *Conſtantienſi*, *ſeſſ.* 15. 1. Eccleſia eſt vniuerſitas prædeſtinatorum , &c. 2. *Paulus* nunquam fuit membrum Diaboli,&c. 3. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, &c. 4. Præſcitus etſi aliquando ſit in gratia : tamen nunquam eſt pars Eccleſiæ ; ſed prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat à gratia.

2. Refert ex propria experientia, quoſdam prætenſos Catholicos, ſed Lutheraniſmo afflatos, in ipſo Conc. Trid. inter Doctores de certitudine noſtræ iuſtificationis conferentes , non erubuiſſe proteſtari , ſe eſſe certos de ſua non ſolùm iuſtificatione , ſed & Prædeſtinatione, abſque ſpeciali Dei reuelatione. Contra quos *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 12. Nemo quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano Diuinæ Prædeſtinationis myſterio , vſque adeo præſumat, vt certò ſtatuat ſe omnino eſſe in numero Prædeſtinatorum, &c. Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt quos Deus elegerit. *Cap.* 13. Similiter de perſeuerantiæ munere, &c. *Can.* 16. Si quis magnum illud vſque in finem perſeuerantiæ donum, ſe certò habiturum, abſoluta & infallibili certitudine dixerit : niſi hoc ex ſpeciali reuelatione didicerit, Anathema ſit.

Reliquas hæreſes antiquiores,& recentiores, de varijs medijs,cauſis,&effectibus prædeſtinationis, per alios titulos diſtribuit : quæ tamen vt caudæ vulpium colligatæ, *Iud.* 15. poſſunt hic ſimul referri, diſſolui, vel conſcindi, ſeu reprobari.

1. Ergo ſit quorundam ex primis Chriſtianis à Iudaiſmo conuerſis:qui ſuam vocationem&electionem

Digitized by Google

nem tribuebāt ſolis meritis, ſeu operibus legalibus. Contra quos *Apoſt. Rom.* 2. 3. 9. 11. *Gal.* 1. 2. 3. 4. 5. 6.

2. *Origenis Lib.* 1. *Periarchon cap.* 8. 9. *& alibi*: Deum prædeſtinaſſe homines ex præuiſis meritis animarum, ante animationem corporum. De quo errore inter alios cenſuratur ab *Epiphanio* in ſerie hæreſum: nec ab hoc, & quibuſdam alijs eum excuſari poſſe cenſet *B. Aug. hæreſi* 43. Sed poſt multos defenſores vel excuſatores *Origenis*, prodijt nuper, qui eum, ſi non ab errore, ſaltem ab omni hæreſi pio ſtudio excuſare videretur: niſi odioſa & indigna comparatione *Origenis* cum *B. Aug.* quaſi hic abſque hæreſi formali, æquè materialiter erraſſet, ac ille. In cuius fidem infideliter citat *S. Hier. Epiſt.* 92. quæ eſt ad *B. Aug.* & inter Auguſtinianas 14. quaſi *Hier.* ſcriberet *Aug. ſe in eius ſcriptis aliqua reperiſſe hæretica.* Cùm *S. Hier.* ſic verbatim habeat. *Cauebam ne Epiſcopo communionis meæ viderer procaciter reſpondere, & aliqua in reprehendentis epiſtola reprehendere: præſertim cum quædam in illa hæretica iudicarem.* Et paulò poſt. *Non quod in operibus tuis quædam iam reprehendenda cenſeam.* Citatur ergo infideliter. 1. Quia quod *S. Hier.* dicit de ſola illa Epiſtola 9. inter Auguſtinianas, deque ſola obſeruatione, & abolitione honeſta legalium, à *S. Hier.* primò minùs intellecta; citatur quaſi de omnibus ſcriptis *B. Aug.* & de pluribus dictis eius hæreticis. 2. Quæ *S. Hier.* dicit ſe tunc prima lectione iudicaſſe hæretica: citatur quaſi dicat reperiſſe & abſolutè iudicaſſe talia. 3. Omittitur ſequens, & expreſſa reuocatio illius prioris & læuioris iudicij. 4. Ad fundandam hanc inauditam & indigniſſimam comparationem inter *Origenem*, & *Aug.* quoad hæreſes materiales, ſuper illis verbis *S. Hier.* diſſimulat tot laudes *B. Aug.* quot cenſuras *Origenis* ab eodem *S. Hier.* & à tot alijs SS. Patribus, Conc. & Pontificibus. Vt à *Cæleſtino Papa* Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ: *Auguſtinum nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit.* A Synod. 5. *Sequimur per omnia S. Aug.* A Conc. Flor. ſeſſ. 7. *Aug. illuſtriſſimum Latinorum Doctorum* 5. *Synodus conſecrauit.* De qua tam iniurioſa, inaudita, & infideli comparatione, à quodam ex noſtris Theologis, oculari ipſius textus inſpectione, monitus: non potui quin hac occaſione Authorem eiuſque Maiores de hac à pluribus animaduerſione certiores faciam.

3. Hæreſis cenſeri poteſt *Manichæorum*, *Priſcilianiſtarum*, & tot quot negarunt & negāt liberum arb. creaturę rationalis: ex quadam neceſſitate, ſeu coactione ad bonum & malum; ſiue à quodam ſummo Bono, & Malo, vt *Manichæi*; ſiue à fatali ſtellarum influentia, vt *Priſcilianiſtæ*; ſiue ab vno, vero, eodemque Deo, ad aliquorum ſalutem, aliorum autem æternam damnationem, vt *Lutherani* & *Caluiniſtæ*, infra.

4. Pelagianorum, quòd Deus prædeſtinauerit quoſdam præ alijs ad gloriam & gratiam primam: ex præuiſione quorundam bonorum operum, ſeu meritorum naturalium.

5. Semi-Pelagianorum, quòd Deus prædeſtinauerit quoſdam præ alijs ad primam gratiam: ex præuiſione alicuius credulitatis, boni deſiderij, vel conatus naturalis.

6. Poteſt eſſe illorum Prædeſtinatorum, de quibus ſupra: ſi tamen fuerunt verè hæretici, vel fortè Catholici hoc nomine traducti; nec tàm dicti prædeſtinati à propria præſumptione, quàm Prædeſtinatores à doctrina.

7. Fuit illa *Ioannis Hus*, & Huſſitarum ſupra.

8. Fuit & eſt *Lutheranorum*: quòd Deus ſolo proprio motu ac libitu prædeſtinauerit omnes ſaluandos, ad ſalutem; per ſolam gratiam vt paſſiuè receptam, abſque vllo conſenſu vel vſu actiuo ſuæ voluntatis.

9. *Caluiniſtarum*: quòd Deus proprio motu ac libitu prædeſtinauerit omnes ſaluandos ad ſalutem; per gratiam, & aliquam cooperationem actiuam, non tamen liberam, ſed prorſus neceſſariam.

10. Peſſimorum *Lutheranorum*, & *Caluiniſtarum*: quòd Deus æquè proprio motu ac libitu prædeſtinauerit damnandos, ad damnationem, & ad peccandum; ac ſaluandos ad ſalutē, & ad bona opera. Contra quas ſingulas hæreſes directè *Trid. ſeſſ.* 6. *can.* 4. 5. 6. de quibus infra. Quibus tot ſunt oppoſitæ Catholicę opiniones, vt vix receſeri poſſint.

1. Quod Deus nec vllum adultum prædeſtinauerit, niſi ex præuiſis meritis: nec reprobauerit, niſi ex præuiſis demeritis. 2. Quòd non ad gloriam, niſi ex meritis abſolutè futuris: ſed ad gratiam ex pręuiſo bono eius vſu cōditionatè. 3. Quòd Deus prædeſtinauerit omnes ſaluandos ad gloriam, & ad omnem gratiam, ſolo proprio motu & decreto abſoluto, ante omnem reſpectum ad alia futura, vel non. 4. Quòd quædam creaturæ rationales excellenter prædeſtinatæ ſint, volūtate Dei abſoluta, & antecedente omnem reſpectum ad alia futura: quædam antecedente, ſed conditionatè, non autem conſequenter & abſolutè; denique quædam vtroque modo. 5. Quod Deus prædeſtinauerit numerum determinatum ſaluandorum, ante omnem reſpectum ad alia futura: non tamen perſonas ſingulares ad hūc numerum, niſi ex aliquo reſpectu ad futura abſolutè vel conditionatè. 6. Quòd Deus prædeſtinauerit omnes & ſingulos ſaluandos, ad ſalutem, ante omnem reſpectum ad futura: non tamen ad determinatos gradus gloriæ, niſi ex reſpectu ad gratiam & merita proportionata. 7. Quòd Deus prædeſtinauerit ſolum Chriſtum ante vllam præuiſionem futurorū meritorum: ſed omnes ſaluandos, ex ſolis meritis præuiſis Chriſti. 8. Quòd Deus non prædeſtinauerit homines, ex præuiſis bonis meritis: ſed permiſſo ac præuiſo lapſu totius generis humani in peccatum originale. 9. Quòd Deus primo proprio motu, & vero ac ſincero affectu actuali, prædeſtinauerit .i. præuoluerit, & præordinauerit omnes & ſingulos ad beatitudinem ſupernaturalem, & ad media neceſſaria, ſingulis quidem Angelis danda, ſed ſoli primo homini pro reliquis, ante permiſſionem & præuiſionem vllius prioris boni vel mali futuri: ex qua prædeſtinatione, & gratia neceſſaria, ac eius vſu bono, Angeli beati peruenerint ad Beatitudinem; ſed permiſſo ac præuiſo lapſu primi hominis, prædeſtinauerit naturam humanam Chriſti ad vnionem hypoſtaticam, ſimulque ad ſummam gratiam & gloriam, & per Chriſti merita elegerit & prædeſtinauerit abſolutè quos voluit;

alios autem non elegerit ad ſalutem finalem, nec ad vllam gratiam, vel non ad finalem; ſed omnes reprobauerit, vel ob ſolum peccatum originale, vel ob præuiſa peccata actualia. 10. Quòd Deus priùs voluerit ſeu ordinauerit omnes creaturas rationales ad ſtatum & finem naturalem, ſeu ad huius mundi integritatem, & perfectionem eſſendi ac operandi: quàm ad vllam gratiam vel beatitudinem ſupernaturalem; ſed quaſdam præ alijs elegerit ſeu prædeſtinauerit ad gratiam & beatitudinem ſupernaturalem. 11. Quòd Deus ante omnem ordinationem naturalem, ordine ſupernaturali voluerit eſſe Chriſtum, ſeu Filium Dei, huius naturæ humanæ, & ſummæ gratiæ ac gloriæ: eique omnia ſubordinauerit, ad illum, & propter illum; ſed præ omnibus hanc Matrem, eiuſdem naturæ, & ſimilis gratiæ ac gloriæ; deinde omnes creaturas rationales ad aliquod obſequium honorarium, ſed quaſdam ſaltem ad aliquam participationem gratiæ & gloriæ; Denique hanc genealogiam Chriſti & Matris eius ac omnium hominum, totiuſque mundi propter illam. 12. Quòd Deus eodem decreto & modo, prædeſtinauerit & ſubordinauerit Chriſto in gratia & gloria, omnes beatificandos: vt eius membra, ciues, cohæredes vel participes; quamuis tam vario modo per Chriſtum exequatur, ſolam Matrem ab omni culpa præſeruando, reliquos omnes expiando. 13. Quòd quidam propter Chriſtum, ſeu eius merita præuiſa, ſint prædeſtinati ad omnem gratiam & gloriam: alij ad aliquam gratiam, alij ad nullam. 14. Quòd nulli ſint prædeſtinati propter merita vt priora: ſed per merita vt media, eodem decreto Dei cum ipſo fine volita.

Quæ & plures aliæ opiniones, in infinitum variari, & multiplicari poſſunt: nec vlla præ alijs approbanda, nec improbanda eſt, niſi ex collatione, cũ ſacra Script. ſacris Conc. PP. noſtriſq; Maioribus; obſequente etiam & fauente ipſa ratione.

Ex S. Script. *Sap. 4. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius.* Sap. 6. *Deo cura eſt de omnibus.* Sap. 8. *Attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Sap. 12. *Diligis omnia quæ ſunt, &c. Domine qui amas animas.* Sap. 14. *Tu autem Pater gubernas omnia tua Sapientia.* Eccleſ. 5. *Ne dicas coram Angelo, non eſt prouidentia.* Matt. 10. *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, &c.* Ezech. 33. *Nolo mortem peccatoris, &c.* Oſee 13. *Ex te perditio tua Iſrael, &c.* Ioan. 1. *Deus illuminat omnem hominem, &c.* 1. Cor. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, &c.* 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, &c.* 1. Tim. 4. *Deus eſt Saluator omnium, maximè fidelium.* Matt. 20. *Non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Matt. 24. *Dabunt ſigna & prodigia: ita vt in errorem inducãtur, ſi fieri poteſt, etiã electi, &c. Propter electos breuiabuntur dies illi.* Matt. 25. *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum, à conſtitutione mundi.* Luc. 10. *Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Luc. 12. *Nolite timere puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnũ.* Ioan. 10. *Nemo rapiet oues meas de manu mea.* Ioan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Act. 1. *Definitio conſilio & præſcientia Dei, &c.* C. 10. *Teſtibus præordinatis à Deo, &c.* Act. 13. *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternã* Rom. 1. *Prædeſtinatus eſt eſſe Filius Dei.* Rom. 8. *Si filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Infra. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit: & prædeſtinauit conformes fieri imagines Filij ſui; vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit. Quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat: quis eſt qui cõdemnet? Quis ergo nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Certus ſum, quia neq; mors, neq; vita.* Rom. 9. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali: (vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret), non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei,* Gen. 25. *Quia maior ſeruiet minori: ſicut ſcriptum eſt,* Mal. 1. *Iacob dilexi, Eſau autẽ odio habui, &c.* Vt ſupra col. 379. Cap. 11. *Reliquiæ ſecũdùm electionem Dei ſaluæ factæ ſunt.* Infra. *Vide bonitatem, & ſeueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem; in te autem, bonitatem Dei. Si tamen permanſeris in bonitate: alioquin & tu excideris. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos, &c.* Epheſ. 1. *Benedictus Deus, qui elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem: vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo, &c. In quo etiam nos ſorte vocati ſumus: prædeſtinati ſecũdùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; vt ſimus in laudem gloriæ eius, nos qui ante ſperauimus in Chriſto.* Cap. 3. *Secundùm præfinitionem ſæculorum quam fecit in Ieſu Chriſto Domino noſtro.* 1. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam, &c. Quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula, &c. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* Cap. 4. *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti?* Cap. 9. *Nec cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* 1. Ioan. 4. *Nos ergo diligamus Deum: quoniam prior ipſe dilexit nos.*

2. Ex omnibus ſacris Concilijs, Decretis, Cenſuris, & ſcriptis ſummorum Pontificum, à nobis relatis in 2. à col 275, ad 305. contra *Pelagianos, Semipelagianos, Lutheranos, & Caluiniſtas*: de Electione Dei gratuita ad primam gratiam, non tamen ſine vſu noſtræ libertatis; & conſequenter, vel potiùs antecedenter, de Electione ſeu Prædeſtinatione gratuita ad gloriam. Sed de hac expreſſiùs in Conc. *Conſtantien. ſeſſ.* 15. & *Trid.* ſupra, contra varios illos modos hæreticos Prædeſtinationis: nullatenus autem contra ipſam Prædeſtionem, quæ eſt iam expreſſa in ſacris Scripturis, vt ſemper fuerit myſterium fidei Chriſtianæ, nec poſſit in dubium reuocari. Vnde nec hæreſis *Prædeſtinatorum*, denominatur ab ipſa Prædeſtinatione: ſed vel ab aliquo modo hæretico docendi & credendi, vel à præſumptione de Prædeſtinatione propria, vt ſupra.

3. Ex

Digitized by Google

3. *Ex Patribus. S. Dion. Cap. 5. diu. nom.* Exemplaria eſſe dicimus in Deo, rationes ſubſtantificas rerum, & ſingulariter antè ſubſiſtentes, quas *Prædeſtinationes* Theologia vocat, & bonas diuinaſque voluntates, eorum quæ ſunt effectrices: ſecundùm quas ipſe ſuperſubſtantialis Deus omnia quæ ſunt prædeſtinauit atque produxit. Vt ſuprà *col.* 354. De Idæis, vt proximis & principalibus, omnium beatificandorum.

S. Ambr. lib. 1. de Vocatione Gentium Cap. 1. Quæritur vtrum Deus velit omnes homines ſaluos fieri: & quia hoc negari non poteſt, cur voluntas Omnipotentis non impleatur. Cùmque hoc ſecundum voluntates hominum fieri videatur, gratia videtur excludi, quæ ſi meritis reddetur, conſtat eam non eſſe donum, ſed debitum. Vnde iterum quæritur, cur hoc donum, ſine quo nemo ſaluus eſt, ab eo qui omnes ſaluari vult, non omnibus conferatur &c. Primitùs itaque de humanæ voluntatis motibus & gradibus diſputandum eſt: inter quam & gratiam Dei, quorumdam non ſana diſcretio eſt; quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium. Omni animæ humanæ naturaliter ineſt qualiſcumque voluntas: qua appetitur quod placet, aut declinatur quod diſplicet &c. Hæc quoad motum naturalem, & ex vitio primæ præuaricationis, eſt ſenſualis, vel animalis; ſed ex gratia poteſt fieri ſpiritualis. Senſualis ſeu carnalis, non erigitur ſupra motum qui de corporis ſenſibus naſcitur: qualis eſt in animis paruulorum & fatuorum &c. Ab hoc appetitu ſenſuali, ad animalem ſurgitur voluntatem: quæ priuſquam ſpiritu Dei agatur, ſine ſui amoris participatione, in terrenis occiduiſque verſatur. In hac, humana etiam ingenia, ſi cupiditates ſuas iuſtitiæ atque honeſtatis legibus têperent, nihil ſupra mercedem temporalis gloriæ acquirunt &c. Quia rectas rationes & bona ſtudia ſua non ad eius laudem & honorem referunt, à quo acceperunt, vt *Rom. 1.* Quamuis enim ex *Pſal. 77. Leuit. 19. Heſter 10. Act. 14.* in præteritis generationib' Deus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, &c. ſecundùm ipſam tamen ſacram Script. credimus & pijſſimè confitemur, quòd nunquam vniuerſitati hominũ Diuinæ prouidentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis: nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit; vt propheticas voces, & præcepta legalia conuincerentur in elementorum obſequijs ac teſtimonijs accepiſſe. Vnde & inexcuſabiles ſunt, &c. Natura humana vitiata, etiam inter beneficia, præcepta, & auxilia Dei, ſemper in deteriorem eſt procliuior voluntatem: cui committi, non eſt aliud quàm dimitti. Hæc itaque nihil in ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tantò citiùs propinquat iniquitati, quantò acriùs intenditur actioni. Quamdiu ergo homini placent, quæ Deo diſplicent: voluntas eius animalis eſt; quia etſi in bonis moribus agat, malè adhuc viuit, ſi non in Dei gloriam viuit. Hoc eſt enim principium piorum: *vt in Domino glorientur,* nec ſe niſi in Domino diligant. Bene enim ſe amant, qui in ſe opera Dei amant. Nam & Deus hoc amat in nobis, quod ipſe fecit, &c. Quis autem niſi malæ voluntatis, bonam in ſe non amat voluntatem? &c. Bona autem voluntas, omnium virtutum germen eſt primum: quæ innixa origini ſuæ, in illa æterna & incommutabili voluntate requieſcit, vt verè ſit ſpiritualis; quoniam *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt, 1. Cor. 6.* Dum per communionem illuminantis & illuminati, iuſtificantis & iuſtificati, regentis & ſubditi, omnis actio ad vnum refertur, & vtriuſque eſt; quia nec à Deo alienari poteſt quod dedit, nec ab homine quod accepit. *Cap. 3. Vtrum cùm bonæ voluntatis eſſe homo incipit: ei detur alia quæ priori repugnet, &c.* Omnes in primo homine ſine vitio conditi ſumus: ſed naturæ noſtræ incolumitatem perdidimus, &c. Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus videtur eſſe, peccatum eſt: nec placere vllus Deo, ſine Deo poteſt, &c. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta eſt mala: & ille animi motus, qui nunquam poteſt eſſe ſine aliquo amore .i. voluntate, non perdidit appetitum, ſed mutauit affectum; id recipiens deſiderio, quod debuit refutare iudicio. Cùm igitur homo ad pietatem redit: non alia in eo creatur ſubſtantia, ſed eadem reparatur; nec aliud ab eo aufertur niſi vitia, &c. Quæ vt vincantur, non efficit niſi gratia *Saluatoris,* qui opus ſuum opere ſuo reparat, vt *1. Ioan. 3.* Nec *qui ſpiritu Dei agitur*, ideo ſe putet liberum arb. non habere, &c. Quod non eſt interfectum per vulnerantem, non tollitur per medentem, &c. De varijs Dei promiſſionibus ad populũ Iſraë, & omnes gentes. *Ad Rom. 11.* Monet ſacram Script. aliquando loqui de omni pro parte: & de quibuſdam, aut præſentibus, pro omnibus abſentibus & futuris. *Cap. 4. in 1. Tim. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* De hac regula, ne noſtro euagemur arbitrio, quid ipſa vniuerſalis Eccleſia ſentiat, requiramus, &c. Supplicat vbique Eccleſia Deo, non ſolùm pro Sanctis, ſed etiam pro omnibus infidelibus. Quid autem pro iſtis petit: niſi vt conuertantur, accipiant fidem, charitatem? &c. Vt cùm videmus de tam profundis malis innumeros erui: non ambigamus Deum præſtitiſſe, &c. Quòd ſi quos ſaluantis gratia prætererit: ad occulta Diuinæ Iuſtitiæ iudicia referendum eſt, &c. *Cap. 5.* Multa ſunt quorum cauſis latentibus ſoli monſtrantur effectus, &c. Quæ vtique opera Dei, humanæ intelligentiæ cognoſcibilia eſſent, ſi innoteſcere debuiſſent, &c. Liberatur pars hominum, parte pereunte. Si voluntati hominum velimus adſcribere, vt malos neglexiſſe gratiam, bonos autem elegiſſe videantur: reſiſtet nobis innumerabilium cauſa populorum, quibus per tot ſæcula nulla cœleſtis doctrina coruſcauit, nec meliores fuiſſe eorum poſteros poſſumus dicere, &c. Latet diſcretionis iſta ratio: ſed non latet ipſa diſcretio, &c. Reſpice & ad multitudinem paruulorum: in quibus, excepto in quo naſcuntur delicto, nec præterita poſſunt merita, nec futura cenſeri, &c. Vileſceret redemptio Sanguinis Chriſti: ſi iuſtificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur. Vnde autem poſſet probari: niſi & impij per lauacrum Chriſti, aſſumerentur

Digitized by Google

merentur in Regnum. Cùm tamen nulli qui minus nocentes videntur, doni huius alieni ſint,&c. Quod non ideo iniquum eſt, quia occultum: ſed ideo æquum,quia iudicium Dei eſt, &c. *Matt.20. An oculus tuus nequam eſt,quia ego bonus ſum.* Omnibus ergo hominibus cuiuſlibet generis, cauſa percipiendæ gratiæ voluntas Dei eſt: ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepere ſine meritis,&c.Origo itaque veræ iuſtitiæ in regenerationis eſt poſita Sacramento. *Cap.6.* Qualis ſit natura humana ſine gratia. Ex *Epiſt.Iudæ. Quæcunque ignorant, blaſphemant, &c.* Luc. 1. *Qui in tenebris & vmbra mortis ſedent, &c. Cap.7.* Nullis ingenijs indagare conceſſum eſt, quo iudicio, quoue conſilio, Deus innumerabiles populos illuminare diſtulerit, & nunc *Iſraelem* obcæcatum eſſe patiatur, pereuntem in tot millibus naſcentium, atque morientium,&c. Qui autem neſcire aliquid erubeſcunt, diſcretionem qua alios eligit, alios non eligit, ad merita humanæ referunt voluntatis,&c. Non autem puto iſtos voluntatum patronos, ſimplicitate paruulorum tam impudenter vſuros: vt aut fortuitu dicant renaſci, aut non renatos aſſerant non perire,&c. *Cap. 8.* De origine fidei. *Rom.1. Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.* Epheſ. 5. *Audita fide veſtra, non ceſſo gratias agens, &c.* Sic & *Coloſſ.1. 1.Theſſ.1. 2. Theſſ.1.* 1. *Pet.* 1. *Præcogniti ante mundi conſtitutionem.* 1. *Ioan.* 4. *Act.* 3. *Matt.* 16. *Rom.12. 15. Epheſ.* 2. *Cap.* 9. De origine omnium virtutum & bonorum à Deo: ex plurimis Scripturis.

Lib.2.c.1. De tribus quibus eſt inhærendum. 1. Deum velle nos ſaluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire. 2. Non proprijs meritis: ſed ope gratiæ diuinæ. 3. Altitudinem iudiciorum Dei penetrabilem non eſſe. Hoc oportet diſquiri, cur non omnes ſaluet, qui vult omnes ſaluos fieri. Deus quippe omnium bonus Conditor, neminem indebitè damnans, neminem debitè liberans &c. Quanto difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur. *Matt.28. Docete omnes gentes,&c. Marc.16. Prædicate Euangelium vniuerſæ creaturæ &c.* Nunquid hac præceptione vllorum hominum facta diſcretio eſt? Ad omnes homines miſſum eſt Euangelium Chriſti &c. *Tit.2. Apparuit gratia Saluatoris omnibus hominibus.* 1.2.Ioan.2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis,non tantùm noſtris,ſed etiam totius mundi.* Magnum myſterium eſt, Matt.10. *In viam gentium ne abieritis,&c.* Quamuis enim omnes vellet ſaluos fieri: non tamen ſibi diſpenſationum ſuarum abſtulerat poteſtatem &c. *Act.16.* Volentes Apoſtoli euangelizare in Aſia,& ire in Bythiniam, prohibiti ſunt à *Spiritu Ieſu*: non vtique negatâ illis populis gratiâ, ſed quantùm apparuit retardatâ. Quæ autem fuerit differendæ vocationis cauſa, non claret,&c. Credo, vt quæ ſecretiùs micant, mirabiliùs innoteſcant,&c. Has autem incognoſcibiles dilationes, etiam in Ciuitatibus fidelium per plurimas familias nouimus fieri,&c. Et quis querulis aut curioſis notum faciet, cur necdum ſol iuſtitiæ quibuſdam gentibus oriatur? Cur corrigendi tam diu ſinantur errare? Cur filijs iam credentibus, necdum credant parentes,& à religioſis parentibus ſoboles praua diſcordet? Cùm tamen Deo pro omnibus quotidie ſupplicetur: vt ſi exaudit, nota ſit gratia miſerationis; ſi non exaudit, intelligatur iudicium veritatis. Sed ne in præteritis quidem ſæculis hæc eadem gratia defuit mundo,&c. Cœlum quippe, ac terra, & mare, omniſque creatura, ad hoc diſpoſita eſt: vt natura rationalis ad cultum & dilectionem ſui imbueretur Authoris,&c. Quoniam etſi *longè eſt à peccatoribus ſalus*: præſentia tamen ſalutis ipſius, ac virtute, nihil vacuũ eſt. *Pſal.118. Miſericordia Domini plena eſt terra:* quæ nunquam defuit, &c. Vt enim iſta gratiæ largitas, non euacuat eam quæ ſuper vnum Iſrael ſub lege rorauit; ita nec de illa cura Dei quæ Patriarcharum filijs propriè præſidebat, conijciendum eſt gubernacula Diuinæ Miſericordiæ cæteris fuiſſe ſubtracta. *Act.14. Dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, &c. Non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens, de cælo dans pluuias, implens cibo & lætitia corda veſtra, &c.* Cœlum ergo & terra, & omnia quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ conſenſu proteſtantibus gloriam Dei: & tamen maximus numerus hominum non intellexit, nec ſecutus eſt hanc legem. *Cap. 2.* Quis ambigat eos qui Deo placere potuerunt, ſpiritu gratiæ Dei fuiſſe diſcretos? Quæ etſi antea parcior, & occultior fuit: nullis tamen ſæculis ſe negauit, &c. Nam & his diebus non idem modus omnibus,nec eadem menſura confertur. 1.*Cor.12. Diuiſiones gratiarum ſunt, &c. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Non prout meretur, &c. Datur cuique ſine merito,vnde tendat ad meritum. *Matt.25. Vni dedit 5. talenta, alij 2. alij 1. vnicuique ſecundùm propriam virtutem* .i. naturalem poſſibilitatem, non autem proprium meritum; quia aliud eſt poſſe, & capacem eſſe, aliud operari, habere, continere, &c. *Cap.* 3. Quæ itaque cauſæ ſunt harum ſub eadem gratia diſſimilitudinum, ſanctis Script. non loquentibus, quis loquetur? Patienter igitur ignoretur: nec tamen prætereundus eſt introitus. Manifeſtarunt enim multæ authoritates, iuſtam Dei miſericordiam, nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis iuuandique eorum mentibus defuiſſe, &c. *Gen. 6.* Si ad ipſa mundi exordia recurramus, inueniemus omnium Sanctorum Dei Spiritum fuiſſe rectorem: propter quod & filij Dei nominati ſunt, vt *Rom.* 8. Et cum ijdem illicitis ſe connubijs miſcuiſſent, Dominus ait, *Gen. 6. Non permanebit Spiritus meus in iſtis.* Vnde apparet quòd iſte populus ſpiritualis antea fuit: cui *Spiritus S.* ſic præſidebat, vt declinandi ad vitia non adimeret poteſtatem. Quia ſi non vteretur, eſſet de quo *Eccli. 31. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, &c.* Sed multis modis gratiæ dona variantur, &c. Vt in germinibus herbarum,&c. Quidam accepta fide, diffidentia non carent, *Marc. 9. Luc.17.* Plurimi cum fide, laborant indigentia charitatis, &c. Donum ipſius charitatis, non ſemper eiuſmodi eſt, vt totum ſimul à percipiente ſumatur, &c. Quæ quoniam non ſolùm ex Deo, ſed etiam Deus eſt: inſuperabiles facit, quos flumine ſuæ voluptatis impleuerit. *Cap.* 4. Hæc

ad

Digitized by Google

ad [id valent : vt certiſſimè nouerimus, nullum Filium à Deo non diſcedentem relinqui, nec cuiuſquam ruinam ex diuina eſſe conſtitutione, &c. Voluntas in malis actionibus ſola eſſe poteſt : in bonis autem ſola eſſe non poteſt, &c. Regebatur ergo primus ille populus Dei, Spiritu Dei, &c. Bonitas autem Dei, ne illi quidem parti defuit, quæ in Charitate non ſtetit. Vt *Gen.* 4. De *Cain.* Cùm Deus talia ad *Cain* loqueretur : nunquid ſufficiebat vt reſipiſceret ? Sed malitia pertinax, inde facta eſt inexcuſabilior. Neque ex eo quod falli Scientia Diuina non poterat, neceſſitate peccandi vrgebatur, &c. *Cap.* 5. Adhibita ſemper eſt vniuerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ : quæ etſi parcioris occultioriſque gratiæ fuit ; ſufficit tamen ſicut Dominus iudicauit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium, quòd niſi *vbi abundauit peccatum, ſuperabundaret gratia*, *Rom.* 5. nunc quoque vniuerſum genus humanum ſimilis obcæcaret impietas. An fortè, vt plerique garriunt, meliora ingenia noſtris ſæculis orta ſunt ? Si ita eſſet, ad Bonitatem Dei referendum eſſet : qui vocandis ad vitam æternam, quæ non reniterentur corda finxiſſet. Sed quantò erat propago tardior, tantò iniquitas inuëta eſt robuſtior. *Ioan.* 1. *Act.* 4. 1. *Ioan.* 5. *Coloſ.* 1. *Tit.* 1. *Rom.* 5. *Cap.* 6. Nonne eſt *pro omnibus mortuus Chriſtus?* Prorſus pro omnibus. Nemo ergo hominum, ante reconciliationem per Chriſtum, non fuit peccator, aut impius. *Rom.* 5. *Chriſtus pro impijs mortuus eſt, &c.* 2. *Cor.* 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt ; ergo omnes mortui ſunt.* Credimus Prouidentiâ Dei Romani Regni latitudinem præparatam : vt nationes vocandæ, priùs iure vnius conſociarentur impietatis. Quamuis gratia Chriſtiana, non contenta ſit eoſdem limites habere, quos *Roma*, &c. Quæ per Apoſtolici Sacerdotij principatum, amplior facta eſt arce Religionis, quàm ſolio Poteſtatis. Quod ſi etiam nunc ſunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Saluatoris illuxit : non ambigimus etiam circa illas occulto iudicio Dei tempus vocationis eſſe diſpoſitum Quibus tamen illa menſura generalis auxilij quæ deſuper omnibus hominibus ſemper eſt præbita, non negatur : quamuis natura humana ad cognitionem Dei neminem plenè valeat erudire; niſi obumbrationem cordis vera lux diſcuſſerit, quam Deus non ita præteritis ſæculis, vt in nouiſſimis diebus effudit, *Coloſ.* 1. *Cap.* 7. *De præuiſa & prædicta vocatione gentium à Prophetis* *Pſ.* 75. 81. *Eſa.* 28. *Oſeë* 1. *Amos* 9. Cùm tamen quod de Bonitate Dei piiſſimè creditur, velle omnes homines ſaluos fieri, oporteat perpetuum æternumq; ſentiri : ſecundùm eas menſuras, quibus Deus nouit dona generalia ſpecialibus cumulare ; vt & qui exortes gratiæ fuerint, de ſua nequitia redarguantur, & qui eius lumine enituerint, non in ſuo merito, ſed in Domino glorientur. *Cap.* 8. *De morte paruulorum ſine baptiſmo.* Cùm cõſideramus, quàm multiplex numerus pereat paruulorum : diſcimus ſuper eos manere ſententiam primi Parentis, cuius rigor, quàm magnum fuerit illud peccatum demonſtrat. Nemo putaretur non innocens, niſi etiam talibus non eſſet noxium non renaſci, &c. De immaturitate verò mortis, non eſt ratio conquerendi : cùm mortalitas obnoxium ſibi fecerit omnem diem vitæ noſtræ, &c. *Manet enim graue iugum ſuper filios Adam, Eccli.* 40. Cùm quærimus quomodo *Deus velit omnes homines ſaluos fieri*, qui non omnibus tempus impertit : non irreligiosè arbitror credi, quòd iſti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa nationibus ; qua vtique ſi bene eorum vterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuuarentur, &c. Vt enim ex aliena confeſſione credunt : ita ex aliena infidelitate, aut diſſimulatione non credunt, &c. Sicut autem circa Maiores, præter illam generalem gratiam parciùs atque occultiùs omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur : ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifeſtatur electio, &c. In quo opere gratiæ, quis conqueratur quòd non omnibus paruulis ſimilis prouidentia conſulat ? Quòd vtique fieret, ſi fieri deberet, &c. Igitur rationabiliter & piè creditur, *Deum omnes homines ſaluos fieri velle*, ſemperque voluiſſe : ex beneficijs, & prouidentia Dei, quam vniuerſis communiter atque indifferenter impendit. Fuerũt enim ac ſunt dona ita generalia : vt per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſſent homines adiuuari ; quibus donis ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt, &c. Quæ dona ſi omnibus vniformiter affluerent, non laterent : & quàm nulla eſt ambiguitas de benignitate generali, tam de ſpeciali miſericordia nihil ſtupendum eſſet; ac proinde illa eſſet gratia, iſta non eſſet. Deo autem placuit, & hanc multis tribuere, & illam à nemine ſubmouere : vt ex vtraque appareat, non negatum Vniuerſitati, quod collatum eſt portioni; ſed in alijs præualuiſſe gratiam, in alijs reſiluiſſe naturam. Hanc quippe abundatiorem gratiam, ita credimus atque experimur potentem : vt nullo modo arbitremur eſſe violentam, ex ſola Dei voluntate; cum etiam ipſis paruulis per alienæ volũtatis ſubueniatur obſequium. *Cap.* 9. *De gratia præueniente, & voluntate cooperante.* Gratia quidem præeminet, ſuadendo, terrendo, incitando, inſpirando, illuminando, & fidei affectionibus imbuendo : ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur, quæ adhoc eſt excitata, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium; de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, ſiue occultos, ſiue manifeſtos, omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ; quod autem ſuſcipitur, & gratiæ eſt diuinæ, volũtatis humanæ. Siue initia, ſiue profectus fidelium, ſiue vſque in finem perſeuerãtiam cogitemus, &c. Ipſa enim gratia, hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit : vt in eo quem vocat, primam ſibi receptricem, & famulam donorum ſuorum preparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla eſt : nec poteſt aſſeri vel Fidem, vel Spem, vel Charitatem eis ineſſe, quorum ab his bonis conſenſus alienus eſt. Hunc autem & metus gignit. *Prou.* 6. *Principium Sapientiæ timor Domini.* Qui quãtiſlibet

terroribus

terroribus inferatur:non aliud agit,quàm vt quem fecerit timentem , faciat & volentem ; nec ſolùm volentem, ſed etiam ſapientem. *Eccli.* 25. *Beatus cui donatum eſt habere timorem Dei.* Quid enim tàm beatificum , quàm hic timor : qui genitor , eruditorque Sapientiæ eſt ? In cuius vtique deuotione, deuota eſt & voluntas:quæ authore gratiæ, eodem proficit timore, quo coepit. Cùm ergo hic timor etiam per quandam vim terroris immittitur: non ibi ratio extinguitur,ſed potiùs caligo mentis diſcutitur ; vt voluntas deprauata, atque captiua , recta efficiatur,& libera, &c. *Ioan.* 6. *Nemo venit ad me , niſi Pater qui miſit me , attraxerit eum.* Vt *Matt.* 16. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi , ſed Pater meus.* Qui in cordibus trahendorum , hoc egit vt crederent: hoc effecit,vt vellent. Non enim eſſet vnde traherentur : ſi ſequaces Fide & voluntate non eſſent ; quoniam qui non credunt , nec trahuntur omnino , nec veniunt ; neque accedunt qui diſſentiunt, ſed recedunt. Qui ergo veniunt , amore ducuntur : dilecti enim ſunt,& dilexerunt, quæſiti ſunt , & quæſierunt ; & quod eos Deus voluit velle, voluerunt. Qui ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat : vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem quæ poteſt nolle,non auferat. Alioquin nemo vnquam fidelium receſſiſſet à fide,& collatam ſibi gratiam nemo negligeret,&c. *Matt.* 26. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationẽ.* Luc. 22. *Rogaui pro te,ne deficiat Fides tua.* Si ergo defectura erat, niſi pro eo Chriſtus oraret : inerat ei mutabilitas,&c. *Ioan.* 21. *Cùm ſenueris extendes manus tuas, & alius te præcinget , & ducet quò tu non vis. Infra.* Vt Deus præſciuit ante ſæcula , quanta totius mundi hominum multitudo , vel communibus vſa donis , vel ſpecialibus adiuta præſidijs , declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ,ingreſſura eſſet latitudinem erroris& mortis: ita ſemper præcognitum habuit , quantus piorum numerus, per opem gratiæ,& ſeruitutem obedientiæ, ad æternam beatitudinem pertineret;vt nullo excidente de plenitudine promiſſorum , qui nec prouectu erat fallendus , nec auxilio defuturus , eos glorificaret præ omnibus , quos eligit ex omnibus. *Cap.* 10. *Recapitulatio omnium.* Elaboratum eſt,vt etiam in cunctis retro ſæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuiſſe : prouidentia quidem pari,& bonitate generali: ſed multimodo opere,diuerſàque menſurâ. Quoniam ſiue occultè, ſiue manifeſtè : *Ipſe eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium,* 1. *Tim.*4. Quæ ſententia, ſi tranquillo conſideretur intuitu , totam hãc controuerſiam dirimit. Dicendo enim, *eſt ſaluator omnium hominum,* confirmauit Bonitatem Dei generalem : adijciendo , *maximè fidelium* , oſtendit eſſe partem generis humani, quæ ad ſalutẽ æternã ſpecialibus beneficijs prouehatur. Quòd nulla iniquitate agitur,&c. Si enim de parentum iudicijs conqueri non audemus , cùm aliquos filios ſuos , ante vlla pietatis obſequia , indulgentiore amplectuntur affectu : in Dominis quoque erga famulos libera eſt diſpoſitio,&c. nunquid de ſummi Patris, & veri Domini beneuolentiſſima æquitate cauſandum eſt? Sicut ergo de ijs quæ intra Eccleſiam Spiritus S. multiformiter operatur , impium eſt vllam querelam concipere : ita & de illa prouidentia quæ infidelibus præſidet , nullatenus murmurandum eſt , &c. Nulla pars mundi ab Euangelio vacat Chriſti : & licet illa generalis vocatio non quieſcat; tamen iſta ſpecialis,iam vniuerſis eſt facta communis. Ex omni gente, & conditione,quotidie adoptantur : & effectibus gratiæ Chriſtianæ, etiam ipſa, quibus mundus atteritur, arma famulantur , &c. Ita nihil obſiſtere diuinæ gratiæ poteſt , quominus id quòd voluerit impleatur,&c. *Eph.* 1. *Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, &c.* In qua electione quicquid hominum in Chriſto præcognitum non eſt,nulla eidem ratione ſociabitur, &c. Et ſicut nullus infidelium in hac ſorte numeratur : ita nullus piorum ab hac ſorte diſcretus eſt. De plenitudine quippe membrorum Chriſti , præſcientia Dei , quæ falli non poteſt , nihil perdit : & nullo detrimento minui poteſt ſumma præcognita , atque in Chriſto ante ſæcula æterna prælecta, 2. *Tim.* 6. Contra hanc inuictæ veritatis ſplendidiſſimam lucem , ſolent quidam non ſobriè dicere , ſuperfluò laborari , fruſtra orationibus inſiſti : ſi ex incommutabili propoſito Dei,Chriſtianæ gratiæ ſubſiſtit electio, &c. Sed non intelligunt , ſcientiam Dei tempore non teneri: & tàm in conſpectu eius adſtare quæ gerenda ſunt, quàm quæ geruntur, aut geſta ſunt, &c. Hæc autem æterna,& ſemper tranquilla cognitio , nulla nos vrget neceſſitate peccandi : nec inde manat iniquitas, vnde iuſtitia ; quia à liberis voluntatibus ſpontanea orta eſt tranſgreſſio , &c. Deus ergo ijs quos elegit ſine meritis , dat vnde ornentur & meritis. Et fruſtra dicitur quod ratio operandi non ſit in electis: cùm etiam ad hoc operentur vt electi ſint. Virtutum quoque munera otioſa eſſe non poſſunt. *Matt.* 25. *Omni habenti dabitur, &c.* Non igitur ad hoc datur continẽtia, vt concupiſcentijs non repugnet. Quid agit donũ dilectionis : ſi beneuolentiæ ſollicitudo non vigilat? Quis eſt fructus patientiæ, ſi non habet quod toleret? Pax quæ eſt à Deo, & cum Deo, nunquid bene quieta eſt , ſi non diſcordat à mundo ? Aut amor Dei , poterit ſine Diaboli inimicitijs obtineri ? Neminem prorſus Dei gratia intentabilem facit, &c. Orationum verò ſollicitudinem Diuinæ Electionis propoſito non reſolui : vno teſtimonio euidenter probabo. *Tob.* 6. *Deprecamini Dominum cœli , &c. Tibi enim deſtinata eſt ante ſæcula , &c.* Ergo per Electionis propoſitum , liberi arbitrij deuotio non relaxatur: cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus,&c.Ob hoc enim præfinitio huius electionis abſcondita eſt : vt qui ſtat, videat ne cadat; nec ſi corruerit, de eius miſeratione diffidat , *qui alleuat omnes qui corruunt , & erigit omnes eliſos.* Pſal. 144.

S. Hieron. in Eph.1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Ad præſcientiam Dei pertinet : cui omnia futura iam facta ſunt.Alius verò qui Deum iuſtum conatur oſtẽdere , quòd non ex præiudicio ſciẽtiæ ſuæ, ſed ex merito electorum vnumquemque eligat : dicit ante viſibiles creaturas fuiſſe animas, quæ ob cauſas ſoli Deo notas deiectæ ſint deorſum.Itaque, inquiunt, priuſquam Animæ præcipitarentur, elegit Deus *Paulum* , & ſimiles qui erant

Sancti.

Digitized by Google

Sancti. Nemo autem eligitur niſi de pluribus, & vbi ſunt viliores. *Vt eſſemus Sancti.* Non autem eſſemus Sancti. Quod & aduerſus eum facit, qui antequam mundus fieret, animas dicit electas eſſe propter ſanctitatem. Non enim eliguntur *Paulus* & ſimiles quia erant Sancti; ſed vt fiant Sancti. *Secundum placitum voluntatis ſuæ.* Inuadunt & hoc loco occaſionem,&c.vt diuerſitas naſcentium iuſtitiam Dei arguat, niſi animarum merita præceſſerint. *In laudem gloriæ gratiæ eius.* Quæ laus, inquiunt, alios gratificare in Chriſto, alios æternis præparare ſupplicijs: amare *Iacob*,odiſſe *Eſau*, niſi cauſæ præceſſerint quæ iuſtitiam Dei probent? *Prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius.* Inter prædeſtinationem & propoſitum ſolent diſtinguere: quòd illa multò ante in mente quid futurum ſit præfiguret; propoſitum autem, cùm iam pene ſequitur effectus. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ* .i. vniuerſa quæ facit, conſilio & voluntate facit; quòd ſint plena ratione, & poteſtate facientis. *Vt ſimus in laudem gloriæ eius, qui ante ſperauimus in Chriſto. Ante* trahit nos ad intelligentiam de qua ſupra, &c. Alius verò hoc dogma non ſuſtinens, transfert intelligentiam in aduentum Chriſti futurum,&c.

In Apologia contra Ruffinum. In expoſitione iſta *Eph.* 1. *Elegit nos, &c.* vt ſupra, nullum crimen eſt: & *Origene* dicente contraria, nos Eccleſiaſticum ſenſum ſecuti ſumus. Et quia Commentatoris officium eſt, multorum ſententias ponere: etiam *Origenis*, abſque inuidia nominis, explanationem poſui, &c. Et audet quis nos *Origenis* hæreſeos accuſare. 18. fermè anni ſunt; ex quo iſtos dictaui libros, tempore quo *Origenis* nomen florebat: & tamen profeſſus ſum fidem meam, & quid mihi diſpliceret oſtendi.

Epiſt. 60. Ad *Hebidiam Quæſt.* 10. Epiſtola *ad Romanos*, tantis obſcuritatibus inuoluta eſt: vt ad eam intelligendam Spiritus ſancti indigeamus auxilio, qui per Apoſtolum hæc ipſa dictauit. Sed præcipuè *cap.* 9. in quo quidam volentes Dei ſeruare iuſtitiam, ex præcedentibus cauſis, dicunt electum in vtero *Rebeccæ*, *Iacob*, & abiectum *Eſau*, &c. Nobis autem nihil placet, niſi quòd eccleſiaſticum eſt, & publicè in Eccleſia dicere non timemus,&c. *Infra.* Si *Eſau*,& *Iacob* necdum nati erant, nec aliquid egerant boni vel mali, vt vel promererentur Deum,vel offenderent: ſi hoc, inquam, recipimus, vt faciat Deus quodcunque voluerit, & abſque merito eligat aliquem vel condemnet: ergo non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, &c. Si pro voluntate ſua miſeretur *Iſraeli*, & indurat *Pharaonem*: ergo fruſtra queritur nos vel bona non feciſſe, vel feciſſe mala,cùm in poteſtate ipſius ſit, & voluntate,abſque bonis & malis operibus, vel eligere aliquem, vel abijcere,&c. Quam validam quæſtionem, & pene inſolubilem, *Apoſt.* breui ſermone diſſoluit, dicens: *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* Si enim in ſimilitudinem vaſis fictilis te à Deo creatum putas: Deus æquali cunctos ſorte generanit, & dedit arbitrij libertatem; vt faciat quiſque quod vult, ſiue bonum, ſiue malum, &c. Si, inquit, patientia Dei indurauit *Pharaonem*, & multo tempore pœnas diſtulit, vt iuſtiùs condemnaret: non Dei accuſanda eſt patientia, & infinita clementia; ſed eorum duritia qui Bonitate Dei abuſi ſunt. Alioquin, vt vnus ſolis calor alia liquefacit, alia indurat: ſic & Bonitas ac Clementia Dei, vaſa iræ.i.populum *Iſraël* indurat; vaſa autem miſericordiæ .i. nos non ſaluat irrationabiliter, & abſque iudicij veritate; ſed cauſis præcedentibus, quia alij non ſuſceperunt Filium Dei, alij autem ſua ſponte recipere voluerunt, &c. Ex quo oſtenditur non Gentes eligi, ſed hominum voluntates,&c. Vt *Oſeë* 1. *Vocabo non plebem meã, plebem meam* .i. Populum Gentium, &c. Quod ne ſolùm de Gentibus dicere videretur: etiam eos qui ex *Iſraël* crediderunt, *Vaſa miſericordiæ & electionis* appellat, &c. Legi in quibuſdam Commentarijs, ſic reſpondiſſe *Apoſtolum*: vt magis implicuerit, quàm ſoluerit Quæſtionem, &c.] Non quaſi ad vllum errorem: ſed potiùs admirationem, contra curioſitatem. Porrò quamuis *S. Hier.* referat ſenſum erroneum *Origenis* in *Epheſ.*1. poſſumus tamen quædam vera & ad noſtrum intentum opportuna ex eodem ſeligere. Vt in *Rom.* 8. *Quos præſcinit, & prædeſtinauit, &c.* Puto quòd ſicut non de omnibus dixit, *Prædeſtinauit*: ſic nec de omnibus, *Præſciuit.* Non enim ſecundùm vulgi opinionem putandum eſt bona malaque præſcire Deum, &c. Si enim *quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes eſſe imaginis Filij ſui*: manifeſtum eſt quòd tantùm de bonis dicit. Cæteros verò, non modò præſcire, ſed neſcire dicitur Deus: *Nouit enim De⁹ eos qui ſunt eius* 2. *Tim.* 2. Ad eos autem qui non ſunt digni vt ſciantur à Deo, *Matt.* 25. *Non noui vos, &c.* Sed & hoc intuere, ſi *Præſcire & prædeſtinare* dici poteſt Deus, de his quæ nondum ſunt, &c. Nam Præſcientia in quo videbitur? Cùm id quod futurum eſt, pendeat in factoris arbitrio. *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, &c.* Si præſcit, & prædeſtinauit in communi opinione ſentiamus: videtur iuſtificatus, quia prædeſtinatus; & prædeſtinatus, quia præcognitus; rurſus non iuſtificatus, quia non vocatus; & quia non vocatus, non prædeſtinatus, ideo non præcognitus. Vide in quam abſurda decidant, qui Præſcientiã Dei tantùm accipiunt, quaſi quæ poſtmodum futura ſunt ante prænoſcantur. Et ſi ad communem intelligentiam referatur, *quos vocauit, illos & iuſtificauit*: ingentem feneſtram patefaciemus eis qui negant in hominis eſſe poteſtate vt ſaluus fiat. Aiunt enim, *ſi Deus quos præſciuit, illos & prædeſtinauit: & quos prædeſtinauit, illos & vocauit; & quos vocauit, illos & iuſtificauit*: nihil culpæ habent qui non iuſtificantur; quia nec vocati ſunt, nec prædeſtinati. Nec omnes qui vocantur, etiam iuſtificantur. Nam *Iudas* vocatus, non eſt iuſtificatus, vel certè non eſt glorificatus. Cùm ergo hæc ſic ſe habeant: quomodo videbitur verus ſermo *Apoſtoli*, de prænoſcendo, prædeſtinando, vocando, iuſtificando? Sed ego ad conſuetudinem Scripturæ redeundum puto. *Gen.* 4. *Cognouit Adam vxorem ſuam. Gen.* 24 *Vir non cognouerat eam.* De filijs *Leui. Non cognouit vnuſquiſque patrem ſuum aut matrem* .i. Non iunxit affectum ſuum, &c.

Ideo conſtat Apoſtolum poſuiſſe ſermonem cognoſcendi: vt illos oſtenderet præcognitos à Deo, in quibus, ſciens quales eſſent, amorem ſuum Deus affectumque poſuit. Vt 2. Tim. 2. *Cognouit Dominus eos qui ſunt eius* .i. In dilectione habuiſſe ſibique ſociaſſe. Ita ergo, *quos præſciuit, illos & prædeſtinauit*, &c. Supereſt quomodo *quos vocauit, illos & iuſtificauit*. Sed videtur mihi eſſe quædam vocationis differentia: quia omnes quidem vocati ſunt; non tamen omnes ſecundùm propoſitum, & bonam voluntatem quã circa Dei cultum gerunt, &c. Iſti ſunt iuſtificati. Bono enim eorum propoſito, deerat ſola vocatio, &c. Quòd ſi, *ſecundùm propoſitum*, ad Deum referatur .i. quòd ſciens in eis religioſam mentem, & ſalutis ineſſe deſiderium, vocati dicantur; non videbitur his quæ expoſuimus contrarium. Hoc ergo pacto, neque in præſcientia Dei, ſalutis vel perditionis cauſa conſiſtit: neque iuſtificatio ex ſola vocatione pendebit; neque glorificari de noſtra poteſtate ſublatum eſt. Nam etſi communi intellectu de præſcientia ſentiamus: non erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum; ſed ſcit, quia futurum eſt, &c. Vt autem ſcias, non in præſcientia cuique ſalutis cauſam poni, ſed in propoſito & actibus ſuis: vide *Paulum* verentem, *ne fortè cùm alijs prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur*, 1. Cor. 9. &c. Poſſumus etiam dicere: *Si quos præſcijt, illos & prædeſtinauit*: ergo non omnes præſcijt, &c. Si verò prænoſcere .i. in affectum recipere, ſibique ſociare: verum erit, &c. Sic enim & dicitur, *non cognouiſſe peccatũ*, 2. Cor. 5. Nunquid quia neſcierit quid eſſet peccatum, &c. An quia peccato ſe non miſcuit, neque adhæſit ei peccatum? &c. De glorificatione poſſumus & in præſenti ſœculo intelligere, vt 2. Cor. 3.] Ex quo ſemine Pelagianiſmi poteſt ſeligi illa interpretatio præſcientiæ, vt eſt annexa prædeſtinationi: non autem à qua ſolùm præſciti, non prædeſtinati dicuntur. Sed cauendum eſt ab illa præſuppoſitione boni propoſiti, affectus, vel deſiderij noſtri ad prædeſtinationẽ. Non eſt tamen periculum præſupponendi naturam & perſonas prædeſtinandas.

S. Ioan. Chryſoſt. Hom. 15. in Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ijs qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt.* Propoſitum hic dicit: ne totum vocationi tribuat, &c. Nam ſi vocatio ſola ſufficeret: qua tandem cauſa non omnes ſalui facti ſunt? Propterea ait, non vocationem tantùm, ſed & ipſum propoſitum vocatorum, ſalutem effeciſſe. Neque enim coacta, aut violenta facta eſt vocatio: omnes igitur ſunt vocati, at non omnes obediuere. Quoniam *quos præſciuerat, eoſdem & præfiniuit conformes imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus inter multos fratres.* Vides honoris cumulum, &c. In *Cap.* 9. *Cùm nondum geniti eſſent, nullo ab illis vel bono vel malo opere facto, vt iuxta electionem Dei, propoſitio maneret, non ab operibus, ſed à vocante dictum eſt illi Gen. 25. Maior ſeruiet minori. Vt Mal. 1. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat, &c. Non expectat Deus à rerum exitu videre quiſnam bonus ſit, quis non; ſed etiam antea nouit. *Infra.* Itaque dixit, *Iacob dilexi, Eſau verò odio habui.* Nam quod id iuſtè ac meritò, tu quidem ab ipſo exitu nouiſti: ille autem & ante exitum apertè nouerat. Neque enim operum probationem quærit ſolus Deus: ſed & voluntatis nobilitatem, ac probam, gratamque mentem. Quiſquis enim talis fuerit: quamuis caſu peccauerit; ad ſe rediens, ſe ſibi reſtituet. Quamuis in vitio commoratus fuerit: non negligetur; ſed illum reuocabit, qui omnia nouit Deus. *Dices ergo voluntati eius quis reſiſtit? O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo!* Nimiam curioſitatem compeſcit, &c. Nec dicit fieri non poſſe vt illa ſoluantur: ſed iniquum eſſe eiuſmodi ſciſcitari, &c. *An non habet poteſtatem figulus luti, &c.* Non liberum tollit arb. ſed oſtendit quouſque Deo parendum ſit. Nam in exigenda à Deo ratione, perindè affici oportet, vt ipſum lutum. In *Epheſ.* 1. *Hom.* 1. *Elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi.* Per eam quæ in ipſum habenda eſt fidẽ hoc præſtitit, priuſquã eſſemus, &c. *Vt eſſemus ſancti.* Ne igitur exiſtimes fidem tibi ſufficere ſolam: adiecit & vitam, &c. Omnino enim, ſi futuros probos elegit, & nos vtique reddidit ſanctos, &c. *Elegit nos*, inquit. Qui eligit, nouit vtique quid eligat, &c. *Qui prædeſtinauit nos per Chriſtum, &c.* Vides vt nihil ſine Chriſto, nihil ſine Patre? Hic prædeſtinauit, ille conciliauit. *Secundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Eudochia, vbique eſt præcipua Dei voluntas: ſecundùm hanc Deus non vult perire peccatores. Eſt & ſecundaria, ſecundùm quam eos qui in ſceleribus perſiſtunt, vult perire, &c. Itaque primariam illam voluntatem indicat, & ingentem atque propenſam erga nos benignitatem. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ* .i. vt gratiæ ipſius gloria declaretur. *In laudem* .i. vt laudet ipſum omnis creatura, &c. Cur ſic vult laudari à nobis, & glorificari? Vt nobis erga ipſum flagrantior charitas inſeratur, &c. *Hom.* 2. *Sorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius qui omnia operatur* .i. Non communi ſortium iactu: cùm Deus ipſe nos ſorte acciuerit; ſed ſecundùm propoſitum, vt *Rom.* 8. Sortem vocauit: ita tamen vt nullatenus libertatem ademerit arbitrij, &c. Sors enim non virtutis eſt; ſed caſus fortuiti. Quaſi dixiſſet: ſorte facta nos elegit, etiam per liberam ipſius voluntatem, aut decretum prædeſtinatos .i. ſeceruit nos ſibiipſi ac ſepoſuit, cùm eligeret. Tanquam diceret *Paulus*: Priuſquam eſſemus, ipſe iam viderat nos ſorte eſſe electos, &c. *Secundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ* .i. Nihil poſtea operatus eſt: vt qui vniuerſa ante rerum conditionem, diſpoſuerat & conſtituerat.

Sed præ omnibus conſulamus *B. Aug.* vt huius præcipuè myſterij Arbitrum & Oraculum: ſupplendo, vel ſeligendo quæ ſunt huic doctrinæ propria, ex omnibus ſcriptis *B. Aug.* à nobis relatis *in 2. Sent. à col.* 305. *ad* 308.

Lib. 1. *Ad Simpl. q.* 2. in *Ioan.* 9. *Cùm nondum nati fuiſſent, &c.* Quomodo eſt iuſta, aut qualiſcunque electio, vbi nulla diſtantia eſt? Vnde iſta electio, vel qualis electio: ſi nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla ſunt momenta meritorum? An fortè ſunt aliqua merita naturarum?

Digitized by Google

rum? Quis hoc intelligat, ex vno Patre, ex vna Matre, ex vno concubitu; & ex vno Creatore? Nulla ergo electio eſt, antequam eſſet quod eligeretur, &c. Non itaque electus eſt *Iacob*, vt fieret homo: ſed bonus factus eligi potuit. An ideo ſecundùm electionem: quia omnium Deus præſcius etiam futuram fidem vidit in *Iacob* nondum nato? Sed ſicut præſcientiâ vidit crediturum: ita præſcientia videre poterat operaturum, &c. Non igitur ex præſciẽtia voluit intelligi factam electionẽ. An dicendum eſt, quòd nulla electio fuerit? Sed dictum eſt *Rom. 9. Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret.* Niſi fortè ſic eſt diſtinguenda ſententia: vt hoc de nondum natis, & nondum aliquid operatis exemplum datum accipiatur, ne aliqua electio hic poſſit intelligi, &c. Non ergo ſecundùm electionem propoſitum Dei manet: ſed ex propoſito electio .i. non quia inuenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius; ſed quia illud manet vt iuſtificet credentes, ideo inuenit opera quæ iam eligat ad regnum cœlorum. Nam niſi eſſet electio, non eſſent electi: non tamen electio præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio. Nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab eo qui reijcitur. Vnde *Eph. 1. Elegit nos Deus, &c.* Non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientiâ. Quæritur autem, vtrum vel Fides, mereatur hominis iuſtificationem, &c. Cum dixiſſet *Rom. 4. non ex operibus*: non ait ex Fide, ſed ex vocante. Nemo enim credit, qui non vocatur, &c. Ergo ante omne meritum eſt gratia. *Infra.* An fortè vt illud de *Iacob*, nullis meritis bonæ actionis dictum eſt: ita *Eſau* nullis meritis malæ actionis odioſus? Si enim quia præſciebat Deus futura eius opera mala, eum prædeſtinauit vt ſeruiret maiori: prædeſtinauit & *Iacob* vt ei maior ſeruiret, quia futura eius opera bona præſciebat; & falſum eſt iam quod ait, *non ex operibus.* Si autem *non ex operibus*, nec ex Fide, quæ in nondum natis ſimiliter nondum erat: quo merito *Eſau* odio haberetur, antequam naſceretur? Quod enim Deus fecit ea quæ diligeret, nulla quæſtio eſt, *Sap. 11.* Quo merito Sol factus eſt Sol: aut quid offendit Luna, vt tanto illo eſſet inferior? Sed hæc omnia bona creata ſunt, quæque in genere ſuo. Non enim diceret Deus, Solem dilexi, Lunam autẽ odio habui, &c. Vt autem odiſſet *Eſau*, niſi iniuſtitiæ merito, iniuſtum eſt. Quod ſi concedimus: incipit & *Iacob* iuſtitiæ merito diligi, &c. Vidit itaque *Apoſt.* ſtatimque ſubiecit. *Quid ergo dicimus? Nunquid iniquitas eſt apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit, miſerebor cui miſertus ero, Exod. 33.* Quibus verbis ſoluit quæſtionem, an potiùs arctiùs colligauit? Cur hæc miſericordia defuit *Eſau*? An ideo dictum eſt, *Miſerebor, cui miſertus ero.* Quia cui miſertus erit Deus vt eum vocet, miſericors miſerebitur eius vt credat; & cui miſericors fuerit vt credat, miſericordiam præſtabit .i. faciet eum miſericordem vt etiam bene operetur? *Infra.* Sed cur hæc miſericordia ſubtracta eſt ab *Eſau*? An fortè quia noluit? Si ergo *Iacob* ideo credidit, quia voluit: non ei Deus donauit Fidem; ſed eam ſibi ipſe volendo præſtitit, & habuit aliquid quod non accepit. An quia nemo poteſt credere niſi velit, nemo velle niſi vocetur, nemo ſibi præſtare vt vocetur: vocando Deus præſtat & fidem; quia ſine vocatione non poteſt quiſquam credere, quamuis nullus credat inuitus? *Rom. 10.* Non itaque credit non vocatus: ſed non omnis credit vocatus. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi, Matt. 20.* Vtique qui vocantem non contempſerunt: ſed credendo ſecuti ſunt volentes, &c. Quid eſt ergo quod ſequitur? *Igitur non volentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei?* An quia non poſſumus velle niſi vocati, & nihil valet velle noſtrum, niſi vt perficiatur adiuuet Deus? *Infra.* Cur ergo *Eſau* in vtero poſitus improbatus eſt: qui nec credere poterat vocanti, nec contemnere vocationem, nec boni vel mali aliquid operari? Si præſcientiâ Dei, futuræ malæ voluntatis eius: cur non & *Iacob* præſcientia Dei approbatus eſt, futuræ bonæ voluntatis eius? Quod ſi ſemel conceſſeris: conficitur eum potuiſſe etiam ex operibus præſcitis approbari. *Infra.* Si propterea ſolùm dictum eſt: *Non volentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei*; quia voluntas hominis ſola non ſufficit, &c. Igitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis: quia miſericordia Dei ſola non ſufficit. Illud autem neſcio quomodo dicatur, fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus, &c. Deus enim eſt qui operatur in nobis, & velle, & operari. *Phil. 2.* Non igitur dictum eſt, *Non volentis, &c.* quia niſi eius adiutorio non poſſumus adipiſci quod volumus; ſed potiùs quia niſi eius vocatione non volumus. Sed ſi vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, vt omnis vocatus eam ſequatur: quomodo verũ erit, *Matt. 22. Multi vocati, pauci verò electi? &c.* An fortè, &c. longo contextu relata in 2. *col.* 359. 360. De duplici vocatione: communi, & congrua, ſeu efficaci ex vi prædeſtinationis Dei. De qua tamen nihil abſolutè, & reſolutiuè: ſed tantùm interrogatiuè, & dubitatiuè, excepta hac ſuppoſitione & reſolutione. *Sit igitur fixum atq; immobile, in mente ſobria pietate, atq; ſtabili fide: quòd nulla eſt iniquitas apud Deum, &c. Sunt igitur omnes homines vna quædam maſſa peccati, ſupplicium debens Diuinæ, ſummæq; iuſtitiæ: quod ſiue exigatur, ſiue donetur, nulla eſt iniquitas. A quibus autem exigendum, & quibus donandum ſit, ſuperbè iudicant debitores, &c.* Vnde hoc quaſi præludium totius Doctrinæ Auguſtinianæ, nihil præiudicat vlli opinioni Catholicæ, nec ſententiæ finali eiuſdem *B. Aug. Lib. de Prædeſt.* Vt etiam monemus in 2. *col.* 360. & in noſtro Cõmentario anatomico *B. Aug. à col.* 152. *ad* 160. Vbi & negamus vllum modum congruæ vocationis fuiſſe *B. Aug.* ignotum: vel modum vocandi congruè, ex præuiſione, aut futuritione conditionata vllius boni ex nobis, fuiſſe vnquam à *B. Aug.* approbatum, vel eſſe probabilem; ſed ſolam congruitatem inter gratiam intellectus, & voluntatis, ſolumque modum vocandi congruè per intellectũ, ſecundum affectum gratiæ in voluntate; vt ſi voluntas eſt affecta vel afficienda timore, ſpe, vel amore Dei, vocetur, præmoueatur obiectiuè motiuo timoris, ſpei, vel amoris Dei.

1. *Retract.* 13. Si in primis parentibus & filijs

 fœcun-

Digitized by Google

fœcunditas fœlicitaſque manſiſſet : vſque ad certum Sanctorum numerum, quem prædeſtinauit Deus, naſcerentur homines ; non parentibus ſucceſſuri morientibus, ſed cum viuentibus regnaturi. *Lib.* 14. *Ciu. cap.* 10. Quam fœlices erant primi parentes : tam fœlix eſſet vniuerſa ſocietas humana, ſi nec illi malum quod etiam in poſteros traijcerent, nec quiſquam ex eorum ſtirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet ; atque iſta fœlicitate permanente, donec prædeſtinatorum numerus cōpleretur, alia maior daretur, vbi iam eſſet certa ſecuritas peccaturū neminem, moriturumque neminem. *Cap.*23. Credendum eſt quòd Sanctorum numerus, quantus complendæ illi ſufficit beatiſſimæ Ciuitati, tantus exiſteret, & ſi nemo peccaſſet : quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorū. *Cap.*26. Omnipotenti Deo non defuit conſilium, quo certum numerum ciuium in ſua Sapientia prędeſtinatum, etiam ex damnato genere humano, ſuæ Ciuitatis impleret : non eos iam meritis, quandoquidem vniuerſa maſſa tāquam in vitiata radice damnata eſt; ſed gratia diſcernens, & liberatis de non libertatis, quid eis largiatur oſtendens. *Cap.*28. Fecerunt itaque Ciuitates duas, amores duo: terrenā ſcilicet, amor ſui vſque ad contemptū Dei; cœleſtē verò, amor Dei vſque ad contemptum ſui, &c.

Quæſt. 68. *ex* 83. Tu quis es, qui reſpondeas Deo, & velis Dei noſſe conſilium: qui ſi hominis tibi æqualis noſſe voluiſſes, impudenter faceres, niſi priùs in amicitiam recipereris? Sed perueni ad virum perfectum, vt 1. *Cor.* 3. Tunc demum rectè, & non præpoſterè audies, ſi qua ſunt de animarum occultis meritis, & de gratia vel iuſtitia, ſecreta Omnipotentis Dei. *Infra.* Prorſus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, *Rom.* 9. Sed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt : venit enim de occultiſſimis meritis. Quia & ipſi peccatores, cùm propter generale peccatum vnam maſſam fecerint: non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas. Pręcedit ergo aliquid in peccatoribus : quo quamuis non ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione ; & præcedit in alijs peccatoribus, quo digni ſint obtuſione. *Lib. De geſtis Pelagij cap.* 27. Si pro eo quod poſitum eſt, *dignus gratia*, poſitum eſſet *Prædeſtinatus*, vel aliquid huiuſmodi : nihil certè ſcrupuli tangeret atque angeret animum. Et tamen ſi dicatur eum qui per electionem gratiæ iuſtificatur, nullis quidem præcedentibus meritis bonis, ſed deſtinatione dignum vocari, ſicut electus vocatur: vtrum vel certè, vel minima offenſione intelligentiæ dici poſſit, difficile iudicatur. Nam, quantùm ad me, ab hoc verbo facilè tranſirem: niſi me liber ille cui reſpondi, de ipſius Pelagij ſenſu ſollicitum redderet; ne fortè hoc verbum non de negligentia locutionis, ſed de diligentia dogmatis curarit inſerere. *Cap.* 35. Quas gratias habuit *Apoſt.* eum dignum fuiſſe accipere: non ſecundùm merita, ſed potiùs ſecundùm prædeſtinationem aliquo modo potuerunt intelligere. 2. *Ret.* 31. Quod dixi *Lib.* 6. *Quæſt. contra Paganos, q.* 2. Salus religionis huius nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit: non ita dixi, tanquam ex meritis ſuis quiſquam dignus fuerit; ſed vt *Apoſt. Rom.* 9. *Non ex operibus, ſed ex vocante, &c.* Quam vocationem ad Dei propoſitum aſſerit pertinere, &c. De qua vocatione ait, 2. *Tim.* 1. *Vt dignos vos habeat vocatione ſua ſancta.*] Quod ipſum reſumit, & expreſſiùs confirmat, *Lib. de Prædeſt. SS. cap.* 10. Quod dixi, Salutem religionis huius nulli vnquam defuiſſe qui dignus fuit, & dignum non fuiſſe cui defuit : ſi diſcutiatur vnde quis ſit dignus, non deſunt qui dicant, voluntate humana ; nos autem dicimus, gratia, vel prædeſtinatione diuina.

Enchir. 61. Non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus: ſed ideo etiam pro Angelis fit, quicquid hominum per eius mortem redimitur, & liberatur à malo ; quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, & ex ipſa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. *Cap.* 62. Nouerunt Sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati ſunt, quanti numeri ſupplementū de genere humano integritas illius Ciuitatis expectet. Ex *Eph.* 1. *Inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cælis ſunt, & quæ in terra.* *Lib.* 22. *Ciu.* 1. Deus de mortali progenie iuſtè damnata, tantum populum per gratiam ſuam colligit : vt inde ſuppleat & inſtauret partem quæ lapſa eſt Angelorum; ac ſic illa ſuperna & dilecta Ciuitas non fraudetur ſuo numero Ciuium, quin etiam fortaſſis & vberiore lætetur.

Epiſt. 105. Chriſtus, non pro nullis, vt homines conderentur : ſed pro in pijs mortuus eſt, vt iuſtificarentur, &c. *Rom.* 9. *Voluntati eius quis reſiſtit? O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Merito namque peccati vniuerſa maſſa damnata eſt : nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. *Infra. Rom.* 11. *O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei!* Quid diligebat in *Iacob*, antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in *Eſau* antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat : quia etiam futura opera præuidebat. Quis iſtum acutiſſimū ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hic erat locus vt diceret quod iſti ſentiunt, &c. Non autem hoc dixit : ſed potiùs ne quis de ſuorum operum meritis audeat gloriari, &c. *Non volentis*, inquit, *neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Vbi nunc merita, vel præterita vel futura? Nonnè apertam protulit ſententiam? Nonnè ſtultam fecit Deus hæreticorum Sapientiam? Sed Deus, inquiunt, in eis quos hinc aufert, præuidet quemadmodum victurus eſſet quiſque ſi viueret : & ideo quem nequiter nouit fuiſſe victurum, ſine baptiſmo facit mori, &c. Si ergo diuinitus etiam quæ commiſſa non ſunt mala opera puniantur : attendant quàm falsò polliceantur in damnationem paruulos non ituros qui ſine baptiſmate moriuntur, &c. Cur non omnes tenentur in hac vita quam bonis operibus ornaturi ſunt? Cur etiam eorum qui baptizantur, quidam diu peſſimè viuunt? Quid denique præſtatur ei, qui *rapitur ne malitia mutet intellectum eius? Sap.* 4. Si iuſtè etiam illa puniantur, quæ licet non fecerit, fuerat tamen viuendo facturus. Vt & ſupra *col.* 359. contra præſcientiam conditionatorum, ſaltem ad hoc.

Digitized by Google

Epiſt. 106. Quomodo, inquiunt, non eſt iniquitas apud Deum, ſi diligendo diſcernit, quos merita operũ nulla diſcernunt? Tanquam id *Apoſtolus* ipſe non viderit, &c. vt ſupra *Epiſt.* 105. Subdit. Nouit Deus quid agat, & quantus numerus eſſe debeat primitùs omnium hominum, deinde Sanctorum: ſicut ſyderum, ſicut Angelorum, ſicut denique foliorum, capillorumque noſtrorum, &c. Etiam illud dici poteſt: cur omnino creati ſunt, quos Deus ita peccaturos, vt æterno eſſent igne damnandi, ſine dubitatione præſciuit? Volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam: quòd & malis vti optimè poſſit, &c. pertulit in multa patiẽtia vaſa iræ. Non quòd illi neceſſaria eſſent peccata: cui nec iuſtitia cuiuſquã eſt neceſſaria; ſed vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, &c. *Rom.* 9. Certus eſt ergo Dei præſcientiæ definitus numerus, & multitudo Sanctorum: quibus diligentibus Deum, quod eis donauit, omnia cooperantur in bonum, &c. *Quos autem prædeſtinauit, illos & vocauit, &c.* Hic ſubaudire debemus, *ſecundùm propoſitum.* Hi ſunt filij promiſſionis, hæc ſunt vaſa miſericordiæ, &c. Cæteri autem homines à Deo præſciente creati ſunt: vt in his oſtenderet liberum deſertoris arbitrium ſine ſua gratia quid valeret, & vaſa miſericordiæ quid ſibi collatum eſſet addiſcerent.

Epiſt. 107. Deus vt omnia opera ſua futura in prædeſtinatione præſciuerit: ſic illa diſpoſuit, vt quoſdam non credentes, ad fidem ſuam, orationes credentium pro eis exaudiendo, conuertat, &c. plura relata in 2. *col.* 368. 369. 370. & ſupra *col.* 388. de voluntate Dei ſaluandi omnes, & à col. 446. ad 450. de Sanctitate & Innocentia Dei ab omni imputatione noſtrarum culparum & pœnarum, temporalium & æternarum.

Lib. De Prædeſt. SS. Ad duas epiſtolas: quarum primâ *S. Proſper* eum conſulit ſuper hac opinione Semi-pelagianorum ſeu Maſſilienſium. *Hæc eorum definitio ac profeſſio eſt, &c.* Præſciſſe Deum, & prædeſtinaſſe, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit: hoc autem *Propoſitum*, quo eligendorum & reijciendorum dicitur facta diſcretio, Sanctis occaſionem tepotis adferre, &c. & ſub hoc Prædeſtinationis nomine, fatalem quandam induci neceſſitatem, &c. In tantum quibuſcumque commentitijs meritis electionem Dei ſubijciunt: vt quia præterita non extant, futura quæ non ſint futura confingant; nouoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint, &c. Nec acquieſcunt Prædeſtinatum electorum numerum hominum, nec augeri poſſe nec minui, &c. relata in 2. *col.* 375. 376. Altera epiſt. qua *B. Hilar. Epiſc. Arelat.* eum conſulit ſuper hac eorumdẽ opinione. *Expoſitionem tuam in* 1. *Tim.* 2. *Deus vult omnes ſaluos fieri,* non ſuſcipiunt; ſed vt nullus habeatur exceptus. Quomodo, aiunt, Deus non vult à quoquam peccari: & tamen iugiter peccatur, &c. relata in 2. *col.* 377.

Reſpondet B. Aug. inter alia relata in 2. à *col.* 377. *ad* 381. *Cap.* 1. Peruenerunt iſti fratres noſtri ad ea quæ plurimùm eos à Pelagianorum errore diſcernunt, &c. Si quid de Prædeſtinatione aliter ſapiunt: Deus hoc quoque illis reuelabit. *Cap.* 10. Inter gratiam & Prædeſtinationem, hoc tantùm intereſt: quòd *Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; Gratia verò, iam ipſa donatio, &c.* Prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine Prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus, &c. Præſcire autem potens eſt etiam quæ non facit, vt peccata: quia etſi quædam ita peccata ſunt, vt ſint etiam pœnæ peccatorum; non ibi peccatum Dei eſt, ſed iudicium. Quocirca Prædeſtinatio Dei quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio: gratia verò eſt ipſius Prædeſtinations effectus. *Cap.* 11. Miror homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis Dei. Sed incerta eſt mihi, inquis, de meipſo voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipſo certa eſt, nec times? Cùm igitur vtraque incerta ſit: Cur non homo firmiori, quàm infirmiori, Fidem ſuam, Spem, Charitatemque committit? *Cap.* 15. Eſt etiam præclariſſimum lumen Prædeſtinationis & gratiæ, ipſe *Saluator*: qui hoc vt eſſet, quibus tandem ſuis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo eſt comparauit? *Infra.* Appareat itaque nobis in noſtro *Capite*, ipſe fons gratiæ: vnde ſe per cuncta eius membra diffudit. Ea gratia fit quicunque Chriſtianus: qua gratia homo ille factus eſt Chriſtus, &c. Ipſa eſt igitur Prædeſtinatio Sanctorum, quæ in *Sancto Sanctorum* maximè claruit, &c. Prædeſtinatus eſt ergo *Ieſus, Rom.* 1. vt qui futurus erat ſecùdùm carnem filius *Dauid,* eſſet tamen in virtute Filius Dei, &c. Prædeſtinata eſt iſta naturæ humanæ tanta ſubuectio: vt quò attolleretur altiùs non haberet, &c. Sicut ergo prędeſtinatus eſt ille vnus, vt Caput noſtrum eſſet: ita multi prædeſtinati ſumus, vt membra eius eſſemus, &c. *Cap.* 16. Vocat Deus multos Prædeſtinatos filios ſuos: vt eos faciat membra Prædeſtinati vnici Filij ſui, &c. Vt & *Enchir* 36. Quid natura humana in homine Chriſto meruit: vt in vnitatem Perſonæ vnici Filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Intelligant homines per eandem gratiam ſe iuſtificari a peccatis, per quam factum eſt, vt homo Chriſtus nullum habere poſſet peccatum] .i. Per eandem in ratione gratuiti, ſeu ſine vllo merito, non autem per eandem entitatiuè. *Cap.* 16. *De Prædeſt. Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos, Ioan.* 15. Quia non elegerũt eum, vt eligeret eos: ſed vt eligerét eum, elegit eos, &c. Electi ſunt itaque *ante mundi conſtitutionem, Eph.* 1. ea prædeſtinatione in qua Deus ſua futura facta præſciuit: Electi ſunt autem de mundo, ea vocatione qua Deus id quod prædeſtinauit, impleuit, *Rom.* 8. *Cap.* 18. Quomodo eligeret eos qui nondum erant, niſi prædeſtinando? Elegit ergo prædeſtinans nos, &c. *Elegit nos vt eſſemus Sancti, Epheſ.* 1. Non quia futuri eramus, &c. *Cap.* 20. Agit Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando; vt etiam per eos impleatur, *quod manus eius & conſilium prædeſtinauerit fieri, &c.* Quale eſt vt credamus ad conſtituenda regna terrena Deum operari hominum voluntates, 1. *Reg.* 10. 1. *Paral.* 2. & ad capeſcendũ

 regnum

Digitized by Google

non eſt; & quiſquis ſic eſſe dixerit, quod ſine Deo bonum opus nec incipere, nec perficere poſſit, Catholicus eſt. *Cap.* 11. Rectè arbitror liberum arbitrium comparari iumento, gratiam verò ſeſſori, &c. Sicut ergo homo ſedens in iumento, cù n peregerit iter, dicit: feci hodie, vt puta, 30. milliaria, &c. Ita gratia & liberum arb. peragit iter fidei liberum. *Lib. 6. cap.* 1. Credere nos ſuggillatis: quòd Deus quoſdam hominum ſic prædeſtinet ad vitam Regni Cœlorum; vt ſi nolint orare, aut ieiunare, omnino perire non poſſe, nec debere ſui eſſe ſollicitos, &c. Quoſdam verò ſic prædeſtinarit in gehennæ pœnam; vt etiam ſi credere velint, omnique ſe voluntati diuinæ ſubiecerint, vitam illis æternam dari non poſſe. Non miramur vos de nobis falſa confingere: cùm videamus Scripturas ſanctas ad voluntatis veſtræ intellectum mutare. *Cap.* 2. Prædeſtinatio à præuidendo, & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid, dicitur, &c. *Rom.* 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Sed non omne quod præſcit, prædeſtinat: mala enim tantùm præſcit, non prædeſtinat; bona verò, & præſcit, & prædeſtinat. &c. *Cap.* 6. Tenenda eſt igitur hæc regula: peccatores in proprijs malis præſcitos tantùm, non prædeſtinatos; pœnam autem eis eſſe prædeſtinatam, &c. Qui verò ſecundùm propoſitum Dei viuunt, præſcitos eſſe, & prædeſtinatos electione gratiæ gratuitæ eius, *Epheſ.* 1, *Cap.* 7. Nolite putare quòd liberum voluntatis amputemus arbitrium, vel quòd bona operari prohibeamus: quin potiùs hortamur, &c. Nec dicimus, vt fingitis; & ſi credere velint, vel bonis operibus vacare, Deum hæc illis nolle præſtare: cùm huiuſmodi velle Dei ſit donum, &c. Si autem ex Deo non eſt, ſed de iactantia propriæ voluntatis: manifeſtè quod volunt, capere non poſſunt. *Cap.* 8. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri,* 1. *Tim.* 2. .i. Omnes qui ſaluantur, Dei voluntate ſaluantur: *Deus enim noſter, Deus ſaluos faciendi, Pſal.* 67.

Boetius Lib. 4. *De Conſol. proſa* 4. Prouidentia, eſt ipſa illa diuina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit: fatum verò, inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus, &c. Quo fit vt omnia quæ fato ſubſunt, prouidentiæ quoque ſubiecta ſint, cui ipſum etiam ſubiacet fatum. Quædam verò quæ ſub prouidentia locata ſunt, fati ſeriem ſuperant. Ea verò ſunt quæ primæ propinqua diuinitati ſtabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt, &c. Ac tantò aliquid fato liberum eſt, quantò illum rerum cardinem viciniùs petit. Quæ, inquies, poteſt vlla iniquior eſſe confuſio, quàm vt bonis aduerſa, malis optata contingant? Deus cùm ex alta prouidētiæ ſpecula reſpexerit, quid cuique conueniat agnoſcit, & quod conuenire nouit, accommodat, &c.

Idem Lib. 5. *proſa* 6. Diuina prænotio, naturam rerum, proprietatemque non mutat. Taliaque apud ſe præſentia ſpectat, qualia in tempore prouenient: vnoque mentis intuitu, tàm neceſſariò, quàm non neceſſariò ventura dignoſcit, &c. Si dicas, Quod euenturum Deus videt, id non euenire non poſſe: meque ad nomen neceſſitatis adſtringas, &c. Reſpondebo, idem futurum cùm ad Diuinam notionem refertur, neceſſarium: cùm verò in ſua natura perpenditur, liberum atque abſolutum prorſus videri. Duæ ſunt neceſſitates, ſimplex vna, vt omnes homines eſſe mortales: altera conditionis, vt ſi quem ſcias ambulare, eum ambulare neceſſe eſt. Sed hæc conditio, minimè ſecum illam ſimplicem trahit. Hanc enim neceſſitatem, non propria facit natura, ſed conditionis adiectio, &c. Fiunt igitur procul dubio cuncta quæ futura Deus eſſe prænoſcit: ſed eorum quædam de libero proficiſcuntur arbitrio; quia priuſquam fierent, etiam non euenire potuiſſent. Quid refert non eſſe neceſſaria: cùm propter Diuinæ Scientiæ conditionem, modis omnibus neceſſitatis iſta eueniant? Hoc ſcilicet, quòd ea quæ paulò ante propoſui, ſol oriens, & homo gradiens, dum fiunt, non fieri non poſſunt: eorum tamen vnum priùs quoque quam fieret, neceſſe erat exiſtere; alterum verò, minimè. Ita etiam quæ Deus præſentia habet, &c. Sed ſi in mea, inquies, poteſtate ſitum eſt, mutare propoſitum, euacuabo prouidentiam, &c. Reſpondebo, te quidem poſſe: ſed an facies, quoue conuertes, præſens prouidentiæ veritas intuetur, &c. Quæ cùm ita ſint, manet intemerata mortalibus arbitrij libertas, &c. Magna vobis eſt indicta neceſſitas probitatis: cùm ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis?

Iſidorus Lib. 2. *De Summo Bono, cap.* 6. *De Prædeſtinatione.* Gemina eſt Prædeſtinatio: ſiue electorum ad requiem, ſiue reproborū ad mortem. Vtraque agitur Diuino Iudicio: vt ſemper electos ſuperna & interiora ſequi faciat: ſemperque reprobos, infima & exteriora, deſerendo, ſectari permittat, &c. Quamuis Iuſtorum conuerſatio in hac vita probabilis ſit: incertum tamen hominibus eſt, ad quem ſint finem prædeſtinati; ſed omnia ſeruantur futuro examini. Mira diſpoſitio eſt ſupernæ diſtributionis. Vult quis eſſe bonus, & non valet: vult alter eſſe malus, & non permittitur interire. Datur ei quod ſit bonus, qui vult eſſe malus: (ſic enim correctè legendum eſt) alius nec vult, nec datur ei vt ſit bonus. Iſte naſcitur in errore, & moritur: ille in bono quo cœpit, vſque ad finem perdurat. Tamdiu in bono iſte ſtat, quoaduſque cadat: ille malè diu viuendo, in fine ſaluatur, &c. Vult prodeſſe in bono iuſtus, nec præualet: vult nocere malus, & præualet. Iſte vult Deo vacare, ſed ſæculo impeditur: ille negotijs implicari cupit, nec proficit. Dominatur malus, bono, bonus damnatur pro impio, impius honoratur pro iuſto: & in hac tanta obſcuritate, non valet homo Diuinam perſcrutari diſpoſitionem, & occultum Prædeſtinationis perpendere ordinē.

S. Ioan. Damaſc. Lib. 2. *Fidei, cap.* 30. *De Præſcientia, Prædefinitione, & Prædeſtinatione Dei.* Deus omnia præſcit: non autem omnia prædiffinit atque prædeſtinat. Præſcit enim & ea quæ in nobis: non prædiffinit autem hæc. Nam non prauitatem fieri cogit, neque vim adfert virtuti. Quare præſciæ iuſſionis diuinæ opus, eſt prædefinitio. Prædiffinit autem ea, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, ſecundùm præſcientiam ſuam. Nam præ-

Digitized by Google

præſcientiâ, iam prælegit omnia Deus, ſecundùm bonitatem, & iuſtitiam ſuam. Cæterùm virtus ex Deo naturæ data eſt: & ipſe omnis boni principium, & cauſa eſt; & ſine eius cooperatione & auxilio, impoſſibile eſt nos aut bonum velle aut agere. At in nobis eſt immanere virtuti, & ſequi Deum nos ad illam vocantem: aut deſerere virtutem, quod eſt in malum prolabi, & ſequi Diabolum. Nam malum nihil aliud eſt, quàm à bono ſeceſſus: vt tenebræ, ſeceſſus à lumine. Manentes igitur ſecundùm naturâ, in virtute ſumus: declinantes autem ex eo quod ſecundùm naturam eſt, id eſt, ex virtute, in id quod contra naturam eſt proruimus, efficimurque mali, &c.

S. Anſel. Lib. De Concordia præſcientiæ Dei cum libero Arbitrio, cap. 1. Impoſſibile eſt, quo poſito aliud impoſſibile ſequitur: ſed ſi quid eſt futurum ſine neceſſitate, hoc ipſum præſcit Deus futurum ſine neceſſitate; ergo neceſſe eſt id eſſe futurum ſine neceſſitate. Nequaquam ergo repugnat præſcientia, & libertas arbitrij, &c. Sed dices: Deus præſcit me peccaturum, vel non; & ideo neceſſe eſt me peccare ſi pecco, vel non peccare ſi non pecco. Audi, non debes dicere, præſcit Deus me peccaturum, vel non peccaturum: ſed præſcit me peccaturum, vel non, ſine neceſſitate, &c. Forſitan dices: neceſſitas videtur ſonare coactionē, &c. Sæpè dicimus, neceſſe eſt, quod nulla vi cogitur, &c. Vt neceſſe eſt Deum eſſe, viuere, &c, Sic neceſſe eſt te peccaturum, vel non, ſola voluntate ſicut Deus præſcit: non quod aliquid prohibeat voluntatem quæ non erit, aut cogat illam eſſe quæ erit, &c. Sed voluntas non cogitur, aut prohibetur vlla alia re: quia ſic ex libertate fit, quod fit ex voluntate, &c. Denique hoc ipſo quòd præſcire aliquid dicitur, futurū eſſe pronuntiatur, &c. Ac ſi dicam: Si erit, ex neceſſitate erit, &c. Neceſſitas ſequitur rei poſitionem, non præcedit, &c. Non enim aliud ſignificat hîc neceſſitas: niſi quòd erit, non poterit non eſſe. *Infra.* Non poteſt fieri vt res præterita, fiat non præterita: ſicut res quędam præſens, poteſt fieri non præſens; & non neceſſariò futura, poteſt non fieri. *Infra.* Non ergo ſemper ſequitur præſcientiam Dei, rem neceſſitate futuram eſſe, &c. Quia ſicut neceſſe non eſt, Deum velle quod vult: ita neceſſe non eſt in multis, velle hominem quod vult. Et ſicut neceſſe eſt eſſe, quicquid Deus vult: ita neceſſe eſt quod vult homo; in his quæ Deus ita ſubdit humanæ voluntati, vt ſi vult fiant; ſi non vult, non fiant, &c. Peccatum voluntatis non eſt neceſſarium, ſicut velle non eſt neceſſarium: ſi tamen vult homo peccare, neceſſe eſt eum peccare, vt ſupra, &c. Itaque quod vult libera voluntas, & poteſt, & non poteſt non velle, & neceſſe eſt eam velle. Poteſt namque non velle, antequam velit: ſed cùm vult, non poteſt non velle; quia impoſſibile illi eſt, idipſum & velle, & non velle. Opus verò voluntatis, cui datum eſt, vt quod vult fit, & quod non vult, non fit: voluntarium, ſiue ſpontaneum eſt, & neceſſarium; quia & voluntate cogitur fieri, & quod fit, non poteſt ſimul non fieri. Sed has neceſſitates facit voluntatis libertas: quæ priùs quàm ſint, eas cauere poteſt. Hæc omnia Deus ſcit, ſicut ſunt: & ſicut videt, ita ſunt. *Infra.* Si ſcire aut præſcire Dei neceſſitatem ingerit omnibus quæ ſcit aut præſcit: Deus ipſe nihil ſcit aut facit ex libertate, ſed omnia ex neceſſitate, &c. Videmus quòd idem ſit locus à quo ſol recedit, & ad quem accedit, &c. Ita ergo nulla oritur repugnantia, idem eſſe neceſſitate futurum, quia eſt futurum: & nulla neceſſitate, niſi ab ipſa libera voluntate. Si verò ex *Iob* 14. vult quis oſtendere quòd nullus poſſit accelerare, vel differre diem in qua moritur: hoc non eſt contra id quod ſupra diximus. Nam quia Deus non fallitur, nec videt niſi veritatem: ſiue ex libertate, ſiue ex neceſſitate veniat, dicitur conſtituiſſe apud ſe immutabiliter, quod apud homines priuſquam fiat mutari poteſt. Vt *Rom.* 8. Deus præſciuit, prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, magnificauit. Vt autem id oſtenderet *Apoſt.* etiam quæ futura ſunt, præteriti temporis verbo pronunciauit, &c. Hoc ergo modo quicquid de his quæ libero fiunt arbitrio, velut neceſſaria ſacra Script. pronuntiat: ſecundùm æternitatem loquitur, non ſecundùm tempus, &c. Quippe non ſunt magis oppoſita, mutabile in tempore, & immutabile in æternitate: quàm non eſſe in aliquo tempore, & eſſe ſemper in æternitate, &c. Siquidem non dico aliquid nunquam eſſe in tempore, quod ſemper eſt in æternitate: ſed tantùm in aliquo tempore non eſſe, &c. Sufficienter ex his puto patere, quòd Præſcientia Dei, & liberum arbitrium nequaquam inuicem repugnant, &c. Sed videndum eſt vbi, & quæ ſit libertas arbitrij, &c. Non enim idem eſt arbitrium, & libertas, &c. Pro illis autem tantùm eſt hæc Quæſtio, ſine quibus homo ſaluari nequit, poſtquam poteſt illis vti, &c. Quoniam ergo non ſaluatur homo ſine ſua iuſtitia: primò oſtēdenda eſt iuſtitia, deinde libertas, & arbitrium. Iuſtitia eſt rectitudo volūtatis propter ſe ſeruata. Libertas eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem voluntatis, propter ipſam rectitudinem, &c. Iuſtitia non eſt naturalis, &c. Sed quoniam tunc tantùm eſt in aliquo cùm ipſe vult quod Deus vult eum velle: patet quòd Deus eandem rectitudinem non poteſt inuito auferre; quoniam non poteſt hoc velle. Sed neque velle poteſt, vt eam habens, nolens vlla neceſſitate eam deſerat: quippe vellet illum non velle, quod vult eum velle, quod eſſe nequit. Vnde apertiſſimè cognoſci poteſt aliquam eſſe liberam voluntatem, cum actione ſua, non repugnante Dei præſcientiâ, &c. Ponamus exemplum. Habet quis in corde vt veritatem teneat: quia intelligit rectum eſſe, &c. Minatur alius ei mortem, niſi mentiatur. Videmus nunc in eius eſſe arbitrio, an deſerat vitam pro rectitudine voluntatis, an rectitudinem pro vita. Hoc arbitrium, quod & iudicium dici poteſt, liberum eſt: quoniam ratio docet rectitudinem illam eiuſdem amore ſemper eſſe ſeruandam: & voluntatis eſt, vt ipſa quoque reprobet ac eligat. Adhoc enim datæ ſunt voluntas, & ratio. Quapropter vt eandem rectitudinem deſerat, nulla cogitur neceſſitate, &c. Nulla neceſſitas determinat, vt ſeruet, aut deſerat Nempe ſola voluntas determinat ibi quid teneat nec aliquid facit vis neceſſitatis, vbi operatur electio

Digitized by Google

electio voluntatis, &c. Reſtat an ſcientia Dei ſit à rebus, aut res ab eius ſcientia, &c. Hæc quæſtio facilè ſolui poteſt, ſi prius cognoſcitur, bonum quod eſt iuſtitia verè aliquid eſſe: malum verò quod eſt iniuſtitia, omninò carere exiſtentia, &c. Facit igitur Deus omnia opera bona, & mala: in bonis quidem facit quod ſunt, & quod bona ſunt, in malis autem facit quod ſunt, ſed non quod mala ſunt, &c. Sicut Deus non facit iniuſtitiam: ita non facit aliquid iniuſtum eſſe, qui tamen facit omnes actiones & motus, &c.

Eodem *Libro De concordia Prædeſtinationis Dei, cum libero arbitrio.* Prædeſtinatio videtur eſſe idem quod præordinatio, ſiue præſtitutio, &c. Quod autem Deus ſtatuit futurum eſſe, videtur neceſſitate futurum eſſe, &c. Si ergo Deus prædeſtinat bona & mala quæ fiunt: nihil fit per liberum arbitrium, ſed omnia ex neceſſitate. Si tantùm prædeſtinat bona, ſola bona ſunt ex neceſſitate: nec eſt liberum arb. niſi ad mala, quod nimis eſt abſurdum, &c. Si autem bona quædam opera facit liberum Arb. per quæ fiunt iuſti abſque Prædeſtinatione: Deus non prædeſtinat omnia bona opera quæ Iuſtos faciunt, nec illos Iuſtos. Non ergo præſciuit Deus eos: quia *quos præſciuit, hos eſt Prædeſtinauit, Rom.* 8. Sed falſum eſt Deum non præſcire aliqua bona opera, aut aliquos iuſtos. Non igitur quædam ſolius liberi arb. bona Deus iuſtificauit: ſed illa ſola quæ prædeſtinauit. Ergo omnia ſunt ex neceſſitate, aut ſine prædeſtinatione. Ante *Reſp.* Prædeſtinatio non eſt ſolùm bonorum: ſed poteſt dici malorum, quia permittit. Nam dicitur indurare, cùm non emollit, &c. Sed bona ſpecialiùs præſcire & prædeſtinare dicitur, &c. Vt Præſcientia non dicitur in Deo propriè, ita nec Prædeſtinatio: quia in eo nihil eſt ante & poſt; ſed omnia ſunt illi ſimul præſentia. Conſideremus nunc an aliqua poſſint prædeſtinati futura per liberum arb. &c. Sicut Deus præſcit, ita quoque prædeſtinat, &c. In quæſtione de Præſcientia cognouimus aliqua præſciri futura per liberum arb. ſine omni repugnantia: vnde & ratio docet prædeſtinari quædam futura per liberum arb. abſque omni inconuenientia, &c. Præſcita & prædeſtinata non eueniunt ea neceſſitate quæ præcedit rem, ſed quæ ſequitur, vt ſupra. Non enim prædeſtinat Deus voluntatem cogendo, ſed in ſua poteſtate dimittendo. Nam vt non præſcit niſi verum: ita Prædeſtinatio non prædeſtinat niſi ſicut eſt in Præſcientia.

Eodem *Lib. De concordia gratiæ, & liberi arbitrij.* Quoniam in ſacra Script. quædam ſoli gratiæ fauere, quædam ſolum liberum arbitrium ſtatuere ſine gratia videntur: fuerunt quidam ſuperbi, qui totam virtutem & efficaciam in ſola libertate arbitrij conſiſtere ſunt arbitrati; & ſunt noſtro tempore multi qui liberum arbitrium eſſe aliquid deſperant, &c. In hac *Quæſt.* hæc erit intentio: vt liberum arb. ſimul eſſe cum gratia, & cum ea operari, in multis monſtremus: ſicut illud cum Præſcientia atque Prædeſtinatione concordare reperimus, Non de alio libero arb. ſine quo ſalutem nemo meretur: nec de alia gratia, quàm ſine qua nullus ſaluatur, &c. In infantibus baptizatis ſola gratia operatur ſalutem, &c. In habentibus itaque intelligibilem ætatem, quicunque ſaluantur, per iuſtitiam ſaluari dubium non eſt. *Sap.* 5. *Iuſti in perpetuum viuent.* Iuſtitia autem eſt rectitudo voluntatis. *Pſal.* 93. *Iuſtitia conuertetur in iudicium: & qui iuxta illam? Omnes qui recto ſunt corde.* i. recta voluntate, &c. Sed ne quis exiſtimet, dici iuſtum vel rectum, qui nonniſi propter aliquid tenet rectitudinem voluntatis, ſed propter ſeipſam, &c. Si ergo poſſumus oſtendere nullam creaturam hanc rectitudinem adipiſci poſſe, niſi per gratiam: manifeſta erit inter gratiam & liberum arbitrium concordia, &c. Voluntas non eſt recta, quia vult rectè: ſed rectè vult, quia eſt recta, &c. Idem eſt autem rectam eſſe, & rectitudinem habere, &c. Non nego voluntatem rectam, velle rectitudinem maiorem quàm habeat: ſed dico non poſſe velle rectitudinem, ſi non habet rectitudinem qua illam velit, &c. Non poteſt autem illam habere à ſe, eam volendo: quia nequit eam velle niſi eam habeat; ergo nonniſi per Dei gratiam. Hanc autem rectitudinem per liberum arb. ſeruari poſſe, ſupra monſtrauimus. Inuenimus autem gratiam cum libero arb. concordare: dando voluntati rectitudinem, quam ſeruet per liberum arbitrium. Et quamuis non omnibus det, *Rom.* 9. 11. nulli tamen dat pro aliquo præcedenti merito, *Rom.* 9. 1. *Cor.* 4. Si quis autem meretur: fructus ſunt primæ gratiæ, & gratia pro gratia, &c. Nemo ſeruat rectitudinem hanc acceptam, niſi volendo; velle autem illam nequit, niſi habendo; habere verò non valet, niſi per gratiam. Vt ergo illam nullus accipit, niſi gratia præueniente: ita nullus eam ſeruat, niſi eadem gratia ſubſequente, &c. Nec cùm ſeruatur, eſt tam in putandum libero arb. quàm gratiæ, &c. Sic autem gratia ſubſequitur hoc donum ſuum: vt nunquam dare illud deficiat, niſi liberum arb. illud deſerat, quando aliud vult quod huic rectitudini non concordat, &c. Ideo ſua culpa perdit gratiam quam accepit. Adiuuat enim gratia, mitigando, aut penitus remouendo vim tentationis, vel augendo affectum eiuſdem rectitudinis. Denique cum omnia ſubiaceant diſpoſitioni Dei: quicquid contingit quod adiuuat liberum arb. ad accipiendum aut ſeruandum hanc rectitudinem, gratiæ Dei imputandum eſt. Dixi omnem iuſtitiam eſſe rectitudinem voluntatis propter ſe ſeruatam: Non tamen omnibus iuſtis promiſſam eſſe vitam æternam; ſed tantùm illis qui ſunt iuſti ſine omni iniuſtitia. Illi enim propriè & abſolutè dicuntur iuſti, & recti corde, &c. Quomodo autem fiat homo ſine omni iniuſtitia, non eſt huius propoſiti: ſcimus tamen perfecto ſtudio chriſtiano, & per gratiam Dei eſſe poſſibile, &c. Hinc, *Ioan.* 15. *Sine me nihil poteſtis facere*: non ait, nihil valet veſtrum liberum arb. ſed nihil poteſt ſine mea gratia. *Rom.* 9. *Non eſt volentis, neque currentis,* ſupple quod vult, & currit, *ſed miſerentis Dei.* Non negat prodeſſe liberum arb. ſed negat imputandum eſſe libero arb. quod vult & currit, ſed gratiæ, &c. Vt cùm quis nudo, cui nihil debet, & qui à ſe habere non poteſt, dat veſtem: dici poteſt, non eſt induti, quod eſt indutus; ſed miſerentis .i. veſtem dantis. Multò

magis, ſi qui dedit veſtem, dediſſet etiam poteſtatem ſeruandi eam, & vtendi, &c. Si verò illi nudo, cui nihil debetur, non daretur veſtis, aut ipſe acceptam proijceret: nulli niſi ipſi imputaretur eius nuditas, &c. Sic & quando dicta diuina videntur ſoli libero arb. ſalutem tribuere. Vt ergo vſus naturalis non procreat prolem ſine patre, nec niſi per matrem: nec vllus per patrem, negat matrem, aut è contra; ita gratia & liberum arb. ad iuſtificandum & ſaluandum hominem. In quibus tamen videtur ſacra Script. inuitare liberum arb. ad rectè volendum & operandum, cùm non poſſit niſi gratia dante: ſciendum, quòd vt terra ſine cura hominis profert inutilia & noxia; ſed non neceſſaria ſine labore & ſemine: Sic & corda humana, &c. Eſt autem ſemen verbum Dei, imò omnis ſenſus rectitudinis quem mens concipit, ſiue per auditum, ſiue per lectionem, ſiue per rationem, ſiue alio modo, dicitur Semen rectè volendi. *Rom.* 10. *Fides ex auditu, &c.* i. nequit eſſe ſine conceptione. Addita namque rectitudine volendi, per gratiam fit fides; quia credit quod audit. *Auditus autem per verbum Chriſti, &c.* Cuius prædicatio, auditus, intellectus, & rectitudo volendi, gratia eſt. *Infra.* Eſa. 13. *Si volueritis, & audieritis me.* Semen eſt, non per ſe germinans, ſine adiectione rectitudinis: quæ nec datur niſi ſemini. *Conuertimini ad me:* ſemen eſt ſine germine: ſine quo ſemine nullus poteſt velle conuerti, &c. Qui verò dicunt, *Conuerte nos Deus:* iam aliquatenus conuerſi ſunt; ſed orant vt augeatur conuerſio. *Luc.* 17. *Auge nobis fidē.* Ioan. 16. *Spiritus S. arguet mundum de peccato: quia non crediderunt in me.* Ad quod notandum eſt, quòd impotentia quæ deſcendit ex culpa, non excuſat impotentiam, culpa manente. Exemplificat in infantibus, & omnibus non baptizatis: quaſi eis imputaretur ad culpam omnis priuatio primæ perfectionis naturalis, & omnis impotentia eam habendi, imò & omnes primi motus irrationales. Ipſos, inquit, motus, quibus propter peccatum *Adæ* vt bruta ſubiacemus, ſatis oſtendit ſacra Script. imputari ad peccatum. *Rom.* 8. *Quod odi, facio.* i. nolens concupiſco. *Matt.* 5. De ſolo motu iræ. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Rom. 8. *Nihil damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto* Iesv, *qui non ſecundùm carnem ambulant.* i. non voluntate conſentiunt. Sine dubio ſignat eos qui non ſunt in Ch. iſto ſequi damnationem, quoties ſentiunt carnem, etiamſi non ſecundùm illam ambulent. Quoniam ſic factus eſt homo, vt etiam ſentire, ſicut de ira dixi, non deberet, &c. Quibus autem datur gratia fidei Chriſtianæ: vt illis in baptiſmo dimittitur originalis iniuſtitia cum qua naſcuntur; ita omnis culpa impotentiæ, & totius corruptionis, &c. De nulla namque culpa quæ ante baptiſmum illis inerat, poſt baptiſmum arguuntur: quamuis ipſa corruptio & appetitus non ſtatim in baptiſmo deleantur; nec vllum illis imputatur delictum poſt baptiſmum, niſi quòd ſua voluntate fecerunt. Vnde apparet quòd mala quæ poſt baptiſmum remanent, non ſunt per ſe peccata ſola namque iniuſtitia eſt per ſe peccatum: & quæ ſequuntur, propter cauſam ſuam iudicantur peccata, donec ipſa remittatur. Nam ſi peccata eſſent, in baptiſmo delerentur, &c. Item ſi propriè peccata dicerentur, eſſent in brutis animalibus, &c. Eſt & aliud valdè timendum, quòd ſponte cadens, nullo modo poteſt reſurgere, niſi gratiâ releuetur: ſed merito ſuo de peccato in peccatum vſque in abyſſum peccatorum demergitur, niſi miſericordiâ retineatur, &c. Cur autem in hac vita perſeueret in nobis pœna peccati, deleto peccato, alia quæſtio eſt. Breuiter tamen dico: quia periret meritum, &c. Nempe deficeret Fides & Spes: cùm viderentur homines ad Chriſtum conuerſi, ſtatim tranſire ad incorruptibilitatē, &c. Nec promittitur nobis per Baptiſmum, & fidem, beatitudo quam habebat *Adam* ante peccatum: ſed quam habiturus erat quando completus eſſet numerus electorum, &c. *Heb.* 10. *Ne ſine nobis conſummarentur. Infra.* Quòd autem multi conantur vt bene viuant, nec proficiunt, vel deficiunt, &c. non impoſſibilitate, ſed aliquando graui, aliquando leui difficultate fieri exiſtimo. Si quis enim diligenter motus ſuæ voluntatis conſideret: intelligit ſe nunquam rectitudinem voluntatis deſerere, niſi volendo aliquid, quod ſimul velle nequit. Non deficiente poteſtate, ſed voluntate: quæ per ſe non deficit, ſed alia expellente, &c. Subdit, voluntatem ſumi tripliciter. 1. Pro inſtrumento, ſeu vnica vi vel potentia communi volendi. 2. Pro varia affectione ſpeciali volendi. 3. Pro ipſo vſu actuali volendi. *Infra.* Vis volendi habet duas affectiones. 1. Ad volendum primam Commoditatem, ſeu Beatitudinem propriā, & alia propter eam. 2. Ad volendum Rectitudinem propter ſe, & alia propter illam. *Infra.* In dormiente, niſi ſomniet, non eſt voluntas vſus, &c. Potentia volendi mouet omnia quibus vtitur: & ſeipſam, per ſuas affectiones; ſed veriùs Deus qui facit naturam, & voluntatem cum omnibus ſuis affectionibus, &c. Ex illis duabus affectionibus deſcendit omne meritum hominis, ſiue bonum, ſiue malum. Illa quæ eſt ad volendum commodum, inſeparabilis eſt: quæ ad volendum rectitudinem, ſeparabilis fuit, & eſt in hac vita. Illa non eſt ipſum commodum, quod vult: hæc eſt ipſa rectitudo, quam vult, &c. Hæc eſt etiam veritas illa voluntatis: in qua *Diabolus* non ſtetit, &c. Hæc rectitudo nullius mali cauſa eſt: ſed omnis boni meriti mater, &c. Illa verò voluntas commodi, non eſt ſemper mala: ſed quando conſentit carni concupiſcenti contra ſpiritum. Sed vnde eſt tam vitioſa, & prona ad malum? Intentio Dei fuit, vt iuſtam faceret atque beatam naturam rationalem, ad fruendum ſe: ſed neque iuſta, neque beata eſſe potuit, ſine voluntate iuſtitiæ & beatitudinis. Voluntas quidem iuſtitiæ eſt ipſa iuſtitia: voluntas verò beatitudinis, non eſt beatitudo, &c. In beatitudine eſt ſufficientia, ſine indigentia, &c. Ita nihil prohibet *Adam* fuiſſe beatum in Paradiſo, ſine indigentia, &c. Vbi verò eſt indigentia, ibi eſt miſeria. Non autem fecit Deus creaturam rationalem miſeram, ſine præcedente culpa. Fecit igitur Deus hominem beatum ſine omni indigentia. Simul ergo accepit voluntatem beatitudinis, & beatitudinem iuſtitiæ .i. rectitudinem, & liberum

berum arbitrium, ſine quo iuſtitiam ſeruare non potuit, &c. Quoniam ergo deſeruit iuſtitiam, perdidit beatitudinem: & voluntas quam bonam & ad bonum ſuum accepit, ad falſa, & brutorum animalium commoda ſe conuertit, &c. Cùm ergo ſponte facta ſit iniuſta, manet quantum in ipſa neceſſitate iniuſta, & ancillà ſuæ affectionis ad cõmodum, &c. Ex his palam eſt, quia Deus facit bona opera ſola ſua bonitate: mala verò facit ſolâ culpâ hominum; quia ea non faceret, ſi homo facere non vellet, &c. Deus igitur habet in bonis quod bona ſunt, per eſſentiam, & per iuſtitiam: in malis verò, ſolummodo quod bona ſunt per eſſentiam; non quòd mala ſunt per abſentiam debitæ iuſtitiæ. Homo autem in bonis habet quod mala non ſunt: quia cùm poſſet deſerere iuſtitiam & mala facere, non deſeruit; ſed ſeruauit per liberum arbitrium, dante & ſubſequente gratia. In malis verò hoc ſolùm habet, quod mala ſunt: quia ea facit ſola propria .i. iniuſta voluntate.

Lib. De caſu Diaboli, Cap. 1. & 2. Nec Angelos quicquam boni habere quod non acceperint. Non ideo Diabolus non habuit bonam voluntatem perſeuerantem, aut non accepit, quia Deus non dedit: ſed ideo Deus non dedit; quia ille volendo quod non debuit, eam deſeruit, & eam deſerendo non tenuit. *Cap.* 4. Volendo aliquid quod velle tunc non debebat, deſeruit iuſtitiam, & ſic peccauit, &c. Voluit igitur aliquid quod non habebat, nec tunc velle debebat: ſicut *Eua* ſimilis voluit eſſe dijs priuſquam hoc Deus vellet, &c. Peccauit ergo volendo aliquod commodũ, quod non habebat, nec tunc velle debuit, &c. Cùm voluit quòd eum Deus velle nolebat, voluit inordinatè ſimilis eſſe Deo, &c. Si voluit par eſſe Deo, ſecundùm aliquid minùs Deo: contra voluntatem Dei, in hoc voluit inordinatè ſimilis eſſe Deo; quia propria voluntate quæ nulli ſubdita fuit, voluit aliquid. Solius enim Dei eſſe debet, ſic voluntate propria velle aliquid, vt ſuperiorem non ſequatur voluntatem, &c. Non ſolùm ſic, &c. ſed etiam maior voluit eſſe Deo, volendo quod Deus illum velle nolebat; quoniam voluntatem ſuam ſupra voluntatem Dei poſuit. *Cap.* 12. Nullus mouetur timore vel ſenſu alicuius incommodi, nec amore commodi, ad volendum aliquid: niſi qui priùs habet naturalem voluntatem vitandi incommodum, aut habendi commodum; qua voluntate ſe mouet ad alias voluntates. Ergo quicquid ſe mouet ad volendum, priùs ſe vult ita mouere. Quod ergo nihil vult: nullo modo poteſt ſe mouere ad volendum. Reſtat igitur, vt Angelus factus aptus ad habendum voluntatem, ſed qui nihil vult, non poſſit habere primam voluntatem à ſe, &c. Non poteſt autem eſſe beatus, ſi non vult beatitudinem quam omnes volunt, vt ſibi bene ſit, &c. Nullus namque poteſt eſſe beatus, habendo quod non vult, aut non habendo quod vult. *Cap.* 13. Sicut ergo nulla adhuc voluntate data nihil poterat velle: ita ſola voluntate beatitudinis accepta, nullam aliam à ſe poteſt habere voluntatem, &c. Quia, qui vult aliquid propter beatitudinem, non aliud vult quàm beatitudinem: quare poteſt illud velle, & ſolam beatitudinem. *Infra.* Non debet eſſe beatus, ſi non habet iuſtam voluntatem: imò non poteſt perfectè nec laudabiliter eſſe beatus, qui vult, nec poteſt, quod debet eſſe. *Cap.* 17. Dicimus facere aliquid, etiam cùm poſſumus facere vt non ſit, & non facimus. Hoc modo potuit malus Angelus ſibi dare iuſtitiam: quia potuit ſibi eam auferre, & potuit non auferre, &c. Deus dedit vt poſſent ſibi aliquo modo dare iuſtitiam. Si enim nullo modo eam poſſent ſibi auferre, nullo modo poſſent ſibi dare. Qui ergo hoc modo ſibi dedit eam: hoc ipſum à Deo accepit, vt eam ſibi daret. *Cap.* 18. Semper igitur debet Deo gratias agere malus Angelus, pro beatitudine quam ſibi abſtulit: ſicut bonus pro ea quam ſibiipſi dedit, &c. Sicut bonus Angelus fecit ſe iuſtum, non auferendo ſibi iuſtitiam cùm potuit: ita Deus malum Angelum facit iniuſtum, non reddendo ei iuſtitiam cùm poſſit. *Cap.* 20. Vt Deus dicitur inducere in tentationem, quando non liberat ab ea: ita & dare voluntatem malam, non prohibendo eam cùm poteſt; præſertim cùm poteſtas volendi quælibet nonniſi ab illo ſit, &c. Cùm igitur Diabolus conuertit voluntatem ad quod non debuit: & ipſum velle, & ipſa conuerſio fuit aliquid nonniſi à Deo, & de Dei voluntate. Quoniam nec velle, nec mouere potuit voluntatem: niſi illo permittente qui fecit omnes naturas, ſubſtantiales & accidentales, vniuerſales & indiuiduales, &c. Quid mirum ſi dicimus Deum facere ſingulas actiones quæ fiunt mala voluntate: cùm fateamur eum facere ſingulas ſubſtantias, quæ fiunt iniuſta voluntate, & inhoneſta actione? *Cap.* 21. Non poteſt ſciri, quod poteſt non eſſe, &c. Quapropter conſtat Diabolum nullo modo potuiſſe præſcire caſum ſuum, quem neceſſe non erat futurum. *Infra.* Si præſciebat ſe caſurum: aut volebat, aut nolebat. Si habebat aliquam voluntatem cadendi, iam ipſa mala voluntate ceciderat: ſi nolebat, tantùm miſer erat nolendo, quantùm magis ſtare volebat. *Infra.* Non nego illum ſciuiſſe quòd poſſet mutare voluntatem: ſed dico illum non potuiſſe putare quòd eam ſponte mutaret, quam perſeueranter tenere volebat. *Cap.* 23. Quia rationalis erat: potuit intelligere quòd ſi peccaret, iuſtè puniretur: ſed nequiuit comprehendere, an Deus faceret, quod iuſtè facere poſſet. *Infra.* Sicut ſolus amor iuſtitiæ: ita ſolùm odium pœnæ ſufficeret ad non peccandum, &c. Duas igitur habuiſſet cauſas non peccandi: vnam honeſtam & vtilem, alteram inhoneſtam & inutilem. Nam non ſatis eſt honeſtum ſolo odio pœnæ non peccare: & ad non peccandum inutile eſt odium pœnæ, vbi ſolus amor iuſtitiæ ſufficit.

Ex Libro De conceptu virginali, & peccato originali, cap. 28. Impotentia habendi iuſtitiam excuſat poſt baptiſmum, non ante, vt ſupra. Quæ omnia infra referentur ad æquitatem prouidentiæ Diuinæ circa omnes creaturas rationales.

S. Bern. Serm. 13. *in Cantica.* Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat. 1. *Ioan.* 3. Quia generatio cœleſtis ſeruat eum .i. æterna prædeſtinatio, &c. Hos ergo aduerti quaſi nunquam peccaſſe: quoniam & ſi qua deliquiſſe videntur in tempore, non

apparent in æternitate; quia charitas Patris ipſorum cooperit multitudinem peccatorum, &c. Cùm ſubitò tanta mihi quoque de me ſuborta fiducia, & infuſa lætitia eſt: vt mihi viſus ſim eſſe vnus ex iſtis Beatis, de quibus *Pſal.* 31. O ſi durasſet, &c. *Serm.* 78. In opere ſalutis noſtræ, tria ſibi vendicat author Deus, præuenitque omnes auxiliatores, & cooperatores ſuos: Prædeſtinationem, Creationem, Inſpirationem. Prædeſtinatio ante tempora eſt, Creatio cum tempore, Inſpiratio in tempore. Secundùm prædeſtinationē, nunquam Eccleſia Electorum penes Deum non fuit, nunquam non grata, nunquā non dilecta, &c. *Epheſ.* 1. *Elegit nos in ipſo, &c.* Infra. *Ioan.* 13. *Ego ſcio quos elegerim à principio.* Quam ab æterno præſciuit, elegit, dilexit, condidit: rationis non erat ab eodem prohiberi inuentam; præparatam tamen ab ipſo vt inueniretur, fidenter dixerim. *Apoc.* 21. *Vidi Ciuitatem ſanctam à Deo paratam.*

V. Beda in *Rom.* 8. & *Epheſ.* 1. non cenſetur alius ab ipſo *B. Aug.* quia ſolùm recolligit, & refert expoſitiones *B. Aug.* in Epiſtolas *S. Pauli*. Ex hac ipſa tamen relatione & applicatione, ſatis patet quem ſenſum intendat, de quo infra.

4. Ex noſtris Doctoribus Scholaſticis. *Al. P.* 1. *q.* 24 De Præſcientia Dei. *Q.* 25. De diſpoſitione Diuina. *Q.* 26. De Prouidentia Dei. *Q.* 27. De Fato. *Q.* 28. De Prædeſtinatione. *Q.* 29. De Reprobatione. *Q.* 30. De Electione Diuina. *Q.* 31. De dilectione Dei ad creaturas in genere. *Q.* 32. De dilectione Dei ſpeciali ad creaturas rationales. *Q.* 33. De Libro Vitæ. *P.* 3. *q.* 3. De Prędeſtinatione Chriſti. *S. Bon. in* 1. *d.* 38. De Præſcientia Dei. *Diſt.* 40. De Prædeſtinatione, & Reprobatione. *Diſt.* 41. De meritis Prædeſtinationis, & Reprobationis. *In* 3. *D.* 7. *Art.* 2. De Prædeſtinatione Chriſti.

Scot. in 1. *Diſt.* 40. *&* 41. *In* 3. *Diſt.* 7. *q.* 3. De Prædeſtinatione Chriſti.

S. Tho. Parte 1. *Q.* 23 De Prædeſtinatione, *Art.* 1. Vtrum homines prædeſtinentur à Deo. *Reſp.* Deo conueniens eſt homines prædeſtinare. Omnia enim Diuinæ Prouidentiæ ſubiacēt, &c. Ad Prouidentiam autem pertinet, res in finem ordinare, &c. Finis autem eſt duplex: vnus qui excedit proportionem & facultatem naturæ creatæ, & hic eſt vita æterna, &c. Alius autem eſt proportionatus naturæ creatæ, &c. Ad quod autem non poteſt quid virtute ſuæ naturæ peruenire: oportet quòd ab alio tranſmittatur, &c. Cuius quidem tranſmiſſionis ratio in Deo præexiſtit, &c. Vnde ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, Prædeſtinatio nominatur. *Art.* 2. An Prædeſtinatio aliquid ponat in prædeſtinatis. *Reſp.* Non eſt aliquid in prædeſtinatis: ſed tantùm in prædeſtinante. Quia Prouidentia non eſt in rebus prouiſis: ſed in intellectu prouiſoris, &c. Sed executio Prouidentiæ, ſeu gubernatio, paſſiuè eſt in gubernatis, actiuè in gubernante. *Art.* 3. Vtrum Deus aliquem hominem reprobet. *Reſp.* Deus aliquos reprobat. Quia ad Prouidentiam Dei pertinet permittere aliquem defectum à fine, &c. Vt enim Prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam: ita Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi pœnam damnationis pro culpa. *Art.* 4. Vtrum prædeſtinati eligantur à Deo. *Reſp.* Prædeſtinatio ſecundùm rationem, præſupponit electionem, & electio dilectionem. Quia Prædeſtinatio eſt pars Prouidentiæ. Prouidentia autem eſt ratio in intellectu præceptiua ordinationis aliquorum in finem. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis. Vnde Prædeſtinatio aliquorum, ſupponit quòd Deus velit illorum ſalutem. Ad quod pertinet dilectio, in quantùm vult eis hoc bonū, &c. Electio autem, in quantùm præ alijs, &c. *Art.* 5. Vtrum præſcientia meritorum ſit cauſa Prædeſtinationis. *Reſp.* Nullus fuit tam inſanæ mentis, vt diceret merita eſſe cauſam Prædeſtinationis ex parte actus: ſed ſub quæſtione vertitur, vtrum ex parte effectus, &c. i. vtrum Deus præordinauerit ſe daturum effectum Prædeſtinationis propter merita. Fuerunt qui dixerunt quòd propter merita in alia vita, vt *Origenes*, &c. Alij, quòd propter merita præexiſtentia in hac vita. Poſuerunt enim *Pelagiani*, quòd initium benefaciendi ſit ex nobis, conſummatio autem à Deo: & ſic quod alicui datur effectus prædeſtinationis, & non alteri; quia vnus initium dedit ſe præparando, non alius, &c. Alij, quòd ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinauit ſe ei daturum: quia præſciuit eum bene vſurum gratia. Sicut ſi Rex det alicui militi equum, quem ſcit eo bene vſurum. Sed iſti videntur diſtinxiſſe inter id quod eſt ex gratia, & quod ex libero Arb. quaſi non poſſit eſſe idem ex vtroque. Quod eſt autem gratiæ, eſt Prædeſtinationis effectus: nec poteſt poni vt ratio Prædeſtinationis, &c. Dicendum ergo eſt, quòd nihil prohibet aliquem effectum prędeſtinationis in particulari, eſſe cauſam & rationem alterius effectus: poſteriorem quidam prioris, ſecundùm rationem cauſæ finalis; priorem verò poſterioris, ſecundùm rationem cauſæ meritoriæ, quæ reducitur ad diſpoſitionem materiæ. Sed impoſſibile eſt, quòd totus effectus Prædeſtinationis in communi, habeat aliquam cauſam ex parte noſtra. Quia quicquid eſt in homine, ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum ſub effectu Prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam: Neque enim hoc fit niſi per auxilium Diuinum, &c. Habet tamen hoc modo Prædeſtinatio, ex parte effectus, pro ratione, Diuinam Voluntatem: ad quam totus effectus Prædeſtinationis ordinatur, vt in finem; & ex qua procedit, vt ex principio primo mouente. *Ad* 1. Vſus gratiæ præſcitus, non eſt ratio collationis gratiæ, niſi ſecundùm rationem cauſæ finalis. *Ad* 3. Ex ipſa Bonitate Diuina ſumi poteſt ratio Prædeſtinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Vt in omnibus Diuina Bonitas repræſentetur, &c. Inde eſt quòd ad completionem Vniuerſi, requiruntur diuerſi gradus rerum: quarum quædam locum altum, quædam infimum teneant, &c. Voluit igitur Deus in prædeſtinatis repræſentare Bonitatem ſuam, per modum miſericordiæ, parcendo: in alijs, per modum iuſtitiæ, puniendo.

Digitized by Google

puniendo, *Rom.* 9. 2. *Tim.* 2. Sed quare hos elegit ad gloriam, & illos reprobauit: non habet rationem, niſi Diuinam Voluntatem, &c. In his enim quæ ex gratia dantur: poteſt quis pro libitu ſuo dare cui vult, plus vel minus, abſque præiudicio iuſtitiæ; dummodo nulli ſubtrahat debitum. *Art.6.* Vtrum Prædeſtinatio ſit certa. *Reſp.* Certiſſimè & infallibiliter conſequitur ſuum effectū: nec tamen imponit neceſſitatem effectui, &c. *Art.* 7. Vtrum numerus Prædeſtinatorum ſit certus. *Reſp.* Eſt Deo certus: non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter, &c. nec ſolùm ratione cognitionis, ſed etiam electionis, & definitionis, &c. *Infra.* Non ſic autem omninò eſt, de numero Reproborum: qui videntur eſſe præordinati à Deo in bonum Electorum. *Art.*8. Vtrum Prædeſtinatio poſſit iuuari precibus Sanctorum. *Reſp.* Quidam dixerunt, ſuperfluas eſſe orationes, &c. Alij, quòd per orationes mutatur Diuina Prouidentia, &c. Quoad principium, nullo modo Prædeſtinatio iuuatur precibus Sanctorum: ſed quoad effectum; quia Prædeſtinatio non ſubtrahit cauſas ſecundas.

Ex his omnibus inter ſe collatis, facilis eſt reſponſio ad Dogmatica: ſed difficilis ad Scholaſtica, Logicalia, & Moralia, de poſſibili aut impoſſibili ſalute vel damnatione prædeſtinatorum, vel reproborum; præ omnibus autem, de vera mente *B. Aug.* non quoad ſummè gratuitam & liberaliſſimā Dei prædeſtinationem, ad finem gloriæ, per gratiam & merita, non propter abſolutè & conditionatè futura & præuiſa; ſed de prima Prædeſtinatione Angelorum & Hominum, aut poſt permiſſum ac præuiſum aliquorum ex illis peccatum perſonale, horum autem omnium originale. Ad quæ tamen omnia hæc ſit

Reſponſio.

HÆc ſunt certiſſima dogmata fidei Chriſtianæ, de Prædeſtinatione & Reprobatione. 1. Omnes ſaluandos, ab æterno prædeſtinatos eſſe ad ſalutem. 2. Nonniſi per gratiam & merita: vel ſolius Chriſti, vel etiam propria ſingulorum ratione vtentiū. 3. Non ob vlla merita Animarum ante corpora. 4. Nec ob vlla naturalia in corpore. 5. Omnes non ſaluandos, ſed damnandos, ab æterno reprobatos eſſe, negatiuè & poſitiuè. 6. Nonniſi ob præuiſum peccatum originale, vel actuale, mortale & finale. 7. Non Animarum ante corpus, ſed in corpore. 8. Æquè à Deo imputatum Prædeſtinatis, ac alijs. 9. Qui ſunt promiſcui in Eccleſia. 10. Et ſibiipſis, ac inuicem ignoti: niſi ex ſpeciali Dei reuelatione. Non eſt autem probabile ex mente *S. Aug.* 1. Vllam eſſe Prædeſtinationem ſolius numeri communis, ſed ſingulorum ſaluandorum. 2. Nec ad vllum gradum gloriæ, ob vlla merita propria. 3. Siue vt abſolutè, ſiue vt conditionatè futura. 4. Sed & probabilius, quòd nec poſt, ſed ante omnia præuiſa demerita. Decem illa dogmatica, ſunt ſatis expreſſa in ſacra Script. & Concilijs ſupra. Vt 1. & 5. Ex omnibus quæ exprimunt, aut ſupponunt omnium & ſingulorum Prædeſtinationem aut Reprobationem: non vt futuram, ſed ab æterno. 2. Ex ijs quæ tribuunt omnium & ſingulorum ſalutem, gratiæ & meritis, vel ſolius Chriſti, vel etiam ſingulorum quoad executionem externam: nonniſi ab æterno Dei decreto. 3. Ex omnibus quæ exprimunt, aut ſupponunt animas non fuiſſe creatas, nec creari ante corpora, ſed in ſingulis ſuis corporibus: nec iudicari, ſaluari, aut damnari, niſi ob merita vel demerita in ſuis corporibus. De quo in 2. *col.*273. 274. 275. 276. De credendis circa animas hominum. *Col.* 513. 514. & alibi, De peccato originali, vt primo animarum in corpore, non ante. In 4. De neceſſitate Sacramentorum, & præcipuè Baptiſmi infantium, ad eorum ſalutē à ſolo peccato originali. Quæſt. De Morte, Iudicio, Purgatorio, Damnatione, & Salute, ob ſola merita, vel demerita in corpore, nō ante vel extra. 4. Ex 2. *Sent. à col.* 273. *ad* 388. contra Pelagianos, & Semi-pelagianos. 5. Vt 1. 6. Ex omnibus quæ ſupponunt, aut exprimunt Deum ex ſe neminem odiſſe, neminem velle perire: ſed nonniſi ex iuſtitia, in pœnam alicuius peccati; non ſolùm præſentis, aut præteriti, ſed etiam vt futuri & præſciti. 7. Vt 3. 8. Ex plurimis peccatis Prædeſtinatorum, relatis, imputatis, & pœnitentiâ expiatis in ſacra Script. Ex omnibus Dei præceptis, & minis, ad omnes etiam Prædeſtinatos. Et ex *Conc. Conſtant. ſeſſ.* 8. *&* 15. contra varios articulos *VViclefſi*, & *Ioannis Hus*, Trid. *ſeſſ.* 5. De peccato originali, & neceſſario omnibus Baptiſmo. *Seſſ.* 6. *cap.* 12. *&* *can.* 11. 17. 23. contra omnem præſumptionem de Prædeſtinatione, de non imputatione peccatorum, aut imputatione iuſtitiæ Chriſti, & indefectibilitate Prædeſtinatorum, in fide, & gratia præſenti. 9. *In* 3. *à col.* 504. *ad* 528. De vera Chriſti Eccleſia, etiam externa, eiuſque inſignijs, peccatis, peccatoribus, eorumque remiſſione, ac ſanctificatione per Sacramenta Eccleſiæ. 10. Ex *Eccleſ.* 9. *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* 2. Tim. 2. *Nouit Dominus qui ſunt eius.* 2. Pet. 1. *Satagite vt per bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Rom. 11. *Tu fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time.* 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* 1. Cor. 9. *Caſtigo corpus meum, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Matt. 24. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit, &c. Duo erunt in agro: vnus aſſumetur, alter relinquetur, &c.* Luc. 17. *Duo erunt in lecto vno: vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Trid. *ſeſſ.6. cap.*12. *can.* 13. 16. *ſupra citatis col.* 456.

Quoad Scholaſtica autem: quòd nequidem ſit probabile ex mente *S. Aug.* Deum prædeſtinaſſe niſi in ſingulari, nec ad vllam gratiam vel gloriam, ex præuiſis meritis proprijs, vt futuris abſolutè vel conditionatè. Probatur 1. Quia cùm *B. Aug.* toties, tam ſtudioſè, tantaque cum Hæreticis contentione, totam hanc doctrinam euoluerit: inter tot & tantas difficultates, nunquam refugit ad Prædeſtinationem alicuius numeri communis, ante omnem præuiſionē meritorum, eiuſque determinationem ad ſingularia ex vlla præuiſione meritorum. Ergo hoc refugium non eſt

vllatenus probabile ex mente *B. Aug.* nec quòd vllus in hac materia veriùs ſenſerit, & docuerit, quàm *B. Aug.*

2. Quia ſæpè hæc & ſimilia refugia expreſsè reprobat. Vt *Epiſt.* 105. Ideo,inquiunt,nondum natorum alium oderat,alium diligebat: quia etiã futura opera præuidebat. *Contra.* Quis, inquit ironicè, iſtum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hic erat locus vt diceret, quod iſti ſentiunt,&c. *Col.* 456. *Epiſt.* 106. Nouit Deus quantus numerus eſſe debeat, primitùs omnium hominum, deinde Sanctorum: ſicut ſyderum, Angelorum, foliorum,capillorumque noſtrorum, &c. Certus eſt Dei præſcientiæ definitus numerus, & multitudo Sanctorum, &c. *Lib.*1. *Ad Simpl.q.*2. Quo merito ſol factus eſt Sol: aut quid offendit Luna, vt tanto eſſet illo inferior? Non autem prouidit Deus ſolùm in communi, vt fieret vnus aliquis ſol, vel luna, vel tot ſydera, folia, capilli, ſed hæc ipſa ſingularia: nec ex vllo merito horum,aut præ alijs æquè poſſibilibus; ergo nec prædeſtinauit ſolùm in communi, ſed in ſingulari, vſque ad vltimam determinationem omnium & ſingulorum effectuum. Neque enim eſſet certa præſcientia, nec definitus numerus perſonarum, & effectuum gratiæ ac gloriæ, niſi vſque ad vltimam determinationem: quia futura non ſunt aliter quàm ſic determinatè futura, nec niſi vt ſic præſcita, certa, & numero definita.

S.Proſper Epiſt.ad Aug. refert ei, & conqueritur, quòd *Semi-pelagiani* ſubijciebãt electionem Dei *meritis commentitijs*, ſeu conditionatis: ad quod *B.Aug.* reſpõdet *Lib. De Prædeſt.SS.cap.*12.13.14. ac alibi ſæpè, reprobando illa prætenſa merita, omnemque eorum præſcientiam; non ſolùm vt abſolutam, ſed vel vt impoſſibilem, vel ſaltem vt irrationabilem ad prædeſtinandum, aut reprobandum. Vt ſupra *col.* 356. 360. 365. 375. 376. 403. 404.

3. *B. Aug.* vbique citat, explicat, & applicat ſacras Script. in ſenſum Prædeſtinationis gratuitę ſingulorum, ante omnem reſpectum ad eorum merita. Vt *Rom.* 9. *Antequam quicquam boni vel mali egiſſent.* Epheſ. 1. *Elegit nos vt eſſemus ſancti.* Ioan.16. *Non vos me elegiſtis,ſed ego elegi vos, &c.* Non ſolùm ante merita exiſtentia: ſed & ante omnem reſpectum ad futura.

5. *B. Aug.* fundat ſæpè certam præſcientiam de ſaluandis, in eorum prædeſtinatione: non autem prædeſtinationem, in vlla præſcientia. Vt *Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 10. *Deus Prædeſtinatione præſciuit quæ fuerat ipſe facturus.* Non quaſi Prædeſtinatio ſit Deo ipſa ratio formalis, ſed obiectiua præſciendi omnia bona futura, non autem mala. De quibus ſolis malis eodem cap. *Prædeſtinatio non poteſt eſſe ſine præſcientia*: non quaſi vt priore & dirigente, ſed potiùs vt conſequente. *Poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia* .i. malorum tantùm. Vnde & ſubdit. *Præſcire potens eſt Deus, etiam quæ non facit: ſicut quæcunque peccata, &c. Quocirca Prædeſtinatio Dei in bono eſt.* Cap. 17. *Electi ſunt ea Prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit.* Lib. De dono Perſeu. cap. 17. *Deus dona ſua in præſcientia præparauit, &c. Nam in ſuâ quæ falli, mutarique non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere: id omnino, nec aliud quicquam eſt prædeſtinare.* Ergo Prædeſtinatio non ſupponit, ſed ponit, & diſponit obiectiuè in præſcientia omnia bona futura: quæ non poſſunt eſſe futura, nec præſcita, niſi quia prædeſtinata, & ex ipſa eorum prædeſtinatione, ſeu voluntate abſoluta. *Cap.* 18. Aliquando eadem prædeſtinatio, ſignificatur etiam nomine præſcientiæ. Quod circumſtantia ipſius locutionis oſtendit, vt *Rom.* 11. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit, &c.

6. Quia omnes difficultates motæ à *Pelagianis* & *Semi-pelagianis* contra Doctrinam *B. Aug.* fuerunt ex Prædeſtinatione, & Vocatione Dei purè gratuita, ante omnem reſpectum ad vlla merita, vt abſolutè, vel conditionatè futura. Vt patet ex omnibus libris *B. Aug.* contra illos: & ſpecialiter ex literis *S. Proſperi*, & *Hilarij* ad *B. Aug.* ſupra. Ergo eſt expreſsè contra mentem *B. Aug.* explicare difficultates de Prædeſtinatione,& Vocatione, ſeu prima gratia Dei, per reſpectũ priorem ad vlla noſtra merita, quouis modo futura, aut poſſibilia.

7. Quia *B. Aug. Lib. De dono Perſeu. à c.* 8. *ad* 14. & alibi ſæpè,tribuit efficaciam gratiæ,à prima ad vltimam,ſeu perſeuerantiam finalem, ſoli Prædeſtinationi Dei abſolutæ, ante omnem reſpectum ad noſtra merita: diſtinguitque gratiã propriam Prædeſtinatorum,ſeu ex vi Prædeſtinationis collatam, ab omni gratia communi aliorum.

8. Quia ſæpè fatetur ſupra *col.*475. quoſdã eſſe dignos præ alijs prima vocatione: ipſâ Prædeſtinatione Diuinâ, ſeu quia ſunt prædeſtinati. Ergo prima gratia ſupponit Prædeſtinationem: non autem hæc primam gratiam, multò minùs vlla merita ex aliqua gratia.

9. Quia *cap.* 12. 13. *Libri De Prædeſt. SS. & c.* 9. 10. 11. 12. *De Perſeu.* reprobat omnia merita noſtra, non ſolùm primæ gratiæ, ſed & prædeſtinationis ad primam gratiam & gloriam: ex baptiſmo, & morte ſalutari infantium Prædeſtinatorum, ſine vllo reſpectu ad vlla eorum merita.

10. Quia *cap.* 15. *Libri De Prædeſt. & cap.* 24. *De dono Perſeu.* ac alibi ſæpè,comparat in hoc ipſo noſtram Prædeſtinationem, cum Prædeſtinatione exemplari humanitatis Chriſti: quòd vt hęc non eſt ex vllis meritis, ſic nec noſtra eſt ex vllis meritis noſtris.

11. Quia *B. Aug.* vbique docet ipſam praxim bene viuendi, confidenter, & dependenter à ſola gratuita & abſoluta Dei Prædeſtinatione: non ſolùm ad gloriam, ſed etiam ad primam & omnem gratiam, ac merita per gratiam. Vt *Lib. De catechizandis rudibus, cap.* 14. Res quidem agendas pro captu noſtro ordinare debemus, &c. Si autem aliqua inciderit neceſſitas, qua noſter ille ordo turbetur: flectamur facilè, ne frangamur; vt quem Deus noſtro præpoſuit ordini, ipſe ſit noſter, &c. ſupra *col.* 389. *Lib.* 5. *Ciu.* 9. Noſtræ voluntates tantùm valent, quantùm Deus eas valere voluit, atque præſciuit, &c. *Col.* 386. *Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 11. Miror homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis

Digitized by Google

ſionis Dei, &c. *Col.* 478. *Lib. De dono Perſev. cap.* 6. Tutiores viuimus, ſi totum Deo damus : non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. *Cap.* 22. An tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo, &c. *col.* 479.

12. Quia ſic ab initio intellexerunt *B. Aug.* omnes eius veri diſcipuli, & in eo ſenſu contradixerunt aduerſarij : nec *Aug.* ſæpè deſuper conſultus,vnquam alio, ſed eodem ſenſu ſeipſum explicauit. Vt patet ex *libro de Gratia,& libero arb. ad Monachos Adrumetinos. Lib. De correpi.& gratia ad Valentinum. Libris De Prædeſt. SS. & de Dono Perſev.* ad conſultationem *S.Proſperi*, & *Hilarij*. Vt ſicut Chriſtus *Ioan.* 6. prædicta veritate ſui Corporis, & Sanguinis in Euchariſtia : non eam reuocauit, nec occultauit, ob murmurationem,& defectionem multorum ex ſuis diſcipulis ; ſed eam potiùs magis expreſſit ac confirmauit.Sic & ex conſtantia *B. Aug.* in eodem ſenſu Prædeſtinationis, ad omnes conſultationes, & contra omnes contradictiones : tam certum eſt hunc eſſe ſenſum *Aug.* vt mirum ſit poſſe ab vllo doctrinæ Auguſtinianæ ſtudioſo, quantumuis aduerſario, in dubium reuocari.

13. *S. Aug.* vbique refert & explicat omnia loca ſacræ Script.de Gratia & Prædeſt. ad maiorem gloriam Dei, contra omnem gloriationem liberi arb. & occaſionem gloriandi. Vt 1. *Cor* 4. Quid habes quod non accepiſti ? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis ? *Eph.* 1. Elegit nos in ipſo vt eſſemus Sancti, in laudem gloriæ gratiæ Dei, &c. *Act.* 20. Beatiùs eſt magis dare quàm accipere. Atqui eſt glorioſius,melius, beatius, liberalius, & gratioſius prædeſtinaſſe ex ſolo proprio motu ac motiuo communicandi gratis ſuam Beatitudinem, quàm propter noſtra merita : eſtque ſapientius, intendiſſe priùs & potiùs finem, & elegiſſe media propter finem intentum,quàm finem propter media; ergo Deus ſic prædeſtinauit, intendit, elegit ; nec reliquit nobis vllam occaſionem gloriandi de vllo proprio merito, vel diſpoſitione ad noſtram Prædeſtinationem.Quò refertur & ratio *Scoti* ſupra *col.* 190. & *in* 3. *col.* 187. 188.

14. Ex ipſa ethymologia Prædeſtinationis : à verbo deſtinandi, ſeu dirigendi & tranſmittendi aliquem ad finem vel terminum,per aliquam viam ſeu medium:& ab hac præpoſitione,quæ non tantùm ſignificat prioritatem æternitatis, & cauſalitatis inter hanc deſtinationem ab æterno, & executionem eius temporalem, cùm hæc prioritas ſatis ſignificetur per ſolam deſtinationem ; ſed etiam prioritatem ordinis & ſuppoſitionis, inter actum prædeſtinandi, & præuidendi, inter intentionem finis,& electionem mediorum,inter finem propter quem, & media per quæ. Imò videtur conſignificare præferentiam gratuitam vnius præ alio : ſed quamuis omnes eſſent equaliter prædeſtinati, nulluſque reprobatus, eſſet equidem prædeſtinatio. Quæ licet à *S. Dion. cap.*25. *Diu Nom.* ſumatur pro prouidentia omnium temporalium : Et ab antiquis pro quadam etiam præordinatione, aut permiſſione malorum ; propriè tamen & ſimpliciter, pro ſola prouidentia ſpeciali & ſalutari, erga creaturam rationalem.Cui ferè æquiualent *Act.* 10. 13. 22. Præordinatio, *Matt.* 25. *Rom.* 9. 1. *Cor.* 2. Præparatio,*Epheſ. l.* 3. *Act.*2. Definitio, Præfinitio, *Matt.* 16. *Ioan.* 16. *Rom.*8. 9. 11. *Epheſ* 1. 1. *Pet.* 1. Beneplacitum, Propoſitum, Electio, Dilectio, Præcognitio, ſeu Præſcientia approbationis, Voluntas Dei abſolutè & ſimpliciter. Quæ omnia fauent Prædeſtinationi ante omnem reſpectum ad vlla futura merita.

15. Ex duplici definitione Prædeſtinationis à *B. Aug.* 1. *Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 10. Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio : gratia verò ipſa donatio. Non quaſi non ſit præparatio gloriæ, priùs ordine intentionis, quàm gratiæ : ſed ſumendo gratiam pro ſignificato communi etiam ad gloriam, imò & antonomaſticè pro gloria, vt pro ſuo principali ſignificato. *Rom.* 6. Gratia Dei, vita æterna. Cùm ergo quæuis gratia ſit gratuita : ſed prima, quæ confertur indignis ante omnia propria merita, ſit gratuitiſſima : quantò magis gratia efficax, & maximè ipſa prædeſtinatio,vt origo gratuitiſſima maximarum gratiarum ? 2. *De dono Perſev. cap.* 14. Prædeſtinatio nihil aliud eſt, quàm præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur. Dicitur 1. *Præſcientia*. Non in malam partem : à qua ſolent reprobi denominari præſciti. Quia Reprobatio poſitiua non eſt niſi ex præſcientia peccati proprij : Prædeſtinatio autem non eſt ex præſcientia proprij meriti. Nec pro ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ,ſeu poſſibilium : quia cùm hæc ſit communis omnium, non eſt directiua aut motiua ad prædeſtinandum. Nec pro quadam ſcientia media, ſeu præſcientia futurorum ſub conditione : Quia *S. Aug.* & hanc ſupra tam ſæpè reprobat, ſaltem ab omni directione & motiuo prædeſtinandi. Nec pro Præſcientia abſoluta futurorum meritorum noſtrorum, aut noſtræ Prædeſtinationis : ſed, inquit, *beneficiorum Dei, &c.* Quia nec Prædeſtinatio poteſt ſubeſſe noſtris meritis, nec à Deo præſciri vt futura : nec noſtra merita poſſunt eſſe niſi ex priore beneuolentia, & beneficentia Dei. Nec pro præſcientia peccatorum,à quibus prædeſtinati liberentur : ſed pro *præſcientia beneficiorum*. Nec denique pro præſcientia vllo modo priore,dirigente,aut mouente ad prædeſtinandum ; ſed conſequente ad exequendum. Vt patet ex *cap.* 17. *In ſua quæ falli, mutariq́, non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere : omnino nec aliud quicquam eſt prædeſtinare.* vt ſupra *col.*495.Itaque Prædeſtinatio eſt *præſcientia* obiectiuè : ſed *præparatio* quaſi actiuè,aut formaliter ; necdum extra Deum, ſed in ipſa Dei præſcientia obiectiuè. *Dicitur* 3. *Beneficiorum Dei* .i. Omnium ſalutarium. Quorum primum,ſeu primò intentum & principale eſt : quo prædeſtinati efficaciter, formaliter, & finaliter ſaluantur, ſeu beatificantur. Sic enim *Lib. De Correpi. & Gratia cap.* 12. vocat ipſam Beatitudinem adiutorium *Quo* beatificamur. Reliqua omnia ex Dei prædeſtinatione ſalutaria, ſiue bona, ſiue etiam permiſſiones malorum, & occaſiones bonorum : pertinent ad beneficia Prædeſtinationis. Vt patet ex *Rom.*

Digitized by Google

Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū.i. & ipſæ permiſſiones peccatorum, ad eorum humiliationē & correctionē. Ex *B.Aug.Lib. De Gratia, & libero Arb. cap.* 17. Quid eſt omnia cooperatur? Niſi & ipſas terribiles, ſæuaſque paſſiones,&c. vt ſupra, de permiſſione Dei. Dicitur 4. *Quibus*, vt ſupra: non ſolùm diſpoſitiuè, vt medijs ſeu gratijs huius viæ & vitæ; ſed etiam formaliter,& finaliter ſaluantur. Dicitur 5. *Certiſſimè:* nō ſolùm certitudine formali ipſius ſcientiæ Dei; ſed etiam certitudine obiectiua ſalutis futuræ, ex vi ac efficacia Prædeſtinationis; non tamen ex vlla neceſſitate naturali, aut coactionis, ſed illius infallibilis efficaciæ Prædeſtinationis. Dicitur 6.*Liberantur*.i. vel ipſâ beatâ libertate ab omni periculo peccati, & damnationis; vel ex vi prædeſtinationis executiuè præſeruantur in hac vita, ab omni culpa, vel à ſola finali & damnatione ſequente; vel denique ſecernuntur, & eripiuntur ex maſſa perditionis.ſeu naturæ humanæ, vt Reæ primi peccati, permiſſi ac præuiſi. De qua liberatione,aut prædeſtinatione liberatiua, infra. Dicitur 7. *Quicunque liberantur* .i. Hoc ſolo,nec vllo alio medio ac remedio efficaci.

Quia tamen nimis certum, & expreſſum eſt apud *B.Aug.* Prædeſtinationem Dei non eſſe ex vllis noſtris meritis, ſed ex ſola Bonitate, liberalitate, & miſericordia Dei: probemus potiùs quod ex *B.Aug.* difficilius eſt,Prædeſtinationem, ſeu primam Dei intentionem abſolutam beatificandi omnes & ſingulos Beatos futuros, eſſe etiā priorem omni permiſſione, ac præuiſione peccati.

De Prædeſtinatione ante omnem culpam.

1. EX 1. *Retract.* 13. *Lib.* 14. *Ciu.* 10. & 23. ſupra *col.* 475. Vbi *B. Aug.* toties, tam expreſsè, & pro certo ſupponit eandem & eorundem Predeſtinationem ante omnem permiſſionē & præuiſionem peccati. Nec ſubeſſe poteſt ſenſus *Bellarmini, Lib.2. De gratia & libero arb.cap.9.* Quòd ſi Deus præuidiſſet *Adam* non peccaturum, equidem prædeſtinaſſet. Quia *B. Aug.* non ait *Prædeſtinaſſet*:ſed ſupponit equidem *prædeſtinaſſe*, & habuiſſe eundem certum numerum Prædeſtinatorum. Nec eſſet certum aut credendum, vt ait *B. Aug.* imò nec vlla ratio, quòd Deus eundem numerum prædeſtinaſſet; ſed potiùs plures, ſi *Adam* non peccaſſet. Quia nec Ciuitas Dei, nec Corpus Chriſti, nec Gloria Dei exigit potiùs hunc eundem numerum Ciuium, Membrorum,& Beatorum. Imò ſi peccatum *Adami* præuiſum, fuit motiuum iuſtitiæ Diuinæ, ad tot reprobandum: cur præuiſa perſeuerantia *Adami*, non fuiſſet ratio ſaluandi plures? Præter ea quæ ſupra, contra omnia futura conditionata, & eorum præſcientiā: quantò magis contra talem quaſi futuritionem conditiónatam ipſius Prædeſt.Nec obſtat quòd *Enchir.* 61. 62. *Lib.* 21. *Ciu.*1.ſupra *col.*476. referat ſalutem hominum, ad ſupplendum, & reparandum ruinam Angelorum lapſorum, eodem numero Beatorum; vel fortè, inquit, etiam maiore. Quia non vult homines eſſe creatos & prædeſtinatos ex ſola occaſione præuiſa lapſus Angelorum:cùm æquè pertineant ad integritatem huius mundi, æquè ſint capaces Beatitudinis, nec ab ea reprobentur niſi vt Angeli ex aliqua culpa; ſed conſequenter & de facto homines ſaluari poſt Angelos lapſos, quaſi ſuccedendo & ſupplendo eorum defectum. Vt ſacra Script. *Rom.* 11. 12. *Apoc.* 3. monet ad perſeuerandum: ne alius ſuccedat in ſtatum gratiæ & ſalutis. Nec vult priorem numerum prædeſtinatorum fortè augeri ex hominibus: ſed fortè plures homines eſſe prædeſtinatos & ſaluari, quàm ſint Angeli lapſi. Nec denique ſupponit ſolum numerum formalem eſſe prædeſtinatum, ante omnia merita,aut demerita: ſed determinari ad materialem, ſeu ad ſingularia, præuiſis meritis & demeritis. Quia Prædeſtinatio non eſt confuſa,ſed diſtincta & intuitiua. Nec Angeli ſunt lapſi, aut perſeuerarunt,niſi in ſingulari. Nec ſunt partes & compartes, niſi ſingulares, & totius ſingularis. Nec totum perfectum fit per detrimenta, & ſarcimenta: ſed totum ſimul & integrè ex ſuis partibus proportionatis. Nec Deus priùs concipit, aut vult quicquam in confuſo, aut in communi, quàm in ſingulari. Nec intendit ſuam ciuitatem niſi vt perfectam omnibus & ſingulis ciuibus: Nec priùs Chriſtum vt Caput truncum, quàm ſuper omnibus & ſingulis membris ſuis. Nec eſſet tanta charitas, & congaudium inter Beatos, vt conciues, fratres, cohæredes, niſi vt ab æterno congenitos. Imò per *partem Angelorum lapſam*, & ab hominibus ſupplendam, poſſent intelligi omnes homines prædeſtinati, vt ſunt pars eiuſdem totius; & compars Angelorum: quæ recolligatur ex omnibus hominibus lapſis,ad ſupplendam,ſeu reſtituendam hanc ipſam partem, quæ deeſt ſuo toti, & ſuæ comparti. Præter ea quæ ſupra *col.* 494. 495.

2. *Ex Lib.* 83. *qq.* 62. *Lib. de Geſtis Pelagij cap.* 27. 35. *lib.* 2. *Retr* 31. *lib. de Prædeſt.SS. cap.* 10. ſuprà *col.*373.476.vbi tam expreſsè ſupponit tantam differentiam inter homines lapſos, ſeu ſub eadem maſſa peccati Originalis: vt vnus ſit alio dignior iuſtificatione. Non vlla dignitate actuali, intrinſeca, & præuiſa: ſed ſola dignitate Prædeſtinationis; nec in ſeu ex ipſa maſſa, ſed ante lapſum in maſſam. Quia *B. Aug.* ſupponit peccatores adhuc in ipſa maſſa differentes: ergò non per electionem ex ipſa maſſa; ſed per prædeſtinationem ante maſſam, ex vi cuius digni ſint electione ſeu recollectione ex maſſa. Deinde creatio hominum eſt prior lapſu in maſſam, ſeu decretum creandi priùs, quàm permittendi lapſum: atqui non eſt decretum creandi omnes homines, niſi ex aliqua intentione abſoluta ſaluandi ſaltem aliquos; ergò illâ intentione quaſi notati ſeu affecti differunt ab alijs in eadem maſſa, ideoque & præ alijs inde ſaluantur. Denique Adam & Eua fuerunt actu creati, & præuenti magnis gratijs & ſalutaribus ante lapſum: ergò ex intentione abſoluta eos ſaluandi; quia Deus non mutauit aut perfecit eam poſt lapſum.

3. *Ex Epiſt.* 105. ſuprà, & alibi ſæpè: Chriſtus non eſt mortuus pro condendis hominibus; ſed pro liberandis prædeſtinatis ex maſſa perditionis. Atqui non fuerunt creati niſi ad ſalutem æternam, nec liberandi à maſſa perditionis,potiùs quàm

Digitized by Google

quàm alij, niſi ad illum finem ſuæ creationis;ergò creando erant prædeſtinati præ alijs non liberandis. *Epiſt.* 106. *col.* 477. & *lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. *col.* 453. Comparatur Prædeſtinatio hominum, prædeſtinationi Angelorum, & prouidentiæ generali omnium & ſingulorum: atqui omnia & ſingula ſunt primò creata ad ſuum finem; ergò & homines ante lapſum.

4. *S. Aug.* nunquam meminit vllius primæ intentionis Dei, vt priùs inefficacis ad beatificationem Angelorum vel hominum, deinde efficacis: nec vnquam exponit 1. *Tim.* 2. de quadam voluntate inefficaci ſaluandi omnes; ergò ſupponit primam voluntatem & intentionem Dei fuiſſe creãdi & ſaluandi abſolutè ſaltem aliquos. De reliquis autem, infrà.

5. *S. Aug.* ſæpè docet Prædeſtinationem eſſe quaſi vnius integræ Ciuitatis Dei, vel vnius integri corporis Chriſti: Ergò totius ſimul, ex vna eademque intentione prima, abſoluta, efficaci, infallibili, & determinatiſſima. Alioquin prima Dei intentio fuiſſet ex ſe incerta, incompleta, & valde imperfecta. Ciuitas eius primò intenta, fuiſſet ruinoſa, corpus quaſi monſtruoſum ſeu Acephalum ſine capite, aut caput ſine corpore: quæ ſunt contra perfectionem Sapientiæ ac Voluntatis Diuinæ. De qua cùm B. Auguſtinus ſemper eminentiſſimè ſapuerit: nunquam ei tribuit creationem hominum ſine intentione finis; nec primam intentionem, aut intentum imperfectum, & quaſi poſteriùs ſupplendum, & reſarciendum, nouâ & perfectiori intentione, ſeu prædeſtinatione, & electione ex maſſa corruptionis.

6. Ex ipſa Chriſti Prædeſtinatione, vt exemplari & capitali noſtræ: Ergò non ex maſſa corruptionis, nec ex ſola occaſione lapſus; ſed ex prima & abſoluta Dei intentione.

7. *Ex lib. de Prædeſt. SS. cap.* 18. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, *Eph.* 1. Elegit Deus in Chriſto membra eius. Quomodo eligeret eos qui nondum erant: niſi prædeſtinando? Elegit ergo prædeſtinans nos. Nunquid eligeret impios & immundos?] Ergo elegit prædeſtinando, & prædeſtinauit eligendo, ex ſolis poſſibilibus, aut in primo inſtanti exiſtentiæ, quos voluit: non autem tandem poſt lapſum in maſſam perditionis. Nec poteſt intelligi de ijs qui nondum erant actu, ſed tantùm futuri. Quia *cap.* 17. explicat & diſtinguit electionẽ præſentem Apoſtolorum à Chriſto, ab æterna eorum electione à Deo. Sed *cap.* 18. explicat ſolam æternam electionem Dei *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Ergo quomodo eligeret eos qui nondum erant, niſi prædeſtinando? Non ſolùm ante actualem mundi conſtitutionem: quia hoc non eſſet prædeſtinare; ſed ante æternam ordinationem huius totius mundi futuri propter electos. Vt *Sap.* 8. Ab æterno ordinata ſum, &c. Siue de Sapientia æterna, ſiue de ſacra humanitate Chriſti, ſiue de B. V. Maria: non de ſola prioritate durationis, ſed etiam finis & ordinationis. 1. *Cor.* 3. Omnia veſtra ſunt, ſiue *Paulus*, ſiue *Cephas*, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Ergo Electi, ſeu Prædeſtinati, ſunt priores in intentione Dei, ipſa æterna mundi conſtitutione. Nec ſubintelligendum eſt: *quomodo eligeret eos qui necdum erant* .i. ſancti. Quia ipſe *Apoſtolus* hunc modum exprimit, vt ſint, ſeu fiant Sancti: Ergo *Aug.* quærit alium modum. Nec conſtructio, nec ſenſus id exigit, imò potiùs excludit. Non enim eſt mirum quòd Deus ab æterno eligat ex præuiſis, quos ſanctificet: ſed quomodo eligeret eos qui nondum erant præuiſi, niſi prædeſtinando vt ſint, & ad ipſum finem electionis .i. vt ſint Sancti. Quam primam Prædeſtinationem intentiuam, ſatis expreſsè ſupponit *Epiſt.* 105. ſupra *col.* 476. *Chriſtus non pro nullis vt homines conderentur: ſed pro impijs mortuus eſt, vt iuſtificarentur*, & ex maſſa illa damnationis ſaluarentur. Ergo alia eſt ratio & intentio condendi homines, ad ſolam communicationem ſuæ Beatitudinis: alia redimendi, & ſaluandi ex maſſa perditionis.

8. *Lib.* 14. *Ciu. cap.* 28. *Lib.* 22. *cap.* 1. *Enchir.* 61. 62. & alibi ſæpe profitetur, ſemperque ſupponit Angelos & homines creatos eſſe ad eandem ſocietatem Beatitudinis eſſentialis. Atqui prædeſtinauit, & ex vi Prædeſtinationis efficaciter promouit Angelos electos ad Beatitudinem, præ alijs: vt in 2. *à col.* 259. *ad* 267. Ergo & ante lapſum *Adami*, prædeſtinauit homines cum Angelis, prouiditque ſingulis gratiam finaliter & infallibiliter efficacem.

9. Ex doctrina continua *B. Aug.* prima & abſoluta Dei intentio eſt ad maius bonum: nec permittit malum, nec malos, niſi ad maius bonum electorum; ergo ipſa permiſſio & lapſus *Adami* ac totius generis humani præſupponit electionem ſeu prædeſtinationem aliquorum ad gloriam.

10. Ex doctrina *B. Aug. Lib. De natura & gratia. cap.* 36. & *Lib. De* 5. *hæreſibus, cap.* 5. B. V. Maria eſt exempta à peccato originali: Ergo ex vi Prædeſtinationis eius, ad gratiam & gloriam dignam Matre Dei, ante omnem præuiſionem, & permiſſionem peccati originalis. Sicque & omnes Electi ſecundùm cuiuſque gradum, & ſtatum.

11. *B. Aug.* ſæpè vtitur exemplo *Iacob* & *Eſau*, *Rom.* 9. ad omnium prædeſtinationem, vel non: æquè ante reſpectum ad malum proprium, ac ad bonum. De vtroque enim dicitur: *Cùm nondum aliquid boni egiſſent, aut mali.* Ergo ſiue de reprobatione poſitiua, ſiue negatiua omnium reproborum: exemplo *Iacob*, *Adam* fuit prædeſtinatus *cùm nondum aliquid boni egiſſet, aut mali* actualis; ſicque & omnes ante reſpectum ad malum originale, ex illo actuali.

12. *S. Aug.* ſæpè fundat doctrinam ſuam ſuper illo *Epheſ.* 1. *Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, & immaculati in Chriſto* .i. coniunctim cum Chriſto, ſed ſub illo, vt membra ſub Capite, ſicque ante ſtatum noſtrum peccati. Vel *in Chriſto*, vt in prototypo ſeu exemplari: ſicque etiam ante ſtatum noſtrum peccati. Vel propter *Chriſtum* .i. ad eius comitatum, vel ſequelam honorariam ac glorioſam; ſicque etiam coniunctim in Chriſto ante vllum noſtrum dedecus peccati. Vel denique per *Chriſtum* .i. per eius

Digitized by Google

merita à Deo intenta ante permiſſionem peccati. Quia cùm merita ſint gratiæ, & gloriæ, non ſunt neceſſariò ſatisfactoria pro peccatis ſuppoſitis. *Ante mundi conſtitutionem* .i. Ordinationem ab æterno, vt ſupra, &c. *Vt eſſemus Sancti* .i. ex *B. Aug.* non quia eramus futuri & præuiſi ſancti, ſed *vt eſſemus:* non ſolùm ſanctitate imperfecta huius viæ & vitæ; ſed & potiùs perfecta & beata: nec vt ſanctificaremur, ſeu iuſtificaremur à prioribus peccatis; nec vt tam fieremus, quàm eſſemus Sancti, prima vtique ſanctitate, ſeu vt ſubdit *gratificatione*, quæ nullatenus ſupponit priùs peccatum. Ergo prima gratia *Adami*, pro ſe & toto genere humano, erat ex illa electione ſeu prædeſtinatione. Vnde & ſubdit, *ſecundùm propoſitum, ſecundùm beneplacitum eius, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, & gloriæ eius.* Porrò *propoſitum*, & *beneplacitum*, ſunt primæ intentionis abſolutę ad bonum, ex proprio motu, non autem ex occaſione peccati. *Laus illa & gloria Dei, ac gratiæ eius*, eſt prior in gratificanda, & glorificanda creatura rationali, quàm in vlla culpa remittenda. Nec eius laus vel gloria dependet à remiſſione culpæ: ſed eſt glorioſior vt remiſſiua omnis culpæ poſſibilis, quàm vt tot quot remittens actu.

13. Pleraque pro Prædeſtinatione ante merita, ſunt etiam pro Prædeſtinatione ante permiſſionem peccati originalis. Quia, vt ſupra, Deus priùs & potiùs intendit maius bonum, quàm permittat malum ad maius bonum. Ad quid enim illa permiſſio peccati originalis ante prædeſtinationem hominum, potiùs quàm Angelorum: niſi ad probandum & experiendum defectum liberi noſtri arbitrij, & neceſſitatem gratiæ, vt placet *B. Aug.* Atqui Deus non poteſt probare, vel experiri aliquid in ſeipſo, ordine intentionis; ergo tantùm in nobis, ordine executionis externæ.

14. Plerique, fideliores, & celebriores Diſcipuli *B. Aug.* eum ſemper intellexerunt de prædeſtinatione ante merita; non tamen poſt lapſum. Nam cùm *S. Proſper. S. Anſel. S. Bern.* noſtri *Al. S. Bon. Scotus* & *S. Thomas* ſæpè repetant & ſequantur Prædeſtinationem ante noſtra merita; vix tamen vnquam expreſsè poſt lapſum. Ergo non cenſent hanc, ſed illam, eſſe doctrinam *B. Aug.* Vt patebit ex opponendis & reſoluendis, infra. Cùm enim *B. Aug.* tam ſeueiè commendet ſuam doctrinam de Prædeſtinatione, *Lib. De dono Perſeu. cap.* 19. Hoc ſcio neminem contra iſtam Prædeſtinationem, quam ſecundùm Script. ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe. *Cap.* 21. Nimiæ contentionis eſt, Prædeſtinationi contradicere, vel de ea dubitare. *Cap.* 23. Prædeſtinationis huius fidem, quæ contra nouos hæreticos noua ſollicitudine defenditur, nunquam Eccleſia Chriſti non habuit. Si cenſuiſſent Prædeſtinationem poſt lapſum, eſſe doctrinæ Auguſtinianæ: æquè eam ſecuti fuiſſent, ac ante merita.

Quòd autem doctrina *B. Aug.* non fuerit de ſola Prædeſtinatione & electione gratiæ, ſeu ad gratiam; ſed etiam gratuitâ ad gloriam. Patet ex varijs calumnijs inde illatis, & à *S. Proſpero* ad ipſum *B. Aug.* relatis, vel poſt eius mortem reprobatis. Vt *Epiſt. B. Proſperi ad S. Aug. Multi ſeruorum Dei qui in Maſſilienſi vrbe conſiſtunt, contrarium putant opinioni, & eccleſiaſtico ſenſui, quicquid de vocatione Electorum diſputaſti, &c.* Non ergo de ſola vocatione electorum ad gratiam: ſed ſecundùm propoſitum, ſeu intentum abſolutum. *Infra. Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani, eligendorum & reyciendorum dicitur facta diſcretio: vt ſecundùm quod placuit Creatori, alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati; & lapſis curam reſurgendi adimere; & Sanctis occaſionem teporis adferre, &c. Quoquo enim modo ſe egerint: non poſſe aliud erga eos, quàm vt definiuit, accidere, &c. Sub hoc Prædeſtinationis nomine, fatalem quandam induci neceſſitatem, aut diuerſarum naturarum dici Dominum Conditorem.* Infra. *Quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam, inquiunt, &c. Nec acquieſcunt prædeſtinatum electorum numerum, nec augeri poſſe, nec minui, &c. Obſecro vt digneris aperire,* inter alia, *verum præſcientia Dei ita ſecundùm propoſitum maneat, vt ea ipſa quæ ſunt propoſita, ſint accipienda præſcita: an per genera cauſarum, & ſpecies perſonarum iſta varientur; vt quia diuerſæ ſunt voluntates, in his qui nihil operaturi ſaluantur, quaſi ſolum Dei propoſitum videatur exiſtere; in his autem qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſſit ſtare propoſitum. An verò vniformiter, licet diuidi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſſit: præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito; & ſicut nihil eſt quod non ſcientia diuina præuenerit, ita nihil ſit boni quod in noſtram participationem non à Deo authore defluxerit, &c.* Quæ calumniæ, & conſultatio *B. Aug.* deſuper, non poſſunt habere occaſionem, niſi ex doctrina de prædeſtinatione ad gratiam & gloriam, in ipſa creatione, ante vllam præſcientiam. Et quamuis *S. Proſper* proponat dubium ſub disiunctione: ſatis tamen indicat quantum præferat partem poſteriorem .i. *An vniformiter præſcientia quodam ordine ſit ſubnixa propoſito, &c.* Nec *B. Aug* toto opere *De Prædeſt. & Perſeu.* aut vllibi negat ſuam illam doctrinam: ſed ſolas illationes; approbatque ſenſum *S. Proſperi.* Sic & *S. Hil. Epiſt. ad B. Aug.*

Idem *S. Proſper lib.* 1. *contra obiectiones Gallorum, Cap.* 1. *Obiectio* 1. Quòd ex prædeſtinatione Dei velut fatali neceſſitate homines ad peccata compulſi, cogantur in mortem. *Reſp.* Prædeſtinationem Dei nullus Catholicus negat: fatalem autem neceſſitatem, multi etiam non Chriſtiani refutant, &c.] Quæ autem occaſio, vel apparentia fatalis neceſſitatis: niſi ex doctrina Prædeſtinationis ad gloriam & gratiam, ante omnem reſpectum ad vlla noſtra merita? Hinc enim & ipſe *B. Aug. Lib.* 5. *Ciu.* 9. Voluntates noſtræ tantum valent quantum Deus eas valere voluit atque præſciuit: & ideo quicquid valent certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt, ipſæ omnino facturæ ſunt; quia valituras atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt.] Vbi illud *voluit, atq; præſciuit*, reſumit per ſolum *præſciuit*: præſcientia vtique approbationis, ſeu illius voliti. Subdit. *Quapropter ſi mihi Fati nomen alicui rei adhibendum placeret: magis dicerē fatum eſſe infirmioris, voluntatem*

poten-

potentioris, qui eum habet in poteſtate; quam illo cauſarum ordine, quem Stoici fatum appellant, arbitrium noſtræ voluntatis auferri. Ergo ipſemet *B. Aug.* fatetur voluntatem illam Dei abſolutam, & Omnipotentem, videri, ſed non inferre fatalem neceſſitatem. Sic & pleræque Obiectiones & reſponſiones illius libri. Vt 8. *cap.* 8. Quod non omnes homines velit Deus ſaluos fieri: ſed certum numerum prædeſtinatorum. *Reſpondet*, non eſſe indifferentem voluntatem Dei circa omnes ſaluandos: dicendum tamen cum Apoſt. 1.*Tim*.2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri 1.*Tim*.4. Eſt Saluator omnium maximè fidelium; quia omnium cura eſt Deo. 13. *cap.* 13. Quod quidam homines non adhuc à Deo creati ſunt, vt vitam adipiſcerentur æternam: ſed vt habitum tantum ſæculi præſentis ornarent, & ad vtilitatem naſcerentur aliorum. *Reſp.* Quod etiam hi creantur, qui æternæ vitæ participes non erunt: nulla eſt culpa Creatoris, qui naturæ author eſt, non vitij quod natura contraxit.] Vbi cùm agatur de creatione ad vitam æternam, ſupponit homines prædeſtinari creando ſeu volendo eos creare: nec negat aliquos non creari ad vitam æternam, aut non æquè ac alios, ſed refert euentum futurum, in culpam aut vitium naturæ corruptæ. 15. *cap.* 15. Quod idem ſit præſcientia quod prædeſtinatio. *Reſp.* Deum ſimul præſciſſe & prædeſtinaſſe ſua propria opera bona: noſtra autem mala, non prædeſtinaſſe, ſed tantùm præſciſſe. Ergo de prædeſtinatione ante omnia bona futura & præſcita.

Lib. 2. Ad obiectiones Vincentianas. 2. *cap.* 2. Quòd Deus nolit omnes ſaluare, etiamſi ſaluare velint. *Reſp.* quidem negando Deum nolle ſaluare omnes qui ſaluari volunt: nunquam inſinuando Deum ex ſe velle æqualiter omnes ſaluare. 3. *Cap.* 3. Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum. *Reſp.* Nemo à Deo creatus eſt, vt periret: quia alia eſt cauſa naſcendi, alia pereundi, &c. Nimis ergo impius & indoctus eſt, qui vitium naturæ non diſcernit ab Authore naturæ, &c. Creat enim homines vt ſint homines: nec multiplicandis generationum ſucceſſionibus opificium ſubtrahit.] Non quaſi primò voluerit tantùm creare homines, vt ſint homines: ſed quòd poſt peccatum adhuc creet eos & conſeruet ſaltem vt ſint, quamuis non omnes ſint ſaluandi.

15. Ex varijs rationibus quæ ex *Aug.* & eius diſcipulis recolligi poſſunt pro Prædeſtinatione ante propria merita, & demerita. 1. Ille modus prædeſtinationis eſt verior, qui mirabilior, & inſcrutabilior: ille autem minùs verus qui videtur rationabilior, & humanior. Vt patet ex *Apoſt. Rom.* 8. 9. 11. Ergo modus *B. Aug.* eſt verior omnibus alijs, qui videntur rationabiliores, & humaniores. 2. Ille modus eſt verior, qui magis decet Perſonam & ſtatum, ſeu Sapientiam, Bonitatem ac Liberalitatem Dei: hic eſt talis; ergo eſt verior. 3. Ille eſt verior, qui eſt infallibilior, & independentior ab incertis noſtris conditionibus: hic eſt talis; ergo & verior. 4. Ille eſt verior, qui eſt ſimplicior, ſeu per pauciora, quàm per plura: hic eſt talis, vnico primo actu abſoluto; ergo & verior. 5. Ille eſt verior, qui eſt conformior Fidei noſtræ de vocatione, & electione gratuita ad primam gratiam: quia non habet aliam difficultatem quàm de vocatione gratuita, hic eſt talis, vt patet ex varijs ſententijs *B. Aug.* ſupra. 6. Ille eſt verior, qui eſt magis ſecundùm humilitatem, obedientiam, pietatem, & perfectionem Chriſtianam: hic eſt talis, vt patet ex ijſdem ſententijs *B. Aug.* ſupra. 7. Ille eſt verior, qui, cæteris paribus, eſt nobis fauorabilior, & ad maiorem noſtram conſolationem, ac ſecuritatem: atqui hic eſt talis, vt patet ex ijſdem ſententijs *B. Aug.* ſupra; ergo, &c. 8. Ille eſt verior, qui eſt ad maiorem laudem gloriæ ac gratiæ eius: hic eſt talis, vt ſupra; ergo, &c. Et plures aliæ ſupra expreſſæ aut elicitæ promiſcuè, ex ipſis verbis *S. Aug.* Sed vltima & celeberrima, eſt Doctoris noſtri Subtilis in 1. *d.* 41. *q.* 1. & in 3. *d.*7. *q.*3. Ordinatè volens, priùs intendit abſolutè finem, quàm eligit quicquam ad finem: atqui Deus ordinatiſſimè vult, ergo priùs intendit abſolutè communicare ſuam Beatitudinem, quàm eligat media ad illam, *col.* 190.

Difficultates ex Sacra Script.

1. Exod. 32. *Pſal.* 68. 1. *Cor.* 9. *Apoc.* 3. & alibi ſæpè, videtur dependere à noſtra voluntate, vt etiamnum eligamur ſeu prædeſtinemur, vel reprobremur; adſcribamur, vel de libro vitæ deleamur. Ergo non eſt vlla Prædeſtinatio, nec Reprobatio ab æterno. 2. *Matt.* 25. & alibi ſæpè, Beatitudo æterna promittitur vt merces, ſub conditione bonorum operum: ergo ſic eſt etiam à Deo intenta. 3. *Luc.* 20. *Rom.* 2. *Gal.* 2. *Eph.* 6. *Coloſſ.* 3. *Act.* 10. *Iac.* 2. 1. *Pet.* 1. Negatur Deum eſſe acceptorem perſonarum: ergo non præfert vnum alteri, niſi ex aliqua dignitate, aut meritis vnius præ altero. 4. *Rom.* 8. *Act.* 2. 1. *Pet.* 1. Secretum Prædeſtinationis refertur in præſcientiam Dei: imò *Rom.* 3. Præſcientia præponitur prædeſtinationi vt cauſa vel ratio prædeſtinandi; Ergo vel præſcientia futurorum abſolutè, vel ſaltem conditionatè. 5. *Rom.* 9. 11. & alibi ſæpè, Prædeſtinatio tribuitur miſericordiæ, Reprobatio autem iuſtitiæ: ergo vtraque ſupponit culpam & miſeriam, vt materiam miſericordiæ, & iuſtitiæ. 6. *Eph.* 1. & alibi ſæpè. Videtur ipſa prædeſtinatio hominum tribui redemptioni, & reſtaurationi per Chriſtum; ergo poſt culpam. 7. 1. *Ioan.* 2. Non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. *Cap.* 3. Qui natus eſt ex Deo, non poteſt peccare, &c. Ergo nec ſunt liberi ad peccandum, nec illi ad non peccandum, ſeu perſeuerandum. 8. *Ioan.* 10. Ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. 1. *Cor.* 3. An non cognoſcitis voſmetipſos? Niſi fortè reprobi eſtis. 1. *Ioan.* 2. Vos vnctionem habetis à Deo, & noſtis omnia. Ergo prædeſtinati ſciunt ſe eſſe tales, &c.

Reſp. Ad 1. Non quaſi Prædeſtinatio, ſed Reprobatio dependeat à nobis vt præuiſis: nec quaſi intentio prædeſtinationis ſit propter media præuiſa; ſed per media ſimul vel conſequenter prouiſa. Nec quaſi poſſimus aliquid circa actum, intentionem, aut finem prædeſtinandi: ſed circa ſolam executio-

Digitized by Google

executionem & media præſentia. Nec denique quaſi aliquid liberè poſſimus circa Deum, ad aliquid mutandum vel incipiendum: ſed ad exprimendum quòd Deus ſua æterna prædeſtinatione aut reprobatione nemini neceſſitatem aut vim inferat, nullius libertati præiudicet; quin poſſit æquè liberè cooperari æternæ prædeſtinationi, & cauere æternam reprobationem, ac ſi eſſet præſens aut futura. Non enim eſt ab æterno quaſi præterita, vt ſolemus imaginari, ſed ab æterno in æternum præſentiſſima.

Ad 2. Eadem Hæreditas in intentione, poteſt eſſe merces in executione. Deus intendit abſolutè beatificare: ſed per gratiam & merita executiuè. Vt *B. Aug. lib. de gratia & libero Arb.* Quomodo eſſet corona iuſtitiæ, 2. *Tim.* 4. niſi præceſſiſſet gratia. *In Pſal.* 100. Deus donando delicta, fecit ſe coronæ debitorem. *In Pſal.* 108. Ipſa iuſtitia qua retribuuntur bona pro bonis, non eſt ſine miſericordia. *Tract. in Ioan.* 3. Quia ipſa Fides gratia eſt: gratia eſt, pro gratia. Nec *Matt.* 25. Eſuriui enim, &c. eſt ratio præparandi, ſed dandi & recipiendi.

Ad 3. Non poteſt eſſe acceptio Perſonarum, liberando vnum reum præ altero æquè reo, aut ex duobus æquè indignis vnum alteri ad bonum præferendo. Sed Acceptio perſonarum rectè & propriè dicitur, ex *B. Aug. lib.* 2. *ad Boniſ cap.*7. Vbi qui iudicat, relinquens cauſæ meritum de qua iudicat, alteri contra alterum ſuffragatur: quia inuenit in perſona, quod honore, vel miſeratione ſit dignum.] Sic enim videtur legendum affirmatiuè, non interrogatiuè & negatiuè. Quia reuera eſt acceptio perſonarum in iudice, moueri vnius reuerentiâ aut compaſſione, contra ius alterius.

Ad 4. *Quos præſciuit & prædeſtinauit*, *Rom.* 8. Non quaſi Prædeſtinatio, ſeu obiectum & finis eius, ſit ex præſcientia: ſed præſcitur ex Prædeſtinatione, vt priore. Non enim eſt ſenſus *quos præſciuit*, conſequenter & *prædeſtinauit*: vt *quos prædeſtinauit*, illos *& vocauit, &c.* Quia vt *B. Aug.* ſæpè ſupra: Deus præſcit quicquid prædeſtinat; non tamen prædeſtinat quicquid præſcit. Sed *quos præſciuit, & prædeſtinauit* antecedenter: quia Deum nihil boni in nobis præſcire poteſt, niſi illud dare velit. Vt patet ex *B. Auguſtino* ſupra: vel *quos præſciuit & prædeſtinauit*, coniunctim: ad diſtinguendam hanc præſcientiam approbationis bonorum prædeſtinatorum, à ſola præſcientia malorum. Deinde proſequitur conſequenter ordinem executionis, à cauſa ad finem vltimum, per ſua media. Sed de præſciētia iterū infra ex *B. Aug.*

Ad 5. *&* 6. Intentio prædeſtinationis tribuitur Miſericordiæ erga creaturam rationalem, vt ex ſe ſola à primo ſuo inſtanti miſeram, ſine prædeſtinatione Dei ad gloriam & gratiam. Sed executio tribuitur miſericordiæ, etiam quoad culpam remittendam. Sicque de intentione noſtræ prædeſtinationis in Chriſto, ad Chriſtum, propter Chriſtum: ſed de eius executione per redemptionem Chriſti à culpa & pœna.

Ad 7. Perſeuerare, eſt effectus Prædeſtinationis: non perſeuerare, non eſt defectus Prædeſtinationis, ſed noſtræ voluntatis; nec defectu, aut neceſſitate, ſed ex noſtra defectibili libertate. *Natus ex Deo non poteſt peccare* .i. Poteſt & debet non peccare, ex ſpeciali gratia & obligatione regenerationis actualis. Vel non poteſt peccare, vt *natus ex Deo* .i. ſecundùm inclinationem gratiæ; aut etiam ſaluo ſtatu gratiæ. Vel denique prædeſtinatus non poteſt finaliter peccare: negando ſolum euentum, ſeu defectum actualem futurum; ſed non negando poſſibilitatem, ſeu defectibilitatem etiam finalem.

Ad 8. Oues Chriſti, cognoſcunt Chriſtum, per Fidem: non autem ſeipſos, quoad ſupernaturalia, præſentia, & futura; niſi per ſpecialem reuelationem, vel per ſigna probabilia, imò & moraliter certa, ſed ſola certitudine Spei, ſeu Fiduciæ, & Charitatis, excludente timorē actualem oppoſiti, non autem certitudine infallibili Fidei, excludente ipſam poſſibilitatem oppoſiti. Nec 1. *Cor.* 9. 2. *Cor.* 13. & alibi, fieri aut eſſe *reprobum*, aut non *reprobum*, denominatur ab æterna reprobatione: ſed à probro, ſeu opprobrio præſenti, vel à reprobatione finali. Denique 1. *Ioan.* 2. Vnctio illa Dei docet omnia .i. nihil verè ſcitur & diſcitur, niſi aliqua illuminatione vel etiam gratia Dei, vt interpretatur *B. Aug. Tract.* 3. *in* 1. *Ioan.* 2. vel vnctio ipſa Fidei docet intelligere & credere omnia credibilia & credenda. Vel quædam vnctio, ſeu facilitas, & ſuauitas credendi, ſperandi, diligendi Deum & proximum, ac bene operandi, cauendique mala oppoſita, eſt ſignum moraliter certum gratiæ præſentis, & magnum motiuum ſperandi ac confidendi de finali ac æterna. Reliquæ Difficultates ex Sacra Script. ſoluuntur, vel poſſunt ſolui vt ſupra *à col.* 445. *ad* 456. De Sanctitate Dei ab omni imputabilitate noſtrarū culparū.

Difficultates ex S. Aug.

1. S. *Aug.* Eſſet primus omnium qui docuiſſet prædeſtinationem ante omnem reſpectum ad merita, vt patet *col.* 457. & à 461. *ad* 472. 2. Quòd ipſe ſæpè doceat prædeſtinationem ex aliqua præſcientia. Vt in *Epiſt. ad Rom. prop.* 60. Elegit Deus Fidem in præſcientia: vt quem crediturum eſſe præſciuit, illum elegit. *lib.* 83. *q.* 68. Cuius vult miſeretur & quem vult indurat, *Rom.* 9. *Sed hæc voluntas Dei*, vtique tàm miſerendi, quàm indurandi, *iniuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſſimis meritis*, vtique tàm miſerendi, quàm indurandi. *Lib.* 1. *Ad Simpl. q.* 2. Electio non præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio. Nemo enim eligitur, niſi diſtans ab eo qui reijcitur, &c. Vnde quod dictum eſt *Rom.* 9. *Eph.* 1. Non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientiâ. *Infra*. Cuius Deus miſeretur ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat. *Lib.* 2. *Retr.* 1. in Libros ad Simpl. nihil inde retractat. Imò de *Prædeſt. SS. c.* 4. Et de *Dono Perſeu. cap.* 20. 21. expreſſè approbat & confirmat. Denique definit ipſam Prædeſtinationem, per *præſcientiam & præparationem*, &c. Vt ſupra. 3. *S. Aug.* non contendit contra *Pelagianos*, & Semi-pro electione gratuita ad gloriam, ſed ad primam gratiam: nec contra noſtra merita gratiæ & gloriæ ex

ex priori aliqua gratia; ſed ex ſolo conatu, deſiderio, affectu, aut diſpoſitione naturali. Ergo omnia dicta *B. Aug.* ad illud intentum referenda ſunt. 4. Tam ſæpè & expreſsè ſupponit permiſſionem ac præuiſionem maſſæ, ſeu naturæ humanæ peccato originali corruptæ, ex qua prima prædeſtinatio, ſeu electio fiat: vt nullam vnquam faciat mentionem, alicuius prioris prædeſtinationis, aut intentionis ſaltem abſolutę. Vnde nihil ex *B. Aug.* opponi poteſt niſi contradictoriè: vel quod nō poſſit & debeat potiùs huic ſenſui cedere, quàm hæc tam multa & expreſſa in alium ſenſum torquere. 5. Diſcipuli, & ſtudioſiſſimi *S. Aug.* non intellexerūt eum de Prędeſtinatione ante omnem præſcientiam, ſed poſt aliquam, non tantùm malorum, ſed & bonorum. Vt patet ex *S. Proſpero* Libris 2. de vocatione gentium, præcitatis ſub nomine *S. Ambr.* cùm agit contra *Pelagianos*, oriundos poſt *S. Ambr.* Vtroque enim libro ſupponit latere, ſed non deeſſe cauſſam ſoli Deo cognitam vocandi & præſeruandi vnum præ alio. *Libris* 4. contra varias calumnias doctrinæ Auguſtinianæ, nullam refert difficultatem de Prædeſtinatione ante vel poſt reſpectum ad merita: ſed de apparenti neceſſitate, & coactione ad ſalutem, vel damnationem, ex efficacia, vel defectu gratiæ; deque ſenſu quo Deus velit omnes ſaluos fieri, quo ſenſu Chriſtus paſſus ſit, quo fine homines creati ſint. Ad quas ſat ſupra, & in 2. De neceſſitate, ſufficientia, & efficacia gratiæ Dei, ſalua libertate arbitrij noſtri, *à col.* 473. *ad* 513. Et *in* 3. *Quæſtione noſtra* 12. de meritis Chriſti, *à col.* 359. *ad* 402. Niſi quod *Proſper Lib.* 1. contra obiectiones Gallorum, *cap.* 13. *Lib.* 2. contra obiectiones Vincentianas *cap.* 3. neget Deum creare hominem ex intentione ſaltem abſoluta eos beatificandi; ſed creandi, ſeu vt ſint. *Lib. illo primo cap.* 16. *Ad* 8. Deus præſcitos prædeſtinauit, prædeſtinatos vocauit, &c. *Lib.* 3. ad excerpta Genuenſium *cap.* 6. Agnoſcamus præſciſſe Deum quibus eſſet daturus vt crederent, &c.

Reſp. Ad 1. *S. Aug. Lib.* 1. & 2. contra *Iul.* exhibet quaſi Synodum generalem ex omnibus Sanctis Epiſcopis, & Patribus Græcis & Latinis ante ſe, pro gratia vt gratuita ſeu priore meritis: quantò magis pro gratioſiſſima Prædeſtinatione Dei, ante omnia noſtra merita? *Libris autem de Prædeſt. & Perſeuer.* directè reſpondet ad hanc ipſam calumniam nouitatis: ſuam doctrinam de Prædeſtinatione fuiſſe ſemper in Eccleſia ſaltem implicitè creditam, in ipſis precibus publicis, *Fiat voluntas tua* vtique illa æterna; nec ſuos tamen Prædeceſſores, nec ſeipſum ante hæreſim Pelagianam expreſsè diſputaſſe de Prædeſtinatione gratuita; ſed tantùm docuiſſe neceſſitatem gratiæ, & bonorum operum ad ſalutem. Vt patet ex *Lib. de Prædeſt. SS. cap.* 14. Vbi citato *S. Cyp. & Sap.* 4. pro dono perſeuerantiæ finalis, vt proprio ſolis prædeſtinatis: *Quid opus eſt*, inquit, *vt eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam Pelagiana hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili quæſtione ad ſoluendum verſari? Vnde factum, vt de gratia Dei, quid ſentirent, breuiter attingerent: immorarentur verò iis quæ aduerſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant, & in exhortationibus ad virtutes, &c. Frequentationibus autem orationum ſimpliciter apparebat Dei gratia quid valeret: non enim poſcerentur à Deo quæ præcepit fieri, niſi ab illo donaretur vt fierent.* A quo autem, vel per quem potiùs quàm per *B. Aug.* hoc fuit explicitè docendum: non tamen ſub æquali certitudine Fidei de Prædeſtinatione ad gloriam ac ad gratiam ante omnem reſpectum ad merita. Quia *Cæleſtinus Papa ad Epiſcopos Galliæ cap.* 11. expreſsè diſtinguit in doctrina *B. Aug.* ea quæ ſunt Fidei, à profundioribus difficilioribuſq; partibus incurrentium quæſtionum: *Quas*, inquit, *ſicut non audemus contemnere, non neceſſe habemus aſtruere.* Quarum ſine dubio maxima eſt de prædeſtinatione ante vel poſt merita præuiſa.

Ad 2. Ipſe *B. Aug. Lib.* 1. *Retr.* 23. expreſsè retractat ſuam illam Expoſitionem in *Rom.* 9. *Prop.* 60. Nondum, inquit, diligentiùs quæſiueram, nec adhuc inueneram qualis ſit electio gratiæ. *Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 3. 9. Cernitis me *Epiſt.* 49. *q.* 2. ſine præiudicio latentis conſilij Dei, aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, &c. Sed vtrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinauerit Deus, quærere ac diſſerere tunc neceſſariò non putaui. *Lib. De dono Perſeu. cap.* 9. Contra Manichæos agebam. Libris de libero Arb. ideo quæſtiones operoſiſſimas incidentes enucleatè ſoluere nolui. *Cap.* 18. Aliquando eadem prædeſtinatio ſignificatur nomine præſcientiæ, &c. Sine dubio enim præſciuit, ſi prædeſtinauit: ſed prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus .i. omnia bona à ſe prædeſtinata, indeque præſcita, ac ſuo tempore futura per gratiam, ad diſtinctionem ab omnibus malis quæ Deus non facit ex ſe. Præ quibus omnibus bonis, eſt ipſa viſio, & fruitio beatifica, ex ſolius Dei influentia obiectiua & ſaltem principali actiua. Sic & *cap.* 19. *De dono Perſeu.* 109. explicat ſuos Prædeceſſores, de præſcientia pro ipſa prædeſtinatione. *Quæſt.* 68. ex 83. Vel hæc voluntas Dei refertur ad ſolam immediatè præcedentem, qua Deus quem vult indurat: vt hæc ſola veniat *de occultiſſimis meritis* malis peccati originalis. Vel de ipſa voluntate miſerendi vnius præ alio; vt veniat *ex occultiſſimis meritis* ipſius prædeſtinationis. Non quaſi Deus in ſeipſo propriè mereatur prædeſtinando; ſed obiectiuè facit prædeſtinatos mereri .i. eſſe dignos præ alijs electione liberatiua à reliqua maſſa perditionis. Vel per *occultiſſima merita* intelligi poteſt quædam ratio Dei inſcrutabilis. Vel denique poteſt *B. Aug.* intelligi de neceſſaria quadam diſpoſitione gratuita interna vel externa ad iuſtificationem habitualem vnius præ alio. *Lib.* 1. *Ad Simpl. q.* 2. Pleraque problematicè diſputat: ſed ſatis expreſsè contra illam iuſtificationem ante electionem, ſeu contra neceſſariam æqualitatem inter duos vel plures ad electionem; vt patet ex hoc contextu ſequenti. *Si electio hìc fuit aliqua gratia,* Rom 11. *non vt iuſtificatorum electio fiat ad vitam æternam, ſed vt eligantur qui iuſtificentur: certè ita occulta eſt hæc electio, vt in eadem conſperſione nobis prorſus apparere non poſſit; aut ſi apparet quibuſdam,*

Digitized by Google

electione mediorũ; vel de ipſa Electione ex omnibus poſſibilibus, aut horum præ illis pro 1. inſtanti exiſtẽtiæ. Hęc autem poſſunt intelligi de Prędeſtinatione & electione vnius præ alio, inter omnes æquè reos. Quem modũ & ſenſum frequentiùs exprimit *B. Aug.* tum ad maiorẽ commendationem Fidei de peccato originali; tum ad maiorem laudem & gloriam gratiæ Dei, inter omnes æquè reos vni præ alijs collatæ; tum ad faciliorem captum Iuſtitiæ Diuinæ in liberandis, aut non liberandis æquè reis. 3. Quia *S. Aug.* ſupponit Prædeſtinationem pro intentione beatificandi, eſſe tam certam, ac eſt ipſa voluntas creandi: ſed difficultas erat cum *Pelagianis* de ſola prædeſtinatione, ſeu electione vnius præ alio ex maſſa perditionis. 4. Quia cùm *B. Aug.* præcipuè ageret contra *Pelagianos* de gratia Chriſti, ſeu liberatiua à peccatis: meritò incipit à Prædeſtinatione per primam gratiam liberatiuam à peccato originali. 5. Quia vt gratia, ſic & Prædeſtinatio poteſt eſſe liberatiua per præſeruationem: vel ab omnibus malis vt poſſibilibus, ante eorum permiſſionem.

Ad 5. Quamuis *Bellarminus* tribuat *S. Proſpero* duos illos libros, quos ſupra retulimus ſub nomine *S. Ambr.* ſicut & tribuit *Nemeſio* antiquo Philoſopho Chriſtiano libros quos ſupra retulimus ſub nomine *S. Gregorij Niſſeni*: Poſſunt tamen & hi tribui *Greg.* quia nec ſunt indigni hoc Authore, & *S. Ioan. Damaſc. col.* 391. non pauca verbatim inde reſumpſit; & illi, *S. Ambroſio* potiùs quàm *Proſpero*; quia nec ſunt directè contra ſolos Pelagianos, ſed etiam priores errores; pluſque extendunt voluntatem Dei ſaluandi omnes per veras aliquas gratias, quàm ſoleat *B. Aug.* & *S. Proſper* ex *Aug.* Vt patet ex lectione, & collatione. Nec ſi ſint *B. Proſperi*, ſunt vllatenus contra hanc Doctrinam *B. Aug.* Si enim ſubeſt aliqua cauſa ſoli Deo cognita, ſeu à nobis incognoſcibilis, vocandi & præſeruandi vnum præ alio: hæc cauſa non poteſt eſſe notiſſima illa præuiſio meritorum, aut merita vllo modo futura & præuiſa; ergo hæc cauſa eſt potiùs ipſa ſecretiſſima Dei prædeſtinatio. Quantum autem *S. Proſper* ſuffragetur huic Doctrinæ *B. Auguſtini* patet ex ſupra citatis. Nec *Lib. 1. cap.* 13. *aut lib. 2. cap.* 3. negat Deum primò voluiſſe creare hominem ex intentione abſoluta aliquos ſaltem beatificandi: ſed diſtinguit inter primam illam intentionem creandi, & actualem creationem reproborum propter peccata præuiſa, &c. vt ſupra. Nec *lib. 3. cap. 6.* dicit Deum præſciſſe quos prædeſtinaret: ſed quibus daturus eſſet vt crederent. Vnde autem præſciſſet quibus eſſet daturus, niſi ex propria voluntate dandi? Sed difficilius eſt *lib. 1. cap. 16. ad* 8. *Præſcitos prædeſtinauit, prædeſtinatos vocauit, &c.* Poteſt tamen intelligi prædeſtinaſſe præſcitos, vt ſint ab æterno præſciti; non quia erant. Vt ſi *Eph.* 1. ſcriptum eſſet, *Deus elegit nos Sanctos*: poſſet intelligi, *vt ſimus Sancti*, non quia eramus. Nec obſtat quòd ſubdit, *Prædeſtinatos vocauit, &c.* quos tamen vocando non fecit prædeſtinatos, &c. Quia nec *Apoſt. Rom.* 8. nec *B. Proſper* obſeruat eundem ordinem inter præſcientiam, & prædeſtinationem, quem inter hanc & vocationem, iuſtificationem, ac glorificationem: ſed vt ſupra, *col.* 495. 496. 498. 507.

Difficultates ex noſtris Authoribus.

AL. p. 1. q. 28. De Prædeſtinatione. *m. 2. a.* 1. *Prædeſtinatio eſt exiſtentium in præſcientia.* Ergo ſupponit exiſtentiam præuiſam: ipſa autem intentio creandi, non ſupponit exiſtentiam. *Art.* 4. Prædeſtinatio communis naturæ intellectualis, eſt præſcientia beneficiorum Dei, & præparatio alicuius ad gloriam: Sed ſpecialis naturæ humanæ, eſt *Propoſitum miſerendi poſt lapſum*, & præparatio gratiæ in præſenti, gloriæ in futuro *ante lapſum.* Ergo noſtra ſupponit lapſum: vel ante lapſum eſt priùs ad gratiam, quàm ad gloriam. *M. 3. a.* 1. Prædeſtinatio nec quoad præſcientiam, nec quoad gratiam, eſt ex meritis; *ſed quoad gloriam. Art.* 3. Præſcientia non poteſt eſſe cauſa, *ſed ratio Prædeſtinationis, &c. Ad* 3. Deus ex *æquitate dat gratiam ei, quem ſcit bene vſurum: ſed ex bonitate dat gratiam facienti quod in ſe eſt.* Ergo Prædeſtinatio eſt ex præſcientia meritorum, & demeritorum. *Quæſt.* 30. De Electione Diuina. *Memb.* 5. *Cauſa electionis eſt ex ſolo Deo: ratio autem electionis poteſt eſſe cooperatio noſtra.* Ad 1. *Deus diſtribuit cuiq; ſecundùm propriam virtutem .i. cooperationis, vel gratiæ gratis datæ.* Ad 2. *Merita dicuntur occultiſſima, vt ſunt in Dei præſcientia.* Ad 3. *Capacitas naturalis hominis, eſt ad gratiam gratis datam, non autem ad gratum facientem.* Ergo ſupponit aliquam præſcientiam meritorum, & demeritorum, ad noſtram prædeſtinationem.

S. Bon. in 1. diſt. 40. *a.* 1. *de Prædeſt. Quæſt.* 2. *Prædeſtinatio importat præſcientiam diſpoſitiuè, voluntatem effectiuè, potentiam executiuè.* Ergo ſupponit aliquam ſcientiam: non ſolùm communem omnium æquè poſſibilium; ergo futurorum abſolutè, vel conditionatè. *Art.* 3. De Electione. *q. 1. ad 3. Si homo non peccaſſet, fuiſſet electio meliorum ex bonis, non bonorum ex malis.* Ergo quia boni, vel meliores, *Diſt.* 41. *A. 2. q.* 1. Non cadunt ſub meritum quoad ipſum actum æternum, ſed quoad connotata. *Quæſt.* 2. Non habent in Deo cauſam motiuam ipſius actus diuini, nec cauſam meritoriam huius ordinationis: nec tamen ſolum placitum volũtatis Dei, abſque vlla ratione. Quia ex 1. *Retr.* 23. Voluntas Dei eſt rationabiliſſima: nec hoc eſſet tantum ſecretum, ſi non haberet aliam rationem, quàm quia ita Deo placet. Sed habet ſuam rationem congruam ac decentem: nobis notam in genere, manifeſtandi nobis ſuam Miſericordiam, & Iuſtitiam; ignotam in particulari, cur potiùs circa hunc, quàm illum, &c.

Scotus diſt. 41. à *n.* 2. *ad* 4. *B. Aug.* retractans quædam in *q.* 68. *ex* 83. non retractat *occultiſſima illa merita prædeſt. A n.* 11. Poteſt aliter dici, quòd nulla ſit ratio præuiſa prædeſt. nec ex parte prædeſtinati: ſed ſit aliqua cauſa Reprobationis; non propter quam Deus ipſe velit, ſed eius volitio ſic terminetur, reprobando vnum, non alium, &c. *Contra.* Si Deus primò vult *Petro* Beatitudinem: quid vult tunc *Iudæ* æquali in naturalibus? Dici

poteſt

poteſt, quòd in iſto primo inſtanti nihil vult *Iudæ*: ſed tantùm eſt ibi negatio volitionis gloriæ. Nec quaſi in 2. inſtanti naturæ, quando vult *Petro* gratiam: nullus eſt adhuc actus poſitiuus voluntatis Dei circa *Iudam*, ſed tantùm negatiuus. In 3. inſtanti vult permittere *Iudam* eſſe filium perditionis, &c. *In* 4. inſtanti *Iudas* offertur vt peccator finaliter: & tunc Deus vult eum iuſtè punire, &c. *Infra.* De his opinionibus, ne ſcrutando de profundo eatur in profundum: eligatur quæ magis placet, dum tamen ſaluetur libertas diuina ſine iniuſtitia, & alia quæ ſaluāda ſunt circa Deum, vt liberaliter eligentem.] Quæ non videntur conuenire cum *S. Bon. Alenſi*, *B. Aug.* & ipſa ratione perfectè operandi, nonniſi ex intentione finis: Ergo & neminem creandi, niſi ex aliqua intentione ſalutis.

Reſp. *Ad Al. ex q.* 24. De Præſcientia. *m.* 2. *Præſcientia approbationis poteſt dici cauſa.* *Ad* 2. B. Aug. *ſumit Præſcientiam non ſpeculatiuè pro ſimplici notitia, ſed practicè pro approbatione.* Non pro approbatione meritorum futurorum, abſolutè vel ſub conditione; ſed huius modi prædeſtinandi, & ordinis, ac numeri prædeſtinatorum, inter plurimos alios modos, numeros, & ordines poſſibiles. Quæ approbatio apud *Al. q.* 28. *a.* 1. eſt ipſa Prædeſtinatio, opponiturque reprobationi. Hinc ad *q.* 28. *m.* 2. *a.* 1. *Prædeſtinatio eſt exiſtentium in præſcientia:* non quaſi meritorum, ſed vt ſubiectorum capacium; nec quaſi præexiſtentium, ſeu præfuturorum, quàm prædeſtinentur; ſed eodem actu priùs terminato ad ſubiectum, quàm ad eius finem. *Art.* 4. Definit quidem Prædeſtinationem vt communem naturæ rationali, per *præſcientiam, & præparationem*: ſed vt, *B. Aug.* ſupra, per *præſcientiam* vt in qua obiectiuè præparetur gratia & gloria; vel per *præſcientiam* pro ipſa præparatione, ſeu prædeſtinatione; vel per *præſcientiam approbationis.* Definit Prædeſtinationem ſpecialem naturæ humanæ, per *Propoſitum miſerendi* poſt lapſum. i. vel executiuè, vt ſupra; vel per propoſitum ante lapſum, miſerendi etiam poſt lapſum. Propoſitum enim abſolutum beatificandi, ſuppoſita ſola notitia omnis lapſus ſeu impedimēti poſſibilis, eſt etiam propoſitum miſerendi, & adhibendi media & remedia efficacia ad finem. Hinc ſubdit: Quòd ſit etiam *præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro ante lapſum.* Quæ non poteſt eſſe tota irrita, & quaſi renouāda poſt lapſum, ſine aliqua imperfectione prouidentiæ. *Ad Memb.* 3. *a* 2. Prædeſtinatio ad gloriam, poteſt eſſe ex meritis præfuturis quoad exiſtentiam, non autem præintentis. *Art.* 3. Præſcientia non poteſt eſſe cauſa Prædeſtinationis: quia nec ipſa eſt actiua, nec prædeſtinatio eſt cauſabilis, nec differunt realiter. Sed illa poteſt eſſe ratio obiectiua, & terminatiua, non motiua, nec directiua prædeſtinandi, id eſt, ratio in qua obiectiuè prædeſtinatur. *Ad* 3. Deus ex æquitate ſuæ promiſſionis dat gratiam actualem ei, quem in ſtatu gratiæ, ſcit ex proprio decreto, bene vſurum illa gratia actuali. Sed ex Bonitate dat gratiam facienti quod in ſe eſt. i. extra ſtatum gratiæ, diſponenti ſe ad ſtatum gratiæ per aliquam gratiam præuenientem. Vt in 2. *col.* 482. 483. *& in* 3. *col.* 60. 51. 384. 385. *In* 4. *col.* 756. 757. *Ad Quæſt.* 30. Cauſa electionis eſt ex ſolo Deo. i. non tam actiua, quàm finalis & motiua; quia electio Dei non poteſt habere cauſam actiuam ſui, vt expreſsè *Al.* ſupra. Ratio autem electionis, poteſt eſſe cooperatio noſtra. i. non ratio motiua, ſed terminatiua. Quia ſi electio diſtinguatur ab intentione, terminatur ad media, inter quæ eſt noſtra cooperatio: ſi autem ſumatur etiam pro intentione finis per media, habet etiam ipſa media pro termino, non ſolùm vt effectu actuali, ſed etiam vt obiecto futuro ex ipſa Dei electione. *Ad* 1. Deus diſtribuit cuique ſecundùm propriam virtutem: non naturalem; ſed vel ſolius gratiæ, vel etiam cooperationis noſtræ ex gratia. *Ad* 2. Merita dicuntur à *B. Aug. occultiſſima*, vt ſunt in Dei præſcientia: non quoad quædam bona vel mala merita, ſeu quòd ſint aliqua; ſed quæ ſint ſingulorum, & præ omnibus quod ſit illud malum originale omnium, & quod illud bonum ſpeciale quo aliqui præ alijs liberantur ab illo malo. *Ad* 3. Capacitas naturalis, ſed paſſiua, eſt ad gratiam gratis datam, immediatè: ſed non ad gratiam gratum facientem, niſi mediante gratia gratis data. i. vel interna actuali, vel externa ſacramentali.

Ad S. Bon. Prædeſtinatio importat ſcientiam, diſpoſitiuè. i. Non præſcientiam meritorum, abſolutè vel conditionatè futurorum, ad prædeſtinandum ex illis; ſed ſcientiam omnium poſſibilium, vel etiam præſcientiam futurorum mediorum in executione. Quia ex *B. Aug.* ſupra, prædeſtinatio diſponit ſuam executionem, & omnia eius media, in Præſcientia, obiectiuè. Sic & de electione executiua bonorum ex malis, & meliorum ex bonis: qua boni fiunt boni, & meliores fiunt meliores, non autem quia priùs ſunt tales. *Ad Diſt.* 41. Prædeſt. Reprob. non cadunt ſub meritum quoad ipſum actū æternū: ſed quoad connotata. i. vt hæc ſunt illorum effectus aut permiſſiones, non autem vt fines; ſicque nec ſecundùm intentionem, ſed executionem. Hinc *q.* 2. expreſsè negat cauſam meritoriam huius ordinationis: tribuitque ei ſolam rationem congruam ac decentem; vt nobis quidem notam in genere, ad manifeſtandam Dei Miſericordiam, & Iuſtitiam; ſed ignotam in ſingulari, cur potiùs per hunc, quàm per illum. Ergo per hanc rationem, non intelligit meritoriam, nequidem de congruo: ſed ſolam rationem Sapientiæ Dei, ex ſeipſa.

Ad Scotum. *S. Aug.* non retractauit illa *merita occultiſſima*: vt mala, & ſolius reprobationis poſitiuæ à gratia & gloria, ob peccatū Originale. Nec retractauit merita vt bona, & *occultiſſima* Chriſti, pro noſtra prædeſtinatione, vel eius executione. Nec denique retractauit illam *occultiſſimam* dignitatem vnius præ alio in maſſa damnationis, ad liberationem inde, ex vi prioris Prædeſtinationis, ſeu intentionis abſolutæ. Ad reliqua: *Scotus* per, *dici poteſt*, non exprimit propriam & abſolutam ſententiam; ſed eam problematicè ſuſpendit, ſalua libertate, æquitate, & liberalitate Dei. Libertas autem, & liberalitas Dei, euidentiſſimè & glorioſiſſimè reſplendent in prædeſtinatione

tione

Digitized by Google

tione aliquorum præ al js, ex ſolo proprio motu voluntatis Dei, ante omnem reſpectum ad merita, abſolutè vel conditionatè futura: ſed æquitas videtur contraria reprobationi illi negatiuæ ab omni gratia & gloria, ex ſola libertate Dei, abſque vllo reſpectu aut motiuo peccati; quia ex illa Reprobatione negatiua, neceſſariò, ſaltem neceſſitate infallibilis conſequentiæ, ſequitur Reprobatio poſitiua. Itaque non videtur *Scotus* per illud, *nihil velle Iudæ*, ſeu per illam non volitionem vllius gratiæ & gloriæ: intelligere nihil prorſus gloriæ & gratiæ, aut nullo modo ei velle; ſed vel non velle æquè ac *Petro*, vel nihil gloriæ & gratiæ velle ipſi *Iudæ* immediatè & perſonaliter, ſed ſolùm mediatè, virtualiter, & antecedenter in *Adamo*. Vt ſupra *col.* 409. 410. de voluntate antecedente & conſequente, & de velle Dei antecedenter & conſequenter. Cùm enim *Scotus* tam certò ſupponat Deum velle & dare quædam antecedenter, ſeu virtualiter & mediatè, quæ vellet & daret ex ſe conſequenter, immediatè, & formaliter, ſed non dat ex aliquo defectu noſtro culpabili: Cenſet etiam Deum voluiſſe, & dediſſe omnibus antecedenter ſtatum aliquem Beatum; ſingulis quidem Angelis, in ſeipſis; nobis autem, in *Adamo*. Quod non eſt nihil beatitudinis & gratiæ voluiſſe *Iudæ*, ſeu non prædeſtinatis: ſed vel non voluiſſe illis eandem beatitudinem æternam, & indefectibilem; vel non voluiſſe eis niſi virtualiter, mediatè, & dependenter à perſeuerantia propria, vel *Adami*. Quod ſufficit ad confitendam Dei æquitatem, & cauendam neceſſitatem damnationis. Potuiſſent enim & Angeli, & primi Parentes, ſaltem perſeuerare in eodem ſtatu beatitudinis, in quo creati erant. Vt ſæpè & expreſsè *B. Aug.* & ex illo *Scotus in* 2. *diſt.* 20. 21. 22. 32.

Contra. Scotus in 2. *diſt.* 37. *q.* 2. refert *voluntatem antecedentem & conſequentem*, ad eandem Perſonam: cui Deus dat vim liberam, & daret eidem effectum, ſi ipſa vellet; non autem ad *Adamum* pro omnibus. Sic enim quicquid dediſſet vni pro altero, imputaretur datum aut non datum huic, ex culpa illius. *Reſp.* Imò expreſsè *in* 2. *diſt.* 32. ſupra *col.* 185. id ipſum refert ad *Adamum*, & nos: vt nos in 2. *col.* 523. non tamen æquè, ſed aliquo modo ad quoſlibet. Quia priuatio gratiæ originalis ex ſola culpa actuali *Adami*, imputatur nobis ad peccatum originale: ſed aliæ priuationes vnius, ex culpa alterius, non imputantur Deo, quaſi non dediſſet; nec ei qui non accepit actu, ſed ei ſoli qui pro altero accepit. Vt priuatio Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum, fidei, doctrinæ, conuerſionis, & ſalutis, meritò imputatur Parentibus, & Maioribus: quibus Deus dedit ad hæc poteſtatem, & obligationem; minimè autem Deo, ſed nec ad nouam culpam ijs qui actu non acceperunt, quia non potuerunt.

Contra. Scotus in 2. *diſt.* 20. *q.* 1. & 2. ſupra, *col.* 139. cenſet nullos reprobos, ſed ſolos nunc electos, naſcituros fuiſſe, ſi *Adam* non peccaſſet. Idque non ſolùm ex *S. Greg.* ibidem citato; ſed etiam ex *S. Aug.* 1. *Retr.* 13. ſupra *col.* 475. Ergo *Scotus* ſupra, intendit Deum nihil gratiæ voluiſſe reprobis, nec in ſe, nec in *Adamo*: imò nec voluiſſe eos eſſe, niſi ex occaſione peccati; ad ſolum finem naturalem eſſendi, generandi, operandi, vel ſupernaturalem, ſeruiendi Deo ad gloriam & electis ad meritum, & oppoſitionem. *Reſp.* Hæc difficultas videtur grauiſſima, tam ex *B. Aug.* ſæpè, quàm ex *Scoto*: qui eadem *diſt.* 20. *q.* 1. negat filios *Adæ* confirmandos fuiſſe in gratia ex ſola victoria primæ tentationis *Adami*, niſi & ſinguli ſuæ primæ tentationi reſtitiſſent: Et *diſt.* 32. *ad* 2. *arg. in diſt.* 31. ſupra *col.* 186. ſupponit *Adamo* non peccante, *Cain* futurum fuiſſe, peccare potuiſſe, & huius filios ab eo contracturos fuiſſe peccatum originale. Sed facillimè reſolui poteſt: vt omnes ſimiles dictiones conditionatæ, ſint tantùm incertæ coniecturæ de tota alia ſerie prouidentiæ Dei, variata aut diſſoluta vnica connexione. Vt enim ſæpè monuimus in noſtro Commentario *B. Aug.* quamuis Prouidentia Dei diſtinguatur in naturalem, & ſupernaturalem, noſtra quadam illius præciſione, a fine & medijs ſupernaturalibus: tota tamen re ipſa eſt ſupernaturalis, ſeu non ſiſtit in vllo fine naturali; ſeu non vult vlla naturalia, niſi ad & propter finem ſupernaturalem; nec procedit inadæquatè & occaſionaliter, per quædam ſupplementa & ſarcimenta; ſed adæquatè ex infinitis & integris ſeriebus poſſibilibus omniũ compoſſibilium, decreuit hanc ſolam & totam ſimul, hoc ordine & ſubordinatione. Vt enim qui præ memoria actuali haberet omnes poſſibiles compoſitiones numerorum, & conſtructiones litterarum, ac vocum: non procederet componendo ac conſtruendo, delendo, & ſupplendo; ſed totam aliquam compoſitionem, ac conſtructionem ſimul & ſemel eligeret. Sic & de Sapientia Dei ſentiendum: ſenſitque *B. Aug.* negans vbique illa conditione futura; & ipſe *Scotus in* 1. *d.* 41. *in* 3. *d.* 7. *q.* 3. *d.* 32. *q.* 1. ſupponendo pro certo, Deum primò velle finem ſupernaturalem, & omnia propter illum. Itaque quicquid *B. Aug.* 1. *Retr.* 13. *Lib.* 14. *Ciu.* 23. 26. aut alibi, & *Scotus* ſupra, de futuris aut non futuris, ſi *Adam* non peccaſſet: non afficit hanc ſeriem Prouidentiæ; ſed aliquam aliam poſſibilem, & fortè credibiliùs futuram. Nec ideo deficit noſtra illa probatio Prædeſtinationis ante permiſſionem & præuiſionem peccati originalis, ex eiuſdem ſuppoſitione à *B. Aug.* etſi *Adam* non peccaſſet: quia *B. Aug.* non ſupponit eandem vt futuram fuiſſe ex aliqua priore conditione; ſed vt priorem actu, & independentem ab omni alia conditione. Vt latius ex profeſſo *Tomo* 2. *noſtri Commentarij*, *col.* 543. 544. & *à col.* 831. *ad* 835. Denique quicquid ex *B. Aug. Scoto*, aut aliunde proferri ſolet, & poteſt, de creatione reproborum ad ſolum finem naturalem eſſendi, generandi electos, operandi, & ornandi hunc mundum, vel ſupernaturalem exteriorem, ſeruiendo Deo tantùm materialiter ad iuſtitiam, electis ad patientiam, probationem, &c. non eſt intelligendum ex prima intentione Dei, ſed ſolùm conſequenter .i. Quòd licet deficiant à fine intento: non tamen deſint Deo alij fines, ad quos eis vtatur. Vt ſæpè & expreſsè *B. Aug. Lib.* 3. *De Lib. Arb. cap.* 19. *Lib. De Spiritu & lit. cap.* 33. De vſu ſerui nolentis obedire in melius, ad mundandam

Digitized by Google

domus cloacam, molendum in pyſtrino, &c. Imò ideo *S. Aug. S. Greg. Scotus*, & alij cenſent nullos reprobos, ſed ſolos electos naſcituros fuiſſe, ſi *Adam* non peccaſſet: quia creaturæ rationales non poſſunt eſſe, nec creari, niſi ad aliquam beatitudinem. Nec Angeli mali creati fuerunt ex vllo proprio demerito, nec vlli homines ex demerito *Adæ*, ad ſolam damnationem: ſed ad aliquam ſaltem beatitudinem; à qua deficientes, non ideò non ſunt creati, ſed ad vſum alium applicati. Cùm enim Chriſtus non meruerit nouorum aut vllorũ hominum creationem, ex *B. Aug. Epiſt. 6.* quantominùs *Adam* id demeruit?

Terrores & conſolationes rationales fidelium: ex periculo Prædeſtinationis & Reprobationis.

1. NVnquid præſtaret non eſſe, aut quidlibet aliud eſſe, quàm ſubeſſe tanto periculo Prædeſtinationis, aut Reprobationis? Hinc enim *Chriſtus* de *Iuda*: Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille, *Matt. 26. Marc. 14. Reſp.* ex *B. Aug. Lib. 3. De libero Arb. cap. 6. 7. 8.* Neminem malle non eſſe, quàm miſerum eſſe: imò nec ordinatè, nec abſolutè poſſe illud malle. Quia, non eſſe, nihil habet volibile aut eligibile: ſed miſerum eſſe, habet ſaltem aliquod eſſe, cuius appetitus naturali anagogicè tendit ad ipſum ſummum Eſſe Dei. Vt *B. Aug. cap. 7.* Si magis magiſque eſſe volueris: ei quod ſummè eſt propinquabis. *Infra.* Huic exordio quo eſſe vis, ſi adijcias magis magiſque eſſe: conſurgis in id quod ſummè eſt, &c. *Contra.* Non ſola Reprobatio actualis, & æterna: ſed & eius periculum præſens, & maximè eius demeritum ſeu peccatum, eſt incomparabiliter peius; quàm ſit malum non eſſe, aut quàm ſit bonum eſſe creaturam rationalem. Ergo illud malum eſt potiùs quàm hoc nolendum, & quam hoc bonum volendum. *Reſp.* ex *Al. P. 4. q. 68. m. 1. a. 6.* Non eſt abſolutè malenda pœna æterna, quàm peccare vel peccaſſe: quia vel illa non eſt ſine culpa noſtra æterna, vel eſſet cum culpa ipſius Dei, damnando innocentes; ſed tantùm conditionatè, ſi poſſet eſſe ſine culpa noſtra, & ſine iniuſtitia Dei. Ergo potiùs abhorrendum eſt à peccato, & ab ipſo periculo peccandi: quàm ab actu, effectu, vel periculo Reprobationis. Quia actus eſt Deus ipſe, optimus & æquiſſimus: effectus ſeu pœna, eſt melior peccatori, quàm impunitas; ſed cauſa ſeu culpa, eſt peſſima. *Contra.* Saltem periculum peccati, & Reprobationis ex eſſe creaturæ rationalis, eſt peius, quàm eius non eſſe ſit malum, vel quàm eius eſſe ſit bonum. *Reſp.* Periculum illud remotum ex ſolo eſſe creaturæ rationalis, eſſe minus malum, quàm eius non eſſe, & quàm capacitas & ſpes fidelium ad æternam Beatitudinem, ſit bona. Vt vt ſit ergo de infidelibum: hic ipſe horror fidelium, ab omni cauſa & periculo reprobationis æternæ, eſt ordinarium medium ac remedium cauendi illud ſummum malum, & motiuum ſperandi ſummum bonum oppoſitum. Ad illud Chriſti de *Iuda*: Chriſtus non comparat eſſe vel non eſſe *Iudæ*, ſed natum eſſe: nec cum aliquo periculo damnationis: ſed cum execrabili, & pertinaci peccato proditionis, & tam proximo periculo damnationis.

2. Cùm *Matt. 7.* ſit tam arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci intrent per eam. *Matt. 20.* Multi ſint vocati, pauci verò electi. Quis non potiùs deſperet, quàm ſperet, ſe eſſe ex illi tam paruo, tam ſancto, tam beato numero? *Reſp.* 1. Ex *1. Cor. 9. Neſcitis quòd qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt: ſed vnus accipit brauium. Sic currite, vt comprehendatis.* Si ergo omnibus eſſet ſperandum & currendum, quamuis vnicus peruenire poſſet: quantò potiùs concurrendum ad ſtatum Beatitudinis, tam multis communem? 2. Ex *Apoc. 7.* Vbi numeratis duodecim millibus ſignatis, ex ſingulis tribubus Iſrael: *Poſt hæc*, inquit *S. Ioan. vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & populis, & linguis, &c.* Ex quibus cùm ſemper fuerint, ſintque incomparabiliter plures infideles, quàm fideles: electique fideles ſint tam innumerabiles: non cenſentur pauci comparatiuè ad plures fideles damnandos, ſed ad infideles, & ad quandam beneuolentiam Dei ſaluandi omnes, & ad ſufficientiam beatificandi plures in infinitum. Cùmque ſint electi ex omnibus *Gentibus*, *Tribubus*, *Linguis*, abſque vlla acceptione perſonarum: quis deſperet, imò quò vilior, & indignior ſibi videtur, non potiùs vel inde ſperet, ſe eſſe vnum ex illis? Hæc enim ipſa humilis de ſeipſo quaſi deſperatio, eſt optima ad ſperandum in Deum ſolum diſpoſitio. Nec qui plus mouentur paſſione ſpei, vel deſperationis, plùs, ſed minùs ipſa virtute ſperare, aut vitio deſperare cenſendi ſunt. Illi autem veriùs & perfectiùs ſperant, minimeque deſperant: qui minùs de ſeipſis præſidunt & præſumunt; pluſque cum *Apoſt. 1. Cor. 9.* verentur & laborant, ne reprobi efficiantur; & ex *1. Pet. 1.* ſatagunt vt per bona opera certam ſuam vocationem & electionem faciant. Quod valde obſeruandum, & commendandum eſt fidelibus, contra hæreticorum præſumptionem, & iactantiam, quaſi de Fide & Spe certiori ſuæ ſalutis, quàm noſtra ſit. Cùm illa eorum prætenſa fides, & ſpes, non ſit ex vera virtute fidei & ſpei infuſæ, nec verbo Dei, traditione, aut reuelatione ſpeciali acquiſitæ; ſed ex ſola paſſione, & vitio arrogantiæ, præſidentiæ, & præſumptionis propriæ, de ſua præ alijs iuſtitia, perfectione, & dignitate, etiam coram Deo. Quæ præſumptio Phariſaïca, & Luciferiana, meretur ſimilem reprobationem: eique oppoſita humilis adſpiratio, oppoſitam approbationem. Ex illo principio tam ſæpè verbo Dei commendato, *Luc. 1. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Luc. 14. 18. &c.*

3. Cùm Prædeſtinatio & Reprobatio ſint ab æterno, ſicque tranſierint quaſi in rem iudicatam, & inappellabilem, ſeu immutabilem: quid ſpei, quid conſilij, quid remedij ad hanc cauendam, vel reddendam illam in ſe aut nobis certam, per vlla bona opera, tota æternitate poſteriora? *Reſp.* 1. Ex *Doctore noſtro Subtili, in 1. d. 40. q. 1. Ad 1. Arg.* Præteritum eſt neceſſarium: ſed Prædeſtinatio Dei nõ præterit; quia eſt æterna, & æquè præſens ac ſi inciperet. Vnde fallimur tantùm falſa imaginatione præteriti. 2. Ex noſtro *Andrea Vega, Lib. 12. De Iuſtif. in Trid. cap. 22.* Dum populis

Digitized by Google

populis prædicamus veritatem fidei de prædeſtinatione, vel neceſſitatem gratiæ, &c. cuperem clarè & diſtinctè tradi, perinde eſſe in noſtra poteſtate omnia exercitia virtutum, ac ſi ſolus generalis Dei concurſus ſufficeret, imò ſola noſtra voluntas,&c. perindeque ſubeſſe noſtræ poteſtati ipſam conſecutionem Beatitudinis, ſi non prædeſtinauerit Deus,ac ſi prædeſtinaſſet,&c. Neque nos aliter noſtræ ſaluti debemus per obſeruantiã mandatorum intendere, & ipſius opem aſſiduis & importunis gemitibus flagitare: quàm ſi nihil ipſe prorſus de nobis neque ſciuiſſet, neque ſtatuiſſet; ſed noſtram prorſus expectaret ad omnia voluntatem. Poteſt namque,quòd vt maximè mirabile, ita & veriſſimum & certiſſimũ eſt, poteſt(inquam) abſque vlla ſui prorſus mutatione, & ſcire & velle, imò & ſciuiſſe & voluiſſe ab æterno oppoſita omnium eorum,quæ de nobis præſciuit & præuoluit. Et hæc ſæpè deſideraui, vt *Aug.* palam & apertè reſpondiſſet,&c. Quæ *Gabriel Pennottus Nouarienſis lib.4. propugnaculi humanæ libertatis cap.24.* latè & moraliter explicat. Ex ſacra Script. quæ loquitur de æternitate vt præſentiſſima. Ex SS.PP. ipſoque *S. Aug.* ita interpretante ſeipſum, *Lib. 6. Hypognoſticon,* ſub finem. *Nulli deſperationem demus,&c. Ipſius Dei erit poteſtatis, iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædeſtinationis indebitam prærogare.* Vnde cenſet tribui *B. Aug.* illud vulgatum: *Si non es prædeſtinatus, ora Deum vt prædeſtineris.* Ex DD. Scholaſticis, *S. Thoma in 1. d. 39. S. Bon. & Scoto in 1. d. 40.* Denique ex varijs rationibus ac ſimilibus. Vt, ex amore & odio eiuſdem à Deo, pro vario eius ſtatu & tempore, ſine vlla mutatione Dei: ex tam importunis tentationibus Dæmonis ad peruertendos ipſos Prædeſtinatos; à ſimili *S. Anſel. Lib. Concordiæ,* cum gladio & corona pendente, ſub quibus immobilibus poteſt ſe homo variè ſiſtere;ſicque cum colũna aut rupe immobili,aquâ præterfluente,&c.

Ne tamen hæc conſolatio ſit illuſoria, ſed veritate nitatur: non eſt intelligenda quaſi nunc poſſimus ex non prædeſtinatis fieri prædeſtinati, aut ex reprobatis fieri non reprobati: æquè ac ex iniuſtis & Deo odioſis ſimus iuſti, ex iuſtis ac Deo dilectis ſimus iniuſti,& Deo odioſi.Quia hæc dilectio aut odium Dei, eſt quidem ab æterno,& immutabiliter in Deo, quoad ipſum actum & terminationem eius: non tamen in æternum, ſed pro ſolo tempore,quo quis erit obiectum talis terminationis, ſeu dilectionis, vel odij. Sed Prædeſtinatio & Reprobatio, eſt dilectio & odium Dei ab æterno in æternum, cuiuſuis obiecti vt finaliter& æternaliter diligendi,vel odiendi.Quod non videtur *Nouarienſis* aduertiſſe: nec Libros *Hypognoſticon,* non eſſe *B. Aug.* ſed Authoris quidem Auguſtiniani; non tamen ſibi ipſi ſatis conſtantis. Cùm eodem *lib. 6. cap. 2.* tribuat præſcientiæ Dei cauſam Prædeſtinationis: quam tamen *cap. 6.* & alibi ſæpè tribuit ſoli electioni gratuitæ. Ex *Eph. 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* Nec ſub finem, cenſet Deum poſſe mutare ſuam ab æterno reprobationem, & prædeſtinationem: ſed *noſtrum,* inquit, *debitum damnationis, & ſuam gratiam prædeſtinationis* .i. ex prædeſtinatione oriundam, vel ad ipſum effectum prædeſtinationis, *prærogare.* Nec ex hoc poteſt illud vulgatum tribui *B. Aug.* ſed ſolùm ex *Serm. 15.* De Verbis Apoſt. *Si non es iuſtificatus: fac vt iuſtificeris,&c. Qui fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine te.* Quod eſt veriſſimum: quia iuſtificatio adultorum, per gratiam,eſt libera; nec fit, nec mutatur ſine noſtro conſenſu. Ideoque poteſt inferri, *Si non es prædeſtinatus,* ſecundùm præſentem ſtatum: *fac vel ora vt non ſis reprobatus, ſed prædeſtinatus,* ſecundùm ſtatum finalem & æternum. Sed illa ſuppoſitio, noſtraque imaginatio prædeſtinationis, & reprobationis, quaſi ab æterno præteritæ, & monitio ad orandum, & agendum pro huius in illam mutatione noua, vel futura: eſſet contradictoria ipſi æternitati, & prædeſtinationi, ac reprobationi non ſolùm ab æterno, sed & in æternum.

Sufficiat ergo vera conſolatio *Scoti,* quòd fallamur imaginatione Prædeſtinationis& Reprobationis,vt ab æterno præteritæ,cùm vtraque ſit ſemper præſentiſſima: & ſalutaris monitio noſtri *Vega,* ex *Apoſt.* laborandi & ſatagendi ne ſimus reprobi, ſed electi, æquè ac ſi necdum eſſemus, ſed fieri poſſemus; non ex vlla infidelitate, aut præſumptione naturali, ſed ex ſpe ac fiducia gratiæ præſentis ad cauendam in nobis omnem cauſam reprobationis, & ad meritum, vel potius effectum, fructum, & executionem prædeſtinationis. Cui ſoli executioni ſe Diabolus opponit: ex ignorãtia & inuidia prædeſtinationis.Nec illæ ſimilitudines congruunt Prædeſtinationi, & Reprobationi ab æterno in æternum: ſed ſoli dilectioni, vel odio Dei temporali, ſeu pro ſtatu & tempore quo obiecta ſunt Dei amore vel odio digna.

Contra. Hinc nulla eſt conſolatio: quia æquè eſt immutabilis æternitas, Prædeſtinatio, & Reprobatio actualis, & præſens,ac ſi eſſet ab æterno præterita. *Reſp.* Prædeſtinatio, & Reprobatio, vt ab æterno præterita, eſſet extra omnem potentiam Dei, nec vnquam fuiſſet in noſtra potentia prædeſtinari vel reprobari: ſed vt actualiſſima & præſentiſſima,eſt adhuc in potentia actuali Dei,& ſuo modo in noſtra; non vt fuerimus vel non, ſed vt ſimus actu prædeſtinati vel reprobati. Quod quidem de reprobatione ſaltem poſitiua, & fidelium adultorum, in omni ſententia Catholica ex prædictis ſatis patet. Hæc enim non eſt à Deo niſi ex cuiuſque culpa actuali,mortali pertinaci,& finali ac æterna, æquè à Deo præuiſa vt à quoque liberè futura, ac ſi ipſo facto eſſet: imò non tam vt præuiſa & futura, quàm vt viſa, præſente, exiſtente, actuali, finali, & actualiter demerente, ac præmerente ipſam actualiſſimam & præſentiſſimam reprobationem, vt natura & cauſalitate morali poſteriorem cuiuſque culpa & demeritò finali ac æterno, ſeu in æternum. Sic enim corrigenda eſt noſtra imaginatio:ne Reprobatio ab æterno quaſi præterita, videatur reprobos præuenire vlla contra eos ſententia, actione, aut priuatione: ſed ab eis cauſalitate morali, ſeu demerito præueniri:non vt præterito, & ab eis adhuc viatoribus irreuocabili; ſed vt præſenti,& quaſi prætereunte; imo nonniſi vt finali,& in æternum pertinaci.Nec reprobatio vt præ-

præſens & actualis videatur neceſſaria, immutabilis, aut à nobis independens: ſed æquè contingens, mutabilis, & à nobis moraliter dependens, ac ipſa culpa actualis, & finalis, quæ eſt illius demeritoria. Non quaſi ipſe actus Dei, & talis eius terminatio, poſſit in ipſo Deo mutari .i. fuiſſe & non eſſe, vel ſimul eſſe & non eſſe: ſed quod non ſit, nec eſſet in Deo, niſi ex noſtra culpa finali, ſeu niſi nos finaliter in æternum id demereremur & demereamur. Nec quaſi reprobi, in ipſum Deum agerent, mouendo, prouocando, & eius voluntatem contra ſeipſos determinando: ſed agunt tantùm in ſeipſos, finaliter & in æternum peccando, ſicque in obiectum reprobationis liberè rigeſcendo, ſeu volendo in æternum ſic terminare voluntatem Dei contra ſeipſos.

Sic & de Prædeſtinatione; ſi ſit ex præuiſione meriti finalis, æquè liberè futuri per gratiam, ac ſi de facto eſſet: vel potiùs ex viſione, præſentia, & exiſtentia actuali perſeuerantiæ finalis & æternæ, vt ſupra. Quòd ſi non ſit ex præuiſa, vel potiùs viſa perſeuerantia finali per gratiam: ſed ipſa gratia & perſeuerantia finalis ſit ex prædeſtinatione; non tamen eſt ex ea vt præterita, ſed vt præſentiſſima, actualiſſima, & efficaciſſima, non ſolius gratiæ, ſed & noſtræ liberæ perſeuerantiæ finalis. Hinc licet ex ſua efficacia & gratia præueniat noſtras voluntates: non tamen vllo tempore vel inſtanti, ſed ſola ſupernaturali cauſalitate, ad eundem ſimul actum & effectum ſuum & noſtrum. Quæ neceſſaria præuentio in communi, eſt certiſſimæ fidei: ſed in ſingulari, & ſingulis fidelibus, ad ſingulos actus, eſt magnæ ſpei ſeu fiduciæ, quæ debet excludere omnem diffidentiam oppoſiti. Ideoque cum illa præuentio, ſeu præmotio gratiæ, non ſit ſenſibilis vel experimentalis: non eſt à fidelibus quaſi expectanda; ſed ad omnes actus, præcipuè obligatorios, ſupponenda, ei cooperando vt præſentiſſimæ, actualiſſimæ, & efficaciſſimæ. Nec de hac eius præſentia, & actuali efficacia diffidendum eſt, ex vllo noſtro defectu experimentali, ad vllum actum vel effectum, niſi finalem & æternum. Quia eius efficacia eſt ad totam ſeriem ſalutarem huius noſtræ viæ & vitæ, vſque ad clauſulam perſeuerantiæ finalis & æternæ. Quæ quia poteſt eſſe ad ſingulos actus, vel effectus noſtros, & ad ſingula inſtantia: nunquam differendum aut diffidendum eſt; ſed ſemper confidendum & cooperandum prædeſtinationi & gratiæ, vt hìc & nunc finaliter efficaci.

4. Si Deus ex ſeipſo proprio motu prædeſtinat ad gloriam, & propter hanc ad gratiam & merita illi proportionata: videtur ſingulis præfinire, prædeterminare, & proportionare ſua illa merita. Quæ ergo libertas bene operandi, cooperandi, & ſeipſum ad ſuos actus determinandi? Si Deus ex ſe negatiuè reprobet quos non vult prædeſtinare, & poſitiuè ex peccato originali *Adami*: quæ poteſt eſſe libertas cauendi illam reprobationem?

Reſp. 1. Ex ſacra Script. *Sap.* 1. *Sentite de Domino in bonitate.* Sap. 11. *Domine qui amas animas!* Luc. 11. *Si vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quantò magis Pater veſter cæleſtis?* 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* 2. Pet. 3. *Deus non vult aliquem perire.* Cùm ergo de quolibet bene ſentiendum & confidendum ſit, cauendumque ab omni temeraria ſuſpicione: quàm nobis bene ſentiendum eſt de ipſo ſummo Bono, cauendumque ab omni de eo temeraria ſuſpicione & timore, ne nos non prædeſtinauerit, ſed reprobauerit? Quis enim non plus confidat, & confidendum cenſeat de Deo, quàm de quouis amico, aut de ſeipſo? Quantò ergo potiùs debet quis confidere ſe non eſſe à Deo reprobatum, ſed prædeſtinatum: quàm ſi ſeipſum prædeſtinandum habuiſſet, vel haberet? Nemo enim dubitat quin Deus ſit infinitè melior, non ſolùm in ſe, ſed & nobiſipſis: quàm noſipſi ſimus nobis, & noſtris. Si ergo non ſolo affectu vitioſo, ſed & rationali, non reprobaremus, ſed prædeſtinaremus nos & noſtros, ad Beatitudinem, & ad omnia media neceſſaria: quantò potiùs id de Deo confidamus, malimuſque à ſolo Deo dependere in non reprobando negatiuè, ſed prædeſtinando, quàm à nobis ipſis, ſeu à noſtra tam defectibili & inſtabili voluntate ac libertate?

Hæc eſt ipſa conſolatio *B. Aug. Lib. De Prædeſt.* Cap. 11. *Miror homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promoſſionis Dei. Sed incerta eſt mihi, inquis, de meipſo voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipſo certa eſt? Cùm igitur vtraq; incerta ſit: cur non homo firmiori, quàm infirmiori, fidem ſuam, ſpem, charitatemq; committit?* Lib. De dono Perſeu. cap. 6. *Tutiores igitur viuimus, ſi totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Cap. 22. *An timendum eſt ne tunc homo de ſe deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo: non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infælicißimus poneret?* Quæ reſponſiones *B. Aug.* ad omnes calumnias Semi-pelagianas, ſine dubio ſupponunt Prædeſtinationem ad gloriam, gratiam efficacem, & omnia media certiſſima, ante vlla noſtra merita præuiſa. Nec minuunt, aut relaxant: ſed quantum augent ſpem & fiduciam prædeſtinationis & gratiæ, tantum etiam animum & ſtudium cooperandi & exequendi. Vt monet ex profeſſo *B. Aug.* toto libro *De corrept. & gratia.* Quod ſi noſter *Vega* obſeruaſſet: non fruſtra optaſſet ſupra, vt *B. Aug.* moraliùs reſpondiſſet. Quid enim potuit moraliùs reſpondere, pro ſua, imò præ omni alia ſententia? Sicubi enim, locis à nobis ſupra elapſis, ſupponit prædeſtinationi aliquam Dei præſcientiam: nunquam noſtrorum meritorum, aut demeritorum, ſed perſonarum. Vt *Lib. De ſpiritu & lit.* cap. 5. *Quos præſciuit vt prædeſtinaret, prædeſtinauit vt vocaret, vocauit vt iuſtificaret, iuſtificauit vt glorificaret* .i. Vel quos præſciuit futuros, vt eos iuſtificaret: quia non poſſunt prædeſtinari ad gloriam, niſi præſupponantur, & præſciantur futuri. Vel quos præſciuit, non communiter, vt alios: ſed ſpecialiter, ad prædeſtinandum. Nec particula, *vt*, eſt ſemper cauſalis, ſed ſæpè conſecutiua: nec hìc ſignificat finem, ſed conſequentiam. Cui obiectioni, nobis elapſæ, poteſt opponi ex *Lib. 6. in Gen. cap. 9. Deus ante omnem creaturã elegit, & prædeſtinauit Sanctos ſuos ante mundi conſtitutionem, Epheſ.* 1. Ergo ante omnia merita & de-

& demerita : quæ ſine dubio ſunt aliquæ creaturæ, & ſupponunt alias.

Non eſt autem hic maior, aut alia difficultas de Præfinitione, nec de Prædeterminatione omnium & ſingulorum bonorum meritorum, quoad eorum ſubſtantiam & bonitatem. Quia hæc præfinitio & prædeterminatio facilè cointelligitur, vt futurorum, ſeu ad ſolam futuritionem: cum noſtra eorundem condeterminatione ad ipſam exiſtentiam actualem. Non enim præfinita & prædeterminata ſunt, vt fiant & ſint à ſolo Deo: ſed etiam per nos, noſtramque condeterminationem actualem & liberam. Sed de præfinitione aut etiam prædeterminatione ad mala merita : certiſſimum eſt non poſſe eſſe à Deo poſitiuè, nec moraliter, quoad malitiam actuum; ſed tantùm permiſſiuè, vt ſupra *Quæſt.* 14. *De Sanctitate Dei, à col.* 421. *ad* 454. Certum etiam eſt, non eſſe à Deo ad primum demeritum, nequidem quoad entitatem & libertatem actus: ſed ſolùm fortè ad aliqua poſteriora, ex demeritis prioribus, vt etiam ſupra. Sed grauis difficultas eſt, an ſint aliqui actus tam eſſentialiter mali, quoad ſuam entitatẽ: vt non poſſint à Deo prædeterminari nec præfiniri, ſeu abſolutè decerni, & fieri vt ſint in aliquo, & ab aliquo homine vel Angelo.

Reſp. Non videri vllum actum poſſe eſſe tam malum, nequidem odium Dei. 1. Quia cùm non poſſit eſſe niſi à Deo quoad totam ſuam naturam: ſi eſſet ex natura ſua malus, eſſet à Deo etiam quoad malitiam. 2. Quia quicquid abſolutum poteſt fieri à Deo per cauſam ſecundam, poſſet etiam fieri à Deo ſolo: ergo ſi quis actus poſſet eſſe ex natura ſua malus; poſſet à Deo ſolo fieri extra ſubiectum, vel in quouis ſubiecto. Ergo non eſſet malus, vel eſſet à ſolo Deo etiam quoad malitiam. 3. Nihil eſt moraliter & formaliter malum, niſi vt eſt liberæ voluntatis in operando aut non: atqui nullus eſt actus, qui non poſſit exiſtere vel extra vel intra volũtatem, ſine libera eius operatione, aut cooperatione. Poſſet enim infundi infanti, amenti, dormienti, vel cuiuis ad illum actum & eius obiectum non attendenti, nec eo liberè vtenti ſeu operanti. Ergo nullus eſt ex natura ſua tam malus moraliter & formaliter: ſed tantùm materialiter. 4. Quia libertas & malitia talis actus non conſiſtit in exiſtendo, nec in patiendo, recipiendo, vel habẽdo tantùm ſubiectiuè talem actum: ſed in vtendo, abutendo, ſeu formaliter ſaltem operando tali actu inordinatè circa obiectum. 5. Quia non eſt ex natura, ſed contra naturam ipſius odij, quòd ſit Dei: cùm odium ex natura ſua communi, ſpecifica, & ſingulari non ſit niſi alicuius mali veri vel apprehẽſi. Ergo entitas odij non poteſt à Deo vt obiecto ſpecificari, vel ad intrinſecam & eſſentialem malitiam determinari. 6. Sunt aliquando optimæ animæ quæ experiuntur inuitæ graues motus odij Dei, ſine vlla ſua culpa aut malitia: qui etſi ſint paſſiones odij, quia non ſunt liberi; quis ſcit tamen an primi illi motus non ſint, aut non poſſint eſſe reuera actus, vel eiuſdem entitatis?

AdReprobationem negatiuam: non eſt vllius ab omni beatitudine & gratia; ſed vt ſupra, *à col.* 517. Ad Reprobationem poſitiuam ex ſolo peccato Originali Adæ: illa non eſt fidelium baptizatorum; quia ſicut non damnantur niſi ob propria peccata actualia, ſic nec videntur niſi ob hæc reprobati. Qui autem reprobati ſunt & damnantur propter ſolum Originale: non ſunt capaces huius, aut vllius conſolationis. Sed ſi ipſe Adam creatus in tanta gratia & perfectione, tam grauiter & Originaliter peccauit: quid poſſent melius de ſe ſperare ſi in eo ſtatu creati fuiſſent? Quantoq; grauiùs ob propria peccata actualia reprobati & damnati fuiſſent, ſi ad ætatẽ & ſtatũ peccãdi perueniſſent? De quibus in 2. *à col.* 502 de gratia efficaci, *à col.* 513. de peccato Orig. in 3. *Quæſt.* 13. de gratia Chriſti.

QVÆSTIO XVI.

De Omnipotentia Dei.

An, Quid, Quanta, Circa quid ſit, vel non ſit?

1. EX SacraScript. De creatione & conſeruatione omnium à Deo, dicendo, volendo, iubendo: vt ſupra *col.* 378. 379. in 2. *col.* 197. 198. & *Pſal.* 32. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Pſal. 113. 134. *Omnia quæcunq; voluit fecit.* Sap. 12. *Subeſt tibi cum volueris, poſſe.* Matt. 8. Marc. 1. Luc. 5. *Si vis, potes.* Sed expreſsè ſub titulo Omnipotentiæ, vel æquiualente. *Gen.* 17. *Ego Dominus Omnipotens.* Exod. 15. *Omnipotens nomen eius.* Pſal. 61. *Poteſtas Dei eſt.* Pſ. 89. *Quis nouit poteſtate iræ tuæ.* Sap. 6. *Tu es qui vitæ & mortis habes poteſtatem.* Sap. 11. *Omnipotens manus tua, &c. Miſereris omnium, quia omnia potes.* 18. *Omnipotens ſermo tuus.* Luc. 1. *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Matt. 3. Luc. 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Matt. 19. Luc. 18. Marc. 10. *Omnia poſſibilia ſunt apud Deum.* Rom. 4. 11. 12. & alibi ſæpè, de ſumma Dei potentia : ſed vt de infinita *Eph.* 3. *Deus potens eſt facere omnia, ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus.* 1. Tim. 6. *Deus Beatus, & ſolus Potens.* Apoc. 1. *Dicit Deus Omnipotens, &c.*

2. Ex ſacris Symbolis, Apoſtolico, Nicæno, Conſtant. *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* S. Athan. *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus S. non tamen tres Omnipotens, ſed vnus Omnipotens.*

3. Ex SS. *Patribus*, de creatione, conſeruatione, & dependentia omnium à Deo, in eſſe, fieri, & operari. Vt in 2. à col. 197. *ad* 206. Sed expreſſiùs de ipſa Omnipotentia. *S. Dion. cap.* 8. *Diu. Nom. De Virtute, &c.* Dicamus ergo, quoniam virtus eſt Deus: qui omnem in ſe virtutem ſupremè habet, & tempore, & excellentia; & vt omnis virtutis author, omniaque per virtutem nuſquam inclinantem atque incircumſcriptam producens; & ſicut eius quæ eſt virtus, ſiue vniuerſalis, ſiue particularis cauſa efficiens; & vt infinitæ virtutis, non modo

Digitized by Google

modo quòd virtutem proferat omnem, verum & quòd ſupra omnem, & ipſam quoque virtutem ſit, & quòd excellentiſſimè poſſit,&infinitè infinitas, præter eas quæ ſunt,alias proferre virtutes;eoquod nullo modo poſſint vel infinitè, vel in infinitum productæ virtutes,infinitam vim ipſius ſupremæ & potentiſſimæ virtutis obtundere,&c. Hæc infinitè potens diuina diſtributio, in omnia quæ ſunt ſe intendit, atque permeat. *Infra*. Atqui, inquit *Elymas* magus, ſi eſt Omnipotens Deus,quomodo à veſtro *Theologo* aliquid non poſſe dicitur? Inſimulâs *B.Paulum*, qui ait Deum ſeipſum negare non poſſe. 2.*Tim*.2. Nempe ſeipſum negare, à veritate decidere eſt. Porro veritas Deus eſt, & à veritate cadere, à Deo eſt cadere, &c. At nos Diuinum *Paulum* pro viribus aſſequentes, eum qui ſupra virtutem eſt Deum,vt Omnipotentem celebramus, vt Beatum ſolumque Potentem. 1.*Tim*. 6. Qui ijs quæ ſunt omnibus, vt eſſe poſſint, & hoc ſint, excellentis virtutis copiâ, & exuberanti profuſione largitur. *Cap*. 10. *De Omnipotente*, &c. Omnipotens dicitur, quòd ipſe ſit qui poteſt omnia, omnium ſedes, omnia continens atque complectens, & cuncta ſtabiliens, fundans, atque conſtringens, & hoc omne indiſſolutum in ſe perficiens,& ex ſe velut ex Omnipotente radice cuncta producens, atque ad ſe vt ad omnitenens profundum vniuerſa conuertens atque conſeruans, &c. Dicitur autem Omnipotens ſumma illa Diuinitas, & vt omnia ſuperans, & omnibus quæ prouidentia reguntur merè imperans, atque vt omnibus amabilis, & deſiderabilis, immittens omnibus voluntarias leges, dulceſque partus Diuini& Omnipotentis ac tranquilliſſimi amoris ſuæ bonitatis inſinuans.

Tertull. Lib. 2. *contra Marcionem*. Opera Creatoris teſtantur Bonitatem &Potentiam:qua tanta, & quidem ex nihilo. Nam & ſi ex aliqua materia: hoc ipſo tamen ex nihilo, dum id non fuerunt quod ſunt. Poſtremò, vel ſic magna dum bona: vel ſic Deus potens, dum omnia ipſius, vnde & Omnipotens.

Sed præ & pro omnibus *B.Aug*. vt in 2.*col*. 199. 200.201.202.203. Ex quibus& alijs hæc ſelectiora & pertinetiora ſunt. *Epiſt*.3.*ad Voluſianum*. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus rebus,tota ratio facti,eſt potentia facientis. *Lib* 6.*in Gen*.& *L*.9.*c*.17.Omnis iſtæ naturæ curſus habet quaſdam naturales leges ſuas: ſecundùm quas & ſpiritus vitæ creatus habet quoſdam appetitus determinatos, quos nec mala voluntas poſſit excedere, &c. Super hunc autem motum curſumque naturalem, poteſtas Creatoris habet apud ſe poſſe de his omnibus facere aliud, quàm eorum quaſi ſeminales rationes habent:non tamen id quod in eis poſuit, vt de his fieri vel abſque ipſo poſſit. Neque enim potentiâ temerariâ, ſed ſapientiæ virtute Omnipotens eſt: & hoc de vnaquaque re in ſuo tempore facit, quod ante in ea fecit vt poſſit,&c. Neque enim ex eis vel ille faceret:quod ex eis fieri non poſſe ipſe præfigeret; quoniam ſeipſo non eſt nec ipſe potentior. Veruntamen alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali: ſed in eo quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori amplius ſubiaceret.] Vbi per *appetitus* illos *determinatos*, intelligit naturales: quos nec in ſe, nec in alijs ipſa etiam *mala voluntas poſſit excedere*; vt vel ipſa non appetat bonum, vel auerſetur malum ſaltem in communi, vel vt abuti poſſit vlla alia re contra omnem eius appetitum, ſeu inclinationem naturalem. Hoc autem, *Non tamen id quod in eis poſuit, vt de his fieri, vel abſq; ipſo poſſit*: aut legendum eſt, *Non tamen id in eis poſuit*, &c. Vt ſit ſenſus,Deum non dediſſe vllam vim agendi & patiendi,ſine ſuo influxu actuali: vel intelligendum ſit,Deum quidem poſſe ſupra, non tamen contra omnem naturam,& decreta ſua propria: vel potiùs,Deum non poſſe facere, vt non poſſit fieri ex rebus, id quod in eis poſuit&decreuit fieri poſſe:*ſine ſeipſo* .i. non quaſi ſine influxu actuali,quia ſic poſuit neceſſariò fieri; ſed ſine noua ordinatione. In quem ſenſum ſequentia conſpirant. *Cap*.18. Habet ergo Deus in ſeipſo abſcôditas quorundam factorum cauſas; quas rebus conditis non inſeruit: eaſque implet, non illo opere prouidentiæ quo naturas ſubſtituit vt ſint; ſed quo eas adminiſtrat vt voluerit, quas vt voluit condidit. Ibi eſt & gratia, per quam ſalui fiunt peccatores. Nam quod attinet ad naturam iniqua ſua voluntate deprauatam: recurſum per ſemetipſam non habet, ſed per Dei gratiam, qua adiuuatur & inſtauratur. Neque enim deſperandi ſunt homines] .i. de illo poſſibili recurſu per gratiam, &c. [Quam ob rem, omnia quæ ad hanc gratiam ſignificandam, non naturali motu rerum, ſed mirabiliter facta ſunt, eorum etiam cauſæ in eo abſconditæ fuerant.] Quæ ſunt pertinentiſſima. 1. Ad diſcernendam Potentiam Dei ordinariâ, quaſi proprijs legibus ad omnia opera naturalia præcinctam: ab eius Potentia abſoluta, ſeu Omnipotentia, vt ab omnibus illis legibus liberâ, & infinitè intemâ, extensâque in infinitum, ad omnia poſſibilia, ſed infra, non contra, vel ſupra Deum,ſeu eius Veritatem,Sapientiam,Eſſentiam, omnemq; perfectionem Diuinam. 2. Ad diſcernendam omnem potentiam naturalem, actiuâ &paſſiuam,ſub potentia Dei ordinaria: à quadam potentia eius paſſiua obedientiali, & actiua ſupernaturali, ſub potentia Dei abſoluta, ſeu Omnipotentia. 3. Ad diſcernendum ordinem ſupernaturalem gratiæ, & omnium gratuitorum, ipſorumque etiam ſacrorum ſignorum eius, ab omni ordine naturali. De quo duplici ordine, *in* 2. *col*. 389. 390. 391. 392. 393. 4. Ad obſeruandum, ex doctrina & mente *B.Aug*. *Non eſſe deſperandos homines*, de poſſibili reditu ad Deum per gratiam: ſed nec lactandos vlla vana ſpe, aut preſumptione de ſeipſis, &c.

Lib. 7. *Conf*. *cap*. 4. Deus, non cogeris inuitus: quia voluntas tua, non eſt maior potentiâ tuâ: eſſet autem maior, ſi te ipſo, tu ipſe maior eſſes: voluntas enim & potentia Dei, Deus ipſe eſt. *Lib*.1. *Ex duobus de Gen*.*cap*.2. Voluntas Dei cauſa eſt cœli & terræ: & ideo maior eſt quàm cœlum & terra, &c. vt ſupra *col*. 386. de potentia ipſius voluntatis, eaque actu infinita; quia maior eſt omnibus in infinitum poſſibilibus. *Lib*.3. *Trin*.*c*.4. Voluntas Dei eſt prima,&ſumma cauſa omniû,&c. vt ſupra *col*.387. *Lib*.5.*Ciu*.*c*.9. Noſtræ voluntates tantùm-

tantùm valent, quantũ Deus eas valere voluit, &c. Si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret: magis dicerem fatum eſſe infirmioris, voluntatem potentioris, qui eum habet in ſua poteſtate, &c. *Lib. de gratia & libero Arb. cap.* 21. Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, &c. *Lib. De corrept. & gratia, cap.* 14. Deus habet magis in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas, &c. Habet humanorum cordium quò placet inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem, &c. *ſupra col.* 387. 388. à 445. *ad* 452. *& in* 2. à 502. *ad* 513. De Omnipotentia & efficacia voluntatis & gratiæ Dei, in omnes voluntates, & earum actus etiam liberos. In quo videtur eſſe ſummus triumphus, ac gloria voluntatis & Omnipotentiæ Dei.

De Omnipotentia autem ad omnia poſſibilia *Lib.* 26. *contra Fauſt. c.* 4. Si audiam quòd aliquid futurum erat, ſed Deus fecit ne fieret: fidiſſimè reſpondebo, illud potiùs futurum erat quod Deus fecit, non illud quod ſi futurum eſſet, hoc feciſſet. Nam Deus quod facturus erat, vtique ſciebat: & ideo ſimul ſciebat illud futurum non fuiſſe, quod ne fieret facturus erat, &c. Vnde tam non poſſunt futura non fieri, quàm non fuiſſe facta præterita: quoniam non eſt in Dei voluntate, vt eo ſit aliquid falſum, quo verum eſt. *Cap.* 5. Quiſquis itaque dicit, Si Omnipotens eſt Deus, faciat vt quæ facta ſunt, facta non fuerint: non videt hoc ſe dicere, Si Omnipotens eſt, faciat vt quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, falſa ſint. Poteſt enim facere, vt aliquid non ſit, quod erat, &c. Quis autem dicat, vt id quod non eſt, faciat non eſſe? Quicquid præteritum eſt, iam non eſt: quod ſi & de ipſo aliquid fieri poteſt, adhuc eſt de quo fiat. Et ſi eſt, quomodo præteritum eſt? Non ergo eſt quod verè dicimus fuiſſe: ſed ideo verum eſt illud fuiſſe; quia in noſtra ſententia verum eſt, non in ea re quæ iam non eſt. Hanc ſententiam Deus falſam facere non poteſt: quia non eſt contrarius veritati, &c. Omnipotentem Deum non ita dicimus, ac ſi eum mori etiam poſſe credamus: & quia hoc non poteſt, ideo non ſit dicendus Omnipotẽs. Ille planè Omnipotens verè ſolus dicitur, qui verè eſt, & à quo ſolo eſt, quicquid aliquo modo eſt. *Lib.* 5. *Ciu. c.* 10. Deus dicitur Omnipotens: qui tamen mori & falli non poteſt. Dicitur enim Omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. *Lib.* 21. *cap.* 7. Cùm Deus ſit author naturarum omnium: cur volunt fortiorem nos reddere rationem, quando aliquid velut impoſſibile nolunt credere, quàm hanc eſſe voluntatem Omnipotentis Dei, qui certè non ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quoniam quicquid vult, poteſt. *Lib.* 22. *c.* 25. Si volunt inuenire quod Omnipotens non poteſt: habent prorſus, ego dicam, mentiri non poteſt. *Lib.* 1. *De Symbolo cap.* 1. *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* Deus cùm ſit Omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt, & quod ait *Apoſt.* negare ſeipſum non poteſt. Quam multa non poteſt, & Omnipotens eſt: Et ideo Omnipotens eſt, quia iſta non poteſt. Nam ſi mori poſſet, ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi iniquè agere: non eſſet Omnipotens; quia non fuiſſet dignus qui eſſet Omnipotens. Facit quicquid vult, ipſa eſt Omnipotentia. Facit quicquid bene vult, quicquid iuſtè vult: quicquid autem malè fit, non vult. Nemo reſiſtit Omnipotenti, vt non quod vult faciat. *Lib.* 2. *cap.* 3. Credite *in Deum Patrem Omnipotentem.* Qui omnia faciens, factus non eſt: & ideo Omnipotens eſt, quia de nihilo fecit quæcunque fecit. Sic & Serm. 119. De tempore, in Symbolum, & alibi ſæpè.

Iſidorus Lib. 1. De Summo bono *cap.* 2. Omnipotentia Dei, cuncta poteſtatis ſuæ immenſitate concludit: nec euadendi potentiam eius quiſquã aditum inuenire poterit, &c. Cuncta enim intra Diuini iudicij potẽtiam coarctantur, &c. Qui eum non habet placatum, nequaquam euadet iratum.

Sed cùm SS. Patres ex primo Articulo Fidei Chriſtianæ, & ex omnibus Dei operibus ſupponant, varijſque præconijs celebrent Omnipotentiam Dei: relinquunt & præbent DD. Scholaſticis materiam ſuis quæſtionibus Scholaſticis in varias ſententias elaborandam, de formali ratione, diſtinctione, perfectione, infinitate, obiecto proprio, ſola Fide, aut etiam euidentia Omnipotentiæ Diuinæ. De quibus primus omnium ordinatiſſimè, & fœcundiſſimè, *Al.* noſter *P.* 1. *m.* 20. 21. 22. & *P.* 2. per plures priores quæſt. *S. Bon.* In 1. tota *diſt.* 42. & 43. & occaſionaliter, *diſt.* 7. *q.* 3. An potentia generandi & creandi ſit eadem? *Quæſt.* 4. An poſſe generari & creari ſit vniuocum? *Reſp.* Affirmatiuè, quoad principale ſignificatum, non quoad connotata. *In* 2. *diſt.* 1. & vbicunque occurrit aliquod opus Omnipotentiæ Dei. *Scotus in* 1. *Diſt.* 20. De æqualitate potentiæ inter Perſonas Diuinas. *Diſt.* 37. *q.* 1. De Omnipotentia Dei, agendi æquè in diſtans, ac in præſens, ſeu independenter à præſentia & immenſitate. *Diſt.* 42. De Omnipotentia Dei mediatè, & immediatè: non tamen vtroq; modo euidẽte, naturali ratione. *Diſt.* 43. De Perfectione formali, & abſoluta Omnipotentiæ Dei: eiuſque obiecto poſſibili, ab intellectu diuino; impoſſibili autem oppoſito, ex repugnantia ſeu incompoſſibilitate reali ſimul, aliquorum ſeorſim poſſibilium. *Diſt.* 44. De Potentia Dei ordinaria, ſeu ordinata, & abſoluta. Ex quibus inter ſe collatis, needum videtur ſatis conſtare. 1. An & quid ſit credendum de Omnipotentia Dei? 2. An, quid, & quàm ſit certum ratione naturali? 3. An ſit eadem potentia Dei, ad intra, & ad extra. 4. Potentia Dei ad extra, ſit infinita? 5. An ſit Omnipotentia, ſeu potentia omnium immediatè? 6. An Omnipotentia Dei ſit formaliter perfectio Dei abſoluta: cùm videatur reſpectiua ad creaturas poſſibiles. 7. An ſit diſtincta formaliter & adæquatè ab intellectu & voluntate Dei: vel eadem formaliter, ſaltem inadæquatè, cum intellectu, vel potiùs voluntate. 8. An, quid, & quod poſſibile ſit eius obiectum, prius vel poſterius ipſa Omnipotentia. 9. An, quid & quod impoſſibile ſit extra eius obiectum.

Reſponſio diſtincta.

AD 1. Eſt de Fide, Deum eſſe Omnipotentem. Contra omnes infideles & hæreticos, incredulos

Digitized by Google

dulos huius Omnipotentiæ, in varijs operibus Dei, & myſterijs Fidei. Vt contra *Elymam* Magum, apud *S. Dion.* ſupra. Contra Abailardum apud *S.Bern. Epiſt.* 190. & *VValdenſem tomo* 1. *Lib.* 1. *Antiq.cap.*10. Et contra tam antiquos, quàm modernos Anti-Chriſtos, contradictores Chriſto, *Ioan.* 6. Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Quomodo poteſt ſimul vero corpore eſſe in cœlo, terra, & ſub tot, tantillis, tamque diſtantibus ſpeciebus conſecratis? Quibus omnibus os recludi poteſt, hac ſola Fide Omnipotentiæ Diuinæ: expreſsâ tot ſacris Script. Symbolis, Conc. & Patribus ſupra citatis, de Omnipotentia Dei in communi, & de varijs eius operibus credendis.

Ad 2. Non ſolùm eſt de Fide, ſed & tam certum ac euidens lumine naturali: quàm quòd omnia poſſibilia non ſint à ſeipſis, nec à ſe inuicem, nec à pluribus ſimul partialiter aut totaliter; ſed ab vnico Omnipotente Deo poſſibilia. Ex *Al.* ſupra *q.* 13. 14. 20.21.22. *S.Bon. in* 1. *d.* 2. 42.43. *Scoto d.* 2. *q.* 1. 2. 3. *D.* 37. 42. 43. *Et Quæſt. noſtra* 2. *De Eſſentia Dei. Quæſt.* 9. *De Vnitate Dei.*

Ad 3. Non eſt eadem formaliter, Potentia Dei, generandi & ſpirandi ad intra: quæ producendi ad extra. Quia illa eſt productiua naturaliter, vel neceſſariò, ex eadem Eſſentia Diuina: hæc eſt potentia cauſandi contingenter, ex nihilo, & ex materia. Ex *Scoto* in 1. *diſt.* 20. Nec obſtat *Al. P.*1. *q.*20. *m.*2. Potentia generandi, intelligendi, creandi, &c. non dicitur in Deo æquiuocè, ſed analogicè .i. per prius & poſterius, ſecundùm rationem intelligentiæ. Sicque *M.*3. 4. 5. Quia non comparat ibi hanc & illam potentiam, ſub propria ſingularum ratione: ſed ſub communiſſima & analogica ad omnem potentiam, non ſolùm actiuam, ſed & paſſiuam & obiectiuam, ſeu etiam ad poſſe fieri & eſſe. *S.Bon. d.* 7. *q.* 3. 4. non identificat in Deo formaliter, ſed ſolùm realiter, potentiam generandi & creandi. *Imò q.* 4. *ad* 2. expreſsè negat potentiam generandi contineri ſub Omnipotentia.

Ad 4. Potentia Dei ad extra, eſt infinita intenſiuè, & extenſiuè. Ex Sacra Script. ſupra *Eph.* 3. de exceſſu actuali potentiæ Dei ſupra omnem noſtrum intellectum: & ſupra omnia in infinitum poſſibilia. Vt patet ex *Al. S. Bon. Scoto ſupra.*

Ad 5. Hæc potentia Dei eſt Omnipotentia, ſeu ſe ſolâ immediatè ſufficiens ad omnia poſſibilia: non tamen tam euidenter, ac eſt infinita. Vt patet ex *Scoto in* 1. *d.* 42. Quia cùm cauſa ſecunda habeat totam ſuam vim cauſandi à prima: hæc poteſt per ſe ſolam immediatè, quicquid per cauſam ſecundam. Sed quia quædam videntur fieri non poſſe ſine aliqua imperfectione, ſubiectione, paſſione, priuatione, mutatione ſuæ cauſæ: vt actus vitales, & immanentes, relationes, &c. nec cauſa prima ſit obnoxia vlli imperfectioni in cauſando; quædam videntur fieri non poſſe, niſi per cauſam ſecundam. Certum eſt tamen, quamuis non tam euidens, defectus illos non eſſe tam neceſſarios: quin poſſint ab Omnipotente immediatè ſuppleri, abſque vlla propria imperfectione. Nec obſtat *S.Bon.d.*42.*a.*1.*q.*12. Quia non ſupponit abſolutè quædam non poſſe fieri ſine imperfectione ſuæ cauſæ; ſed ſolùm conditionatè. Nec *Scotus* negat hanc veritatem, ſed ſolam euidentiam.

Ad 6. Eſt formaliter perfectio Dei abſoluta: non autem relatiua ad creaturas poſſibiles, aut productas; ſed earum abſolutè terminatiua. Ex *Al. P.*1. *q.* 20. *m.*1. Vt potentia ſiue paſſiua, ſiue actiua, includit imperfectionem, ſeu defectum perfectionis ſupplendæ, aut complendæ per actum vel actionem, aut effectum aliquem: non conuenit Deo; ſed ſecundùm plenitudinem perfectionis. *S. Bon. diſt.* 42. *a.* 1. *q.* 1. Deus poteſt in omne aliud à ſe: non actione quaſi complente potentiam; ſed abſque vlla imperfectione potentiæ. *Scot. diſt.* 20. Oportet ponere in Deo potentiam actiuam æqualem in tribus Perſonis, intenſiuè quoad perfectionem, & extenſiuè ad omnia; exceptis actibus notionalibus, & eorum terminis. *In* 2. *d.* 1. *q.* 2. 3. 4. De creatione Dei actiua, abſq; vlla eius mutatione: & dependentiâ relatiuâ creaturæ, terminatâ ad Deum, ſine correlatione.

Ad 7. Omnipotentia Dei non videtur formaliter & adæquatè, ſed ſolùm inadæquatè diſtincta à voluntate potentiali, vel actuali Dei ad extra. 1. Ex ſacris Script. ſupra citatis: quæ tribuunt Omnipotentiam, & eius opera, voluntati, & actibus eius, potiùs & immediatiùs, quàm eſſentiæ, vel intellectui. 2. Ex SS. PP. Vt *S. Athan. Serm.* 4. *contra Arrian.* Deus agit ſolo nutu voluntatis. *S.Cyrill. Lib.*3. *contra Iul.* Deus perficit opera, ſolâ voluntate. *S. Aug. vel Author Libri Medit. c.* 29. Deus, cuius voluntas opus, cuius velle poſſe eſt: qui omnia ſola tua voluntate feciſti. *S.Leo. Serm.* 2. *de Natiuit.* Deus cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, &c. *S. Bern. Serm.* 5. *in Cantica.* Deus ſolâ Omnipotenti voluntate ſufficiens, &c. 3. Ex noſtris DD. *Al.* tota q. 20. & 21. per eandem potentiam .i. voluntatem ad intra & ad extra. *q.*21. *m.*1. *art.* 1. *ad* 3. *Poteſt dici Chriſtum potuiſſe mentiri, ſi vellet: ſed cùm non potuerit velle mentiri, nequiuiſſe mentiri.* Ergo eius poſſe velle ad extra, eſt poſſe agere ad extra. *Art.*2. *Deus dicitur Omnipotens: quia quicquid vult poteſt, nec voluntas eius cogi poteſt, nec impediri.* Ergo eius velle eſt poſſe, vel agere, & voluntas eſt ipſa potentia. Nec obſtat *q.*20. *m.*5. illa diſtinctio inter potentiam, potentē, & exequentem, inter velle & poſſe, inter potentiam, & voluntatem. *Quæſt.* 20. *m.*1. inter Omnipotentem, & Omniuolentem. Quia hæ diſtinctiones non ſunt quaſi inter duas potentias: ſed inter voluntatem potentialem & actualem, inter potentem velle, & volentem; inter potentem velle plura, & volentem pauciora quàm poſſit velle. Sed hanc ſuam intentionem certiùs exprimit *P.*2. *q.*6. & 9. Vbi ex profeſſo docet creationem actiuam eſſe in Deo ab æterno: ergo volitio Dei ab æterno terminata ad creaturam pro tempore, eſt ipſa actio; & voluntas, eſt ipſa potentia creandi. 4. Ex *S.Bon. in* 1. *d.* 7. per illam etiam identitatem potentiæ. *d.*42. *q.*1. *Deus poteſt in omne aliud à ſe: non vt in diſtans; ſed abſq; vlla diſtantia, &c.* Ergo per ſolam voluntatem, quæ poteſt æquè velle diſtantia, ac præſentia. *Diſt.* 43. *art.* 1. *q.* 1. Probat potentiam Dei eſſe infinitam in actu primo, & ſecundo: quia

poteſt

Digitized by Google

poteſt in infinita, & infinitè diſtantia. Ergo per voluntatem indiſtantem. 5. Ex *Scoto*, qui hinc inde quidem ſubdubitat: vt *in* 1. *q*. 4. *Prologi*, 2. laterali, *Si tamen*, inquit, *Deus habet potentiam executiuam, diſtinctam à voluntate*. Diſt. 37. *Si Omnipotentia Dei eſt eius volunt.as, &c.* Sed hæc conditionata cenſetur reſolui ibidem in abſolutam: quia fauet eius intento abſolutè; quòd Omnipotentia Dei non requirat immenſitatem ad agendum; quia voluntas non requirit præſentiam realem obiecti ad volendum. Deinde *Scotus* ſæpè ſupponit, ſaltem vt probabilius, Angelos non habere aliam potentiam agendi, quàm intellectum & voluntatem. Vnde & *in* 4. *q*. 1. *n*. 24. probat Angelum non poſſe creare: quia non poteſt agere niſi per intellectum & voluntatē, actu accidentali. Quantò potiùs cenſet Deum ſimpliciſſimum, non habere aliam potentiam: ſed per eam poſſe creare, actu vtique ſubſtantiali? Sæpè etiam cum ſacra Script. & *B. Aug.* tribuit ſoli voluntati potentiali vel actuali Dei, omnem efficaciam. Sæpèque repetit, quòd ex velle Dei ſequatur immediatè rem volitam eſſe, vel futuram eſſe. Nec poteſt rationabiliùs explicari, cur velit Deum intelligendo producere obiecta in proximo eſſe poſſibili, ſeu eſſe cognitum à Deo eſſe proximè poſſibile: niſi quia vt ſic eſt volibile, & voluntas eſt ipſa potentia faciendi. Vnde eius Diſcipuli vix dubitant quin tribuat voluntati Dei formaliter Omnipotentiam ad extra: ſed tantùm an voluntati potentiali, vel actuali. Videtur tamen quòd potiùs potentiali: actuali autem, ſeu eius terminationi ad effectum volitum, tribuat ipſam actionem, ſeu actualem ſuo tempore executionem. Quia *in* 1. *d*. 2. *q*. 7. *a*. 2. probat contra *Henricum*, actum primum eſſe principium producendi, non autem actum ſecundum; quia hic eſt terminus productionis. Soletque dicere, quòd ad velle Dei abſolutum & efficax, vt terminatum ad rem volitam, ſequatur immediatè rem eſſe, aut futuram eſſe pro tempore volito, ſine mentione vllius alterius actionis mediantis. Nec obſtat, quòd actus ſecundus ſit terminus: ſicque nec principium, nec tendentia ad vlteriorem terminum. Quia ita eſt de actu, vt immanente: ſed quia idem actus Dei ad intra terminatur etiam ad extra, illa terminatio eſt quædam actio, non tam ipſius actus, quàm Dei agentis ſeu volentis. Nec obſtat quòd *Scotus* tribuat ipſis noſtris actibus intelligendi, & volendi, productionem habituum. Quia vel non tribuit ipſis vt principijs, ſed vt ſolis diſpoſitionibus. Vel quia noſtri actus necdum ſunt ſatis terminati ſeu perfecti, nec vltimi: ſed poſſunt adhuc perfici, ſeu vlteriores actus perficere, producendo habitus auxiliares.

7. Ex varijs rationibus. Quia eſſet imperfectionis in voluntate Dei, non ſufficere ſibiipſi, ſed indigere potentia executiua ad extra. Eſſet imperfectionis in ipſa Omnipotentia, ſubeſſe voluntati Dei, ſeu eius imperio, ad executionem. Eſſet fruſtra multiplicare perfectiones Dei. Eſſet tribuere Deo voluntatem etiam affectiuam ad extra: ſi non eſſet per ſe effectiua. Cùm tamen videatur eſſe perfectionis Dei, ſibi ſoli affici, ſeu ſe ſolum velle affectiuè, reliqua autem nonniſi effectiuè. Quia hæc omnia ſunt indigna noſtro affectu, quātò magis Dei? Suntq; tam contingentia & mutabilia: vt eorum affectus non videatur poſſe eſſe perfectus, ſecurus, & beatus; ſed ſeparationi, defectui, & miſeriæ obnoxius.

Ad 8. *&* 9. Optimè & concorditer tres noſtri Doctores. *Al.* tota *Quæſt.* 21. *S. Bon. diſt.* 42. *q.* 1. Deus poteſt in omne aliud à ſe, vt in poſſibile. *Quæſt.* 2. Deus poteſt per ſe quicquid eſt potentiæ, ac perfectionis ſimpliciter. *Quæſt.* 3. Deus poteſt quæcunque videntur impoſſibilia ex imperfectione intelligentiæ noſtræ, vel virtutis finitæ. *Quæſt.* 4. Poſſibile ſimpliciter dicitur à tota ſua cauſa, &c. *Diſt.* 43. *q.* 3. Potentia Dei non eſt ad infinitum actu, ſed in potentia, ſeu ad poſſibile in infinitum. Quia nec vlla creatura, nec omnes ſimul poſſunt eſſe infinitæ perfectione: ſed neceſſariò ex nihilo & limitatæ; nec infinitæ numero, ſed neceſſariò ad Deum ordinatæ, & inter ſe coordinatæ. *Ad* 3. *Arg.* Potentia actu infinita non eſt fruſtra, & ſi non reducatur ad vllum actum: ſed finita, quæ ſuo actu perficitur; nec tamen eſt fruſtra ſi non habeat omnem actum poſſibilem. *Ad* 5. Potentia finita eſt reducibilis ad ſummum actum: non potentia infinita. *Ad* 7. Diuiſibilitas continui in infinitum, poteſt à Deo reduci ad actum in infinitum: ſed non poteſt eſſe reducta ad actualem diuiſionē in infinita. *Quæſt.* 4. Potentia Dei in actu primo, extendit ſe ad infinita poſſibilia, & decentia Deum: ſed in actu ſecundo, non extendit ſe niſi ad præſcita. *Diſt.* 44. *Art.* 1. *q.* 1. Hic idem mundus non poteſt fieri melior, quoad partes eſſentiales: quia ſic non eſſet idem mundus; ſed poteſt fieri alius, & hic ipſe maior ac melior, aliqua additione ſubſtantiali, &c. ibidem, de eodem poſſibili, aut non. *Art.* 2. *q.* 1. Deus non ſemper poteſt quicquid potuit: ex noua impoſſibilitate, non ex defectu potentiæ.

Scotus diſt. 20. *q.* 1. *Primum correlatiuum potentiæ actiuæ, eſt poſſibile obiectiuè* .i. Vt non eſt ex ſe, nec neceſſariò, ſed poteſt fieri & eſſe, vel non eſſe: non autem vt eſt ſubiectum mutabile alicuius actionis, & formæ nouæ. *Nec vt poſſibile opponitur impoſſibili: quia ſic poſſibile eſt Deum eſſe; ſed vt opponitur neceſſariò ex ſe* .i. vt poſſibile eſt ad fieri, & eſſe, vel non eſſe. *Cùmq; omnia intrinſecà Deo, ſint ex ſe neceſſaria: nihil eorum poteſt eſſe ſic poſſibile, ſeu terminus Omnipotentiæ.* Diſt. 43. *Potentia Dei, eſt perfectio abſoluta, quâ Deus eſt formaliter potens, &c. Nec per eam ſit obiectum primò poſſibile: ſed per intellectum diuinum producentem illud in eſſe intelligibili, in quo habet ſeipſo formaliter eſſe poſſibile; quia ſeipſo formaliter non repugnat ſibi eſſe, ſed repugnat neceſſariò eſſe, &c. Non eſt igitur poſſibilitas prior Omnipotentiâ abſolutâ: vt nec vlla creatura eſt prior aliquo abſoluto in Deo, &c. Quoad impoſſibilitatem autem, non poteſt eſſe primò ex Deo: ſed ex incompoſſibilitate reali ſimul, plurium ſeorſim poſſibilium, & à Deo cognitorum, non vt compoſſibilium, ſed vt incompoſſibilium. Hinc falſa eſt imaginatio quærentium impoſſibilitatem aliquam, quaſi in vno ex ſe formaliter impoſſibili: ſicut Deus eſt ex ſe formaliter neceſſarius.* De particularibus autem poſſibili-

Digitized by Google

poſſibilibus, aut impoſſibilibus, *Alenſis* & *S. Bonauentura* ſupra, noſque in ſequentibus.

Difficultates.

1. OMnipotentia non videtur perfectio, minùs autem perfectio ſimpliciter. 1. Quia eſt formaliter relatiua. 2. Quia neceſſariò coexigit omnia poſſibilia, quæ ſunt contingentia: ergo nec ipſa eſt ſimpliciter neceſſaria. 3. Quia nunquam eſt, nec eſſe poteſt in actu perfecto: imò fuiſſet ab æterno ſine vllo actu; ergo ſemper imperfecta, ſemperque aliquo actu perfectibilis.

Reſp. Vt Deus Creator, non refertur intrinſecè & realiter ad creaturas actuales: ſed ſine vlla correlatione reali, terminat omnem relationem, ſeu dependentiam eſſentialem creaturæ actualis. Sic nec Omnipotentia eſt relatiua, aut referibilis, intrinſicè & realiter, ad omnia, nec ad vllum poſſibile: ſed eſt terminatiua, ſeu infinitè pluſquam ſufficiens, ad terminandum omnem dependendentiam poſſibilem, omnium poſſibilium, abſque vlla ſui correlatione poſſibili. Nec coëxigit in ſe, vel ad ſe, vllum poſſibile, vt ſui correlatiuum, nec vt terminum ſibi conneceſſarium: ſed infinitè & abſolutè excedit omnem reſpectum ad extra, & ab extra. Imò & à nobis ſic concipi poteſt: optimèque concipitur, vt voluntas Dei abſoluta, habens ſolum Deum pro obiecto neceſſario, eſſentiali, ſibique adæquato, & ſufficientiſſimo; independenter ab omni alio volibili, aut poſſibili, & irreferibiliter ad illud. Sicque nec vnquam fuit, aut eſſe poteſt ſine ſuo proprio actu perfectiſſimo volendi Deum: imò nec ſine omni terminatione ad omnia poſſibilia; non ſolùm ea volendo in eſſe poſſibili; ſed volendo vel nolendo eſſe actu, vel futura. Quo tam abſoluto & perfecto modo, non poteſt ſaltem à nobis concipi ſub vlla alia propria ratione formali Omnipotentiæ, vt diſtincta à voluntate. Quamuis enim perfectio potentiæ actiuę non dependeat ab vllo ſuo effectu, ſed è contra: nec perficiatur aut ſit perfectibilis intrinſecè propria actione tranſeunte extra ſe. Videtur tamen fruſtra eſſe ſine vllo effectu: mutarique ac perfici ab extrinſeco, propria actione conſequendo ſuum finem, cauſandi ſaltem aliquem effectum. Cùm dici & cenſeri ſoleat potentia etiam actiua eſſe fruſtra, quæ nunquam reducitur ad vllum actum: quantò magis ſi nec vnquam reduci poſſet? Ergo ſi Omnipotentia eſſet formaliter diſtincta à voluntate: videretur eſſe fruſtra, niſi vel aliquid faceret, vel ſaltem haberet aliquid poſſibile, quod facere poſſet. Sicque aliquod poſſibile & contingens eſſet ei neceſſarium, ne fruſtra eſſet. Sed ſtatuendo Omnipotentiam formaliter in ipſa voluntate, eiuſque actum, imò & actionem intrinſecam, in velle vel nolle ab æterno in æternum omnia & ſingula volibilia & nolibilia: nec poteſt eſſe, aut videri vnquam fruſtra fuiſſe, aut eſſe poſſe; nec ſubeſſe vlli mutationi, aut mutabilitati, imò nec viciſſitudinis obumbrationi, *Iac*. 1. Nec videtur rationi, ſed ſoli phantaſiæ, velle & nolle Dei ab æterno nimis diſtare ab omni effectu temporali, quàm vt poſſit eſſe cauſa actualis, imò & ipſa cauſatio omnium effectuum præſentium, & futurorum. Quia ratio facilè percipit, æternum non eſſe infinitè ante, ſed infinitè ſupra omnia temporalia, & finitæ durationis: ideoque illa eſſe his omnibus, imò potiùs hæc omnia illis præſentiſſima; Deumque poſſe ſuum velle vel nolle æternum terminare ad omnia poſſibilia, præſentia, præterita, & futura; non vt loco vel tempore, ſed vt ſua infinita perfectione, & illorum imperfectione, à ſeipſo infinitè diſtantia. Vt ſupra à *col*. 520. de Prædeſtinatione, & Reprobatione æterna, ab æterno in æternum: abſque vllo præiudicio noſtræ libertatis temporalis.

2. Si Voluntas Dei eſſet formaliter omnipotens, & Omnipotentia Dei eſſet formaliter eius Voluntas: Deus ipſe æquè eſſet obiectum ſuæ Omnipotentiæ, ac Voluntatis. 2. Spiritus S. æquè procederet per Omnipotentiam Dei, ac per Voluntatem. 3. Nihil poſſet velle, aut nolle niſi Omnipotenter & efficaciter, faciendo omnia ſua volita eſſe, & omnia ſua nolita non eſſe. Cùm tamen 1. *Tim*. 2. Verè Deus velit omnes homines ſaluos fieri, quorum tam pauci ſalui fiunt: vereque nolit omnia peccata, quæ fiunt; nec vllum perire, ex eis qui pereunt.

Reſp. Vt ſupra *col*. 408. ſuſpendendo illam grauiſſimam difficultatem, an Deus velit vel nolit, imò poſſit velle vel nolle, terminando ſuum actum volendi vel nolendi immediatè, vſque ad vllum obiectum, niſi abſolutè & efficaciter. Non enim reſoluimus Omnipotentiam Dei, eſſe eius voluntatem formaliter & adæquatè: ſed inadæquatè, vt voluntas poteſt velle vel nolle, omnia volibilia, aut nolibilia extra Deum. Quod ſufficeret ad 1. & 2. Sed ad 1. etiam addi poteſt, quòd voluntas Dei non ſit niſi affectiua ad ſeipſum ſolum, nonniſi autem effectiua mediatè vel immediatè, abſolutè vel conditionatè, extra ſeipſum. Vt ſupra *col*. 403. *Ad* 2. Spiritus S. poſſet dici procedere per voluntatem, vt eſt potentia: ſed non vt eſt Omnipotentia. Quia nec Spiritus S. eſt connumerabilis alijs omnibus, ſed infinitè ſuper omnia: nec vllis alijs poſſibilibus ad eſſe vel non eſſe, ſeu contingentibus; ſed eſt ſummè neceſſarius, non autem poſſibilis, niſi vt opponitur impoſſibili. *Ad* 3. vt *col*. 408. Hoc ipſum videtur eſſe Omnipotentiæ, poſſe liberè vim ſuam infinitam modificare, reſtringere, & accommodare prout vult, ad effectus & cauſas ſecundas: alioquin non eſſet Omnipotentia, ſed potiùs Nullipotentia; quia nec poſſet facere ſimul omnia poſſibilia, nec poſſet ſe in agendo infinitè reſtringere ad vllum effectum finitum. Sed *contra*. Sic Deus videretur eſſe Omnipotens & liber in ſeipſum, quaſi ad continendum ſeu retinendum ſe ab effectibus poſſibilibus, ſeu ad moderandam vim infinitam ſuæ Omnipotentiæ, & voluntatis vt Omnipotentis: non ſolùm ad effectus finitos extra ſe; ſed etiam ad volitiones & nolitiones finitas, ſeu limitatas, circa infinita volibilia & nolibilia. Itaque videtur Deo, eiuſque Voluntate, ac Omnipotentia dignius, ſacræ Script. SS. PP. & pleriſque ac antiquioribus Scholaſticis conformius, denique ad ſententiam de identitate formali

mali

mali Omnipotentiæ, cum Voluntate Dei conſequentius : nullam eſſe aut poſſe eſſe volitionem aut nolitionem Dei ad extra, niſi abſolutam & efficacem illius voliti, aut noliti, ad quod immediatè terminatur, vel totius alicuius ab ipſo Deo conditionati, & in abſolutum reſoluti. Sic enim poſſunt intelligi & cointelligi quæcunque de vera Dei volitione aut nolitione verè dicuntur : vt ſint abſolutè efficaces ſui immediatè voliti aut noliti, non autem omnium quæ tantùm virtualiter, mediatè, & conſequēter ex illis volita vel nolita ſunt. Non vt ſupra *col.* 409. 410. de voluntate antecedente, & conſequente : quaſi immediatè volita aut nolita, ſint ex voluntate antecedente; volita autem vel nolita conſequenter, ſint ex voluntate conſequente. Sed ipſa voluntas antecedens eſt abſolutè efficax ſui ſolius immediatè voliti vel noliti : non ſui voliti aut noliti conſequenter. Voluntas autem conſequens, eſt ſui ſolius immediatè & finaliter voliti : non autem vllius voliti tantùm virtualiter, mediatè, & conſequenter. Poſſunt etiam cointelligi de efficacia totius alicuius complexi, ab ipſo Deo conditionati, & in abſolutum reſoluti : non autem ipſius conditionis, nec ſingularum partium ipſius complexionis; ſed illius ſolius quæ eſt immediatè volita aut nolita, & totius per illam. Vt ex ſacra Script. ſiue in communi, ſiue in ſingulari : ſi quis, aut qui voluerit, perſeuerauerit, ſaluus erit, & è contra; vel ſi hic & ille. Hoc totum eſt abſolutè & efficaciter volitum: ſed conditio mala, aut priuatio bonæ, nulli eſt immediatè volita, nec bona conditio eſt omnibus immediatè, ſed ſolum antecedenter volita, ſeu ſaltem virtualiter, remotè, mediatè, & vt ſupra conſequenter, non voluntate conſequente. Quibus autem ſalus immediatè volita eſt : iiſdem & immediatè conditio neceſſaria ad ſalutem. Quibus bona conditio non eſt immediatè volita : nec ſequela ſalutis eſt immediatè volita. Hinc *B. Aug lib. de Spiritu & Litera*, cap. 33. *Deus vult omnes ſaluos fieri.* 1. Tim. 2. *Non ſic tamen, vt eis auferat liberũ Arb. quo vel benè, vel malè vtentes, iuſtiſſimè iudicentur, &c. Ita Voluntas Dei ſemper inuicta eſt. Qui enim dicit v. g. volo vt hi omnes ſerui mei, operentur in vinea mea, & poſt laborem requieſcentes epulētur: ita vt quiſquis eorum hoc noluerit in piſtrino ſemper molat. Videtur quidem quicumq; contempſerit, contra voluntatem Domini ſui facere : ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum effugerit, quod nullo modo poteſt ſub Dei poteſtate.*

3. *S. Aug. Lib.* 3. *De lib. Arb.* cap. 5. *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum, &c. Non eſt autem vera ratio, ſed inuidiæ infirmitas: cùm aliquid melius fuiſſe faciendum cogitaueris, nihil aliud inſerius velle fieri.* Infra. *Poteſt ergo eſſe aliquid in rerum natura, quod tua ratione non cogitas : non eſſe autem quod vera ratione cogitas, non poteſt, &c. Neq; enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod eius artificem fugerit, &c.* Infra. *Credat ergo homo, Deum feciſſe, quod vera ratione ab eo faciendum fuiſſe cognouit : etiamſi hoc in rebus faciendis non videt, &c. Non enim vera ratione videret fuiſſe faciendum : niſi in iis rationibus quibus facta ſunt omnia.* Infert. *Si te ergo delectat creatura quæ perſeuerantiſſima voluntate non peccat : crede eſſe talem in ſuperioribus ſedibus.* Vnde ſæpè conijcit, aliquos Angelos fuiſſe creatos gratiâ Dei impeccabiles. Indeque ſolet inferri vnio hypoſtatica naturæ humanæ Chriſti, vera Maternitas, ipſaque Conceptio Immaculata *B. V. M.* Vt & nos præſtitimus *in* 3. *col.* 256. 342. 355. 435. 436. Idem *Aug.* 12. *Conf.* 11. *Deus duo fecit, vnum prope ſe; alterum prope nihil.* .i. Perfectiſſimum Angelum, & Materiam primam. *Epiſt.* 3. *Nec maior Mundus, nec iſti æqualis in hoc mundo fieri poteſt.* Ergo Omnipotentia Dei non eſſet infinita intenſiuè, imò nec extenſiuè : quia nec poteſt in infinitum meliora, nec maiora; imo nec plura in infinitum, niſi vt ſol, & alia agentia naturalia.

Reſp. Vt in *Comment. noſtro B. Aug. col.* 59. *Quicquid melius, &c.* Fortè aduerbialiter .i. ſapientiùs, ordinatiùs. Vel nihil melius relatiuè, & terminatiuè .i. ad meliorem finem, obiectum, terminum. Vel melius genere, ſeu melioris generis : vel totum ſimul melius. Adde, *Melius*, non tamen optimum: ſed *quicquid melius tibi occurrerit*, quod eſt ſemper infra optimum; quia Deus poteſt ſemper aliquid melius concipere, quàm nos. De poſſibili autem vel non, productione generum, ſpecierum, indiuiduorum, vel mundorum in infinitum perfectiorum, eſſentialiter vel accidentaliter, intenſiuè vel extenſiuè, ſat ſupra ex *Alen.* & *S. Bon.* imò & adhuc infra in eoſdem. Sed ad hanc *Diff.* ex *B. Aug.* ſufficere poteſt, nihil melius fieri poſſe ipſa Incarnatione, ſeu homine Deo, eiuſque Matre, & fortè nihil melius eius Immaculata Conceptione. Nec obſtat, quòd *B. Aug.* referat illud ad credendum fuiſſe ab initio creatos ſpiritus, ſaltem gratiâ, impeccabiles : quodque in hoc mundo videantur multa inordinata, & imperfecta, quæ meliùs ordinari & perfici poſſent. Quia, vt nos *in* 2. *col.* 236. *& in* 3. ſupra, id tantùm conijcit de quibuſdam Angelis : ſed ratio eius non exigit niſi aliquod opus Dei, quo melius non poſſimus concipere. Quale ſine dubio eſt opus Incarnationis. Quod licet tandem perfectum ſit: ab æterno tamen præ reliquis omnibus fuit ordinatum. Nec eſt quicquam inordinatum in hoc mūdo, ex natura rei : ſed ex culpa, & vitio naturæ. Nec quæ videntur nobis inordinata, ſunt talia vero iudicio Dei : cùm inter homines ſit tanta iudiciorum varietas; vt quod vni optimum, alteri peſſimum videatur. *Ad* 12. *Conf.* 11. Natura Angelica eſt prope Deum obiectiuè, vel comparatiuè ad inferiora : non entitatiuè, & proportionatè; ſed infinitè infra Deum. Materia prima eſt infima genere, non fortè ſpecie. *Ad Epiſt.* 3. Vt nos ibidem. Nec maior nec æqualis in hoc mundo fieri poſſet: Quia ſi in hoc, vt in loco, hoc ipſo eſſet minor. Nec Omnipotentia eſt infinita ab vllo ordine ad poſſibilia, & terminatiua : ſed à ſolo motiuo infinito voluntatis Dei Omnipotentis. Vnde etſi non eſſent infinita, aut in infinitum poſſibilia: illa eſſet æquè infinita; ſed tot tantaque poſſibilia à ſolo Deo, probant potentiam eius eſſe infinitam. Non ſic Sol, & alia Agentia.

4. *Contra Al.* P. 1. *q.* 21. *M.* 2. §. 2. *Ad* 2. Videtur eludere Arg. *Deus nihil poteſt facere, aut omittere,*

tere, niſi optima ratione faciendi aut omittendi .i. quia hoc ipſum ſit optima ratio, velle facere aut omittere. M. 3. Art. 1. Qualibet res potuit à Deo fieri melior: ſed non tota vniuerſitas. Cùm tamen hæc non ſit niſi ex illis. Infra. Deus poteſt facere res meliores intrinſecè .i. meliori modo, ſpecie, & ordine. Ad 2. Fecit optimum Chriſtum, & optimum vniuerſum in ſuo ordine. Ergo non potuit facere res meliori ordine. Art. 5. Chriſtus potuit fieri melior in ſe, quoad naturam humanam: quoad gratiam non poteſt eſſe melior, niſi ex potentia Dei abſoluta. Art. 6. B. Virgo non potuit fieri melior, quoad gratiam. Ergo æquè ac Chriſtus. M. 4. ad. 5. De repugnantia implicita creationis mundi ab æterno. Vt in 2. col. 210. 219. M. 5. à 1. ad 4. Simpliciter poſſibile dicitur ſecundùm naturam, aut potentiam Dei ordinariam creandi, iuſtificandi, &c. Cùm tamen poſſibile ſimpliciter, ſit obiectum Omnipotentiæ. Art. 4. Quidam piè dixerunt, vt Gilbertus, quòd Deus poſſit facere abſolutè de corrupta incorruptam, & de præterito non præteritum. Ad S. Aug. Non negat ex præterito fieri poſſe non præteritum: ſed idem ſimul præteritum, & non præteritum. Ergo videtur probare illam opinionem Gilberti.

Reſp. Ad 1. Non eſt eluſio Arg. quia cùm ſint infinitæ rationes congruæ faciendi, aut non faciendi, hoc præ illo, nec vlla ratio ſit neceſſaria: optima ratio eligendi, eſt libertas Dei abſoluta ab omni neceſſitate, vel obligatione. Hinc addit, quia ſic decet Dei bonitatem: non vt partialem, nec vt obligatam, nec indigentem; ſed vt liberrimam & abſolutiſſimam in ſe. Ad 2. Deus poteſt facere res ſingulas intrinſecè meliores: aliquo meliori modo, ſpecie, & ordine particulari; ſed non vniuerſali. Nec obſtat Art. 7. Hæc vniuerſitas poteſt fieri melior in ſuo toto vel partibus; Quia id eſt vel diſiunctiuè, vel copulatiuè, quoad intrinſecam perfectionem abſolutam; non autem quoad ordinationem totius à Deo, ad Deū. Ad 3. B. Virgo non potuit, inquit, fieri melior quoad gratiam, in ordine ad conceptionem, & maternitatem Chriſti: ſed humanitas Chriſti in ordine ad ipſam vnionem hypoſtaticam. An hic autem potuerit fieri melior naturâ & gratia, in 3. q. noſtra 11. non tam ex litera, quàm ex ſpiritu & intentione expreſſa Scoti, & ſuppoſitâ Alenſis ac S. Bon. excedendi potiùs, quàm deficiendi in laudibus Chriſti. Nec Al. hic tam ſupponit abſolutè potuiſſe fieri meliorem, quàm ſuſpendit à Potentia Dei infinita. Nec exprimit meliorem intenſiuè, ſed poteſt intelligi extenſiuè. Ad 4. Refert tantùm varias opiniones: nec ad 4. Arg. per ſimpliciter poſſibile, intelligit tam quod poteſt ſimpliciter fieri .i. ſine exceptione; quàm quod poteſt communiter dici poſſibile. Quod videtur dici à potentia communi, ſeu ordinaria. Sed Omnipotentia eſt infinita ad omnia poſſibilia ſimpliciter in fieri: non autem in dici communiter. Ad 5. Facilè eſt in ſenſu diuiſo .i. vt Al. q. 21. m. 4. Deus poteſt ſemper in ſe, quicquid potuit: abſtrahendo à tempore, & referendo ad poſſibilia. Ad 1. Poteſt quicquid potuit: ſub ratione faciendi, non facti. Sed non in ſenſu compoſito, faciendo aliquid ſimul fuiſſe, & non fuiſſe. Cùm tamen tam hic, quàm ille ſenſus ſit nimis facilis: videtur Al. difficiliorem intendiſſe. Hinc enim diſtinguit impoſſibile, in impoſſibile per ſe ex rerum eſſentia, & impoſſibile per accidens ex aliquo decreto Dei abſoluto, abſque vlla exceptione: docetque illud eſſe impoſſibilius in eſſe, hoc autem in fieri; quia illud eſt ex rei eſſentia, quæ eſt forma eſſendi; hoc autem eſt à præſcientia & voluntate Dei, quæ eſt cauſa extrinſeca, ſed immutabilior in cauſando, quàm vlla eſſentia creata in eſſendo. Ad quam difficultatem vt grauiorem Art. 4. deſcendit ab alia tam graui Art. 3. vt nihil audeat reſpondere, niſi quòd anima non poſſit capere infinitum pelagus potentiæ Dei abſolutæ. Ergo Art. 4. eſt grauiſſima diff. An de corrupta fieri poſſit incorrupta, de præterito non præteritum: quatenus hoc eſt impoſſibile per accidens ex decreto Dei; vt quæ fuit corrupta, nunquam fiat incorrupta; non autem de impoſſibili per ſe, ex ipſa eſſentia corrupti & incorrupti, præteriti & non præteriti. Quæ non poſſunt cointelligi ſimul contradictoriè: ſed vel ſimul contrariè, vt art. 3. vel diſparatè, vel ſucceſſiuè. Sicque ſi Deus non decreuit nunquam in vllo caſu id facere: quæ fuit corrupta, poſſet fieri tam incorrupta, quàm vnquam fuit, & æquè ac ſi nunquam fuiſſet corrupta. Qui fuit peccator, poſſet fieri tam innocens, ac ſi nunquam peccaſſet. Tempus præteritum, etiam poſtquam præterijt, poſſet fieri præſens, per reuolutionem eiuſdem: ſimulque præterijſſe & præſens eſſe, non tamen non præterijſſe. Qui videtur eſſe ſenſus Al. quia eum tribuit pietati, ſeu piæ ſpei, & fiduciæ verè pœnitentium: quorum ſummum votum eſt, nunquam peccaſſe, nec ſolùm à ſtatu peccati præteriti reſtitui in ſtatum primum innocentiæ; ſed etiam eidem vitæ, tempori, & actibus melioribus. Si enim, vel cùm nihil horum ſit eſſentialiter malum: cur non poſſent eadem fieri bona & meliora?

4. Contra S. Bon. diſt. 42. q. 4. Poſſibile ſimpliciter dicitur ex ſua cauſa actiua & completa: cùm Al. referat poſſibile ſimpliciter, propriè ad cauſam inferiorem, vel ordinariam. Diſt. 43. q. 1. probat potentiam Dei eſſe infinitam, ex infinitis poſſibilibus duratione & numero, ſaltem ſucceſſiuè: cùm duratio & numerus non ſint vllius perfectionis in effectu; poſſitque ſol vi finita producere numero infinita ſucceſſiuè. Quæſt. 3. Ad 1. Opus operans ſeu actio Dei eſt æqualis ipſi potentiæ: non opus operatum, ſeu effectus eius. Cùm tamen ſingulæ actiones Dei identificentur, aut terminentur, ſeu limitentur ſuis ſingulis effectibus. Ad 3. Potentia actu infinita non eſt fruſtra, & ſi non reducatur ad vllum actum. Ad quid ergo talis potentia? Diſt. 44. art. 1. q. 1. Deus potuit facere hunc mundum meliorem quoad partes eſſentiales. Qua ergo additione ſubſtantiali ſubdit hunc eundem poſſe fieri meliorem, & maiorem? Quæſt. 3. Non poteſt mundus fieri melior quoad ordinem partium in toto. Cùm tamen in aliquibus contrarium videatur. Q. 4. Non potuit fieri mundus ab æterno ſine initio. Cùm tamen Deus ſit Omnipotens ab æterno. Art. 2. Deus non ſemper poteſt quicquid potuit. Contra Al. q. 21. m. 4. Deus poteſt ſemper in ſe, quicquid potuit.

Reſp. Ad 1. vt ſupra, ad Al. Adde quòd Al. ſub

ſub 3. opinione referat ibidem poſſibile ſimpliciter,ad cauſam *etiam* inferiorem .i. cum ſuperiore. *Ad* 2. vt ſupra, ad *B.Aug.* Quamuis enim duratio & numerus non augeat rei perfectionem : ſupponit tamen eam in cauſa ex ſe ſola ſufficiente ad conſeruationem & multiplicationem omnium effectuum poſſibilium in infinitum. Cùm ſol ſolus non ſufficiat ad vllum effectum ſine cauſa prima : imò nec ſine materia,aut ſubiecto. Nec poſſit producere alios ſoles, cœlos, ſtellas,&c. minimè autem ſeipſum. *Ad* 3. Videtur conſentire *Alenſi in* 2. *q.6.* 9. De creatione actiua,ſeu actione volendi æterna, & Deo interna, ad omnes effectus externos. Vt nos ſupra *col.*532.& in 2.*col.*212. Nec terminatio volitionis ad ſuum effectum , eſt eius finitio ſeu limitatio : ſed eſt determinatio, & quaſi in infinitum extenſio, à Deo vſque ad effectum infinitè infra Deum. *Ad* 4. Potentia Dei infinita ſine vllo vnquam actu externo eſſet ſicut eſt, infinita in ſe, & ad ſolum ſuum obiectum motiuum & infinitum , vt ſupra *col.*532. *Ad* 5. Partes eſſentiales huius mundi ſunt principales , & formales : partes ſubſtantiales, ſunt materiales, indiuiduales,& fortè ſpecificæ. Itaque poſſet hic mundus augeri materiâ , numero indiuiduorum , & fortè ſpecierum: ſed non numero aliorum elementorum,& cælorum ; nec mutari quoad aliam eorum materiam , & formam. Vt idem corpus humanum poteſt augeri, vel non. Nec noua aliqua ſpecies rerum, reliquis & toti mundi ſubordinata, mutaret hunc mundum in alium. *Ad* 6. Videtur aqua *v.g.* potuiſſe ordinatiùs eſſe ſub terra : ſol ordinatiùs eſſe & moueri in cœlo, ad illuminandum & califaciendum inferiora , reddendamque totam terram habitabilem. Sed hic ordo partium in toto, non eſt tam ad bonum aliquorum hominum , quàm totius generis humani, vel ipſius mundi : nec ad ſolum bonum naturale , ſed & ſupernaturale,& pœnale. Aqua ergo non tam ſubeſt terræ: vt poſſit eam humectare; imo & in pœnam hominum inundare. Sol habet hunc ſitum & motum, ad diſtributionem communiorem, quamuis inæqualem, ſui luminis, caloris, & influentiarum. Nec fuiſſet opus tanta terra habitabili , citra peccatum. Nimiaque& nimis commoda eſt habitatio, pro tot tantiſque peccatoribus. *Ad* 7. Non potuit fieri ab æterno intrinſecè, ſeu intra ipſa æternitatem, ſed extra : quia eſt ſoli Deo propria , & intrinſeca. Nec potuit fieri ſine initio extrinſeco .i. niſi poſt & infra infinitè priorem & ſuperiorem durationem æternam Dei. Præter alios ſenſus *in* 2. *col.* 218. 219. *Ad* 8. Vt paulò ſupra, ad 5. *Alenſis.* Imò vt ipſe *S.Bon.* ibidem exprimit: *non ex defectu potentiæ; ſed ex noua impoſſibilitate*, vt id quod fuit, non fuerit, ſeu fuerit, & non fuerit ſimul.

5. *Contra Scotum* 1. *in* 1.*diſt.* 37. Si Omnipotentia & immenſitas Dei non ſunt neceſſariò connexæ : nec ſunt perfectiones Dei infinitæ; quia hæ ſe inuicem identificant. 2. Si immenſitas non eſſet neceſſaria ad agendum vbique,&omnia poſſibilia : non omnia dependerent & ſuſtinerentur immediatè à Deo. 3. Si Deus poſſet aliquid producere, vbi priùs non eſt : æquè poſſet non eſſe præſens, vbi iam produxit. 4. *In diſt.* 42. Vbi ſupponit Deum eſſe Omnipotentem immediatè. Cōtra *Al. q.* 21. *m.* 1. *art.* 2. Deus poteſt omnia quæ ſunt perfectionis. *S.Bon. diſt.* 42. *q.*2. Deus poteſt per ſe, quicquid eſt perfectionis ſimpliciter:poteſt per alia, quod eſt alicuius imperfectionis. 5. Ibidem negat poſſe probari neceſſariò & euidenter, Deum eſſe Omnipotentem immediatè,ſed tantùm infinitè ; negatque ex infinita potentia intenſiuè, ſequi Omnipotentiam immediatè. Cùm tamen plus ſit eſſe infinitam intenſiuè , quàm Omnipotentiam immediatè : ſicque à maiori ad minus euidenter ſequi videatur. 6. *In diſt.* 43. Tribuit intellectui diuino producere omnia in eſſe poſſibili : cùm non poſſint intelligi niſi ſint intelligibilia, ſicque poſſibilia ad intelligi, fieri , & eſſe. 7. Si intellectus poteſt producere omnia in eſſe poſſibili : cur non & in eſſe reali ? Cùm enim ſit potentia æquè imò & priùs productiua realiter ad intra, ac voluntas : cur non æquè , imò priùs , & potiùs ad extra ? 8. Negat poſſibilitatem eſſe priorem Omnipotentia : cùm tamen intellectus ſit prior, priuſque intelligat poſſibilia,quàm Omnipotentia ea poſſit facere ad extra. 9. Negat quicquam vnum eſſe impoſſibile:ſed tantum plura ſimul incompoſſibilia. Cùm tamen impoſſibile ſit Deum non eſſe, non eſſe ſapientem , bonum , vel eſſe alium Deum:non ex compoſitione aliquorum plurium inter ſe;ſed ex his ſingulis impoſſibilibus. 10. In *diſt.* 44. Videtur potentia Dei ſecundùm leges ordinarias potiùs dicenda ordinaria , quàm ordinata : quia potentia abſoluta non eſt inordinata; nec poteſt agere niſi ordinatè , & ex ordinatione Dei.

Reſp. Ad 1. Identificantur realiter in eſſentia, & inter ſe : non tamen vt hæc illi neceſſaria ad agendum vbique. *Ad* 2. Omnia neceſſariò, & eſſentialiter dependent, & ſuſtinentur immediatè à Deo : ſed cauſaliter, non præſentialiter, nec ſuppoſitaliter. *Ad* 3. Poteſt non eſſe vbi producit : quia produxit ipſum primum vbi, priuſquam eſſet capax veræ præſentiæ Dei. Sed non poteſt vbi productum non eſſe Deo præſentiſſimum , ſeu non terminari ad Deum. *Ad* 4. Deus non poteſt per ſe immediatè ipſas imperfectiones : ſed ſunt ab aliqua cauſa 2. vel formaliter ex rebus ipſis naturâ ſuâ imperfectis. Alioquin Deus nihil poſſet ſolus: quia nihil poteſt eſſe,ſine aliqua imperfectione. *Ad* 5. A potentia infinita, non ſequitur Omnipotentia immediatè : quia hæc vt ſic, non eſt perfectio,nec de perfectione illius. Nec ab infinito intenſiuè , ſequitur euidenter infinitum extenſiuè& immediatè; quia huic poteſt ſubeſſe aliqua imperfectio illi contraria. *Ad* 6. Non ſunt intelligibiles nec poſſibiles in ſe & poſitiuè, niſi à Deo intelligantur: ſed ſolùm eminenter in Deo , vel negatiuè .i. non repugnant intelligi & fieri. *Ad* 7. Intellectus eſt potentia actiua ex neceſſitate naturali : ideo non eſt ipſius , ſed ſolius voluntatis , producere non neceſſaria, ſeu contingentia. *Contra.* Ergo, nec eſt illius, ſed huius , producere in eſſe poſſibili , non neceſſario, ſed contingenti. *Reſp.* Eſſe poſſibile eſt neceſſarium, neceſſitate indigentiæ, non perfectionis : nec eſt proximè poſſibile à voluntate , niſi vt cognitum ; quia hæc nec operatur , nec agit circa in-

incognita. *Ad* 8. Poſſibilitas non eſt prior Omnipotentia: quia hæc non dependet ab illa, ſed illa ab hoc. Neque hæc ſupponit poſſibilia, vt ſit, & poſſit: ſed vt illa proximè fieri poſſint. *Ad* 8. Impoſſibilia ſunt ex incompoſſibilitate repugnantium poſitiuè, aut negatiuè: poſitiuè, repugnat vnum eſſe duplicis eſſentię completę; vt eſſe Centaurum, vel aliam chymeram, ex homine & equo, capra, piſce, &c. Negatiuè, vt ſimul eſſe neceſſariò, & non eſſe, Deum eſſe neceſſariò hunc vnicum, & non hunc vnicum, ſed etiam alium Deum. *Ad* 10. Ideo fortè *S. Thomas p.* 1. *q.* 25. *a.* 5. cenſet potentiam Dei ordinatam, eſſe ad omnia quæ aliquãdo fiunt: abſolutam autem, ad omnia quæ nunquam fiunt. Hinc illa quæ agit ſecundùm leges ordinarias, potiùs dicenda videtur ordinaria, quàm ordinata: niſi hæc dicatur ab ordine ordinario, ſeu communi, & ſtabili.

QVÆSTIO XVII.

De Titulis Dei relatiuis ad extra: Eiuſq́; immediato & mediato Dominio, Iuriſdictionis & Proprietatis.

1. EX varijs præconijs, ſententijs, & exemplis S. Script. *Exod.* 15. Dominus regnabit in æternum, & vltra. *Deut.* 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. *Deut.* 32. Ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te. *Infra.* Et oblitus es Domini Creatoris tui. *Pſal.* 23. Domini eſt terra, &c. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. 28. Dominus Rex in æternum. 46. Dominus Rex magnus ſuper omnem terram, &c. 47. 95. Magnus Dominus & laudabilis nimis, &c. 67. Rex virtutum, dilecti, dilecti &c. 73. Deus Rex noſter ante ſæcula, &c. 113. Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam. 115. Seruus tuus ſum ego, & filius ancillę tuę. 118. Tuus ſum ego, ſaluum me fac, &c. 130. Confitemini Domino Dominorum, &c. 144. Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, &c. *Sap.* 9. vt *Pſal.* 115. *Sap.* 11. Parcis omnibus, quoniam tua ſunt. 12. Omnium Dominus, omnibus te parcere facis, &c. Tu autem Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos, &c. Vt *Sap.* 8. Attingis à fine ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuauiter. *Sap.* 16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatẽ. *Eſa.* 6. Sãctus Dominus Deus Sabaoth, &c. Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. *Amos* 9. Dominus nomen eius. *Mat.* 6. Nemo poteſt duobus Dominus ſeruire. *Ioan.* 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. *Rom.* 4. Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. *Rom.* 10. Idem Dominus omnium. *Eph.* 4. Vnus Dominus. 1. *Cor.* 3. Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. 1. *Cor.* 6. Non eſtis veſtri: empti enim eſtis pretio magno. 1. *Tim.* 1. Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria. 1. *Tim.* 6. *Apoc.* 17. & 19. Rex Regum, & Dominus Dominantium.

De Dominio autem participato. 1. *Reg.* 8. Dixerunt maiores natu Iſrael, *Samueli*, conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos: ſicut & vniuerſæ habent nationes. Diſplicuitq́; ſermo in oculis *Samuelis*, &c. Dixit autem Dominus ad *Samuelem*: Audi vocem populi, &c. Non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. 3. *Reg.* 11. Iratus eſt Dominus *Salomoni*, quòd auerſa eſſet mens eius à Domino Deo Iſrael, qui apparuerat ei ſecundò, &c. Dixit itaque Dominus *Salomoni*. Quia non cuſtodiſti præcepta mea, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud; nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter *Dauid* ſeruum meum. *Infra.* *Abias Silonites* Propheta, apprehendens pallium ſuum nouum, ſcidit in duodecim partes: & ait ad *Ieroboam*, Tolle tibi decem ſciſſuras. Hæc enim tibi dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu *Salomonis*, & dabo tibi decem tribus, &c. *Cap.* 12. Factus eſt ſermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: loquere ad *Roboam* filium *Salomonis* Regem *Iuda*, & ad omnem domum *Iuda*, & *Beniamin*, dicens. Hæc dicit Dominus. Non aſcendetis, neque bellabitis cõtra fratres veſtros filios *Iſrael*. *Sap.* 6. Audite Reges & intelligite, &c. quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, &c. Horrendè & cito apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt fiet. Exiguó enim conceditur miſericordia: potentes autem, potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Fortioribus autem, fortior inſtat cruciatus. Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei: vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis. *Infra.* Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, ô Reges populi! Diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis. 2. *Paral* 36. Suſcitauit Dominus ſpiritum *Cyri* Regis Perſarum: qui iuſſit prædicari in vniuerſo regno ſuo, etiam per Scripturam, dicens. Hæc dicit *Cyrus* Rex Perſarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli: & ipſe præcepit mihi vt ædificarem ei domum in *Ieruſalem*. *Eſa.* 44. Ego ſum Dominus, qui dico *Cyro*: paſtor meus es; & omnem voluntatem meam complebis. *Cap.* 45. Hęc dicit Dominus Chriſto meo *Cyro*: cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, &c. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, &c. Et dabo tibi theſauros abſconditos, &

arcana

Digitized by Google

arcanı ſecretorũ. *Dan*.2. De primo illo ſomnio *Nabuchodonoſor*, ſic relato & interpretato à *S. Daniele*. [Tu Rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis, &c. Huius ſtatuæ caput ex auro puriſſimo erat: pectus autem & brachia, de argento; porro venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte, ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & cõminuit eos, &c. Lapis autem qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram, &c. Tu Rex Regum es: & Dominus cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriã dedit tibi, &c. Tu es ergo caput aureum: & poſt te conſurget regnum aliud minus te; & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuerſæ terræ; & regnum quartum velut ferrum conteret omnia hæc, &c. Porro quia vidiſti pedum & digitorum partem teſteam, & partem ferream: regnũ diuiſum erit, &c. In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, &c. *Cap*. 4. De altero ſomnio *Nabuchodonoſor*, ſic interpretato à *S. Dan*. Arborem quam vidiſti ſublimem atque robuſtam, &c. tu es Rex, &c. Quod autem vidit Rex vigilem & ſanctum deſcendere de cœlo, & dicere: ſuccidite arborem, &c. Hæc eſt interpretatio, &c. Eijcient te ab hominibus, & cum beſtijs feriſque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cœli infunderis, ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te: donec ſcias quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunque voluerit det illud, &c. *Cap*. 5. De viſione *Balſazari* Regis, & filij illius *Nabuchodonoſor*. [Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum, in ſuperficie parietis aulæ regiæ: & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebatur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur, &c.] Quam viſionem ſic *Daniel* interpretatur.

O Rex, &c. Quia Deum qui habet ſtatũ tuum in manu ſua, non glorificaſti: idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus, qui ſcripſit hoc quod exaratũ eſt. Hęc eſt autẽ ſcriptura quę digeſta eſt: *Máne, Thecel, Phares*; & hæc eſt interpretatio ſermonis. *Mane*, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud: *Thecel*, appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens: *Phares*, diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt *Medis*, & *Perſis*, &c. Eadem nocte interfectus eſt *Balſazar* Rex Chaldeus, & *Darius* Medus ſucceſſit in regnum.

Mat. 22. Cuius eſt hęc imago & ſuperſcriptio? Cæſaris. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quę ſunt Dei, Deo. *Act*. 15. Cęſarẽ appello. *Rom*. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autẽ ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali, &c. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malè agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote: non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. *Eph*.6. Serui obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes; ſed vt ſerui Chriſti, facientes Voluntatem Dei ex animo, cum bona volũtate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus, &c. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes quia & illorum & veſter eſt Dominus in cœlis, & perſonarũ acceptio non eſt apud eum. 1. *Petri* 2. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorũ, laudem verò bonorum; quia ſic eſt Voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, &c. Deum timete, Regem honorificate. Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis: non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.

2. Ex Symb. Apoſt. *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ: & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum*: Ex Symb. Conſtantinop. *Credo in Spiritum S. Dominum*. Ex Symb. S. Athan. *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus S. & tamen non tres Domini, ſed vnus eſt Dominus*. Ex hymno Eccleſiæ. *Tu ſolus Dominus*. Ex alijs precibus publicis. *Iube Domne benedicere, &c. Domnum Apoſtolicũ*. i. in diminutiuo.

3. Ex SS. PP. Vt *S. Dion. cap*. 5. *Diu. Nom*. Deus dicitur Rex ſæculorum: vt in quo & circa quem totum eſſe, & ens, ſubſiſtenſque verſetur, &c. ſupra *col*. 262. 263. *Cap*. 7. Præſtat nos eſſe Dei quàm noſtros, vel noſtri iuris. *Cap*. 12. Laudare iam conuenit infinitis nominibus præditum: vt Sanctum Sanctorum, & Regem Regum, & regnantem in ſæculum, & in æternum, & vltra, & Dominum Dominorum, Deumq; Deorum, &c. Porro, regnum eſt omnis termini, & ornatus, legiſque, iuris, ordiniſq; diſtributio. Dominatio verò, non modo eſt inter deteriores eminentia: verum omnis quoque honeſtorum ac bonorum perfecta poſſeſſio, veraque indemutabilis firmitas. Vnde & à libera poteſtate dominandi, & dominatio, & Dominus, & Dominans dicitur.

S. Aug. Lib. 12. *Trin. cap*. 15. Dominum Deum aliquando Dominum non fuiſſe, dicere non audeo, &c. Sed cùm cogito, cuius rei Dominus ſemper fuerit, ſi ſemper creatura non fuit: affirmare aliquid pertimeſco, &c. Si dixero, ſemper fuiſſe creaturam cuius Dominus eſſet, &c. ſed nunc illam, nunc aliam, ne aliquam Creatori coæternam eſſe dicamus, quòd fides, ratioque ſana condemnat: cauendum eſt, ne ſit abſurdum, & à luce veritatis alienum, mortalem quidem per vices ſemper fuiſſe, immortalem verò non eſſe cœpiſſe, niſi cùm ad noſtrum ſæculum ventum eſt, quando

do Angeli creati ſunt,&c. Si autem dixero non in tempore creatos eſſe Angelos, ſed ante omnia tempora, & ipſos fuiſſe quorum Deus Dominus eſſet: quæretur etiam à me, ſi ante omnia tempora facti ſunt, vtrum ſemper potuerint eſſe, qui facti ſunt,&c. Si in Angelicis motibus tempus iam fuit: etiam ſic omni tempore fuerunt, &c. Sed dicetur mihi: quomodo ergo non ſunt coæterni Creatori, ſi ſemper fuerunt? Quomodo etiam creati? An dicendum eſt,ſemper illos fuiſſe, quoniam omni tempore fuerunt, qui cum tempore facti ſunt, & tamen creatos? *Infra.* Vbi enim nulla creatura eſt,cuius mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino eſſe non poſſunt. Ac per hoc, etſi ſemper fuerunt, creati ſunt: nec ſi ſemper fuerunt, ideo Creatori coæterni ſunt. *Infra.* Quapropter ſi Deus ſemper Dominus fuit, ſemper habuit creaturam ſuo dominatui ſeruientem, &c. Sed hoc ſi reſpondero, &c. vereor ne faciliùs iudicer affirmare quod neſcio, quàm docere quod ſcio. *Lib.8.in Gen.c.9.* Ab ipſo exordio *Geneſis* nuſquam poſitum eſt Dominus Deus, ſed tantùm Deus, vſque ad *Geneſis* 2. Sumpſit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo, &c. Non quòd ſupradictarum creaturarum Dominus non eſſet Deus: ſed quia hoc propter hominem ſcribebatur, ad eum admonendum, quantùm ei expediat habere Dominum Deum, &c. *Lib.* 15. *contra Fauſt. cap.* 9. *ADONAI* interpretatur Dominus, eo modo quo ſolus Deus dicitur Dominus: ſicut *Latria* interpretatur ſeruitus, quâ tantummodo Deo ſeruitur; ſicut *Amen* .i. verum, ſed myſtica religione. Vt ſupra *col.*347. inter nomina Dei.

De Iure Belli, à Deo exercituum. Lib. 22. *cõtra Fauſt. cap.* 74. Ne quis bella per *Moyſen* geſta miretur, aut horreat: quia & in illis diuina ſecutus imperia, non ſæuiens, ſed obediens fuit. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt domentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum eſt, non Religioſorũ,&c. *Cap.*75. Intereſt quibus cauſis, quibuſque authoribus homines gerenda bella ſuſcipiant. Ordo tamen ille naturalis, mortalium paci accomodatus, hoc poſcit: vt ſuſcipiendi belli authoritas atque conſilium penes Principem ſit; exequendi autem iuſſa bellica miniſterium, milites debeant paci ſalutique communi. Bellum autem quod gerendum Deo Authore ſuſcipitur, rectè ſuſcipi dubitari fas non eſt, &c. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, *Rom.* 3. ſiue iubente, ſiue ſinente. Ita vt fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi: innocentem autem militem oſtendat, ordo ſeruiendi. *Cap.* 78. Quis hominum nouit, quid proſit aut obſit, in pace regnare, vel ſeruire, vel vacare, vel mori: in bello autem, vel imperare vel pugnare, vel occidere vel occidi? Cùm conſtet & ei cui prodeſt, nonniſi per diuinum prodeſſe beneficium; & cui obeſt, nonniſi per diuinum obeſſe iudicium. *Quæſt.* 44. *in Num.*21. Percuſſit eum *Iſrael* nece gladij, &c. Notandum ergo ſanè, quemadmodum iuſta bella gerebantur. Innoxius enim tranſitus negabatur: qui iure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debet. *Quæſt.* 10. *in Ioſue* 8. Quod Deus iubet, vt conſtituat inſidias: hinc admonemur, non iniuſtè fieri ab his qui bellum iuſtum gerunt; vt nihil homo iuſtus præcipuè cogitare debeat in his rebus, niſi vt bellum iuſtum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt. Non enim omnibus fas eſt. Cùm autem bellum iuſtum ſuſceperit: vtrum apertâ pugnâ, vtrum inſidijs vincat, nihil ad iuſtitiam intereſt. Iuſta autem bella definiri ſolent, quæ vlciſcantur iniurias: ſi qua gens, vel Ciuitas vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per iniurias ablatum eſt. Sed etiam hoc genus belli ſine dubitatione iuſtum eſt, quod Deus imperat. In quo bello exercitus, vel ipſe populus, non tam author belli, quàm miniſter iudicandus eſt. *Lib.* 4. *Ciu.* 4. Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Quia & ipſa latrocinia quid ſunt, niſi parua regna? *Infra.* Nam cùm *Alexander* Pyratam interrogaſſet, quid ei videretur vt mare haberet infeſtum: ille liberâ contumaciâ, *Quid tibi*, inquit, *vt Orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor; quia tu magna claſſe, Imperator.* *Cap.* 6. Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola Regni cupiditate conterere, & ſubdere: quid aliud quàm magnum latrocinium nominandum eſt? *Cap.* 17. An fortè dicunt quòd Deam *Victoriam Iupiter* mittat? Hoc verè dicitur de illo vero Rege ſæculorum: quòd mittat Angelum ſuum, & faciat vincere quem voluerit.

*Lib.*5.*cap.*12. Cùm diu fuiſſent regna Orientis illuſtria, voluit Deus & Occidentale fieri: quod tempore eſſet poſterius, ſed imperij latitudine illuſtrius. Idque talibus potiſſimum conceſſit hominibus, ad domanda grauia mala multarum gentium: qui cauſa honoris, laudis, & gloriæ conſuluerunt patriæ, &c. iſto vno vitio .i. amore laudis, multa alia vitia comprimentes. *Cap.* 17. Quid intereſt ſub cuius imperio viuat homo moriturus: ſi illi qui imperant, ad impia, & iniqua non cogant? *Infra.* Nam quid intereſt ad bonos mores, quod alij vicerunt, alij victi ſunt, omninò non video, præter illum gloriæ humanæ inaniſſimum faſtum. *Cap.* 24. Neque nos quoſdã Chriſtianos Imperatores ideo fœlices dicimus: quia diutius imperarunt; ſed ſi iuſtè imperant, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum famulam faciunt, ſi Deum timent, diligunt, colunt, &c. *Cap.*25. Ne homines regna terrena exiſtimarẽt neminem poſſe conſequi, niſi dæmonibus ſupplicaret: *Conſtantinum Imperatorem* tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet, &c. Sed rurſus, ne *Imperator* quiſquam ideo Chriſtianus eſſet: *Iouinianum* multò citiùs, quàm *Iulianum* abſtulit; *Gratianum* ferro tyrannico permiſit interimi. Iſte autem, quamuis piæ animæ talia ſolatia non requirant, à *Theodoſio* vindicatus eſt. *Cap.* 26. De proſperitate, æquitate, pietate, & religioſa humilitate eiuſdẽ *Theodoſij*. *Lib.*19. *cap.*12. Qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt. Ad glorioſam ergo pacem bellando cupiunt peruenire,&c. Vnde conſtat, pacem eſſe belli laudabilem finem. *Epiſt.*5. *Ad Marcellinum.* Si terrena Reſpublica præcepta Chriſtiana cuſtodiat: & ipſa

ipſa

Digitized by Google

ipſa bella ſine beneuolentia non gerentur; vt ad pietatis, iuſtitiæque pacatam ſocietatem, victis faciliùs conſulatur. Quia nihil eſt infœlicius, fœlicitate peccantium, &c. Miſericorditer enim, ſi fieri poſſet, etiam bella gererentur à bonis: vt vitia perderentur, quæ iuſto imperio vel extirpari, vel deprimi debuerunt. Nam ſi diſciplina Chriſtiana omnia bella culparet: hoc potiùs militibus conſilium ſalutis petentibus diceretur, *Luc.* 3. Proinde qui doctrinam Chriſti aduerſam fuiſſe dicunt Reipublicæ: dent exercitum talem, quales doctrina Chriſti eſſe milites iuſſit. *Infra.* Deus oſtendit in opulentiſſimo & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent ciuiles etiam ſine vera religione virtutes: vt intelligeretur, hac additâ, fieri homines Ciues alterius Ciuitatis; cuius Rex Veritas, cuius Lex Charitas, cuius Modus Æternitas. *Epiſt.* 50. *B. Aug. Ad Bonif. Comitem.* Nonnulli ex Donatiſtis, volentes ſibi *Gothos* conciliare, quando eos vident aliquid poſſe: dicunt ſe hoc credere, quod & illi credunt. *Infra.* Quomodo Reges ſeruiunt Domino in timore, *Pſal.* 2. *&* 71. niſi ea quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate corrigendo, atque plectendo? Aliter enim Rex ſeruit, quia homo eſt; aliter, quia etiam Rex eſt, &c. Quis mente ſobrius Regibus dicat: Nolite curare in Regno veſtro, à quo teneatur, vel impugnetur Eccleſia Domini veſtri, quis velit eſſe vel Religioſus, vel Sacrilegus? Cur enim adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? *Epiſt.* 162. Imperator *Conſtantinus* ceſſit *Donatiſtis*, vt de eorum cauſa poſt Epiſcopos iudicaret: à Sanctis Antiſtitibus poſtea veniam petiturus. *Epiſt.* 205. *Ad illum Bonifacium Comitem.* Noli exiſtimare neminem Deo placere poſſe, qui in armis bellicis militant. In his erat *S. Dauid*, in his ille *Centurio*, *Matt.* 8. in his *Cornelius*, *Act.* 10. in his illi *Matt.* 11. *Luc.* 3. &c. Alij ergo pro vobis orando, pugnant contra inuiſibiles inimicos: vos pro eis pugnando, laboratis contra viſibiles Barbaros. Vtinam vna fides eſſet in omnibus, &c. Hoc ergo primùm cogita, quando armaris ad pugnam: quia virtus tua etiam corporalis, donum Dei eſt. Sic enim cogitabis, de dono Dei non facere contra Deum, &c. Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas. Eſto ergo etiam in bellando pacificus. Beati pacifici, &c. *Matt.* 5. *Epiſt.* 70. *Ad eundem, contra varios abuſus Belli.* Quis non videat, quòd multi homines tibi cohæreant, ad tuendam tuam potentiam, vel ſalutem, qui tamen ad ea bona quæ ipſi quoque ſecundùm ſæculum diligunt, per te cupiunt peruenire? Quod vt fiat, neceſſe eſt multa quæ Deo diſplicent, fiant. Quando ergo poteris tot hominum armatorum, quorum fouenda eſt cupiditas, timetur atrocitas, concupiſcentiam non dico ſatiare, ſed aliqua ex parte paſcere, ne vniuerſa plebs pereat, niſi tu facias quę Deus prohibet? Propter quod vides tam multa contrita, vt iam vile aliquid quod rapiatur vix inuenitur, &c. Quis autem crederet, quis timeret, *Bonifacio* domeſticorum & Africæ Comite, in Africa conſtituto cum tam magno exercitu & poteſtate: qui Tribunus cum paucis fœderatis omnes ipſas Gentes expugnando & terrendo pacauerat; nunc tantùm fuiſſe Barbaros auſuros, tantum progreſſuros? Sed fortè reſpondes, illis hoc eſſe imputandum qui te læſerunt. Tuam cauſam potiùs inſpice, quàm non cum hominibus, ſed cum Deo te habere cognoſcis, &c. Nam cauſas ego ſuperiores potiùs attendo: quia vt *Africa* tanta mala patiatur, ſuis debent homines imputare peccatis, &c. Si ergo bona in te collata ſunt, noli reddere mala pro bonis: ſi autem mala tibi irrogata ſunt, noli reddere mala pro malis. Dicis mihi fortaſſe, in tanta neceſſitate quid vis vt faciam? Si conſilium à me ſecundùm hoc ſæculum quæris: incerta iſta, certum conſilium habere non poſſunt. Si autem ſecundùm Deum me conſulis: quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur? *Luc.* 9. *Infra.* Adderem, quòd *Tubinis*. i. tali loco, prohibuimus: vt iam te, quantum rerum humanarum ſalua pace poſſes, ab iſtis rebus bellicis abſtraheres, &c.}

Quæ quidem hîc referuntur ad titulum diuinum, Regis Regum, & Domini exercituum: contra phanaticam illam & fictam Anabaptiſtarum, vt & olim Manichæorum, pietatem, quaſi ab omni armorum vſu abhorrentem; reuera tamen latentem impietatem & crudelitatem, quæ ſeipſam ſatis prodidit in illo eorundem bello proditorio & rabido Monaſterienſi. Sed & opportunè contra illum *Behemot*, *Iob* 48. qui ignem bellicum naribus ſuis ſternutiens ac ſcintillans, ſuo etiam halitu prunas ardere facit: ſeu contra Bellonam ac furias infernales, facem bellorum præferentes, earumque miniſtros, ſiue hæreticos, ſiue politicos Antichriſtianos, qui ſuis conſilijs, linguis, & calamis quaſi ad incendia ſulfuratis, animos Principum accendunt, indeque totum Orbem Chriſtianum tantis bellorum incendijs in fauillam & cinerem vſque conſumunt, vt nulla ſanguinis profuſione extingui poſſe videantur. Non tamen contra veram bellorum neceſſitatem, & æquitatem: ſed nonniſi ex cauſa grauiori, ſeu contra maius malum, & ad maius bonum, quàm ſint omnia mala bellorum, & bona eis contraria. Minimè autem contra ſupremum Dei dominium vitæ & necis, eiuſque ſententiam æquiſſimam mortis, in omnes homines, vt reos vel ſolius peccati originalis, quantò magis tot tantorumque peccatorum actualium? Nec contra prouidentiam illam medicinalem, quâ Deus 2. *Reg.* 24. *Dauidi* optionem dedit inter pœnam famis, belli, & peſtis; quâue ſolent Medici ad ſalutem totius, nulli parcere membrorum præciſioni, inciſioni, & ſanguinis effuſioni. Sed illi ſolent ſanare elicito ſanguine noxio: Deus autem innocente, ad correctionem nocentium. De quo *B. Aug. Quæſt.* 16. *in cap.* 10. *Ioſue.* Nullo modo putanda eſt crudelitas, quòd nullum viuum in Ciuitatibus ſibi traditis dimittebat IESVS; quia Deus hoc iuſſerat. Tam peruerſè de operibus Dei, quàm de peccatis hominum iudicant: neſcientes quo quiſque dignus ſit, & magnum putantes malum cum caſura deijciuntur, mortaleſque moriuntur.] Alludens ad illam cuiuſdam Coepiſcopi ſententiam, relatam à *Poſſidio*, *cap.* 27. qua ſeipſum in perſecutione Wandalica,

& Gothica conſolabatur. Non eſt malum quòd cadunt ligna, & lapides, & moriuntur mortales.

Sed væ bellis iniuſtis ex cauſis prætenſis aut leuioribus: eorumque motoribus, ac pertinacibus proſecutoribus. Væ illis à Rege Regum & exercituum. Væ à tranſlatione regnorum propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos, *Eccli.* 10. Væ ab illa manu Dei, eiuſque inſcriptione & executione: *Mane, Thecel, Phares, Dan.* 5.

4. Ex noſtris Doctoris Scholaſticis. *Al. P.* 1. *q.* 37. *m.* 2. Deus non poteſt præcipere contra legem ipſius naturæ diuinæ: nec contra legem creaturæ ſeu ordinem naturæ ad Creatorem; ſed cõtra legem .i. ordinem naturalem à ſeipſo inſtitutum. Quod *m.* 3. applicat decalogo in particulari. *Q.* 53. De nominibus reſpectiuis, Domini, & Creatoris. *M.* 1. Dominus ſemper ſumitur reſpectiuè: ſed in habitu ab æterno, in actu ex tempore; vt & Dominator. *M.* 2. Deus cœpit eſſe Dominus temporis, cùm ipſum tempus incœpit: reliquorum omnium, ex tempore. Quia omnis creatura cœpit ex nihilo: ergo & ex tempore, ſeu cum mutatione. *M.* 3. Dominium Dei eſt increatum, quoad principale ſignificatum: nec tamen ab æterno; quia connotat reſpectum creaturæ ad Deũ. *M.* 4. *Art.* 1. Eſſentia Diuina non refertur ad creaturam, ſed è conuerſo: quia illa non dependet ab hac, vt hæc ab illa; ſed correlatiuè dicuntur ex collatione intellectus. Sic & *Art.* 2. *Ad* 3. *arg.* Seruitus eſt in creatura: dominium, quoad ipſam poteſtatem, eſt in Deo, & Deus ipſe; ſed comparatio, vel ſuppoſitio huius poteſtatis, nulli ineſt vt ſubiecto, ſed adeſt Deo, ſeu eſt ad Deum. *Art.* 3. Quoad principale ſignificatum, eſt idem prædicatum, & modus prædicandi, Domini, & Creatoris; ſed non quoad comprædicata, &c. Deus ergo incipit eſſe Creator: non inceptione circa rem principaliter prædicatam, ſed comprædicatam, &c. digna ſtudioſa relectione. *Parte* 2. à *q.* 37. 38. 39. 40. De varia præſidentia, ſeu poteſtate etiam morali Angelorum. *Quæſt.* 99. De dominio Adami in ſtatu innocentiæ. *Quæſt.* 120. De ſeruitute pœnali ex peccato. De iure Belli *P.* 3. *q.* 47. *m.* 3.

S. Bon. in 1. *diſt.* 30. De relatiuis Dei ad creaturas. *Art.* 1. *q.* 1. Dicuntur de Deo ex tempore: non ſolùm cauſaliter, ſed & formaliter; non quoad principale ſignificatum, per aliquam eius mutationem; ſed quoad connotata, per ſolam relationem vel vnionem. *Q.* 2. Non per accidens ipſius Dei, ſed non neceſſariò. *Quæſt.* 3. Nec dicunt relationem realem Dei ad creaturam; ſed ſolius creaturæ ad Deum.

Scotus in 1. *diſt.* 30. *q.* 1. 2. *n.* 9. *Reſp. Ad* 1. *Quæſt.* Relationes creaturarum ad Deum, ſunt nouæ: nec ad eas terminãdas ſunt vllę neceſſariæ in Deo, &c. *N.* 12. Quomodo ergo Deus eſt Dominus? *Reſp.* Sola denominatione à noua relatione creaturæ ad ipſum, vt ad ſuum terminum abſolutum. Ex *B. Aug.* 5. *Trin.* 16. Quod temporaliter dici incipit Deus, manifeſtum eſt relatiuè dici: non tamen ſecundùm accidens Dei, ſed eius ad quod Deus incipit dici relatiuè. *Ad* 2. *Quæſt. Reſp. n.* 14. In Deo non eſt aliqua relatio realis ad creaturam, &c. vt ſupra, *col.* 179. 180.

Ex quibus omnibus inter ſe collatis, nulla ſupereſt grauis difficultas: ſed paucæ leuiores.

1. Quo ſenſu, *Exod.* 15. In æternum & vltra. 2. Cur *Pſ.* 23. Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ. 3. Quo ſenſu *Pſal.* 67. Rex virtutum, dilecti, dilecti. 4. Quo ſenſu *Pſal.* 73. Deus Rex noſter ante ſæcula: cùm non eſſemus ante. 5. Quo ſenſu *Sap.* 12. Deus diſponit nos cum magna reuerentia. 6. Quo ſenſu, & cur *Eſa.* 6. & alibi ſæpè Deus vocetur ſpecialiter Dominus exercituum. 7. Cur *Amos* 9. Dominus nomen eius, quaſi ſoli Deo proprium. 8. Cur Chriſtus *Ioan.* 10. negat regnum ſuum eſſe de hoc mundo. 9. Cur in Symbolo Apoſt. credimus in Chriſtum vt vnicum Dominum noſtrum: & tamen in Conſtantinop. credimus & in Spiritum S. Dominum. 10. Cur in precibus Eccleſiæ, Iube Domne, & Domnum Apoſtolicum. 11. Cur *B. Aug.* tantùm mouet, nec audet reſoluere difficultatem de Deo vt Domino ante vel poſt creaturam.

Reſponſio ad ſingula.

AD 1. In æternum .i. in ſæculum, vel in omnia ſæcula ſæculorum temporalium, & vltra omnia realia, ac imaginabilia, vel infinitè ſupra, vel eſt ſacra locutio poëtica, hyperbolica, & conditionata ad maiorem emphaſim .i. ſi eſſe poſſet vltra. *Ad* 2. Chriſtus vt Deus, & homo, eſt Dominus virtutum .i. & Angelorum, & omnium gratiarum, ac virtutum interiorum. Ideoque eſt Rex gloriæ .i. glorioſiſſimus, ſeu dignus omnĩ gloria æterna & temporali. *Vt Apoc.* 5. Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, &c. *Ad* 3. *Ex B. Aug. in Pſal.* 67. Rex virtutum dilecti .i. Deus Pater, imò & ipſe Deus Filius eſt Rex omnium virtutum ſibi ſeruientium. *Ad* 4. Ante ſæcula, vel refertur ad ſequentia: *operatus eſt ſalutem noſtram* .i. in decreto Dei. Vel ad præcedens: *Rex noſter ante ſæcula* .i. Ante vllum lapſum temporis; quia à primo inſtanti creaturæ. Vel etiam ab æterno, in ſuis decretis circà omnia futura. *Ad* 5. Cum magna reuerentia .i. ſuauitate, imò & grauitate, decentia & reſpectu ſui-ipſius. *Ad* 6. Dominus *Sabaoth* .i. vel virtutum vt ſupra, vel exercituum cæleſtium & terreſtrium. Quia quamuis ſit ſolus ſupremus Dominus omnium & ſingulorum: ſpecialiter tamen exercituum. Tum quia hi non congregantur niſi ex ſpeciali prouidentia Dei, ad aliquem finem ab eo intentum. Tum quia non poſſunt tot & tales homines, niſi à Deo ſub tali ordine conſociari & contineri. Tum quia exercitus legitimi ſunt ſub ſupremo Dominio humano: à ſolo Deo dependente, eiuſque Dominium repræſentante. Tum quia ſæpè vtuntur, vel abutuntur iure pluſquam humano. Tum quia ſunt executores Dei. Tum quia ſpecialiter dependent à Deo in varijs Bellorum euentibus. *Ad* 7. Vt *B. Aug.* ſupra. Sed *Amos* 9. & alibi ſæpè, nomen IEHOVA Tetragrammaton, & Ineffabile, legitur nomine *Domini*, vtique ſimpliciter, & communiter ad omnia poſſibilia, abſque vlla exceptione. Ne tamen promiſcuè ſumatur pro quouis Domino: ſolet hebraicè ſoli Deo appropriari, per nomen *Adonai*: vel vt vult

Pag-

Digitized by Google

Pagninus in ſingulari .i. Dominus meus , ab *Adon* .i. quiuis Dominus; cum affixo pronomine, *Adoni*, vel *Adonai* per *a* breue, quiuis Dominus meus; ſed per a longum, ſolus Dominus Deus. Vel vt mauult noſter *Galatinus* , à plurali *Adonaim* .i. Domini, Eliſo *im* per pronomen affixum, *Adonai*.i. Domini in nominatiuo plurali , & mei in genitiuo ſingulari. Ad ſubſignificandum in plurali Maieſtatem Dei , & pluralitatem Perſonarum Diuinarum. *Ad* 9. Regnum Chriſti non erat de hoc mundo .i. mundanum , partiale , & temporale : Sed totius mundi , & iure diuino eſt eius Perſonæ Diuinæ. *Ad* 9. Credimus in Ieſum Chriſtum Filium Dei vnicum : non autem vt vnicum Dominum noſtrum; niſi vt Deus eſt ſolus & vnicus Deus & Dominus , Pater, Filius, & Spiritus S. Vel vt in vnicum Dominum noſtrum, ſecundùm ipſam naturam humanam , incomparabiliter ſupra omnes alios Dominos. *Ad* 9. *&* 10. Comparatiuè ad Deum & Chriſtum , nemo eſt cenſendus aut dicendus Dominus abſolutè; ſed tantùm diminutiuè Domnus , ſeu Dominulus. *Ad* 11. Cùm ſacra Script. vocet Deum Dominum , quaſi ab æterno, *Pſal.* 109. Dixit Dominus Domino meo,&c. Nec poſſit intelligi inter Perſonas Diuinas, nec fuerint ab æterno creaturæ quarum eſſet Dominus: *S. Aug.* non præſumpſit hanc difficultatem ſimul hîc mouere & reſoluere, ſed alibi, vt 5. *Trin.* ſupra. Cui adde ex noſtris Authoribus, Deû fuiſſe ab æterno Dominum in actu primo : ſeu in potentia dominandi, non autem dominatione actuali antequam ſibi ſeruos creaſſet.

Sed cur hoc ipſo non dominetur omnibus ab æterno : quo ab æterno decernit & ordinat omnia futura,vel non? Cùm *Rom.*4.vocet ea quæ nõ ſunt, tanquam ea quæ ſunt .i. euocet à non eſſe, ad eſſe? Non enim obſtat vlla præexiſtentia Dei ab æterno, ante omnes ſeruos futuros. Quia vt ſupra, *col.* 520. 521. 522. illa præexiſtentia ab æterno, non eſt vlla prioritas temporis : ſed infinita ſuperioritas æternitatis indiuiſibilis, ſimulq; præſentiſſimæ omnibus præteritis, præſentibus, & futuris. Quæ quantumuis inter ſe diſtent tempore, & ſucceſſione : non tamen ſic diſtant ab æternitate; ſed ei ſubſunt infinitè. Nec obſtat quòd correlatiua non poſſint eſſe niſi ſimul tempore, inſtanti,& naturâ. Quia cùm Deus non poſſit eſſe nobiſcum ſimul tempore,nec inſtanti,nec naturâ : non poteſt eſſe noſter Dominus vlla correlatione reali ad nos. Cur ergo non erit priùs & potiùs ab æterno Dominus noſter, ſuo illo decreto quo facit nos in tempore exiſtere : quàm poſt noſtram exiſtentiam, ſeu ex ſola noſtra actuali ab eo dependentia? Illa enim dominatio eſt prior,realior, interior , & actualior : quàm ſit ſola terminatio quaſi poſterior noſtrâ exiſtentiâ & dependentiâ. Nec hoc eſſet contra noſtros Authores : qui cenſent decretum illud Dei eſſe immediatè efficax; non ſolùm ſine vlla neceſſaria cauſa media , ſed & ſine vlla alia actione mediante. Quia *Al.* expreſsè ſentit creationem actiuam eſſe in ipſo Deo ab æterno : cui conſentit *S.Bon.* ſupra. *Scotus* autem ſæpè repetit , Ad ſolum velle Dei ſequi effectum eſſe: nec vllam actionem mediare inter vim actiuam & effectum eius. Siue ergo actio vt actio ſit formaliter in agente, ſubiecto,vel effectu : non tamen vt ab hoc realiter diſtincta; imò nec videtur vt actio eſſe in vllo, ſed formaliter ab agente, ſeu tendentia , & terminatio eius ad effectum. Ergo & terminatio volitionis aut nolitionis Dei ad futura vel non futura , ſeu vt ſint vel non ſint, eſt eius actio libera : à qua poteſt denominari Dominus actualis ; non in ſeipſum, nec ſolùm in hanc ipſam terminationem, ſed & in omnem terminum. Non enim Deus dicitur Dominus actu, ab obligatione reali quam nos habeamus ad ipſi ſeruiendum : ſed à priori iure abſoluto, & dominatione actuali ac libera quam habet in nos; eamque actualiter exercet volendo & faciendo ab æterno, nos eſſe aut non eſſe in tempore; non vt ſibi, ſed nobiſcum futuro; ſibi autem , nobiſcum infinitè ſubdito. Nec denique eſſet contra *B. Aug.* Quia 12. *Ciu.* 15. nihil abſolutè reſoluit. Sed 5. *Trin.* 16. *Si*, inquit, *Dominus non dicitur niſi cùm iam habere incipit ſeruum : & etiam iſta appellatio relatiua ex tempore eſt Deo. Non enim ſempiterna creatura eſt, cuius eſt ille Dominus. Quomodo ergo obtinebimus,nec ipſa relatiua eſſe accidẽtia,&c. Ecce Dominum eſſe,non ſempiternum habet : ne cogamur etiam ſempiternam creaturam dicere; quia ille ſempiternè non dominaretur, niſi etiam iſta ſempiternè famularetur. Sicut autem non poteſt eſſe ſeruus, qui non habet Dominum: ſic nec Dominus,qui non habet ſeruum.Et quiſquis dicat,&c.ideo non in tempore accidit Deo, vt Dominus eſſet ; quia ipſorum temporum Dominus erat , quæ vtique non in tempore eſſe cœperunt. Quid reſpondebit de homine, qui in tempore factus eſt : cuius vtique Dominus non erat antequam eſſet cui eſſet? Certè vel vt Dominus hominis eſſet , ex tempore accidit Deo. Et vt omnis auferri videatur controuerſia : certè vt tuus Dominus eſſet, aut meus, qui modo eſſe cœpimus, ex tempore accidit Deo,&c. Vt Dominus eſſet huius arboris , & huius ſegetis : ex tempore accidit. Quia etſi materies ipſa iam erat : aliud tamen eſt Dominum eſſe materiæ : aliud eſſe Dominum iam factæ naturæ. Alio enim tempore eſt etiam homo Dominus ligni : & alio tempore Dominus arcæ ex illo ligno, &c. Quomodo igitur obtinebimus nihil ſecundùm accidens dici Deum? Niſi quia nihil ipſius naturæ accidit , quo mutetur ; vt ea ſint accidentia relatiua, quæ cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur , accidunt, &c. Si nummus poteſt nulla ſui mutatione toties dici relatiuè, &c. Quantò faciliùs illa incommutabilis Dei ſubſtantia? &c. Sic & Pater noſter eſſe incipit : cùm per eius gratiam regeneramur, &c. Subſtantia itaque noſtra mutatur in melius : nulla commutatione ſubſtantiæ Dei. Ergo temporaliter dici incipit Deus relatiuè : non ſecundùm accidens Dei;ſed eius ad quod Deus incipit dici relatiuè.* Cùm ergo hoc totum incipiat ab illo, *Si*, videtur & ab illo ſuſpendi. Imò cùm tendat ad immutabilitatem Dei : de qua *B. Aug.* ſapientiſſimè ſupra , *col.* 255.& 263. quoad immutabilem & æternam terminationem voluntatis Dei ad omnia temporalia : videtur quoque potiùs fauere huic immutabili dominationi ab æterno. Poteſtque 5. *Trin.* 16. *&* 12. *Ciu.*15. potiùs intelligi de relatiua denominatione temporali ab extrinſeco , quàm de eſſe reali, intrinſeco, & actualiſſimo ab æterno.

Digitized by Google

De Myſterio Sacroſanctæ Trinitatis.

HÆc eſt 2. pars Libri primi *Sent.* quæ à *S.Thoma*, eiuſque ſequacibus, ſolet tractari ſeorſim à priori, de Deo vno: ſed à *Magiſtro*, eiuſque Commentatoribus, promiſcuè cum priori; ſub hoc ordine, inſinuato ab ipſo *Magiſtro* initio *Diſt.*2. & 22. expreſſo autem à *S. Bon.* exponendo textũ *diſt.* 2. ſed à neutro obſeruato. Videlicet, quòd hoc myſterium tripliciter tractandum ſit. 1. Quatenus eſt credendum. 2. Quatenus intelligendum, ſeu rationabiliter explicandum. 3. Quatenus congruè & catholicè eloquendum. Quo ordine, inſtituendæ quidem eſſent plurimæ quæſtiones ſubalternæ: ſed quia pleraſque præpoſuimus, ex *Alenſi P.* 1. *à q.*42. *ad* 74. ſeu vltimam, & ex *S. Bon.* & *Scoto* in varias diſtinctiones *Magiſtri* promiſcuè: nos omnes reſumemus, & ſi quid deſit ſupplebimus, illis ſolis tribus quæſt. ſingulis de tribus Perſonis ſimul; quia cùm ſint correlatiuæ, ſunt ſimul cognitione; nec poſſunt diſtinctè tractari ſine ſuperflua plerarumque SS. Scripturarum, Symbolorum, Conciliorum, Patrum, & rationum repetitione.

QVÆSTIO XVIII.

Quænam ſint credenda de Deo Vno & Trino, ſeu de tribus Perſonis Diuinis.

RESPONSIO COMMVNIS.

QVæcumque SS.Scripturis expreſſa, ſacris Symbolis tradita, SS. Concilijs definita, & communi ſenſu SS. Patrum, ac vſu & profeſſione Eccleſiæ Catholicæ recepta ſunt. Contra omnes infideles, Philoſophos naturales, Iudæos, Mahumetanos, & varios ſimul aut ſucceſſiuè Hæreticos. Quæ priuſquam diſtinctè recenſeamus: recolligenda ſunt ex varijs oraculis S.Scripturæ. Quibus Deus paulatim tantùm myſterium reuelauit, & nos ad eius fidem diſpoſuit, incipiendo ab ipſis S.Scripturæ apicibus. Non quidem arte Cabaliſtica Iudæorum: quaſi nullus apex S.Script. præter ſignificationem & ſenſum ſingularum vocum ac dictionum, careret ſuo myſterio; ſed quadam ſacra & religioſa obſeruatione cuiuſdam modi loquendi & ſcribendi de Deo ſolo, in ſingulari & plurali ſimul. Vt *Gen.* 1. & alibi ſæpè. *Creauit* in ſingulari, *Elohim*.i. Dij in plurali: non defectu ſingularis *Eloah* .i. Deus, vt nomen plurale *Schamaim*.i. cœli, defectu ſingularis; ergo ad ſubſignificandum vnum Deum, ſed plures Perſonas Diuinas. Si enim ad ſolam Dei Maieſtatem: vt ſolent Principes dicere, *Nos volumus*, & eis dici, *Vos vultis*: ſic & Deus de ſeipſo diceret, *Nos volumus, facimus*, & ei diceretur *Vos vultis &c.* Sed de Deo ſub nomine plurali, Dij, dicitur verbum ſingulare *creauit, voluit, &c.* Ipſeque de ſeipſo ſub nomine ſingulari, & nomine plurali, dicit verbo ſingulari: *Ego elohim* .i. Dij, *creo, facio, volo, &c.* Non ſic de nomine *Schamaim* .i. Cœli, in ſolo plurali dicitur verbum ſingulare; ſed ſolùm plurale. Vt, non dicitur *Schamaim* .i. Cœli *enarrat gloriam Dei*, ſed *enarrant*. Ergo latet myſterium ſub illo ſingulari cum plurali: non in ſolo nomine *Elohim* .i. Dij; ſed & in alio proprio nomine *Adonaim*, vel *Adonai* .i. Domini, vel Domini mei. Quod ſæpè ſacra Script. hebraicè conſtruit cum pronomine, vel alio nomine, aut verbo ſingulari. Vt ego *Adonaim* .i. Domini, vel ego *Eloah Adonaim* .i. Domini Deus creaui, feci, &c. Nec obſtat, ſed fauet huic myſterio, quòd *Gen.* 2. dixit *Elohim* .i. Dij, *faciamus hominem ad imaginem noſtram*, quaſi in plurali, ad ſolam Maieſtatem. Quia ibidem, *Dicit*, in ſingulari: & paulo poſt *Creauit Elohim* .i. Dij, *hominem ad imaginem ſuam*; *ad imaginem Elohim* .i. Deorum, *creauit ipſum*. De quibus, & pluribus alijs nominibus, & epithetis Dei, ad Myſterium S. Trinitatis & Incarnationis referendis: noſter *Galatinus*, integro opere de arcanis Catholicæ Veritatis, per Libros 12. Vt de triplicato nomine *Sanctus*, *Eſa.*6. De triplicato nomine Dei, *Pſal.* 66. eiuſdemque nominis expreſſione Chaldaica per tria *iod*, ſeu *i*, ſuper vno *Camets*, ſeu *A* longo. Quorum nihil ſufficit ad fidem tanti Myſterij: ſed ſolùm ad conuincendos Iudæos, ex propria arte cabaliſtica. Quã, ante annos 20. in Capitulo noſtro Prouinciali *Gandenſi*, expoſui pro impertinenti, ad Theſim pertinenti: quòd nomen Flandricum & Germanicum *Godt*, arte Cabaliſtica ſit omnium myſterioſiſſimum, ad ſignificandam vnitatem Eſſentiæ Diuinæ, & Trinitatem Perſonarum. Quatenus hoc nomen conſtat vnica vocali *O*, repræſentante Eſſentiam Diuinam: & tribus conſonantibus, quaſi tribus Perſonis Diuinis. Quarum prima *G*, habet immediatè vocalem *O*, eamque communicat *D*, & per *D*, ipſi *T*: in ſignum myſticum, quòd prima Perſona habeat Eſſentiam Diuinam ex ſe, eamque communicet ſecundæ, & per hanc tertiæ. Neque illa celebris apparitio trium, *Gen.* 18. qui loquebantur vt vnus, quoſque *Abraham* adorabat & precabatur vt vnum, ad hanc fidem ſufficit.

Sed ad eam neceſſaria ſunt realiora, & certiora oracula, ipſius antiquæ legis contra Iudæos, vel eos qui non credunt ſacræ ſcript. nouæ legis, ſed ſolius antiquæ. Qualia ſunt de quadam in ipſo Deo, vel ab æterno productione, generatione, ſpiratione, miſſione: de quodam primo principio

vt

Digitized by Google

vt Patre, eiuſque Filio, Imagine, Verbo, ſeu Sapientia genita,&Spiritu ſeu amore producto;deq; ipſa omnium creatione ad extra, ab aliquo primo principio, quodam ſuo Verbo,& Spiritu increato,&c. Vt *Eſa.66.Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego qui cæteris generationem tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus.* Pſal.2. *Dominus dixit ad me,Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo,&c. Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te.* Prou. 8. *Ego Sapientia,&c.Ego diligentes me diligo, &c.* loquendo perſonaliter. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum,antequam quicquam facerem à principio. Ab æterno ordinata ſum,& ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant Abyſſi, & ego iam concepta eram, &c. Ante omnes colles ego parturiebar,&c.Cum eo eram cuncta componens, &c.* Cap. 30. *Quod nomen eſt eius, & quod nomen filij eius ſi noſti?* Libro Sapientiæ, de eadem Sapientia perſonali, vt ab æterno genita. Cap.4. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate!* Quæ enim poteſt eſſe alia tam caſta, & clara: vt hanc admirationem mereatur? De qua & cap. 6. *Clara eſt,& quæ nunquam marceſcit Sapientia,&c. Quid eſt autem Sapientia, & quemadmodum facta ſit,referam: & non abſcondam à vobis Sacramenta Dei; ſed ab initio natiuitatis inueſtigabo.* Cap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior eſt Sapientia: attingit autem vbique propter ſuam munditiam. Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis Omnipotentis Dei ſincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Maieſtatis, & imago Bonitatis illius. Et cùm ſit vna, omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innouat,&c.*Cap.8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, &c.* plura quæ non poſſunt dici, nec intelligi de ſola Sapientia *Salomonis*. Eccli. 1. *Omnis Sapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum, &c. Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inueſtigabit? Prior omnium creata eſt Sapiẽtia,& intellect' prudẽtiæ ab æuo,&c.* Cap.24. *Ego*, inquit perſonaliter Sapientia, *ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens,&c. Ab initio & ante ſæcula creata ſum,&c.* Quæ nec poſſint intelligi de creatione ex nihilo, nec de vlla tali creatura temporali: cùm per illam omnia temporalia ex nihilo creata ſint, ipſa autem *ab æterno prodeat ex ore Dei,primogenita ante omnem creaturam.* Quamuis autem hi duo libri non ſint apud Iudæos canonici & authentici: eos tamen conuincunt, quatenus hæc reſumunt ex *Lib. Prouerb.* quem habent pro canonico.

Gen. 1.*In principio creauit Deus,&c. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. In quo.*i.phraſi hebraica, Quo vel per Quod Principium creauit Deus, niſi per Filium,& cum Filio? Quis ille Spiritus Domini, antequam vllus alius crearetur, niſi Spiritus S. vt ab æterno ſpiratus? *Gen.*18. Poſt illam celebrem apparitionem trium, & adorationem vnius: ſubdit cap. 19. *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorham ſulphur & ignem à Domino de cœlo.* Quis ille Dominus à Domino, niſi Deus à Deo, ſeu vna Perſona Diuina ab alia? Vt & *Pſal.*109.*Dixit Dominus Domino meo,&c.* Pſal.32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Sap. 9. *Deus qui feciſti omnia Verbo tuo, &c.* Iob 26. *Spiritus Dei ornauit cœlos.* Prou. 1. *Proferam vobis Spiritum meum.* Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Sap. 7. *In Sapientia Dei eſt ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, vnicus, multiplex, ſuauis, benignus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens,&c.* Cap. 12. *O quàm bonus,& ſuauis Spiritus tuus in omnibus.* Eccli.24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Eſa. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c.* Quod eſt autem illud Verbum Dei, quis Spiritus oris eius, quo creat, conſeruat, replet omnia: niſi Perſonæ Diuinæ,quæ vt ſupra omnia creabilia, non poſſunt fieri vllo alio Verbo, aut Spiritu Dei? *Gen.*49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt.* Exod. 4. *Obſecro te Domine, mitte quem miſſurus es.* Pſal. 106. *Miſit Dominus Verbum ſuum,&c.* Pſal.110. *Redemptionem miſit Dominus.* Eſa. 48. *Dominus miſit me, & Spiritus eius.* Zachar. 6. *Ecce vir Oriens nomen eius, &c. & ſcietis quia Dominus exercituum miſit me ad vos.* Cap. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi Iuſtus, & Saluator, &c.* Mich. 5. *Et egreſſus eius à diebus æternitatis.* Quæ eſt autem tanta miſſio, quis tantus miſſus, tantus Oriens ac veniens præ omnibus alijs, à quo & ad quid miſſus: niſi Deus Filius à Deo Patre, ſeu vna Perſona Diuina procedens ab alia, ad aliquẽ effectum? Vt noſter *Galatinus lib. 2. cap. 3.* de *Meſſia*: ex textu Hæbreo, & Chaldaïco, ipſiſque Rabbinis Iudæorum.

Quæ tamen, & quorum ſenſus,needum erat ſatis certus, expreſſus, vel traditus, vt obligaret ad fidem explicitam, ante reuelationem, & traditionem expreſſiorem per Chriſtum, & Eccleſiam, de Filio Dei naturali, & ſingulis tribus Perſonis Diuinis. *Matt.*1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt,&c. Ipſe ſaluum faciet populum ſuum,&c. Vocabunt nomen eius Emmanuel .i. nobiſcum Deus,ex Eſa 7.* Luc. 1. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM. *Hic erit magnus,& Filius Altiſſimi vocabitur, &c. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Matt. 3. Baptizato IESV à Ioanne: *Ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Sic & *Marc.* 1. *Luc.* 3. Ioan. 1. *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu S.* Vnde patet non ſolùm Chriſtum, ſed & *Ioannem* illud vidiſſe. *Matt.* 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui, &c. Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus.* Matt. 26. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dixit ille* IESVS: *Tu dixiſti,&c.*Matt.28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Marc. 14. *Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti? Ieſus autem dixit illi: Ego*

Digitized by Google

ſum. Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt, &c. Et Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis, &c. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Cap. 7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Cap. 8. *Solus non ſum: ſed ego, & qui miſit me Pater, &c. Dicebant ergo ei, vbi eſt Pater tuus? Reſpondit Ieſus: Neque me ſcitis, neque Patrem meum. Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis, &c. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Ieſus: Principium qui & loquor vobis, &c. Ego ex Deo proceſſi, & veni: neque à meipſo veni, ſed ille me miſit.* Cap. 10. *Sicut nouit me Pater, & ego noſco Patrem, &c. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt, &c. Ego & Pater vnum ſumus. Suſtulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum, &c. Quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. Reſpondit eis Ieſus: Nonne ſcriptum eſt,* Pſal. 81. *Ego dixi Dij eſtis? Si illos dixit Deos ad quos ſermo factus eſt: Quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, operibus credite; vt credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ioan. 12. *Qui credit in me: credit in eum qui miſit me. Qui videt me, videt eum qui miſit me.* Cap. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem, &c.* Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt. Infra. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritũ Veritatis, &c. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, &c. Paracletus Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, &c.* Cap. 15. *Qui me odit, Patrem meum odit, &c. Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum Veritatis qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, &c.* Cap. 16. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos, &c. Cùm autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem Veritatem. Non enim loquetur à ſeipſo: ſed quæcunque audiet loquetur, &c. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Infra. *Exiui à Patre, & veni in mundum, &c. Non ſum ſolus: quia Pater mecum eſt.* Cap. 17. *Pater, omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt. Serua eos quos dediſti mihi: vt ſint vnum, ſicut & nos, &c. Rogo vt omnes vnum ſint: ſicut tu Pater in me, & ego in te; vt & ipſi in nobis vnum ſint, &c. Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me: vt ſint conſummati in vnum.* Ioan. 19. *Secundùm legem debet mori: quia Filium Dei ſe fecit.* Act. 19. *Dixit Apoſt. ad quoſdam Diſcipulos: Si Spiritum S. accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: ſed neque ſi Spiritus S. eſt audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: In Ioannis baptiſmate, &c. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu.* Ergo in hoc baptiſmo erat aliqua doctrina de Spiritu ſancto. *Rom.* 11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quæ ſingula ſolent ſingulis tribus Perſonis Diuinis applicari. 1. *Cor.* 2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quæ Dei ſunt, nemo cognouit niſi Spiritus Dei.* 1. Cor. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Cap. 6. *Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt?* Vnde patet Spiritum S. eſſe Deum: cui ſoli proprium eſt habere templum. 1. *Cor.* 12. *Diuiſiones gratiarum ſunt: idem autem Spiritus, &c. Hæc omnia operatur vnus idemque Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* 1. Ioan. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, &c. annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis, &c. Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto.* Cap. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, &c. Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, &c. Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, &c. Pater miſit Filium ſuum, &c.* Cap. 5. *Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, Aqua, & Sanguis; & hi tres vnum ſunt.* Apoc. 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Præter alia citata pro fide noſtra de Chriſto in 3. *à col.* 225. *ad* 230.

2. Ex Doctrina Eccleſiæ.

SYmb. Apoſt. Credo in Deum Patrem Omnipotentem, &c. Et in Ieſum Chriſtum Filium Dei vnicum, &c. Et in Spiritum ſanctum.

Nicænum. Credimus in Deum Patrem Omnipotentem, &c. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtũ, filium Dei, natum ex Patre vnigenitum. i. ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum; HOMOVSION. i. conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, &c. Et in Spiritum ſanctum. Dicentes autem, erat quando non erat, aut erat antequam fieret, & quia ex non extantibus factus eſt, aut ex altera ſubſtantia vel eſſentia dicentes eſſe, aut creatum, aut conuertibilem Filium Dei: hos tales anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

Symb. S. Athan. Fides catholica hæc eſt: vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna eſt Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus: Et tamen non tres æterni, ſed vnus æternus. Sicut non tres increati, nec tres immenſi: ſed vnus increatus, & vnus immenſus. Similiter Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus ſanctus: Et tamen non tres Omnipotentes, ſed vnus Omnipotens. Ita Deus Pater,

Digitized by Google

Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus: & tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus: & tamen non tres Domini, ſed vnus eſt Dominus. Quia ſicut ſingillatim vnamquamque Perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur. Pater à nullo eſt factus: nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus à Patre, & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Vnus ergo Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti. Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus: ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. Ita vt per omnia, ſicut iam ſupra dictum eſt, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit. Qui vult ergò ſaluus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

Symb. Conſtantinop. Credimus in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, &c. Et in vnum Dominum Iesvm Chriſtum, Filium Dei Vnigenitum, ex Patre natum ante æterna ſæcula: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; Natum, non factum; Homouſion Patri .i. eiuſdem cum Patre Subſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, &c. Credimus in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas. &c.

Symb. Conc. Chalced. Credimus in vnum Deum Omnipotentem, & in Vnigenitum eius Iesvm Chriſtum, & Dominum Saluatorem noſtrum, & Spiritum ſanctum Deum: non tres Deos, ſed Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnum Deum eſſe confitemur. Non ſic vnum Deum quaſi ſolitarium, nec eundem qui ipſe ſibi Pater ſit, ipſe Filius: ſed Patrem verum, qui genuit Filium verum .i. Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vita, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno; non creatum, ſed genitum; non ex nihilo, ſed ex Patre. Spiritum verò ſanctum, Deum non ingenitum, neque genitum; non creatum, ſed nec factum; ſed Patris & Filij, ſemper in Patre & Filio æternum veneramur, vnum tamen Deum, qui ex vno.

Ex Synod. 5. Conſtantinop. can. 1. Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vnam naturam ſiue eſſentiam, vnam virtutem & poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus Subſiſtentijs ſiue Perſonis adorandam; talis, Anathema ſit. Vnus enim Deus & Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesvs, per quem omnia; & vnus Spiritus ſanctus, in quo omnia.

Expoſitio Fidei ſecundùm reuelationem Gregorij Epiſcopi Neocæſarienſis, ſub eadẽ Synodo relatá. Vnus Deus Pater Verbi viuentis, Sapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ ac characteris ſempiterni, perfectus perfecti genitor, Pater Filij vnigeniti. Vnus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, Character & Imago Deitatis, Verbum operatiuum, Sapientia conſiſtentiæ omnium comprehenſiua, & virtus totius creaturæ factiua, Filius verus veri Patris, inuiſibilis inuiſibilis, ineffabilis ineffabilis, immortalis immortalis, & ſempiternus ſempiterni. Vnus Spiritſanctus, ex Deo ſubſiſtentiam habens, & per Filium exiſtens, ſcilicet hominibus imago, Filij perfecti perfecta vita, viuentium cauſa, ſanctificatio, ſanctificationis donatiuus: in quo apparet Deus Pater qui eſt ſuper omnia in omnibus, & Deus Filius per omnia eſt. Trinitas perfecta, gloria & æternitate ac regno & imperio non partita .i. diſtributa, nec abalienata. Non ergo creatum quid, vel ſeruitium in Trinitate, neque aduentitium, tanquam prius non exiſtens, & poſterius aduenìens. Non ergo defuit aliquando Filius Patri, neque Filio Spiritus: ſed inconuertibilis, & immutabilis ſemper ipſa Trinitas. *Ex Conc. Toletano 11.*

Confitemur & credimus, ſanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem & Filium, vnum Deum naturaliter eſſe, vnius ſubſtantiæ, vnius naturæ, vnius quoque maieſtatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, ſed ingenitum profitemur. Ipſe enim à nullo originem ducit, ex quo & Filius natiuitatem, & Spiritus ſanctus proceſſionem accepit. Fons ergo & origo totius Diuinitatis ipſe eſt. Ipſe quoque Pater eſſentia quidem ineffabilis, ſubſtantiæ ſuæ Filium ineffabiliter genuit: nec tamen aliud, quàm quod ipſe eſt genuit, Deus Deum, lux lucem. Ab ipſo ergo eſt omnis paternitas in cœlo & in terra, *Eph. 3.*

Filium quoque de ſubſtantia Patris ſine initio ante ſæcula natum, nec tamen factum eſſe fatemur: quia nec Pater ſine Filio, nec Filius ſine Patre aliquando extitit. Et tamen non vt Filius de Patre, ita Pater de Filio: quia non Pater à Filio, ſed Filius à Patre generationem accepit. Filius ergo Deus à Patre, Pater autem Deus, ſed non de Filio. Ille autem Filius Patris, & Deus de Patre: æqualis tamen per omnia Filius Deo Patri; quia nec naſci cœpit aliquando, nec deſijt. Hic etiam vnius cum Patre ſubſtantiæ creditur: propter quod & *Homouſios* Patri dicitur, hoc eſt, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ. *Omos* enim Græcè vnum, *Ouſia* verò ſubſtãtia dicitur: quod vtrumque coniunctũ ſonat, vna ſubſtantia. Nec enim de nihilo, neque de alia aliqua ſubſtantia: ſed de Patris vtero, id eſt, de ſubſtantia eius, idem Filius genitus vel natus eſſe credendus eſt. Sempiternus quoque eſt & Filius: quoniam ſi Pater ſemper fuit, ſemper habuit Filium, cuius Pater eſſet; & ob hoc, Filium de Patre natum ſine initio confitemur. Nec enim eundem Filium Dei, pro eo quòd de Patre ſit genitus, deſectæ naturæ portiunculam nominamus: ſed perfectum Patrem, perfectum Filium, ſine immutatione, ſine defectione genuiſſe aſſerimus; quia ſolius diuinitatis eſt, inequalem Filiũ non habere. Hinc etiam Filius Dei, natura eſt Filius, non adoptione: quem Deus Pater nec voluntate, nec neceſſitate genuiſſe credendus eſt; quia nec vlla in Deo neceſſitas cadit, nec voluntas ſapientiã præuenit.

Spiritum quoque ſanctum, qui eſt tertia in Trinitate perſona, vnum atque æqualem cum Deo Patre & Filio credimus eſſe Deum, vnius ſubſtantiæ, vnius

vnius quoque eſſe naturæ; non tamen genitum vel creatum, ſed ab vtriſque procedentem, amborum eſſe ſpiritum. Hic etiam Spiritus ſanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur: ne aut ſi ingenitum dixerimus, duos patres dicamus; aut ſi genitum, duos filios prædicare monſtremur, &c. qui ſimul Patris & Filij ſpiritus dicitur. Nec enim de patre procedit in filiũ, vel de filio procedit ad ſanctificãdam creaturam; ſed ſimul ab vtriſque proceſſiſſe monſtratur; quia charitas ſiue ſanctitas amborum eſſe cognoſcitur. Hic ergo Spiritus ſanctus miſſus ab vtriſque creditur: ſed minor patre & filio non habetur; ſicut Filius propter aſſumptam carnem minorem ſe Patre & Spiritu ſancto eſſe teſtatur. Hæc eſt ſanctæ Trinitatis relata narratio: quæ non triplex, ſed Trinitas & dici, & credi debet. Nec rectè dici poteſt, vt in vno Deo ſit Trinitas; ſed vnus Deus Trinitas. In Relatiuis verò Perſonarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad vtroſque refertur. Quæ cùm relatiuæ tres Perſonæ dicantur: vna tamen naturalis ſubſtantia creditur.

Hæc ergo ſancta Trinitas, quæ vnus & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim Perſonarum numerus cernitur: in Diuinitatis vero ſubſtantia quid enumeratum ſit, non comprehenditur. Ergo hoc ſolo numerum inſinuant, quòd adinuicem ſunt: & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt. Nam ita ſanctæ huic Trinitati vnum naturale cõuenit nomen; vt tribus Perſonis non poſſit eſſe plurale. Ob hoc ergo credimus illud in ſacris literis dictum: Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus, *Pſal.* 146.

Tres igitur Perſonæ iſtæ dicuntur, iuxta quod maiores definiunt, vt agnoſcantur. Nam & ſi attendamus illud quod Scriptura ſancta dicit de Sapientia, *c.7. Splendor eſt lucis æternæ*: ſicut ſplendorem luci videmus inſeparabiliter inhærere, ſic confitemur Filium à Patre ſeparari non poſſe. Tres ergo illas vnius atque inſeparabilis naturæ Perſonas ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus: quandoquidem hoc nobis dignata eſt ipſa Trinitas euidenter oſtendere; vt etiam in omnibus quibus voluit ſigillatim Perſonas agnoſci, vnam ſine altera non permittat intelligi. Nec enim Pater abſque Filio cognoſcitur, nec ſine Patre Filius inuenitur. Relatio quippe ipſa vocabuli perſonalis, Perſonas ſeparari vetat.

Ex 6. Synodo Conſtantinop. ſub *Agathone* Papa *Act.4. Agatho* Epiſcopus, Seruus Seruorũ Dei, &c. Confitentes Sanctam & inſeparabilem Trinitatem .i. Patrem, & Filium, & Spiritum S. vnius eſſe Deitatis, vnius naturæ, & ſubſtantiæ ſiue eſſentiæ: vnius eam prædicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maieſtatis, poteſtatis, & gloriæ. Et quicquid de eadem SS. Trinitate eſſentialiter dicitur, ſingulari numero: tanquam de vna natura trium conſubſtantialium Perſonarum, comprehendamus regulari ratione hoc inſtitui. Cùm verò de vno earundem trium Perſonarum Filio Dei, Deo Verbo; & de myſterio admirandæ eius ſecundùm carnem diſpenſationis, confitemur: omnia duplicia vnius eiuſdemque Chriſti aſſerimus. *Infra. Ipſa Synodus.* Credimus in Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium: & in Filium eius vnigenitum, qui ante omnia ſæcula ex eo natus eſt, verum Deum, de Deo vero, lumen De lumine, natum non factum, conſubſtantialem Patri .i. eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt quæ in cœlo, & quæ in terra: & in Spiritum S. Dominum, & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum, & conglorificandum; Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate; vnitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem verò Perſonarum ſiue Subſtantiarum; Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum S. non tres Deos, ſed vnum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum S. non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiam: quorum vna eſſentia, ſiue ſubſtantia vel natura .i. vna Deitas, vna æternitas, vna poteſtas, vnum imperium, vna gloria, vna adoratio, vna voluntas, & operatio, &c.

Act. 10. Eadem confeſſio fidei ex Epiſt. communi Epiſcoporum, & Monachorum.

Act. 11. Ex Epiſt. *Sophronij.* Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, ſine principio penitus, atque ſempiternum, omnium inuiſibilium atque viſibilium factorem: Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, non aliud principium quàm Patrem cognoſcentem, &c. Et in vnum Spiritum S. qui ſempiternè à Deo Patre procedit, lumen & Deum ipſum agnoſcendum, eiuſdem eſſentiæ, atque naturæ, &c. Trinitatem itaque in vnitate credimus, & in vnitate Trinitatem glorificamus: Trinitatem quidem pro tribus ſubſiſtentijs, vnitatem autem propter ſingularitatem Deitatis, &c. *Infra. Arrianorum* impietas, in inæquales Deos concidit Deum, &c. *Sabellianorum* prauitas, in vnam ſubſiſtentiam tres confundit ſubſiſtentias, & in vnam Perſonam tres Perſonas. *Infra.* Numeretur ergo Beata Trinitas: non eſſentijs, nec naturis, nec diuerſis Deitatibus, æterniſue dominationibus, vt inſaniunt *Arriani*, & nouæ *Tritheæ* .i. ter Deitatis latratores; ſed ſubſiſtentijs & proprietatibus intellectualibus, perfectis, ſemotim ſubſiſtentibus, numero diuiſibilibus, & non diuidendis Deitate.

Act. 13. *Can.* 1. Si quis non confitetur Patrem, & Filium, & Spiritum S. Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs; Anathema ſit.

Act. 17. *Symbolum Nicænum*, & *Conſtantinopolitanum*, vt ſupra.

*Ex 7. Synodo, Nicena .2. Act.*1. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem: Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium eius vnicum: Et in Spiritum S. Dominum viuificantem; & Trinitatem conſubſtantialem, in Throno eodem conſedentem, in vna Deitate, Poteſtate, Authoritate adoratam, & glorificatam. *Act.*3. Credo & in Spiritum S. qui ex Patre *per Filium* proceſſit. *Act.*7. Tandem definitiuè. Credimus & in Spiritum ſanctum, qui ex Patre Filioque procedit, &c. verbatim vt canitur in Eccleſia.

Ex

Digitized by Google

Ex Synodo Arelat. ſub *Carolo Magno. Cap.* 1. Patrem, & Filium, & Spiritum S. vnius deitatis atque ſubſtantiæ confitemur: in perſonarum diuerſitate Trinitatem credentes, in diuinitate vnitatem prædicantes. Nec perſonas confundimus, nec ſubſtantiam ſeparamus: Patrem à nullo factum, vel genitum dicimus, Filium à Patre non factum ſed genitum; Spiritum verò Sanctum nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur.

Ex Conc. Rhemenſi 1148. *ſub Eug.* 3. Contra hos errores *Gilberti Porretani Epiſcopi Pictauienſis.* 1. Quòd Diuinitas non ſit Deus, ſed forma quà Deus eſt. 2. Quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus nonniſi vna diuinitate vnum ſint: nec vnus Deus, vel vna ſubſtantia, vel vnum aliquid eſſe dicantur. 3. Quòd tres Perſonæ, tribus vnitatibus ſint tria, & diſtinctæ tribus proprietatibus: quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed tres æternæ, ab inuicem, & à ſubſtantia Diuina numero differentes.

Symbolum fidei. Credimus & confitemur, ſimplicem naturam Diuinitatis eſſe Deum: nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Diuinitas ſit Deus, & Deus Diuinitas. Credimus nonniſi eâ ſapientiâ quæ eſt ipſe Deus, ſapientē eſſe: nonniſi ea magnitudine magnū, ea æternitate æternū, ea vnitate vnum, ea Diuinitate Deum, quæ eſt ipſe .i. ſeipſo ſapientē, magnum, æternum, vnum Deū. Tres perſonas vnū Deum eſſe fatemur: & è conuerſo, vnū Deum eſſe tres perſonas. Credimus ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum S. æternum eſſe: nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates, vel alia huiuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus. Credimus ipſam Diuinitatem ſiue ſubſtantiam, ſiue Naturam Diuinam incarnatam eſſe; ſed in Filio.] Cui profeſſioni & ipſe *Gilbertus* præſens, ac libens conſenſit.

Eodem Conc. damnatus fuit quidā, *Eon*, vt hæreticus: qui inſaniebat ſe eſſe *eum* de quo dicitur, *Per eum qui venturus eſt, &c.*

De Conc. Sueſſoniēſi 1139. & Senonenſi 1140. ſub Innoc. 2. infra ex *S. Bern.*

Ex Conc. Lateran. ſub Innocentio 3. *cap.* 1. De fide Catholica. Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd vnus eſt ſolus verus Deus, Æternus, Immenſus, Omnipotens, Incommutabilis, Incomprehenſibilis, & Ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus S. Pater à nullo, Filius à ſolo Patre, Spiritus ſanctus ab vtroque pariter, abſque initio ſemper & fine. Pater generans, Filius naſcens, Spiritus ſanctus procedens, conſubſtantiales, & coæquales, coomnipotētes, & coæterni, vnum principium omnium, &c. Hæc Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam indiuidua, & ſecundùm proprietates perſonales diſcreta, &c. *cap.* 2. contra errores, *Abbatis Ioachim*. Damnamus & reprobamus libellum quem *Abbas Ioachim* edidit contra *Magiſtrum Petrum Lombardum*, de vnitate ſeu eſſentia Trinitatis, appellans hæreticum & inſanum: pro eo quod in ſuis dixit ſententijs, quomodo quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; & illa non eſt generans neque genita, nec procedens. Vnde aſſerit quòd ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem aſtruebat in Deo, videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam: manifeſté proteſtans, quod nulla res eſt quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, &c. *quæ hic deſunt*. Sunt vna eſſentia, vna ſubſtantia, vnaque natura: verùm vnitatem huiuſmodi non veram & propriam; ſed quaſi collectiuam & ſimilitudinariam eſſe fatetur. Vt *Act.* 4. *Erat cor vnum.* 1. *Cor.* 6. *Qui adhæret Deo, vnus Spiritus eſt.* Ioan. 17. *Volo Pater vt omnes ſint vnum, &c.* 1 Ioan. 7. *Tres vnum ſunt, &c.* Nos autem ſacro & vniuerſali Concilio approbante, credimus & confitemur cum *Petro*: quòd vna quædam res eſt, incomprehenſibilis quidem & ineſtimabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earundem; & ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas. Quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſiue Natura Diuina, quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præter quam aliud inueniri non poteſt: & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed eſt Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spirituſſanctus qui procedit, vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in Natura. Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spirituſſanctus: non tamen aliud; ſed id quod eſt Pater, eſt & Filius, & Spirituſſanctus, vt conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, *Ioan.* 10. *Pater quod dedit mihi, maius eſt omnibus &c.* Cum ergo *Ioan.* 17. Chriſtus orat: *volo vt ipſi ſint vnum in nobis, ſicut & nos, &c.* pro fidelibus intelligatur vnio charitatis in gratia; pro perſonis verò Diuinis, vnitas identitatis in natura. Vt *Matt.* 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis, &c.* Quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tāta ſimilitudo notari: quin ſit maior diſſimilitudo. Si quis igitur doctrinam præfati *Ioachim* in hac parte defendere, vel approbare præſumpſerit: tanquam hæreticus ab omnibus confutetur. In nullo tamen, per hoc, florenti Monaſterio, cuius ipſe Ioachim fuit inſtitutor, volumus derogari, &c. maximè cum idem Ioachim omnia ſua ſcripta nobis aſſignari mandauerit, Apoſtolicæ ſedis iudicio approbanda, ſeu etiam corrigenda, &c.

Ex Concilio generali Lugdunenſi ſub Gregorio 9. cui interfuit *S. Bonauentura*, ad vnionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, Fideli ac deuota profeſſione fatemur, quòd Spirituſſanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed ex vno, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt, & hactenus prædicauit ac docuit Sacro-ſancta Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium, & Magiſtra: hoc habet Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli irrefragabilis præmiſſæ ignorantiâ veritatis, in errores varios ſunt prolapſi: nos huiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, Sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præſumpſerint Spiritum S. æternaliter ex Patre & Filio procedere, ſiue etiam auſu temerario aſſerere, quòd Spiritus S.

Digitized by Google

ex Patre & Filio tanquam ex duobus principijs, non tanquam ex vno procedat.]

In quem ſenſum expreſſum, Græci cum Latinis concinerunt Symbolum Nicænum, & Conſtãtinop. ſed poſtea ab hac profeſſione relapſi ſunt.

Ex *Conc. Floren. ſeſſ.* 24. & vltima, poſt longam diſcuſſionem. [Approbante hac ſancta Synodo *Floren.* definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur: quia Spiritus S. à Patre, & Filio æternaliter eſt, & Eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre, ſimul & Filio, & ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit: declarantes quòd id quod SS. Doctores, & Patres dicunt, *ex Patre per Filium* procedere Spiritum S. ad hanc intelligentiam tendit; vt per hoc ſignificetur Filium quoque eſſe quidem ſecundùm Græcos cauſam, ſecundùm Latinos verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus S. ſicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem: hoc ipſum quòd Spiritus S. procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Definimus etiam explicationem verborum illorum, *Filioq;*, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitum.

Ex Conc. Trid. ſeſſ. 3. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, &c. Vt ſolet legi, & decantari in Eccleſia, ex Symbolo Conſtantinop. vel potiùs 7. Synodi, exprimendo, *qui ex Patre Filioq; procedit.* Sicque ſingula Concilia inchoantur aut perficiuntur eadem profeſſione fidei. Imò primus titulus Iuris Canonici libro 1. Decretalium, & Clementinarum, eſt *De ſumma Trinitate, & fide Catholica.*

Alexander primus Papa, ab anno Domini 119. *Epiſt. 1. Decretali, ad orthodoxos.* Fidem S. *Trinitatis* ſic docendam à Patribus accepimus, vobiſq; tradendam ſubditis deſtinamus. *Eſa. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Si *Trinitas* non eſt: quare tertiò Sanctus dixerunt? Aut ſi vnitas non eſt: quare ſub trina repetitione vnũ Deum ac Dominum intimauerunt? Si Trinitas non eſt: Cur *Gen.* 1. dicitur, *Dixit Deus. fecit Deus*, & *benedixit Deus*? Si vnitas non eſt: quare tertiò dixit *Deus*; & Deos plurali numero non commendauit? Si *Trinitas* non eſt: cur *Exod.* 34. *Domine, Domine, Domine, miſerator & miſericors?* Si Vnitas non eſt: quare poſtea ſingulariter, *miſerator*, dixit? Si *Trinitas* non eſt: cur *Abraham*, *Gen.* 18. tribus occurrens, vni, *Domine* dixit? Si vnitas non eſt: cur *Exod.* 3. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob: hoc mihi nomen eſt, dixit*, & non hæc? Si *Trinitas* non eſt: quare *Pſal.66. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus?* Si vnitas non eſt: quare *benedicat*, & non *benedicant*? *Infra.* Si *Trinitas* non eſt: cur *Apoc. 4. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui eſt?* Si vnitas non eſt: quare, *qui eſt*, & non qui ſunt? Si *Trinitas* non eſt: quare, *Ioſue* 2. Deus Deorum eſt? Si vnitas non eſt: quare eſt, & non ſunt. Sicque ex *Lib. Heſter, Iudith, Tobiæ.* Si *Trinitas* non eſt: quare *Matt.* 28. miſit Dominus baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti?* Si vnitas non eſt: quare *in nomine* & non in nominibus? Si *Trinitas* non eſt: quare *Rom. 1. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia?* Si vnitas non eſt: quare *ex ipſo*, & non ex ipſis? 2. *Cor. 13. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus.* Ipſa eſt Patris, & Filij, & Spiritusſancti gratia.

Felix Papa primus, ab anno 272. *Epiſt. 3. Ad Benignum Epiſcopum.* Quidam dicunt Filium non poſſe propriè videre Patrem: quia *Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam.* Alij fingunt: ideo minor eſt Patre Filius; quoniam Pater illi perhibet teſtimonium? *Matt.*17. Quidam garriunt, quòd ideo Pater minor eſt: quia inuiſibilis ille dicitur, Filius verò viſibilis, &c. Nos verò ad ipſius fontis originem redeamus, &c. *Sap. 9. Eſt tecum Sapientia quæ nouit quid ſit placitũ corã oculis tuis, &c.* Matt. 11. *Nemo nouit Filium niſi Pater: neque Patrem quis nouit niſi Filius, &c.* Ioan. 1. *Nemo Deum vidit vnquam, niſi Vnigenitus Dei Filius.* Ioan. 7. *Ego noui eum, quia ab ipſo ſum.* Ioan. 8. *Ego teſtimonium perhibeo de meipſo, & qui miſit me Pater.* Ioan. 15. *Paracletus Spiritus veritatis teſtimonium perhibebit de me.* Coloſſ. 1. *Eſt imago Dei inuiſibilis, &c.*

Ex Antiquis Patribus.

S*Anctus Dion. Areop cap. 2. Diu. Nom.* Nemo bonus niſi ſolus Deus, *Luc.* 18. Dicendum, hoc de tota Deitate oportere accipi. Nam & verbum ipſum natura bonum, ait *Matt. 22. Ego bonus ſum.* Et *Pſal.*142. prædicat *Spiritum bonum.* Et niſi illud *Exod. 3. Ego ſum, qui ſum*, de tota Deitate dictum ſentiant: quomodo intelligent *Apoc.* 1. *Qui eſt, qui erat, &c.* Et illud *Ioan. 15. Spiritus Veritatis qui eſt, à Patre procedit.* Et niſi totam eſſe dicant vitalem vitam: quomodo verum eſt *Ioan. 5. Sicut Pater ſuſcitat mortuos: ita & Filius quos vult viuificat.* Et cap. 6. *Spiritus eſt qui viuificat.* Quod dominatum quoque omnium habeat tota Diuinitas: de Patre & Filio ſæpè legitur, *Dominus*; ſed & 2. *Cor. 3. Dominus Spiritus eſt, &c.* Vt perſtringam breuiter, ipſum Verbum Diuinum ait, *Ioan. 10. Ego, & Pater vnum ſumus.* Cap. 14. *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* C. 17. *Pater omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt.* Et rurſus, quæque Patris & ipſius ſunt, Diuino quoque ſpiritui ſocialiter & coniunctè applicat: vt, Diuinas operationes, venerationem principalem, & indeficientem cauſam, ad diſtributionem cœleſtium munerum, &c. Quod ſi quis dixerit confuſionem nos contra ſacratiſſimarum perſonarum diſtinctionem hac ratione introducere: ſacra Script alia coniunctè tradit, alia diſcretè; neque coniuncta dirimere, neque diſcreta confundere fas eſt. Atqui coniuncta quidem, totius Deitatis ſunt, &c. Porrò diſcreta ſunt, Patris superſubſtantiale nomen, & Perſona, Filijque, ac S. Spiritus: cùm nulla in his conuerſio, aut communitas inducatur, &c. Coniunctum quidem eſt vnicæ Trinitati, atque commune, Subſtantia ſubſtantiam ſuperans, Deitas Deitate ſuperior, Bonitas eminentiſſimè

Digitized by Google

nentiſſimè cuncta tranſiliens,&c. Perſonarum in ſe inuicem (ſi ſic dicere expedit) manſio & ſedes, integrè, & ſuperexcellenti modo coniuncta, & nulla ex parte confuſa. Vt cereorum lumina, in domo vna cùm ſint: & tota in totis mutuo ſunt, & integra tamen atque perfecta, & à ſeinuicem ſeparantur, diſcretione coniuncta, & coniunctione diſcreta. Cernimus in domo pluribus thedis illuſtri, ad vnum quoddam lumen coniungi omnia lumina, fulgoremque vnum indiſcretum indiuiduumque præferre. Neque reor poſſet quiſpiam huius facis lumen ab alijs diſtinguere,&c. Verùm ſi quis facem vnam ſubducat, omnis quoque ipſius lux vnà exibit; nihilque ſecum ex reliquis luminibus ſubtrahet, vel ex ſuo cæteris linquet,&c. Superſubſtantialem itaque coniunctionem illam longè eminere dicimus, &c. Eſt autem & diſcretio in ſupremis Diuinis eloquijs: non ſolùm quòd ſecundùm ipſam vnionem quælibet principantiũ Perſonarum, impermixta atque inconfuſa firmitate nitatur; ſed quia ineffabilis quoque Diuinæ fœcunditatis ratione ad inuicé nequaquam conuertuntur; ſoluſque Fons ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater, cùm non ſit Filius Pater, neque Pater Filius ſit. Seruant autem Diuinæ laudes honeſtiſſimè proprietates ſuas cuique Perſonarum Diuinarum. Iſtud commune eſt toti bonitati: quòd ipſa omnis ac tota ab vnoquoque participante ſumitur, & à nemine vlla ex parte percipitur. Non ſecus ac centrum ab omnibus circumpoſitis rectis lineis: & velut ſigilli formationes primitiui ſigilli participes ſunt; & in ſingulis totùm atque idé eſt,& in nulla ex vlla parte eſt,&c. *Infra*. Quod primordialis & fontana ſit Deitas Pater: Filius verò & Spiritus S. fœcundæ Deitatis (ſi fas eſt dicere) germina plantata diuinitùs, & veluti flores ac ſuperſubſtantialia lumina, à Scripturis ſanctis accipimus. Quonam verò modo iſta ſint, neque eloqui, neque intelligere poſſumus. Sed omnis Patris ac Filij notio, ex tranſcendente omnia Patris & Filij principatu nobis eſt indulta, &c. Ipſo quidem diuino Spiritu eminente, Patreque & Filio, ab omni & patre & filio, diuino Patris & Filij munere excellenter exceptis. *Cap.* 13. Vnitatis ac Trinitatis appellatione celebratur quæ eſt ſuper omnia Deitas. Neque vnitas, neque Trinitas, aut à nobis, aut alio quodam cognita eſt. Verùm vt ineffabilem ipſius vnionem, & diuinam fœcunditatem celebremus: Trinitatis atque Vnitatis ſacratiſſima appellatione omne nomen excedentem appellamus, ſubſiſtentibuſque ſuperſubſtantiam nominamus. Porrò nulla Mônas,aut Trinitas,neque numerus, neque vnum, neque fœcunditas, neque aliud quicquam conditum, aut creaturæ cognitum, arcanum illud ſummæ Deitatis aperit.

Ex S. *Iuſtino, De recta fidei confeſsione, ſeu de ſancta & coëſſentiali Dei Trinitate.* Vnus igitur eſt verus vniuerſorum Deus: qui in Patre, Filio, ſanctoque Spiritu agnoſcitur. Quoniam è propria Eſſentia Pater Filium genuit; & ex eadem producit Spiritum: vt cùm ſint vnius eiuſdemque Eſſentiæ, meritò vnius eiuſdemque Deitatis cenſeantur. Dicet quis, quomodo igitur non differunt, &c. *Reſp.* Ingenitum, Genitum, Procedentem, nomina hæc, non ad Eſſentiam attinere, ſed ad modos ſubſiſtentiæ: vt Pater à Filio, & Spiritu S. iuxta modum ſubſiſtentiæ differat, ſalua identitate eſſentiæ. Nam Pater ingenitè habet Eſſentiam, Filius genitiuè,Spiritus S. proceſſiuè. *Infra*. Vt enim *Adam*, quamuis non eodem quo ipſius poſteri modo genitus, tamen communem cum eis habet eſſentiam: ſic nulla eſt ratio cur propter ingeniti nomen, diuellatur eſſentia communis Patri, Filio, Spirituique. *Infra. Dauid, Pſal.* 49. enumeratis quæ cœlo & terra continentur: non adhibet ad hunc laudantium chorum, Filium, & Spiritum, nimirum cum Natura Diuina coniunctos. Nam ſi ſciſſet horum creatam eſſentiam: non præteriiſſet ſolos ſilentio, imò ante omnia mentionem eorum pro dignitate feciſſet. Sic & *B. Paulus, Rom.* 8. *Nec Angeli, nec Poteſtates, nec vlla creatura alia, &c.* Si ſciuiſſet creatam eſſentiam Filij, Spirituſque: non & horum cum cæteris mentionem feciſſet? *Matt.* 28. *Docete omnes gentes, baptizando eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* 2. Cor. 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & dilectio Dei, & ſocietas Spiritus S.* Epheſ. 2. Dicimus Chriſtum Deum, & Spiritum, vnum numen inhabitare, ac vim ſuam exercere in nobis. *Epheſ.* 3. *Flecto genua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti: ex quo omnis paternitas, &c. vt corroboremini per Spiritum ſuum, &c.* 2. *Cor.* 1. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, deditq́ arrham Spiritus in cordibus noſtris.* Gal. 4. *Miſit Deus Spiritum Filij in corda veſtra,clamantem Abba* Pater. Pſal.23. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, &c.* Prolixè declarauimus diuerſum eſſe à creatura Filium, & Spiritum, qui rebus creatis non cõnumerentur,ſed vbiq; cum Patre cõiungantur. An non extremæ dementiæ fuerit cenſere hos inter creatam eſſentiam? *Infra*. Decet igitur vt vnum Deum confiteamur, in Patre, Filio, & Spiritu S. Vnitas enim in Trinitate intelligitur, & Trinitas in Vnitate noſcitur. Id quomodo fiat, nec alios ſcrutari velim, nec ipſe poſſum mihi ſatisfacere,&c. Nullo modo,cùm ſimus homines, poſſumus penetrare ad illam primam & beatam Eſſentiam, imò nec ad eius myſteria. 1. *Cor.* 13. *Ex parte cognoſcimus, &c.* Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt notitia tui.* Sic enim & loqui, & ſapere pium eſt. Nam decet Numini cedere. Res igitur Diuinas quatenus tutùm eſt ſcrutemur: pietatem verò colamus. Quamuis enim Natura Diuina ſit incomprehenſibilis: non debemus tamen in totum ab ea quærenda deſiſtere, & per ignauiam vitam conſumere; ſed pro ſua quiſque portione acceptæ à Domino ſcientiæ, aliquantùm proficere accedendo ad illum propiùs. Sic igitur intelligimus Filium à Patre prognatum: ſicut lumen è lumine promicans, &c. Eandem ſcientiam tenemus & de ſancto Spiritu: niſi quòd differunt modo ſubſiſtentiæ. Alter enim lumen è lumine profulſit genitiuè: alter, & ipſe lumen de lumine, non tamen genitiuè, ſed proceſſiuè prouenit, &c. Hanc de Beata Diuinaque Trinitate ſententiam profeſſi: accedamus ad diſſerendum

de gratia Verbi Dei, diſpenſationeque. *Infra.* Intelligimus illud verbum lumen eſſe primigenium: corpus verò ſolare, corpus humanum, cui modis arcanis verbum illud vnitum eſt. Caue autem ne putes ſolem aliud lumen quàm id quod primum factum eſt: nec enim ſol factus eſt, vt defectum eius suppleret, &c. Vnum eſt igitur lumen illud: ſol autem corpus ei paratus eſt, in quo collectum lumen hoc diffundat ſe inde per omnia, &c. Niſi enim adſtrictum eſſet corpore, ſed totum in toto aëre: neque dies dimetiretur, neque motu ordinario Authorem ſuum nobis oſtenderet, &c. Nam antea totum lumen diffuſum, contrahendo ſe, nocti decedebat. Cùm ita ſe habeat lumen ad ſolare corpus, ſicuti nemo hæc poteſt diuellere, nec alterum ſolem vocat, alterum lumen: ſic de vera illa luce, & ſanctiſſimo corpore, poſt vnitionem. Rurſus, vt vnum lumen; & vnus eſt ſol, naturæ verò duæ: ſic, &c. *Infra.* Quoties te ſubibit dubitatio: oppone quæſtionibus paratam ſolutionem, fidem videlicet, &c.

Ex S. Irenæo Epiſcopo Lugdunenſi libris 5. Contra antiquiſſimas hæreſes *Valentini, Simonis Magi, Cerinthi, Ebionitarum, Nicolaitarum, Gnoſticorum, Ophitarum, Cainorum, &c. Lib.* 1: Refert ſingulorum impia & inſana dogmata: ſed *cap.* 1. ipſius *Valentini*, de quodam *Æone* ſeu ſæculo, vt *Proarcha*, & *Propatore*, ſeu priore principio & patre, eiuſque velut ſemine, & Ennoa ſeu tacita cogitatione velut coniuge; primaque inde generatione mentis, & veritatis; deinde verbi & vitæ denique plurimorum Æonum, ſeu ſæculorum. Ex prima quadam prolatione .i. præmiſſione illius primi ſeminis, ſeu materiæ: quam *Prolationem* antiqui Patres ſæpè reprobant, vt notoriam, & repugnantem veræ, totali, & indiuiſibili eſſentiæ Patris, & Filij, & Spiritusſancti.

Cap. 2. Opponit illis omnibus fidem Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ: *Quæ eſt in vnum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt; & in vnum Ieſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute; & in Spiritum S. qui per Prophetas prædicauit, &c.*

Lib 3.*cap*.6. De eadem vera diuinitate Patris & Filij, ex ſacris Script. ſupra citatis *Lib* 4.*cap*.37. De tribus Perſonis Diuinis ex *Gen.* 1. *Adeſt*, inquit, *Deo Patri verbum & ſapientia Filius, & Spiritus: per quos & in quibus omnia liberè & ſponte fecit, ad quos & loquitur dicens*, Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Sed infra videtur confundere ſapientiam, cum ſpiritu. *Quoniam verbum .i. Filius, ſemper cum Patre erat, per multa demonſtrauimus. Quoniam & ſapientia quæ eſt Spiritus, erat apud Deum ante omnem conſtitutionem: per Salomonem ait*; Prou. 8. *Deus ſapientiâ fundauit terram, &c. Creauit me principium viarum ſuarum, &c. Ante omnes colles genuit me, &c. Ego eram cui adgaudebat, quotidie delectabar ante faciem eius, &c.* Poſſet tamen intelligi de Sapientia Dei quæ eſt Spiritus quoad eſſentiam, non quoad perſonam: vel de Perſona Spiritus ſancti per appropriationem voluntatis Dei qua omnia facta ſunt; vel denique de ſapientia non vt intellectuali, ſed affectiua, & complacentiæ, cui videtur proprium, vel appropriatũ illud *adgaudere & delectari.* Vnde & ſubdit. *Deus ſecundum dilectionem cognoſcitur ſemper, per eum per quem conſtituit omnia.* i. *cognoſcitur etiam affectiuè.*

Ex Tertul. Libro dubio de Trin. Poſt multa, de Omnipotentia, Vnitate, Infinitate, Incomprehenſibilitate, Spiritualitate, Simplicitate Dei: de varijs prophetijs Chriſti venturi; de eius humanitate, diuinitate, perſonalitate filij Dei; deque fide in Spiritum S. ex pleriſque Script. ſuprà citatis. [Eſt ergo Deus Pater omnium inſtitutor & creator, ſolus originem neſciens, &c. Ex quo quando ipſe voluit, Sermo Filius natus eſt, &c. Hic cùm ſit genitus à Patre, ſemper eſt in Patre. Semper autem ſic dico: vt non *innatum*.i. ingenitum, ſed *natũ* probemus. Sed qui ante omne tempus eſt, ſemper in Patre fuiſſe dicendus eſt, ne Pater non ſit Pater. Quin & Pater illum etiam quadam ratione præcedit, &c. Quoniam aliquo pacto antecedat neceſſe eſt eum qui habet originem, ille qui originem neſcit. Hic ergo quando Pater voluit, proceſſit ex Patre, &c. ſubſtantia ſcilicet illa diuina, cuius nomen eſt Verbum, per quod facta ſunt omnia, &c. Deus vtique procedens ex Deo, ſecundam Perſonam efficiens: ſed non eripiens illud Patri, quod vnus eſt Deus. Si enim *Natus* fuiſſet *Innatus*: duos faceret *Innatos*; & ideo duos faceret Deos, ſi non genitus eſſet, collatus cum eo qui genitus non eſſet, &c. Aut ſi ipſe Filius non eſſet, ſed Pater generans de ſe alterum Filium: æquè collatus cum Patre, duos Patres feciſſet, & duos Deos, &c. Filius nihil ex arbitrio ſuo gerit: ſed imperijs paternis omnibus & præceptis obedit; vt quamuis probet illum natiuitas filium, tamen morigera obedientia aſſerit illum paternæ voluntatis miniſtrũ. Ita dum ſe Patri in omnibus obtemperantem reddit: quamuis ſit & Deus; vnum tamen Deum Patrem de obedientia ſua oſtendit, ex quo & originem trahit, &c. Eſt ergo Deus: ſed in hoc ipſum genitus, vt eſſet Deus. Eſt & Dominus: ſed in hoc ipſum natus, &c. Vt meritò Deus Pater omnium Deus ſit, & principium filij ſui, quem Dominũ genuit: filius autem cæterorum omnium Deus ſit; quoniam omnibus illum præpoſuit Deus Pater, quem genuit. Ita Mediator Dei & hominum, omnis creaturæ ſubiectam ſibi habens à Patre proprio poteſtatem, qua Deus eſt: cum tota creatura ſubdita ſibi, concors Patri ſuo Deo inuentus, vnum & ſolum, & verum Deum Patrem ſuum manifeſtum in ſe, quod audiuit ab illo breuiter approbauit.] Vbi *innatus* .i. ingenitus, vt eſt notio propria ſolius Patris. Sed quæ de imperio, & præceptis Dei Patris in filium, deque huius obedientia, miniſterio, &c. vel ſecundùm ſolã naturam humanam; vel cauendus eſt aliquis error, quaſi filius eſſet minor aut minùs Deus quàm Pater, hic abſolutè, ille ſolùm reſpectiuè ad ſolas creaturãs. Qui fuit vnus Arianiſmus.

Ex Origene Lib. 1. *Periarchon.* Sub proemio: quæ tunc fuerint expreſſè credenda, vel adhuc exprimenda. *Cap.* 1. *De Deo.* Negat eſſe corporeum: probatque eſſe incorporeũ. 1. Ex S. Script. 1. *Ioa.* Deus lux eſt: non corporea, ſed intelle[ctualis]
& *Exod.* 3. Deus eſt ignis cõſumens: [...]

corporalem, ſed malitiam ſpiritualem. Sic & *Ioan.* 4. Deus ſpiritus eſt : non vt corpus tenue vel ſubtile; ſed vt incorporeus, inuiſibilis, & inextenſus. Quia Spiritus S. participatur ſine vlla diuiſione : & *Ioan.* 4. idem Spiritus vocatur Veritas, opponiturque locis & vmbris. 2. Quia Deus eſt mens : quæ non indiget corpore, nec loco; eſtque abſolutè inuiſibilis, ſeu inſenſibilis, ſed ſolùm intelligibilis.

Cap. 2. *De Chriſto.* Quòd non ſecundùm naturam humanam, ſed diuinam ſit Filius vnigenitus Dei Patris, & Sapientia ſubſiſtens, primogenita ab æterno ante omnem creaturam. Ex *Prou.* 8 Vt & Verbum Dei, Vita, & Veritas. *Ioan.* 1. & 14. Imago Dei inuiſibilis, & Primogenitus omnis creaturæ, *Coloſſ.* 1. Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Dei, *Heb.* 1. Splendor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis Dei, *Sap.* 7. Quas metaphoras figuræ, imaginis, ſpeculi, ſplendoris, optimè explicat & applicat huic veritati. Vt, quòd *Sap.* 7. Filius Dei vocetur Speculum. Quia vt imago aliqua in ſpeculo habet omnes motus & actus obiecti : ſic & Chriſtus de ſeipſo, *Ioan.* 5. Omnia quæ facit Pater, hæc & Filius facit ſimiliter. Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi viderit Patrem facientem. Sed difficile eſt, ante medium. 1. *Filius natus eſt ex Deo Patre, velut quædam voluntas eius, ex mente procedens.* Ideo arbitror quòd ſufficere debeat volũtas Patris ad ſubſiſtendũ quod vult, &c. Ita ergo & Filij ſubſiſtentia generatur ab eo. Quod neceſſe eſt ſuſcipi ab his qui nihil ingenitum .i. innatum præter ſolum Deum Patrem fatentur, &c.] 2. *Infra.* Vt Pater non poteſt eſſe quis, ſi Filius non ſit, neque Dominus ſine poſſeſſione : ita ne Omnipotens quidem Deus dici poteſt, ſi non ſit in quos exerceat poteſtatem, &c.] Prius tamen poteſt & debet intelligi, non propriè, ſed ſimiliter. Nam ſubdit. *Sicut voluntas procedit è mente, & neque partem aliquam mentis ſecat, neque ab ea ſeparatur aut diuiditur : tali quadam ſpecie putandus eſt Pater Filium genuiſſe, &c.* Hoc autem, de quadam prioritate Filij in Deo, quàm Omnipotentis ad extra. Inquirit enim cur *Sap.* 7. Sapientia vocetur *Vapor virtutis eius, & Aporrœa Omnipotentis gloriæ* : Vbi nunc legimus : *emanatio claritatis Omnipotentis Dei. Intelligenda eſt,* inquit, *virtus Dei, qua omnia inſtituit, continet, gubernat. Huius vapor, & vt ita dixerim vigor ipſe in propria ſubſiſtentia effectus : quamuis ex ipſa virtute, velut voluntas ex mente procedat ; & ipſa voluntas Dei, efficitur altera virtus Dei, in ſua proprietate ſubſiſtens.* Vt *Rom.* 1. 1. *Cor.* 1. *Chriſtus Dei virtus* : non ſolùm vapor virtutis Dei, ſed virtu[illegible] tute. Videa[illegible]
etiam quomodo *Aporrœa* [illegible] *gloriæ*
potentis, &c. Vbi videtur [illegible] aturas a[illegible]
ad Omnipotent[illegible] Dei [illegible] t. Ne [illegible]
aliqui interior e[illegible] *appell*[illegible]
tinitate ſapien[illegible] *atur,*[illegible]
diat qui vult[illegible] *nia in*[illegible]
feciſti. Et I[illegible] *facta*[illegible]
Intell[illegible] *ntiq*[illegible]
De[illegible] *Pat*[illegible]
[illegible] N[illegible]

ipſam Omnipotentiam Patris : ſed per Omnipotentem cum Patre. Subdit enim. *Vnam & eandam Omnipotentiam Patris ac Filij eſſe cognoſcas : ſicut vnus atque idem eſt cum Patre Deus & Dominus.* Audi *Apoc.* 1. *Deus qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt Omnipotens.*

Cap. 3. *De Spiritu S.* Omnes qui prouidentiam eſſe ſentiunt, Deum eſſe ingenitum confitentur : huic tamen eſſe Filium à nonnullis etiam Philoſophis habita videtur opinio, &c. Nos verò ſecundùm fidem, nullius alterius poſſibilitate credimus poſſe exponere. De ſubſiſtentia verò Spiritus S. ne ſuſpicionem vllam quidem habere quis potuit, præter eos qui in lege & Prophetis verſati ſunt, vel ſe Chriſto credere profitentur, &c. *Infra.* Quis non obſtupeſcat quanta ſit Maieſtas Spiritus ſancti : cùm audiat eum qui in Spiritu S. blaſphemauerit, veniam non habere? Nullum ſermonem in Script. ſanctis inuenire potuimus, per quem Spiritus S. factura eſſe, vel creatura diceretur : ne eo quidem modo quo de Sapientia, Vita, Verbo, &c. Spiritus igitur Dei ſuper aquas, *Gen.* 1. puto quòd non ſit alius, quàm Spiritus S. &c. Quidam in nouo Teſt. obſeruant, quòd Spiritus ſine adiectione, de ſancto Spiritu debet intelligi, &c. Nos verò etiam in veteri Teſt. putamus. Dicebat & Hebræus Magiſter, quòd *Eſa.* 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, de Filio Dei & Spiritu S. eſſent intelligenda, &c. Vt *Matt.* 11. *Nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit reuelare* : ſic & 1. Cor. 2. *Spiritus ſcrutatur etiam alta Dei.* Ioan. 16. *Docebit vos omnem veritatem, &c.* Neque enim Filio reuelante cognoſcit, &c. Non enim per profectum venit vt eſſet Spiritusſanctus, &c. Quòd ſi eſſet, nunquam in vnitate Trinitatis haberetur, &c.

S. *Cypr.* non exponit, ſed ſupponit myſterium SS. Trin. Nam expoſitio in Symbolum Apoſt. quæ inter eius opera recenſetur, non poteſt eſſe ipſius : cùm eius Author in Præf. profiteatur Symbolum Eccleſiæ Aquilegienſis, in qua baptizatus erat. Vnde non poteſt eſſe *Cypriani* Africani : ſed potiùs *Ruffini* Aquileienſis.

Ex S. *Athanaſio Diſp.* coram *Probo* Iudice contra *Arium*, vel aliquem Arrianũ pro *Arrio*, iuſſu *Conſtantij* fautoris Arianiſmi. *Probus.* Cùm plures Chriſtiani nominis titulo cenſeantur, &c. Scire deſidero quæ ſit recti dogmatis fides, cui inhærere queam. *Athan.* Mirari non debes plurima penes nos nouitatum dogmata : cùm apud vos tot ſententiarum nouitates emerſerint, quot pene nomina Authorum. Nam cùm tres ſint in mundo religiones, Iudæorum, Paganorum, & Chriſtianorum : vnaquæque in varias ſectas diuiſa eſt, dum quiſque nouitate pro vetuſtate vtitur, &c. *Arr.* Optimè *Athanaſius* errorem in nouitatibus conſiſtere profitetur, ex 1. *Tim.* 6. *Prophanas vocum nouitates euita.* *Prob.* Antiquæ fidei regulam pandite. *Arr.* & *Ath.* ſimul. *Credimus in Deum Patrem Omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius Dominum noſtrum, & in Spiritum S.* *Prob.* A[illegible] [illegible]nitus hæreo, tres à vobis Deos prædicari, At[illegible] *Arr.* Non tres Deos : ſed Patrem, Filium, & Sp[illegible] [illegible]tum S. *Prob.* Exponite. *Arr.* Confite[illegible]

Prob.

nitum Patrem ante omnia tempora Filium æternaliter genuiſſe: per quem, & in quo viſibiles creaturas, & inuiſibiles fecit, &c. Non poteſt tamen ſuo Genitori coæquari, &c. Nec ideo duo Dij, nec ideo Filius non Deus, &c. Sed ſicut ei non adimitur ne bonus ſit, cùm ſolus Pater ſit bonus: ſic ei non aufertur vt Deus ſit, cùm ſolus Pater ſit Deus, &c. *Athan.* Bene Patrem Filium ante omnia opera genuiſſe, *Arrius* definiuit: ſed vtrum ex ipſa Patris eſſentia, vel natura, vel aliunde reticuit. Ego Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnius eſſe ſubſtantiæ, vniuſque naturæ confiteor. *Prob.* *Arrius* ſuam fidem veridicis teſtimonijs aſtruere non grauetur. *Arr.* Reſpondeat *Athan.* An ſimplicis naturæ ſit Deus. *Ath.* Quis hoc impius negauerit? *Arr.* Vtrum omnia quæ de Deo dicuntur, ſecundùm eſſentiam accipienda ſint. *Athan.* Non temerè, &c. propter nonnullos relatiuos caſus, &c. qui non propriè de Deo, ſed Perſonis, vel quibuſuis rebus coaptantur. Cùm Deus ſe neſcire, pœnitere, & nunc iratum, nunc placatum oſtendit. *Probus.* Latiùs hæc abs te audire deſidero, &c. Nunc interim *Arrius* proſequatur. *Arr.* Si quæ proſecutus ſum aduertas: illic omnem fidei noſtræ credulitatem inuenies. *Ath.* Subſiſtere ante ſæcula Filium veraciter *Arrius* profitetur: quòd autem de Patre natus ſit, ſono vocis, non veritatis profeſſione, confidit. *Prob.* Clariſſimum fidei veſtræ indiciũ date, &c. *Ath.* Patrem, & Filium, & Spiritum S. Deitate, Poteſtate, Magnitudine, Naturâ, vnum eſſe profiteor, &c. *Arr.* Sicut tres Perſonas, ita tres earum ſubſtantias confiteor, &c. Nec poteſt ingenitæ ſubſtantiæ, aut genita Filij, aut creata Spiritus. S. conferri. Vnde nec in poteſtate æquales, nec magnitudine ſimiles, nec naturâ conſortes à nobis creduntur. *Prob.* Si hoc totum eſt in quo diſſentire videmini: ratio poſcit vt non ſubtilitate dialecticæ, ſed puris Diuinæ Scripturæ documentis veſtra fulciatis. *Arr.* Nicæni Conc. decreta lectione pandantur: & agnoſces, *Athanaſium* vel eius Authores, Apoſtolicam fidem nouorũ adiectione verborum corrupiſſe, &c. *Author.* Et lectum eſt ita. *Credimus in vnum Deum, &c.* vt ſupra *col.* 560. *Arr.* Quid erat opus nouum *Homonſion* inſeri, &c. *Ath.* Si demonſtrauero rei antiquæ, & ab Apoſtolis traditæ nouum nomen attribui: te victum fateberis? *Arr.* Hoc non oſtendes. *Prob.* Quæ ratio cauſæ flagitabat, vt res antiqua nomen acciperet nouum? Nunquid enim prius manebat? *Arr.* Optimè. *Ath.* Hanc ab Apoſtolis traditam formam, nouis vtendi nominibus, Eccleſia tenens, contra diuerſos hæreticos: vt ſanæ fidei ratio poſtulabat, diuerſas edidit nominum nouitates.] Exemplificat in ipſo nomine *Chriſtianorum*, qui priùs vocabantur Diſcipuli: In nomine *Innaſcibilis*, & *Ingeniti*, impaſſibilis, &c. contra hæreſim *Sabelly*, ab ipſis *Arrianis.* Nolo mihi dicas, hoc fidei ratio poſcit, ad hoc conſequentia prouocat: quia in me ſimilia de *Homonſij* probatione reſpuis. *Prob.* Si Eccleſiaſticæ conſuetudinis mos eſt, pro coërcendis hæreticorum motibus; &c. quid dicis *Arri*? *Arr.* Iſte neſcio qua ſillogiſticæ artis verſutiâ, obiectionem meam conatur eludere: vtrum *Homonſion* ſit conſcriptum, &c. *Prob.* Vides quemadmodum in te tuam referat quæſtionem, &c. Senſum igitur quære, vnde vocabuli huius natura traxit originem. *Ath.* Diffidentiæ ac timoris periculo nudi ſermonis flagitat documentum: ſed ſuis eſt iterum profeſſionibus conſtringendus. Exigis à me vt *Homonſion* ſcriptum oſtendam: tu autem tres *Vſias* .i. tres ſubſtantias confiteris. Oſtende igitur mihi vbi legiſti tres *Vſias*. *Prob.* Si nec tu ipſe tres *Vſias* demonſtrare valueris: pari mihi neceſſitate aſtrictus eſſe videris, &c. *Arr.* Si tres ſunt, Pater, Filius, & Spiritus S. neceſſariò ſunt tres ſubſtantiæ, &c. *Ath.* Hìc nulla proſunt Argumenta. Lege ſpecialiter *Trionſion* poſitum: & noli conijciendo dicere, *Si tres ſunt, &c.* Quia & ego id poſſum veraciùs: *Si vnum ſunt, &c.* Sed hanc viam ingredi noluiſti, &c. *Arr.* Subſiſtitne propriè Pater, an non? *Ath.* Niſi mihi tres *Vſias* legeris, nullum dabo reſponſum, &c. Vis enim argumento probare, &c. *Prob.* Nec tu *Homonſion*, nec ille *Trionſion* propriè & ſpecialiter poſitum valetis oſtendere. Vnde ne puerili concertatione ſuperfluis immoremini, ab hac exactione deſinite: *Homonſion*, aut *Trionſion* de Scripturarum authoritate colligite. *Arr.* Ego compendio vti volebam. *Ath.* Non poteſt fides venire in dubiũ.

Die ſequenti. *Probus.* Peroratum eſt, omiſſis ſuperfluis, ad arcem negotij debere deſcendi: quod debetis tandem aliquando actitare? *Arr.* Doceat Patrem, Filium, & Spiritum S. vnius eſſe Subſtantiæ, poteſtatis, dignitatis, &c. *Ath.* Profiteris Filium de Patre natum, an non? *Arr.* Profiteris ipſe Patrem diuiſionis vitio ſubiacere non poſſe? *Ath.* Profiteor. *Arr.* Ego quoque profiteor Filium ex Patre natum eſſe. *Ath.* Id eſſe arbitraris natum ex Patre, quod de Patre. *Arr.* ſufficit quod ex Patre. *Ath.* Ioan. 6. *Quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt.* Ioan. 16. *Ego de Deo Patre exiui.* *Arr.* Siue ex ipſo, ſiue de ipſo nullum poteſt adferre præiudicium. *Ath.* Deus Pater generans ex ſe. i. de ſeipſo Filium: hoc genuit quod eſt ipſe, an aliud quid? *Arr.* Hoc vtique quod ipſe eſt: quia Deus Deum, &c. *Ath.* Ergo non ex nihilo, nec ex aliqua alia materia, nec aliud quàm quod ipſe eſt. *Arr.* Alius, alium genuit. *Athan.* Sed de ſeipſo: ſicque vnius eiuſdemque ſubſtantiæ, &c. *Prob.* Prùs mihi vim, qualitatemque rerum aſſignate. *Ath.* Nos de illo ſubſtantiæ genere diſputamus, qua vnaquæque natura ob id quod eſt vel ſubſiſtit ſubſtantia nuncupatur, &c. Homo generans Filium ſuæ ſubſtantiæ, hominem generat &c. Diuerſitas autem ſubſtantiæ eſt, ſi homo pecudem gignat. *Prob.* Si quid contra hęc *Arrius* competere nouit, edicere non moretur. *Arr.* Neceſſe eſt ex ſe generando, aut partem ſubſtantiæ perdidiſſe, aut diuiſionis vitium perpeti potuiſſe, &c. *Ath.* Ego aſſeuero, quòd ſicut Deus impaſſibilis, ita & Omnipotens eſt. Credo ergo eum de ſua ſubſtantia potuiſſe Filium generare: nec tamen alicuius paſſionis vitio ſubiectum fuiſſe; quoniam diuiſio, fluxus, &c. corporeis & compoſitis conueniunt rebus. *Arr.* Illuc perfidiæ huius vergit intentio: vt confuſis Patris &

Filij

Digitized by Google

Filij perſonis, in ſua proprietatis ſingularitate minimè ſubſiſtere valeant. *Ath.* Suffugium quæris. An corruptionem incorrupto, paſſionem impaſſibili, impotentiam obijcis Omnipotenti? Sed te Diuinæ authoritatis teſtimonia coërcebunt, &c. *Pſal.* 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te. Arr.* Corruptioni obnoxium vis introducere Deum: qui etiam in eo corporalis vteri appellationem non metuis. *Ath.* Vt Deus habet oculos, aures, &c. ex Virgine incorruptibiliter creditur natus: quantò magis ex Patre genitus? Indica, virorum optime *Probe*, quis magis cum Diuinis conueniat Scripturis. *Prob.* Quicquid agnoſcere potui, vltima examinis noſtri ſententia retinebit. Nunc verò ſi quæ adhuc de Diuinis Script. Supereſſe putatis, proferre dignemini. *Arr.* Quòd tam breuibus vſus ſum, Chriſtiani pudoris fuit: Sed video acriùs dimicandum, &c. Illa eſſentia nec redundans vnquam in ſeipſa fuit, vt quaſi exuberatione quadam genuerit Filium: cùm eſſentiæ infinitæ & immenſæ nihil poſſit eſſe exuberans, &c. Si autem nec effluit, nec redundat: ſubſtantiam vtiqne diuiſit in Filium; tantumq; ſibi detraxit Pater, quantum in Filium contulit, quo aut hodie indiget, aut quaſi ſuperfluo abundauit, &c. Quæ ſi in Deo eſſe non poſſunt: cur non potiùs voluntatis & charitatis eſſe Filium confitemur? &c. Qui ſi non eſt Filius voluntatis: ſupereſt vt coactus Deus, quaſi aliqua lege naturæ Filium edidiſſe videatur, &c. Illud verò, *ex vtero ante Luciferum genui te,* quam ineptum ſit demonſtrabo. *Eſa* 1. *Quis eſt pluuiæ Pater, vel de cuius vtero procedit nix*? Exod. 4. *Primogenitus meus Iſrael.* 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat.* Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, &c.* Si ergo & Filium ex Dei Patris vtero proceſſiſſe fatemur: non ad indicium vnius naturæ, ſed ad ſecretorum arcana. *Ath.* Neque exuberatione ſubſtantiæ redundantem Filium dicimus, neque defectæ naturæ portiunculam: ſed Perfectum Patrem, perfectum Filium ineffabiliter credimus natum. Idcirco fatemur vnius eſſe ſubſtantiæ: quia non aliunde, non ex nihilo; ſed propriè Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, ſapientiam de Sapientia fideliter fatemur. Nam ſi alterius ſubſtantiæ Filius eſſet: non diceret *Ioan.* 5. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſum: ſic dedit & Filio, &c.* Neque aliud eſt viuere Patris, aliud Filij: ſed hoc eſt viuere quod eſt eſſe, &c. Quia ergo ſic eſt eſſe Filij, ſicut eſſe Patris: non eſt dubium Patrem & Filium eſſe vnius eſſentiæ & naturæ. *Ioan.* 10. *Sicut nouit me Pater, & ego noui Patrem.* Notionem uerò in Deo, eſſentiam eſſe diximus, &c. Et quia nonnulla protulit teſtimonia, ita omnia eſſe ex Deo, vt non tamen de eius ſubſtantia: interogo ſiene debemus accipere Filium de Patris vtero proceſſiſſe, vel ex Patre genitum eſſe, ſicut homines ex Deo natos, vel ſicut nix ex eius vtero legitur procedere?

Arr. Aliter Filius, aliter creatura. *Ath.* Si longè aliter: cur alia exempla protuliſti? Apparet te *Photiniani* dogmatis errorem ſacrilegum defenſare, &c. Filium de Patre natum, ſicut homines per adoptionis gratiam, &c. Oſtendam igitur hoc eſſe propriè ex Deo naſci, quod de ipſo generari. *Luc.* 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Gal. 4. *Miſit Deus Filium ſuum, natum ex muliere. Arr.* Vt Filius ſe inferiorem Patre oſtenderet, ait *Ioan.* 14. *Pater maior me eſt. Ath.* Vt noueris ſecundùm id quod homo erat, ait: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* Eius eſt enim ire & venire, qui locis circumſcribitur, &c. Nam ſi ſecundùm id quod Deus eſt, minorem accipere volueris: etiam Angelis ſecundùm Diuinitatis naturam minor eſſe videtur, *Heb.* 2. & *Pſal.* 8. *Minoraſti eum paulò minus ab Angelis. Prob.* Vt tua in omnibus fulciatur aſſertio: conuenit Patrèm, & Filium, & Spiritum S. diuinorum teſtimoniorum lectione vnius approbare ſubſtantiæ. *Ath.* Cùm nec homo bouem, nec bos hominem generet, ſed ad ſimilitudinem ſuæ ſubſtantiæ, &c. mirari vtique non debeo, Deum potuiſſe de ſua ſubſtantia Filium generare, cui totum poſſe ſubiectum eſt. Sed aggredior diuinis oraculis approbare, &c. *Heb.* 1. *Cùm ſit imago inuiſibilis Dei, & figuram ſubſtantiæ eius gerens.* Hier. 21. *Quis ſtabit in ſubſtantia mea, & videbit Verbum meum* .i. Filium de Patris ſubſtantia. *Pſal.* 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Item alio loco. *Initium operis Verbum* .i. per verbum. *Pſal.* 32. *Verbo Domini cœli firmati, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Arr.* Ioan. 14. *Pater maior me eſt, &c. Mandatum mihi dedit, &c. me miſit, &c. Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me, &c. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, &c. Non eſt meum dare vobis, &c. Dedit illi nomen ſuper omne nomen, &c. Vnxit te Deus, Deus tuus, &c. Prob.* Si aduerſum tam copioſa teſtimonia, ab *Arrio* prolata, aliquid *Athanaſio* competere videtur, edicere non moretur, ſuperſtitione ſermonis excluſâ, &c.

Ath. Chriſtus Filius Dei, in forma ſerui, quam aſſumpſit ex Virgine, Patri dicitur eſſe ſubiectus, *Gal.* 4. *Miſit Deus Filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege.* Nam in forma Dei, *Matt.* 4. *Venerunt Angeli & miniſtrabant ei, &c.* Qui Patris voluntatē facit, æqualitatē oſtendit, ex 1. *Theſſ.* 5. *Hæc voluntas Dei in Chriſto Ieſu, &c.* Si quæ loquitur Pater, ea loquitur Filius: nunquam inæqualis Patri, aut diſſimilis inuenitur. *Ioan.* 10. *Quod dedit mihi Pater ſeruaui, & nemo aufert à me, &c.* Dedit Filio Pater Omnipotentiam, Maieſtatem, Diuinitatem, &c. quam & quantam habet, tantam dedit. Sed hæc omnia naſcenti potiùs, quàm indigenti dediſſe probatur. *Ioan.* 17. *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt, &c.* Qui dixit, *Pater maior me eſt*: dixit, *Ego, & Pater vnum ſumus, &c. Ego in Patre, & Pater in me eſt, &c. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, ſic & Filius viuificat, &c. Qui videt me, videt & Patrem, &c. Qui me odit, & Patrem meum odit.* Et vt omnis cauillationis quieſcat intentio: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Si hæc perfidis non ſufficiunt: alia ſi videtur ſuperadijciam.

Digitized by Google

Prob. Si huic tam certæ proſecutioni *Arrius* niſus fuerit obuiare: certum eſt eum non rationem ſequi,&c. *Arr.* Nunquid *Athanaſius* & Spiritum S. qui Patris & Filij Miniſter eſt, eiſdem debet æquali confeſſione conferre? Cum ipſe Filius dicat: *De meo accipiet, &c. Mittam vobis Spiritum Veritatis qui à me procedit: quem Pater mittet in nomine meo, &c. Ath.* Si Iudicis clementia largitur, ex Diuinis authoritatibus etiam Spiritum S. non creaturam eſſe, ſed Deum & Creatorem cum Patre & Filio, breuiter demonſtrabo. *Prob.* Approba breuiter. *Ath. Pſal.* 132. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* In Salomone. *Ipſe creauit ea per Spiritum ſuum.* Pſal. 103. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.* Iob. *Spiritus Diuinus creauit me.* In Iudith. *Miſiſti Spiritum tuum, & ædificauit.* Matt. 2. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt.* Non vt duo credantur Patres: ſed cum Patre & Filio idem Spiritus S. cooperarius eſt. *Matt.* 26. *Ite baptizate omnes gentes. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Pſal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* .i. Spiritus S. *Act.* 5. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo* .i. Spiritui S. 1. *Cor.* 12. *Idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus.* Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus.* 1. Cor. 3. *Dominus autem Spiritus eſt.* 1. Cor. 6. *Neſcitis quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritusſancti, &c. Glorificate ergo, & portate Deum in corpore veſtro.* Luc. 1. *Spiritus S. ſuperueniet in te, &c.* ſupra citata. *Prob.* Si remanſiſſe aliquid *Arrio* videtur: proponere non grauetur, &c. ne de aliena oppreſſione cauſetur. *Ar.* Nulli dubium eſt, quin Magicis artibus *Athanaſius* non deſinat Iudicum peruertere ſenſus, &c. Idcirco quod explicare non valeo, Principis iudicio reſeruabo, &c. *Ath.* Qui ſuis aſſertionibus adeſſe non poſſunt, excuſationem ſibi inuenire non deſinunt, &c. Mihi verò ad omnia reſpondiſſe ſufficiat. *Prob.* Fruſtra *Arrius* videtur de noſtro iudicio, ad Principis appellare præſentiam, &c. Meæ verò ſolertiæ erit, vniuerſa quæ ab vtriſque in noſtra cognitione prolata ſunt, glorioſi ſenſibus Principis intimare: vt falſidicis ambagibus procul amotis, ad victoriæ palmam *Athanaſius* puræ fidei aſſertor, valeat peruenire.

Ex libris 12. S. Hilarij Epiſcopi Pictauienſis: De S. Trinitate, contra Arrianos.

Lib. 1. Præfatur contra omnes Idolatras, & Hæreticos, præcipuè Arrianos: monens ſuos lectores, de fide præferenda propriæ rationi, & elegantiſſimè ac ordinatiſſimè diſtinguens ſuum opus in libros 12. Vt patet ex his ſpeciminibus. [Incidi in libros *Moyſis*, Deo teſtante de ſe: *Ego ſum qui ſum, &c.* Admiratus ſum planè, tam abſolutam de Deo ſignificationem, &c. De eſſentia, æternitate, immenſitate, incomprehenſibilitate; & infinitate Dei.

Infra. Nouis regenerati ingenij ſenſibus opus eſt: vt vnumquemque conſcientia ſua ſecundùm cœleſtis originis munus illuminet. Standum itaque per fidem ante eſt, vt *S. Ier.* monet, in ſubſtantia Dei: vt de ea auditurus, ſenſum ad ea quæ digna ſunt moderetur. Moderetur autem: non aliquo modo intelligendi, ſed infinitate. Quin etiam conſcius ſibi Diuinæ ſe Naturæ participem effectum fuiſſe: Dei naturam non naturæ ſuæ legibus metiatur; ſed Diuinas profeſſiones expendat. &c. Optimus enim lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit. Cùm itaque de rebus Dei erit ſermo: concedamus cognitionem ſui Deo, dictiſq; eius pia veneratione famulemur, &c. Si qua verò comparationum exempla adferemus, &c. comparatio ad Deum nulla eſt; ſed infirmitas noſtræ intelligentiæ coegit, &c. Pergimus itaque de Deo locuturi, Dei verbis: ſenſum tamen noſtrum rerum noſtrarum ſpecie imbuentes. Ac primùm ita totius operis modum temperauimus: vt aptiſſimus legentium profectibus, connexorum ſibi libellorum ordo ſuccederet. Nihil enim incompoſitum, indigeſtumque placuit adferre: ne operis inordinata congeries, ruſticum quendam tumultum perturbata vociferatione præberet. Sed quia nullus ad prærupta conſcenſus eſt, niſi ſubſtratis paulatim gradibus: nos quoque arduum hoc intelligentiæ inter cliuo quaſi molliore leniuimus, non iam gradibus inciſum, ſed planitie ſubrepente deuexum, vt propè ſine ſcandentium ſenſu, euntium proficeret aſſenſus.

Poſt hunc enim primi ſermonis libellum, ſequens ita Sacramentum edocet Diuinæ generationis: vt baptizandi in Patre, & Filio, & Spiritu S. non ignorent nominum veritatem, neque vocabulis intelligentiam confundant; ſed vnumquodque ita ſenſu concipiant, vt eſt ac nuncupatur; agnituri quod neque non ipſa veritas ſit nominis, neque non nomen ſit veritatis. *Liber* 3. Etſi ſenſim, tamen iam proficienter incedit, &c. *Liber.* 4. Initium ſui ex Hæreticorum doctrinis auſpicatur: ſeipſum vitijs quibus fides Eccleſiæ infirmatur expugnans, &c. *Liber.* 5. Tenet eum reſponſionis ordinem, quem Hæretici inſtituerant profeſſionis, &c. *Liber* 6. Omnem hæreticæ aſſertionis fraudulentiam pandit, &c. *Liber.* 7. Secundùm perfectæ fidei gradum ſuſceptæ diſputationis ſermonem temperauit, &c. Lis Hæreticorum, noſtra fides, &c. Omneſque ſe inuicem vincendo, vincuntur, &c. *Liber* 8. Totus in vnius Dei demonſtratione detentus eſt, &c. *Liber* 9. Totus in repellendis ijs, quæ ad infirmandam vnigeniti Dei natiuitatem ab impijs vſurpantur, intentus eſt. *Libri* 10. Quia ex paſſionis genere, & profeſſione, quædam per ſtultæ intelligentiæ ſenſum ad contumeliam Diuinæ in Chriſto naturæ rapuerunt: ea ipſa demonſtranda fuerant, &c. *Liber* 11. In his quoque cum ſumma religionis demonſtratione tractãdis occupatur, &c. *Liber* 12. Conſequens viſum eſt, creationis nomine, à fide quæ nobis de vnigenito Deo eſt, repudiato: ea quoque quæ in confeſſione S. Spiritus congrua ac religioſa eſſent, docere, &c.

Inuocatio Dei Patris, Filij, & Spiritus S.

Ex Lib. 2. Chriſtus baptizare iuſſit, *Matt.* 28. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti* .i. in confeſſione & Authoris, & Vnigeniti, & Doni-

Nun-

Nunquid corrumpi veritas poteſt, cùm Patris nomen auditur? Nunquid natura Filij continetur in nomine? Nunquid Spiritusſanctus non erit, qui nuncupatur? &c. Hæc igitur, licet mutare de eo quod ſunt nullo modo poſſint: adferunt tamen doctrinas nouas, & humana commenta: vt *Sabellius* Patrem extendat in Filium, idque nominibus confitendum putet potiùs quàm rebus; vt *Hebion* omne initium Filij Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, ſed ex homine Deũ proferat, &c. Aliqui huiùs temporis ex nihilo atque à tempore formam, & ſapientiam, & virtutem Dei prouehunt: vt ſi ex Patre ſit Filius, Deus ſit imminutus in Filium, &c. Quid mirum ſi de Spiritu ſancto diuerſa ſentiant: qui in largitore & authore tam temerarij ſint? &c. Naturas nominib' adimũt: quia nomina non poſſunt auferre naturis. Prætermitto *Valentinos*, *Marcionitas*, *Manichæos*, peſteſq; cæteras, &c. *Matt.* 28. *Baptizate omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Forma fidei certa eſt; ſed hæreticis omnis ſenſus incertus eſt, &c. Pater eſt, ex quo omne quod eſt conſiſtit, &c. Eſſe in ſeſe eſt, non aliunde ſumens: ſed id quod eſt, ex ſe atque in ſe continens. Infinitus: quia non ipſe in aliquo; ſed intra eum omnia, ſemper extra locum, & ante æuum, &c. Neque totum ei deeſt, cui reliquum eſt: neque reliquum eſt, cui omne quod eſt, totum eſt. Reliquum enim, portio eſt, &c. Deus autem, & vbique eſt, & totus vbique eſt, &c. Habet tamen naturæ ſuæ nomen in Patre: ſed Pater tantùm eſt. Ipſe ingenitus, æternus, habens in ſe ſemper vt Pater ſit, &c. In his quidem honoris confeſſio eſt, & ſenſus ſignificatio, & quædam circumſcriptio opinandi: ſed naturæ ſermo ſuccumbit, &c. Credendus eſt, intelligendus, adorandus eſt: & his officijs eloquendus eſt, &c. Eſt Pater vt eſt: & vt eſt, eſſe credendus eſt, &c. Quam autem progeniem opinabimur Vnigeniti ab Ingenito? Non eſt diuiſio: impaſſibilis eſt enim, &c. Non eſt aſſumptio: verus enim Filius Dei eſt, &c. Neque pars Patris in Filio eſt: *Omnia enim mea tua ſunt, & tua mea ſunt, Ioan.* 16. Perfectus autem, à perfecto eſt: quia qui habet omnia, dedit omnia; &c. Quiſquis es qui hæc requiris, ſentis ne te genitum, & quæ ex te generantur? Quæro qualiter ſenſum inſeras, oculos accendas, cor affligas. Habes ergo quod neſcis, & tribuis quæ non intelligis: æquanimiter imperitus in tuis, inſolenter in Dei rebus ignarus. Audi ergo *Ioan.* &c. vt ſupra *col.* 559. 560. Supereſt de inenarrabili generatione filij adhuc aliquid: imò illud aliquid, totum eſt. *Ioan.* 1. *In principio erat Verbum, &c.* Tranſcenduntur ſæcula, &c. *Erat* enim, &c. Meus piſcator Verbum tempore liberauit &c. Dices, verbum ſonus vocis eſt, &c. *In principio erat*: quia ſermo cogitationis æternus eſt, cùm qui cogitat æternus eſt. *Reſp.* Quomodo erat quod neque ante, neque poſt, & neſcio an vel eſſe poſſit in tempore? *Et Verbum erat apud Deum.* Nunquid audieras in Deo? Vt ſermonem reconditæ cogitationis acciperes? Aut fefellerat *Ruſticum*, quid eſſet inter eſſe, ineſſe, & adeſſe? *Et Deus erat Verbum.* Verbum hoc, res eſt, non ſonus: natura, non ſermo; Deus, non inanitas, &c. *Hoc erat in principio apud Deum.* Cùm, *hoc erat, &c.* non tenetur in tempore: cum *Deus eſt*, non refertur ad vocem; cùm eſt *apud Deum*, nihil confunditur, nec confertur, &c. *Omnia per ipſum facta ſunt, &c.* Idcirco & tempus ab eo eſt. *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Alius eſt *per quem*, & alius *ſine quo nihil, &c.* Verùm, ſi aliquid per alterum factum, non tamen ſine eo: iam non per eum omnia; quia aliud eſt feciſſe, aliud interueniſſe facienti, &c. Cùm ergo omnia *per ipſum*: ſubueni & enarra quid non ſine eo factum ſit. *Quod factum eſt in eo vita erat.* Hoc igitur non ſine eo, quod in eo factum eſt: nam & id quod in eo factum eſt, etiam per eum factum eſt. *Omnia enim per ipſum, & in ipſo creata ſunt*, Coloſſ. 1. *In ipſo*, quia naſcebatur Creator Deus. Sed etiam ex hoc *ſine eo nihil factum eſt, quod in eo factum eſt*: quia naſcens Deus vita erat, non poſtquam eſt natus effectus eſt vita, &c. Sed nihil ſine eo fiebat, ex ijs quæ in eo fiebant: quia vita eſt in quo fiebant, &c. Naſcens enim à viuente viuus, à vero verus, à perfecto perfectus: non ſine poteſtate natiuitatis ſuæ natus eſt; ſed ſe Deum in eo ipſo quod Deus ex Deo naſcebatur intelligens, &c] .i. Exemplariter fiebant, aut decernebantur ab æterno, in Verbo: non ſine ipſo ab æterno naſcente, viuente, cointelligente, conuolente.

Miremur hanc in Piſcatore doctrinam, &c. & in Domino IESV, exemplo *Ioannis*, vt hæc poſſimus ſentire & colloqui, accubemus. Contrahantur in vnum nomina Hæreticorum, & omnes Scholæ prodeant: audiant vnum ingenitum Patrem, & vnum Vnigenitum Deum Filium, perfecti Patris progeniem perfectam, &c.

Patrem & Filium, ſi audet *Sabellius*, eundem prædicet: vt vnus ſit ambo, non vnum. Audiet ſtatim de Euangelijs: *Hic eſt Filius meus dilectus, Pater maior me eſt, Ego vado ad Patrem, Clarifica me Pater, Tu es Filius Dei viui.* Subrepat *Hebion*, omne initium Filio ex MARIA concedens, &c. Relegat *Ioan.* 17. *Clarifica me Pater ea claritate qua fui priuſquam mundus eſſet.* Ioan. 1. *In principio erat Verbum, &c.* ſupra. In cæteris diſpenſatio voluntatis paternæ eſt. *Virgo, partus, corpus, Crux, inferi, mors, ſalus noſtra eſt, &c.* De myſterijs humanis Chriſti.

De Spiritu autem ſancto, nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt, &c. Quia de Patre & Filio Authoribus confitendus eſt. *Rom.* 8. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, &c.* Eph. 4. *Nolite contriſtare Spiritum S. Dei.* Accepimus Spiritum qui ex Deo eſt, &c. ſupra vt ſæpè ſupra Sed *Ioan.* 4. non tollit ſancti Spiritus & nomen & donum: quia dictum eſt, *Deus Spiritus eſt.* Reſponſum autem eſt mulieri, Deum templo & monte claudenti, omnia eſſe in Deo, Deum in ſemetipſo, & viſibilem in ijs quæ inuiſibilia ſunt adorandum: atque ita libertatem ac ſcientiam adorantium, & adorandi infinitatem oſtendit. Vt 2. *Cor.* 3. *Dominus Spiritus eſt, & vbi Spiritus Domini ibi libertas.*

Quòd autem ſit officium eius in nobis: verbum ipſius Domini audiamus, vt ſupra *col.* 559. *ſub finem.* Niſi animus humanus per fidem donum Spiritus hauſerit: habebit quidem naturam Deũ

 intelli-

Digitized by Google

vnius quoque eſſe naturæ;non tamen genitum vel creatum, ſed ab vtriſque procedentem, amborum eſſe ſpiritum. Hic etiam Spiritus ſanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur: ne aut ſi ingenitum dixerimus, duos patres dicamus; aut ſi genitum, duos filios prædicare monſtremur, &c. qui ſimul Patris & Filij ſpiritus dicitur. Nec enim de patre procedit in filiũ,vel de filio procedit ad ſanctificãdam creaturam; ſed ſimul ab vtriſque proceſſiſſe monſtratur; quia charitas ſiue ſanctitas amborum eſſe cognoſcitur. Hic ergo Spiritus ſanctus miſſus ab vtriſque creditur: ſed minor patre & filio non habetur; ſicut Filius propter aſſumptam carnem minorem ſe Patre & Spiritu ſancto eſſe teſtatur. Hæc eſt ſanctæ Trinitatis relata narratio: quæ non triplex, ſed Trinitas & dici, & credi debet. Nec rectè dici poteſt,vt in vno deo ſit Trinitas;ſed vnus Deus Trinitas. In Relatiuis verò Perſonarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad vtroſque refertur. Quæ cùm relatiuæ tres Perſonæ dicantur: vna tamen naturalis ſubſtantia creditur.

Hæc ergo ſancta Trinitas, quæ vnus & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim Perſonarum numerus cernitur: in Diuinitatis vero ſubſtantia quid enumeratum ſit,non comprehenditur. Ergo hoc ſolo numerum inſinuant, quòd adinuicem ſunt: & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt. Nam ita ſanctæ huic Trinitati vnum naturale cõuenit nomen; vt tribus Perſonis non poſſit eſſe plurale. Ob hoc ergo credimus illud in ſacris literis dictum: Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus, *Pſal.* 146.

Tres igitur Perſonæ iſtæ dicuntur, iuxta quod maiores definiunt,vt agnoſcantur. Nam & ſi attendamus illud quod Scriptura ſancta dicit de Sapientia, *c.7.Splendor eſt lucis æternæ:*ſicut ſplendorem luci videmus inſeparabiliter inhærere, ſic confitemur Filium à Patre ſeparari non poſſe. Tres ergo illas vnius atque inſeparabilis naturæ Perſonas ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus: quandoquidem hoc nobis dignata eſt ipſa Trinitas euidenter oſtendere; vt etiam in omnibus quibus voluit ſigillatim Perſonas agnoſci,vnam ſine altera non permittat intelligi. Nec enim Pater abſque Filio cognoſcitur, nec ſine Patre Filius inuenitur. Relatio quippe ipſa vocabuli perſonalis,Perſonas ſeparari vetat.

Ex 6. Synodo Conſtantinop. ſub *Agathone* Papa *Act.*4.*Agatho* Epiſcopus,Seruus Seruorũ Dei,&c. Confitentes Sanctam & inſeparabilem Trinitatem .i. Patrem, & Filium, & Spiritum S. vnius eſſe Deitatis, vnius naturæ, & ſubſtantiæ ſiue eſſentiæ: vnius eam prædicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maieſtatis, poteſtatis, & gloriæ. Et quicquid de eadem SS.Trinitate eſſentialiter dicitur, ſingulari numero: tanquam de vna natura trium conſubſtantialium Perſonarum, comprehendamus regulari ratione hoc inſtitui. Cùm verò de vno earundem trium Perſonarum Filio Dei, Deo Verbo; & de myſterio admirandæ eius ſecundùm carnem diſpenſationis, confitemur: omnia duplicia vnius eiuſdemque Chriſti aſſerimus. *Infra. Ipſa Synodus.* Credimus in Deum Patrem Omnipotentem,factorem Cœli & terræ,viſibilium omnium & inuiſibilium: & in Filium eius vnigenitum,qui ante omnia ſæcula ex eo natus eſt, verum Deum, de Deo vero, lumen De lumine, natum non factum, conſubſtantialem Patri .i. eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt quæ in cœlo, & quæ in terra: & in Spiritum S. Dominum,& viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum, & conglorificandum; Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate; vnitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem verò Perſonarum ſiue Subſtantiarum; Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum S. non tres Deos, ſed vnum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum S. non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiam: quorum vna eſſentia, ſiue ſubſtantia vel natura .i. vna Deitas,vna æternitas, vna poteſtas, vnum imperium, vna gloria, vna adoratio, vna voluntas, & operatio,&c.

Act. 10. Eadem confeſſio fidei ex Epiſt. communi Epiſcoporum, & Monachorum.

Act. 11. Ex Epiſt. *Sophronij.* Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem,ſine principio penitus, atque ſempiternum, omnium inuiſibilium atque viſibilium factorem: Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, non aliud principium quàm Patrem cognoſcentem, &c. Et in vnum Spiritum S. qui ſempiternè à Deo Patre procedit, lumen & Deum ipſum agnoſcendum, eiuſdem eſſentiæ,atque naturæ, &c. Trinitatem itaque in vnitate credimus,& in vnitate Trinitatem glorificamus: Trinitatem quidem pro tribus ſubſiſtentijs, vnitatem autem propter ſingularitatem Deitatis, &c. *Infra. Arrianorum* impietas, in inæquales Deos concidit Deum,&c. *Sabellianorum* prauitas, in vnam ſubſiſtentiam tres confundit ſubſiſtentias, & in vnam Perſonam tres Perſonas. *Infra.* Numeretur ergo Beata Trinitas: non eſſentijs, nec naturis, nec diuerſis Deitatibus, æterniſue dominationibus, vt inſaniunt *Arriani*, & nouæ *Tritheæ* .i. ter Deitatis latratores; ſed ſubſiſtentijs & proprietatibus intellectualibus,perfectis,ſemotim ſubſiſtentibus, numero diuiſibilibus, & non diuidendis Deitate.

*Act.*13. *Can.*1. Si quis non confitetur Patrem, & Filium, & Spiritum S. Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs; Anathema ſit.

Act. 17. *Symbolum Nicænum*, & *Conſtantinopolitanum*,vt ſupra.

*Ex 7. Synodo,Nicena .2.Act.*1. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem: Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium eius vnicum: Et in Spiritum S. Dominum viuificantem; & Trinitatem conſubſtantialem, in Throno eodem conſedentem, in vna Deitate, Poteſtate, Authoritate adoratam,& glorificatam.*Act.*3.Credo & in Spiritum S. qui ex Patre *per Filium* proceſſit. *Act.*7. Tandem definitiuè. Credimus & in Spiritum ſanctum, qui ex Patre Filioque procedit, &c.verbatim vt canitur in Eccleſia.

Ex

Ex Synodo Arelat. ſub *Carolo Magno. Cap.* 1. Patrem, & Filium, & Spiritum S. vnius deitatis atque ſubſtantiæ confitemur: in perſonarum diuerſitate Trinitatem credentes, in diuinitate vnitatem prædicantes. Nec perſonas confundimus, nec ſubſtantiam ſeparamus: Patrem à nullo factum, vel genitum dicimus, Filium à Patre non factum ſed genitum; Spiritum verò Sanctum nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur.

Ex Conc. Rhemenſi 1148. *ſub Eug.* 3. Contra hos errores *Gilberti Porretani Epiſcopi Pictauienſis.* 1. Quòd Diuinitas non ſit Deus, ſed forma quà Deus eſt. 2. Quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus nonniſi vna diuinitate vnum ſint: nec vnus Deus, vel vna ſubſtantia, vel vnum aliquid eſſe dicantur. 3. Quòd tres Perſonæ, tribus vnitatibus ſint tria, & diſtinctæ tribus proprietatibus: quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed tres æternæ, ab inuicem, & à ſubſtantia Diuina numero differentes.

Symbolum fidei. Credimus & confitemur, ſimplicem naturam Diuinitatis eſſe Deum: nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Diuinitas ſit Deus, & Deus Diuinitas. Credimus nonniſi eâ ſapientiâ quæ eſt ipſe Deus, ſapientẽ eſſe: nonniſi ea magnitudine magnũ, ea æternitate æternũ, ea vnitate vnum, ea Diuinitate Deum, quæ eſt ipſe .i. ſeipſo ſapientẽ, magnum, æternum, vnum Deũ. Tres perſonas vnũ Deum eſſe fatemur: & è conuerſo, vnũ Deum eſſe tres perſonas. Credimus ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum S. æternum eſſe: nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates, vel alia huiuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus. Credimus ipſam Diuinitatem ſiue ſubſtantiam, ſiue Naturam Diuinam incarnatam eſſe; ſed in Filio.] Cui profeſſioni & ipſe *Gilbertus* præſens, ac libens conſenſit.

Eodem Conc. damnatus fuit quidã, *Eon*, vt hæreticus: qui inſaniebat ſe eſſe *eum* de quo dicitur, *Per eum qui venturus eſt, &c.*

De Conc. Sueſſoniẽſi 1139. & Senonenſi 1140. ſub Innoc. 2. infra ex *S. Bern.*

Ex Conc. Lateran. ſub Innocentio 3. *cap.* 1. De fide Catholica. Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd vnus eſt ſolus verus Deus, Æternus, Immenſus, Omnipotens, Incommutabilis, Incomprehenſibilis, & Ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus S. Pater à nullo, Filius à ſolo Patre, Spiritus ſanctus ab vtroque pariter, abſque initio ſemper & fine. Pater generans, Filius naſcens, Spiritus ſanctus procedens, conſubſtantiales, & coæquales, coomnipotẽtes, & coæterni, vnum principium omnium, &c. Hæc Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam indiuidua, & ſecundùm proprietates perſonales diſcreta, &c. *cap.* 2. contra errores, *Abbatis Ioachim.* Damnamus & reprobamus libellum quem *Abbas Ioachim* edidit contra *Magiſtrum Petrum Lombardum*, de vnitate ſeu eſſentia Trinitatis, appellans hæreticum & inſanum: pro eo quod in ſuis dixit ſententijs, quomodo quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens. Vnde aſſerit quòd ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem aſtruebat in Deo, videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam: manifeſtè proteſtans, quod nulla res eſt quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, &c. *quæ hic deſunt.* Sunt vna eſſentia, vna ſubſtantia, vnaque natura; verùm vnitatem huiuſmodi non veram & propriam; ſed quaſi collectiuam & ſimilitudinariam eſſe fatetur. Vt *Act.* 4. *Erat cor vnum.* 1. *Cor.* 6. *Qui adhæret Deo, vnus Spiritus eſt.* Ioan. 17. *Volo Pater vt omnes ſint vnum, &c.* 1 Ioan. 7. *Tres vnum ſunt, &c.* Nos autem ſacro & vniuerſali Concilio approbante, credimus & confitemur cum *Petro*: quòd vna quædam res eſt, incomprehenſibilis quidem & inæſtimabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earundem; & ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas. Quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſiue Natura Diuina, quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præter quam aliud inueniri non poteſt: & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed eſt Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritusſanctus qui procedit, vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in Natura. Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritusſanctus: non tamen aliud; ſed id quod eſt Pater, eſt & Filius, & Spiritusſanctus, vt conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit, *Ioan.* 10. *Pater quod dedit mihi, maius eſt omnibus &c.* Cum ergo *Ioan.* 17. Chriſtus orat: *volo vt ipſi ſint vnum in nobis, ſicut & nos, &c.* pro fidelibus intelligatur vnio charitatis in gratia; pro perſonis verò Diuinis, vnitas identitatis in natura. Vt *Matt.* 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis, &c.* Quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tãta ſimilitudo notari: quin ſit maior diſſimilitudo. Si quis igitur doctrinam præfati *Ioachim* in hac parte defendere, vel approbare præſumpſerit: tanquam hæreticus ab omnibus confutetur. In nullo tamen, per hoc, florenti Monaſterio, cuius ipſe Ioachim fuit inſtitutor, volumus derogari, &c. maximè cum idem Ioachim omnia ſua ſcripta nobis aſſignari mandauerit, Apoſtolicæ ſedis iudicio approbanda, ſeu etiam corrigenda, &c.

Ex Concilio generali Lugdunenſi ſub Gregorio 9. cui interfuit *S. Bonauentura*, ad vnionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, Fideli ac deuota profeſſione fatemur, quòd Spiritusſanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed ex vno, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt, & hactenus prædicauit ac docuit Sacro-ſancta Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium, & Magiſtra: hoc habet Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli irrefragabilis præmiſſæ ignorantiâ veritatis, in errores varios ſunt prolapſi: nos huiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, Sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præſumpſerint Spiritum S. æternaliter ex Patre & Filio procedere; ſiue etiam auſu temerario aſſerere, quòd Spiritus S.

Digitized by Google

ex Patre & Filio tanquam ex duobus principijs, non tanquam ex vno procedat.]

In quem ſenſum expreſſum, Græci cum Latinis concinerunt Symbolum Nicænum, & Conſtātinop. ſed poſtea ab hac profeſſione relapſi ſunt.

Ex *Conc. Floren. ſeſſ.* 24. & vltima, poſt longam diſceſſionem. [Approbante hac ſancta Synodo *Floren.* definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur: quia Spiritus S. à Patre, & Filio æternaliter eſt, & Eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre, ſimul & Filio, & ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit: declarantes quòd id quod SS. Doctores, & Patres dicunt, *ex Patre per Filium* procedere Spiritum S. ad hanc intelligentiam tendit; vt per hoc ſignificetur Filium quoque eſſe quidem ſecundùm Græcos cauſam, ſecundùm Latinos verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus S. ſicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem: hoc ipſum quòd Spiritus S. procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Definimus etiam explicationem verborum illorum, *Filioq;*, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitum.

Ex Conc. Trid. ſeſſ. 3. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, &c. Vt ſolet legi, & decantari in Eccleſia, ex Symbolo Conſtantinop. vel potiùs 7. Synodi, exprimendo, *qui ex Patre Filioq; procedit.* Sicque ſingula Concilia inchoantur aut perficiuntur eadem profeſſione fidei. Imò primus titulus Iuris Canonici libro 1. Decretalium, & Clementinarum, eſt *De ſumma Trinitate, & fide Catholica.*

Alexander primus Papa, ab anno Domini 119. *Epiſt.* 1. *Decretali, ad orthodoxos.* Fidem S. *Trinitatis* ſic docendam à Patribus accepimus, vobiſq; tradendam ſubditis deſtinamus. *Iſa.* 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Si *Trinitas* non eſt: quare tertiò Sanctus dixerunt? Aut ſi vnitas non eſt: quare ſub trina repetitione vnū Deum ac Dominum intimauerunt? Si Trinitas non eſt: Cur *Gen.* 1. dicitur, *Dixit Deus, fecit Deus, & benedixit Deus?* Si vnitas non eſt: quare tertiò dixit *Deus*; & Deos plurali numero non commendauit? Si *Trinitas* non eſt: cur *Exod.* 34. *Domine, Domine, Domine, miſerator & miſericors?* Si Vnitas non eſt: quare poſtea ſingulariter, *miſerator*, dixit? Si *Trinitas* non eſt: cur *Abraham, Gen.* 18. tribus occurrens, vni, *Domine* dixit? Si vnitas non eſt: cur *Exod.* 3. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob: hoc mihi nomen eſt, dixit*, & non hæc? Si *Trinitas* non eſt: quare *Pſal.* 66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus?* Si vnitas non eſt: quare *benedicat*, & non *benedicant? Infra.* Si *Trinitas* non eſt: cur *Apoc.* 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui eſt?* Si vnitas non eſt: quare, *qui eſt*, & non qui ſunt? Si *Trinitas* non eſt: quare, *Ioſue* 2. Deus Deorum eſt? Si vnitas non eſt: quare eſt, & non ſunt. Sicque ex *Lib. Heſter, Iudith, Tobiæ.* Si *Trinitas* non eſt: quare *Matt.* 28. miſit Dominus baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti?* Si vnitas non eſt: quare *in nomine* & non in nominibus? Si *Trinitas* non eſt: quare *Rom.* 1. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia?* Si vnitas non eſt: quare *ex ipſo*, & non ex ipſis? 2. *Cor.* 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus.* Ipſa eſt Patris, & Filij, & Spiritusſancti gratia.

Felix Papa primus, ab anno 272. *Epiſt.* 3. *Ad Benignum Epiſcopum.* Quidam dicunt Filium non poſſe propriè videre Patrem: quia *Ioan.* 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Alij fingunt: ideo minor eſt Patre Filius; quoniam Pater illi perhibet teſtimonium? *Matt.* 17. Quidam garriunt, quòd ideo Pater minor eſt: quia inuiſibilis ille dicitur, Filius verò viſibilis, &c. Nos verò ad ipſius fontis originem redeamus, &c. *Sap.* 9. *Eſt tecum Sapientia quæ nouit quid ſit placitū corā oculis tuis, &c.* Matt. 11. *Nemo nouit Filium niſi Pater: neque Patrem quis nouit niſi Filius, &c.* Ioan. 1. *Nemo Deum vidit vnquam, niſi Vnigenitus Dei Filius.* Ioan. 7. *Ego noui eum, quia ab ipſo ſum.* Ioan. 8. *Ego teſtimonium perhibeo de meipſo, & qui miſit me Pater.* Ioan. 15. *Paracletus Spiritus veritatis teſtimonium perhibebit de me.* Coloſſ. 1. *Eſt imago Dei inuiſibilis, &c.*

Ex Antiquis Patribus.

Sanctus Dion. Areop cap. 2. *Diu. Nom.* Nemo bonus niſi ſolus Deus, *Luc.* 18. Dicendum, hoc de tota Deitate oportere accipi. Nam & verbum ipſum natura bonum, ait *Matt.* 22. *Ego bonus ſum.* Et *Pſal.* 142. prædicat *Spiritum bonum.* Et niſi illud *Exod.* 3. *Ego ſum, qui ſum*, de tota Deitate dictum ſentiant: quomodo intelligent *Apoc.* 1. *Qui eſt, qui erat, &c.* Et illud *Ioan.* 15. *Spiritus Veritatis qui eſt, à Patre procedit.* Et niſi totam eſſe dicant vitalem vitam: quomodo verum eſt *Ioan.* 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos: ita & Filius quos vult viuificat.* Et cap. 6. *Spiritus eſt qui viuificat.* Quod dominatum quoque omnium habeat tota Diuinitas: de Patre & Filio ſæpè legitur, *Dominus*; ſed & 2. *Cor.* 3. *Dominus Spiritus eſt, &c.* Vt perſtringam breuiter, ipſum Verbum Diuinum ait, *Ioan.* 10. *Ego, & Pater vnum ſumus.* Cap. 14. *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* C. 17. *Pater omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt.* Et rurſus, quæque Patris & ipſius ſunt, Diuino quoque ſpiritui ſocialiter & coniunctè applicat: vt, Diuinas operationes, venerationem principalem, & indeficientem cauſam, ad diſtributionem cœleſtium munerum, &c. Quod ſi quis dixerit confuſionem nos contra ſacratiſſimarum perſonarum diſtinctionem hac ratione introducere: ſacra Script. alia coniunctè tradit, alia diſcretè; neque coniuncta dirimere, neque diſcreta confundere fas eſt. Atqui coniuncta quidem, totius Deitatis ſunt, &c. Porrò diſcreta ſunt, Patris ſuperſubſtantiale nomen, & Perſona, Filijque, ac S. Spiritus: cùm nulla in his conuerſio, aut communitas inducatur, &c. Coniunctum quidem eſt vnicæ Trinitati, atque commune, Subſtantia ſubſtantiam ſuperans, Deitas Deitate ſuperior, Bonitas eminentiſſimè

nentiſſimè cuncta tranſiliens, &c. Perſonarum in ſe inuicem (ſi ſic dicere expedit) manſio & ſedes, integrè, & ſuperexcellenti modo coniuncta, & nulla ex parte confuſa. Vt cereorum lumina, in domo vna cùm ſint: & tota in totis mutuò ſunt, & integra tamen atque perfecta, & à ſeinuicem ſeparantur, diſcretione coniuncta, & coniunctione diſcreta. Cernimus in domo pluribus thedis illuſtri, ad vnum quoddam lumen coniungi omnia lumina, fulgoremque vnum indiſcretum indiuiduumque præferre. Neque reor poſſet quiſpiam huius facis lumen ab alijs diſtinguere, &c. Verùm ſi quis facem vnam ſubducat, omnis quoque ipſius lux vnà exibit, nihilque ſecum ex reliquis luminibus ſubtrahet, vel ex ſuo cæteris linquet, &c. Superſubſtantialem itaque coniunctionem illam longè eminere dicimus, &c. Eſt autem & diſcretio in ſupremis Diuinis eloquijs: non ſolùm quòd ſecundùm ipſam vnionem quælibet principantiũ Perſonarum, impermixta atque inconfuſa firmitate nitatur, ſed quia ineffabilis quoque Diuinæ fœcunditatis ratione ad inuicẽ nequaquam conuertuntur; ſoluſque Fons ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater, cùm non ſit Filius Pater, neque Pater Filius ſit. Seruant autem Diuinæ laudes honeſtiſſimè proprietates ſuas cuique Perſonarum Diuinarum. Iſtud commune eſt toti bonitati: quòd ipſa omnis ac tota ab vnoquoque participante ſumitur, & à nemine vlla ex parte percipitur. Non ſecus ac centrum ab omnibus circumpoſitis rectis lineis: & velut ſigilli formationes primitiui ſigilli participes ſunt; & in ſingulis totum atque idẽ eſt, & in nulla ex vlla parte eſt, &c. *Infra.* Quod primordialis & fontana ſit Deitas Pater: Filius verò & Spiritus S. fœcundæ Deitatis (ſi fas eſt dicere) germina plantata diuinitùs, & veluti flores ac ſuperſubſtantialia lumina, à Scripturis ſanctis accipimus. Quonam verò modo iſta ſint, neque eloqui, neque intelligere poſſumus. Sed omnis Patris ac Filij notio, ex tranſcendente omnia Patris & Filij principatu nobis eſt indulta, &c. Ipſo quidem diuino Spiritu eminente, Patreque & Filio, ab omni & patre & filio, diuino Patris & Filij munere excellenter exceptis. *Cap.* 13. Vnitatis ac Trinitatis appellatione celebratur quæ eſt ſuper omnia Deitas. Neque vnitas, neque Trinitas, aut à nobis, aut alio quodam cognita eſt. Verùm vt ineffabilem ipſius vnionem, & diuinam fœcunditatem celebremus: Trinitatis atque Vnitatis ſacratiſſima appellatione omne nomen excedentem appellamus, ſubſiſtentibuſque ſuperſubſtantiam nominamus. Porrò nulla Mônas, aut Trinitas, neque numerus, neque vnum, neque fœcunditas, neque aliud quicquam conditum, aut creaturæ cognitum, arcanum illud ſummæ Deitatis aperit.

Ex S. *Iuſtino, De recta fidei confeſſione, ſeu de ſancta & coëſſentiali Dei Trinitate.* Vnus igitur eſt verus vniuerſorum Deus: qui in Patre, Filio, ſanctoque Spiritu agnoſcitur. Quoniam è propria Eſſentia Pater Filium genuit; & ex eadem producit Spiritum: vt cùm ſint vnius eiuſdemque Eſſentiæ, meritò vnius eiuſdemque Deitatis cenſeantur. Dicet quis, quomodo igitur non differunt, &c. *Reſp.* Ingenitum, Genitum, Procedentem, nomina hæc, non ad Eſſentiam attinere, ſed ad modos ſubſiſtentiæ: vt Pater à Filio, & Spiritu S. iuxta modum ſubſiſtentiæ differat, ſalua identitate eſſentiæ. Nam Pater ingenitè habet Eſſentiam, Filius genitiuè, Spiritus S. proceſſiuè. *Infra.* Vt enim *Adam*, quamuis non eodem quo ipſius poſteri modo genitus, tamen communem cum eis habet eſſentiam: ſic nulla eſt ratio cur propter ingeniti nomen, diuellatur eſſentia communis Patri, Filio, Spirituique. *Infra. Dauid, Pſal.* 49. enumeratis quæ cœlo & terra continentur: non adhibet ad hunc laudantium chorum, Filium, & Spiritum, nimirum cum Natura Diuina coniunctos. Nam ſi ſciſſet horum creatam eſſentiam: non præteriſſet ſolos ſilentio, imò ante omnia mentionem eorum pro dignitate feciſſet. Sic & *B. Paulus, Rom.* 8. *Nec Angeli, nec Poteſtates, nec vlla creatura alia, &c.* Si ſciuiſſet creatam eſſentiam Filij, Spirituſque: non & horum cum cæteris mentionem feciſſet? *Matt.* 28. *Docete omnes gentes, baptizando eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* 2. Cor. 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & dilectio Dei, & ſocietas Spiritus S.* Epheſ. 2. Dicimus Chriſtum Deum, & Spiritum, vnum numen inhabitare, ac vim ſuam exercere in nobis. *Epheſ.* 3. *Flecto genua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti: ex quo omnis paternitas, &c. vt corroboremini per Spiritum ſuum, &c.* 2. *Cor.* 1. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, deditq́, arrham Spiritus in cordibus noſtris.* Gal. 4. *Miſit Deus Spiritum Filij in corda veſtra, clamantem Abba* Pater. Pſal. 23. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, &c.* Prolixè declarauimus diuerſum eſſe à creatura Filium, & Spiritum, qui rebus creatis non cõnumerentur, ſed vbiq; cum Patre cõiungantur. An non extremæ dementiæ fuerit cenſere hos inter creatam eſſentiam? *Infra.* Decet igitur vt vnum Deum confiteamur, in Patre, Filio, & Spiritu S. Vnitas enim in Trinitate intelligitur, & Trinitas in Vnitate noſcitur. Id quomodo fiat, nec alios ſcrutari velim, nec ipſe poſſum mihi ſatisfacere, &c. Nullo modo, cùm ſimus homines, poſſumus penetrare ad illam primam & beatam Eſſentiam, imò nec ad eius myſteria. 1. *Cor.* 13. *Ex parte cognoſcimus, &c.* Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt notitia tui.* Sic enim & loqui, & ſapere pium eſt. Nam decet Numini cedere. Res igitur Diuinas quatenus tutùm eſt ſcrutemur: pietatem verò colamus. Quamuis enim Natura Diuina ſit incomprehenſibilis: non debemus tamen in totum ab ea quærenda deſiſtere, & per ignauiam vitam conſumere; ſed pro ſua quiſque portione acceptæ à Domino ſcientiæ, aliquantum proficere accedendo ad illum propiùs. Sic igitur intelligimus Filium à Patre prognatum: ſicut lumen è lumine promicans, &c. Eandem ſcientiam tenemus & de ſancto Spiritu: niſi quòd differunt modo ſubſiſtentiæ. Alter enim lumen è lumine profulxit genitiuè: alter & ipſe lumen de lumine, non tamen genitiuè, ſed proceſſiuè prouenit, &c. Hanc de Beata Diuinaque Trinitate ſententiam profeſſi: accedamus ad differendum

de gratia Verbi Dei, diſpenſationeque. *Infra.* Intelligimus illud verbum lumen eſſe primigenium: corpus verò ſolare, corpus humanum, cui modis arcanis verbum illud vnitum eſt. Caue autem ne putes ſolem aliud lumen quàm id quod primum factum eſt: nec enim ſol factus eſt, vt defectum eius ſuppleret, &c. Vnum eſt igitur lumen illud: ſol autem corpus ei paratus eſt, in quo collectum lumen hoc diffundat ſe inde per omnia, &c. Niſi enim adſtrictum eſſet corpore, ſed totum in toto aëre: neque dies dimetitetur, neque motu ordinario Authorem ſuum nobis oſtenderet, &c. Nam antea totum lumen diffuſum, contrahendo ſe, nocti decedebat. Cùm ita ſe habeat lumen ad ſolare corpus, ſicuti nemo hæc poteſt diuellere, nec alterum ſolem vocat, alterum lumen: ſic de vera illa luce, & ſanctiſſimo corpore, poſt vnitionem. Rurſus, vt vnum lumen; & vnus eſt ſol; naturæ verò duæ: ſic, &c. *Infra.* Quoties te ſubibit dubitatio: oppone quæſtionibus paratam ſolutionem, fidem videlicet, &c.

Ex S. Irenæo Epiſcopo Lugdunenſi libris 5. Contra antiquiſſimas hæreſes *Valentini, Simonis Magi, Cerinthi, Ebionitarum, Nicolaitarum, Gnoſticorum, Ophitarum, Cainorum, &c. Lib.* 1. Refert ſingulorum impia & inſana dogmata: ſed *cap.* 1. ipſius *Valentini*, de quodam *Æone* ſeu ſæculo, vt *Proarcha, & Propatore*, ſeu priore principio & patre, eiuſque velut ſemine, & Ennoa ſeu tacita cogitatione velut coniuge; primaque inde generatione mentis, & veritatis; deinde verbi & vitæ; denique plurimorum Æonum, ſeu ſæculorum. Ex prima quadam prolatione .i. præmiſſione illius primi ſeminis, ſeu materiæ: quam *Prolationem* antiqui Patres ſæpè reprobant, vt notoriam, & repugnantem veræ, totali, & indiuiſibili eſſentiæ Patris, & Filij, & Spiritusſancti.

Cap. 2. Opponit illis omnibus fidem Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ: *Quæ eſt in vnum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt; & in vnum Ieſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute; & in Spiritum S. qui per Prophetas prædicauit, &c.*

Lib 3. *cap.* 6. De eadem vera diuinitate Patris & Filij, ex ſacris Script. ſupra citatis *Lib* 4. *cap.* 37. De tribus Perſonis Diuinis ex *Gen.* 1. *Adeſt*, inquit, *Deo Patri verbum & ſapientia Filius, & Spiritus: per quos & in quibus omnia liberè & ſponte fecit, ad quos & loquitur dicens*, Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Sed infra videtur confundere ſapientiam, cum ſpiritu. *Quoniam verbum*.i. *Filius, ſemper cum Patre erat, per multa demonſtrauimus. Quoniam & ſapientia quæ eſt Spiritus, erat apud Deum ante omnem conſtitutionem: per Salomonem ait*, Prou. 8. *Deus ſapientiâ fundauit terram, &c. Creauit me principium viarum ſuarum, &c. Ante omnes colles genuit me, &c. Ego eram cui adgaudebat, quotidie delectabar ante faciem eius, &c.* Poſſet tamen intelligi de Sapientia Dei quæ eſt Spiritus quoad eſſentiam, non quoad perſonam: vel de Perſona Spiritus ſancti per appropriationem voluntatis Dei qua omnia facta ſunt; vel denique de ſapientia non vt intellectuali, ſed affectiua, & complacentiæ, cui videtur proprium, vel appropriatū illud *adgaudere & delectari.* Vnde & ſubdit. *Deus ſecundum dilectionem cognoſcitur ſemper, per eum per quem conſtituit omnia*.i. *cognoſcitur etiam affectiuè.*

Ex Tertul. Libro dubio de Trin. Poſt multa, de Omnipotentia, Vnitate, Infinitate, Incomprehenſibilitate, Spiritualitate, Simplicitate Dei: de varijs propheſijs Chriſti venturi; de eius humanitate, diuinitate, perſonalitate filij Dei; deque fide in Spiritum S. ex pleriſque Script. ſuprà citatis. [Eſt ergo Deus Pater omnium inſtitutor & creator, ſolus originem neſciens, &c. Ex quo quando ipſe voluit, Sermo Filius natus eſt, &c. Hic cùm ſit genitus à Patre, ſemper eſt in Patre. Semper autem ſic dico: vt non *innatum*.i. ingenitum, ſed *natū* probemus. Sed qui ante omne tempus eſt, ſemper in Patre fuiſſe dicendus eſt, ne Pater non ſit Pater. Quin & Pater illum etiam quadam ratione præcedit, &c. Quoniam aliquo pacto antecedat neceſſe eſt eum qui habet originem, ille qui originem neſcit. Hic ergo quando Pater voluit, proceſſit ex Patre, &c. ſubſtantia ſcilicet illa diuina, cuius nomen eſt Verbum, per quod facta ſunt omnia, &c. Deus vtique procedens ex Deo, ſecundam Perſonam efficiens: ſed non eripiens illud Patri, quod vnus eſt Deus. Si enim *Natus* fuiſſet *Innatus*: duos faceret *Innatos*; & ideo duos faceret Deos, ſi non genitus eſſet, conlatus cum eo qui genitus non eſſet, &c. Aut ſi ipſe Filius non eſſet, ſed Pater generans de ſe alterum Filium: æquè conlatus cum Patre, duos Patres feciſſet, & duos Deos, &c. Filius nihil ex arbitrio ſuo gerit: ſed imperijs paternis omnibus & præceptis obedit; vt quamuis probet illum natiuitas filium, tamen morigera obedientia aſſerit illum paternæ voluntatis miniſtrū. Ita dum ſe Patri in omnibus obtemperantem reddit: quamuis ſit & Deus; vnum tamen Deum Patrem de obedientia ſua oſtendit, ex quo & originem trahit, &c. Eſt ergo Deus: ſed in hoc ipſum genitus, vt eſſet Deus. Eſt & Dominus: ſed in hoc ipſum natus, &c. Vt meritò Deus Pater omnium Deus ſit, & principium filij ſui, quem Dominū genuit: filius autem cæterorum omnium Deus ſit; quoniam omnibus illum præpoſuit Deus Pater, quem genuit. Ita Mediator Dei & hominum, omnis creaturæ ſubiectam ſibi habens à Patre proprio poteſtatem, qua Deus eſt: cum tota creatura ſubdita ſibi, concors Patri ſuo Deo inuentus, vnum & ſolum, & verum Deum Patrem ſuum manentem in ſe, quod audiuit ab illo breuiter approbauit.] Vbi *innatus*.i. ingenitus, vt eſt notio propria ſolius Patris. Sed quæ de imperio, & præceptis Dei Patris in filium, deque huius obedientia, miniſterio, &c. vel ſecundùm ſolā naturam humanam; vel cauendus eſt aliquis error, quaſi filius eſſet minor aut minùs Deus quàm Pater, hic abſolutè, ille ſolùm reſpectiuè ad ſolas creaturas. Qui fuit vnus Arianiſmus.

Ex Origene Lib. 1. *Periarchon.* Sub proemio: quæ tunc fuerint expreſſè credenda, vel adhuc exprimenda. *Cap.* 1. *De Deo.* Negat eſſe corporeum: probatque eſſe incorporeū. 1. Ex S. Script. 1. *Ioan.* 1. Deus lux eſt: non corporea, ſed intellectualis. Sic & *Exod.* 3. Deus eſt ignis cōſumens: non materiam

corpora

corporalem, ſed malitiam ſpiritualem. Sic & *Ioan.* 4. Deus ſpiritus eſt: non vt corpus tenue vel ſubtile; ſed vt incorporeus, inuiſibilis, & inextenſus. Quia Spiritus S. participatur ſine vlla diuiſione: & *Ioan.* 4. idem Spiritus vocatur Veritas, opponiturque locis & vmbris. 2. Quia Deus eſt mens: quæ non indiget corpore, nec loco; eſtque abſolutè inuiſibilis, ſeu inſenſibilis, ſed ſolùm intelligibilis.

Cap. 2. De Chriſto. Quòd non ſecundùm naturam humanam, ſed diuinam ſit Filius vnigenitus Dei Patris, & Sapientia ſubſiſtens, primogenita ab æterno ante omnem creaturam. Ex *Prou.* 8 Vt & Verbum Dei, Vita, & Veritas. *Ioan.* 1. & 14. Imago Dei inuiſibilis, & Primogenitus omnis creaturæ, *Coloſſ.* 1. Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Dei, *Heb.* 1. Splendor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis Dei, *Sap.* 7. Quas metaphoras figuræ, imaginis, ſpeculi, ſplendoris, optimè explicat & applicat huic veritati. Vt, quòd *Sap.* 7. Filius Dei vocetur Speculum. Quia vt imago aliqua in ſpeculo habet omnes motus & actus obiecti: ſic & Chriſtus de ſeipſo, *Ioan.* 5. Omnia quæ facit Pater, hæc & Filius facit ſimiliter. Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi viderit Patrem facientem. Sed difficile eſt, ante medium. 1. *Filius natus eſt ex Deo Patre, velut quædam voluntas eius, ex Mente procedens.* Ideo arbitror quòd ſufficere debeat volũtas Patris ad ſubſiſtendũ quod vult, &c. Ita ergo & Filij ſubſiſtentia generatur ab eo. Quod neceſſe eſt ſuſcipi ab his qui nihil ingenitum .i. innatum præter ſolum Deum Patrem fatentur, &c.] 2. *Infra.* Vt Pater non poteſt eſſe quis, ſi Filius non ſit, neque Dominus ſine poſſeſſione: ita ne Omnipotens quidem Deus dici poteſt, ſi non ſit in quos exerceat poteſtatem, &c.] Prius tamen poteſt & debet intelligi, non propriè, ſed ſimiliter. Nam ſubdit. *Sicut voluntas procedit è mente, & neque partem aliquam mentis ſecat, neque ab ea ſeparatur aut diuiditur: tali quadam ſpecie putandus eſt Pater Filium genuiſſe, &c.* Hoc autem, de quadam prioritate Filij in Deo, quàm Omnipotentis ad extra. Inquirit enim cur *Sap.* 7. Sapientia vocetur *Vapor virtutis eius, & Aporræa Omnipotentis gloriæ*: Vbi nunc legimus: *emanatio claritatis Omnipotentis Dei. Intelligenda eſt*, inquit, *virtus Dei, qua omnia inſtituit, continet, gubernat. Huius vapor, & vt ita dixerim vigor ipſe in propria ſubſiſtentia effectus: quamuis ex ipſa virtute, velut voluntas ex mente procedat; & ipſa voluntas Dei, efficitur altera virtus Dei, in ſua proprietate ſubſiſtens.* Vt *Rom.* 1. 1. *Cor.* 1. *Chriſtus Dei virtus*: non ſolùm vapor virtutis Dei, ſed virtus ex virtute. Videamus etiam quomodo *Aporræa eſt puriſſima gloriæ Omnipotentis, &c.* Vbi videtur exigere creaturas actuales ad Omnipotentiam Dei: ſed ſubdit. *Ne videatur alicui interior eſſe in Deo Omnipotentis appellatio, Natiuitate ſapientiæ, per quam* Pater *vocatur, &c. Audiat qui vult ſuſpicari*, Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Et Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, &c. Intelligat ex hoc, quia non poteſt antiquius eſſe in Deo Omnipotentis appellatio, quàm Patris: per Filium enim Omnipotens eſt* Pater, *&c.* Non quaſi per ipſam Omnipotentiam Patris: ſed per Omnipotentem cum Patre. Subdit enim. *Vnam & eandem Omnipotentiam Patris ac Filij eſſe cognoſcas: ſicut vnus atque idem eſt cum Patre Deus & Dominus.* Audi *Apoc.* 1. *Deus qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt Omnipotens.*

Cap. 3. De Spiritu S. Omnes qui prouidentiam eſſe ſentiunt, Deum eſſe ingenitum confitentur: huic tamen eſſe Filium à nonnullis etiam Philoſophis habita videtur opinio, &c. Nos verò ſecundùm fidem, nullius alterius poſſibilitate credimus poſſe exponere. De ſubſiſtentia verò Spiritus S. ne ſuſpicionem vllam quidem habere quis potuit, præter eos qui in lege & Prophetis verſati ſunt, vel ſe Chriſto credere profitentur, &c. *Infra.* Quis non obſtupeſcat quanta ſit Maieſtas Spiritus ſancti: cùm audiat eum qui in Spiritu S. blaſphemauerit, veniam non habere? Nullum ſermonem in Script. ſanctis inuenire potuimus, per quem Spiritus S. factura eſſe, vel creatura diceretur: ne eo quidem modo quo de Sapientia, Vita, Verbo, &c. Spiritus igitur Dei ſuper aquas, *Gen.* 1. puto quòd non ſit alius, quam Spiritus S. &c. Quidam in nouo Teſt. obſeruant, quòd Spiritus ſine adiectione, de ſancto Spiritu debet intelligi, &c. Nos verò etiam in veteri Teſt. putamus. Dicebat & Hebræus Magiſter, quòd *Eſa.* 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, de Filio Dei & Spiritu S. eſſent intelligenda, &c. Vt *Matt.* 11. *Nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit reuelare*: ſic & 1. Cor. 2. *Spiritus ſcrutatur etiam alta Dei.* Ioan. 16. *Docebit vos omnem veritatem, &c.* Neque enim Filio reuelante cognoſcit, &c. Non enim per profectum venit vt eſſet Spiritusſanctus, &c. Quòd ſi eſſet, nunquam in vnitate Trinitatis haberetur, &c.

S. *Cypr.* non exponit, ſed ſupponit myſterium SS. Trin. Nam expoſitio in Symbolum Apoſt. quæ inter eius opera recenſetur, non poteſt eſſe ipſius: cùm eius Author in Præf. profiteatur Symbolum Eccleſiæ Aquilegienſis, in qua baptizatus erat. Vnde non poteſt eſſe *Cypriani* Africani: ſed potiùs *Ruffini* Aquileienſis.

Ex *S. Athanaſio Diſp.* coram *Probo* Iudice contra *Arium*, vel aliquem Arrianũ pro *Arrio*, iuſſu *Conſtantij* fautoris Arianiſmi. *Probus.* Cùm plures Chriſtiani nominis titulo cenſeantur, &c. Scire deſidero quæ ſit recti dogmatis fides, cui inhærere queam. *Athan.* Mirari non debes plurima penes nos nouitatum dogmata: cùm apud vos tot ſententiarum nouitates emerſerint, quot pene nomina Authorum. Nam cum tres ſint in mundo religiones, Iudæorum, Paganorum, & Chriſtianorum: vnaquæque in varias ſectas diuiſa eſt, dum quiſque nouitate pro vetuſtate vtitur, &c. *Arr.* Optimè *Athanaſius* errorem in nouitatibus conſiſtere profitetur, ex 1. *Tim.* 6. *Prophanas vocum nouitates euita. Prob.* Antiquæ fidei regulam pandite. *Arr.* & *Ath.* ſimul. *Credimus in Deum Patrem Omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius Dominum noſtrum, & in Spiritum S. Prob.* Attonitus hæreo, tres à vobis Deos prædicari, &c. *Arr.* Non tres Deos: ſed Patrem, Filium, & Spiritum S. *Prob.* Exponite. *Arr.* Confiteor ingenitum

nitum Patrem ante omnia tempora Filium æternaliter genuiſſe: per quem, & in quo viſibiles creaturas, & inuiſibiles fecit, &c. Non poteſt tamen ſuo Genitori coæquari, &c. Nec ideo duo Dij, nec ideo Filius non Deus, &c. Sed ſicut ei non adimitur ne bonus ſit, cùm ſolus Pater ſit bonus: ſic ei non aufertur vt Deus ſit, cùm ſolus Pater ſit Deus, &c. *Athan.* Bene Patrem Filium ante omnia opera genuiſſe, *Arrius* definiuit: ſed vtrum ex ipſa Patris eſſentia, vel natura, vel aliunde reticuit. Ego Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnius eſſe ſubſtantiæ, vniuſque naturæ confiteor. *Prob.* *Arrius* ſuam fidem veridicis teſtimonijs aſtruere non grauetur. *Arr.* Reſpondeat *Athan.* An ſimplicis naturæ ſit Deus. *Ath.* Quis hoc impius negauerit? *Arr.* Vtrum omnia quæ de Deo dicuntur, ſecundùm eſſentiam accipienda ſint. *Athan.* Non temerè, &c. propter nonnullos relatiuos caſus, &c. qui non propriè de Deo, ſed Perſonis, vel quibuſuis rebus coaptantur. Cùm Deus ſe neſcire, pœnitere, & nunc iratum, nunc placatum oſtendit. *Probus.* Latiùs hæc abs te audire deſidero, &c. Nunc interim *Arrius* proſequatur. *Arr.* Si quæ proſecutus ſum aduertas: illic omnem fidei noſtræ credulitatem inuenies. *Ath.* Subſiſtere ante ſæcula Filium veraciter *Arrius* profitetur: quòd autem de Patre natus ſit, ſono vocis, non veritatis profeſſione, confidit. *Prob.* Clariſſimum fidei veſtræ indiciũ date, &c. *Ath.* Patrem, & Filium, & Spiritum S. Deitate, Poteſtate, Magnitudine, Naturâ, vnum eſſe profiteor, &c. *Arr.* Sicut tres Perſonas, ita tres earum ſubſtantias confiteor, &c. Nec poteſt ingenitæ ſubſtantiæ, aut genita Filij, aut creata Spiritus. S. conferri. Vnde nec in poteſtate æquales, nec magnitudine ſimiles, nec naturâ conſortes à nobis creduntur. *Prob.* Si hoc totum eſt in quo diſſentire videmini: ratio poſcit vt non ſubtilitate dialecticæ, ſed puris Diuinæ Scripturæ documentis veſtra fulciatis. *Arr.* Nicæni Conc. decreta lectione pandantur: & agnoſces, *Athanaſium* vel eius Authores, Apoſtolicam fidem nouorũ adiectione verborum corrupiſſe, &c. *Author.* Et lectum eſt ita. *Credimus in vnum Deum, &c.* vt ſupra *col.* 560. *Arr.* Quid erat opus nouum *Homonſion* inſeri, &c. *Ath.* Si demonſtrauero rei antiquæ, & ab Apoſtolis traditæ nouum nomen attribui: te victum fateberis? *Arr.* Hoc non oſtendes. *Prob.* Quæ ratio cauſæ flagitabat, vt res antiqua nomen acciperet nouum? Nunquid enim prius manebat? *Arr.* Optimè. *Ath.* Hanc ab Apoſtolis traditam formam, nouis vtendi nominibus, Eccleſia tenens, contra diuerſos hæreticos: vt ſanæ fidei ratio poſtulabat, diuerſas edidit nominum nouitates.] Exemplificat in ipſo nomine *Chriſtianorum*, qui priùs vocabantur Diſcipuli: In nomine *Innaſcibilis*, & *Ingeniti*, impaſſibilis, &c. contra hæreſim *Sabellij*, ab ipſis *Arrianis*. Nolo mihi dicas, hoc fidei ratio poſcit, ad hoc conſequentia prouocat: quia in me ſimilia de *Homonſij* probatione reſpuis. *Prob.* Si Eccleſiaſticæ conſuetudinis mos eſt, pro coërcendis hæreticorum motibus, &c. quid dicis *Arri*? *Arr.* Iſte neſcio qua ſillogiſticæ artis verſutiâ, obiectionem meam conatur eludere: vtrum *Homouſion* ſit conſcriptum, &c. *Prob.* Vides quemadmodum in te tuam referat quæſtionem, &c. Senſum igitur quære, vnde vocabuli huius natura traxit originem. *Ath.* Diffidentiæ ac timoris periculo nudi ſermonis flagitat documentum: ſed ſuis eſt iterum profeſſionibus conſtringendus. Exigis à me vt *Homouſion* ſcriptum oſtendam: tu autem tres *Vſias* .i. tres ſubſtantias confiteris. Oſtende igitur mihi vbi legiſti tres *Vſias*. *Prob.* Si nec tu ipſe tres *Vſias* demonſtrare valueris: pari mihi neceſſitate aſtrictus eſſe videris, &c. *Arr.* Si tres ſunt, Pater, Filius, & Spiritus S. neceſſariò ſunt tres ſubſtantiæ, &c. *Ath.* Hic nulla proſunt Argumenta. Lege ſpecialiter *Triouſion* poſitum: & noli conijciendo dicere, *Si tres ſunt, &c.* Quia & ego id poſſum veraciùs: *Si vnum ſunt, &c.* Sed hanc viam ingredi noluiſti, &c. *Arr.* Subſiſtitne propriè Pater, an non? *Ath.* Niſi mihi tres *Vſias* legeris, nullum dabo reſponſum, &c. Vis enim argumento probare, &c. *Prob.* Nec tu *Homouſion*, nec ille *Triouſion* propriè & ſpecialiter poſitum valetis oſtendere. Vnde ne puerili concertatione ſuperfluis immoremini, ab hac exactione deſinite: *Homouſion*, aut *Triouſion* de Scripturarum authoritate colligite. *Arr.* Ego compendio vti volebam. *Ath.* Non poteſt fides venire in dubiũ.

Die ſequenti. *Probus.* Peroratum eſt, omiſſis ſuperfluis, ad arcem negotij debere deſcendi: quod debetis tandem aliquando actitare? *Arr.* Doceat Patrem, Filium, & Spiritum S. vnius eſſe Subſtantiæ, poteſtatis, dignitatis, &c. *Ath.* Profiteris Filium de Patre natum, an non? *Arr.* Profiteris ipſe Patrem diuiſionis vitio ſubiacere non poſſe? *Ath.* Profiteor. *Arr.* Ego quoque profiteor Filium ex Patre natum eſſe. *Ath.* Id eſſe arbitraris natum ex Patre, quod de Patre. *Arr.* ſufficit quod ex Patre. *Ath.* Ioan. 6. *Quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt.* Ioan. 16. *Ego de Deo Patre exiui.* *Arr.* Siue ex ipſo, ſiue de ipſo nullum poteſt adferre præiudicium. *Ath.* Deus Pater generans ex ſe. i. de ſeipſo Filium: hoc genuit quod eſt ipſe, an aliud quid? *Arr.* Hoc vtique quod ipſe eſt: quia Deus Deum, &c. *Ath.* Ergo non ex nihilo, nec ex aliqua alia materia, nec aliud quàm quod ipſe eſt. *Arr.* Alius, alium genuit. *Athan.* Sed de ſeipſo: ſicque vnius eiuſdemque ſubſtantiæ, &c. *Prob.* Priùs mihi vim, qualitatemque rerum aſſignate. *Ath.* Nos de illo ſubſtantiæ genere diſputamus, qua vnaquæque natura ob id quod eſt vel ſubſiſtit ſubſtantia nuncupatur, &c. Homo generans Filium ſuæ ſubſtantiæ, hominem generat &c. Diuerſitas autem ſubſtantiæ eſt, ſi homo pecudem gignat. *Prob.* Si quid contra hęc *Arrius* competere nouit, edicere non moretur. *Arr.* Neceſſe eſt ex ſe generando, aut partem ſubſtantiæ perdidiſſe, aut diuiſionis vitium perpeti potuiſſe, &c. *Ath.* Ego aſſeuero, quòd ſicut Deus impaſſibilis, ita & Omnipotens eſt. Credo ergo eum de ſua ſubſtantia potuiſſe Filium generare: nec tamen alicuius paſſionis vitio ſubiectum fuiſſe; quoniam diuiſio, fluxus, &c. corporeis & compoſitis conueniunt rebus. *Arr.* Illuc perfidiæ huius vergit intentio: vt confuſis Patris & Filij

Digitized by Google

Filij perſonis, in ſua proprietatis ſingularitate minimè ſubſiſtere valeant. *Ath.* Suffugium quæris. An corruptionem incorrupto, paſſionem impaſſibili, impotentiam obijcis Omnipotenti? Sed te Diuinæ authoritatis teſtimonia coërcebunt, &c. *Pſal.* 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* *Arr.* Corruptioni obnoxium vis introducere Deum: qui etiam in eo corporalis vteri appellationem non metuis. *Ath.* Vt Deus habet oculos, aures, &c. ex Virgine incorruptibiliter creditur natus: quantò magis ex Patre genitus? Iudica, virorum optime *Probe*, quis magis cum Diuinis conueniat Scripturis. *Prob.* Quicquid agnoſcere potui, vltima examinis noſtri ſententia retinebit. Nunc verò ſi quæ adhuc de Diuinis Script. ſupereſſe putatis, proferre dignemini. *Arr.* Quòd tam breuibus vſus ſum, Chriſtiani pudoris fuit: Sed video actiùs dimicandum, &c. Illa eſſentia nec redundans vnquam in ſeipſa fuit, vt quaſi exuberatione quadam genuerit Filium: cùm eſſentiæ infinitæ & immenſæ nihil poſſit eſſe exuberans, &c. Si autem nec effluit, nec redundat: ſubſtantiam vtique diuiſit in Filium; tantùmq; ſibi detraxit Pater, quantum in Filium contulit, quo aut hodie indiget, aut quaſi ſuperfluo abundauit, &c. Quæ ſi in Deo eſſe non poſſunt: cur non potiùs voluntatis & charitatis eſſe Filium confitemur? &c. Qui ſi non eſt Filius voluntatis: ſupereſt vt coactus Deus, quaſi aliqua lege naturæ Filium edidiſſe videatur, &c. Illud verò, *ex vtero ante Luciferum genui te.* quam ineptum ſit demonſtrabo. *Eſa* 1. *Quis eſt pluuiæ Pater, vel de cuius vtero procedit nix?* Exod. 4. *Primogenitus meus Iſrael.* 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat.* Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, &c.* Si ergo & Filium ex Dei Patris vtero proceſſiſſe fatemur: non ad indicium vnius naturæ, ſed ad ſecretorum arcana. *Ath.* Neque exuberatione ſubſtantiæ redundantem Filium dicimus, neque defectæ naturæ portiunculam: ſed Perfectum Patrem, perfectum Filium ineffabiliter credimus natum. Idcirco fatemur vnius eſſe ſubſtantiæ: quia non aliunde, non ex nihilo; ſed propriè Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, ſapientiam de Sapientia fideliter fatemur. Nam ſi alterius ſubſtantiæ Filius eſſet: non diceret *Ioan.* 5. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſum: ſic dedit & Filio, &c.* Neque aliud eſt viuere Patris, aliud Filij: ſed hoc eſt viuere quod eſt eſſe, &c. Quia ergo ſic eſt eſſe Filij, ſicut eſſe Patris: non eſt dubium Patrem & Filium eſſe vnius eſſentiæ & naturæ. *Ioan.* 10. *Sicut nouit me Pater, & ego noui Patrem.* Notionem uerò in Deo, eſſentiam eſſe diximus, &c. Et quia nonnulla protulit teſtimonia, ita omnia eſſe ex Deo, vt non tamen de eius ſubſtantia: interogo ſicne debemus accipere Filium de Patris vtero proceſſiſſe, vel ex Patre genitum eſſe, ſicut homines ex Deo natos, vel ſicut nix ex eius vtero legitur procedere?

Arr. Aliter Filius, aliter creatura. *Ath.* Si longè aliter: cur alia exempla protuliſti? Apparet te *Photiniani* dogmatis errorem ſacrilegum defenſare, &c. Filium de Patre natum, ſicut homines per adoptionis gratiam, &c. Oſtendam igitur hoc eſſe propriè ex Deo naſci, quod de ipſo generari. *Luc.* 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Gal. 4. *Miſit Deus Filium ſuum, natum ex muliere.* *Arr.* Vt Filius ſe inferiorem Patre oſtenderet, ait *Ioan.* 14. *Pater maior me eſt.* *Ath.* Vt noueris ſecundùm id quod homo erat, ait: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* Eius eſt enim ire & venire, qui locis circumſcribitur, &c. Nam ſi ſecundùm id quod Deus eſt, minorem accipere volueris: etiam Angelis ſecundùm Diuinitatis naturam minor eſſe videtur, *Heb.* 2. & *Pſal.* 8. *Minoraſti eum paulò minus ab Angelis.* *Prob.* Vt tua in omnibus fulciatur aſſertio: conuenit Patrem, & Filium, & Spiritum S. diuinorum teſtimoniorum lectione vnius approbare ſubſtantiæ. *Ath.* Cùm nec homo bouem, nec bos hominem generet, ſed ad ſimilitudinem ſuæ ſubſtantiæ, &c. mirari vtique non debeo, Deum potuiſſe de ſua ſubſtantia Filium generare, cui totum poſſe ſubiectum eſt. Sed aggredior diuinis oraculis approbare, &c. *Heb.* 1. *Cùm ſit imago inuiſibilis Dei, & figuram ſubſtantiæ eius gerens.* Hier. 21. *Quis ſtabit in ſubſtantia mea, & videbit Verbum meum* .i. Filium de Patris ſubſtantia. *Pſal.* 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Item alio loco. *Initium operis Verbum* .i. per verbum. *Pſal.* 32. *Verbo Domini cœli firmati, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* *Arr.* Ioan. 14. *Pater maior me eſt, &c. Mandatum mihi dedit, &c. me miſit, &c. Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me, &c. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, &c. Non eſt meum dare vobis, &c. Dedit illi nomen ſuper omne nomen, &c. Vnxit te Deus, Deus tuus, &c.* *Prob.* Si aduerſum tam copioſa teſtimonia, ab *Arrio* prolata, aliquid *Athanaſio* competere videtur, edicere non moretur, ſuperſtitione ſermonis excluſâ, &c.

Ath. Chriſtus Filius Dei, in forma ſerui, quam aſſumpſit ex Virgine, Patri dicitur eſſe ſubiectus, *Gal.* 4. *Miſit Deus Filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege.* Nam in forma Dei, *Matt.* 4. *Venerunt Angeli & miniſtrabant ei, &c.* Qui Patris voluntatē facit, æqualitatē oſtendit, ex 1. *Theſſ.* 5. *Hæc voluntas Dei in Chriſto Ieſu, &c.* Si quæ loquitur Pater, ea loquitur Filius: nunquam inæqualis Patri, aut diſſimilis inuenitur. *Ioan.* 10. *Quod dedit mihi Pater ſeruaui, & nemo auſert à me, &c.* Dedit Filio Pater Omnipotentiam, Maieſtatem, Diuinitatem, &c. quam & quantam habet, tantam dedit. Sed hæc omnia naſcenti potiùs, quàm indigenti dediſſe probatur. *Ioan.* 17. *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt, &c.* Qui dixit, *Pater maior me eſt*: dixit, *Ego, & Pater vnum ſumus, &c. Ego in Patre, & Pater in me eſt, &c. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, ſic & Filius viuificat, &c. Qui videt me, videt & Patrem, &c. Qui me odit, & Patrem meum odit.* Et vt omnis cauillationis quieſcat intentio: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Si hæc perfidis non ſufficiunt; alia ſi videtur ſuperadijciam.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Si huic tam certæ proſecutioni *Arrius* niſus fuerit obuiare : certum eſt eum non rationem ſequi,&c. *Arr.* Nunquid *Athanaſius* & Spiritum S. qui Patris & Filij Miniſter eſt, eiſdem debet æquali confeſſione conferre? Cum ipſe Filius dicat : *De meo accipiet,&c. Mittam vobis Spiritum Veritatis qui à me procedit: quem Pater mittet in nomine meo, &c. Ath.* Si Iudicis clementia largitur, ex Diuinis authoritatibus etiam Spiritum S. non creaturam eſſe,ſed Deum & Creatorem cum Patre & Filio, breuiter demonſtrabo. *Prob.* Approba breuiter. *Ath. Pſal.* 132. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* In Salomone. *Ipſe creauit ea per Spiritum ſuum.* Pſal. 103. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.* Iob. *Spiritus Diuinus creauit me.* In Iudith. *Miſiſti Spiritum tuum, & ædificauit.* Matt. 2. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt.* Non vt duo credantur Patres : ſed cum Patre & Filio idem Spiritus S. cooperarius eſt. *Matt.* 26. *Ite baptizate omnes gentes. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Pſal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* .i. Spiritus S. *Act.* 5. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo* .i. Spiritui S. 1. *Cor.* 12. *Idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus.* Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus.* 1. Cor. 3. *Dominus autem Spiritus eſt.* 1. Cor. 6. *Neſcitis quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritusſancti,&c. Glorificate ergo, & portate Deum in corpore veſtro.* Luc. 1. *Spiritus S. ſuperueniet in te, &c.* ſupra citata. *Prob.* Si remanſiſſe aliquid *Arrio* videtur : proponere non grauetur, &c. ne de aliena oppreſſione cauſetur. *Ar.* Nulli dubium eſt,quin Magicis artibus *Athanaſius* non deſinat Iudicum peruertere ſenſus, &c. Idcirco quod explicare non valeo, Principis iudicio reſeruabo, &c. *Ath.* Qui ſuis aſſertionibus adeſſe non poſſunt, excuſationem ſibi inuenire non deſinunt, &c. Mihi verò ad omnia reſpondiſſe ſufficiat. *Prob.* Fruſtra *Arrius* videtur de noſtro iudicio, ad Principis appellare præſentiam, &c. Meæ verò ſolertiæ erit, vniuerſa quæ ab vtriſque in noſtra cognitione prolata ſunt, glorioſi ſenſibus Principis intimare : vt falſidicis ambagibus procul amotis, ad victoriæ palmam *Athanaſius* puræ fidei aſſertor, valeat peruenire.

Ex libris 12. S. Hilarij Epiſcopi Pi*ctauienſis : De S. Trinitate, contra Arrianos.*

L*Ib.* 1. Præfatur contra omnes Idolatras, & Hæreticos, præcipuè Arrianos : monens ſuos lectores, de fide præferenda propriæ rationi, & elegantiſſimè ac ordinatiſſimè diſtinguens ſuum opus in libros 12. Vt patet ex his ſpeciminibus. [Incidi in libros *Moyſis*, Deo teſtante de ſe : *Ego ſum qui ſum, &c.* Admiratus ſum planè, tam abſolutam de Deo ſignificationem, &c. De eſſentia, æternitate, immenſitate, incomprehenſibilitate;& infinitate Dei.

Infra. Nouis regenerati ingenij ſenſibus opus eſt : vt vnumquemque conſcientia ſua ſecundùm cœleſtis originis munus illuminet. Standum itaque per fidem ante eſt, vt *S. Ier.* monet, in ſubſtantia Dei : vt de ea auditurus, ſenſum ad ea quæ digna ſunt moderetur. Moderetur autem : non aliquo modo intelligendi, ſed infinitate. Quin etiam conſcius ſibi Diuinæ ſe Naturæ participem effectum fuiſſe : Dei naturam non naturæ ſuæ legibus metiatur; ſed Diuinas profeſſiones expendat. &c. Optimus enim lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs quâm imponat, & retulerit magis quàm attulerit : neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit. Cùm itaque de rebus Dei erit ſermo : concedamus cognitionem ſui Deo, dictiſq; eius pia veneratione famulemur,&c. Si qua verò comparationum exempla adferemus, &c. comparatio ad Deum nulla eſt; ſed infirmitas noſtræ intelligentiæ coegit,&c. Pergimus itaque de Deo locuturi, Dei verbis : ſenſum tamen noſtrum rerum noſtrarum ſpecie imbuentes. Ac primùm ita totius operis modum temperauimus : vt aptiſſimus legentium profectibus, connexorum ſibi libellorum ordo ſuccederet. Nihil enim incompoſitum, indigeſtumque placuit adferre : ne operis inordinata congeries, ruſticum quendam tumultum perturbata vociferatione præberet. Sed quia nullus ad prærupta conſcenſus eſt, niſi ſubſtratis paulatim gradibus : nos quoque arduum hoc intelligentiæ inter cliuo quaſi molliore leniuimus, non iam gradibus inciſum, ſed planitie ſubrepente deuexum, vt propè ſine ſcandentium ſenſu, euntium proficeret aſſenſus.

Poſt hunc enim primi ſermonis libellum, ſequens ita Sacramentum edocet Diuinæ generationis : vt baptizandi in Patre, & Filio, & Spiritu S. non ignorent nominum veritatem, neque vocabulis intelligentiam confundant; ſed vnumquodque ita ſenſu concipiant, vt eſt ac nuncupatur; agnituri quod neque non ipſa veritas ſit nominis, neque non nomen ſit veritatis. *Liber* 3. Etſi ſenſim, tamen iam proficienter incedit, &c. *Liber.* 4. Initium ſui ex Hæreticorum doctrinis auſpicatur : ſeipſum vitijs quibus fides Eccleſiæ infirmatur expugnans, &c. *Liber.* 5. Tenet eum reſponſionis ordinem, quem Hæretici inſtituerant profeſſionis, &c. *Liber* 6. Omnem hæreticæ aſſertionis fraudulentiam pandit,&c. *Liber.* 7. Secundùm perfectæ fidei gradum ſuſceptæ diſputationis ſermonem temperauit,&c. Lis Hæreticorum, noſtra fides,&c. Omneſque ſe inuicem vincendo, vincuntur, &c. *Liber* 8. Totus in vnius Dei demonſtratione detentus eſt, &c. *Liber* 9. Totus in repellendis ijs, quæ ad infirmandam vnigeniti Dei natiuitatem ab impijs vſurpantur, intentus eſt. *Libri* 10. Quia ex paſſionis genere, & profeſſione, quædam per ſtultæ intelligentiæ ſenſum ad contumeliam Diuinæ in Chriſto naturæ rapuerunt: ea ipſa demonſtranda fuerant,&c. *Liber* 11. In his quoque cum ſumma religionis demonſtratione tractadis occupatur,&c. *Liber* 12. Conſequens viſum eſt, creationis nomine, à fide quæ nobis de vnigenito Deo eſt, repudiato : ea quoque quæ in confeſſione S. Spiritus congrua ac religioſa eſſent, docere, &c.

Inuocatio Dei Patris, Filij, & Spiritus S.

Ex Lib. 2. Chriſtus baptizare iuſſit, *Matt.* 28. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti* .i. in confeſſione & Authoris, & Vnigeniti, & Doni-

Nun-

Digitized by Google

Nunquid corrumpi veritas poteſt, cùm Patris nomen auditur? Nunquid natura Filij continetur in nomine? Nunquid Spiritusſanctus non erit, qui nuncupatur? &c. Hæc igitur, licet mutare de eo quod ſunt nullo modo poſſint: adferunt tamen doctrinas nouas, & humana commenta: vt *Sabellius* Patrem extendat in Filium, idque nominibus confitendum putet potiùs quàm rebus; vt *Hebion* omne initium Filij Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, ſed ex homine Deú proferat, &c. Aliqui huiùs temporis ex nihilo atque à tempore formam, & ſapientiam, & virtutem Dei prouehunt: vt ſi ex Patre ſit Filius, Deus ſit imminutus in Filium, &c. Quid mirum ſi de Spiritu ſancto diuerſa ſentiant: qui in largitore & authore tam temerarij ſint? &c. Naturas nominib' adimũt: quia nomina non poſſunt auferre naturis. Prætermitto *Valentinos, Marcionitas, Manichæos*, peſteſq; cæteras, &c. *Matt.* 28. *Baptizate omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Forma fidei certa eſt; ſed hæreticis omnis ſenſus incertus eſt, &c. Pater eſt, ex quo omne quod eſt conſiſtit, &c. Eſſe in ſeſe eſt, non aliunde ſumens: ſed id quod eſt, ex ſe atque in ſe continens. Infinitus: quia non ipſe in aliquo; ſed intra eum omnia, ſemper extra locum, & ante æuum, &c. Neque totum ei deeſt, cui reliquum eſt: neque reliquum eſt, cui omne quod eſt, totum eſt. Reliquum enim, portio eſt, &c. Deus autem, & vbique eſt, & totus vbique eſt, &c. Habet tamen naturæ ſuæ nomen in Patre: ſed Pater tantùm eſt. Ipſe ingenitus, æternus, habens in ſe ſemper vt Pater ſit, &c. In his quidem honoris confeſſio eſt, & ſenſus ſignificatio, & quædam circumſcriptio opinandi: ſed naturæ ſermo ſuccumbit, &c. Credendus eſt, intelligendus, adorandus eſt: & his officijs eloquendus eſt, &c. Eſt Pater vt eſt: & vt eſt, eſſe credendus eſt, &c. Quam autem progeniem opinabimur Vnigeniti ab Ingenito? Non eſt diuiſio: impaſſibilis eſt enim, &c. Non eſt aſſumptio: verus enim Filius Dei eſt, &c. Neque pars Patris in Filio eſt: *Omnia enim mea tua ſunt, & tua mea ſunt, Ioan.* 16. Perfectus autem, à perfecto eſt: quia qui habet omnia, dedit omnia, &c. Quiſquis es qui hæc requiris, ſentis ne te genitum, & quæ ex te generantur? Quæro qualiter ſenſum inſeras, oculos accendas, cor affligas. Habes ergo quod neſcis, & tribuis quæ non intelligis: æquanimiter imperitus in tuis, inſolenter in Dei rebus ignarus. Audi ergo *Ioan.* &c. vt ſupra *col.* 559. 560. Supereſt de inenarrabili generatione filij adhuc aliquid: imò illud aliquid, totum eſt. *Ioan.* 1. *In principio erat Verbum, &c.* Tranſcenduntur ſæcula, &c. *Erat* enim, &c. Meus piſcator Verbum tempore liberauit &c. Dices, verbum ſonus vocis eſt, &c. *In principio erat*: quia ſermo cogitationis æternus eſt, cùm qui cogitat æternus eſt. *Reſp.* Quomodo erat quod neque ante, neque poſt, & neſcio an vel eſſe poſſit in tempore? *Et Verbum erat apud Deum.* Nunquid audieras in Deo? Vt ſermonem reconditæ cogitationis acciperes? Aut fefellerat *Ruſticum*, quid eſſet inter eſſe, ineſſe, & adeſſe? *Et Deus erat Verbum.* Verbum hoc, res eſt, non ſonus: natura, non ſermo; Deus, non inanitas, &c. *Hoc erat in principio apud Deum.* Cùm, *hoc erat, &c.* non tenetur in tempore: cum *Deus eſt*, non refertur ad vocem; cùm eſt *apud Deum*, nihil confunditur, nec confertur, &c. *Omnia per ipſum facta ſunt, &c.* Idcirco & tempus ab eo eſt. *Et ſine ipſo factum eſt nihil.* Alius eſt *per quem*, & alius *ſine quo nihil, &c.* Verùm, ſi aliquid per alterum factum, non tãmen ſine eo: iam non per eum omnia; quia aliud eſt feciſſe, aliud interueniſſe facienti, &c. Cùm ergo omnia *per ipſum*: ſubueni & enarra quid non ſine eo factum ſit. *Quod factum eſt in eo vita erat.* Hoc igitur non ſine eo, quod in eo factum eſt: nam & id quod in eo factum eſt, etiam per eum factum eſt. *Omnia enim per ipſum, & in ipſo creata ſunt*, Coloſſ. 1. *In ipſo*, quia naſcebatur Creator Deus. Sed etiam ex hoc *ſine eo nihil factum eſt, quod in eo factum eſt*: quia naſcens Deus vita erat, non poſtquam eſt natus effectus eſt vita, &c. Sed nihil ſine eo fiebat, ex ijs quæ in eo fiebant: quia vita eſt in quo fiebant, &c. Naſcens enim à viuente viuus, à vero verus, à perfecto perfectus: non ſine poteſtate natiuitatis ſuæ natus eſt; ſed ſe Deum in eo ipſo quod Deus ex Deo naſcebatur intelligens, &c] .i. Exemplariter fiebant, aut decernebantur ab æterno, in Verbo: non ſine ipſo ab æterno naſcente, viuente, cointelligente, conuolente.

Miremũr hanc in Piſcatore doctrinam, &c. & in Domino IESV, exemplo *Ioannis*, vt hæc poſſimus ſentire & colloqui, accubemus. Contrahantur in vnum nomina Hæreticorum, & omnes Scholæ prodeant: audiant vnum ingenitum Patrem, & vnum Vnigenitum Deum Filium, perfecti Patris progeniem perfectam, &c.

Patrem & Filium, ſi audet *Sabellius*, eundem prædicet: vt vnus ſit ambo, non vnum. Audiet ſtatim de Euangelijs: *Hic eſt Filius meus dilectus, Pater maior me eſt, Ego vado ad Patrem, Clarifica me Pater, Tu es Filius Dei viui.* Subrepat *Hebion*, omne initium Filio ex MARIA concedens, &c. Relegat *Ioan.* 17. *Clarifica me Pater ea claritate qua fui priuſquam mundus eſſet.* Ioan. 1. *In principio erat Verbum, &c.* ſupra. In cæteris diſpenſatio voluntatis paternæ eſt. *Virgo, partus, corpus, Crux, inferi, mors, ſalus noſtra eſt, &c.* De myſterijs humanis Chriſti.

De Spiritu autem ſancto, nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt, &c. Quia de Patre & Filio Authoribus confitendus eſt. *Rom.* 8. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, &c.* Eph. 4. *Nolite contriſtare Spiritum S. Dei.* Accepimus Spiritum qui ex Deo eſt, &c. ſupra vt ſæpè ſupra Sed *Ioan.* 4. non tollit ſancti Spiritus & nomen & donum: quia dictum eſt, *Deus Spiritus eſt.* Reſponſum autem eſt mulieri, Deum templo & monte claudenti, omnia eſſe in Deo, Deum in ſemetipſo, & viſibilem in ijs quæ inuiſibilia ſunt adorandum: atque ita libertatem ac ſcientiam adorantium, & adorandi infinitatem oſtendit. Vt 2. *Cor.* 3. *Dominus Spiritus eſt, & vbi Spiritus Domini ibi libertas.*

Quòd autem ſit officium eius in nobis: verbum ipſius Domini audiamus, vt ſupra *col.* 559. *ſub finem.* Niſi animus humanus per fidem donum Spiritus hauſerit: habebit quidem naturam Deũ intelli-

Digitized by Google

intelligendi; ſed lumen ſcientiæ non habebit, munus autem quod in Chriſto eſt omne omnibus patet vnum, &c.

Libro. 3. Variè volvit & revolvit *Ioan.* 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Cap. 17. *Pater clarifica Filium tuum, &c. vt Filius tuus clarificet te.* Vnde infert æqualitatem Filij cum Patre: referṫque omnia Chriſti miracula ad fidem æternæ generationis Filij Dei à Patre. Sed miſcet quædam difficilia. Vt 1. Quòd Deus Pater impertiat per charitatem quicquid eſt, Filio ſuo. 2. Quòd Deus Pater procreauerit Filium. 3. Quòd Deus Pater vt voluit genuerit Filium. 4. Quòd Filius miſſus clarificet Patrem mittentem: quia honor famulantis, in honore mittentis eſt. Ad quæ infra ex ipſomet, vel aliunde.

Lib. 4. Refert & reprobat varios Arrianiſmos, & deprauatos ſenſus *Homouſij* Catholici, ac ſacræ Script. De vno ſolo Deo, ſolo Bono, ſolo Beato, ſolo potente, deque creatione, miſſione, ſubiectione Filij.

[Aiunt Hæretici, non ex Deo eſſe Chriſtum: neque Deum ex natura, ſed ex conſtitutione, &c. Indulgentiore tamen in eo adoptionis affectu, vt præ cæteris ſit adoptatus, &c. Adijciunt, anteriores Epiſcopos, *Homouſion* hoc ſenſu vſurpare: vt ipſe ſit Pater, qui & Filius, & infinitate ſua protenſus in Virginem, ex qua corpus aſſumens Filij nomen addiderit. Hæc eſt eorum prima falſitas de *Homouſio.* 2. *Homouſion* ſignificare priorem aliquam *Ouſiam* materiæ, ab vtroque participatam, &c. Reſpuunt autem quòd ſemper Filius fuerit: ne ſine natiuitate credatur.] Subdit eorum plurima Arg. ex S. Script.

Intelligentia dictorum, ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus, &c. Igitur ſingula ſecundùm propoſitionis ordinem retractentur. *Nouimus*, inquiunt, *vnum ſolum Deum*, Deut. 6. *Reſp.* Moyſes, vel potiùs Deus per Moyſen, populo in deſerto Idolis occupato hoc conſtituit principale mandatum, vt vnum Deum crederet. Eſt enim vnus Deus *ex quo, & per quem omnia*, Rom. 11. 1. *Cor.* 8. *Ioan.* 1. Sed videamus an idem *Moyſes* eum quoque *Per quē omnia* ſunt, Deum eſſe confeſſus ſit, &c. *Gen.* 1. *Dixit Ieſus, fiat firmamentum, & factum eſt, & fecit.* Habes ergo Deum *ex quo*, habes Deum *per quem*: aut certè naturam ipſam creandorum Deo obedientem eſſe demonſtres, quæ ſeipſam Dei Verbo iuſſa firmauerit, &c. Si negare voles à Patre dictum, *fiat*: audi *Pſal.* 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, &c.* Gen. 1. *Dixit Deus faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei fecit eum.* Suſtulit ſingularis intelligentiam, profeſſione conſortij, &c. *Prou.* 8. *Ego, ſapientia, cum eo eram cuncta componens, &c.* Gen. 21. *Angelus Domini loquitur vt Deus, ibidemq́ vocatur Dominus.* Eſa. 9. *Filius Dei vocatur magni conſilij Angelus.* Qui enim eſt Deus ex Deo, ipſe eſt & Angelus Dei, *Gen.* 18. *Abraham* conſpectis tribus vnum adorat, & Dominum confitetur. *Exod.* 3. *Apparuit Angelus Domini in flamma ignis, & ait: Ego ſum Deus, &c.* Vbi iam legimus, *apparuit Dominus.* Deut. 32. *Non eſt Deus præter me, &c.* Eſt ergo vnus, ab vno: neque præter innaſcibilem Deum, Deus innaſcibilis alius eſt; neque præter vnigenitum Deum, vnigenitus Deus quiſquam eſt. *Pſal.* 14. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, &c.* Deus eius eſt; quia ex Deo natus, in Deum eſt. De qua Diff. infra. *Eſa* 43. *Ante me non eſt De⁹ alius, & poſt me non erit.* Æternæ videlicet & indemutabilis virtutis infinitate oſtendens. *Oſee* 1. *Saluos fac illos in Domino Deo ipſorum.* Ergo abſolutè Pater Deum Filium nuncupat, &c. Deo enim ex quo omnia, Deus nullus eſt: Filio autem, Deus Pater eſt. Ex eo enim Deus natus eſt: nobis & Deus Pater eſt, & Filius Deus eſt. *Eſa.* 45. *Sic dicit Dominus Deus Iſrael: In te eſt Deus, & non eſt Deus præter te. Tu enim es Deus, & neſciebamus, Deus Iſrael Saluator.* Vbi nunc legimus: *Verè tu es Deus abſconditus, &c.* Hier. ſeu Baruch. 3. *Hic eſt Deus noſter, & non deputabitur alter ad eum, &c. Poſt hæc ſuper terram viſus eſt, & inter homines conuerſatus eſt.* Soli enim hæc vnigenito Deo propria ſunt, &c.

Lib. 5. Ex ſolo veteri Teſt. Quòd Filius Dei non ſolùm ſit Deus, ſed & verus Deus, & vnus idemque cum Patre. *Gen.* 1. *Dixit Deus fiat, & fecit, &c.* Deus eſt qui dixit, Deus eſt qui fecit. Si in dicto veritas eſt: cur negetur in facto? Niſi fortè hic dicendo verus ſit, non iſte faciendo, &c. Deus eſt, Creator eſt, Deus Filius eſt, poteſt omnia: parum eſt vt quod vult poſſit, quin etiam id quod ſibi dicitur, poteſt, &c. Non eſt itaque Dei Filius, Deus falſus, nec Deus adoptiuus, nec Deus nuncupatiuus, ſed Deus verus, &c. Sufficit in eo Dei nomen atque natura, &c. Exæquatur Deus Deo, nomine: exæquatur veritati veritas, opere. Qua authoritate naturæ veritas negetur: quam & virtus nominis, & nomen virtutis impleuit? *Infra.* Dilatis Euangelicis atque Apoſtolicis præconijs: interim omnis de Lege & Prophetis pugna ſit, &c. Interrogo, inter verum & falſum Deum, quomodo intelligatur *Gen.* 1. *Faciamus hominem, &c.* Qui dicit, *Faciamus*: ſignificat ſecum ad faciendum non diſſentientem, non infirmum, ſed potentem. *Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Vbi eſt hic falſus Deus, cum Deus hoc dicit? Communio, falſo, veroque non competit, &c. *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* Quæro ad cuius Dei imaginem? Audis *Deum*, & *Deum*, audis *imaginem noſtram*: quid tu ſubijcis verum, & non verum? Quid inſeris naturalem, atque falſum? Quid per vnum Deum, & vnum verum Deum tentas, ne verus Deus vnus ſit? Nunquid lex ait, Deum verum, & non Deum verum? Deum verum, & Deum verum per veritatem imaginis prædicauit, &c. Sed fortè idcirco non eſt Deus verus: quia Angelus Dei eſt. *Gen.* 18. 19. In Angelo, officij potiùs, quàm naturæ intelligentia eſt, ex *Pſal.* 103. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, &c.* Miſſi autem & mittentis ſignificatio, hic non aliud quàm Patrem & Filium docet, &c. Non ſit planè Deus verus: ſi non res Dei & locutus fuerit, & geſſerit, &c. Quid ſignificationis habet Deus, & non Deus verus? Poteſt natura perire, ſi non ſit: non po-

teſt

Digitized by Google

teſt non vera eſſe, ſi maneat, &c. Sed fortè, cùm Angelus Dei Deus dicitur, adoptionis nomen indulgeatur, & ſit in ea nuncupatio Dei potiùs, quàm veritas, &c. O peſtifer Hæretice: Deum *Abraham* confeſſus eſt, quem tu Deum denegas, &c. Adorauit etenim ille Deum: cui ait, *Non impoſſibile eſt omne verbum.* [Nos legimus, *Gen.* 18. *Nunquid Deo quicquam eſt difficile?*] Cui poſſibile eſt omne verbum, quæro quid deſit de Deo verò? Quis eſt hic Deus *Sodomæ & Gomorræ* euerſor? *Pluit enim Dominus à Domino*, *Gen.* 19. Nunquid non verus, à vero? Quid, præter ſignificationem perſonæ, coaptabis? *Infra.* Adeſto Patriarcha *Iacob, Gen.* 32. Cum homine luctaris: ſed *Deum facie ad faciem vides.* Quomodo Deus Filius poteſt à ſe degenerare, ne verus ſit? *Exod.* 3. Angelus Dei eſt qui in igne de rubo apparuit, & de rubo in igne Deus loquitur, &c. Nunquid non eſt verus Deus *Abrahæ*, Deus *Iſaac*, & Deus *Iacob*? Horum enim Angelus de rubo loquens, Deus in æternum eſt. *Ego ſum qui ſum, &c. Infra.* Neſcit hæretica peruerſitas vnum Deum verum noſſe, & confiteri, &c. Priùs confitendus eſt Pater, & Filius: vt vnus verus Deus poſſit intelligi, &c. Reliquus ſermo ad id proficiet: vt qui verus Deus eſſe intelligitur, non in Deum alterum reputetur, &c. *Deut.* 32. *Ego ſum Deus, & non eſt Deus præter me, &c.* Verum, & abſolutum, & perfectum fidei noſtræ Sacramentum eſt: Deum ex Deo, & Deum in Deo confiteri, &c. Nam per id quod ipſe Deus, & in eo Deus eſt: non eſt Deus præter Deum, habens in ſe quod ipſe eſt, & ex quo ipſe ſubſiſtit.

Lib. 6. Orditur ab errore tunc communi, eoq; periculoſiori, & incorrigibiliori. Deinde reſumit, ac diſtinctè reprobat totam profeſſionem Arrianiſmi. Denique probat ex nouo Teſt. Chriſtum eſſe verè Filium Dei vnigenitum. *Matt.* 3. 17. Pater de cœlo loquitur: *Hic eſt Filius meus.* Quid ſibi vult, non cognominum, ſed pronominum fides? Proprietatis ſignificatio eſt, *hic eſt*, & *meus, &c.* An non tibi ſignificare videtur: alios quidem cognominatos ab eo in Filios: ſed hic Filius meus eſt? Hunc ego tanquam indice digito contingo: & *meus eſt*, & *hic eſt*, & *Filius eſt. Infra.* Additur: *hunc audite, &c.* Audiamus Filium de ſe profitentem. *Infra.* Quanquam igitur ſola ſimplex confeſſio naturę nomine oſtēdat, &c. Ne tamen aut adoptionis nomen in Filio ſit, videamus quæ proprietates per Filium ad Filij nomen adiectæ ſint. *Matt.* 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre: & nemo nouit Filium niſi Pater, neq; Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Nihil intelligitur exceptum, &c. Non fallit in vocabulis Deus: nec ſe aut Pater mentitur, aut Filius, &c. Non nominis tantùm teſtimonio: ſed etiam virtutis, docet ſe eſſe Filium, *Ioan.* 10. Quid infertur hodie calumnia, vt adoptio nominis ſit, vt mendax Deus ſit, vt nomina inania ſint, &c. *Ioan.* 8. *Neque me ſcitis, neque vnde ſim ſcitis, &c. Sed ego noui Patrem: quoniam ab eo ſum, & ipſe me miſit.* Si opus in eo creationis eſt: vniuerſa quæ creantur à Deo ſunt. Et quomodo Patrem non vniuerſa nouerunt: cùm Filius eum quia ab eo eſt, non neſciat? Habes igitur proprietatem cognitionis, de proprietate generationis. *Neq; vnde ſim ſcitis*: naturam ex qua eſt oſtendit. Ignorari enim vnde ſit non poteſt, quicquid ſubſiſtit ex nihilo. *Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis vtique me: ego enim ex Deo exiui, & veni, &c.* Cauſam dilectionis, ex cauſa docuit eſſe naſcendi, &c. *Qui me odit, & Patrem meum odit. Meum* cum ait: communionem nominis per ſignificationē proprietatis excludit, &c. Ex Deo igitur Filius eſt: non aduentu, ſed natiuitate; & dilectio in Patrem erit, ſi Filius ex eo eſſe credatur. *Ioan.* 16. Ipſe *Pater amat vos: quia vos me amatis, & creditis quia à Deo exiui, & à Patre veni, &c.* A Patre veniſſe, & ex Deo exiſſe, non eſt ſignificationis eiuſdem. *Dicunt ei Diſcipuli: Nunc ſcimus, in hoc credimus quia à Deo exiſti. Infra.* Per id enim credunt quòd à Deo exijt: per quod ea quæ Dei ſunt poteſt, atque agit. Non enim naturam Dei à Patre veniſſe, ſed à Deo exiſſe, conſummat, &c. Cùm Dominus dixiſſet: *Ego à Deo exiui, & à Patre veni, &c.* Sciebant à Deo miſſum: exiſſe tamen à Deo neſciebant, &c. Integra illa & perfecta natiuitas eſt: cuius à Deo exitio potiùs, quàm partus eſt. Eſt enim vnus ex vno: non eſt portio, non defectio, non diminutio, non deriuatio, non protenſio, non paſſio; ſed viuentis naturæ ex viuente natiuitas eſt, & Deus ex Deo exiens eſt, non creatura in Dei nomen electa, &c. *Matt.* 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui, &c.* Si ex adoptione Filius eſt: vnde hæc tam beata confeſſio? &c. Super hanc confeſſionis Petram Eccleſiæ ædificatio eſt. *Infra.* Ille confeſſus eſt Chriſtum, Filium Dei: tu hodie noui Apoſtolatus mendax ſacerdotium, ingeris Chriſtum ex nihilo creaturam. Quam vim affers dictis glorioſis? Cur igitur non hanc confeſſionis fidem Pater *Petro* reuelauit: creaturam ſcilicet & adoptionem? Sit fides alia, ſi Eccleſia alia eſt futura, ſi alius Chriſtus, &c. *Ioan.* 1. *Deum nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus Dei Filius qui eſt in ſinu Patris, &c.* Deum vnigenitum Filium *Ioannes* dixit, non creaturam perfectam. Non ignorauit hæc blaſphemiæ nomina, dicens: *Qui eſt in ſinu Patris.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, &c.* Creaturam creaturis præſtitiſſe, non facit magni meriti fidem, &c. Deus diligens mundum, Filium non adoptiuum, ſed ſuum, ſed vnigenitum dedit. *Ioan.* 20. *Hæc ſcripta ſunt vt credatis, quoniam Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei, &c.* Si ſufficit ad ſalutem Chriſtum credere: cur adiecit *Filium Dei*? 1.Ioan. 5 *Qui negat Patrem, & Filium, hic eſt Antichriſtus, &c.* An cum Creatorem & creaturam Patrem & Filium prædicabis: excludere te poſſe credis, ne Antichriſtus intelligaris? *Qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Filium habet, & Patrem, &c.* Quid hîc adoptiua nomina loci habent? Nunquid non naturæ res iſta omnis eſt? *Vt ſimus in vero Filio eius Ieſu Chriſto: hic eſt verus Deus, &c.* Hæc quidem *Ioannes* diſcipulus à Domino dilectus: ſed nihil ab his diſſimile Vas electionis prædicatus, &c. *Rom.* 8. *Qui proprio Filio non pepercit, &c.* Nunquid adoptionis in eo erit nuncu-

Digitized by Google

Non habet fides duos Deos, quia nec duos Patres, nec duos Filios. Credens in Filium, credit & in Patrem, &c. Non enim niſi per Filium Pater eſt, &c. Dum & Patrem conſummat Filius, &c. [.i. terminatiuè.] Per generationem vterque potiùs vnum confitendus eſt, non vnus, &c. Nec in ſolitarium Deum deficit: cùm vnus, & vnus, in ſignificatione non ſolus ſit. *Ioan.* 14. Philippe, *Qui videt me, videt & Patrem. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Cùm dicitur, *& Patrem*: excluſa eſt ſingularis atque vnici intelligentia. Quid reliquum eſt, niſi vt per naturæ ſimilitudinem Pater per Filium viſus ſit? &c. plurima in hunc totum contextum, *Ioan.* 14.

Lib. 8. Proſequitur idem intentum, ex varijs Scripturis, & rationibus: retorquendo quaſdam etiam Arrianorum, in ipſos. Illud *Ioan.* 10. *Ego & Pater vnum ſumus*: *Arriani* tentant ad vnanimitatis referre conſenſum; vt voluntatis in his vnitas ſit, non naturæ. Vt *Act.* 4. *Credentium erat cor vnum, &c.* Ioan. 17. *Rogo vt omnes vnum ſint: ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi ſint in nobis.* Ex his ipſis quibus vtuntur, refellendi ſunt. Nam *cor omnium erat vnum*, per vnam fidem. *Ephes.* 4. *Vnus Deus, vna fides, vnus Dominus, vnũ baptiſma, &c.* Gal. 8. *Omnes vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.* Nunquid ex aſſenſu voluntatis, aut ex Sacramenti vnitate? Itaque qui per rem eandem vnum ſunt: naturâ etiam vnum ſunt, non tantùm voluntate; quia & ipſi res eadem effecti ſunt, & eiuſdem efficientiæ ſunt miniſtri. *Infra.* Si voluntas vnum eos eſſe faceret, Dominus ita precaretur: *Pater, ſicut nos vnum volumus, ita & illi vnum velint, &c.* Sed quia ſoli Patri & Filio ex natura proprium eſt, vt vnum ſint: abſolutæ vnitatis huius toto conſequenti ſermone docuit naturam. *Ego in his, & tu in me, vt ſint perfecti in vnum.* Interrogo, vtrum per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè *Verbum caro factum eſt*, & nos verè Verbum carnem cibo dominico ſumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis æſtimandus eſt? Ita enim omnes vnum ſumus: quia & in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt.] Præclara de vnione reali Chriſti nobiſcum in Euchariſtia: Vt eſt realis vnio Naturæ Diuinæ cum humana, & realis vnitas naturæ inter Deum Patrem, & Deum Flium. Quæ hinc præleguntur, infra octauam Corporis Chriſti. *Infra.* [Non negamus igitur vnanimitatem inter Patrem & Filium: nam hoc ſolent Hæretici mentiri, &c. Vnum ſunt Pater & Filius naturâ, honore, virtute: nec natura eadem poteſt velle diuerſa, &. *Ioan.* 15. *Cùm venerit Aduocatus ille quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ipſe teſtificabitur de me, &c.* Excutiat ingenij ſui aculeos omnis Hæreticorum ſchola, &c. Non eſt acceptio, vbi demonſtrata proceſſio eſt, &c. Nec in hoc nunc calumnior libertati intelligentiæ: vtrum ex Patre, an ex Filio, Spiritum paracletum putent eſſe. Non enim in incerto Dominus reliquit. *Ioan.* 16. *De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater mea ſunt: propterea dixi, de meo accipiet, &c.* Nunquid & hic voluntatis vnitas aſſeretur? Nondum loci eſt, cur dixerit, *De meo accipiet*: nunc à ſe accepturum ait, quia omnia Patris ſua eſſent. Spiritus Dei, & Spiritus Chriſti eſt, &c. Quæro nunc, in Spiritu Dei, vtrum naturam, an rem ſignificatam exiſtimes? Non idem eſt enim natura, quod naturæ res: ſicut non idem eſt homo, & quod hominis eſt. Non idem eſt Deus, & quod Deus eſt. *Matt.* 12. In Spiritu Dei Patrem ſignificari exiſtimo, *Eſa.* 61. *Spiritus Domini ſuper me.* Filium verò, *Matt.* 11. *Si in Spiritu Dei eycio Demonia, &c* Eſt & in Spiritu Dei, Spiritus paracleti ſignificatio. *Ioel* 2. Act. 2. *Effundam de Spiritu meo, &c.* A Patre procedit Spiritus Veritatis, à Filio mittitur, & à Filio accipit, &c. Res naturæ Filij eſt: ſed eadem res & naturæ Patris eſt, &c. *Ioan.* 14. *Ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus, &c.* Eſt enim in nobis Spiritus Dei, & Spiritus Chriſti, &c. Deus igitur Chriſtus, eſt vnus cum Deo Spiritus. 1. *Cor.* 12. *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit Anathema Ieſum.* Sciſne in quo Spiritu dicas Chriſtum creaturam? 1. *Cor.* 12. *Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum niſi in Spiritu ſancto.* Si per naturam Dei, Chriſtus tibi Dominus eſt: habes Spiritum S. ſi verò per adoptiuum nomen, ſpiritu erroris animaris. 1. *Cor.* 12. *Hæc autem omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens vnicuiq; prout vult.* Quis Spiritus? *Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnib⁹, &c.* plura in eundem textum. 1 *Cor.* 8. *Vnus nobis Deus Pater eſt, ex quo omnia, & nos in ipſo: & vnus Dominus Ieſus per quem omnia, & nos per ipſum.* Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma: vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnia, & per omnes, & in omnibus nobis.* Vnus igitur vterque eſt: & vnus cùm ſit, non ſolus eſt, &c. Per id quod vnus eſt Deus, & vnus eſt Dominus: in Deo demonſtratur Dominus, ſicut Deus in Domino, &c. *Rom.* 9. *Chriſtus qui eſt ſuper omnia Deus.* Rom. 11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria.* Ioan. 6. *Hunc Pater ſignauit Deus, &c.* Sacramentum ſalutis ſuæ neſcit, qui neſcit filium hominis dantem eſcam in vitam æternam, à Deo Patre eſſe ſignatum, &c. Vnigenitus Deus volens proprietatis nobis paternæ in ſe ſignificare ſpeciē; ſignatum ſe à Deo ait, &c, Quia omnem in ſe paternæ formæ plenitudinem ſignātis ſe Dei contineret. *Phil.* 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet: non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſe exinaniuit formam ſerui accipiens, &c.* Quod ſignatum in Dei forma eſt, neceſſe eſt totum in ſe coimaginatum haberet quod Dei eſt, &c. Dicens: *in forma Dei*, & *in gloria Dei Patris*: non differre docuit. Quia per id quod in gloria Dei eſt, ex eo in cuius gloria eſt, habet in ſe naturale quod Deus eſt. *Coloſſ.* 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quia in ipſo conſtituta ſunt omnia, &c.* Non vt inuiſibilis Dei imago, viſibilis ſit, &c. Sentiſne quid ſit eſſe imaginem Dei? Creari vtique omnia in eo, & per eum. 2 *Cor.* 5. *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. Infra.* Nihil ei ex Deo deeſt i quo operante, & loquente, & viſo, Deus & operatus, & locutus, & viſus ſit. Nec ſolitarius Deus eſt, &c.

non alius Filius hominis, quàm Filius Dei eſt &c. hominem verum ſecundùm ſimilitudinem noſtri hominis à ſe & Deo ſumpſit: in quem quàmuis aut ictus incideret, aut vulnus deſcenderet; afferrentq; hæc quidem impetum paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent; vt telum aquam perforans; aut aëra verberans. Paſſus quidem D. I. C. ſed in corpus Domini irruens paſſio, nec non fuit paſſio, nec tamen naturam paſſionis exercuit, dum virtus corporis ſine ſenſu pœnæ, vim pœnæ excepit. Infrà. *Timuiſſe tibi ô hæretice, paſſionem Dominus gloriæ videtur: ſed ei ignorantiæ huius errorem, & Sathanas Petrus, & ſcandalum eſt,* Marc. 8. Infrà. *Sed niti videntur hæretici hoc dicto* Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, &c:* Non *ſibi triſtis eſt, neque ſibi erat &c.* Infrà. *Fallitur ergò opinio, putans hinc dolere quod patitur &c.* De conceptione tamen Chriſti ſenſus facilis eſt: quòd ſit à Spiritu S. principaliter & ſupernaturaliter; ſed ex Virgine Matre materialiter, & per eam inſtrumentaliter. Vt expreſsè S. *Hil.* *Tantùm ad natiuitatem carnis ex ſe dedit, quantùm fæminæ ſolent &c.* Infrà. *Officio vaſa materno, ſexus ſui naturam in hominis conceptu & partu executa eſt.*

Sed grauis difficultas eſt, conciliandi S. *Hil.* cum doctrina fidei, de veris paſſionibus corporis & animæ Chriſti, earumque ſenſu. *Alenſis P. 3. q.* 17. refert aliquot expoſitiones S. *Hilarij*, & ſubdit ſuam. *S. Bon. in 3. d. 16. a. 1. q. 1.* teſtatur *ſe audiuiſſe Guilielmum Epiſcopum Pariſienſem referre, quòd perlegiſſet librum retractationis S. Hilarij deſuper.* Poteſt tamen piè exponi cum *Alen. & S. Bon.* vt *in 3. col. 17. &* 189. Imò & ex hoc ipſo S. *Hil.* contextu. *Voluntas moriendi, & poteſtas reuiuiſcendi, extra naturam timoris eſt.* Infrà. *Chriſtus habebat quidem ad patiendum corpus, & paſſus eſt: Sed naturam non habebat ad dolendum. Naturæ enim propriè illud corpus eſt, quod in cœleſtem gloriam transformatur in monte.* Infrà. *Habuit enim corpus: ſed originis ſuæ proprium, neq; ex vitijs humanæ conditionis exiſtens.* Infra. *Quicquid dolet, dolendi in ſe habet naturam.* Matt. 26. *Vbi propter mortem triſtitia: illic ipſa mors cauſa triſtitiæ eſt. Vbi verò vſq; ad mortē: mors non triſtitiæ cauſa eſt, ſed finis.* Vnde videtur *S. Hil.* ſeipſum ſatis explicaſſe: de anima & corpore Chriſti vt impaſſibili ex propria natura, origine, & innocentia; ſed paſſo ex ſola propria voluntate, non pro ſeipſo, ſed pro nobis. Inter hæc, teſtatur *in Græcis & Latinis Codicibus quamplurimis, de aduenienteAngelo, vel de ſudore ſanguinis nihil ſcriptum reperiri. Sudare tamen ſanguinem,* inquit, *non infirmitas, ſed poteſtas eſt.* Sub finem. *Non eſt alius Chriſtus moriens, & alius regnans.* 1. Cor. 1. *Nunquid diuiſus eſt Chriſtus?*

Lib. 11. Proſequitur alias Hæreticorum obiectiones. 1. Ex *Ioan. 20. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, ad Deum meum, & Deum veſtrum.* Quod videtur exponere ſecundùm Diuinitatem, & humanitatem. *Infra.* Profitens ſibi Patrem Deum, Deus Filius, dum ex eo naſcitur: cæterùm totum habens naturale, quod Deus eſt. Diſpenſatio magni ſacramenti, Patrem inſuper etiam conditionis aſſumptæ Deum fecit, &c. Seruus enim non erat, cùm eſſet ſecundùm ſpiritum Filius Dei, &c. Manens igitur in forma ſerui homo Chriſt' IESVS locutus eſt *Ioan.* 20. ſecūdùm quod eſt in multis Fratribus primogenitus, *Rom.* 8. ex mortuis, *col.* 1. cœterum Vnigenitus Deus, ſine fratribus eſt. *Infra.* 2. Ex *Pſal.* 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus, &c.* ſecundùm diſpoſitionem aſſumpti corporis. 3. Ex 1. *Cor.* 15. De ſubiectione omnium Chriſto, Chriſti autem Deo: ſecundùm propriam naturam humanam; ſed perficienda tandem in Reſur. quoad nos.

Lib. 12. De æternitate generationis, & coæternitate Filij Dei: ex ſacris Script. & rationibus, contra oppoſitas. *Pſal.* 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te. Infra.* Non quòd ex vtero genuit, ſicut nec per manum agat, nec per oculos videat, nec per cor velit: ſed quia vt per ſignificationem horum verè omnia agat, videat, & velit, ita & per ſignificationem vteri verè ex ſe genuit, &c.] De differentia inter creaturam vel facturam, & generationem vel natiuitatem, inter Filium Primogenitum & vnigenitum, inter generationem & natiuitatem, æternam, & temporales. [*Exod.* 3. Deo proprium eſt, id quod eſt: Quia id quod eſt, non poteſt intelligi nō eſſe. Eſſe enim & non eſſe, contraria ſunt. *Ioan.* 1. Verbum erat, atque eſt: quia ab eo eſt, qui quod eſt, ſemper eſt. Eſſe autem ſemper ab eo qui eſt, æternitas eſt, &c. Cùm ante tempora æterna natus eſt, omnem ſenſum neceſſe eſt naſcendo præueniat: nec reliquit in verbis, vt non fuerit, antequam naſceretur, &c. Quia non fuiſſe, pars temporis eſt, &c. Natum itaque vnigenitum Deum: ſed natum ante tempora æterna confitemur. *Infra.* Profertur aduerſum nos Sapientiæ de ſe proteſtatio. *Prou.* 8. *Dominus creauit me, initium viarum ſuarum, &c.* At verò fundatam ſe ante ſæcula profeſſa eſt, &c. Ne creatio & fundatio fidem diuinæ natiuitatis offenderet, ſequitur: *Ante omnes colles genuit me. Cùm pararet cælum.* Quis hîc temporum locus eſt? Nunquid cœli præparatio, Deo eſt temporalis? Teſtis eſt Propheta, dicens: *Deus qui feciſti omnia quæ futura ſunt, &c. Infra.* His igitur infinitis, & æternis in Deo, Chriſtus cùm adeſſet: ſolam nobis natiuitatis ſuæ permiſit conſcientiam, &c. Sed & creationis nomen nos, & profeſſio mouet, &c. Non poteſt natiuitas pro creatione accipi: cùm natiuitas ante cauſam ſit, creatio verò per cauſam. *Infra.* Chriſtus Sapientia eſt, &c. Creatus autē eſt in vias Dei à ſæculo: cùm habitum creationis aſſumpſit. Filius itaque ſuus eſt, qui eſt in homine, & ex homine factura, neque factura tantùm, ſed etiam creatura.

Ex Epilogo & Apoſtrophe ad Deum. Sicut nihil aliud de vnigenito tuo dicam, quàm eſſe natum: ita nihil aliud de ſancto Spiritu tuo loquar, quàm Spiritum tuum eſſe, &c. Conſerua oro hanc fidei meæ incontaminatam religionem, & vſque ad exceſſum ſpiritus mei dona mihi hanc conſcientiæ vocem: vt quod in regenerationis meæ ſymbolo baptizatus in Patre, & Filio, & Spiritu S. profeſſus ſum, ſemper obtineam; Patrem ſcilicet te noſtrum, Filium tuum vna tecum adorem, & Spiritum tuum S. qui ex te per vnigenitum tuum eſt, promerear.

Ex

Digitized by Google

Ex tribus libris S. *Hilarij*, ad, vel contra *Conſtantium* Imperatorem: quorum duo ſunt ſupplices pro pace ac libertate Eccleſiæ, contra hæreſim, & perſecutionem Arrianam; ſed vnus eſt inuectiuus contra ipſum *Conſtantium*, vt peſſimum ac perfidum Eccleſiæ tyrannum, vel adhuc viuum, vel priuſquam *S. Hilario* in Gallia de eius morte conſtaret. In vno illorũ, quem ipſemet *Conſtantio* tradidit. *De ſimilitudine Filij Dei ad Deum Patrem, miſerabilis temporis noſtri fides eſt: ne aut ex toto, aut tantùm ex proportione ſimilis ſit &c. Annuas atque menſtruas de Deo fides decernimus, decretis pœnitemus, &c.* In hoc autẽ, ſub finẽ, cõtra *Homoiouſianos*: qui profitendo Filium Dei *Homoiouſion*. i. ſimilis naturæ, negabant *Homouſion* .i. eiuſdem naturæ. Vndè illorum *Homoiouſion* dicit eſſe diſſimilis naturæ: quia negando vnitatem eſſentiæ, negabant & ſimilitudinem fundatam in vnitate eſſentiæ. Vel eſt error typographiæ: cùm *Homoiouſion*, non ſit diſſimilis, ſed ſimilis naturæ. Videtur autem tribuere hanc mutationem *Homouſij*, in *Homoiouſion*, ipſi etiam *Oſio*. De quo infrà.

Ex libro S. *Hil.* De ſynodis Fidei Catholicæ, contra Arrianos. *Dominis Co-Epiſcopis prouinciæ Germaniæ primæ & ſecundæ, Belgicæ primæ & ſecundæ, Lugdunenſis primæ & ſecundæ, Aquitanicæ Nouempopulanæ, & prouinciarum Britanniarum* &c. Beatæ fidei veſtræ litteris ſumptis gratulatus ſum, incontaminatos vos ab omni contagio deteſtandæ hæreſeos perſtitiſſe: voſque comparticipes exilij mei, in quod me *Saturnin'* circumuento Imperatore detruſerat, negata ipſi toto iam triennio communione, fide ac ſpiritu mihi cohærere; & miſſam vobis ex *Syrmienſi* Oppido infidelis fidei impietatem, non modò non ſuſcepiſſe, ſed damnaſſe. *Infrà.* Omnes Fides quæ poſt ſanctam Synodum *Nycenam* editæ ſunt, deſtinaui &c. Quæ geſta ſunt, fideliter tranſmiſi: Vos an Catholica, an hæretica ſint, comprobate, &c. Non quòd non ab alijs planiſſimè omnia edita ſint: ſed quòd ex græco in latinum ad verbum expreſſa tranſlatio, affert plerumquè obſcuritatem &c. Meminiſtis in ipſa ſcripta apud *Syrmium* blaſphemia, dùm de *Homouſio* taceri decernitur: id decretum eſſe, vt non ex Deo Patre, Deus Filius natus confirmaretur &c. Ignorabilis eius natiuitas aſſeritur: vt per hoc ignorantiæ decretum, neſcire quòd ex Deo ſit, iuberemur. Exemplum blaſphemiæ apud *Syrmium*, per *Oſium*, & *Potamium* conſcriptæ.] Subdit profeſſionem Arrianam illius pſeudoſynodi. Cui opponit 12. anathemata contraria, cuiuſdam etiam Synodi Orientalis Catholicæ.

Poſt hæc, refert expoſitionem fidei Catholicæ, *in Synodo habita per Encœnias Antiochenæ Eccleſiæ, conſummatæ à 97. Epiſcopis*, contra quendam ſuſpectum Arianiſmi. In qua quod dicitur, *in S. Trinitate eſſe tria per ſubſtantiam, vnum verò per conſonantiam*: explicat per tres ſubſiſtentias, & vnitatem ſubſtantiæ. Deindè refert Symbolum Catholicum *Synodi Sardicenſis*, eiuſque expoſitionem Catholicam. Denique refert Symbolum Catholicum, & 26. anathemata legitimi Orientalis Concilij *Syrmienſis* contra *Photinum*.

Nihil autem, inquit, mirum videri debet, quòd tam frequenter exponi fides cœptæ ſunt: neceſſitatem hanc furor hæreticus imponit &c. Abſque Epiſcopo *Eleuſio*, & paucis cum eo, ex maiori parte, Aſianæ decem Prouinciæ, intra quas conſiſto, verum Deum neſciunt. *Infra.* Quid aliud poſſunt eſſe ſimiles, quàm æquales: cùm in diſſimilibus non ſit æqualitas? Prædicantes itaque ſimilem Filium in omnibus Patri: nihil aliud quàm æqualem prædicamus. Perfectæ qualitatis ſignificantiam habet ſimilitudo: & hoc etiam ex ſacris Scripturis. Nec me fallit quoſdam eſſe, qui ſimilitudinem confitentes, negant æqualitatem: ſed loquantur vt volunt &c. Nam etiam anathema eſſet, qui Patrem diſſimilis eſſentiæ diceret. *Ioan. 5. Quæcunque Pater facit, eadem & Filius ſimiliter facit.* Expoſitâ vnius ſubſtantiæ quæ græcè *Homouſion* dicitur, & ſimilis ſubſtantiæ quæ *Homoiouſion* appellatur, fideli ac piâ intelligentiâ: reliquus mihi ſermo ad Sanctos viros Orientales Epiſcopos dirigendus eſt. *Infrà.* De *Homoiouſio*, quod eſt ſimilis eſſentiæ, commune iudicium eſt. De *Homouſio* verò, quod eſt vnius eſſentiæ, idcircò reſpuendum pronunciaſtis. 1. Quia per hoc ſubſtantia prior intelligitur, quàm duo inter ſe partiti eſſent. 2. Quòd Patres noſtri contra *Samoſatenũ* etiam illud repudiauerint: quia per hoc, vnicum Patrem & Filium prædicabat. 3. Quia nuſquàm ſcriptum reperitur.] Tandem inſtruit eos etiam de vero *Homouſij* ſenſu & vſu, ex Concilio Nicæno &c. [Sed fortè dicetur idcircò improbari, quia vitioſè intelligi ſolet. Hoc ſi timemus: deleamus plurima ex ſacra Script. Malè *Homouſion Samoſatenus* confeſſus eſt: ſed nunquid meliùs *Arriani* negauerunt? Octoginta olim Epiſcopi reſpuerunt: ſed 318. nuper receperunt &c. Sed fortè dicetur: aliqui hodie ex his qui tunc Synodo interfuerunt, tacendum de *Homouſio* eſſe decreuerunt: nunquid non & de *Homoiouſio*? Oro vos, ne quiſquam alius ex his præter ſenem *Oſium*, & ipſum nimiùm ſepulchri ſui amantem, reperiatur, qui tacendum eſſe exiſtimet de vtroque &c. Damnemus vitioſam intelligentiam: non auferamus Fidei ſecuritatem, &c. Sed *Homouſion* poteſt malè intelligi: conſtituatur qualiter poſſit benè intelligi, &c. Date veniam &c. Arriani non eſtis: cur negando *Homouſion* cenſemini Arriani? Non negatur *Homoiouſiõ*: hæc eſt enim ſecundùm eſſentiam ſimilitudo &c. Vt probari poſſit *Homoiouſion*, non improbemus *Homouſion* &c. Poteſt inter nos optimus Fidei ſtatus condi &c.

Libri duo, de vnitate Patris & Filij, & de eſſentia Patris & Filij, videntur eſſe Compendium Librorum 12. de Trinitate, reſumptis verbatim iiſdem pleriſque ſententijs, & textibus integris.

Ex Libris 5. S. Baſilij, contra Eunomium.

LIbro 1. Primus qui vnigenitum Filium alterius eſſe ſubſtantiæ quàm ſit Deus & Pater, apertè dicere auſus eſt, *Syrus* ille fuit *Aetius*, &c. cui ad impietatem ſucceſſit *Eunomius*, iſte *Galata*, &c. Intra. *Eunom.* Peto ante omnia, ne velitis maiori parti plus attribuere, neque dignitati quorundam. *Baſil.* Quid tu narras? Non dabimus plus Antiquitati? Non reuerebimur Chriſtianorum

ſtianorum

Digitized by Google

ſtianorum multitudinem? Nullam rationem dignitatis eorum faciemus? *Eun.* Credimus in vnum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum S. &c. *Baſil.* Sua parumpar reticet : ne incredibilis videatur. *Eun.* Vnum eſſe Deum, naturali quodam ſenſu, & penes Patrum Doctrinam, nec à ſe, nec ab alio factum, profitemur. *Baſil.* Demonſtrationibus tamen id nititur ſtabilire, &c. *Eun.* Ingenitum dicentes, non ſolùm nomine, &c. verùm etiam id ipſum quod eſt confiteamur. Nam quæ iuxta *Epinoian* dicuntur, cum vocibus ſimul diſſoluuntur. *Baſil.* Vt oſtendat innaſcibilitatem eſſe ſubſtantiam, &c. in verbo *epinoiæ* inhæret, quaſi nihil omnino ſignificet, &c. Quæ ſubtiliùs exquiruntur, cùm mente diuidantur ſolâ *epinoiâ* diuiſa dicuntur, &c. Subtiliorem ac certiorem cogitationem *epinoian* plerumque nominamus. Vnde & conſuetudo excogitationem, licèt impropriè, illam vocat. *Infra.* Cur itaque eſſet abſurdum in Deo quoque quædam ſecundùm *epinoian* accipere? *Infra.* Cuncta ſimiliter ſubſtantiam confitebitur, quæ de Deo dicuntur. Quonam igitur pacto non deridendus, ſi creandi virtutem, prouidentiam, præſcientiam, & omnem operationem ſubſtantiam putet? Quæ cuncta ſi ad vnum tendunt ſignificatum: neceſſe eſt vt inter ſe idem valeant; vt in multiuocis, cùm *Simonem, Petrum, Cepham* eundem dicimus. *Eun.* Nec ſecundùm priuationem dicitur *Ingenitum* : priuatio enim eſt poſterior habitu. *Baſil.* Multa de Deo ſimili figura dicuntur : vt Immortalis, Inuiſibilis, &c. Quæ ſi quis priuatiua nominat, nihil ad nos. *Infra.* Vnum quidem nomen inueniri non poteſt, quod totam naturam Dei edere ſufficiat : plura verò & varia, nobis ad tenuem ſignificationem congerunt. Eorum igitur quæ de Deo dicuntur nomina, hæc quidem quæ inſunt, illa verò quæ non inſunt Deo, ſignificant, &c. Innaſcibilitas oſtendit Deo generationem non eſſe : quod ſiue ablatiuum, ſiue priuatiuum, ſiue negatiuum, ſiue quid huiuſmodi velit appellare, nihil differre putabimus, &c. At ſubſtantia non eſt de eis quæ non inſunt; ſed idipſum eſſe Dei, &c. *Eun.* Si Ingenitum eſſe in Deo eſt : neceſſe eſt ipſam innaſcibilitatem Ingeniti eſſe ſubſtantiam. *Baſil.* perduxit tandem orationem quò voluit, &c. Ego autem ſubſtantiam Dei ingenitam eſſe, ipſe quoque confiteor : non tamen Innaſcibilitatem eſſe Subſtantiam, &c.] De incognoſcibilitate Dei à nobis quoad ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, ex varijs ſacris Script. Cùm nec vllius creaturæ ſubſtantiam ſeu eſſentiam cognoſcamus, ſed tantùm eius accidentia. *Infra.* Quod à nullo eſt, & ſine principio, id ingenitum eſt. Sicut hominibus non eſt ſubſtantia, ex alio eſſe : ſic nec in Deo, ingenitum eſſe. *Eun.* Ingenitus nunquam generationem ſuſcipiet, &c. i. actiuè. *Baſil.* O malitiam! Si nunquam generationem ſuſcipit .i. actiuè, Pater non eſt. *Eun.* Ordo, ordinante poſterior eſt : & nihil eorum quæ Dei ſunt, ab alio ordinatum eſt. *Baſil.* Nonne poteſt vna cum ſua imagine ſine tempore corruſcata, Deus omnium ab æterno eſſe? Eſt prius & poſterius, non poſitione noſtra, ſed naturali quadam rerum conſecutione. Secundùm habitudinem cauſarum, Patrem Filio præponi dicimus. *Infra.* *Eun.* Nec eſt ſimilis, nec æqualis : quoniam nec quantus eſt, & abſque qualitate. *Baſil.* Similitudinem in ſubſtantia, & æqualitatem in identitate virtutis poſſidet. *Eun.* Quis ita ſtolidus, vt æqualem Patri Filium prædicet? *Baſil.* in hoc comparat cum Iudæis, *Ioan.* 8. Vt *S. Hilarius* ſupra.

Obijcit nobis *Ioan.* 14. *Pater maior me eſt. Infra.* Hoc maior eſt Pater, quod cauſa eſt atque origo Filij. Secundùm ſapientiam veſtram, ſubſtantia maior aut minor non dicitur.

Libro 2. *Eun.* Sanctorum voces, Filium genituram, & facturam prædicant : per diuerſitatem nominum, diuerſitatem ſubſtantiæ obtendentes, &c. *Baſil.* Quinam è Sanctis Chriſtum genituram & facturam dexerunt? *Infra.* *Act.* 2. *Dominum & Chriſtum Deus fecit, hunc Ieſum, &c.* Hac demonſtratiua voce, ad humanitatem eius ſe conuertit. *Infra.* Appellationes etiam, non ſubſtantias, ſed proprietates quibus ſinguli deſignantur, ſignificant, &c. *Eun.* Genituram ſecundùm Scripturas dicimus Filium, &c. *Baſil.* Rarò inuenimus hanc in animatis appellationem aſſumptam, &c. *Eun.* Appellatio verè ipſam oſtendit ſubſtantiam. *Baſil.* Saneis quæcunque volueris, &c. *Eun.* Subſtantia Filij, cùm non eſſet ante, nata eſt Patris voluntate ante omnia. *Baſil.* Deus ex infinito Patre eſt, nec incœpit Pater eſſe, &c. Ex quo Pater eſt, & Filius eſt, &c. Patris origo nulla : origo Filij, Pater; inter hos autem, nihil, &c. Nam neceſſe eſt, ſi quid eſt inter Patrem & Filium, id antiquius eſſe ipſa productione Filij. Quid aliud quàm æuum vel tempus? Quod tamen per ipſum factum eſt. *Eun.* Aut Pater genuit Filium non exiſtentem, aut iam exiſtentem, &c. *Baſil.* In principio erat Verbum, *Ioan.* 1. Deridendus eſt qui hoc principium ſuis imaginationibus excedere conatur. Pariter autem extenditur verbum *Erat.* *Eun.* Si ante ſuam generationem Filius erat, &c. *Baſil.* Simile eſt ſi quis interroget, quid futurum ſit poſt obitum immortalis, & quid erat ante generationem æterni. *Eun.* Non exiſtentem Filium natum fuiſſe dicimus. *Baſil.* Non ceſſabis non exiſtentem appellere impiè, eum qui verè eſt, qui fons vitæ eſt? *Eun.* Non facimus communem Vnigeniti ſubſtantiam cum ijs quæ ex nihilo facta ſunt : ſed ei exceſſum tribuimus, quantum excedere neceſſe eſt Creatorem ſuper proprias creaturas. *Baſil.* Quaſi Dominus eſſet, quantum vult præbet Vnigenito dignitatis. *Eun.* Vnigenitus eſt, quoniam ſolus *Ingeniti* virtute natus & creatus, perfectiſſimus factus eſt miniſter. *Baſil.* Quoniam dictum eſt, *Prou.* 8. *Dominus creauit me, &c.* Licere ſibi arbitrati ſunt de Deo dicere, quòd ſit creatura. Ego verò multa de hac voce habeo dicere. 1. Quòd nonniſi ſemel dicta eſt. 2. Quòd in libro Prouerbiorum. 3. Quòd hebraicè, *Poſſedit me, &c.* Sub finem. *Eun.* Filius Ingeniti eſt factura : Vnigeniti verò, Paracletus. *Baſil.* Dupliciter blaſphemat vnico verbo, &c. *Montanus* ſolus tantum in Spiritum inſaniuit : vt dicat infamiam afferre factori, &c. vt ſæpè ſupra.

Digitized by Google

Libro 3. Qui eſt de Spiritu S. *Eun.* Reliquum eſt vt de Paracleto dicamus: nec opiniones multorum ſectemur, ſed Sanctorum doctrinam conſtruabimus, à quibus cùm dignitate & ordine tertium ipſum didicerimus, tertium quoque natura eſſe credidimus. *Baſil.* Cùm contemnat opinionem multorum, Sanctorum ſe ſimulat ſeruare doctrinam, &c. Qui vero illi Sancti ſint, non poteſt dicere, &c. Cur neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus, naturâ quoque ipſum tertium eſſe? Dignitate ſecundum eſſe à Filio, pietatis ratio tradit: nō verò tertia natura vti, &c. Quod inde patet. Singulis fidelium adeſt Angelus, ut pedagogus, &c. Rurſus ſunt quidam Angeli vniuerſarum gentium præpoſiti, &c. Et legiones Angelorum quædam dicuntur, &c. In dignitate quædam diuerſitas: in natura verò communitas eſt, &c. Sic & Spiritus S. dignitate ordinis tertius eſt, *Matt.* 28. In naturam autem tertiam deiectum, nullibi audiuimus. *Infra.* Vt naturâ ſanctus eſt Pater, & Filius: ſic & naturâ Spiritus S. *Eſa* 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ioan 4. *Spiritus eſt Deus.* Luc. 18. Deus dicitur & eſt bonus: ſic & Spiritus S. &c. ſupra citata ex ſacra Script. *Eun.* Tertius & naturâ & ordine, Patris imperio, operatione verò Filij factus, Deitate ac creatiua poteſtate carens. *Baſil.* Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis. 1. *Cor.* 6. Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. *Matt.* 28. Baptiſmus eſt ſigillum fidei: fides verò Deitatis confeſſio, &c. Cùm tam multa nobis ignota ſint: cur mirum, ſi de Spiritu quoque ſancto abſque rubore ignorantiam confiteamur? Quòd enim ſuper creaturam ſit: ſatis nobis Scriptura demonſtrat, &c. Quid igitur ipſum dicere oportet Spiritum ſanctum? Non ſeruum, ſed ſanctum, bonum, principalem, &c. Sic enim etiam in Trinitate vnitatis ratio conſeruabitur: ſi vnum Patrem profiteamur, & vnum Filium, & vnum Spiritum S.] Subdit, creari Spiritum .i. ventum: Omnia fieri per Verbum; ſed Spiritum Sanctum eſſe ſuper omnia.

Lib. 4. Redit ad Filium, contra calumnias Eunomianorum, ex ſacris Script. per hos titulos. 1. Quòd ſit Deus naturâ, æquè ac Pater: non autem factura, vel ex voluntate Patris. 2. Quòd nomen Ingeniti non ſignificet ſubſtantiam, ſed modum eſſendi, vt ſupra. 3. Quòd Filius non ſit creatura. 4. De ſubiectione Filij, 1. *Cor.* 15. ſecundùm humanitatem. 5. Sic & de dato ei nomine, *Phil.* 2. de data ei poteſtate, *Marc.* 16. 6. *Ioan.* 14. *Pater maior me eſt.* Non magnitudine, nec tempore, nec dignitate, nec virtute, nec vt cauſa: quoniam ſimiliter & nobis & ipſo maior eſſet, &c. Honorem ergo magis Filij ad Patrem oſtendit. Deinde, quod maius eſt, non omnino diuerſæ eſt ſubſtantiæ. 7. *Matt.* 12. *Horam autem & diem nemo ſcit, &c.* Quoniam non conferebat hominibus iudicij tempus audire: idcirco reticuit. 8. *Matt.* 26. *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Non de ſeipſo: ſed de ijs qui in eo peccaturi erant, ne peccent. 9. *Ioan.* 6. *Et ego viuo propter Patrem.* De humanitate, non Deitate. 10. *Ioan.* 5. *Neq; Filius à ſeipſo aliquid fac it.* Liberè tamen. 11. *Ioan.* 16. *Ego ſum vitis, &c.* Non Deitatis ſuæ, ſed carnis nos dixit palmites. 12. *Luc.* 18. *Nullus bonus niſi Deus* .i. Deus eſt abſolutè bonus, & non ſolùm Magiſter bonus. *Ioan.* 17. *Pater glorifica me, &c.* non acceſſionem gloriæ ſed manifeſtationem fieri petit vt homo. 13. *Coloſſ.* 1. *Primogenitus omnis creaturæ.* Si *primogenitus mortuorum,* 1. *Cor.* 15. quoniam cauſa ſit Reſurrectionis ex mortuis: & *primogenit' creaturæ,* quoniam cauſa ſit vt à nihilo ad eſſe producta ſit, &c. Ad eos etiam qui per adoptionem Spiritusſancti à Deo nati ſunt. 14. *Prou.* 8. *Dominus creauit me, &c.* Neceſſe eſt de humanitate eius intelligere. 15. *Ioan.* 14. *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, &c* .i. de Patre, & Filio. 16. *Phil.* 2. *Æqualiter eſſe Deo* .i. Deo æqualem eſſe. *Pſal.* 76. *Quis Deus præter Dominum, &c.* Non ad Filium; ſed ad dictos deos, cùm non ſint.

Lib. 5. De Spiritu S. quòd non ſit creatura: Quia nil habet commune cum creaturis: ſed cum Deo Patre, & Filio. Non eſt ſuſceptibilis mutationis: non ergo creatura, &c. Omnis creatura ſanctificata, ſancta eſt: Spiritus verò ſanctus, ſanctificans eſt, &c.

Spiritus Creator eſt, ex *Pſal.* 32. 103. *Sap.* 1. *Luc.* 10. 1. *Cor.* 12. Remittit peccata, vt Pater & Filius. *Ioan.* 20. *Matt.* 28. Eſt eiuſdem potentiæ. *Act.* 13. *Dixit Spiritus S. ſegregate mihi Petrum & Barnabam, &c.* Apparet, reuelat, vt Pater, & Filius. Format, & reformat ad Imaginem Dei. *Imago quidem Dei Chriſtus eſt: imago verò Filij, Spiritus; quo qui participant, Filij conformes fiunt.* Spiritus S. nec poſſeſſio, nec creatura Dei eſt. 1. *Cor.* 3. *Dominus Spiritus eſt: vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Imago vera & naturalis Dei ac Filij, Spiritus eſt. *Act.* 10. *Ieſum vnxit Deus Spiritu S. ac virtute, &c.* Ploraret aliquis, ſi etiam ſalutis noſtræ nomen à creatura incipiat. Cùm opera Dei perficiat, Diuinæ naturæ eſt. *Pſal.* 32. *Gen.* 1. 1. *Cor.* 12. Cùm glorificetur cum Deo Spiritus, 2. *Cor.* 13. non creatura, ſed diuinæ naturæ oſtēditur. Dei Verbum Filius eſt: Filij autem Verbum, Spiritus. Non dicitur Filius Filij: non quia non ex Deo per Filium; ſed ne Trinitas filios ex filijs habere ſuſpecta, infinita putetur multitudo. *Infra.* Etiamſi Spiritus non vocetur Filius; tamen ex Deo eſt. Generat Deus verè, edit Verbum verè, & ex ſeipſo emittit per os Spiritū, non quale hominis eſt. Nec de Filio quæras, cur non Spiritus vocatus eſt: nec de Spiritu cur non Filius. Niſi Spiritus ſit ex Deo, nec Verbum: Quoniam *Dauid* Verbum & Spiritum ſimul glorificat, *Pſal.* 32. Infra. *Act.* 15. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Non coordinant ſeipſos; ſed ſubijciunt, &c. Non ab æquiuocatione identitas: ſed à natura Diuina vnitas agnoſcitur. Spiritus etiam hominis dicitur, &c. Sed multa dicuntur entia: Cùm id ſit vnius veri Dei, dicentis, *Ego ſum qui ſum.* Dicuntur & Patres multi, & ſapientes, & potentes, &c. quæ ſoli Deo inſunt; & ingenita, quæ nunquam nata ſunt. *Infra.* Verba quoque multa dicuntur: at vnum Dei æternum. *Infra.* Non defuit vnquam Filius Patri, nec Filio Spiritus, &c. Qui operatur omnia ſicut vult: Qui vbi vult ſpirat: Qui adimplet

Digitized by Google

plet orbem, &c. Qui omnia Dei nouit, &c. *Infra.* Cui dixit Deus, *Gen.* 1. *Faciamus?* An non Verbo & Spiritui ſancto? *Ecce*, inquit, *Adam factus eſt vt vnus ex nobis.* Gen. 11. *Venite deſcendamus, & confundamus linguas eorum.* Gen. 19. *Pluit Dominus à Domino, &c.* Ioel. 2. *Effundam de Spiritu meo.* Pſal. 50. *Spiritum rectum innoua, &c. Spiritus tuus bonus deducet me, &c. Spiritu principali confirma me.* Pſal. 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.* Pſal. 72. *Quo ibo à Spiritu tuo?* De Filio. Eſa 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c. Spiritus Domini ſuper me.* Luc. 1. *Spiritus ſuperueniet in te, &c. Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt.* Ioan. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat.* Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* ſæpè ſupra citata, à *S. Baſilio, Hil. Athan.*

De Spiritu S. quærendo, & quæ eius ſit virtus.

Cùm fide de natura ſancti Spiritus quæramus: ab ipſo quem quærimus, cognitionem petentes, &c. Accedat quis ſtatu quieto: quieſcat non ſolùm corpus; ſed totum continens cœlum, & cuncta intelligat adimpleri, & vndique ſuper ipſa ſtantem Spiritum, vt influxum & infuſum, *Sap.* 1. *Infra.* Hunc Spiritum S. effudit ſuper nos copioſè Deus per IESVM Chriſtum: effudit, non creauit, non fecit, &c.

Ex Libro de Spiritu ſancto, Ad Amphylochium.

Cap. 1. Doctrinæ initium eſt oratio: orationis partes, ſyllabæ, &c. Proinde ſyllabas excutere, non eſt aberrare à ſcopo. Nec quoniam alicui videbuntur minutæ, ob id & negligendæ: imò quoniam difficilis eſt inuentu veritas, vndique nobis eſt inueſtiganda, &c. Nam ſi ex lege, nec vnum iota, nec apex vnus præteribit: quomodo nobis tutum fuerit, vel minutiſſima tranſiliſſe?

Cap. 2. *Vnde ſit orta hæreticorum de ſyllabis obſeruatio.* Contendunt diſſimilem eſſe prolationem Patris, & Filij, & Spiritusſancti, &c. Habent enim vetus commentum ab *Aëtio*, huius hæreſis principe: Quæ ſecundùm naturam diſſimilia ſunt, diſſimiliter proferri, &c. Vt, *ex quo, per quem, in quo.* Negantque hunc vſum vſquam inuerti, &c. *Ex quo*, mundi Conditorem volunt ſignificari: *Per quem*, operis miniſtrum aut inſtrumentum; *In quo*, tempus aut locum. *Cap.* 3. Conditori congruere exiſtimant, *A quo*: Inſtrumento, *Per quem*, &c. *Ex quo*, faciunt proprium materiæ, &c. *Iuxta quod*, putant ſignificare exemplar, &c. *Propter quod*, volunt competere fini, &c. *In quo*, tempus aut locum commendari. *Cap.* 4. *Horum in Scripturis nullum ſeruari diſcrimen.* Neque enim, *Ex quo*, ſemper declarat materiam: ſed etiam ſupremam cauſam. *Cap.* 5. Et de Patre, dici *Per quem*, & de Filio, *Ex quo*, & de Spiritu S. *Rom.* 11. Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo omnia, ipſi gloria in ſæcula. .i. De vno Deo, vel de Deo Patre. *Epheſ.* 4. *Coloſſ.* 2. *Ex quo Chriſto totum corpus, &c.* Ioan. 1. *De cuius plenitudine omnes accepimus.* Ioan. 16. *De meo accipiet, &c.* Luc. 18. *Noui virtutem ex me exiſſe.* Gal. 6. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Matt. 1. *Quod in ea natum eſt, è Spiritu ſancto eſt.* Ioan. 3. *Quod natum eſt è Spiritu, Spiritus eſt.* 1. Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis.* Gal. 4. *Filius, & hæres per Deum.* 2. Tim. 1. *Nobis Deus reuelauit per Spiritum ſuum.* 1. Cor. 12. *Alij per Spiritum datur, &c.* Pſal. 88. *In Deo faciemus virtutem, in te laus mea ſemper.* Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum.* Cap. 6. *Contra eos qui contendunt Filium non eſſe cum Patre, ſed poſt Patrem.* Ab iſtis petemus, num ſentiant Filium tempore poſteriorem, an ordine an dignitate, &c. Ne cogitatione quidem poſſit quis dicere Filium Patre recentiorem, &c. Eo quod Domini generationem, nec vlla cogitatio, neque vlla notio antecedat. *Ioan.* 1. *In principio erat Verbum, &c.* Pſal. 109. *Sede à dextris meis*: non ſignificat locum inferiorem; ſed ſtatum æqualitatis, &c. Vt ſupra de æqualitate Filij cum Patre.

Cap. 7. *Contra eos qui dicunt, non congruenter dici de Filio, Cum quo; ſed Per quem.* Dico Eccleſiam vtrumque harum vocum vſum admittere, &c. Vt Cum quo, propria ſit glorificantium: Per quem, ſit propria gratias agentium. Qui conſueta faſtidiunt, nouas vocum fictiones recipiunt: vt qui ſtudioſi ſunt ornatus, ſemper nouam formã præferunt communi. Itaque videas & hodie à Ruſticanis hanc vocem more veterum pronuntiari.

Cap. 8. *Quot modis, Per quem, & quo ſenſu, Cum quo?* Comperimus Scripturam non his tantùm quæ Diuinitatem Chriſti declarant: ſed interdum vti vocibus naturam aſſumptã exprimentibus, &c. In his hæc vox, *Per ipſum*, aptiſſimum ac ſignificantem vſum habet, &c. Cæterum vt Deus, ac Dei Filius, cum Patre communem habet ſignificationem. *Infra.* Ne fortè putemus Dominum nullam habere originem, ait *Ioan.* 6. *Ego viuo propter Patrem.* Ioan. 14. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam.* Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Non quòd inſtrumentali ac ſeruili miniſterio fungatur: ſed quòd tanquam Conditor, paternam implet voluntatem. *Infra.* Duorum vnam eandemque voluntatem declarat. Itaque hæc vox, *Per quem*, confeſſionem habet cauſæ principalis: non autem ſumitur ad proloquium cauſæ efficientis. *Cap.* 9. *Sententiæ communes de Spiritu ſancto.* Spiritus Dei dictus eſt, Spiritus Veritatis, qui ex Patre procedit, ſpiritus rectus, principalis, Spiritusſanctus. Quæ poſtrema propria eſt, & illius peculiaris appellatio, &c. *Cap.* 10. Qui dicunt non oportere Patri & Filio adiungere Spiritum S. partim eo quòd ſit alienæ naturæ, partim quòd ſit dignitate inferior: An non Dei præcepto, *Matt.* 28. *Marc.* 16. palàm aduerſantur?

Cap. 11. Præuaricatores ſunt qui negant Spiritũ. Profeſſi ſunt enim ſe credere in Patrem, & Filium, & Spiritum S. *Cap.* 12. *Contra eos qui dicunt ſufficere Baptiſma in nomine Filij tantùm.* Si quidem Chriſti appellatio, totius Deitatis eſt profeſſio: quæ ſimul declarat, & Deum qui vnxit, & Filium qui vnctus eſt, & Spiritum S. qui eſt vnctio. *Cap.* 13. Cur Angeli ſimul cum Patre & Filio adiungantur, 1. *Tim.* 5. Dico quòd conſeruum etiam teſtem quis adducere poſſit apud Iudicem.

Cap. 14. Cùm in *Moſen* nonnulli baptizati ſint, & in illum crediderint, 1. *Cor.* 10. quid inquiũt ex fide & baptiſmo Spiritum S. attollis ſupra reliquam creaturam? In Spiritum S. æquè ac in

Patrem & Filium, credimus, & baptizamur: fides autem quæ erat in *Moſen*, & in nube, velut vmbra fuit & figura. *Infra*. Exod. 14. *Credidit populus Deo, & Moyſi famulo eius.* Deo itaque copulatus eſt *Moſes*, non Spiritui: eratque typus, non Spiritus, ſed Chriſti, &c. *Ioan.* 5. *Si enim crederetis Moyſi, crederetis vtique & mihi.* An ideo parui momenti eſt fides in Domino, quæ per *Moſen* præſignata eſt? *Luc.* 16. *Moyſi* nomine etiam ſignificatur lex. Itaque de legali baptiſmate loquens: baptizati ſunt, inquit, in *Moſe*.

Cap. 15. *Contra eos qui obyciunt quòd in aqua baptizati ſumus.* Aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut in ſepulchro recipiens: Spiritus verò vim viuificam immittit, &c. Tribus igitur demerſionibus, totidemque inuocationibus magnum baptiſmatis myſterium peragitur, &c. Itaque ſi qua eſt gratia in aqua: non eſt ex ipſius aquæ natura, ſed ex Spiritus præſentia. *Cap.* 16. *Spirituſſanctus inſeparabilis eſt à Patre & Filio.* 1. Cor. 14. Act. 5. *Quid conuenit vos tentare Spiritum ſanctum? Non mentiti eſtis hominibus, ſed Deo.* 1. Cor. 12. Pſal. 32. *Infra.* Qui poſſent dicere Seraphim, Sanctus, Sanctus, &c. niſi docti per Spiritum, &c. ſæpè ſupra citata. *Cap.* 18. *Contra eos qui dicunt Spiritum S. non annumerari Patri, ſed ſubnumerari.* Quòd ſi ſoli Spiritui putant conuenire ſubnumerationem: diſcant Spiritum eodem modo pronuntiari cum Domino, quo Filius cum Patre. Itaque vt ſe habet Filius ad Patrem: ita Spiritus ad Filium, &c. *Cap.* 18. *In profeſſione trium Perſonarum, pium Monarchiæ dogma ſeruamus, &c.* Vnus Deus & Pater, vnus vnigenitus Filius, & vnus Spirituſſanctus. Vnamquamque Perſonam ſingulariter efferimus; non quaſi plures Deos, &c. Neque enim iuxta compoſitionem numeramus, ab vno ad plura: vt dicamus vnum, duo, tria; neque primum, ſecundum, tertium. *Ego enim Deus primus & poſterior.* Iſa. 43. Itaque iuxta Perſonarum proprietatem, vnus ſunt, & vnus: at iuxta communem naturam, vnum ſunt. Quomodo ſi vnus & vnus ſunt, non ſunt duo Dij? Quoniam Rex dicitur Regis imago, non autem duo Reges, &c. Itaque imaginis honor ad exemplar primum refertur, &c. Vt vnus eſt Pater, vnus Filius; ita & vnus Spirituſſanctus, &c. Non ſic à Patre veniens, vt ex Deo ſunt omnia: nec per generationem, vt Filius; ſed vt Spiritus oris eius. Non tamen os membrum eſt, nec flatus Spiritus: ſed os Dei Maieſtas dicitur, & Spiritus eſſentia viuens, ſanctificationis Author. *Infra.* Ad nihil aliud tendit ſubnumeratio: quàm vt profiteamur Deū primum, ſecundum, ac tertium. *Cap.* 19. *Contra eos qui dicunt non eſſe glorificandum Spiritum.* Ex varijs & æqualibus præconijs ſacræ Script. de Spiritu S. ac de Patre & Filio. Vt ſæpè ſupra. *Cap.* 20. *Contra eos qui dicunt Spiritum nec in ſeruili, nec in herili conditione eſſe, ſed in libertate.* Si Spiritus creatura eſt; ſeruit cum cæteris: ſi ſupra creaturam eſt, regni quoque conſors eſt. *Cap.* 21. *Spiritum appellari Deum ac Dominum.* 2. *Theſſ.* 3. 2. *Cor.* 3. *Cap.* 22. Spiritus æquè ac Pater & Filius incomprehenſibilis eſt. *Ioan.* 14. *Sap.* 1. *Pſal.* 138. *Cap.* 23. *Glorificatio Spiritus.* Nihil aliud intelligo gloriam, quàm commemorationem mirabilium, quæ illi adſunt. *Cap.* 24. *Abſurditates contrariæ.* Vis Spiritum vnum ex omnibus inglorium eſſe? Et tamen *miniſtratio Spiritus eſt in gloria*, 2. *Cor.* 3. Sit, inquiunt, glorificandus: at non cum Patre & Filio. Quî conſentaneum eſt rationi gloriæ conſortio ſpoliare eum, qui vbique coniunctus eſt Diuinitati, in profeſſione fidei, in baptiſmate, operatione, inhabitatione, donis, &c. ex pleriſque Script. hic repetitis. *Cap.* 25. *In, Pro, Cum*, ex ſacra Script. *Infra.* Cùm Dominus dixerit Patrem, & Filium, & Spiritum S. ſi dicam Patrem & Filium cum Spiritu S. nihil diuerſum dixero, &c. Ratio cur Patres noſtri ſimul amplexi ſint huius præpoſitionis vſum. Qui dicit *Cum* Patre Filium eſſe, ſimul & Perſonarum proprietatem, & inſeparabile conſortium exprimit. *Cap.* 26. *Quot modis dicitur, In, De Spiritu S.* Forma dicitur eſſe *In* materia, &c. Ita quatenus Spirituſſanctus habet vim perficiendi creaturam. Vt vis cernendi eſt in oculo ſano: ſic & operatio Spiritus in anima purgata, &c. Vt ars eſt in aliquo: ſic gratia Spiritus in eo qui recipit; ſemper quidem præſens, at non ſemper operans, &c. Vt ſanitas, calor, aut affectiones facilè mobiles: ſic & Spiritus in ijs qui mente ſunt inſtabili, &c. Vt verbum eſt in animo: ſic & Spirituſſanctus, &c. Vt totum eſt in partibus: ſic & Spiritus in aliquo, iuxta donorum diſtributionem, 1. *Cor.* 12. Vt partes ſunt in toto: ita ſinguli ſumus in Spiritu, &c. Eſt etiam velut locus eorum qui ſanctificantur. *Pſal.* 30. *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum.* Exod. 33. *Ecce locus apud me eſt.* Ioan. 4. *Adorabunt Patrem in Spiritu, &c.* Cæterū magis pium eſt dicere eum eſſe cum Patre, quàm ineſſe Patri, &c. Propriè ac verè coeſſe dicitur, &c. *Infra.* Vt in Filio dicimus adorationem, velut in imagine Dei Patris: ſic & in Spiritu, vt in ſeipſo Domini Diuinitatē exprimente.

Cap. 27. *Vnde, Cum, & quam vim habeat, &c.* Dogmata Eccleſiæ quædam habemus è doctrina ſcripto tradita: quædam ex Apoſtolorum traditione in myſterio, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, &c. Nam ſi conſuetudines conemur reijcere: ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Vt ſigno Crucis eos qui ſpem collocarunt in Chriſtum ſignemus, quis ſcripto docuit? Vt ad Orientem verſi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Inuocationis verba cùm oſtenditur panis Euchariſtiæ & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus quæ commemorat Apoſt. aut Euangelium, &c. Conſecramus aquam baptiſmatis, & oleum vnctionis, ipſumque qui baptiſmum accipit, &c. Nonne à tacita ſecretaque traditione? Ipſam olei inunctionem, quis ſcripto docuit? *Infra.* Ratio eſt cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt; ne dogmatum cognitio vulgò veniret in contemptum. Aliud autem eſt dogma; aliud edictum. Nam dogmata ſilentur, edicta publicantur. Eſt autem ſilentij ſpecies, etiam obſcuritas qua vtitur Script. *Infra.* Deficiet me dies; ſi Eccleſiæ myſteria citra ſcriptum tradita pergam recenſere. Ipſam

fidei

Digitized by Google

fidei profeſſionem, qua credimus in *Patrem*, & *Filium*, & *Spiritum S.* è quibus habemus ſcriptis? &c. Concedant nobis vt ſimpliciter glorificemus Deum, vt credimus, &c. Vnicam dictiunculam quæ à Maioribus ad nos deuenit, non concedunt, &c. *In*, magis denotat Dei ſocietatem nobiſcum: at *cum*, exprimit communionem *Spiritus* cum Deo, &c. *Cap.* 28. An nō extremi ſtuporis eſt, fateri Sanctos eſſe cum *Chriſto*: iſtos verò ne id quidem *Spiritui* tribuere? *Paulus* ſeipſum Dei *cooperarium* appellat: Si ſic appellemus, Spir. S. impietatis nos reos peragent, &c. *Hæredes Dei, & cohæredes Chriſti ſumus*: *Spiritus* verò exhæres eſt, &c. Nos cum Chriſto ſeſſuros eſſe ſperamus: *Spiritui* verò, non conſeſſum, non gloriam impartimur, &c. *Credimus in Spiritū*, & repugnamus, &c.

Cap. 29. Qui vſi ſint hac voce, *Cum*. 1. *Theſſ.* 2. *Traditiones obtinetis, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Quarum maximè vna eſt, hæc, &c. Si apud Tribunal ſcripto deſtituti multos vobis teſtes produceremus: nonne ſententiam conſequeremur? Si etiam temporis diuturnitatem euidenter oſtenderimus, &c. Veneranda ſunt enim vetuſta dogmata, ob antiquitatem, ceu canitiem, &c. Nos quidem heſterni ſumus, &c. Vocem hanc vt hæreditatem paternam conſeruo, acceptam à viro in ſeruitio Dei verſato, per quem & baptizatus ſum, &c. *Irænens* ille, & *Clemens Romanus*, & *Alexandrinus Dionyſius, &c.* in ſecunda ad ſibi cognominem Epiſtola: *His*, inquit, *formâ à Senioribus accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agere, &c. Deo Patri, & Filio D.N.I.C. cum ſancto Spiritu, gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.* Sed & *Clemens* antiquior. *Viuit* inquit, *Deus, & D.N.I.C. & Spiritus S.* Iræneus. *Nullum habentes Diuini Spiritus deſiderium, meritò Apoſtolus carnales vocat.* Euſebius Paleſtinus. *Saluatorem noſtrum Ieſum, cum Spiritu ſancto inuocantes. Origenes*, qui non ſanas habet de Spiritu opiniones, reueritus conſuetudinis robur, pias voces emiſit de Spiritu. Qui, ni fallor, libro 6. in *Ioan.* etiam *Adorandum Spiritum* euidenter pronuntiat, ſcribens: *Diuinitati adorandæ Trinitatis.* In Epiſt. ad Rom. *Sanctus Spiritus capax Deitatis.* Nec *Africanum* hiſtoricum talis glorificandi forma præterijt, in quinta de temporibus epitoma. *Chriſtus, cui gloria cum ſancto Spiritu, in ſæcula, &c.* Quis fuerit author verborum quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſſumus: *Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Dei.* Si quis etiam nouit *Athenogenis hymnum*, quem Diſcipulis ſuis reliquit, feſtinans ad Quæſtionem quæ fit per ignem: is nouit & martyrum ſententiam de Spiritu, &c. *Gregorium Magnum* i. *Taumaturgum*, & illius voces quo loco ponam? An non cum Apoſtolis, & Prophetis? &c. de eius vita & miraculis. Idem igitur fuit glorificationis modus quem inſtituit *Gregorius*, & is cui nunc contradicitur. Hanc fidem & *Firmilliano noſtro* fuiſſe, teſtantur eius libri. Inſuper, & *Meletium illum admirandum*, in eadem fuiſſe ſententia, narrant qui cum illo vixerunt. Imò nunc qui ſunt Orientales, agnoſcunt hac voce ſuos, &c. Vt autem ego è quodam *Meſopotamio* audiui, viro & linguæ eruditæ, & mentis integræ: neceſſe eſt illis per voces idem cum hac pollentes glorificationem offerre. Quin & *Cappadoces* ſic loquimur, &c. Quid porrò & Occidens totus? Nonne per hanc vocem orat? Quî fit igitur vt ego ſim innouator? *Infra.* Nihil arbitror formidabilius, quàm non formidare minas, quas Dominus in Spiritum blaſphemias iacientibus intentauit. *Cap.* 30. *De præſenti ſtatu Eccleſiarum.* Similis eſt bello nauali, &c. *Infra.* An non videbatur *Arrianum* ſchiſma per ſe ſolum obſtitiſſe? Verùm poſtea bellum in multas partes diſſectum eſt, &c. Tantum inter nos habemus ſocietatis, quantum communi odio aduerſarios proſequimur. Vbi præterierint hoſtes: videmus hoſtes inter ipſos eſſe mutuos. *Infra.* Alij ad *Iudaiſmum*, alij ad *Paganiſmum* deferuntur, &c. Vnicus amicitiæ finis eſt, ad gratiam loqui, &c. Erroris ſimilitudo, quauis coniuratione fidelior eſt, ad ſeditionis ſocietatem. Theologus quilibet eſt, &c. Grauis quædam *Anarchia*, à principatus amore populos inuaſit, &c. Has ob res ſilere vtilius iudicaui, quàm loqui, &c. Brutis facti ſumus brutiores, &c. de illo miſero ſtatu Eccleſiæ.

S. Gregorius Nazianzenus, cognomento *Theologus*, *Baſilij* quondam condiſcipulus, pleraque vt *S. Baſilius* ſupra: ſed procedit eludendo, vel retorquendo tritas calumnias & quæſtiunculas fallaces *Arrianorum, & Eunomianorum.* Vt *Orat.* 3. *De Theologia* contra *Eunomianos.* Tres de Deo Sententiæ ſunt: *Anarchia, Polyarchia, & Monarchia, &c.* Vnitas à principio in binarium mota, in trinitate conſiſtit. Atque hoc nobis eſt *Pater, & Filius, & Spiritus S. Infra.* Sed quando hæc, inquiunt? Cùm Pater erat. Quando Pater? Quando Filius genitus, &c. Cùm Pater genitus non eſt. Quando Spiritus proceſſit? Cùm Filius non proceſſit: *Infra.* Vel Pater, inquiunt, volens Filium genuit, vel nolens, *&c.* Ita nonam quandam Matrem voluntatem, Patris loco comminiſcuntur, &c. Dic: Ex volente Patre tuo procreatus es, an nolente? *Infra.* Generatio non eſt ipſa gignendi voluntas. Haud magna eſſet hæc generatio, ſi à te percipi poſſet, qui nec tuam noris. *Orat.* 5. *De Theologia*, quæ eſt de *Spiritu S.* Spiritum ſanctum *Sadducæi* penitus non eſſe cenſuerunt, *Act.* 23. *Infra.* Si, inquis, eſt *Ingenitus*, erunt duo principij expertes: ſi *Genitus* ex Patre, erunt duo Filij, ac Fratres: ſi ex *Filio*, erit Nepos. Eadem ratione maſculum Deum noſtrum exiſtimes, fœmineum quid Deitatem, denique *To Pneuma* neutrum. Vbi pones id quod procedit? Quæ eſt, inquies, hæc proceſſio? Dic tu quæ Patris *Ingenitura* ſit: & ego Filij generationem, & *Spiritus* proceſſionem explicare aggrediar, &c.

Quid ergo, inquiunt, Spiritui deeſt, ad hoc vt ſit Filius? Deeſſe nihil dicimus, *&c.* Verùm mutuæ eorum relationis differentia, diuerſa ipſis quoque nomina procreauit. Neque enim Filio aliquid deeſt ad hoc vt ſit Pater: alioquin Patri aliquid deerit ad hoc vt ſit Filius. Da igitur mihi, inquis, ex eodem alterum Filium, alterum qui Filius non ſit, & tamen eiuſdem ſubſtantiæ. Da tu mihi Deum alium, *&c.* Cùm verò Deus vnus

 ſit,

ſit, vnde tibi ſimilitudinem repræſentabo? Et tamen adnitar, &c. *Adam, Eua, Seth*, eiuſdemne eſſentiæ ſunt, an diuerſæ? Eiuſdem. Confiteris ergo fieri poſſe, vt quæ variè exiſtunt, eandem tamen eſſentiam habeant, &c. *Eua* & *Seth* nonne ex eodem *Adamo* ſunt? Vtrum ambo ex eo geniti? Minimè. Si Deus, inquiunt, & Deus, & Deꝰ, quid cauſæ eſſe poteſt quin tres ſint Dij? Quibus *Bideitatis* crimen propulſabitis, nobis ad *Trideitatis* crimen propellandũ ſufficient, &c. Nobis Deus vnus eſt: quoniam vna Deitas, atque ad vnũ quæ ex eo ſunt referũtur, etiamſi tres Perſonas credimus. Dixerint, Nonne humanitas vna eſt: & tamen multi homines? At illic communitas vnitatem habet cogitatione ſola conſiderabilem: ſingularia autem plurimùm inter ſe diuiſa ſunt. *Infra*. Nobis inculcas, *Spiritus S.* Diuinitatem nullo Scripturæ loco proditam haberi. Vnde tu *Ingenitum* & *Anarchum* accepiſti? Quid ergo cauſæ eſt cur literæ tantopere ſeruias? *Infra*. Vetus Teſt. Patrem apertè prædicabat, Filium obſcuriùs: Nouum nobis Filium apertè oſtendit, & Spiritus Diuinitatẽ ſubobſcurè indicauit. Nũc verò Spiritus ipſe ſeſe apertiùs declarat. *Ioan.* 14. Habebat quædam Saluator quæ à Diſcipulis tunc portari poſſe negabat: Ego vnum ex eorum numero eſſe cenſeo ipſam Spiritus ſancti Deitatem.

Matt. 28. A Spiritu regenerationem habemus. Quid adeo magnum & Diuinum eſt, quod non ipſe poſſit? Quod tam Diuinum nomen eſt: quo non, excepto *Ingeniti* & *Geniti* nomine, appelletur? Cui diuina illa natura comparanda ſit, reperire non potui. Nihil eſt in quo mens mea gradum figere queat, &c. Hoc mihi conſultiſſimum viſum eſt: vt miſſis vmbris, fidem mordicùs retineam, duceque ſancto Spiritu vtens, alios quoque pro viribus adducam; vt Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum adorent, vnam Diuinitatem ac potentiam; quoniam ipſi omnis gloria, honor, imperium, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Fides conſcripta apud Nicæam à rectè credentibus Epiſcopis 318. Credimus, &c. *Infra*. Nil periculoſius his hæreticis eſſe poteſt: qui cùm integrè per omnia decurrant; vno tamen verbo, ac ſi veneni guttâ, veram fidem inficiunt. *Infra*. Sublato *Homouſion* .i. vnius ſubſtantiæ, ſimilitudinem poſuerunt: cùm aliud ſit ſimilitudo, aliud veritas, &c. De *Homouſio*, vt ſupra.

S. Greg. Nyſſenus frater *S. Baſilij*, & eiuſdem fidei ac doctrinæ, contra *Arrianos*, & *Eunomianos*. Vt Libro *De S. Trin. & Spiritu S. Ad Euſtathium*, ſingulariter de vſu *Hypoſtaſis* pro Perſona; deque eadem Regia Maieſtate, ſæpè expreſſa in *Patre* & *Filio*, ſed & ſignificata in *Spiritu S.* ſub vnctione regia ipſius Filij.

Libro Ad Petrum fratrem: De differentia Hypoſtaſeos ab Eſſentia. Comparat plures Perſonas eiuſdem Eſſentiæ, pluribus coloribus eiuſdem Iridis. *Ratio communionis ad Eſſentiam reducitur: Hypoſtaſis verò, proprium cuiuſq; ſignum eſt. Sed* Heb. 1. *Figura hypoſtaſeos, &c. Qui fit vt ſoli Patri aſſignet nomen hypoſtaſeos: Filium verò quaſi formam dicat hypoſtaſeos?* Infra. *Non quòd in Hypoſtaſi quoque Vnigenitus non ſit: ſed quòd nullum ſuæ cum Patre vnitionis medium admittat, &c. Quoniam igitur, qui Filium viderit, Patrem videt*, Ioan. 14. *Idcirco Vnigenitum Patris ſubſtantiæ expreſſam Imaginem eſſe dicit. Itaq; Filij hypoſtaſis quaſi forma ac facies eſt, qua Pater cognoſcitur: & Patris Hypoſtaſis in forma Filij cognoſcitur, manente proprietate ad ſeparationem hypoſtaſeon, &c.*

S. Ioannes Chryſoſtomus inter pleraque moralia, miſcet etiam dogmatica contra Arrianos; & Macedonianos. Vt *Tom.* 3. *Hom. De S. & adorando Spiritu. In medio ſumus Arrianorum, qui reprobant Chriſti gloriam: In medio Macedonianorum, qui diuinam Spiritus gloriam contumelijs efficiunt, &c. Impoſſibile autem eſt eos, qui circa Spiritum ſanctum aberrant & claudicant, recto pede ambulare circa Filium. Vſque hodie non inuenis Macedonianum vllum Homouſij Verbo ſubſcribere, iuxta Nicænum decretum.* Subdit contra *Macedonianos*, non eſſe ex inæqualitate, ſed ex origine, quòd nec Filius, nec Spiritus S. loquatur à ſeipſo: Nec hinc nec illum mitti in natura Diuina; ſed in humana, vel in ſuis donis.

Hom. De fide, lege naturæ, & Spiritu S. ſub finem. *Act.* 15. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Si ſubditus eſt, quare ei viſum eſt? *Infra.* Sicut *Exod.* 14. *Moyſes*, 1. *Reg.* 12. *Samuel*, *Iud.* 7. *Gedeon* iunctus eſt Deo: ſic & Apoſtoli iuncti ſunt Spiritui S. *Act.* 15.

Hom. De S. & conſubſtantiali Trinitate: ex omnibus ſacris Script. contra omnes calumnias *Arrianorum* & *Macedonianorum*, vt ſæpè ſupra.

S. Epiphanius in ſuo *Panario* contra hæreſes, refert & refutat plurimas contra *S. Trin.* Vt *Lib.* 1. *Hæreſi* 14. *Sadducæi Spiritum S. ignorant.* Ex Act. 23. *Sadducæi dicunt non eſſe Reſurr. neq; Angelum, neq; Spiritum.* Hæreſ. 57. contra *Noëtianos*, à quodam *Noëto*: *qui auſus eſt dicere Deum Patrem paſſum eſſe*, ſeu eundem eſſe *Patrem* & *Filium*. *Hæreſi* 62. Contra *Sabellianos*, à quodam *Sabellio*: qui docuit vt *Noetus*, *eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum S. vt ſunt in homine corpus, anima, & Spiritus.* Hæreſi 65. Contra *Paulum Samoſatænum*: *qui aſſerit Deum Patrem, & Filium, & Spiritum S. vnum Deum eſſe: in Deo autem ſemper eſſe eius Verbum & Spiritum, vt in hominis corde: non eſſe autem Filium Dei in ſubſtantia, ſed in ipſo Deo: Vt etiam Sabellius, & Nauatus, & Noëtus, & alij: veniſſe autem Verbum, & habitaſſe in* IESV *homine.* Quod ſic repetit in ſua Anacæphaleoſi: *Hic affirmat Chriſtum in ſubſtantia non eſſe: Verbum prolatiuum ipſum eſſe confingens. Ita vt quæ de ipſo ſcripta ſunt, prædictorio more ſe habeant: ipſe verò non exiſtat niſi à Maria.*

Hæreſi 69. Contra *Arriomanitas* ſeu *Arrianos*: Vt alij Patres ſupra. Sed præ omnibus explicat illud *Prou.* 8. *Dominus creauit me, &c.* ex Hebræo, *Adonai canani* .i. Dominus poſſedit, acquiſiuit me, vtique per veram generationem, vt ſolet ſacra Script. loqui. Imò, inquit, proprijſſimè, *Canani* .i. *Excluſit me inſtar pulli.* Monet tamen infrà, Chriſtum in Cruce cœpiſſe Hæbraicè, *Eli, Eli*: ſed proſecutum Syriacè, *Lamaſabactani*, contra eos qui hæbraicam iactant. Hæreſi 71. Contra *Photinianos*, à *Photino*, &c. *Aſſerit ab initio Chri-*

Digitized by Google

ſtum non eſſe: verùm à Maria, ex quo Spiritus S. ſuperuenit in ipſam, &c. Non modicam diſputationem contra Baſilium habuit.

Hæreſi 38. Contra *Semi-Arrios, &c. Non dicimus,* inquiunt, *Filium velut vnã ex creaturis, &c. Non dicimus coeſſentialem, ſed eſſentialem.*

Hæreſi 74. Contra *Pneumatomachos. In Spiritum S. Blaſphemi ſunt, non connumerantes eum Patri, & Filio, in Deitate.*

Hæreſi 76. Contra *Anomœos*, à quodam *Aëtio*, &c. *Hic contra Filium Dei, & Spiritum S. linguam ſuam quotidie exacuit, &c. Auſus eſt enim dicere inæqualem, & diſſimilem Filium Patri eſſe: ſic & de Spiritu Sancto.*

Ex S. Ambroſio, ſpecimina.

Libro 1. *De fide ad Gratianum Auguſtum. Cap.* 1. Breuis expoſitio fidei Catholicæ, contra *Iudæos, Sabellianos, Arrianos, &c. Cap.* 2. Omne Regnum in ſe diuiſum facilè deſtruitur, *Matt.* 12. Non ergo diuiſum eſt regnum Trinitatis. *Cap.* 3. Diſſimilem Patri dicunt eſſe Dei Filium: Hoc ſi homini obijciatur, iniuria eſt, &c. *Cap.* 4. Non poteſt bono Patri placere, ſi Filius degeneraſſe potiùs à Patre, quàm Patrem æquaſſe credatur. *Infra.* In picturis nolunt homines eſſe diſſimiles: & *Arrius* contendit diſſimilem Patrem, in Filio. *Cap.* 5. *Erat, Erat, Erat, Erat. Ioan.* 1. Vbi impius inuenit quòd non erat? *Cap.* 6. *Vanitati creatura ſubiecta eſt*, *Rom.* 8. Legimus genitum, primogenitum, vnigenitum, generationem, non creationem. Non dixit *Prou.* 8. Pater creauit me; ſed Dominus. In eo igitur ſe creatum dicit, in quo & hominem, &c. *Cap.* 9. Cui credimus: *Ioanni cap.* 1. an *Arrio* inter effuſa ſua viſcera ſe volutanti? Crepuit enim vt *Iudas, Act.* 1.

Libro 2. *Cap.* 1. De Filio Dei, vt Bono. *Cap.* 2. De eodem, vt vero & bono. *Cap.* 3. De eodem, vt Omnipotente. *Exod.* 15. Dominus Omnipotens nomen eius. *Apoc.* 1. Dominus IESVS Omnipotens. *Infrà.* Mea eſt voluntas, quam ſuam dixit, &c. *Matt.* 26. In ſenſum S. *Hil.* ſuprà. *Cap.* 4. De eodem, vt Domino Maieſtatis, 1. *Cor.* 2. *Infrà.* Filius Dei non minor natus, ſed minoratus, *Pſal.* 8. *Heb.* 2. *Infrà. Phil.* 2. *Non rapinam arbitratus eſt, &c.* Quòd enim quis non habet, rapere conatur, &c. *Gen.* 22. Per meipſum iuraui. *Heb.* 6. Qui per ſe iurat, minor eſſe non poteſt. *Ioan.* 8. *Abraham diem meum vidit, & gauiſus eſt.* Ipſe eſt ergo qui per ſe iurauit, quem *Abraham* vidit, &c.

Lib. 3. *Cap.* 3. Plerique docti & fideles ſic pronuntiant. *Ioan.* 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Alij ſic: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Deinde: *Quod factum eſt in ipſo* .i. in ipſo eſt. *Cap.* 4. *Ioan.* 8. Tu quis es? Principium quod & loquor vobis. *Cap.* 5. Ad *Ioan.* 1. *Poſt me venit*, temporis eſt: *prior me erat*, æternitatis; *ante me factus eſt*, honoris. *Cap.* 6. Patris & Filij vnum eſſe regnum, non diuiſum, *Matt.* 12. 16. *Luc.* 23. *Epheſ.* 3. *Cap.* 7. Vna Maieſtas, gloria, ſubſtantia Patris, & Filij, *Matt.* 25. De ſubſtantia Dei, *Pſal.* 138. *Ier.* 23. *Quis ſtetit in ſubſtantia Dei, & vidit Verbum eius?* Quomodo ergo negant Dei eſſe ſubſtantiam? Cur *Homouſion* Patri nolunt filium dici: niſi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? Fruſtra autem verbum iſtud propter Sabellianos ſe declinare dicunt. *Homouſion*, aliud alij: non ipſum eſt ſibi. Rectè ergo Filium *Homouſion* Patri dicimus: quia eo verbo, & Perſonarũ diſtinctio, & naturæ vnitas ſignificatur.

Lib. 4. *Cap.* 2. Si Chriſtum apud Deum Patrem volunt eſſe ſicut mulier eſt apud virum, 1 *Cor.* 11. vnius vtiq; Chriſtum & Deum dicunt eſſe ſubſtãtiæ. Sed ſine ſexu. *Cap.* 3. Ad *Ioan.* 5. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrẽ facientem.* O præſcia Sapientia! Quæ ſubiecit: *Quia quæcunque ille fecerit, eadem & Filius facit ſimiliter, &c. Infrà.* Fortè Philoſophicas Idæas præſtituunt: quas ab ipſis tamen Philoſophis ſcimus irriſas, &c. *Infrà.* Ponamus quòd Filius faciat, quod quaſi in exemplari viderit Patrem facientem: Nullus poteſt alterius imitationem implere, niſi eiuſdem naturæ habeat vnitatem.

Cap. 14. Dicunt Omnipotentem Patrem eſſe, quòd generauit Filium: negant Omnipotentem Filium, quòd generare non potuit, &c. *Infrà.* Generatio Paternæ proprietatis eſt, non potentiæ: & pietas æquat, non ſeparat. Frequenter infirmi filios habent, non fortiores, &c. Sed dicunt & hoc infirmitatis eſſe, quòd velint habere filios, nec poſſint, &c. Intelligant inter ipſos quoque homines, non potentiæ eſſe, ſed paternæ proprietatis, habere filios, vel non habere: nec in poteſtate voluntatis eſſe generare, ſed in corporis qualitate &c. Nunquid natura eſt? Eadem eſt Patris natura, quæ Filij. Itaque aut verum Filium dicitis, &c. Aut negatis Patrem Omnipotentem, ſi generare non potuit, &c. Si Omnipotens Pater, quia Filium habet: Omnipotentior eſſe potuit, ſi plures haberet, &c. *Eccli.* 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui* .i. non coacta, ſed libera. *Pſal.* 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te. Infrà.* Adijciunt: ſi Verbum Patris Filius eſt, multifariàm locutus eſt Pater, *Heb.* 1. multos ergo generauit filios. Quaſi non intelligant, quid interſit, inter prolatiuum ſermonem, & æternum Dei Verbum. Subtexunt: an volens, an inuitus generauerit Filium Pater? Sed nihil in ſempiterna generatione præcedit, nec velle, nec nolle: ergo nec inuitũ dixerim, nec volentem, &c. *Cap.* 5. Sed obijciunt, *Ioan.* 6. *Ego viuo propter Patrem.* Si ad Diuinitatem referunt: propter Patrem viuit Filius; quòd ex Patre ſit, quòd vnius ſubſtantiæ, quòd Pater, fons & radix Filij ſit. Sed dicunt: *Qui manducat me, & ipſe viuit propter me.* Imò planè: Sicut veritatem fateor eſſe vitæ cœleſtis in Patre, & Filio; ita & ſocietatem nobiſcum vitæ ſpiritalis in Filio, excepto priuilegio. Non ſolùm autem non vereor quòd ſcriptum eſt: *Viuo propter Patrem*; ſed etiamſi, *per Patrem* dixiſſet.

Lib. 5. *Cap.* 1. Ad *Ioan.* 17. *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Patrem vtique copulauit, & Filium. Nunquam enim coniunctio ſeparat, &c. Cur non putes ſubaudiendum: *etiam Ieſum Chriſtum ſolùm verum Deum?* Heb. 13. *Chriſtus heri, & hodie, ipſe eſt.*

Eſt,

Digitized by Google

Eſt, inquit, non ſolùm nomine, ſed etiam veritate: *Heri*, propter æternitatem; *hodie*, propter corporis ſuſceptionem, &c. *Infra*. Sed aſſerunt *Arriani*, &c. Qui vnius ſubſtantiæ ſunt, non vnus Deus, ſed duo Dij videntur, ſicut duo homines, &c. *Infra*. Quòd vnius eſt ſubſtantiæ, ſeparari non poteſt: etiamſi non ſit ſingularitatis, ſed vnitatis. Singularitas ad perſonam pertinet, vnitas ad naturam. Quæ verò diuerſæ ſubſtantiæ ſunt, plura dicuntur. *Cap*. 2. Matt. 20. *Non eſt meum dare vobis.* Non poſſibile homini aliquid perebatur, &c. Ponite tamen poſſibile, &c. Quid eſt: *Non eſt meum dare vobis? &c.* Non ſibi poteſtatem deeſſe aſſerens; ſed meritum, creaturis. *Aliter*. *Non eſt meum*, qui veni humilitatem docere: *ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Vt oſtenderet, Patrem non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis. *Rom*. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit.* Non enim ante prædeſtinauit, quàm præſciret: ſed quorum merita præſciuit, eorum merita prædeſtinauit. *Cap*. 3. Si minorem putas eum qui mittitur: *Tobias Raphaelem* miſit, *Tob*. 9. Eſto tamen, minor ſit qui mittitur, eo à quo mittitur: ergo & *Pilato* minor Chriſtus; quia *Pilatus* miſit eum ad *Herodem*. Vnde ideo miſſum credere debemus, quòd ex illo incredibili ſecreto Maieſtatis, dedit ſe comprehendendum pro captu noſtro mentibus noſtris Dei Verbum. *Gen*. 11. *Venite deſcendamus, & confundamus linguas eorum.* Deſcendere videtur, ſi noſtros Dei Verbum penetret affectus, &c. *Cap*. 4. Ex verborum ordine, differentiam faciunt Diuinæ poteſtatis, &c. Poſſum aſſerere in pleriſque locis priùs Filium nominatum, poſtea Patrem. Vt *Ioan*. 1. Negant in Chriſtum eſſe credendum. *Ioan*. 12. *Qui in me credit, non credit in me, ſed in eum qui me miſit* .i. Non in hominem tantùm quem videtis. *Ioan*. 6. *Creditis in Deum, & in me credite.* *Cap*. 5. Cur Filius Dei creatura dici non poſſit. Ex varijs Script. ſæpè ſupra citatis. *Cap*. 6. De perfecta ſubiectione naturæ humanæ Chriſti in ſe: ſed perficienda in nobis. 1. *Cor*. 15. *Cap*. 7. Veteres codices Græci non habent, *Marc*. 13. *Neq; Filius.* Quid mirum, ſi & hoc falſarunt? Ad *Luc*. 2. plerique dicunt, quòd Chriſtus ſecundùm Diuinitatem ignorare non potuit, &c. Ego autem, quòd noſtra ignoratione neſcire ſe diceret, non quòd aliquid ipſe neſciret. *Cap*. 8. Epilogus ad Deum, &c.

Ex Lib. 1. De Spiritu S. ad Gratianum Auguſtũ. *Cap*. 1. 2. 3. Vt Deus Pater, & Filius non eſt inter, ſed ſuper omnia: ſic & Spiritus S. Nec in vllo opere ſeparantur, ſed cointelliguntur.

Cap. 3. Nunquid cùm gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris, aut Filij denegatur? *Infra*. Act. 19. *Baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, &c.* Qui vnum dixerit, Trinitatem ſignauit, &c. Vnde in Spiritu quoque rectè nos baptizare poſſe Scriptura iudicat, *Act*. 1. 1. *Cor*. 12. Subter, creatura omnis: ſupra, Diuinitas Patris, Filij, Spirituſſ. illa ſeruit, hæc regnat; illa adorat, hæc adoratur. *Heb*. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, &c.* Spiritus non eſt miniſter, ſed teſtis Filij, *Ioan*. 15. Qui teſtis eſt, nouit omnia. Qui diuidit quod vult, 1. *Cor*. 12. ſuper omnia, non inter omnia eſt. Diuidere enim operatoris, non operis eſt, &c. Qui vbi vult ſpirat, *Ioan*. 3. vbique ſine damno eſt. Qui igitur ſuper omnia eſt, non ſeruit: qui non ſeruit, liber eſt; qui liber eſt, habet iura dominatus, &c. *Matt*. 12. Sicut vna dignitas: ſic vna iniuria. *Cap*. 4. Nomina propria, vel appropriata Spirituſſ. A *Cap*. 5. *ad* 20. *& vlt*. Plurima communia & æqualia Spiritus S. cum Patre & Filio, ex ſacris Script. Vt *Cap*. 10. *Prou*. 8. *Sapientia ex Ore Altiſſimi prodiſſe ſe dicit*: non vt extra Patrem ſit; ſed apud Patrem, & in Patre, &c. Spiritus quoque cùm procedit à Patre & Filio, non ſeparatur à Patre, nec à Filio. Quomodo ſeparari poteſt qui Spiritus oris eius eſt? Nobis deſcendere videtur: ſed ad illum animus noſter aſcendit, &c. *Cap*. 14. Vnum eſt nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *Matt*. 28. *Ioan*. 5. 14. *In nomine meo, &c.*

Libro 2. *Per* 12. *Cap*. Alia communia & æqualia. Vt *Cap*. 6. Vt Patri, & Filio: ſic & Spiritui ſancto ſeruiendum, *Rom*. 1. *Phil*. 3. *Spiritui Deo ſeruientes*: Græcè Latria. Vbi nunc legimus: *Spiritu ſeruimus Deo.*

Libro 3. *Per* 23. *Capita*. Alia communia tribus, vel duabus Perſonis. Vt, *Cap*. 3. Spirituſſ. ſuper Chriſtum, vt hominem. Sicut Pater, ſic & Spiritus miſit Filium: Pater autem & Filius, Spiritum ſanctum. *Ioan*. 1. *Matt*. 1. *Luc*. 3. *Ioan*. 16. *Luc*. 4. *Eſa* 44. *Ioan*. 14. *Cap*. 2. Vt Filius: ſic & Spiritus ſanctus datus eſt à Patre, & à ſeipſis. *Eſa*. 9. *Ioan*. 14. *Cap*. 10. Spirituſſanctus dicitur Deus, *Act*. 5. *Cap*. 11. Dicitur & Deus, *Ioan*. 4. Quem locum, ô *Arriani* ita expreſsè teſtificamini eſſe de Spiritu: vt eum de Codicibus veſtris auferatis, &c. *Cap*. 12. Cum Patre & Filio in Maieſtate Dei adoratur Spirituſſ. *Ioan*. 1. *Adorabunt patrem in Spiritu & Veritate, &c.* *Phil*. 3. *Spiritui Deo ſeruimus.* Matt. 4. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* *Cap*. 13. Vt Deus habet templum in quo habitat, non vt Sacerdos, nec quaſi miniſter, ſed vt Dominus Deus: ſic & Spirituſſ. 1. *Cor*. 3. 6. *Pſal*. 10. *Cap*. 15. Spirituſſ. eſt Dominus, vt Pater, & Filius. 1. *Theſ*. 3. *Ioan*. 1. 16. Adde 2. *Cor*. 3. *Cap*. 16. *Marc*. 6. *Nolite duobis Dominis ſeruire.* *Cap*. 18. Vt ſanctus Pater: ſic & Filius, & Spirituſſ. ſed non tres ſancti; quia vna vera ſanctitas. *Eſa* 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.*

Ex libro de fide orthodoxa contra Arrianos. Cap. 1. Nihil periculoſius his hæreticis eſſe poteſt: qui cum integrè per omnia decurrant: vno tamen verbo, ac ſi veneni gutta, meram illam ac ſimplicẽ fidem Dominicæ, & exinde Apoſtolicæ traditionis inficiunt, &c.

Ex S. Hieronymo Epiſt. 57. Ad Damaſum.

POſt Nicænam fidem trium *Hypoſtaſeon*, ab Arrianorum Præſule, nouellum à me homine Romano nomen exigitur, &c. Interrogamus quid tres *Hypoſtaſes* arbitrentur intelligi. Tres Perſonas ſubſiſtentes aiunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant, &c. Clamamus, ſi quis tres *hypoſtaſes*, aut tria *enypoſtatica* .i. tres Perſonas ſubſiſtentes non confitetur; Anathema ſit, &c. Si quis autem

hypoſtaſin,

Digitized by Google

Hypoſtaſin, Vſian intelligens, non in tribus Perſonis vnam hypoſtaſin dicit, alienus à Chriſto eſt, &c. Diſcernite, ſi placet: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis, &c. Tota Schola nihil aliud hypoſtaſin, niſi Vſian nouit. Et quis ore ſacrilego, tres ſubſtantias prædicabit? &c. Sufficiat nobis dicere, vnam ſubſtantiam, tres Perſonas ſubſiſtentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & vna teneatur, &c. Mihi credite, venenum ſub melle latet, &c. Obteſtor per *Homouſion* Trinitatem: vt mihi epiſtolis tuis ſiue tacendarum, ſiue dicendarum *hypoſtaſeon* detur authoritas.

Dialogo contra Luciferanos, Cap. 7. Relatâ Synodo Ariminenſi. [His ita geſtis, Concilium ſoluitur, læti omnes ad ſuas Prouincias reuertuntur. Sed diu ſcelera non latent, &c. Cœperunt *Valens & Vrſatius* iactare, ſe *Filium* non creaturam negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis. Tunc *Vſiæ* nomen abolitum eſt: tunc *Nicænæ* Fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totius Orbis, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt.

Ex Libris tribus *Dydimi Alexandrini*, de Spiritu S. ab ipſo *S. Hier.* tranſlatis, & maximo eius præconio dignis. Conſtant quidem pleriſque Scripturis, ſæpè ſupra citatis: ſed & quibuſdam alijs, proprijs rationibus optimè explicatis. Vt *Lib.* 1. In ſolis ſacris literis notio & vocabulum *Spiritusſancti* refertur. Monet autem græcè exprimi propriè *To Pneuma-Hagion* .i. *Hunc Spiritum S.* Ipſa vox non eſt vacua appellatio: ſed ſubiacentis ſubſtantiæ demonſtratio, Patri Filioque ſocia, & à creaturis penitùs aliena. Hæ quippe virtutum capaces ſunt: illa verò, effectrix eſt, &c. Quod ſubſtantialiter bonum eſt, non poteſt extraneæ capax eſſe bonitatis.] Ex peccatis in Spiritū S. *Matt.* 12. *Heb.* 10. & ex vi ſanctificandi, infert Spiritum S. eſſe Deum, æqualem Patri & Filio. Idem infert, ex eius præſentia & actione vbique, ex intima præſentia & repletione animarum, imò & ex ipſo nomine effuſionis, nonniſi rei participabilis, & communi etiam Filio, *Cant.* 11. Effuſio ſignificat largam abundantiam. *Quæ ſequuntur videntur ipſius Hieron.* Capabilem ſubſtantiam vocat, quæ capitur à pluribus: Capacem verò, quæ communicatione ſubſtantiæ alterius impletur, & capiens aliud, non capitur. *Infrà.* 2. *Cor.* 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio S. Spiritus, ſit ſemper cum omnibus vobis.* Oſtenditur vna Trinitatis aſſumptio. *Luc.* 11. *Spiritus S. digitus Dei nominatur, &c.* Si ergo coniunctus eſt digitus manui, & manus ei cuius manus eſt: ſine dubio ad eius ſubſtantiam refertur.

Lib. 2. *Viſum eſt Spiritui S. Act.* 15. Non operationem ſignificat, ſed naturam. *Iob.* 1. *Sicut Domino viſum eſt.* Non arbitror quenquam tam inſanum futurum, vt perfectum baptiſma putet, *Matt.* 28. quod datur in nomine *Patris*, & *Filij*, ſine aſſumptione Spiritus S. aut in nomine *Patris & Spiritus S. Filij* vocabulo prætermiſſo: aut in nomine *Filij*, & *Spiritusſ.* non præpoſito vocabulo *Patris.* Licet enim quis ita baptizare conetur: ſine perfectione baptizabit, imò penitus à peccatis liberare non poterit. Ex his colligitur quàm indiuiſa ſit ſubſtantia Trinitatis, &c. *Infrà.* Virtutes, & artes, & affectus, in animabus habitare poſſibile eſt: non tamen vt ſubſtantiuas, ſed vt accidentales; creatam verò naturam in ſenſu habetare, impoſſibile eſt. Quòd ſi & Spiritusſ. animæ eſt habitator: nulli dubium eſt, quin cum Patre & Filio credi debeat increatus. *Infra.* Ineffabili, & ſolo fide noto ſermone credendum eſt, Saluatorem exiſſe à Deo, *Ioan.* 16. & Spiritum veritatis à Patre egredi, *Ioan.* 15. Secundùm proprietatem & intellectum Parentis, egredi ab eo dicitur Spiritus Veritatis, &c. Siquidem non ſolum Filium, ſed & Spiritum mittit Deus. *Ioan.* 14. *Et alium Paracletum dabit vobis.* Non alium ab eo qui à Filio mittitur, *Ioan.* 15. *Quem mittam vobis à Patre. Infrà.* Sed & Pater, Deus omnis conſolationis dicitur. *Infrà.* Ioan. 15. *Quem mittet Pater in nomine meo, &c.* Cùm propriè nomen eius ſit *Filius*, &c. in appellatione Filij miſſus à Patre Spiritusſ. non ſeruus, non alienus, nec diſiunctus à Filio intelligatur. Et vt Filius *Ioan.* 5. *Ego veni in nomine Patris mei, &c.* Sic nullus alius venit in nomine Patris, ſed Domini, Dei, &c. Quia ergo Spiritus S. in nomine *Filij* à *Patre* mittitur, habens *Filij* proprietatem ſecundùm quod Deus eſt, non tamen *Filietatem*, vt Filius eius ſit: oſtendit quia vnicè ſit iunctus ad Filium. Vnde & *Gal.* 4. Filij dictus eſt Spiritus, per adoptionem faciēs Filios. *Ioan.* 14. *Docebit vos omnia, &c.* Non quaſi Doctor diſciplinæ, quam aliunde eſt conſecutus: ſed quaſi ipſa ars, doctrina, Veritatiſque Spiritus, &c. Nam & Pater ſic docet, & Filius. *Infra. Ioan.* 6. *Non loquetur à ſemetipſo.* i. Non ſine me, & ſine meo & Patris Arbitrio: quia inſeparabilis à mea & Patris eſt voluntate; quia non ex ſe eſt, ſed ex Patre & me eſt. Hoc enim ipſum quod ſubſiſtit & loquitur, à Patre & me illi eſt. *Infrà.* Loqui Patrem, & audire Filium, vel Filio loquente audire Patrem, eiuſdem naturæ in Patre & Filio, conſenſuſque ſignificatio eſt. Spiritus quoque S. non poteſt Filio loquente audire quæ neſcit: cùm hoc ipſum ſit quod profertur à Filio .i. procedens à veritate, &c. Vt Filius dans non priuatur his quæ tribuit: ſic & Spiritus S. non accipit quod ante non habuit. Spiritum S. à Filio accipere, id quod ſuæ naturæ fuerat, cognoſcendum eſt. Si quidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur, quibus ipſe ſubſiſtit. Neque enim aliud eſt Filius, exceptis eis quæ ei dantur à Patre: neq; alia ſubſtantia eſt Spiritus, præter id quod ei datur à Filio. *Infrà.* Ioan. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, De meo accipiet, &c.* i. Quæ habet Pater iuxta ſubſtantiam, æternitatem, immutabilitatem, bonitatem, de ſe, & in ſe ſubſiſtentem, &c. Patris nomine, ſe Filium declarauit, paternitatem non vſurpauit. *Infrà. Rom.* 8. Plurima de ſocietate Spiritus cum Patre & Filio, demonſtrantur. Subdit autem tria. 1. Idem Spiritus Dei, & Chriſti, eſt, copulans Chriſto, &c. 2. Spiritus S. ſuſcitat, viuificat. 3. Adoptat.

Libro 3. Contra eos qui Bonitatem Dei, à Iuſtitia ſeparantes, alium Deum Bonum Euangelij, alium Iuſtum veteris Teſt. finxerunt. Subdit

varia vtriuſque Teſt. præconia Dei vt Boni, & Iuſti. Inter quæ *Eſa* 1. & 63. apud 70. *Ad iracundiam concitaſtis Sanctum Iſrael. Exacerbauerunt Spiritum ſanctum eius, &c.* Eadem indignatio,tam ad Spiritum S. quàm ad Sanctum Iſraël refertur. *Infra.* Eſa 63. apud 70. *Vbi eſt qui poſuit ſuper eos Spiritum S.* Dereliquit eos quia ipſi priùs dereliquerunt,&c. *Pſal.*142. *Spiritus tuus bonus deducet me.* Vel,*Spiritus tuus.* Marc. 10. *Nemo bonus niſi vnus Deus.* Sed ne nomen Spiritus, inter Perſonas Diuinas, vel cum creaturis confundatur: diſtinguit plurimas eius acceptiones,reſeruans nomen Spiritusſancti ſimpliciter, ſoli Perſonæ Diuinæ procedenti à Patre & Filio. Tandem explodit pleraſque calumnias oppoſitas, vt indignas reſponſione: excepto quodam ingreſſu & repletione cordis à maligno ſpiritu, *Ioan.* 13. *Act.* 5. & 13. Vnde videri poſſet hoc non eſſe proprium Spiritui ſancto. Cui reſpondet, negando ſpiritum malignum poſſe intrare aut replere animam ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm ſolam operationem. Quia introire priori modo, eſt *ſolius increatæ naturæ, quæ poſſit participari à pluribus. Vt Diximus ſupra: quod participatione capitur, eſſe incorruptibile, immutabile, & æternum.*

Ex Doctrina S. Auguſtini.

LIbro De Hæreſibus: præter hæreſes directè contra Chriſtum, à nobis relatas in 3. *Sent. col.* 239. 240. *Hæreſi* 30. *Alogiani*, ſeu *Alogi* .i. ſine Verbo. Quia Deum verbum recipere voluerunt. Apud *S. Epiph.* 51. *Hæreſi* 36. *Noëtiani*, à quodam *Noëto*, qui dicebat *Chriſtum eſſe Patrem & Spiritum S. Hæreſi* 41. *Sabelliani*, à *Sabellio* illius *Noëti* diſcipulo,dicunt eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum S.&c. qui & *Patri-paſſiani*, quaſi à paſſione Dei Patris,& *Praxeanæi* à *Praxea*, & *Hermogeniani* à *Hermogene* appellati ſunt. 43. *Origeniſtæ*, inquit *Epiph.* dicunt *Chriſtum & Spiritum S.* eſſe creaturam, &c. Sed defenſores *Origenis* negant. *Infra.* Dicit ipſe *Origines*,quòd Filius Dei ſanctis hominibus comparatus, veritas ſit: Patri collatus, mendacium; & quantum diſtant Apoſtoli a Chriſto, tantum Filius à Patre. Vnde nec orandus eſt Filius cum Patre:quia non eſt author indulgendarum petitionum, ſed ſupplicator. 44. *Pauliani*, à *Paulo Samoſateno*, dicunt Chriſtum non ſemper fuiſſe, nec amplius eſſe quàm hominem, &c. Iſta hæreſis fuit *Arthemonij*: ſed inſtaurata eſt à *Paulo*; & poſtea ſic à *Photino* confirmata, vt *Photiani* quàm *Pauliani* celebriùs nuncupentur. 49. *Arriani*, ab *Arrio*, in eo ſunt notiſſimi errore: quo *Patrem, & Filium, & Spiritum S.* nolunt eſſe vnius eiuſdemque naturæ; ſed volunt *Filium* eſſe creaturam, *Spiritum* verò ab ipſo *Filio* creatum, &c. 51. *Semi-Arrianos Epiph.* dicit,qui ſimilis dicunt eſſentiæ eſſe Patrem & Filium: quaſi Arriani nec ſimilem eſſe velint,cùm hoc *Eunomiani* dicere celebrentur. 52. *Macedoniani* à *Macedonio* Conſtantinop. Epiſcopo: *Pneumatomachos* Græci dicunt; eo quòd de Spiritu S. litigent,creaturam eum eſſe dicentes. 54. *Aetiani*, ab *Aetio*, ijdemque *Eunomiani*, ab *Eunomio Aetij* diſcipulo: qui celebriùs hanc hæreſim defendit, aſſerens diſſimilem per omnia *Patri*, *Filium*, & *Filio Spiritum S.* 58. *Metangiſmonitæ*, qui *Metangiſmon* aſſerunt, dicentes ſic eſſe in Patre Filium, quomodò vas in vaſe, à *meta*, & *angeon* .i. vas. 74. Triformem Deum putantes: vt quædam pars eius ſit *Pater*,quædam *Filius*, quædam *Spiritusſanctus*. 8. Filium Dei ſemper fuiſſe: non tamen ſemper Filium fuiſſe, &c.

Lib. 1. *Doct. Chriſt. cap.* 5. Res quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritusſanctus eſt: eademque Trinitas vna quædam ſumma res,communiſque omnibus fruentibus.

Lib. De Fide & Symbolo, Cap. 2. De 1. *Art.* fidei, *in Deum Patrem Omnipotentem, & Creatorem omnium, &c. Cap.* 3. *De* 2 *Art.* fidei, *in Ieſum Chriſtum Filium Dei Patris vnigenitum, vnicum Dominum noſtrum,&c. Verbum* autem *Patris* ideo dictum eſt: quia per ipſum innoteſcit Pater, &c. Hoc enim & nos conamur, cùm loquimur, &c. vt quaſi alter animus ab animo, per quem ſe indicet, proferatur, &c. Deus autem Pater, qui veriſſimè ſe indicare animis cogituris & voluit & potuit: hoc ad ſeipſum indicandum genuit,quod eſt ipſe qui genuit, &c. *Cap.* 4. Hac fide Catholica excluduntur, qui eundem dicunt eſſe *Filium*, qui *Pater* eſt,&c. Qui etiam creaturam dicunt eſſe *Filium*. Nam idem eſt condere, quod creare: quanquam latinè dicatur aliquando creare pro gignere; ſed non græcè. *Prou.* 8. *Dominus creauit me* .i. Chriſtum vt hominem.

Cap. 9. *De* 8. *Art.* fidei *in Spiritum S.* vt conſubſtantialem & coæternum Patri& Filio. Exemplificat 1. in eadem aqua,diſtincta in fontem,fluuium, & potum, 2. In eadem arbore, diſtincta in radicem, truncum, & ramum. 3. In tribus poculis ex eodem fonte.] Subdit, quæ videntur ex ſacra Script. contra æqualitatem Filij cum Deo Patre: vel dici ſecundùm naturam humanam; vel quia Filius debet Patri quicquid eſt,Pater autem nulli. [De Spiritu S. autem, nondum tam copioſè diſputatum eſt: vt intelligi facilè poſſit, quo proprio ſit, vt eum neque Filium, neque Patrem dicere poſſimus,&c. Auſi ſunt tamen quidam ipſam communionem Patris & Filij, atque Deitatem,quam etiam dilectionem in ſe inuicem, Charitatemque volunt intelligi, Spiritum S. credere, ex *Rom.* 5. 1. *Ioan.* 3. 4. Dicitur *Spiritusſanctus*: quoniam ad permanendum *ſanciuntur*, quæcunque ſanctificantur; nec dubium eſt, à *ſanciendo* ſanctitatem vocari, &c. Quodque ſæpè nulla fit commemoratio Spiritusſancti: ad hoc pertinere dicunt; quia non ſolet commemorari ipſa connexio, &c. Huic ſententiæ contradicunt, qui arbitrantur iſtam Communionē Deitatem Charitatem, non eſſe ſubſtantiam: quærunt autem ſecundùm ſubſtantiam ſibi exponi Spiritum S. Sed quicquid ibi intelligi poteſt, Subſtantia eſt. Verùm hæc dici poſſunt facilè, & credi: videri autem niſi puro corde non poſſunt. Quapropter, ſiue iſta vera ſit ſententia, ſiue aliud aliquid ſit, fides inconcuſſa tenenda eſt,&c.

Libro 83. *qq.* 16. 18. 23. 37. 43. 50. 60. 69. quædam alia de S. Trin. Sed quia *q.* 23. De generatione propriæ Sapientiæ à Deo Patre,remittit ſe ad ſuos Libros de Trin. nos & reliquas eò referamus.

Libri

Digitized by Google

Ex Libris 15. *De S. Trinitate.* ab hoc eorum obiecto principali. *Libro* 1. De humili fide vnius Dei, & cognitione trium Perſonarum Diuinarum. Ex pleriſque ſacris Script. quibus toties ſuprà: ſed ſingulariter ex hoc principio euidenti, *Cap.* 1. *Nullà res eſt quæ ſeipſum gignat.* Vt & Lib. De Immortalitate Animæ, Cap. 8. *Nulla res ſe facit, aut gignit: alioquin erat antequam eſſet.* Hinc enim ſequitur realis differentia Originis inter Perſonas Diuinas. *Cap.* 6. Ex eadem ſeruitute, adoratione, ſeu Latria Dei & trium Perſonarum. *Deut.* 16. *Matt.* 4. *Phil.* 3. 1. *Cor.* 6. *Cap.* 7. Ex Regula conciliandi ſacras Script. de qualitate Filij cum Patre ſecundùm naturam Diuinam, inæqualitate ſecundùm humanam.

Libro 2. De alia Regula conciliandi Miſſionem Filij Dei à Patre, & Spiritusſ. à Patre & Filio, cum æqualitate: deque varijs apparitionibus Dei, & Perſonarum Diuinarum. Vt, *Cap.* 5. A Patre exire & venire in mundum, *Ioan.* 16. hoc eſt mitti, &c. *Infrà.* Pater inuiſibilis, vna cum Filio ſecum inuiſibili, eundem Filium viſibilem faciendo, miſiſſe eum dictus eſt, &c. *Ioan.* 8. *A meipſo non veni:* ſecundùm formam ſerui dictum eſt, &c. Iam in promptu eſt intelligere etiam de Spiritu S. cur miſſus & ipſe dicatur. Facta eſt enim quædam creaturæ ſpecies, in qua viſibiliter oſtenderetur, *Matt.* 3. *Act.* 2. Hæc operatio viſibiliter expreſſa, miſſio Spiritusſ. dicta eſt. *Cap.* 6. Nuſquam ſcriptum eſt, quòd Deus Pater maior ſit Spiritu S. quia non ſic aſſumpta eſt creatura in qua appareret Spiritusſanctus, ſicut aſſumptus eſt Filius hominis.

Libro 3. De varijs modis quibus Deus apparuit. Vt *Cap.* 10. Cùm Dei perſona ſuſcipitur, aliquando in Angelo demonſtratur, aliquando in eâ ſpecie quæ non eſt quod Angelus, quamuis per Angelum diſpoſita miniſtretur, &c.

Libro 4. De principali miſſione Filij Dei, per Incarnationem: deque duplici eius miſſione, ſecundùm Diuinitatem, & humanitatem; ſed Spiritusſ. miſſione & proceſſione à Patre & Filio. Vt, *Cap.* 20. Non eo ipſo quo de Patre natus eſt, miſſus dicitur Filius: ſed vel eò quod apparuit huic mundo *Verbum caro factum*; vel ex tempore cuiuſquam mente percipitur, &c. Sed Pater non dicitur miſſus: quia non habet de quo, vel ex quo procedat. *Infrà.* Sicut natum eſſe, eſt Filio à Patre eſſe: ita mitti, eſt Filio cognoſci quòd ab illo ſit. Et ſicut Spiritui S. donum Dei eſſe, eſt à Patre procedere: ita mitti, eſt cognoſci quòd ab illo procedat. Nec poſſumus dicere, quòd à Filio non procedat. Neque enim fruſtra idem & Patris, & Filij Spiritus dicitur. Nec video quid aliud ſignificare voluerit, *Ioan.* 20. ſufflans in faciem Diſcipulorum: & *Ioan.* 15. *Quem ego mittam vobis à Patre*, oſtendens quòd totius Diuinitatis principium Pater eſt. *Cap.* 21. Trinitas ſimul operata eſt & vocem Patris, & Carnem Filij, & Columbam Spiritusſancti.

Libro 5. De identitate ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ, & omnium abſolutorum in Deo, abſque vllo accidente, vt ſuprà *col.* 117. 249. ſed pluralitate reali & proprietate relatiuorum ac notionalium; indeque propria diſtinctione Spiritus S. à Filio. Vt, *Cap.* 6. Alia notio eſt qua intelligitur Genitor, alia qua Ingenitus, &c. Cùm verò Ingenitus dicitur Pater: non quid ſit, ſed quid non ſit dicitur. *Cap.* 7. Relationes pertinent ad idem prædicamentum cum ſuis poſitiuis: non ergo receditur à relatiuo prædicamento cùm Ingenitus dicitur. *Cap.* 8. Quicquid ad ſe dicitur .i. abſolutè, ſubſtantialiter dicitur: quod autem ad aliquid, relatiuè, &c. Quicquid de ſingulis ad ſeipſos dicitur: non pluraliter in ſumma, ſed ſingulariter accipitur. Eſſentiam quæ græcè *Ouſia* dicitur, vſitatiùs ſubſtantiam vocamus. Dicunt quidem & illi *hypoſtaſim*: ſed neſcio quid volunt intereſſe inter *Ouſiam*, & *Hypoſtaſim*. Ita vt plerique dicere conſueuerint, vnam *Ouſiam*, tres *Hypoſtaſes*. Non audemus dicere vnam eſſe eſſentiam, tres ſubſtantias: ſed vnam Subſtantiam, tres Perſonas.

Cap. 11. & 12. Nomina propria ſingularum Perſonarum ſunt relatiua: ſed non ſingula mutuò correlatiua. Vt Spiritusſ. eſt Patris & Filij: ſed non Pater & Filius, Spiritusſancti. *Cap.* 14. Eluceſſit cur Filius non ſit etiam Spiritusſ. cùm & ipſe à Patre exeat, *Ioan.* 15. Exit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus: & ideo non dicitur Filius. *Infra.* Si ergo id quod datur, principium habet eum à quo datur: fatendum eſt *Patrem, & Filium* principiũ eſſe *Spiritusſancti*, non duo principia. *Cap.* 5. Quia ſic procedebat, vt eſſet donabile: iam donũ erat antequã eſſet cui daretur.

Libro 6. De perfecta æqualitate Perſonarum Diuinarum: ſimpliciquè multiplicitate & multiplici ſimplicitate; non tamen triplicitate, ſed Trinitate. Vt ſuprà *Col.* 243. 244.

Libro 7. De Sapientia, Perſona, Subſtantia Dei. *Cap.* 1. An Deus ſit ita Pater Sapientiæ ſuæ, 1. *Cor.* 1. vt hàc Sapientià Sapiens ſit, quam genuit, &c. An ita ſit ſapiens quomodo dicens. Verbo enim quod genuit dicens eſt, &c. Verbo ſibi æquali dicit ſeipſum, &c. Dicens ergo illo coæterno Verbo, non ſingulus intelligitur: ſed cum ipſo Verbo, ſine quo non eſt vtique dicens. i.] Non quaſi Deus Pater dicat ipſo Verbo, aut cum ipſo Verbo, vt dicendi conprincipio; ſed vt dicendi termino, & formaliter exprimente ipſam eſſentiam. Quod eſt dicere ſeipſum, ſeu dicendo exprimere. *Infrà.* Omnis eſſentia quæ relatiuè dicitur, eſt etiam aliquid excepto relatiuo. Quapropter, ſi Pater non eſt aliquid ad ſeipſum: non eſt omnino qui relatiuè dicatur ad aliquid. Quòd ſi Pater qui genuit Sapientiam, ex ea ſit ſapiens: qualitas eius eſt Filius, non proles. Sed abſit, &c. Ergo & Pater, ipſa Sapientia eſt, & Filius dicitur Sapientia Patris, vt lumen Patris, &c. *Cap.* 2. Cùm Filius dicitur Verbum: ac ſi dicatur Nata Sapientia. *Cap.* 3. Sapientia ergo Filius, de Sapientia Patre: ſicut lumen de lumine, vt Deus de Deo, &c. Spiritus quoque ſanctus, ſiue ſumma charitas, vtrumque coniungens, noſque ſubiungens, &c. Quomodo non eſt etiam ipſe Sapientia? Cùm ſit lumen. 1. *Ioan.* 1. *Deus lumen eſt.*

Cap. 4. Loquendi cauſa de ineffabilibus, dictum eſt à noſtris Græcis, vna Eſſentia, tres ſubſtantiæ: à Latinis autem, vna Eſſentia vel ſubſtantia, tres

Digitized by Google

Perſonæ. *Infrà*. Nam ſi hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere: ita non erant dicendæ tres ſubſtantię, vt non dicuntur tres eſſentiæ. Sicut enim ab eo quod eſt eſſe, appellatur eſſentia: ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus. Abſurdum eſt autem vt ſubſtantia relatiuè dicatur. Omnis enim res ad ſe ſubſiſtit: quantò magis Deus? Si tamen dignum eſt vt Deus dicatur ſubſiſtere. *Cap*. 5. Si Deus ſubſiſtit vt ſubſtantia propriè dici poſſit: ineſt in eo aliquid tanquā in ſubiecto,&c. Vnde manifeſtum eſt Deum abuſiuè ſubſtantiam vocari: vt nomine vſitatiore intelligatur eſſentia, quod verè ac propriè dicitur, *Exod*. 3. Sed ſiue eſſentia, ſiue ſubſtantia: vtrumque ad ſe dicitur, non relatiuè,&c. Fortaſſis igitur commodiùs dicuntur tres Perſonæ,quàm tres ſubſtantiæ. *Cap*. 6. Si Græci vellent, poſſent dicere tres Perſonas,tria *Proſopa*.] Subdit grauem etiam difficultatem de nomine Perſonæ: Quod cùm ſit commune tribus Perſonis, nec ſit relatiuum, ſed abſolutum: cur non dicantur vna Perſona in communi, ſed tres: *Niſi*, inquit, *quia volumus vel vnum aliquod vocabulum ſeruire huic ſignificationi, quâ intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati, Quid tres, cùm tres eſſe fateremur*. Hæc fuit etiam perplexitas *S.Hier*. ſuprà: priuſquam ſatis conſtaret hypoſtaſes Dei,à Græcis Catholicis non ſumi pro ſubſtantijs, nec pro ſubſiſtentijs abſolutis, ſed relatiuis, ſeu Perſonis.

Libro 8. De æquali veritate, bonitate, & dilectione Dei. Vt ſuprà *Col*. 323. 336. *Lib*. 9. De De imagine S.Trin.ſecundùm mentem, notitiam, & amorem eiuſdem à ſeipſo. Vt *cap*. 3. Mens,& amor, & notitia eius, tria ſunt: & hæc tria vnum ſunt; & cùm perfecta ſunt, æqualia ſunt. *Infra*. Quomodo mens,& amor, & notitia non ſint eiuſdem ſubſtantiæ, non video: cùm ipſa ſe amet, & ipſa ſe nouerit. Vnius ergo eiuſdemque eſſentiæ neceſſe eſt hæc tria ſint .i. obiectiuè. *Cap*. 5. Miro modo tria iſta inſeparabilia ſunt à ſemetipſis: & tamen eorum ſingulum quodq; ſubſtantia eſt; & ſimul omnia vna ſubſtantia vel eſſentia, cùm relatiuè dicantur ad inuicem .i. Mens vt noſcens, vel nota,vel noſcibilis: & amans, amata vel amabilis à ſeipſa. *Cap*. 10. Verbum eſt cum amore notitia. Cùm itaque ſe mens nouit,& amat: iungitur ei amore Verbum eius. *Cap*. 11. Cùm mens ſeipſam nouit atque approbat,ſic eſt eadem notitia Verbum eius,vt ei ſit par omnino & æquale: quia neque inferioris eſſentiæ notitia eſt, neque ſuperioris. Notitia paritur à cognoſcente, & cognito. Itaque mens cùm ſeipſam cognoſcit, ſola parens eſt notitiæ ſuæ: cur non etiam cùm ſe amat? Sed amor non rectè dicitur genitus: quia iam notitià inuentum eſt, &c. Quæ autem reperiuntur, quaſi pariuntur. Vnde proli ſimilia ſunt: vbi niſi in ipſa notitia? Ibi enim quaſi expreſſa formantur, &c. Partum ergo mentis antecedit appetitus quidam: quo id quod noſſe volumus, quærendo & inueniendo, naſcitur proles ipſa notitia; ac per hoc appetitus ille quo concipitur,pariturque notitia,partus & proles rectè dici non poteſt. Idemque appetitus, quo inhiatur rei cognoſcendæ,fit amor cognitæ, dum tenet atque amplectitur placitam prolem .i. notitiam,gignentique coniungit: & eſt quædam imago Trinitatis, ipſa mens, & notitia eius, vt amor tertius,&c.

Libro 10. De imagine SS. Trin, in Memoria, Intelligentia, & Voluntate. *Libro* 11. De veſtigio S. Trin. in ſenſibus externis,& internis.

Libro 12. De quadam ſimilitudine S. Trin.ſecundùm portionem inferiorem rationis: non autem ſecundùm vtrumq; ſexum & prolem,&c.

Libro 13. De ſimilitudine,necdum tamen vera imagine S. Trin. in ſcientia actiua,aut fide & pia voluntate circà myſteria humana Chriſti.

Libro 14. Tandem de perfecta imagine Dei, ac S. Trin. in Memoria, Intelligentia, & Amore ipſius Dei. *Cap*. 12. Hæc igitur Trinitas mentis, non propterea Dei eſt imago, quia mens meminit ſui, & intelligit, ac diligit ſe: ſed quia poteſt etiam meminiſſe Dei, & intelligere,ac amare Deum à quo facta eſt, &c. Vt ſupra ex *Alenſi P*. 1. *q*. 61. *P*. 2. *q*. 8. 62. *m*. 5. *S. Bon. in* 1. *d*. 3. *art*.2.3. *Scoto in* 1. *d*. 3. *q*. 5. & 9. Nos in 2. q. 8. à *col*.399. *ad* 403. & infra *q*. 19. Scholaſtica, de myſterio S.Trinitatis: vt rationabili & credibili ex ipſa eius in nobis Imagine.

Libro 15. De hoc myſterio S. Trinitatis,ſupra omnem ſimilitudinem imaginis creatæ. *Cap*. 1. & 2. De quærendo Deo ſupra noſipſos. *Cap*. 3. Recapitulat priores libros 14.ferè vt ſupra. *Cap*.4. Iam ergo in ipſis rebus æternis, Trinitatem quæ Deus eſt, inquiramus, &c. *Cap*. 5. De vnitate & diſtinctione Perfectionum Diuinarum. Vt ſupra *col*. 234. *Cap*. 6. An hæc ſapientia quæ Deus dicitur, non ſe intelligit, non ſe diligit? Quis hoc dixerit? Ecce ergo Trinitas:Sapientia,& Notitia ſui,& Dilectio ſui. *Cap*.7.Quanta ſit differentia inter Trinitatem Dei,& noſtram. *A cap*. 10. *ad* 17. De imperfectione verbi noſtri, & perfectione Diuini. Vt ſupra *col*. 355. 356. *A cap*. 17. *ad vlt*. præcipuè de Spiritu S. Vt, *Cap*. 17. Sicut Sapientia, ita & Charitas Pater dicitur,& Filius, & Spirituſſ. & ſimul omnes vna charitas. Non tamen dicitur Verbum niſi Filius, neque Donum Dei niſi Spirituſſ. nec de quo genitum Verbum, nec de quo principaliter procedit Spirituſſ. niſi Deus Pater. Addidi, *Principaliter*: quia & de Filio Spirituſſ. procedere reperitur; ſed hoc illi quoque Pater dedit,non iam exiſtenti,& nondum habenti, ſed gignendo dedit, &c. Si propriè aliquid horum trium Charitas nuncupanda eſt: quid aptius quàm vt hoc ſit Spirituſſ? Vt non ſit aliud ſubſtantia, aliud charitas, ſiue in Patre, ſiue in Filio, ſiue in Spiritu S. & tamen propriè charitas Spirituſſ. nuncupetur. 1.*Ioan*.4. Dilectio ex Deo eſt. *Cap*. 19. De nomine Doni. Vt corpus carnis, *Coloſſ*. 2. nihil aliud eſt, quàm caro: ſic donum Spirituſſ. nihil aliud eſt quàm Spirituſſ. In tantum ergo donum Dei eſt, in quantum datur eis quibus datur: apud ſe autem Deus eſt, etſi nemini detur, &c. Nec quia datur ideo minor eſt. Ita enim datur ſicut donum Dei,vt etiam ſeipſum det ſicut Deus. *Ioan*. 3. & 1.*Cor*. 12. *Infrà*. Quid conuenientius quàm vt ille dicatur charitas propriè, qui Spiritus eſt communis ambobus? Reliqua ſupra *col*. 387. *Cap*. 20. *Contra* *Euno-*

Digitized by Google

Eunomium. Acutè quidam Hæretico interroganti, vtrum Filium volens an nolens genuerit: Reſpondit, Vtrum Deus Pater volens an nolens ſit Deus, &c. Reliqua ſupra *col.* 387. *Cap.* 21. De bona voluntate; ſeu charitate, quaſi ſciente quid agat. Vt ſupra *col.* 368. *Cap.*22. 23. De varijs differentijs noſtræ Imaginis, ab ipſa Trinitate Diuina. *Cap.* 24. De neceſſitate fidei S. Trinitatis. [Qui vident ſuam mentem, & in ea trinitatem iſtam, nec tamen eam credunt eſſe imaginem Dei: ſpeculum quidem vident, ſed adeo non vident per ſpeculum, vt nec ipſum ſpeculum quod vident ſciant eſſe ſpeculum .i. imaginem. Fide contemptâ, quid agunt intelligendo: niſi vt ipſâ quoque intelligentiâ ſuâ teſte damnentut? *Cap.* 25. *De futura mercede fidei.* Ibi cernemus quare non ſit *Filius*, *Spirituſſ.* cùm de Patre procedat, &c.

Cap. 26. *De proceſſione Spirituſſancti à Patre, & Filio, ſine generatione*: ex pleriſque Scripturis ſæpè ſupra citatis, de miſſione & datione Spirituſſ. à Patre & Filio. *Quantus*, inquit, *Deus eſt*, *qui dat Deum?* *Act.* 10. *Vnxit eum Deus Spiritu ſancto*: quando *Verbum caro factum eſt.* *Infrà.* Si enim quicquid Pater habet, de Patre habet Filius: habet vtique vt de illo procedat Spirituſſ. &c. Cùm Spiritum S. genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitū: nè duos Patres, vel duos qui non ſunt de alio quiſquam ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio: ideo ſolus appellatur Ingenitus. Filius autem de Patre natus eſt: & Spirituſſ. de Patre principaliter eſt; & ipſo dante, communiter de vtroque procedit. *Cap.* 27. *De eadem proceſſione*, *non generatione.* Quia difficillimum eſt generationem, à proceſſione diſtinguere: ſufficiat interim, quòd de hac re in ſermone, quodam ad aures populi Chriſtiani diximus, dictumque conſcripſimus, &c. Cur Filius dixit, *Ioan.* 15. *De Patre procedit?* Niſi vt ſolet ad eum referre, & quòd ipſius eſt, &c. *Ioan.* 17. *Mea doctrina non eſt mea*, *ſed eius qui miſit me.* Si & ipſe Spiritus S. Filius diceretur: amborum vtique Filius diceretur, quod abſurdum eſt. Filius quippe nullus eſt duorum, niſi Patris & Matris. *Infrà.* Attolle oculos in ipſam lucem, & eos in eam fige, ſi potes. Sic enim videbis quid diſtet natiuitas Verbi Dei, à proceſſione doni Dei. Propter quod Filius Vnigenitus, non de Patre genitum, alioquin Frater eius eſſet, ſed procedere dixit Spiritum. Vnde cùm ſit communio quædam ſpecialis Patris & Filij: amborum Spiritus, non amborum dictus eſt Filius.] Subdit voluntatem de cogitatione procedere: non tamen eſſe cogitationis imaginem; & ideo quandam in hac re natiuitatis & proceſſionis inſinuari diſtantiam; quoniam non hoc eſt cogitatione conſpicere, quod appetere, vel etiam perfrui voluntate. *Cap.* 28. *Epilogus ad Deum.* Credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum S. &c.

Ex tribus Libris contra Maximinum, Arrianorum Epiſcopum. *Libro* 1. ſeu Collatione inter præſentes. *B. Aug.* Spiritus gemit, clamat, poſtulat pro nobis .i. *In quo clamamus*, *&c.* *Rom.* 8. Si Filius natus eſt ab æternitate, & tamen minor eſt: melior eſt humana conditio; quia homo creſcere poteſt, & aliquando venire ad ætatem & robur patris ſui. *Ioan.* 20. *Deum meum*, *& Deum veſtrum &c.* Non eſt Pater, Dei Deus: ſed Deus eſt Chriſti .i. vt hominis. 1. *Cor.* 6. *Qui adhæret Deo vnus Spiritus eſt.* Non vis vt tantum adhæreat Patri Filius, vt ſit vnus Deus? Hoc & de Spiritu S. 1. *Cor.* 3. & 6. Quomodo Spiritus S. non eſt Deus verus: cui nos ipſi templum ſumus? *Ioan.* 17. *Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus.* Non dixit, *Vt ipſi & nos vnum*; ſed, vt *ipſi ſint vnum*, in natura ſua concordi, &c.

Libro 2. Ad abſentem. *Cap.* 2. Patrem ſolum inuiſibilem eſſe dixiſti: quia ſuperiorem non habet. Dic nobis quando tibi indicauerunt Archangeli, quòd ipſi videant Angelos, non autem ipſi videantur ab Angelis? Confeſſus es Patrem Filio eſſe viſibilem, ex *Ioan.* 6. ſed mox addidiſti de tuo, *Vidit incapabilem.* Cap. 4. *Solus habet Immortalitatem*, 1. *Tim.* 6. ſed ſolus Deus, non ſolus Pater. *Cap.* 6. Filius viri fortis, ſi non habet fortitudinem, degener dicitur, tamen homo eſt: Vos Vnigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, vt ipſam Patris ſubſtantiam ei denegetis. *Cap.* 10. *Qui adhæret Deo*, *vnus Spiritus eſt.* 1. *Cor.* 6. Non ait vnum ſunt, vt *Ioan.* 11. Si non vultis per vnitatem ſubſtantiæ, certè per conſenſionem voluntatis dicite, Pater & Filius vnus Deus eſt. De quo *Lib.* 3. *cap.* 10. Infra. *Cap.* 11. Voluiſti additum, 1. *Cor.* 6. *Spiritus Dei habitat in vobis*; quia purgat templum Dei, non ſuum; vt cùm purgauerit, ibi habitet Deus. Cùm 1. *Cor.* 3. & 6. *Templum Dei eſtis*, *& Spiritus Dei habitat in vobis.*

Lib. 3. *cap.* 3. *Da*, inquit, *teſtimonia vbi adoratur Spiritus S.* Tu vbi legiſti Deum Patrem Ingenitum? &c. Multò plus eſt quod habet Spirituſſ. Templum, quàm ſi eum legeres adoratum: & homines enim à Sanctis nouimus adoratos. *Cap.* 9. *Soli Deo honor & gloria*, *Coloſſ.* 1. Qui Deus inuiſibilis eſt, non qui ſolus inuiſibilis, &c. Sed eleganter te exiſtimas inueniſſe: *Vidit Patrem*, *ſed vidit incapabilem.* *Pater autem ſic videt Filium*, *vt tenens in ſinu ſuo.* Sinum tibi fingis: Abijce iſta phantaſmata; & ſinum Patris ideo dictum accipe, vt intelligatur iſte Genitus, iſte Genitor. Si *Incapabilis* eſt Pater, non Filius: non veraciter dictum eſt, *Ioan.* 16. *Omnia quæ habet Pater*, *mea ſunt.* *Ergo*, inquis, *Deus Pater pars eſt Dei?* Abſit. 1. *Ioan.* 5. *Et hi tres vnum ſunt*, & ſummè vnum. Si autem natura vnum eſſent, & conſenſione vnū non eſſent, non ſummè vnum eſſent: ſi verò naturâ diſpares eſſent, vnum non eſſent.] *Vbi videtur ex ſumma vnitate ſeu identitate conſenſus*, *inferre identitatem naturæ*, vt ſupra Lib. 2. cap. 10. *Et ſubſignificare Filium eſſe vnum Deum cum Patre ex vi naturalis generationis*, *Spiritum S. eſſe vnum Deū cum Patre & Filio*, *ex proceſſione & identitate voluntatis.* *Infrà.* Nec huius Trin. tertia pars eſt vnus, nec maior pars duo quàm vnus, nec maius aliquid omnes quàm ſinguli; quia ſpiritalis hæc, non corporalis eſt magnitudo. *Infrà.* Si in vna Patris Perſona, & plura inuenis, ſed partes non inuenis, vt ſupra *col.* 229. Quantò magis Pater, & Filius, & Spirituſſ. Deus vnus eſt, & tres Perſonæ ſunt, & propter ſingulorum perfectionem

Digitized by Google

partes Dei non ſunt? *Cap.* 12. *Beatus & ſolus potens, &c.* 1. *Tim.* 6. Abſit vt ideo ſit potentior Pater Filio, quia ille Creatorem genuit, non hic. Neque enim non potuit, ſed non oportuit. Immoderata enim eſſet diuina generatio, ſi Genitus Filium Nepotem gigneret Patri: quia & ipſe Nepos niſi Auo ſuo Pronepotem gigneret, ſecundùm veſtram ſapientiam, impotens diceretur.

Cap. 14. Ideo dicitur *Ioan.* 15. *Spirituſſ. de Patre procedit*: quia Pater proceſſionis eius eſt Author, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, vt etiam de ipſo procederet Spirituſſ. Quid autem inter naſci & procedere interſit, explicare quis poteſt? Diſtinguere inter illam generationem, & proceſſionem non ſcio, non valeo, non ſufficit. Vt *Eſa* 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ita & proceſſionem, &c.] Quia nec explicari poteſt quid ſit procedere *per modum nati, vel per modum dati, &c.* ſupra 5. *Trin.* 14. *Infrà.* Pater & Filius vnius ſunt, eiuſdemque ſubſtantiæ. Hoc eſt illud *Homouſion*, in Conc. *Nycæno* firmatum: quod poſtea in *Ariminenſi*, propter nouitatẽ Verbi minus intellectum, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas ſub hæretico Imperatore *Conſtantio* labefactare tentauit. Sed poſt non longum tempus, libertate fidei Catholicæ prævalente, longè lateque defenſum eſt. *Infrà. Beatius eſt magis dare, quàm accipere, Act.* 20. Sed in hac vita, vbi eſt inopia. Vbi autem qui dedit, gignendo dedit, & qui accepit, naſcendo accepit: non inopi ſubuentum eſt, ſed ipſa copia generata eſt. Nec poteſt qui accipit, ei qui dedit eſſe inæqualis: quia & hoc accepit, vt eſſet æqualis. *Infrà.* Quòd Pater miſerit, miſſuſque ſit Filius: non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ, &c. *Infrà.* Si Chriſtus vt homo accepit poteſtatem, & præceptum à Patre, *Ioan.* 10. nulla quæſtio eſt, &c. Si vt Deus, non hinc oſtenditur minor; quia naſcendo id accepit, non indigendò. In Verbo enim vnico Dei, omnia præcepta ſunt Dei: quæ ille gignens dedit naſcenti; non cùm genuiſſet addidit indigenti. *Cap.* 15. Nonne Dei Regis Filio paternum Regnum auferre tolerabilius eſt, quàm naturam? *Nos*, inquis, *in Patre Deum innatum, naturam non accipimus, &c.* Putatis quòd à naſcendo natura ſit dicta. Si non eiuſdem naturæ, dicite Filium eiuſdem ſubſtantiæ, &c. Quomodo Filio Patrem ſimilem dicitis? Nonne ſimilis homini eſt pictura vel ſtatua: & tamen Filius dici non poteſt? *Infrà.* Agnoſce æqualitatem Patris & Filij: quia & homo ſi poſſet, Filium generaret æqualem. *Cap.* 18. *De æqualitate Spirituſſ. cum Patre & Filio.* Ex *Pſal.* 32. 103. *Matt. & Luc.* 1. 1. *Cor.* 12. Sed *Ioan.* 1. 8. *Act.* 2. & alibi, ſub nomine vnius Perſonæ intelligi tres, &c. *Cap.* 18. *De reuerentia & obedientia Chriſti ad Patrem, ſaluâ æqualitate.* Obſequitur homo Patri ſuo, nec tamen obſequendo deſinit eſſe homo. Et ſi honoratior eſſet Filius, gauderet Pater, non inuideret; honoraret tamen etiam ipſe Patrem, etſi natus ei eſſet æqualis. Æqualem verò ſi potuiſſet genuiſſet, imò & meliorem, &c. Sed maius & melius Deo quicquam non poteſt eſſe: Ergo ei verum Filium credamus æqualem. *Infrà.* Originis quæſtio eſt, quis de quo ſit: æqualitatis autem, qualis aut quantus ſit. Proinde ſi admittit ratio veritatis, vt æquali Patri, Filius obſequatur æqualis; non negamus obſequium: ſi autem per obſequium, minorem naturâ vultis intelligere, prohibemus. *Cap.* 20. *De vnitate Filij Dei cum Patre, in natura Diuina: Differẽtia in humana, & miſſione Chriſti vt hominis à Deo Patre & Spiritu S. & à ſeipſo vt Deo.* Matt. 26. *Non quod ego volo, ſed quod tu, &c.* Aliud ſe oſtendit voluiſſe quàm Pater: cùm infirmitatem noſtram in ſuum, non Diuinum, ſed humanum transfiguraret affectum. *Ioan.* 6. *Non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me*: poteſt quidem accipi etiam ſecundùm id quod eſt Vnigenitum Verbum; non eſt tamen abſurdum vt etiam ſecundùm id quod homo factus eſt, &c. *Infra.* Sicut autem facit Filius voluntatem Patris, ſic & Pater Filij, *Ioan.* 17. *Volo Pater, &c.* Cap. 21. *De Diuinitate Spiritus ſancti: ex pleriſq; Script. ſacris*, vt ſæpè ſupra. Vbiq; adeſt Spirituſſ. ad homines regenerandos, & non eſt eis Deus? Imò verò eſt, & Deus verus, &c. Quis ita deſipiat, vt dicat aliquem non eſſe dominum domus ſuæ? *Infra.* Cùm de Patre procedat, quomodo cum Patre non ſedeat: cùm ipſa ſeſſio vtique non ſit cogitanda carnaliter? Alioquin opinaturi ſumus honorabiliùs ſedere Filium ad dextram, quàm Patrem ad ſiniſtram. *Epheſ.* 2. *Fecit nos ſimul ſedere, &c.* Sancti ſimul ſeſſuri ſunt: & ipſi Spiritui S. ſubtrahitur ille conſeſſus, tanquã ſedere cum Patre, vel Filio ſit indignus, qui eàdem ſede efficit condignos. i. ſubordinatè. *Cap.* 22. *De vnitate fidelium inter ſe, in Deo: non autem cum Deo ipſo, &c.* Quis præcipitauit vt diceres: *Apoſtoli vnum ſunt cum Patre & Filio: Vnum ad concordium pertinet, vnus ad numerum ſingularitatis?* Scrutare Scripturas, & inueni, ſi potes, vbi dicta ſint aliqua vnum, quæ ſunt diuerſæ naturæ? 1. *Ioãn.* 5. *Tres ſunt teſtes: Spiritus, Aqua, & Sanguis, & tres vnum ſunt, &c.* Ne fallaris: Hæc enim Sacramẽta ſunt, &c. Vt nomine Spiritus, ſignificatum accipiamus Deum Patrem: nomine Sanguinis, Filium; nomine Aquæ, Spiritum S.

Cap. 23. *De vno eodemq; Deo, ac Domino, tribuſq; Perſonis Diuinis*: ex pleriſque ſacris Script. vt ſupra. Inter alia. Non agitur de Domino quales ſunt homines: ſed de Domino cui ſeruitus latriæ debetur, *Deut.* 6. *Matt.* 4. Qui ſi non eſt Trinitas, ſed ſolus Pater: prohibemur vtique Domino Deo Chriſto tali ſeruitute ſeruire, &c. *Infrà.* Si dixiſſet, *Matt.* 10. *Luc.* 18. *Nemo bonus, niſi vnus Pater*: nec ſic excluſum Filium, & Spiritum S. voluiſſet intelligi. Quantò ergo nobis latitudo intelligentiæ magis patet? *Infra.* Si Pater minus bonitatis quàm quod ipſe habet, Vnigenito dedit: minùs bonus eſt & ipſe, quàm debuit. Ergo quantum ipſe habet bonitatis, tantum Filio dedit. Naſcenti, non indigenti dedit. *Cap.* 25. *De eminentia Dei Patris ſupra naturam humanam Chriſti: huius autem, etiam ſupra Angelos.* Naturâ humanæ mentis qualem Chriſtus aſſumpſit, quæ nullo peccato potuit deprauari, ſolus maior eſt Deus.

Cap. 26. *De æquali inuiſibilitate, incomprehenſibilitate, apparitione, & aderatione trium Perſonarum*:

ex

ex *Gen.* 3. 13. 18.19.20.22.32. *Exod.* 3. 1.*Tim.*6. 1. *Ioan.* 3. Vt ex *Gen.* 18. 19. Quid ſibi vult iſta viſibilis Trinitas, & intelligibilis vnitas: niſi vt nobis inſinuaretur, quòd ita tres eſſent Pater, & Filius, & Spirituſſanctus vt tamen non tres Dij & Domini eſſent, ſed vnus Dominus Deus. *Abraham* tres vidit, & vnum adorauit, à quo præterire noluit, ab vno reſponſum Diuinitatis accipit. Et *Loth* duos vidit, & tamen vnum Deum agnouit. Vbi mihi videntur per Angelos ſignificari Filius, & Spirituſſ. quoniam illi Angeli ſe miſſos eſſe dixerunt. *Infra.* Addidiſti, *Vnus etiam incapabilis atq́; immenſus.* Si capi non poteſt: quomodo *Ioan.* 14. non ſolum Filius, verùm etiam Pater veniunt ad hominem? An fortè dicis: non ex toto, ſed ex parte capiuntur? Non ſunt ergo *incapabiles*, qui ſunt vel ex parte capabiles. An ideo addidiſti, *immenſum*: quia totius capax non eſt humana natura? Verùm & hoc de Filio dici poteſt, &c. *Baruch* 3.] Non quòd neget Deum Patrem eſſe à nobis incapabilem: ſed nec plus nec minus, quàm Filium, & Spiritum S.

*Ex Tract. 6. in Ioan. 5. Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quòd viderit Patrem facientem.*i. Quicquid Filius habet vt faciat, à Patre habet vt faciat: quia à Patre habet vt poſſit, à Patre habet vt ſit, &c. Videre Filij, eſt natum eſſe de Patre. *Tract. 21. Pater enim omnia demonſtrat Filio quæ facit.* Videndo enim natus eſt, & naſcendo videt. *Tract.* 23. Non faciendo demonſtrat Pater Filio: ſed demonſtrando facit per Filium. *Infrà.* Sic demonſtratio Patris, Filij viſionem gignit: vt Pater Filium gignit. Demonſtratio quippe generat viſionem: non viſio demonſtrationem. Quòd ſi puriùs intueri valeremus: fortaſſe inueniemus, nec aliud eſſe Patrem, aliud eius demonſtrationem; nec aliud Filium, aliud eius viſionem, &c. *Tract. 99. in Ioan. 16. Paracletus non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audierit, loquetur, &c.* Quid interſit inter procedere & naſci, & longum eſt quærendo differere, & temerarium definire, &c. Ab illo audiet, à quo procedit. Audire, illi ſcire eſt: ſcire, eſſe. Nec moueat verbum futuri temporis: illa quippe audientia ſempiterna eſt, &c. Semper itaque audit Spirituſſ. quia ſemper ſcit. Ergo & ſciuit, & ſcit, & ſciet; audiuit, audit, & audiet à quo eſt, &c. Cur non credamus quod etiam de Filio procedat: Cùm Filij quoque ipſe ſit Spiritus, &c. vt ſæpè ſupra. *Tract. 110. in Ioan. 17. Vt omnes vnum ſint, &c.* In natura ſua, vt nos in noſtra. *Tract. 7. in Ioan. 4. Dilectio Deus eſt*: ſed Deus ex Deo .i. Spirituſſanctus.

Ex Epiſtola 178. ſeu Collatione publica *B. Aug.* cum *Paſcentio* Comite Arriano, coram *Laurentio* Cognitore. *B. Aug.* In aſſertione fidei, Patrem Ingenitum & *Incapabilem* dixit: cùm nec *Ingenitum* nec *Incapabilem* alicubi Script. dixerit. Quomodo enim eſt *incapabilis* Pater, quem capit Filius totum? *Ioan.* 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Cur vobis de verbo *Homouſion* viſum eſt fidei Catholicæ inuidiam excitare: quæ ſubſtantiam Dei vnam ſimpliciter credens, hoc verbum à Græcis Patribus accepit? *Infrà.* Abſit vt erubeſcamus Catholici, nos appellari *Homouſianos*, qui nos appellari gaudemus de græco Chriſti nomine, Chriſtianos, &c.

Ex Libro contra quendam ſermonem Arrianorum. Cap. 14. Eorum quodammodo excarnetur intentio, qui moliuntur vnam Trinitatem, eandemque naturam ſeparare diſtantiâ, & poteſtatum gradibus ordinare. Ideo *Ioan.* 5. *Filius non facit aliquid à ſe: ſed quicquid videt Patrem facientem*; quia videt ex ipſo ſe habere faciendi potentiam, ex quo ſe videt habere exiſtendi naturam, &c. Vt ſæpè ſupra.

Ex Libro de 5. Hæreſibus, Cap. 6. Quid dicis Arriane? Æqualiſne eſt Patri Filius? Æqualis, inquis, &c. Operatione, an origine: poteſtate, an æternitate; an fortè vtroque? Non æternitate, &c. *Infrà.* Quid partiris vnum? Si vnum diuiſeris, integrum nihil habebis. O Arriana Hæreſis! O crudelis & impia meretrix! Erubeſce iudicari à *Salomone*, 3. *Reg.* 3. Meretrix ne vnum viuũ perderet: non permiſit diuidi Filium ſuum; & tu diuidis Dominum Deum tuum? Quid dixit *Salomon*? *Date illi puerum viuum, ne diuidatis eum, &c.* Ecce & ego dico: totum poſſide, & noli diuidere Deum. *Infrà.* Dic mihi, quia video te calculari velle æternitatem: quot annis præcedit Deus Pater Filium ſuum? De Chriſti initio, deficit calculatio. *Eſa* 43. *Ante me formatus non eſt Deus, & poſt me non erit.* Erubeſcite Arriani: Tunicam Chriſti carnifices non ſunt auſi conſcindere: & vos conamini Charitatem Dei, imò Deum ipſam Charitatem diuidere? *Cap.* 7. *Eſa* 45. Hæc dicit Dominus Chriſto Domino meo: Aperiam coram eo ianuas, &c. Quis maior aut ſuperior, ante minorem ianuam aperit? *Cap.* 8. Quicquid de Patre & Filio, etiam de Spiritu S. diximus. Ideo enim dicitur Deus Charitas, 1. *Ioan.* 4. quia partibus non diuidit vnitatem, ſed ineffabiliter coagulat Trinitatem.

Ex S. Cyrillo Alexandrino.

VT priores Patres græci: ſic & eorum poſteri Catholici. Vt præ reliquis *S. Cyrill. Alex. Libris* 14. *Theſauri*, præter pauca expreſſiora. *Libro* 5. *Cap.* 1. Contra calumniam ex *Prou.* 8. *Dominus creauit me, &c.* Si Filius creatura eſt: quomodo non erit ſicut vna creaturarum? *Infrà.* Si creatura Filius eſſet, & tamen poſſet creare: cur cæteræ creaturæ, creandi vim non habent? Neque ideo creare poteſt, quia non eſt vt vna creaturarum: ſed quia ex ſubſtantia Patris prodit. Ad hæc ſi creatura eſſet, & tamen adoratur: cur cæteræ à ſeinuicem non adorantur, ſed omnes adorant? Si creatura eſſet, ſeipſum ipſe crearet: omnia enim Pater per ipſum creat, &c. *Cap.* 2. Contra hanc rationem Arrianorum: quòd creaturæ non potuerint ferre vim creationis, niſi mediante Filio, vt Verbo creato. *Si vim Patris creantis creatura ferre non poteſt, &c. neceſſe eſt aliud & aliud medium in infinitum, &c.* *Cap.* 3. Si Pater Filium ad creandum produxerit: creato Filio ipſe ceſſaſſet, &c. Si nutu & ſola voluntate Deus operatur, quid opus eſt medio? *Infra.* Si propter nos Filius factus eſt: primi nos erimus apud Deum. Sic enim Deus nos primò, deinde Filium propter

nos

Digitized by Google

nos intendiſſe videbitur, &c. *Cap.* 4. De vario ſenſu *Prou.*8. *Dominus creauit me,&c.* 1. Prouerbialiter, &c. 2 *Creauit*, non ſemper originem ſignificat: ſed à re aliqua in aliam tranſlationem. 3 *Creauit me*.i. fecit me ſuper Legem, & Prophetas. 4. *Creauit* .i. Carnem mihi appoſuit, hominem me fecit, &c. *Lib.* 10. *Cap.* 5. *Non eſt meum dare vobis, Matt.*20. Non quia poteſtatem dandi Filius non habeat: ſed quia præmia proportionaliter certantibus dantur. *Infra. Non eſt meum dare*: iuſtus enim ſum Iudex, &c. Ad hæc inani gloria moti concupiſtis: id autem dare, meum non eſt, &c.

Lib. 13. *De Spiritu S. Cap.* 1. *Contra hanc calumniam Hæreticorum.* Si quoniam Spiritus ex Deo dicitur, conſubſtantialis Patri eſt: omnia erunt ei conſubſtantialia. *Reſp.* Non ſimiliter omnia ex Deo dicuntur eſſe. Nam Spirituſſanctus in Deo eſt eſſentialiter, & ex eo prodit inſeparabiliter: creaturæ verò ex Deo Patre, per Filium, in Spiritu S. ad extra productæ ſunt. 1. *Cor.* 2. *Quæ Dei ſunt, nullus nouit, niſi Spiritus Dei qui eſt in ipſo, &c. Spiritus omnia inueſtigat, etiam profunda Dei.*

Libri 7. *Dialogorum*, pleraque vt in Theſauro: ſed *Libro* 1. De obſeruanda Confeſſione Nicæna; nec corrumpenda voce *Homouſij*, in *Homouſion*; cauendaque confuſione inter Diuina & humana Chriſti. *Libro Argumentorum euidentium quòd Spiritus S. ſit Deus, & non creatura*: recolligit ex iiſdem ſacris Script. Argumenta circiter 50. ſed quædam vix variantur, pauca noua excogitantur. Vt ex *Heb.* 7. *Minor à Maiore benedicitur*: Omnis autem creatura benedicitur à Spiritu S. ergò hic non eſt creatura, ſed ſupra omnem creaturam.

S. Ioannes Damaſcenus, ex Græcis inter Scholaſticos celebrior, Libro 1. Orthodoxæ Fidei. *Cap.* 6. *De Verbo, ſeu Filio Dei.* Deus Pater ſemper habet ſuiipſius Verbum, ex ſe genitum: non inſtar noſtri, ſubſtantiam non habens, ſed intimè ſubſiſtens, &c. Vbi enim erit ſi extra ipſum gignitur? *Cap.*7.*De Spiritu S.* Oportet autem & Verbum ipſum, Spiritum habere. Nam nec nos, nec verbum noſtrum, Spiritus eſt expers, &c. Non eſt p[i]um exiſtimare, Spiritum extra Deum profuſum: ſed vt Dei Verbum ſubſtantialiter ſubſiſtens, ſic & Spiritum S. virtutem ſubſtantialem in propria Perſona ex Patre procedentem, & in Verbo requieſcentem, ipſumque manifeſtantem, &c. Sic ex Iudaica opinione vnitas: ex Gentilitia verò Perſonarum diſcretio. *Contra Iudæos.* Pſal. 118. *In æternum Verbum tuum permanet. Pſal.*120. *Miſit Verbum ſuum.* Pſal.32. *Iob* 13. Atqui nec verbum prolatum, nec halitus mittitur, creat, firmat, &c. *Cap.* 8. *De ſuperſancta Trinitate.* Credimus, &c. vt in Symbolo Conſtantinop. *Infra.* Generatio naturæ opus eſt, & ex ſubſtantia Dei: Creatio verò, cùm opus voluntatis ſit, ex nihilo, non poteſt eſſe Deo coæterna, &c. *Cap.*9. *De Patre & Filio.* Vt docet Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, &c. Filius Dei habet propriam ſubſiſtentiam, præter eam quæ Patris eſt. Spirituſſ. à Patre procedit: non tamen per Generationem, ſed per Proceſſionem. Alius autem hic ſubſiſtentiæ modus incomprehenſibilis eſt, vt & Filij generatio. Quæcunque habet Pater, Filij ſunt, præter innaſcendi proprietatem: quæ non ſignificat ſubſtantiæ differentiam, neque dignitatis, ſed ſubſtantiæ modum. Vt *Adam* ingenitus eſt, *Seth* genitus, *Eua* ex coſta *Adæ* procedens: nec differunt naturâ, ſed ſubſtantiæ modo.] Subdit, nomen Paternitatis, Filiationis, & Proceſſionis non eſſe ex nobis, ad Deum tranſlatum; ſed à Deo ad nos, *Eph.* 3. Nec dici Patrem maiorem, nec priorem Filio: niſi quia Pater cauſa eſt naturaliter Filij. *Cap.* 10. *De Spiritu S.* Credimus in vnum Spiritum S. ex Patre procedentem, & in Filio requieſcentem, vt conſubſtantialem, &c. Spirituſſ. à Patre, non naſcibiliter, ſed proceſſibiliter eſt. Generationis & proceſſionis differentiam eſſe didicimus: at quis differentiæ modus, nequaquam, &c. Solis perſonalibus proprietatibus differunt ab inuicem ſanctæ hypoſtaſes .i. Subſtantiæ ac Perſonæ. Perfectas ipſas hypoſtaſes perſonaſque dicimus: vt nullam in Diuina natura compoſitionem intelligamus. Nam compoſitio principium diuiſionis eſt, &c. *Cap.*11. *De diſtinctione trium Perſonarum.* In S.Trin. commune & vnum *Re* conſideratur: *Ratione* autem & intelligentia diſtinctum.] *Re*, .i. abſolutè: *Ratione* .i. relatiuè. Sæpè etiam vtitur hic nomine *Cauſæ*, inter Perſonas Diuinas. Sub finem. [Dicimus Filium eſſe à Patre, Spiritum S. ex Patre: ex Filio autem Spiritum S. non dicimus; ſed Spiritum Filij, & per Filium apparuiſſe, & nobis traditum confitemur, *Ioan.*20. Vt ex Sole radius & ſplendor: ipſe enim fons eſt radij, & ſplendoris; at per radium nobis ſplendor tribuitur. Porrò nec Filium Spiritus eſſe dicimus, nec ex Spiritu.

Ex Latinis, poſteris S. Aug. eiuſdem fidei ac doctrinæ de ſancta Trinitate.

VT *Tomo* 9. *Bibliothecæ SS. Patrum*: *Paſcaſius* Diaconus Cardinalis, ſub *Gelaſio* Papa, libris 2. De Spiritu S. contra *Macedonium*. Ex quibus, *Lib.* 1. *c.*7. *Eſa* 40. *Quis appendit tribus Digitis molem terræ?* Quid, inquit, euidentius de vnitate Trinitatis? *Lib.* 2. *c.* 2. Probat Spiritum S. eſſe Deum, ex eius illapſu & repletione animæ.

Boëtius Libello De Trinitate: ex ſola ratione, vel potiùs quàm ex ſacra Script. non tam pertinet ad hanc Quæſt. Dogmaticam, quam ad ſequentem Scholaſticam.

Sic & *S. Anſelmus in Monologio Scholaſticè*: Sed *Libro, ſeu Epiſtola De Proceſſione Spirituſſancti, contra Græcos*; partim Dogmaticè ex ſacris Script. ſæpè ſuprà citatis; partim Scholaſticè, per conſequentias. Vt q. ſequenti.

S. Bernardus Epiſt. 189. *&* 190. *ad Innoc. Papam*: Dogmaticè, contra Hæreſes *Petri Abaillardi*. Inter quas. *Ponit*, inquit, *in Trinitate gradus, in Maieſtate modos, numeros in æternitate. Conſtituit Deum Patrem plenam eſſe potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum nullam eſſe potentiam: atque hoc eſſe Filium ad Patrem, quod ſpecies eſt ad genus, æneum ſigillum ad æs, &c. Nonne pluſquàm Arrius hic? Dicit etiam Spiritum S. quidem de Patre & Filio: ſed minimè de Patris eſſe Filijue ſubſtantia, &c.*

Quaſi

Quaſi verò omne quod de ſubſtantia aliqua eſt, ipſum de quo eſt, habeat genitorem. Exemplificat in pediculis, vermibus, tineis, ex carne, ligno, panno, &c. Subdit, *Ille dignè æſtimat diuinam magnificentiam, qui nil in ea cogitat diſpar, vbi eſt totum ſummum: nil diſtans, vbi totum eſt vnum: nil hians, vbi totum eſt integrum: nil imperfectum vel egens, vbi totum eſt totum, & totum vnum totum, nec ſuperabundans in tribus, nec imminutum in ſingulis. Nec enim verum ſummumq; bonum quod ſunt, inter ſe particulariter diuidunt: nec participialiter poſſident, ſed hoc ipſum eſſentialiter ſunt.* Infra. *Vides, Pater Sancte, quæ præcipitia ſibi parauerit ad ruinam? Omnipotentiam, ſemipotentiam, nullam potentiam, &c. In primo limine Theologiæ, vel potius Stultilogiæ ſuæ, Fidem definit æſtimationē, &c.* Contra alios eiuſdem errores.

Ex *Epiſt.* 194. *Innoc* 2. *Papæ*, ad Archiepiſcopos, *Senonenſem*, & *Rhemenſem*, eorumque Suffraganeos, & ad *S. Bernardum*: contra errores *Petri Abaillardi. Nos itaque, &c. Communicato Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione Capitula, & vniuerſa Petri Abaillardi peruerſa dogmata, ſacrorum Canonum authoritate, cum ſuo Authore damnauimus: eique tanquam Hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Vniuerſos quoque erroris ſui ſectatores, & defenſores; à fidelium conſortio ſequeſtrandos eſſe cenſemus. Datum Laterani* 17. *Kal. Auguſti.*

Recollectio Credendorum, & Difficultatum.

EX his conſtat, fide Catholica credendum eſſe de SS. Trinitate. 1. Eſſentiam Diuinam eſſe vnicam, ſingulariſſimam, & indiuiſibiliſſimam. 2. Hanc vnicam eandemque, eſſe totam, & totaliter communem tribus Perſonis Diuinis, *Homouſiis* .i. coëſſentialibus, conſubſtantialibus, ſeu vnius eiuſdemque Eſſentiæ, Subſtantiæuè, & æqualibus in omni perfectione, vt in Symb. *S. Athan.* 3. Has tres Perſonas differre inter ſe realiter, ſeu perſonaliter: non tamen ab Eſſentia Diuina; ſed eſſe idem cum ea, & in ea. 4. Inter has Perſonas, vnicam eſſe improductam, & perfectiſſimè Patrem: duas autem productas; alteram eſſe Filium Vnigenitum ſolius Perſonæ Patris, ſeu vnicum à ſolo Deo Patre perfectiſſimè genitum; alteram eſſe Spiritum S. Dei Patris & Filij, ſeu ab vtroque vt vno Principio, non genitum, ſed alio proprio modo procedentem. In hæc enim conſonant omnes ſacræ Script. Symbola, Concilia legitima, SS. Patres, totaque Eccleſia Catholica: contra omnes Infideles, Philoſophos naturales, Iudæos, Mahumetanos, & varios Hæreticos ſuprà recenſitos, & reprobatos.

Quorum pleræque calumniæ, ſeu obiectiones ſuprà, ex SS. PP. promiſcuè relatæ, ſolutæ, & refutatæ ſunt: Sed eaſdem, & plures, vſque ad 88. diſtinctiùs refert & reprobat *Idacius Clarus* Hiſpanus, anno 380. *Tom.* 4. *Bibliothecæ SS. PP.* Vt 1. *Si Arriani dixerint: quæ vnitas SS. Trin. diuinis lectionibus poterit edoceri?* Reſp. vt *Alexander* 1. ſuprà *col.* 567. 45. *Si dixerint: Solus Pater legitur apparuiſſe Prophetis.* Reſp. Dan. 7. *Ecce in nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & vſque ad vetuſtum dierum peruenit.* 47. *Si dixerint: Syllaba, &, Matt.* 28. *inter eos diuidit.* Reſp. *Potius pro coniunctione ponitur.* Vt Exod. 3. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.* 48. *Si dixerint: Pater Matt.* 28. *prius nominatur, quàm Filius.* Reſp. *Alibi prius Filius, quàm Pater.* Vt 2. *Theſ.* 2. *Eph.* 4. 5. 1. *Ioan.* 2. *Apoc.* 3. Imò *Ioan* 3. prius aqua quàm Spirituſſanctus. 49. *Si dixerint: Soli Patri ſacrificium immolatur.* Reſp. *Tres pueri*, Dan. 3. *ſacrificarunt Filio Dei, qui viſus eſt cum eis in fornace.* Mal. 1. Pſal. 67. 71. *Prædicitur eidem ſacrificandum.* Matt. 2. *Magi adorauerunt eum.* 51. *Si dixerint*: Ioan. 8. *Tu quis es? Initium qui & loquor vobis.* Reſp. *Heb.* 7. *Melchiſedech nec initium dierum, nec finem vitæ habens, aſſimilatus eſt Filio Dei.* 69. *Si dixerint: Prius erat Deus, quàm Pater.* Reſp. *Sic non eſſet Pater ab æterno, &c.* Eph. 5. *Gratias Patri, & Deo.* 74. *Si dixerint: Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt.* 1. *Cor.* 14. Reſp. Ex 2. *Pet.* 1. *Non humanâ voluntate allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu S. inſpirante, &c.* 75. *Si dixerint: Spiritus S. quod minus nouit, ſcrutando noſſe deſiderat,* 1 *Cor.* 2. Reſp. Ibidem: *Quæ Dei ſunt nemo nouit, niſi Spiritus Dei, &c.* Tandem ſubdit plurima communia & æqualia Patris, & Filij, & Spiritus S. ex tota ſacra Script.

Quæ autem Græci Latinis exprobrant, contra proceſſionem Spiritus S. à Patre & Filio: fuſiſſimè, ſed confuſè & tædiosè, tribus libris recenſet & refutat *M. Hugo Ætherianus*, ad *Alexandrum* 3. *Papam, Tomo* 9. *Bibliothecæ SS. PP.* Quorum pleraque ſunt inepta Græcorum ſophiſmata: quæ tamen in eos optimè retorquet. Vt *Lib.* 1. *cap.* 2. tribuit *Theodorito* inuentionem & præconium huius erroris, quòd Spiritus S. non procedat à Filio: quia nuſquam id Scriptura docet, nec vllus SS. nec vlli reuelatum fuit. Quod ſophiſma, ab authoritate negatiua ſacræ Script. retorquet in Græcos, vt negantes quòd nuſquam ſacra Script. nec vllus SS. PP. negat: imò quod ex plurimis ſacris Script. neceſſariò ſequitur, & à pluribus SS. PP. Latinis & Græcis exprimitur, vt ſuprà. Quas ſacras Script. & SS. PP. promiſcuè citat, per ſuos tres libros. *Cap.* 14. *Si*, inquiunt Græci, *proceſſio Spirituſſancti ex Patre perfecta eſt: ad quid ex Filio?* Retorquet. *Si Deus Pater & Filius eſt perfectus: ad quid Spirituſſanctus?* Cap. 15. & 16. negat Spiritum ſanctum principalius, vel proprius procedere à Patre, quàm à Filio: monetque id nonniſi abuſiuè à *S. Aug. & Hier.* dictum, & explicatum eſſe.

Lib. 2. *cap.* 5. monet, *Ingenitum*, græcè per vnicum *n*, idem eſſe quod increatum, & commune tribus Perſonis: ſed per duo *n*, idem eſſe quod improductum, & ſoli Patri proprium. *Cap.* 9. De ordine originis inter Perſonas Diuinas: deque Filio vt medio inter Patrem, & Spiritum ſanctum.

Lib. 3. *cap.* 5. De proceſſione Spirituſſancti per Filium: non tamen vt per inſtrumentum.

Digitized by Google

Cap. 11. Quòd Græci concedant Spiritum ſanctum eſſe Patris & Filij: ſed negent ideo eſſe à Patre & Filio; quia non dicitur vniuocè, ſeu æquè eſſe Filij, ac Patris. Vt *Luc.* 2. Chriſtus non dicitur vniuocè ſeu æquè profeciſſe ſapientia & gratia, ac ætate. *Ioan* 20. non dicitur æquè, *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Sic & Spiritus ſanctus dicitur eſſe Patris, quia procedit à Patre quoad eſſe: ſed Filij, quia procedit ab eo ſolùm quoad dari vel mitti, &c. *Cap.* 12. *Contra.* Cur ergo Filius non poſſet æquè dici eſſe Spiritusſancti? Nec compararentur Pater, & Filius in proceſſione Spiritusſancti, niſi æqualiter. Nec differrent æqualiter à Spiritu ſancto, niſi æqualiter ab eis procederet. *Cap.* 17. Citando *S.Hier.* refert pro miraculo Sanctitatis eius, quod habuerit Leonem ſibi ſubditum ad cuſtodiam Aſini ſui in paſcuis. *Cap.* 19. Si, inquiunt Græci, dicitis ex Filio, vt ex primo principio; duo dicitis principia, contra *SS. Athan. Cyril. Damaſc.* Si autem, *ex Filio* .i. ex Patre per Filium, contonatis, &c. Sed quia præſumebant corrigere Latinos, ipſe potiùs corrigit Græcos: Spiritum ſanctum æquè procedere à Filio & ex Filio, ac ex Patre; nec *per* Filium, minùs ſignificari aut intelligi in ſacra Script. & SS. PP.

Quæ omnia ordinatiùs, clariùs, & celebriùs diſputata, reſoluta, & tandem definita fuerunt, inter DD. Græcos & Latinos, ſub Conc. *Flor.* à Seſſ. 1. *Ferrariæ*: opponente pro Græcis præclaro Theologo *Marco* Præſule *Epheſio*; reſpondente primò pro Eccleſia Romana, *Andræa* Præſule *Coloſſenſe*; interloquente & quaſi moderante *Beſſarione* tunc Archiepiſcopo Nicæno, & *Iuliano Cardinali*; priùs quidem per longas orationes reciprocas, ſed poſt per breues interrogationes, & reſponſiones.

Seſſ. 1. *Beſſarion* perorat. *Seſſ.* 2. Defertur Græcis, vt breuibus argumentis diſputationem exordiantur: an Symbolo Diuino quicquam liceat addere. *Seſſ.* 3. *Marcus Epheſius.* Scire vos Patres Ampliſſimi velimus: nos de Symboli additione verba eſſe facturos; quod neque vera, neque conueniens ſit, quàm conſtat noſtri Schyſmatis præcipuam cauſam fuiſſe.

Andræas Coloſ. Meam reſponſionem nolim nunc vt perfectam ſuſcipiatis: ſed conſultis priùs Patribus his, &c. *Marc.* Reſponſione aliqua necdum indigemus. Nondum enim in medium protulimus quæ ad hanc rem pertinent. *Andræas* Ne Patres hinc hodie ieiuni abeant: nonnulla verba nunc faciam, maturiùs in poſterum reſponſurus. *Marc.* Actores eſſe videmur: idcirco nobis viſum eſt petiſſe hanc noſtram accuſationem audire, &c. Veſtram deinde reſponſionem libenti animo audiemus. *And.* Proferas quodcumque libuerit. *Marc.* A mutua erga ſororem ſuam Orientalem Eccleſiam beneuolentia, Romana Eccleſia iam defecerat, dogmaque ſibi proprium finxerat: quod neque literis ſacris relictum, neque ab vniuerſalibus Concilijs celebratum, neque à Maioribus noſtris ſuſceptum & probatum fuerat, &c. *And.* Miror quod vos lateat ipſam Romanam Eccleſiam ortæ iam plurimæ in Orientali Eccleſia hæreſi tum literis & Legatis, tum cæteris opportunis remedijs quibus potuit, ſe prouidè ac diligenter oppoſuiſſe, ipſique Eccleſiæ auxilio ſemper fuiſſe. Nonne *Nicæno* Concilio *Syluester* ille Pontifex Summus interfuit? Num cæteris in Concilijs generalibus, eorum Legati defuerunt? *Infra.* Nonne Summus hic Pontifex pro pace conficienda multam pecuniam erogauit? Nonne Legatos ad vos hac de cauſa ſæpè miſit? Nonne *Gregorius* Summus Pontifex ad celebrandum *Lugdunenſe* Concilium Nuntios ad vos miſerat: quando etiam rem ipſam concordi pace compoſuit? *Marc.* Tametſi verum eſt, &c. id tamen ad argumenta noſtra ſoluenda pertinere minimè videtur. Nam ante noſtrum ſchiſma mutuam inter nos pacem fuiſſe conſtat, &c. Cuius ſchiſmatis cauſam, acceſſionem Symboli fuiſſe diximus. Neque veſtra in nos beneuolentia, talis diſcordiæ cauſâ permanente, cuius vos veri Authores fuiſtis, repetenda eſt, &c. *And.* Probare conatus es, fieri facilè poſſe, vt cognitâ vel ablatâ ſchyſmatis ratione, pax ſumma conſequeretur. *Marc.* Non protuli, facilè fieri poſſe, vt ſi veſtrum dogma verum eſſe cognoſceretur, Eccleſiæ ſtatim coniungerentur; ſed ſi additio ipſa tolleretur. *And.* Si talis additio vera eſt: cur non iure fieri debuiſſet? Aut quid obſtat, quominùs id quod verum eſſe conſtaret, Symbolo apponi deberet? *Marc.* Obſtat, quod nefas eſt. Nam multa ſunt alia bona & vera, quæ tamen Religionis Symbolo nequaquam addere licet. *And.* Hæc duo probare recipio. 1. Nullam eſſe factam à nobis additionem. 2. Si facta ſit, fieri neceſſariò debuiſſe.

Seſſ. 4. *Marc.* Dixi, Maiorum noſtrorum decreta in primis eſſe recitanda. *And.* Non à definitionibus Patrum recitandis rem aggredi debemus. *Beſſ.* Neceſſarium nobis Græcis videtur, vt ea primi proferamus quæ ad rem noſtram ſpectare credimus: quibus deinde intellectis, ipſi reſpondeatis, &c. Operæ pretium eſt, dialecticè congredi breuibus, &c. Si noſtras rationes nondum audiſtis: quonam pacto ad eas poteritis reſpondere? *Iul.* Placet, vt breuibus diſſeratur, &c. eique concluſioni acquieſcamus. quæ pluribus placuerit, &c. *Pater Epheſius* propoſuerat, Romanam Eccleſiam cauſam ſchiſmatis fuiſſe, & *Coloſſ.* Antiſtitem prouocarat, vt reſponderet. *Infra. Beſſ.* Credimus nihil addere Symbolo licere, &c. Quod cùm aliâ ratione demonſtrare non valeamus, niſi SS. PP. decretis: neceſſe nobis videtur ab eis exordiri; quibus recitatis, vobis erit reſpondendi facultas. In quo tandem Latini Græcis ceſſerunt.

Seſſ. 5. Prælegun tur 7. Synod generales, quoad huc pertinentia. Lectâ 7. Latini quendam vetuſtiſſimum librum in medium attulere: in quo eadem ipſa definitio, Sanctumque Spiritum ex Patre Filioque procedere, ſcriptum erat, &c. Græci Latinis benignè conceſſere: vt definitio cum additione eiuſmodi recitaretur Sed *Epheſius*: Acceſſionē ad Symbolū factam recipere nolumus.

Seſſ.

Seſſ. 6. *Marcus* excipit, Conc. illud contra *Photium*, Conſtant. Patriarcham non eſſe receptum: ſed à *Ioanne* Papa in alio Conc. 8. fuiſſe reuocatum. *And.* Nulla expoſitio debet additio appellari: ſed ex *Filioq;*, in *ex Patre* concluditur, eiuſque dilucidatio eſt; ergo non poteſt additio nuncupari, &c. Nam ſi nullam inter expoſitionem & additionem differentiam poſuerimus: ſacris literis additio facta videretur; & ad Nicęnum, ſecunda ſynodus acceſſionem feciſſe cenſeretur. *Greg. Theologus* qui in eadem Synodo affuit, ad *Clydonium*, inquit. *Nos fidei SS. Patrum qui Nicænam Synodum celebrarunt, nihil poſſumus praferre: verùm eiuſdem fidei ſumus, ac ſemper erimus; addentes tantùm id quod de Spiritu S. ideo imperfectè prolatum fuiſſet, quòd ante hac nunquam in controuerſiam fuerat vocatum, &c.* Imò nullum Conc. generale fuit, quod *Niceno* non addiderit, vel ademerit, &c. Syllabæ igitur, *Filioq;*, nullam fecerunt acceſſionem: quia eundem Symboli ſenſum ſeruarunt. Reliquum eſt vt demonſtremus, *ex Filioq;*, non additionem, ſed expoſitionem eſſe, &c. *S. Cyril.* in *Ioan.* 14. *Filius eâdem ratione Spiritum habet, quemadmodum Pater, &c. Vt quis ſuum Spiritum habet & emittit.* Ioan. 20. *Accipite Spiritum S. &c. S. Baſil.* probat Filium habere quæcumque Pater, excepto eſſe Patrem. *Ioan.* 17. *Omnia tua mea ſunt, &c.* Sequitur, nobis interdictum non eſſe eiuſmodi additiones facere. *Gal.* 1. *Si quis aliud euangelizauerit, Anathema ſit.* Ad eius tamen Scripta acceſſiones non paucæ factæ ſunt. Multa etiã *Nicæna* Synodus Symbolo Apoſt. addidit, &c. *S. Greg. Theol. De nominibus non certabimus, ſi rem eandem ſignificent, &c.* Nam ipſi Symbolum latinè proferimus, vos autem Græcè.

Seſſ. 7. *And.* longa & continua oratione recapitulat & proſequitur intentum: citando ad illud plures SS. Patres, præ omnibus *S. Aug.* Sed nunc, inquit, SS. Doctorum Authoritates in medium proferamus: ac in primis *Auguſtini illuſtriſſimi Latinorum Doctoris, quem quinta Synodus conſecrauit.* Magnus *Baſilius* Epiſtolâ ad Canonicas. *Sanctusſpiritus Patri & Filio connumeratur, cùm ſupra omnem creaturam ſit, ordine verò tertius eſt, Marc. 16. Matt. 28. Si quis hunc ordinem peruertit, ipſam Perſonarum exiſtentiam, & totam fidem inficiatur.* In illud Zach. 4. *Aurea lampas. Vt Pater naturaliter ac eſſentialiter Filium habet: ita etiam Filius eundem Spiritum S. habet.* S. Ioan. Chryſ. in Ioan. *Omnia Filius eſt quæ & Pater: hoc excepto, quòd ille Genitor eſt, hic autem Natus.* Epiph. in Ioan. 16. *De meo accipiet, &c. Filius à quo & procedit Spiritusſ. Cyril.* literis mandauit Spiritum S. *eſſe per Filium, ac Filij eſſe, & ab ipſo profluere.* Poſt aliquot interlocutiones incidentales, *And.* reſumit ex 7. Synodo, in Symbolo *ex Patre Filioq;*; & ex literis *Tharaſij ex Patre per Filium*, quod idem eſt ac *ex Filioq;*. Si igitur ſoli *Tharaſio* id licuit: cur non Romano Pontifici? &c. Contra fidem illius prætenſi Concilij 8. ſupra á Græcis obiecti.

Seſſ. 8. *Beſſarion* recapitulat totam orationem *Andreæ Coloſ.* infirmando eius rationes, & authoritates, præcipuè quòd *ex Filioq;* non ſit additio, ſed expoſitio .i. Quia *Synodus* 3. ſeu *Epheſina*, ex verbis *Cyrilli* ad *Acbatium*, *Neceſſariò prouidit, vt alia fidei expoſitio Dei Eccleſijs neutiquam ingereretur, præter eam quam Beatiſſimi Patres noſtri Sancto afflati Spiritu definierant. Infra.* Quod non ſolùm alijs, verùm etiam ſibiipſi interdixit. Vt patet ex eo quòd verbum, *Deiparam*, Diuino Symbolo noluerit addere, etſi in ipſo includeretur, ac valde neceſſarium eſſet. *Infra.* Spiritum ex Patre procedere, oratio vna eſt: ex Patre Filioque, duæ, &c. Vocibus ergo diuerſis eandem, vel diuerſas res ſignificare, non eſt idem, &c. Sed ponamus orationem ipſam rem vnam ſignificare: haud tamen propterea non interdicto tenemini, quo omnis additio vetita eſt. *Infra.* Quo pacto demonſtrationis principium concluſio fiet? Siquidem igitur Diuinum Symbolum in Dei Eccleſia principium eſſe cenſemus: nil ei prorſus addendum eſt. Ipſam autem Eccleſiam vnam eandemque ſemper eſſe, ac vnâ eâdemque facultate præditam eſſe concedimus: ita tamen vt SS. PP. decreta ſeruet, ipſaque pro Diuinis vocibus reputet. Poſt pauca interlocuta. *Beſſ.* Concluſiones non paucas a SS. PP. ex fidei noſtræ principijs demonſtratas fuiſſe dicebamus: quas hi principijs ipſis, aut ſacræ Script. noluerant addere, &c. Aut igitur etiam Script. ſacræ ſunt apponenda, aut nil prorſus Symbolo addendum, quod eadem creditum eſt authoritate.

Seſſ. 9. *Beſſ.* Proſequitur contra eandem additionem ſiue expoſitionem, eiuſque neceſſitatem, & poteſtatem Eccleſiæ Romanæ addendi Symbolo: ex verbis ipſius *Agathonis* Papæ, *vt nihil prorſus mutetur*; & ex eo quod nec Synodo generali id liceat, multò minus Eccleſiæ Romanæ. Quibus *And.* volens reſpondere longo ſermone de proceſſione Spiritusſancti, Græci noluerunt eum habere pro pertinenti.

Seſſ. 10. Quidam *Ioannes* Prouincialis iuſſu Papæ, reſumit vices *Andreæ*, reſpondetque *Beſſarioni*, *Ex Filioq;* non eſſe additionem fidei: cùm *B. Aug.* contra *Fauſtum* neget nouum Teſtamentum eſſe additionem ad Vetus; quia in illo continetur. Eadem enim, inquit, eſt fides eorundem futurorum, & præteritorum. Concilia generalia addiderant, *Qui ex Patre procedit*: non tamen propterea nouus articulus credebatur; ſed magis declaratus. Pari ratione, qui particulam, *Ex Filioq;* addiderant Subdit ex *S. Bon.* de triplici additione, oppoſiti, diuerſi, & congrui.

Seſſ. 11. *Iul. Card.* in idem perorat.

Seſſ. 12. *Marcus Eph.* occupat *Iul. Card.* longa interlocutione.

Seſſ. 13. Comparent Legati Ducis Burgundiæ: ſalutato Summo Pontifice, ſed non Græcorum Imperatore. Qui inde grauiter offenſus: *Seſſ.* 14. ſalutatus fuit, & placatus. *Marc Eph.* Dixit ſe velle breuibus per *ſic*, vel *non*, diſputare.

Seſſ. 15. *Epheſius* iuſſu *Imper.* longa oratione conatur probare, ne ſyllabam quidem licere Symbolo addere. Quam *Iul. Card.* totam per 38. partes reſumpſit, ac improbauit. *Mar. Eph.* Symbolum, quod vt optimum depoſitum à Patribus noſtris ſuſcepiſtis, à vobis tale repetimus, quale vobis

Digitized by Google

vobis fuerat traditum. Patrium igitur depoſitum nobis reſtituite. Quod quia perfectum eſt, diminutione vel additione non indiget. *Iul. Card.* poſt multa, protulit ſe pro ſingulis decem Arg. ſibi propoſitis, ſe decem millia redditurum. Græci tædio afficiuntur: Latini inſtant, vt non vltra contendatur cur additum ſit, *ex Filioq.*; ſed an verum ſit. Contra *Eph.* Tollatur à Symbolo. *Iul.* Inquiratur veritas, &c. Pontifex ad ſiſtendum Græcos, & transferendum Florentiam, 11000. ducatorum dedit pro ſubſidio Conſtantinop. & alias pecunias pro commeatu *Florentiam.*

Seſſ. 16. Indicitur tranſlatio Concilij *Florentiam.*

Seſſ. 17. Florentiæ. *Imper.* conſentit in tranſitum ad quæſtionem de veritate additionis: reſeruatâ libertate redeundi ad quæſt. de licita. *Iul. Card.* inſtat vt hæc abſolutè terminetur. Eliguntur qui publicè potiùs quàm priuatim diſputent.

Seſſ. 18. *Ioan.* pro Latinis perorat de proceſſione Spiritus S. Supponitque proceſſionem dici *Ioan.* 16. de Filio, *Ioan.* 15. de Spiritu S. *Marc.* pro Græcis reſpondet, proceſſionem propriè dici de Spiritu S. *Ioan.* An proceſſio ſignificet accipere eſſentiam, vel proprietatem? *Marc.* Proceſſionem intelligo qua Spiritusſ. à Patre accipit eſſe. *Ioan.* Accipit autem eſſe ex Filioque: ergo ex Filioque neceſſariò procedit. *Marc.* Non concedimus accipere eſſe à Filio. *Ioan. S. Epiph. in Ancorato. Filium dico qui ex Patre eſt: Spiritum S. qui ex vtroq. eſt.* Ergo ex vtroque habet eſſe. Idem, ibidem. *Nec Spiritum* S. *quis nouit, niſi Pater & Filius, à quo accipit & procedit: neq; Patrem & Filium niſi Spiritusſ. qui eſt à Patre & Filio. Marc.* Non ſequitur neceſſariò, ſi Spiritusſ. ex Patre Filioque eſt, vt ab ipſis habeat eſſe. Quia ex alio eſſe multis modis accipitur, &c. *Epiph.* non ait, A Filio eſſe accipit, ſed accipit, ex *Ioan.* 16. Nec refert, *procedit*, ad *accipit*: ſed hoc ad Patrem, illud ad Filium à quo demonſtratur, &c. Vt *S. Chryſ. De meo accipiet .i. de mea intelligentia. Cyril. in Theſauris* .i. verbis eius vtetur. *Ioan.* Res creatæ à Deo ſunt: quæro an ita, vt à Deo accipiant eſſe, necne? *Marc.* Ita: ſed non quicquid ab alio eſſe dicitur. *Ioan.* Spiritus à Filio eſt: Verbum, eſt, infert eſſe. *Marc.* Hæc auth. *Epiph.* videtur corrupta. Non eſt in ea verbum, *eſt. Ioan.* Ita *Epiph. Nec Spiritum S. nouit quis, niſi Pater & Filius, à quo procedit, & à quo accipit.* Ergo refert *procedit* ad Patrem, *accipit* ad Filium. Deinde: *Qui eſt à Patre & Filio. Marc.* Ergo *Spiritusſ.* eſſet ex duabus Perſonis. *Ioan.* Proceſſionem ab vno ſolo Principio fieri credimus. *Mar.* An ex ipſorum Perſonis? *Ioan.* Priùs, an ab aliquo eſſe, dicatur eius ſubſtantiam habere. *Mar.* Magnus *Baſil.* in *Eunomium. Deus generat verè, & natum ex ſe Spiritum emittit per os: Ex ipſo autem Spiritus, & non aliunde. Ioan.* Ibidem. *lib.* 3. contra *Eun.* ſcriptum reliquit *Spiritum S. ex Filio eſſe*: Verbum autem Dei Os dicitur, *Pſal.* 32. *Mar.* An Perſona ſit generans, vel ſubſtantia: & an ex Perſona ſua, vel ex ſubſtantia emittat Spiritum? *Ioan. Infra.* Credimus, *ex ipſo*, Perſonam Patris ſignificare. *Mar.* Ergo non aliunde .i. non ex alia Perſona. *Ioan.* Non aliunde .i. non alterius ſubſtantiæ. Nunc ergo redeamus ad *Epiph. Spiritum S. à Filio eſſe, &c. Marc.* Scimus Spiritum S. à Filio accipere eſſe, &c. *Beſſ.* Paulò ante dicebas, *ex ipſo*, Paternam Perſonam ſignificare: nunc autem Patris Eſſentiam. *Ioan.* Præpoſitio, *ex*, proceſſionem ex Principio conſubſtantiali ſignificat. *Mar.* Quæro, an Perſona, & Subſtantia ſint idem, &c. *Ioan.* Sunt idem re: ſed modo intellectionis noſtræ differre videntur, &c. ſcholaſticè, &c. *Mar.* Ad dictum *Baſilij*: *Generat Deus verè, & natum ex ipſo Spiritum emittit per os*: an Pater ex ſua Subſtantia, an ex Perſona? *Ioan.* Ex Patre, & ex Patris Subſtantia, idem ſignificant: ita vt Perſona ſit generans, Subſtantia autem, *quâ, &c. Mar.* Inſpicite Patres *Epiphanium* in quo *Spiritus ex Patre & Filio*, non autem, *Eſt*, ſcriptum videtur. *Ioan.* Neceſſariò ſubintelligitur. *Mar.* Ex Patre Filioque .i. ex vtriuſque Subſtantia, non Perſona. *S. Baſil. Ex ipſo. & non aliunde.* Si, *ex ipſo* .i. ex Perſona Patris: ergo non aliunde .i. non ex alia Perſona. Sin autem vtrumque ad ſubſtantiam refertur: & procedere, & ex vtroque. *Ioan. S. Baſil.* modò, inquit, *ex Patre, & non aliunde*: modò *ex Filio eſt.*

Seſſ. 19. *Ioan.* Latinè priùs, vel græcè *Baſilius* recitetur, &c. *Mar.* Illa verba ſignificant Spiritum S. eſſe Patri & Filio conſubſtantialem: non autem ex alia natura, vt creatura. *Ioan. Infra.* Quæro, an hæc verba, *Spiritum emittit per os*, ſignificent ex Patre, vel ex Filio mitti. *Mar.* A directa ad hoc reſponſione, circumducit *Ioannem* per varias ſcholaſticas, æquiuocas, & ſophiſticas quæſt. de Subſtantia, pro Eſſentia, vel hypoſtaſi, pro principio *Quo*, vel *Quod*, deque diſtinctione Perſonæ ab Eſſentia, &c.

Seſſ. 20. Grauis controuerſia, de hoc textu & ſenſu *S. Baſilij*: *Cur neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus S. naturâ quoque tertium eſſe? Dignitate namq; ipſum ſecundum à Filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & ab illa dependeat cauſa, pietatis ratio tradit. Marcus* prætendit hunc textum eſſe corruptum, omittendo *forſan*, & addendo, *cùm ab ipſo eſſe habeat, &c.* Solùmque 5. vel 6. exemplaria ſic habere, & eſſe expreſsè contra *Baſil. Epiſt. ad fratrem ſuum Greg. Spiritusſ. Filio adaptatur, & ſimul cum ipſo percipitur: à cauſa verò paterna habet eſſe dependens & procedit. Id Notionis per proprietatis hypoſtaſim habet, vt poſt Filium & cum ipſo noſcatur, ac ex Patre ſubſiſtet: Filius autem procedentem ex Patre cum ipſo cognoſcit, &c. Ioan.* Probat ſuum textum ex codice 600. annorum, priore hac controuerſia, & miſſo Conſtantinopoli: ſuſtinetque ſenſum eſſe abſolutum & conſequentem, nec contra illum alium textum *Baſilij*. Quia, *adaptari*, .i. ordinari ordine naturali Originis inter Perſonas. Ex *S. Athan. ad Serapionem. Spiritusſ. talem ordinem habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem.*

Seſſ. 21. *Mar.* Nos profitemur Spiritum S. in *Trin.* tertium eſſe: non dignitate, &c. *Infra.* Spiritū S. talem ordinem, & naturam ad Filium habere, qualem Filius ad Patrem .i. eſſe conſubſtantialem. *Ioan. Infra.* Refert 1. ſe *Florentiæ* inueniſſe, in vetuſtiſſimo codice græco, quodam ſermone *S. Baſilij de Spiritu S. Non ita nos à Spi-*

ri-

Digitized by Google

ritu accipimus, ſicut à Filio Spiritus. 2. Confert, ac meritò præfert ſuum illum textum *Baſilij*, textui *Marci*. 3. Præfert ſuum ſenſum ſenſui *Marci*. 4. Citat ex *S. Athan. Apologia in Arrium. Si Spiritus S. ex Patris Filijq; ſubſtantia non eſt: cur Dei Filius ipſum in Symbolo Sanctificationis connumeraſſet?* 5. Profert verbum, *eſt*, ſæpè à Græcis, & à *S. Amb.* ſubintelligi. 6. Probat Spiritum S. comparari Filio ab *Athan.* ordine naturæ .i. originis.

Seſſ. 22. *Marcus* contendit legendum eſſe: *Non à Spiritu accipimus aliqua: ſicut à Filio accipimus Spiritum*; quia græcè eſt neutri generis: Nec ex talibus dubijs quicquam certi concludi poſſe; Ideoque ad certiora tranſeundum. *Ioan.* Ex quadam regula *S. Cyril.* inſtat ſenſum *S. Baſilij*, priùs eſſe recognoſcendum vt certum, & clarum. *Mar.* negat ſenſum *Ioannis*, vel ex eo ſequi eius intentum. *Ioan.* Si *Spiritum, &c.* eſſent eadem quæ accipimus à Filio, & à Spiritu. *Iul. Card.* Viderint auditores. *Imper.* Ita quoque nobis videtur, *Iul. Card.* Dominus Prouincialis *Baſilium* optimè declarauit; ita vt aliter exponi non poſſit. *Mar.* Poſt nouam diff. contra numerum, & ordinem numeralem in Deo: redit ad diff. circa textum illum & ſenſum *S. Baſilij*.

Seſſ. 23. *Marcus* probat ſuum ſenſum *Baſilij*, ex *Ioan.* 15. *Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritū Veritatis, qui à Patre procedit.* 1. Cor. 2 *Spiritum qui ex Deo eſt. S. Dion. Solus Pater eſt fons Deitatis. Nicænum* Conc. ad quendam Philoſophum, pro *Leontio* Cęſarienſi Præſule. *Spirituſſ. ex Patre procedit, & Filij proprius eſt. Ioan.* proteſtatur has nouas citationes, ante reſponſionem ad *S. Baſil & Ath.* eſſe inordinatas: interim tamen, illud *Ioan.* 15. explicari per *Ioan.* 16. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. *Marcus.* contendit ſe ordinatè procedere. *Imper.* eum excuſat. *Marcus* reſumit illud *Conc. Nic.* pro *Leontio*: vt *Rom.* 8. Spiritus Chriſti. *Baſil.* ad *Amphil. c.* 18. Spiritus Chriſti dicitur, vt eius proprius. *Synod.* 2. *Spirituſſ. qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. S. Greg.* Theologus, ſermone de Nauigatione ex Ægypto. *Omnia quæ habet Pater, ſunt Filij: excepta cauſalitate.* Synodus 3. non correxit ex Symbolo *Neſtoriano* Spiritum S. non habere Eſſentiam per Filium. *S. Cyril.* profitendo quòd Spirituſſ. ex Patre procedat, ſed non ſit alienus à Filio, fuit reconciliatus *Theodorito.* In Lucam. *Vt digitus à manu dependet: ita Spirituſſ. Filio conſubſtantialiter coniungi creditur, quamuis ex Deo Patre procedat. Summus Pont.* Ad extremam quoque Prouincialis Orationem reſpondeas. *Mar.* Illud, *forſan*, conueniens videtur, &c. Nil amplius volumus proferre, quàm noſtrum librum non eſſe mendoſum. *Ioan.* inſtat contra illud. *Forſan*: quodque illud, *Si*, non ſit dubium, ſed tranſeat in abſolutum, vt & alibi ſæpè. *Mar.* Nil mirum, ſi *Baſil* ex dubio conceſſo, probauerit aliud: vt nos *Ferrariæ*, *Etſi veſtrum dogma forſan ſit verum; haud tamen neceſſe eſt apponere Symbolo. Ioan. Infra.* Nos Patrem vnicam Filij ſanctique Spiritus cauſam profitemur eſſe. Hic ſermo perplacuit Græcis, &c. *Imper.* ad Patres Græcos. Recordamini quanto in impiorum diſcrimine noſtram domum dereliquerimus, &c.

Seſſ. 24. *Ioan.* abſente *Marco.* Quoniam, vt creditur, victus abeſt: ad vos orationem habebo. *Imper.* Non ad diſputandum conuenimus: propterea *P. Epheſius* noluit conuenire. *Ioan.* Eius extremo ſermoni reſpondebo. *Ioan.* 15. *Quem ego mittam, &c.* Quid aliud ſignificat, quàm, *ex*, &c. Qui verò mittit, ſuum mittere videtur: & quod mittitur, ex ipſo dicitur eſſe. *Ioan.* 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt. Qui videt me, videt & Patrem, &c.* Prætereà dictum eſt à SS. PP. Spiritum S. *per Filium naturâ procedere. Per*, vt *ex*, ſignificare videtur. Vt patet ex *Leone*, *Greg.* Papa, *Ambr. Hier. Aug.* quas authorit. cùm *Ioannes* prælegiſſet, *ſeſſio* fuit dimiſſa.

Seſſ. 25. *Ioan.* Neſcio cur *P. Epheſius* venire noluerit, &c. Porrò obſecro, vt me, dum SS. Orientalium ſententias affero, attentè audiatis. *Baſil.* vt ſupra. *Epiph. Spirituſſ. ex ambobus eſſe credendus eſt.* Cyril. *Spiritus ex Filio profluit, vt ex Patre. Didymus & Athan. Spiritus ex Patre Filioq; procedit. Rhutenus.* Qui ſolus diſputat, facillimè vincit. *Imper.* Hos libros mutuò date: vt horum SS. dictis reſpondere poſſimus. *Iul. Card.* Quæcunque diximus, à noſtris Scribis literis tradita ſunt: Ad *D. Franciſci* Templum priuatim conueniamus; vt ibi noſtris omnibus Scripturis & libris collatis, veriùs & clariùs reſpondere valeatis. Cui omnes acquieuere. Poſtridie, in illo Templo, concordiam facile fieri poſſe Græci cognouerunt. Ex tunc variæ Græcorum inter ſe conſultationes; & diſſenſiones ſuper ineunda concordia: variæ ad Latinos miſſiones, & remiſſiones, acceſſus & receſſus, tandemque conſenſus omnium, excepto *Marco Epheſio*, in confeſſionem proceſſionis Filij ex Patre per Filium. i. Filioq; vt vno eodemque cum Patre principio. Sed noluerunt id ſuo Symbolo addere: nec de tranſmutatione ſeu tranſubſtantiatione Sacramentali agere.

Supplementum.

1. AD ſacras Script. Pleræque veteris Teſt. & quædam noui, poſſent à Iudæis, vel Hæreticis exponi de vno Deo in plurali, maieſtatiuè: vel de vno Deo, & pluribus eius Angelis; vel de vno Deo, eiuſque Sapientia. & Voluntate eſſentiali, & actuali; vel de Deo, & Chriſto, eiuſque ſumma gratia; vel de pluralitate naturali, cum vnitate morali. Sed *Matt.* 28. *Marc.* 16. *Ioan.* 1. 10. 14. 1. *Ioan.* 5. non patiuntur alium ſenſum, quàm de Deo vno, & tribus Perſonis æquè Diuinis, Patre, Filio, & Spiritu S. ordine originis; deque vnitate eſſentiali, & diſtinctione perſonali. Reliquæ Script. his accumulatæ collucent; ſed ſeorſim, caligant.

2. Ad ſacra Symbola, & Concilia. Poſteriora explicant priora: omniaque implicitè continentur in primo Symbolo Apoſtolico. Nam, *Credere in Deum Patrem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum, & in Spiritum S.* eſt implicitè credere in vnum Deum, & tres Perſonas, æquè Diuinas, ordine originis. Sed poſt *Conc. Nicænum*, fuerunt

tam varia & confuſa Concilia & Symbola fidei de SS. Trinitate, vt vix nunc vera à falſis diſcerni poſſint, quantò minùs tunc, cùm Arriani fauore *Imperatoris* pro libitu ſua pſeudo-Concilia pro Catholicis, ſub eodem nomine publicarent; vt ſuum *Sardicenſe*, *Syrmienſe*, *Ariminenſe*, pro veris eorundem nominum? Quibus, inter multa Catholica contra alias hæreſes, *Nicænum Homouſion*, ſeu veram conſubſtantialitatem ſupprimebant, ſuumque *Homoiouſion*, ſeu ſolam ſimilitudinē ſubſtituebant, vel vtrumque vt contentioſum & incertum inhibebant. Nec inter fideles videbatur ſatis conſtare poſſe, cui vel quibus potiùs adhærendum eſſet: cùm celebriores, conſtantiores, & ſapientiores Epiſcopi, varijs calumnijs apud Imperatorem oppreſſi, velut aliorum criminum rei, procul à ſuis Sedibus exularent; ipſeque *Liberius* Papa, & *Oſius* Cordubenſis, qui tot Concilijs, ipſique Niceno interfuerat, imò & præfuerat, vi & fraude *Conſtantij* Imper. tandem à conſtantia, & perfectione fidei defeciſſent. De quo turbulento ſtatu ipſius Eccleſiæ, *S. Hier.* & *B. Aug.* ſuprà *lib. 3. contra Maximinum*, *cap.* 14. Epiſt. 48. *Eccleſia Catholica aliquando obſcuratur*, &c. *ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet*, &c. *Tale tunc erat tempus, de quo Hilarius ſcripſit*, &c. *Quis enim neſcit illo tempore, obſcuris verbis, multos parui ſenſus fuiſſe deluſos: vt putarent hoc credi ab Arrianis, quod etiam ipſi credebant; alios autem timore ceſſiſſe, & ſimulatè conſenſiſſe? Quanquam & illi qui tunc firmiſſimi fuerunt, & verba Hæreticorum inſidioſa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant.* Ibidemque de ſimili ſtatu Eccleſiæ Africanæ. Vnde patet ex tunc ſatis conſtitiſſe, adhærendum fuiſſe Concilio *Nicæno*, *S. Athanaſio*, *Hil.* & alijs pro eius fide exulantibus: nec *Liberium*, nec *Oſium* ab eius fide, ſed à ſola eius confeſſione, vi & fraude defeciſſe. Vt *S. Athan.* Epiſt. ad *Serapionem*. *Liberius exilijs inflexus, minisq; mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt. Verùm idipſum, & eorum violentiam, & Liberij in hæreſim odium, & ſuum pro Athanaſio ſuffragium, cùm liberos affectus habebat, ſatis coarguit.* Infra. *Conſtantius tantam vim intulit Oſio ſeni, vt tandem ægrè cum Vrſatio, & Valente communicaret, ſed contra Athanaſium non ſubſcriberet. Nec eam rem pro leui habuit. Moriturus enim quaſi in teſtamento ſuo, eorum vim proteſtatus eſt, & Arrianam hæreſim condemnauit.* Et in quadam Apologia. *Vis illa ſatis oſtendit, minimè eum in noſtri condemnationem conſenſiſſe: ſed ſenij imbecillitate imparem verberibus ad tempus ceſſiſſe.*

3. Ad SS. PP. ſupra citatos. Extant plurima opuſcula *S. Athanaſij* de ss. Trin. contra *Arrianos*: ſed *Dialogus* ſupra citatus, videtur totam eius doctrinam dogmaticam continere. Reliqua autem ſunt potiùs hiſtorica, de Synodo *Nicæna*, & pluribus alijs ſubſecutis; deque ſua ab *Arrianis* perſecutione, per varias calumnias criminales, apud ipſum *Conſtantinum* Magnum. A quo primò in exilium relegatur: ſed poſt eius mortem, relictis tribus Filijs *Conſtantino*, *Conſtantio*, & *Conſtante*; à *Conſtantino* honeſtè *Alexandriam* reuocatur, quaſi ad ſolam vitæ ſecuritatem à furore Arrianorum tranſlatus fuiſſet. Verùm *Conſtantino* & *Conſtante* Catholicorum protectoribus proditoriè necatis: *Conſtantius Arrianus* vltà ſuorum fratrum nece, ſolus totum Imperium adeptus, tanto liberiùs, crudeliùs, & perfidiùs in *S. Athan.* & in omnes fidei *Nicænæ* profeſſores deſæuijt. In quibus omnibus, *S. Athanaſius* & *Hilarius* optimè conueniunt, dogmaticè, & hiſtoricè. Niſi quòd *S. Hilarius* de Synodis referat 26. anathemata quaſi legitimi Concilij *Syrmienſis*, Orientalium. Quorum 3. eſt. *Si quis vnū dicens Deum, Chriſtum autem ante ſæcula Filium Dei, obſecutum Patri in creatione omnium, non confitetur; Anathema ſit.* 16. *Si quis Chriſtum Deum Filium Dei ante ſæcula ſubſiſtentem & miniſtrantem Patri ad omnem perfectionem non dicat; Anathema ſit.* In quorum expoſitione nihil cenſurat: ſicut nec *Caranza* eadem referens. Cùm tamen miniſterium illud Filij in creatione omnium, videatur expreſſus Arrianiſmus: niſi valde impropriè ſumatur, pro eodem comprincipio quo, vel per quod, de quo infra. Quodque *S. Hil.* ſupra *col.* 595. 596. longè grauiùs cenſuret magnum illum *Oſium*: tribuens ei & *Potamio*, non ſolam ſubſcriptionem, ſed & conſcriptionem illius blaſphemiæ *Syrmienſis*; imputanſque tantum eius lapſum, nimio amori ſui ſepulchri, ſeu corporis, imò & ſecreto demerito vitæ prioris. Nam eodem libro *De Synodis*, paulò poſt illos anathematiſmos. *Apud Syrmium, per Oſium immemorem geſtorum ſuorum, dictorumq; noua & tamen iam diu ſuppuratæ impietatis doctrina proruperat. Sed de eo nihil queror: qui idcirco eſt reſeruatus, ne iudicio humano ignoraretur, qualis ante vixiſſet.* Sed cùm id hic imputet cuidam obliuioni, & *lib. contra Conſtantium.* cuidam *deliramento ſenili*: parum abeſt ab excuſatione *S. Athanaſij*. Vnde ſubdit, ſe *de eo nihil conqueri: qui idcirco eſt reſeruatus*; non quaſi ad tantum lapſum, ex grauiori & ſecreto demerito vitæ prioris; ſed potiùs ad pœnitentiam, ex merito priori, *ne iudicio humano ignoraretur* qualis antè vixiſſet .i. ne eius bona fama & memoria periret. Imputat tamen ei conſcriptionem illius blaſphemiæ *Syrmienſis*, ſeu inhibitionem *Homouſij* · quia ſua ſubſcriptione eam authorizauit, vel nec conſcripta fuiſſet, niſi ad ſubſcribendum conſenſiſſet. Cùm ergo *S. Athan.* eius coæuus ac ſuperſtes; tam expreſsè referat eius finalem pœnitentiam, ac reſipiſcentiam: nec *S. Hil.* etiam coæuus ac ſuperſtes, nec viciniores illius ætatis meminerint impœnitentiæ finalis: non eſt credibile eum vltra centenarium, in violenta executione ſui Arrianiſmi contra quendā Sanctum Co-epiſcopum *Gregorium* publicâ & ſubitâ Dei vindictâ perijſſe; vt quidam pluribus ſæculis poſteriores ſcripto tradiderunt. Sed probabilius eſt, hoc fuiſſe figmentum *Donatiſtarum*, ipſi *Oſio* infenſiſſimorum. Vt patet ex *B. Aug. Lib.* 1. *contra Epiſt. Parmen.* cap. 4. *Quod de Oſio dicunt Cordubenſi, quondam Catholico Epiſcopo: flagitandum eſt vt probent*, &c. *Hoc enim magis credibile eſt; ſi tamen Oſius ab Hiſpanis damnatus, à Gallis eſt abſolutus: ſic fieri potuiſſe, vt falſis criminationibus Hiſpani*

circum-

Digitized by Google

circumuenti, *contra innocentem ferrent ſententiam, & poſtea pacificè cederent ſententiæ Collegarum, &c.* Cap. 5. *Parmenianus dicebat, Per Oſium Hiſpanum adiutorium præſtitum eſſe Cæciliano, &c.* Cap. 8. *Audet conqueri quòd Conſtantinus eos ad ſupplicium duci iuſſit, Hiſpano Oſio ſuggerente. Quaſi verò, &c.* Quamuis enim hæc ante lapſum *Oſii* contigerint: eius tamen lapſu Donatiſtæ, ad hanc in eam vindictam & infamiam abuti potuerunt. Necdum tamen tempore *B. Aug.* qui tam publicam Dei vindictam ignorare non potuiſſet: nec pro illa priori cauſa *Oſij* contra Donatiſtas contendiſſet; ſi de tali eius fine conſtitiſſet.

Quòd verò *S. Athan.* refert ex quadam Epiſt. *Iulij Papæ* Synodum *Nicænam* permiſiſſe prioris Synodi acta, in alia Synodo examinari: intelligendum eſt quoad cauſas iudiciales, non dogmaticas; qui ſubdit, *vt iudices cum omni diligentia cauſam expenderent* .i. ne quid aliis relinquant corrigendum.

S. Hil. ſupra, *col.* 595. 596. ſæpè negat ſimilitudinem eſſentialem inter Perſonas Diuinas eſſe poſſe ſine ſubſtantialitate, ſeu identitate Eſſentiæ: non contra omnem ſimilitudinem inter Perſonas: cùm ex Symbolo *S. Athan. Qualis Pater, talis Filius, &c.* Nec ſolùm quia ſimilitudo adæquata perfectionum, ſupponit identitatem Eſſentiæ; ſed quia ſimilitudo in ipſa eſſentia ſubſtantiali, non eſt propriè ſimilitudo, ſed identitas.

Reliquæ diff. ex PP. ſupracitatis, non tam ſunt reales, quàm vocales. De quibus *Quæſt.* 19. & 20.

QVÆSTIO XIX. SCHOLASTICA.

An, & quomodo hæc Fidei Myſteria ratione naturali inueſtigari, credibiliter proponi, & contra Infideles ſuſtineri poſſint.

Reſponſio.

1. ANte omnem reuelationem internam, vel, externam, non poſſunt vlla certa ratione morali innoteſcere. 2. Sed poſt aliquam reuelationem, poſſunt pluribus modis rationabiliter & credibiliter proponi, ac contra Infideles ſuſtineri. 3. Inter quos modos, præferendus eſt ſuprà relatus ex *B. Aug.* à noſtris Authoribus, optimè explicatus, & applicatus.

1. Pars eſt expreſſa, *Matt.* 11. *Nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Matt. 16. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* Idque ſacra Concilia, & SS. PP. ſuprà citati expreſsè ſupponunt. Vt *S. Hil.* ſupra, *col.* 579. 580. *S. Aug. col.* 617. *Lib.* 1. *Trin. c.* 2. *Primùm, ſecundùm authoritatem S. Script. demonſtrandum eſt, vtrùm fides ita ſe habeat, &c.* Cap. 3. *Nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſiùs inuenitur.* Et *col.* 621. ex *lib.* 15. *cap.* 14. De neceſſitate fidei SS. Trinitatis. Vnde non ſolùm cauendum eſt à contradictione rationis naturalis: ſed & ab omni eius præſumptione præueniendi reuelationem, aut eam euidenter demonſtrandi. Ideo enim Eccleſia cenſurauit & inhibuit quoſdam libros optimorum Authorum: vt *Raymundi Lulli*, Præfationem *Raymundi Sebondi*, Illuſtrationem fidei, noſtri *à Capitefontium*; qui videntur in hoc præcipuè myſterio nimium deferre rationi naturali. Cùm enim nulla veritas ſaltem ſalutaris, poſſit à nobis naturaliter certò ſciri: vt *in* 2. *col*, 282. 284. 290. 296. *à* 413. *ad* 424. *à* 478. *ad* 490. *in* 3. *à col.* 468. *ad* 482. De Supernaturalibus: quantò minùs veritas ſupernaturaliſſima.

2. Pars eſt etiam ſatis expreſſa in ſacra Script. ſacris Conc. & Patribus. Vt 1. *Pet.* 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe, & fide.* Rom. 12. *Rationabile obſequium veſtrum*: vtique etiam fidei. *Eccli.* 19. *Qui citò credit, leuis eſt corde.* Pſal. 118. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, &c.* Ex quibus ſolet probari, credibilia, quantumuis ſupra, non eſſe tamen contra rationem, ſed etiam rationabilia. Hinc enim Chriſtus, Apoſtoli, SS. Conc. & PP. omnia fidei myſteria rationabiliter propoſuerunt, & explicarunt. Sed præcipuè *B. Aug.* de hoc ipſo myſterio ſuprà, *Epiſt.* 222. *ad Conſentium.* Petis vt quæſtionem de Trinitate diſcutiam, &c. *Infra.* Quantulacumque ratio, quæ hoc perſuadet, etiam antecedit fidem. Propterea monet Apoſt. *Petrus*, 1. *cap.* 3. *Paratos nos eſſe debere ad reſponſionem omni poſcenti nos rationē de fide & ſpe noſtra.* *Infrà.* Hæc dixerim vt fidem tuam ad amorem intelligentiæ cohorter: ad quam vera ratio perducit, & cui fides animum præparat. Sicut non debes omnem vitare ſermonem, quia eſt & ſermo falſus: ita non debes omnem vitare rationem, quia eſt & falſa ratio, &c. Cui autem niſi veræ rationi fidelis pietas erubeſcit: vt non audeamus credere ita eſſe Trinitatem, quaſi tres quaſdam viuentes moles, &c. *Infrà.* Nunc tene inconcuſſâ fide Patrem, & Filium, & Spiritum S. eſſe Trinitatem, & tamen vnum Deum, &c. Intellectum verò ama: quia & ipſæ ſacræ ſcript. niſi eas rectè intelligas, vtiles tibi eſſe non poſſunt. *Infrà.* Ita credamus vnius ſubſtantiæ Trinitatem: vt ipſa Eſſentia nihil aliud ſit, quàm ipſa Trinitas, &c.

3. Pars probatur, referendo, & conferendo varios modos explicandi hoc myſterium Scholaſticè: incipiendo à *B. Aug.* ſuprà, & proſequendo per eius potiores Diſcipulos.

Quorum primus, in hac materia, fit *Boëtius*, Libello inter Scholaſticos celebri, de *SS. Trin.* ad *Symmachum*, ſub initio. Vobis, inquit, inſpiciendum eſt, an ex *B. Aug.* ſcriptis, ſemina rationum aliquos in nos venientia fructus intulerint. Eccleſiæ Catholicæ hæc eſt de Trinitatis vnitate ſententia. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus S. Deus:

Digitized by Google

Perſonæ. *Infrà.* Nam ſi hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere: ita non erant dicendæ tres ſubſtantię, vt non dicuntur tres eſſentiæ. Sicut enim ab eo quod eſt eſſe, appellatur eſſentia: ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus. Abſurdum eſt autem vt ſubſtantia relatiuè dicatur. Omnis enim res ad ſe ſubſiſtit: quantò magis Deus? Si tamen dignum eſt vt Deus dicatur ſubſiſtere. *Cap.* 5. Si Deus ſubſiſtit vt ſubſtantia propriè dici poſſit: ineſt in eo aliquid tanquá in ſubiecto,&c. Vnde manifeſtum eſt Deum abuſiuè ſubſtantiam vocari: vt nomine vſitatiore intelligatur eſſentia, quod verè ac propriè dicitur, *Exod.* 3. Sed ſiue eſſentia, ſiue ſubſtantia: vtrumque ad ſe dicitur, non relatiuè,&c. Fortaſſis igitur commodiùs dicuntur tres Perſonæ,quàm tres ſubſtantiæ. *Cap.* 6. Si Græci vellent, poſſent dicere tres Perſonas,tria *Proſopa.*] Subdit grauem etiam difficultatem de nomine Perſonæ: Quod cùm ſit commune tribus Perſonis, nec ſit relatiuum, ſed abſolutum: cur non dicantur vna Perſona in communi, ſed tres: *Niſi*, inquit, *quia volumus vel vnum aliquod vocabulum ſeruire huic ſignificationi, quâ intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati, Quid tres, cùm tres eſſe fateremur.* Hæc fuit etiam perplexitas *S.Hier.* ſuprà: priuſquam ſatis conſtaret hypoſtaſes Dei,à Græcis Catholicis non ſumi pro ſubſtantijs, nec pro ſubſiſtentijs abſolutis, ſed relatiuis, ſeu Perſonis,

Libro 8. De æquali veritate, bonitate, & dilectione Dei. Vt ſuprà *Col.* 323. 336. *Lib.* 9. De De imagine S.Trin.ſecundùm mentem, notitiam, & amorem eiuſdem à ſeipſo. Vt *cap.* 3. Mens,& amor, & notitia eius, tria ſunt: & hæc tria vnum ſunt; & cùm perfecta ſunt, æqualia ſunt. *Infra.* Quomodo mens,& amor, & notitia non ſint eiuſdem ſubſtantiæ, non video: cùm ipſa ſe amet, & ipſa ſe nouerit. Vnius ergo eiuſdemque eſſentiæ neceſſe eſt hæc tria ſint .i. obiectiuè. *Cap.* 5. Miro modo tria iſta inſeparabilia ſunt à ſemetipſis: & tamen eorum ſingulum quodq; ſubſtantia eſt; & ſimul omnia vna ſubſtantia vel eſſentia, cùm relatiuè dicantur ad inuicem .i. Mens vt noſcens, vel nota,vel noſcibilis: & amans, amata vel amabilis à ſeipſa. *Cap.* 10. Verbum eſt cum amore notitia. Cùm itaque ſe mens nouit,& amat: iungitur ei amore Verbum eius. *Cap.* 11. Cùm mens ſeipſam nouit atque approbat,ſic eſt eadem notitia Verbum eius,vt ei ſit par omnino & æquale: quia neque inferioris eſſentiæ notitia eſt, neque ſuperioris. Notitia paritur à cognoſcente, & cognito. Itaque mens cùm ſeipſam cognoſcit, ſola parens eſt notitiæ ſuæ: cur non etiam cùm ſe amat? Sed amor non rectè dicitur genitus: quia iam notitiâ inuentum eſt, &c. Quæ autem reperiuntur, quaſi pariuntur. Vnde proli ſimilia ſunt: vbi niſi in ipſa notitia? Ibi enim quaſi expreſſa formantur, &c. Partum ergo mentis antecedit appetitus quidam: quo id quod noſſe volumus, quærendo & inueniendo, naſcitur proles ipſa notitia; ac per hoc appetitus ille quo concipitur,pariturque notitia,partus & proles rectè dici non poteſt. Idemque appetitus, quo inhiatur rei cognoſcendæ,fit amor cognitæ, dum tenet atque amplectitur placitam prolem .i. notitiam,gignentique coniungit: & eſt quædam imago Trinitatis, ipſa mens, & notitia eius, vt amor tertius,&c,

Libro 10. De imagine SS. Trin, in Memoria, Intelligentia, & Voluntate. *Libro* 11. De veſtigio S. Trin. in ſenſibus externis, & internis.

Libro 12. De quadam ſimilitudine S. Trin.ſecundùm portionem inferiorem rationis: non autem ſecundùm vtrumq; ſexum & prolem,&c.

Libro 13. De ſimilitudine,necdum tamen vera imagine S. Trin. in ſcientia actiua, aut fide & pia voluntate circa myſteria humana Chriſti.

Libro 14. Tandem de perfecta imagine Dei, ac S. Trin. in Memoria, Intelligentia, & Amore ipſius Dei. *Cap.* 12. Hæc igitur Trinitas mentis, non propterea Dei eſt imago, quia mens meminit ſui, & intelligit, ac diligit ſe: ſed quia poteſt etiam meminiſſe Dei, & intelligere,ac amare Deum à quo facta eſt, &c. Vt ſupra ex *Alenſi P.* 1. *q.* 61. *P.* 2. *q.* 8. 62. *m.* 5. *S. Bon. in* 1. *d.* 3. *art.*2. 3. *Scoto in* 1. *d.* 3. *q.* 5. *&* 9. Nos in 2. q. 8. *à col.*399. *ad* 403. & infra *q.* 19. Scholaſtica, de myſterio S.Trinitatis: vt rationabili & credibili ex ipſa eius in nobis Imagine.

Libro 15. De hoc myſterio S. Trinitatis,ſupra omnem ſimilitudinem imaginis creatæ. *Cap.* 1. *&* 2. De quærendo Deo ſupra noſipſos. *Cap.* 3. Recapitulat priores libros 14.ferè vt ſupra. *Cap.*4. Iam ergo in ipſis rebus æternis, Trinitatem quæ Deus eſt, inquiramus, &c. *Cap.* 5. De vnitate & diſtinctione Perfectionum Diuinarum. Vt ſupra *col.* 234. *Cap.* 6. An hæc ſapientia quæ Deus dicitur, non ſe intelligit, non ſe diligit? Quis hoc dixerit? Ecce ergo Trinitas: Sapientia,& Notitia ſui,& Dilectio ſui. *Cap.*7. Quanta ſit differentia inter Trinitatem Dei,& noſtram. *A cap.* 10. *ad* 17. De imperfectione verbi noſtri, & perfectione Diuini. Vt ſupra *col.* 355. 356. *A cap.* 17. *ad vlt.* præcipuè de Spiritu S. Vt, *Cap.* 17. Sicut Sapientia, ita & Charitas Pater dicitur,& Filius, & Spirituſſ. & ſimul omnes vna charitas. Non tamen dicitur Verbum niſi Filius, neque Donum Dei niſi Spirituſſ. nec de quo genitum Verbum, nec de quo principaliter procedit Spirituſſ. niſi Deus Pater. Addidi, *Principaliter*: quia & de Filio Spirituſſ. procedere reperitur; ſed hoc illi quoque Pater dedit,non iam exiſtenti,& nondum habenti, ſed gignendo dedit, &c. Si propriè aliquid horum trium Charitas nuncupanda eſt: quid aptius quàm vt hoc ſit Spirituſſ? Vt non ſit aliud ſubſtantia, aliud charitas, ſiue in Patre, ſiue in Filio, ſiue in Spiritu S. & tamen propriè charitas Spirituſſ. nuncupetur. 1. *Ioan.*4. Dilectio ex Deo eſt. *Cap.* 19. De nomine Doni. Vt corpus carnis, *Coloſſ.* 2. nihil aliud eſt, quàm caro: ſic donum Spirituſſ. nihil aliud eſt quàm Spirituſſ. In tantum ergo donum Dei eſt, in quantum datur eis quibus datur: apud ſe autem Deus eſt, etſi nemini detur, &c. Nec quia datur ideo minor eſt. Ita enim datur ſicut donum Dei,vt etiam ſeipſum det ſicut Deus. *Ioan.* 3. & 1. *Cor.* 12. *Infrà.* Quid conuenientius quàm vt ille dicatur charitas propriè, qui Spiritus eſt communis ambobus? Reliqua ſupra *col.* 387. *Cap.* 20. *Contra*

Enno-

Eunomium. Acutè quidam Hæretico interroganti, vtrum Filium volens an nolens genuerit: Reſpondit, Vtrum Deus Pater volens an nolens ſit Deus, &c. Reliqua ſupra *col.* 387. *Cap.* 21. De bona voluntate, ſeu charitate, quaſi ſciente quid agat. Vt ſupra *col.* 368. *Cap.*22.23. De varijs differentijs noſtræ Imaginis, ab ipſa Trinitate Diuina. *Cap.* 24. De neceſſitate fidei S. Trinitatis. [Qui vident ſuam mentem, & in ea trinitatem iſtam, nec tamen eam credunt eſſe imaginem Dei: ſpeculum quidem vident, ſed adeo non vident per ſpeculum, vt nec ipſum ſpeculum quod vident ſciant eſſe ſpeculum .i. imaginem. Fide contemptâ, quid agunt intelligendo: niſi vt ipſâ quoque intelligentiâ ſuâ teſte damnentur? *Cap.*25. *De futura mercede fidei.* Ibi cernemus quare non ſit *Filius*, *Spirituſſ.* cùm de Patre procedat, &c. *Cap.* 26. *De proceſſione Spirituſſancti à Patre, & Filio, ſine generatione*: ex pleriſque Scripturis ſæpè ſupra citatis, de miſſione & datione Spirituſſ. à Patre & Filio. *Quantus*, inquit, *Deus eſt, qui dat Deum? Act.* 10. *Vnxit eum Deus Spiritu ſancto*: quando *Verbum caro factum eſt. Infrà.* Si enim quicquid Pater habet, de Patre habet Filius: habet vtique vt de illo procedat Spirituſſ. &c. Cùm Spiritum S. genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitũ: nè duos Patres, vel duos qui non ſunt de alio quiſquam ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio: ideo ſolus appellatur Ingenitus. Filius autem de Patre natus eſt: & Spirituſſ. de Patre principaliter eſt; & ipſo dante, communiter de vtroque procedit. *Cap.* 27. *De eadem proceſſione, non generatione.* Quia difficillimum eſt generationem, à proceſſione diſtinguere: ſufficiat interim, quòd de hac re in ſermone, quodam ad aures populi Chriſtiani diximus, dictumque conſcripſimus, &c. Cur Filius dixit, *Ioan.* 15. *De Patre procedit?* Niſi vt ſolet ad eum referre, & quòd ipſius eſt, &c. *Ioan.*17. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Si & ipſe Spiritus S. Filius diceretur: amborum vtique Filius diceretur. quod abſurdum eſt. Filius quippe nullus eſt duorum, niſi Patris & Matris. *Infrà.* Attolle oculos in ipſam lucem, & eos in eam fige, ſi potes. Sic enim videbis quid diſtet natiuitas Verbi Dei, à proceſſione doni Dei. Propter quod Filius Vnigenitus, non de Patre genitum, alioquin Frater eius eſſet, ſed procedere dixit Spiritum. Vnde cùm ſit communio quædam ſpecialis Patris & Filij: amborum Spiritus, non amborum dictus eſt Filius.] Subdit voluntatem de cogitatione procedere: non tamen eſſe cogitationis imaginem; & ideo quandam in hac re natiuitatis & proceſſionis inſinuari diſtantiam; quoniam non hoc eſt cogitatione conſpicere, quod appetere, vel etiam perfrui voluntate. *Cap.*28. *Epilogus ad Deum.* Credimus in te Patrem, & Filium, & Spiritum S. &c.

Ex tribus Libris contra Maximinum, Arrianorum Epiſcopum. *Libro* 1 ſeu Collatione inter præſentes. *B. Aug.* Spiritus gemit, clamat, poſtulat pro nobis .i. *In quo clamamus, &c. Rom.* 8. Si Filius natus eſt ab æternitate, & tamen minor eſt: melior eſt humana conditio; quia homo creſcere poteſt, & aliquando venire ad ætatem & robur patris ſui. *Ioan.* 20. *Deum meum, & Deum veſtrum &c.* Non eſt Pater, Dei Deus: ſed Deus eſt Chriſti .i. vt hominis. 1. *Cor.* 6. *Qui adhæret Deo vnus Spiritus eſt.* Non vis vt tantum adhæreat Patri Filius, vt ſit vnus Deus? Hoc & de Spiritu S. 1.*Cor.*3. *&*6. Quomodo Spiritus S. non eſt Deus verus: cui noſipſi templum ſumus? *Ioan.*17. *Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus.* Non dixit, *Vt ipſi & nos vnum*; ſed, vt *ipſi ſint vnum*, in natura ſua concordi, &c.

Libro 2. Ad abſentem. *Cap.* 2. Patrem ſolum inuiſibilem eſſe dixiſti: quia ſuperiorem non habet. Dic nobis quando tibi indicauerunt Archangeli, quòd ipſi videant Angelos, non autem ipſi videantur ab Angelis? Confeſſus es Patrem Filio eſſe viſibilem, ex *Ioan.*6. ſed mox addidiſti de tuo, *Vidit incapabilem.* Cap. 4. *Solus habet Immortalitatem*, 1.*Tim.*6. ſed ſolus Deus, non ſolus Pater. *Cap.* 6. Filius viri fortis, ſi non habet fortitudinem, degener dicitur, tamen homo eſt: Vos Vnigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, vt ipſam Patris ſubſtantiam ei denegetis. *Cap.*10. *Qui adhæret Deo, vnus Spiritus eſt.* 1.*Cor.*6. Non ait vnum ſunt, vt *Ioan.*11. Si non vultis per vnitatem ſubſtantiæ, certè per conſenſionem voluntatis dicite, Pater & Filius vnus Deus eſt. De quo *Lib.* 3. *cap.* 10. Infra. *Cap.* 11. Voluiſti additum, 1. *Cor.* 6. *Spiritus Dei habitat in vobis*; quia purgat templum Dei, non ſuum; vt cùm purgauerit, ibi habitet Deus. Cùm 1.*Cor.* 3. *&*6. *Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.*

*Lib.*3. *cap.*3. *Da*, inquit, *teſtimonia vbi adoratur Spiritus S.* Tu vbi legiſti Deum Patrem Ingenitum? &c. Multò plus eſt quod habet Spirituſſ. Templum, quàm ſi eum legeres adoratum: & homines enim à Sanctis nouimus adoratos. *Cap.* 9. *Soli Deo honor & gloria, Coloſſ.* 1. Qui Deus inuiſibilis eſt, non qui ſolus inuiſibilis, &c. Sed eleganter te exiſtimas inueniſſe: *Vidit Patrem, ſed vidit incapabilem. Pater autem ſic videt Filium, vt tenens in ſinu ſuo.* Sinum tibi fingis: Abijce iſta phantaſmata; & ſinum Patris ideo dictum accipe, vt intelligatur iſte Genitus, iſte Genitor. Si *Incapabilis* eſt Pater, non Filius: non veraciter dictum eſt, *Ioan.* 16. *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Ergo*, inquis, *Deus Pater pars eſt Dei?* Abſit. 1. *Ioan.* 5. *Et hi tres vnum ſunt*, & ſummè vnum. Si autem natura vnum eſſent, & conſenſione vnũ non eſſent, non ſummè vnum eſſent: ſi verò naturâ diſpares eſſent, vnum non eſſent.] *Vbi videtur ex ſumma vnitate ſeu identitate conſenſus, inferre identitatem naturæ*, vt ſupra Lib. 2. cap. 10. *Et ſubſignificare Filium eſſe vnum Deum cum Patre ex vi naturalis generationis, Spiritum S. eſſe vnum Deũ cum Patre & Filio, ex proceſſione & identitate voluntatis. Infrà.* Nec huius Trin. tertia pars eſt vnus, nec maior pars duo quàm vnus, nec maius aliquid omnes quàm ſinguli: quia ſpiritalis hæc, non corporalis eſt magnitudo. *Infrà.* Si in vna Patris Perſona, & plura inuenis, ſed partes non inuenis, vt ſupra *col.* 229. Quantò magis Pater, & Filius, & Spirituſſ. Deus vnus eſt, & tres Perſonæ ſunt, & propter ſingulorum perfectionem

Digitized by Google

partes Dei non ſunt? *Cap.* 12. *Beatus & ſolus potens, &c.* 1. *Tim.* 6. Abſit vt ideo ſit potentior Pater Filio, quia ille Creatorem genuit, non hic. Neque enim non potuit, ſed non oportuit. Immoderata enim eſſet diuina generatio, ſi Genitus Filium Nepotem gigneret Patri: quia & ipſe Nepos niſi Auo ſuo Pronepotem gigneret, ſecundùm veſtram ſapientiam, impotens diceretur.

Cap. 14. Ideo dicitur *Ioan.* 15. *Spiritusſ. de Patre procedit*: quia Pater proceſſionis eius eſt Author, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, vt etiam de ipſo procederet Spiritusſ. Quid autem inter naſci & procedere interſit, explicare quis poteſt? Diſtinguere inter illam generationem, & proceſſionem non ſcio, non valeo, non ſufficit. Vt *Eſa* 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ita & proceſſionem, &c.] Quia nec explicari poteſt quid ſit procedere *per modum nati, vel per modum dati, &c.* ſupra 5. *Trin.* 14. *Infrà.* Pater & Filius vnius ſunt, eiuſdemque ſubſtantiæ. Hoc eſt illud *Homouſion*, in Conc. *Nycæno* firmatum: quod poſtea in *Ariminenſi*, propter nouitatē Verbi minus intellectum, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas ſub hæretico Imperatore *Conſtantio* labefactare tentauit. Sed poſt non longum tempus, libertate fidei Catholicæ præualente, longè lateque defenſum eſt. *Infrà. Beatius eſt magis dare, quàm accipere, Act.* 20. Sed in hac vita, vbi eſt inopia. Vbi autem qui dedit, gignendo dedit, & qui accepit, naſcendo accepit: non inopi ſubuentum eſt, ſed ipſa copia generata eſt. Nec poteſt qui accipit, ei qui dedit eſſe inæqualis: quia & hoc accepit, vt eſſet æqualis. *Infrà.* Quòd Pater miſerit, miſſuſque ſit Filius: non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ, &c. *Infrà.* Si Chriſtus vt homo accepit poteſtatem, & præceptum à Patre, *Ioan.* 10. nulla quæſtio eſt, &c. Si vt Deus, non hinc oſtenditur minor; quia naſcendo id accepit, non indigendo. In Verbo enim vnico Dei, omnia præcepta ſunt Dei: quæ ille gignens dedit naſcenti; non cùm genuiſſet addidit indigenti. *Cap.* 15. Nonne Dei Regis Filio paternum Regnum auferre tolerabilius eſt, quàm naturam? *Nos*, inquis, *in Patre Deum innatum, naturam non accipimus, &c.* Putatis quòd à naſcendo natura ſit dicta. Si non eiuſdem naturæ, dicite Filium eiuſdem ſubſtantiæ, &c. Quomodo Filio Patrem ſimilem dicitis? Nonne ſimilis homini eſt pictura vel ſtatua: & tamen Filius dici non poteſt? *Infrà.* Agnoſce æqualitatem Patris & Filij: quia & homo ſi poſſet, Filium generaret æqualem. *Cap.* 18. *De æqualitate Spiritusſ. cum Patre & Filio.* Ex *Pſal.* 32. 103. *Matt. & Luc.* 1. 1. *Cor.* 12. Sed *Ioan.* 1. 8. *Act.* 2. & alibi, ſub nomine vnius Perſonæ intelligi tres, &c. *Cap.* 18. *De reuerentia & obedientia Chriſti ad Patrem, ſaluâ æqualitate.* Obſequitur homo Patri ſuo, nec tamen obſequendo deſinit eſſe homo. Et ſi honoratior eſſet Filius, gauderet Pater, non inuideret; honoraret tamen etiam ipſe Patrem, etſi natus ei eſſet æqualis. Æqualem verò ſi potuiſſet genuiſſet, imò & meliorem, &c. Sed maius & melius Deo quicquam non poteſt eſſe: Ergo ei verum Filium credamus æqualem. *Infrà.* Originis quæſtio eſt, quis de quo ſit: æqualitatis autem, qualis aut quantus ſit. Proinde ſi admittit ratio veritatis, vt æquali Patri, Filius obſequatur æqualis; non negamus obſequium: ſi autem per obſequium, minorem naturâ vultis intelligere, prohibemus. *Cap.* 20. *De vnitate Filij Dei cum Patre, in natura Diuina: Differētia in humana, & miſſione Chriſti vt hominis à Deo Patre & Spiritu S. & à ſeipſo vt Deo.* Matt. 26. *Non quod ego volo, ſed quod tu, &c.* Aliud ſe oſtendit voluiſſe quàm Pater: cùm infirmitatem noſtram in ſuum, non Diuinum, ſed humanum transfiguraret affectum. *Ioan.* 6. *Non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me*: poteſt quidem accipi etiam ſecundùm id quod eſt Vnigenitum Verbum; non eſt tamen abſurdum vt etiam ſecundùm id quod homo factus eſt, &c. *Infra.* Sicut autem facit Filius voluntatem Patris, ſic & Pater Filij, *Ioan.* 17. *Volo Pater, &c.* Cap. 21. *De Diuinitate Spiritus ſancti: ex pleriſq; Script. ſacris*, vt ſæpè ſupra. Vbiq; adeſt Spiritusſ. ad homines regenerandos, & non eſt eis Deus? Imò verò eſt, & Deus verus, &c. Quis ita deſipiat, vt dicat aliquem non eſſe dominum domus ſuæ? *Infra.* Cùm de Patre procedat, quomodo cum Patre non ſedeat: cùm ipſa ſeſſio vtique non ſit cogitanda carnaliter? Alioquin opinaturi ſumus honorabiliùs ſedere Filium ad dextram, quàm Patrem ad ſiniſtram. *Ephes.* 2. *Fecit nos ſimul ſedere, &c.* Sancti ſimul ſeſſuri ſunt: & ipſi Spiritui S. ſubtrahitur ille conſeſſus, tanquā ſedere cum Patre, vel Filio ſit indignus, qui eàdem ſede efficit condignos .i. ſubordinatè. *Cap.* 22. *De vnitate fidelium inter ſe, in Deo: non autem cum Deo ipſo, &c.* Quis præcipitauit vt diceres: *Apoſtoli vnum ſunt cum Patre & Filio: Vnum ad concordium pertinet, vnus ad numerum ſingularitatis?* Scrutare Scripturas, & inueni, ſi potes, vbi dicta ſint aliqua vnum, quæ ſunt diuerſæ naturæ? 1. *Ioān.* 5. *Tres ſunt teſtes: Spiritus, Aqua, & Sanguis, & tres vnum ſunt, &c.* Ne fallaris: Hæc enim Sacramēta ſunt, &c. Vt nomine Spiritus, ſignificatum accipiamus Deum Patrem: nomine Sanguinis, Filium; nomine Aquæ, Spiritum S.

Cap. 23. *De vno eodemq; Deo, ac Domino, tribuſq; Perſonis Diuinis*: ex pleriſque ſacris Script. vt ſupra. Inter alia. Non agitur de Domino quales ſunt homines: ſed de Domino cui ſeruitus latriæ debetur, *Deut.* 6. *Matt.* 4. Qui ſi non eſt Trinitas, ſed ſolus Pater: prohibemur vtique Domino Deo Chriſto tali ſeruitute ſeruire, &c. *Infrà.* Si dixiſſet, *Matt.* 10. *Luc.* 18. *Nemo bonus, niſi vnus Pater*: nec ſic excluſum Filium, & Spiritum S. voluiſſet intelligi. Quantò ergo nobis latitudo intelligentiæ magis patet? *Infra.* Si Pater minus bonitatis quàm quod ipſe habet, Vnigenito dedit: minùs bonus eſt & ipſe, quàm debuit. Ergo quantum ipſe habet bonitatis, tantum Filio dedit. Naſcenti, non indigenti dedit. *Cap.* 25. *De eminentia Dei Patris ſupra naturam humanam Chriſti: huius autem, etiam ſupra Angelos.* Naturâ humanæ mentis qualem Chriſtus aſſumpſit, quæ nullo peccato potuit deprauari, ſolus maior eſt Deus.

Cap. 26. *De æquali inuiſibilitate, incomprehenſibilitate, apparitione, & adoratione trium Perſonarum*:

ex

Digitized by Google

ex *Gen.* 3. 13. 18.19.20.22.32. *Exod.* 3. 1.*Tim.*6. 1. *Ioan.* 3. Vt ex *Gen.* 18. 19. Quid ſibi vult iſta viſibilis Trinitas, & intelligibilis vnitas: niſi vt nobis inſinuaretur, quòd ita tres eſſent Pater, & Filius, & Spirituſſanctus vt tamen non tres Dij & Domini eſſent, ſed vnus Dominus Deus. *Abraham* tres vidit, & vnum adorauit, à quo præterire noluit, ab vno reſponſum Diuinitatis accipit. Et *Loth* duos vidit, & tamen vnum Deum agnouit. Vbi mihi videntur per Angelos ſignificari Filius, & Spirituſſ. quoniam illi Angeli ſe miſſos eſſe dixerunt. *Infra.* Addidiſti, *Vnus etiam incapabilis atq; immenſus.* Si capi non poteſt: quomodo *Ioan.* 14. non ſolum Filius, verùm etiam Pater veniunt ad hominem? An fortè dicis: non ex toto, ſed ex parte capiuntur? Non ſunt ergo *incapabiles*, qui ſunt vel ex parte capabiles. An ideo addidiſti, *immenſum*: quia totius capax non eſt humana natura? Verùm & hoc de Filio dici poteſt, &c. *Baruch* 3.] Non quòd neget Deum Patrem eſſe à nobis incapabilem: ſed nec plus nec minus, quàm Filium, & Spiritum S.

Ex Tract. 6. in Ioan. 5. Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quòd viderit Patrem facientem. i. Quicquid Filius habet vt faciat, à Patre habet vt faciat: quia à Patre habet vt poſſit, à Patre habet vt ſit, &c. Videre Filij, eſt natum eſſe de Patre. *Tract.* 21. *Pater enim omnia demonſtrat Filio quæ facit.* Videndo enim natus eſt, & naſcendo videt. *Tract.* 23. Non faciendo demonſtrat Pater Filio: ſed demonſtrando facit per Filium. *Infrà.* Sic demonſtratio Patris, Filij viſionem gignit: vt Pater Filium gignit. Demonſtratio quippe generat viſionem: non viſio demonſtrationem. Quòd ſi puriùs intueri valeremus: fortaſſe inueniemus, nec aliud eſſe Patrem, aliud eius demonſtrationem; nec aliud Filium, aliud eius viſionem, &c. *Tract.* 99. *in Ioan.* 16. *Paracletus non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audierit, loquetur, &c.* Quid interſit inter procedere & naſci, & longum eſt quærendo diſſerere, & temerarium definire, &c. Ab illo audiet; à quo procedit. Audire, illi ſcire eſt: ſcire, eſſe. Nec moueat verbum futuri temporis: illa quippe audientia ſempiterna eſt, &c. Semper itaque audit Spirituſſ. quia ſemper ſcit. Ergo & ſciuit, & ſcit, & ſciet; audiuit, audit, & audiet á quo eſt, &c. Cur non credamus quod etiam de Filio procedat: Cùm Filij quoque ipſe ſit Spiritus, &c. vt ſæpè ſupra. *Tract.* 110. *in Ioan.* 17. *Vt omnes vnum ſint, &c.* In natura ſua, vt nos in noſtra. *Tract,* 7. *in Ioan.* 4. *Dilectio Deus eſt*: ſed Deus ex Deo .i. Spirituſſanctus.

Ex Epiſtola 178. ſeu Collatione publica *B. Aug.* cum *Paſcentio* Comite Arriano, coram *Laurentio* Cognitore. *B. Aug.* In aſſertione fidei, Patrem Ingenitum & *Incapabilem* dixit: cùm nec *Ingenitum* nec *Incapabilem* alicubi Script. dixerit. Quomodo enim eſt *incapabilis* Pater, quem capit Filius totum? *Ioan.* 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Cur vobis de verbo *Homouſion* viſum eſt fidei Catholicæ inuidiam excitare: quæ ſubſtantiam Dei vnam ſimpliciter credens, hoc verbum à Græcis Patribus accepit? *Infrà.* Abſit vt erubeſcamus Catholici, nos appellari *Homouſianos*, qui nos appellari gaudemus de græco Chriſti nomine, Chriſtianos, &c.

Ex Libro contra quendam ſermonem Arrianorum. Cap. 14. Eorum quodammodo excarnetur intentio, qui moliuntur vnam Trinitatem, eandemque naturam ſeparare diſtantiâ, & poteſtatum gradibus ordinare. Ideo *Ioan.* 5. *Filius non facit aliquid à ſe: ſed quicquid videt Patrem facientem*; quia videt ex ipſo ſe habere faciendi potentiam, ex quo ſe videt habere exiſtendi naturam, &c. Vt ſæpè ſupra.

Ex Libro de 5. Hæreſibus, Cap. 6. Quid dicis Arriane? Æqualiſne eſt Patri Filius? Æqualis, inquis, &c. Operatione, an origine: poteſtate, an æternitate; an fortè vtroque? Non æternitate, &c. *Infrà.* Quid partiris vnum? Si vnum diuiſeris, integrum nihil habebis. O Arriana Hæreſis! O crudelis & impia meretrix! Erubeſce iudicari à *Salomone*, 3. *Reg.* 3. Meretrix ne vnum viuũ perderet: non permiſit diuidi Filium ſuum; & tu diuidis Dominum Deum tuum? Quid dixit *Salomon*? *Date illi puerum viuum, ne diuidatis eum, &c.* Ecce & ego dico: totum poſſide, & noli diuidere Deum. *Infrà.* Dic mihi, quia video te calculari velle æternitatem: quot annis præcedit Deus Pater Filium ſuum? De Chriſti initio, deficit calculatio. *Eſa* 43. *Ante me formatus non eſt Deus, & poſt me non erit.* Erubeſcite Arriani: Tunicam Chriſti carnifices non ſunt auſi conſcindere: & vos conamini Charitatem Dei, imò Deum ipſam Charitatem diuidere? *Cap.* 7. *Eſa* 45. Hæc dicit Dominus Chriſto Domino meo: Aperiam coram eo ianuas, &c. Quis maior aut ſuperior, ante minorem ianuam aperit? *Cap.* 8. Quicquid de Patre & Filio, etiam de Spiritu S. diximus. Ideo enim dicitur Deus Charitas, 1. *Ioan.* 4. quia partibus non diuidit vnitatem, ſed ineffabiliter coagulat Trinitatem.

Ex S. Cyrillo Alexandrino.

VT priores Patres græci: ſic & eorum poſteri Catholici. Vt præ reliquis *S. Cyrill. Alex. Libris* 14. *Theſauri*, præter pauca expreſſiora. *Libro* 5. *Cap.* 1. Contra calumniam ex *Prou.* 8. *Dominus creauit me, &c.* Si Filius creatura eſt: quomodo non erit ſicut vna creaturarum? *Infrà.* Si creatura Filius eſſet, & tamen poſſet creare: cur cæteræ creaturæ, creandi vim non habent? Neque ideo creare poteſt, quia non eſt vt vna creaturarum: ſed quia ex ſubſtantia Patris prodit. Ad hæc ſi creatura eſſet, & tamen adoratur: cur cæteræ à ſeinuicem non adorantur, ſed omnes adorant? Si creatura eſſet, ſeipſum ipſe crearet: omnia enim Pater per ipſum creat, &c. *Cap.* 2. Contra hanc rationem Arrianorum: quòd creaturæ non potuerint ferre vim creationis, niſi mediante Filio, vt Verbo creato. *Si vim Patris creantis creatura ferre non poteſt, &c. neceſſe eſt aliud & aliud medium in infinitum, &c.* *Cap.* 3. Si Pater Filium ad creandum produxerit: creato Filio ipſe ceſſaſſet, &c. Si nutu & ſola voluntate Deus operatur, quid opus eſt medio? *Infra.* Si propter nos Filius factus eſt: primi nos erimus apud Deum. Sic enim Deus nos primò, deinde Filium propter

nos

Digitized by Google

nos intendiſſe videbitur, &c. *Cap.* 4. De vario ſenſu *Prou.* 8. *Dominus creauit me, &c.* 1. Prouerbialiter, &c. 2. *Creauit*, non ſemper originem ſignificat, ſed à re aliqua in aliam tranſlationem. 3 *Creauit me*.i. fecit me ſuper Legem, & Prophetas. 4. *Creauit* .i. Carnem mihi appoſuit, hominem me fecit, &c. *Lib.* 10. *Cap.* 5. *Non eſt meum dare vobis, Matt.*20. Non quia poteſtatem dandi Filius non habeat: ſed quia præmia proportionaliter certantibus dantur. *Infra. Non eſt meum dare*: iuſtus enim ſum Iudex, &c. Ad hæc inani gloria moti concupiſtis: id autem dare, meum non eſt, &c.

Lib. 13. *De Spiritu S. Cap.* 1. *Contra hanc calumniam Hæreticorum.* Si quoniam Spiritus ex Deo dicitur, conſubſtantialis Patri eſt: omnia erunt ei conſubſtantialia. *Reſp.* Non ſimiliter omnia ex Deo dicuntur eſſe. Nam Spiritusſanctus in Deo eſt eſſentialiter, & ex eo prodit inſeparabiliter: creaturæ verò ex Deo Patre, per Filium, in Spiritu S. ad extra productæ ſunt. 1. *Cor.* 2. *Quæ Dei ſunt, nullus nouit, niſi Spiritus Dei qui eſt in ipſo, &c. Spiritus omnia inueſtigat, etiam profunda Dei.*

Libris 7. *Dialogorum*, pleraque vt in Theſauro: ſed *Libro* 1. De obſeruanda Confeſſione Nicæna; nec corrumpenda voce *Homouſij*, in *Homouſion*; cauendaque confuſione inter Diuina & humana Chriſti. *Libro Argumentorum euidentium quòd Spiritus S. ſit Deus, & non creatura*: recolligit ex iiſdem ſacris Script. Argumenta circiter 50. ſed quædam vix variantur, pauca noua excogitantur. Vt ex *Heb.* 7. *Minor à Maiore benedicitur*: Omnis autem creatura benedicitur à Spiritu S. ergò hic non eſt creatura, ſed ſupra omnem creaturam.

S. Ioannes Damaſcenus, ex Græcis inter Scholaſticos celebrior, Libro 1. Orthodoxæ Fidei. *Cap.* 6. *De Verbo, ſeu Filio Dei.* Deus Pater ſemper habet ſuiipſius Verbum, ex ſe genitum: non inſtar noſtri, ſubſtantiam non habens, ſed intimè ſubſiſtens, &c. Vbi enim erit ſi extra ipſum gignitur? *Cap.* 7. *De Spiritu S.* Oportet autem & Verbum ipſum, Spiritum habere. Nam nec nos, nec verbum noſtrum, Spiritus eſt expers, &c. Non eſt pium exiſtimare, Spiritum extra Deum profuſum: ſed vt Dei Verbum ſubſtantialiter ſubſiſtens, ſic & Spiritum S. virtutem ſubſtantialem in propria Perſona ex Patre procedentem, & in Verbo requieſcentem, ipſumque manifeſtantem, &c. Sic ex Iudaica opinione vnitas: ex Gentilitia verò Perſonarum diſcretio. *Contra Iudæos.* Pſal. 118. *In æternum Verbum tuum permanet. Pſal.* 120. *Miſit Verbum ſuum.* Pſal. 32. *Iob* 13. Atqui nec verbum prolatum, nec halitus mittitur, creat, firmat, &c. *Cap.* 8. *De ſuperſancta Trinitate.* Credimus, &c. vt in Symbolo Conſtantinop. *Infra.* Generatio naturæ opus eſt, & ex ſubſtantia Dei: Creatio verò, cùm opus voluntatis ſit, ex nihilo, non poteſt eſſe Deo coæterna, &c. *Cap.* 9. *De Patre & Filio.* Vt docet Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, &c. Filius Dei habet propriam ſubſiſtentiam, præter eam quæ Patris eſt. Spiritusſ. à Patre procedit: non tamen per Generationem, ſed per Proceſſionem. Alius autem hic ſubſiſtentiæ modus incomprehenſibilis eſt, vt & Filij generatio. Quæcunque habet Pater, Filij ſunt, præter innaſcendi proprietatem: quæ non ſignificat ſubſtantiæ differentiam, neque dignitatis, ſed ſubſtantiæ modum. Vt *Adam* ingenitus eſt, *Seth* genitus, *Eua* ex coſta *Adæ* procedens: nec differunt naturâ, ſed ſubſtantiæ modo.] Subdit, nomen Paternitatis, Filiationis, & Proceſſionis non eſſe ex nobis, ad Deum tranſlatum; ſed à Deo ad nos, *Eph.* 3. Nec dici Patrem maiorem, nec priorem Filio: niſi quia Pater cauſa eſt naturaliter Filij. *Cap.* 10. *De Spiritu S.* Credimus in vnum Spiritum S. ex Patre procedentem, & in Filio requieſcentem, vt conſubſtantialem, &c. Spiritusſ. à Patre, non naſcibiliter, ſed proceſſibiliter eſt. Generationis & proceſſionis differentiam eſſe didicimus: at quis differentiæ modus, nequaquam, &c. Solis perſonalibus proprietatibus differunt ab inuicem ſanctæ hypoſtaſes .i. Subſtantiæ ac Perſonæ. Perfectas ipſas hypoſtaſes perſonaſque dicimus: vt nullam in Diuina natura compoſitionem intelligamus. Nam compoſitio principium diuiſionis eſt, &c. *Cap.* 11. *De diſtinctione trium Perſonarum.* In S.Trin. commune & vnum *Re* conſideratur: *Ratione* autem & intelligentia diſtinctum.] *Re*, .i. abſolutè: *Ratione* .i. relatiuè. Sæpè etiam vtitur hîc nomine *Cauſæ*, inter Perſonas Diuinas. Sub finem. [Dicimus Filium eſſe à Patre, Spiritum S. ex Patre: ex Filio autem Spiritum S. non dicimus; ſed Spiritum Filij, & per Filium apparuiſſe, & nobis traditum confitemur, *Ioan.* 20. Vt ex Sole radius & ſplendor: ipſe enim fons eſt radij, & ſplendoris; at per radium nobis ſplendor tribuitur. Porrò nec Filium Spiritus eſſe dicimus, nec ex Spiritu.

Ex Latinis, poſteris S. Aug. eiuſdem fides ac doctrinæ de ſancta Trinitate.

VT *Tomo* 9. *Bibliothecæ SS. Patrum*: *Paſcaſius* Diaconus Cardinalis, ſub *Gelaſio* Papa, libris 2. De Spiritu S. contra *Macedonium*. Ex quibus, *Lib.* 1. *c.* 7. *Eſa* 40. *Quis appendit tribus Digitis molem terræ?* Quid, inquit, euidentius de vnitate Trinitatis? *Lib.* 2. *c.* 2. Probat Spiritum S. eſſe Deum, ex eius illapſu & repletione animæ.

Boëtius Libello De Trinitate: ex ſola ratione, vel potiùs quàm ex ſacra Script. non tam pertinet ad hanc Quæſt. Dogmaticam, quam ad ſequentem Scholaſticam.

Sic & *S. Anſelmus in Monologio Scholaſticè*: Sed *Libro, ſeu Epiſtola De Proceſſione Spiritusſancti, contra Græcos*; partim Dogmaticè ex ſacris Script. ſæpè ſuprà citatis; partim Scholaſticè, per conſequentias. Vt q. ſequenti.

S. Bernardus Epiſt. 189. *&* 190. *ad Innoc. Papam*: Dogmaticè, contra Hæreſes *Petri Abaillardi*. Inter quas. *Ponit*, inquit, *in Trinitate gradus, in Maieſtate modos, numeros in æternitate. Conſtituit Deum Patrem plenam eſſe potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum nullam eſſe potentiam: atque hoc eſſe Filium ad Patrem, quod ſpecies eſt ad genus, æreum ſigillum ad æs, &c. Nonne pluſquàm Arrius hic? Dicit etiam Spiritum S. quidem de Patre & Filio: ſed minimè de Patris eſſe Filijque ſubſtantia, &c.*

Quaſi

Digitized by Google

Quaſi verò omne quod de ſubſtantia aliqua eſt, ipſum de quo eſt, habeat genitorem. Exemplificat in pediculis, vermibus, tineis, ex carne, ligno, panno, &c. Subdit, *Ille dignè æſtimat diuinam magnificentiam, qui nil in ea cogitat diſpar, vbi eſt totum ſummum: nil diſtans, vbi totum eſt vnum: nil hians, vbi totum eſt integrum: nil imperfectum vel egens, vbi totum eſt totum, & totum vnum totum, nec ſuperabundans in tribus, nec imminutum in ſingulis. Nec enim verum ſummumq; bonum quod ſunt, inter ſe particulariter diuidunt: nec participialiter poſſident, ſed hoc ipſum eſſentialiter ſunt.* Infra. *Vides, Pater Sancte, quæ præcipitia ſibi parauerit ad ruinam? Omnipotentiam, ſemipotentiam, nullam potentiam, &c. In primo limine Theologiæ, vel potiùs Stultilogiæ ſuæ, Fidem definit æſtimationē, &c.* Contra alios eiuſdem errores.

Ex *Epiſt.* 194. *Innoc* 2. *Papæ*, ad Archiepiſcopos, *Senonenſem*, & *Rhemenſem*, eorumque Suffraganeos, & ad *S. Bernardum*: contra errores *Petri Abaillardi. Nos itaque, &c. Communicato Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione Capitula, & vniuerſa Petri Abaillardi peruerſa dogmata, ſacrorum, Canonum authoritate, cum ſuo Authore damnauimus: eique tanquam Hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Vniuerſos quoque erroris ſui ſectatores, & defenſores; à fidelium conſortio ſequeſtrandos eſſe cenſemus. Datum Laterani* 17. *Kal. Auguſti.*

Recollectio Credendorum, & Difficultatum.

Ex his conſtat, fide Catholica credendum eſſe de SS. Trinitate. 1. Eſſentiam Diuinam eſſe vnicam, ſingulariſſimam, & indiuiſibiliſſimam. 2. Hanc vnicam eandemque, eſſe totam, & totaliter communem tribus Perſonis Diuinis, *Homouſiis* .i. coëſſentialibus, conſubſtantialibus, ſeu vnius eiuſdemque Eſſentiæ, Subſtantiæue, & æqualibus in omni perfectione, vt in Symb. *S. Athan.* 3. Has tres Perſonas differre inter ſe realiter, ſeu perſonaliter: non tamen ab Eſſentia Diuina; ſed eſſe idem cum ea, & in ea. 4. Inter has Perſonas, vnicam eſſe improductam, & perfectiſſimè Patrem: duas autem productas; alteram eſſe Filium Vnigenitum ſolius Perſonæ Patris, ſeu vnicum à ſolo Deo Patre perfectiſſimè genitum; alteram eſſe Spiritum S. Dei Patris & Filij, ſeu ab vtroque vt vno Principio, non genitum, ſed alio proprio modo procedentem. In hæc enim conſonant omnes ſacræ Script. Symbola, Concilia legitima, SS. Patres, totaque Eccleſia Catholica: contra omnes Infideles, Philoſophos naturales, Iudæos, Mahumetanos, & varios Hæreticos ſuprà recenſitos, & reprobatos.

Quorum pleræque calumniæ, ſeu obiectiones ſuprà, ex SS. PP. promiſcuè relatæ, ſolutæ, & refutatæ ſunt: Sed eaſdem, & plures, vſque ad 88. diſtinctiùs refert & reprobat *Idacius Clarus* Hiſpanus, anno 380. *Tom.* 4. *Bibliothecæ SS. PP.* Vt 1. *Si Arriani dixerint: quæ vnitas SS. Trin. diuinis lectionibus poterit edoceri?* Reſp. vt *Alexander* 1. ſuprà *col.* 567. 45. *Si dixerint: Solus Pater legitur apparuiſſe Prophetis.* Reſp. Dan. 7. *Ecce in nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & vſque ad vetuſtum dierum peruenit.* 47. *Si dixerint: Syllaba, &, Matt.* 28. *inter eos diuidit.* Reſp. *Potiùs pro coniunctione ponitur.* Vt Exod. 3. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.* 48. *Si dixerint: Pater Matt.* 28. *priùs nominatur, quàm Filius.* Reſp. *Alibi priùs Filius, quàm Pater.* Vt 2. *Theſ.* 2. *Eph.* 4. 5. 1. *Ioan.* 2. *Apoc.* 3. Imò *Ioan* 3. priùs aqua quàm Spirituſſanctus. 49. *Si dixerint: Soli Patri ſacrificium immolatur.* Reſp. *Tres pueri*, Dan. 3. *ſacrificarunt Filio Dei, qui viſus eſt cum eis in fornace.* Mal. 1. Pſal. 67. 71. *Prædicitur eidem ſacrificandum.* Matt. 2. *Magi adorauerunt eum.* 51. *Si dixerint*: Ioan. 8. *Tu quis es? Initium qui & loquor vobis.* Reſp. *Heb.* 7. *Melchiſedech nec initium dierum, nec finem vitæ habens, aſſimilatus eſt Filio Dei.* 69. *Si dixerint: Priùs erat Deus, quàm Pater.* Reſp. *Sic non eſſet Pater ab æterno, &c.* Eph. 5. *Gratias Patri, & Deo.* 74. *Si dixerint: Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt.* 1. *Cor.* 14. Reſp. Ex 2. *Pet.* 1. *Non humanâ voluntate allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu S. inſpirante, &c.* 75. *Si dixerint: Spiritus S. quod minus nouit, ſcrutando noſſe deſiderat*, 1 *Cor.* 2. Reſp. Ibidem: *Quæ Dei ſunt nemo nouit, niſi Spiritus Dei, &c.* Tandem ſubdit plurima communia & æqualia Patris, & Filij, & Spiritus S. ex tota ſacra Script.

Quæ autem Græci Latinis exprobrant, contra proceſſionem Spiritus S. à Patre & Filio: fuſiſſimè, ſed confusè & tædiosè, tribus libris recenſet & refutat *M. Hugo Ætherianus*, ad *Alexandrum* 3. *Papam, Tomo* 9. *Bibliothecæ SS. PP.* Quorum pleraque ſunt inepta Græcorum ſophiſmata: quæ tamen in eos optimè retorquet. Vt *Lib.* 1. *cap.* 2. tribuit *Theodorito* inuentionem & præconium huius erroris, quòd Spiritus S. non procedat à Filio: quia nuſquam id Scriptura docet, nec vllus SS. nec vlli reuelatum fuit. Quod ſophiſma, ab authoritate negatiua ſacræ Script. retorquet in Græcos, vt negantes quòd nuſquam ſacra Script. nec vllus SS. PP. negat: imò quod ex plurimis ſacris Script. neceſſariò ſequitur, & à pluribus SS. PP. Latinis & Græcis exprimitur, vt ſuprà. Quas ſacras Script. & SS. PP. promiſcuè citat, per ſuos tres libros. *Cap.* 14. *Si*, inquiunt Græci, *proceſſio Spirituſſancti ex Patre perfecta eſt: ad quid ex Filio?* Retorquet. *Si Deus Pater & Filius eſt perfectus: ad quid Spirituſſanctus?* Cap. 15. & 16. negat Spiritum ſanctum principaliùs, vel propriùs procedere à Patre, quàm à Filio: monetque id nonniſi abuſiuè à *S. Aug.* & *Hier.* dictum, & explicatum eſſe.

Lib. 2. *cap.* 5. monet, *Ingenitum*, græcè per vnicum *n*, idem eſſe quod increatum, & commune tribus Perſonis: ſed per duo *n*, idem eſſe quod improductum, & ſoli Patri proprium. *Cap.* 9. De ordine originis inter Perſonas Diuinas: deque Filio vt medio inter Patrem, & Spiritum ſanctum.

Lib. 3. *cap.* 5. De proceſſione Spirituſſancti per Filium: non tamen vt per inſtrumentum.

Digitized by Google

Cap. 11. Quòd Græci concedant Spiritum ſanctum eſſe Patris & Filij: ſed negent ideo eſſe à Patre & Filio; quia non dicitur vniuocè, ſeu æquè eſſe Filij, ac Patris. Vt *Luc.* 2. Chriſtus non dicitur vniuocè ſeu æquè profeciſſe ſapientia & gratia, ac ætate. *Ioan* 20. non dicitur æquè, *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Sic & Spiritus ſanctus dicitur eſſe Patris, quia procedit à Patre quoad eſſe: ſed Filij, quia procedit ab eo ſolùm quoad dari vel mitti, &c. *Cap.* 12. *Contra.* Cur ergo Filius non poſſet æquè dici eſſe Spirituſſancti? Nec compararentur Pater, & Filius in proceſſione Spirituſſancti, niſi æqualiter. Nec differrent æqualiter à Spiritu ſancto, niſi æqualiter ab eis procederet. *Cap.* 17. Citando *S. Hier.* refert pro miraculo Sanctitatis eius, quod habuerit Leonem ſibi ſubditum ad cuſtodiam Aſini ſui in paſcuis. *Cap.* 19. Si, inquiunt Græci, dicitis ex Filio, vt ex primo principio; duo dicitis principia, contra *SS. Athan. Cyril. Damaſc.* Si autem, *ex Filio* .i. ex Patre per Filium, contonatis, &c. Sed quia præſumebant corrigere Latinos, ipſe potiùs corrigit Græcos: Spiritum ſanctum æquè procedere à Filio & ex Filio, ac ex Patre; nec *per* Filium, minùs ſignificari aut intelligi in ſacra Script. & SS. PP.

Quæ omnia ordinatiùs, clariùs, & celebriùs diſputata, reſoluta, & tandem definita fuerunt, inter DD. Græcos & Latinos, ſub Conc. *Flor.* à Seſſ. 1. *Ferrariæ*: opponente pro Græcis præclaro Theologo *Marco* Præſule *Epheſio*; reſpondente primò pro Eccleſia Romana, *Andræa* Præſule *Coloſſenſe*; interloquente & quaſi moderante *Beſſarione* tunc Archiepiſcopo Nicæno, & *Iuliano Cardinali*; priùs quidem per longas orationes reciprocas, ſed poſt per breues interrogationes, & reſponſiones.

Seſſ. 1. *Beſſarion* perorat. *Seſſ.* 2. Defertur Græcis, vt breuibus argumentis diſputationem exordiantur: an Symbolo Diuino quicquam liceat addere. *Seſſ.* 3. *Marcus Epheſius.* Scire vos Patres Ampliſſimi velimus: nos de Symboli additione verba eſſe facturos; quod neque vera, neque conueniens ſit, quàm conſtat noſtri Schyſmatis præcipuam cauſam fuiſſe.

Andræas Coloſ. Meam reſponſionem nolim nunc vt perfectam ſuſcipiatis: ſed conſultis priùs Patribus his, &c. *Marc.* Reſponſione aliqua necdum indigemus. Nondum enim in medium protulimus quæ ad hanc rem pertinent. *Andræas* Ne Patres hinc hodie ieiuni abeant: nonnulla verba nunc faciam, maturiùs in poſterum reſponſurus. *Marc.* Actores eſſe videmur: idcirco nobis viſum eſt petijſſe hanc noſtram accuſationem audire, &c. Veſtram deinde reſponſionem libenti animo audiemus. *And.* Proferas quodcumque libuerit. *Marc.* A mutua erga ſororem ſuam Orientalem Eccleſiam beneuolentia, Romana Eccleſia iam defecerat, dogmaque ſibi proprium finxerat: quod neque literis ſacris relictum, neque ab vniuerſalibus Concilijs celebratum, neque à Maioribus noſtris ſuſceptum & probatum fuerat, &c. *And.* Miror quod vos lateat ipſam Romanam Eccleſiam ortæ iam plurimæ in Orientali Eccleſia hæreſi tum literis & Legatis, tum cæteris opportunis remedijs quibus potuit, ſe prouidè ac diligenter oppoſuiſſe, ipſique Eccleſiæ auxilio ſemper fuiſſe. Nonne *Nicæno* Concilio *Sylueſter* ille Pontifex Summus interfuit? Num cæteris in Concilijs generalibus, eorum Legati defuerunt? *Infra.* Nonne Summus hic Pontifex pro pace conficienda multam pecuniam erogauit? Nonne Legatos ad vos hac de cauſa ſæpè miſit? Nonne *Gregorius* Summus Pontifex ad celebrandum *Lugdunenſe* Concilium Nuntios ad vos miſerat: quando etiam rem ipſam concordi pace compoſuit? *Marc.* Tametſi verum eſt, &c. id tamen ad argumenta noſtra ſoluenda pertinere minimè videtur. Nam ante noſtrum ſchiſma mutuam inter nos pacem fuiſſe conſtat, &c. Cuius ſchiſmatis cauſam, acceſſionem Symboli fuiſſe diximus. Neque veſtra in nos beneuolentia, talis diſcordiæ causâ permanente, cuius vos veri Authores fuiſtis, repetenda eſt, &c. *And.* Probare conatus es, fieri facilè poſſe, vt cognitâ vel ablatâ ſchyſmatis ratione, pax ſumma conſequeretur. *Marc.* Non protuli, facilè fieri poſſe, vt ſi veſtrum dogma verum eſſe cognoſceretur, Eccleſiæ ſtatim coniungerentur; ſed ſi additio ipſa tolleretur. *And.* Si talis additio vera eſt: cur non iure fieri debuiſſet? Aut quid obſtat, quominùs id quod verum eſſe conſtaret, Symbolo apponi deberet? *Marc.* Obſtat, quod nefas eſt. Nam multa ſunt alia bona & vera, quæ tamen Religionis Symbolo nequaquam addere licet. *And.* Hæc duo probare recipio. 1. Nullam eſſe factam à nobis additionem. 2. Si facta ſit, fieri neceſſariò debuiſſe.

Seſſ. 4. *Marc.* Dixi, Maiorum noſtrorum decreta in primis eſſe recitanda. *And.* Non à definitionibus Patrum recitandis rem aggredi debemus. *Beſſ.* Neceſſarium nobis Græcis videtur, vt ea primi proferamus quæ ad rem noſtram ſpectare credimus: quibus deinde intellectis, ipſi reſpondeatis, &c. Operæ pretium eſt, dialecticè congredi breuibus, &c. Si noſtras rationes nondum audiſtis: quonam pacto ad eas poteritis reſpondere? *Iul.* Placet, vt breuibus diſſeratur. &c. eique concluſioni acquieſcamus. quæ pluribus placuerit, &c. *Pater Epheſius* propoſuerat, Romanam Eccleſiam cauſam ſchiſmatis fuiſſe, & *Coloſſ.* Antiſtitem prouocarat, vt reſponderet. *Infra. Beſſ.* Credimus nihil addere Symbolo licere, &c. Quod cùm aliâ ratione demonſtrare non valeamus, niſi SS. PP. decretis: neceſſe nobis videtur ab eis exordiri; quibus recitatis, vobis erit reſpondendi facultas. In quo tandem Latini Græcis ceſſerunt.

Seſſ. 5. Prælegunt 7. Synod generales, quoad huc pertinentia. Lectâ 7. Latini quendam vetuſtiſſimum librum in medium attulere: in quo eadem ipſa definitio, Sanctumque Spiritum ex Patre Filioque procedere, ſcriptum erat, &c. Græci Latinis benignè conceſſere: vt definitio cum additione eiuſmodi recitaretur. Sed *Epheſius*: Acceſſionē ad Symbolū factam recipere nolumus.

Seſſ.

Digitized by Google

Seſſ. 6. Marcus excipit, Conc. illud contra *Photium*, Conſtant. Patriarcham non eſſe receptum: ſed à *Ioanne* Papa in alio Conc. 8. fuiſſe renocatum. *And.* Nulla expoſitio debet additio appellari: ſed *ex Filioq;*, in *ex Patre* concluditur; eiuſque dilucidatio eſt; ergo non poteſt additio nuncupari, &c. Nam ſi nullam inter expoſitionem & additionem differentiam poſuerimus: ſacris literis additio facta videretur; & ad Nicænum, ſecunda ſynodus acceſſionem feciſſe cenſeretur. *Greg. Theologus* qui in eadem Synodo affuit, ad *Clydonium*, inquit. *Nos fidei SS. Patrum qui Nicænam Synodum celebrarunt, nihil poſſumus præferre: verùm eiuſdem fidei ſumus, ac ſemper erimus; addentes tantùm id quod de Spiritu S. ideo imperfectè prolatum fuiſſet, quòd ante hac nunquam in controuerſiam fuerat vocatum, &c.* Imò nullum Conc. generale fuit, quod *Niceno* non addiderit, vel ademerit, &c. Syllabæ igitur, *Filioq;*, nullam fecerunt acceſſionem: quia eundem Symboli ſenſum ſeruarunt. Reliquum eſt vt demonſtremus, *ex Filioq;*, non additionem, ſed expoſitionem eſſe, &c. *S. Cyril.* in *Ioan.* 14. *Filius eâdem ratione Spiritum habet, quemadmodum Pater, &c. Vt quis ſuum Spiritum habet & emittit.* Ioan. 20. *Accipite Spiritum S. &c. S. Baſil.* probat Filium habere quæcumque Pater, excepto eſſe Patrem. *Ioan.* 17. *Omnia tua mea ſunt, &c.* Sequitur, nobis interdictum non eſſe eiuſmodi additiones facere. *Gal.* 1. *Si quis aliud euangelizauerit, Anathema ſit.* Ad eius tamen Scripta acceſſiones non paucæ factæ ſunt. Multa etiã *Nicæna* Synodus Symbolo Apoſt. addidit, &c. *S. Greg. Theol. De nominibus non certabimus, ſi rem eandem ſignificent, &c.* Nam ipſi Symbolum latinè proferimus, vos autem Græcè.

Seſſ. 7. And. longa & continua oratione recapitulat & proſequitur intentum: citando ad illud plures SS. Patres, præ omnibus *S. Aug.* Sed nunc, inquit, SS. Doctorum Authoritates in medium proferamus: ac in primis *Auguſtini illuſtriſſimi Latinorum Doctoris, quem quinta Synodus conſecrauit.* Magnus *Baſilius* Epiſtolâ ad Canonicas. *Sanctusſpiritus Patri & Filio connumeratur, cùm ſupra omnem creaturam ſit, ordine verò tertius eſt, Marc. 16. Matt. 28. Si quis hunc ordinem peruertit, ipſam Perſonarum exiſtentiam, & totam fidem inficiatur.* In illud Zach. 4. *Aurea lampas. Vt Pater naturaliter ac eſſentialiter Filium habet: ita etiam Filius eundem Spiritum S. habet.* S. Ioan. Chryſ. in Ioan. *Omnia Filius eſt quæ & Pater: hoc excepto, quòd ille Genitor eſt, hic autem Natus.* Epiph. in Ioan. 16. *De meo accipiet, &c. Filius à quo & procedit Spiritusſ. Cyril.* literis mandauit Spiritum S. *eſſe per Filium, ac Filij eſſe, & ab ipſo profluere.* Poſt aliquot interlocutiones incidentales, *And.* reſumit ex 7. Synodo, in Symbolo *ex Patre Filioq;*; & ex literis *Tharaſij ex Patre per Filium*, quod idem eſt ac *ex Filioq;*. Si igitur ſoli *Tharaſio* id licuit: cur non Romano Pontifici? &c. Contra fidem illius prætenſi Concilij 8. ſupra á Græcis obiecti.

Seſſ. 8. Beſſarion recapitulat totam orationem *Andreæ Coloſ.* infirmando eius rationes, & authoritates, præcipuè quòd *ex Filioq;* non ſit additio, ſed expoſitio .i. Quia *Synodus* 3. ſeu *Epheſina*, ex verbis *Cyrilli* ad *Acbatium*, *Neceſſariò prouidit, vt alia fidei expoſitio Dei Eccleſijs neutiquam ingereretur, præter eam quam Beatiſſimi Patres noſtri Sancto afflati Spiritu definierant. Infra.* Quod non ſolùm alijs, verùm etiam ſibiipſi interdixit. Vt patet ex eo quòd verbum, *Deiparam*, Diuino Symbolo noluerit addere, etſi in ipſo includeretur, ac valde neceſſarium eſſet. *Infra.* Spiritum ex Patre procedere, oratio vna eſt: ex Patre Filioque, duæ, &c. Vocibus ergo diuerſis eandem, vel diuerſas res ſignificare, non eſt idem, &c. Sed ponamus orationem ipſam rem vnam ſignificare: haud tamen propterea non interdicto tenemini, quo omnis additio vetita eſt. *Infra.* Quo pacto demonſtrationis principium concluſio fiet? Siquidem igitur Diuinum Symbolum in Dei Eccleſia principium eſſe cenſemus: nil ei prorſus addendum eſt. Ipſam autem Eccleſiam vnam eandemque ſemper eſſe, ac vnâ eâdemque facultate præditam eſſe concedimus: ita tamen vt SS. PP. decreta ſeruet, ipſaque pro Diuinis vocibus reputet. Poſt pauca interlocuta. *Beſſ.* Concluſiones non paucas a SS. PP. ex fidei noſtræ principijs demonſtratas fuiſſe dicebamus: quas hi principijs ipſis, aut ſacræ Script. noluerant addere, &c. Aut igitur etiam Script. ſacræ ſunt apponenda, aut nil prorſus Symbolo addendum, quod eadem creditum eſt authoritate.

Seſſ. 9. Beſſ. Proſequitur contra eandem additionem ſiue expoſitionem, eiuſque neceſſitatem, & poteſtatem Eccleſiæ Romanæ addendi Symbolo: ex verbis ipſius *Agathonis* Papæ, *vt nihil prorſus mutetur*; & ex eo quod nec Synodo generali id liceat, multò minus Eccleſiæ Romanæ. Quibus *And.* volens reſpondere longo ſermone de proceſſione Spiritusſancti, Græci noluerunt eum habere pro pertinenti.

Seſſ. 10. Quidam *Ioannes* Prouincialis iuſſu Papæ, reſumit vices *Andreæ*, reſpondetque *Beſſarioni*, *Ex Filioq;* non eſſe additionem fidei: cùm *B. Aug.* contra *Fauſtum* neget nouum Teſtamentum eſſe additionem ad Vetus; quia in illo continetur. Eadem enim, inquit, eſt fides eorundem futurorum, & præteritorum. Concilia generalia addiderant, *Qui ex Patre procedit*: non tamen propterea nouus articulus credebatur; ſed magis declaratus. Pari ratione, qui particulam, *Ex Filioq;* addiderant Subdit ex *S. Bon.* de triplici additione, oppoſiti, diuerſi, & congrui.

Seſſ. 11. *Iul. Card.* in idem perorat.

Seſſ. 12. *Marcus Eph.* occupat *Iul. Card.* longa interlocutione.

Seſſ. 13. Comparent Legati Ducis Burgundiæ: ſalutato Summo Pontifice, ſed non Græcorum Imperatore. Qui inde grauiter offenſus: *Seſſ.* 14. ſalutatus fuit, & placatus. *Marc Eph.* Dixit ſe velle breuibus per *ſic*, vel *non*, diſputare.

Seſſ. 15. *Epheſius* iuſſu *Imper.* longa oratione conatur probare, ne ſyllabam quidem licere Symbolo addere. Quam *Iul. Card.* totam per 38. partes reſumpſit, ac improbauit. *Mar. Eph.* Symbolum, quod vt optimum depoſitum à Patribus noſtris ſuſcepiſtis, à vobis tale repetimus, quale

vobis fuerat traditum. Patrium igitur depoſitum nobis reſtituite. Quod quia perfectum eſt, diminutione vel additione non indiget. *Iul.Card* poſt multa, protulit ſe pro ſingulis decem Arg. ſibi propoſitis, ſe decem millia redditurum. Græci tædio afficiuntur: Latini inſtant, vt non vltra contendatur cur additum ſit, *ex Filioq.*; ſed an verum ſit. Contra *Eph.* Tollatur à Symbolo. *Iul.* Inquiratur veritas, &c. Pontifex ad ſiſtendum Græcos, & transferendum Florentiam, 11000. ducatorum dedit pro ſubſidio Conſtantinop. & alias pecunias pro commeatu *Florentiam.*

*Seſſ.*16. Indicitur tranſlatio Concilij *Florentiam.*

Seſſ. 17. Florentiæ. *Imper.* conſentit in tranſitum ad quæſtionem de veritate additionis: reſeruatâ libertate redeundi ad quæſt. de licita. *Iul. Card.* inſtat vt hæc abſolutè terminetur. Eliguntur qui publicè potiùs quàm priuatim diſputent.

Seſſ. 18. *Ioan.* pro Latinis perorat de proceſſione Spiritus S. Supponitque proceſſionem dici *Ioan.* 16. de Filio, *Ioan.* 15. de Spiritu S. *Marc.* pro Græcis reſpondet, proceſſionem propriè dici de Spiritu S. *Ioan.* An proceſſio ſignificet accipere eſſentiam, vel proprietatem? *Marc.* Proceſſionem intelligo qua Spirituſſ. à Patre accipit eſſe. *Ioan.* Accipit autem eſſe ex Filioque: ergo ex Filioque neceſſariò procedit. *Marc.* Non concedimus accipere eſſe à Filio. *Ioan. S. Epiph. in Ancorato. Filium dico qui ex Patre eſt: Spiritum S. qui ex vtroq. eſt.* Ergo ex vtroque habet eſſe. Idem, ibidem. *Nec Spiritum* S. *quis nouit, niſi Pater & Filius, à quo accipit & procedit: neq. Patrem & Filium niſi Spirituſſ. qui eſt à Patre & Filio. Marc.* Non ſequitur neceſſariò, ſi Spirituſſ. ex Patre Filioque eſt, vt ab ipſis habeat eſſe. Quia ex alio eſſe multis modis accipitur, &c. *Epiph.* non ait, A Filio eſſe accipit, ſed accipit, ex *Ioan.* 16. Nec refert, *procedit*, ad *accipit*: ſed hoc ad Patrem, illud ad Filium à quo demonſtratur, &c. Vt *S. Chryſ. De meo accipiet .i. de mea intelligentia. Cyril. in Theſauris* .i. verbis eius vtetur. *Ioan.* Res creatæ à Deo ſunt: quæro an ita, vt à Deo accipiant eſſe, necne? *Marc.* Ita: ſed non quicquid ab alio eſſe dicitur. *Ioan.* Spiritus à Filio eſt: Verbum, eſt, infert eſſe. *Marc.* Hæc auth. *Epiph.* videtur corrupta. Non eſt in ea verbum, *eſt. Ioan.* Ita *Epiph. Nec Spiritum S. nouit quis, niſi Pater & Filius, à quo procedit, & à quo accipit.* Ergo refert *procedit* ad Patrem, *accipit* ad Filium. Deinde: *Qui eſt à Patre & Filio. Marc.* Ergo *Spirituſſ.* eſſet ex duabus Perſonis. *Ioan.* Proceſſionem ab vno ſolo Principio fieri credimus. *Mar.* An ex ipſorum Perſonis? *Ioan.* Priùs, an ab aliquo eſſe, dicatur eius ſubſtantiam habere. *Mar.* Magnus *Baſil.* in *Eunomium. Deus generat verè, & natum ex ſe Spiritum emittit per os: Ex ipſo autem Spiritus, & non aliunde. Ioan.* Ibidem. *lib.* 3. contra *Eun.* ſcriptum reliquit *Spiritum S. ex Filio eſſe*: Verbum autem Dei Os dicitur, *Pſal.* 32. *Mar.* An Perſona ſit generans, vel ſubſtantia: & an ex Perſona ſua, vel ex ſubſtantia emittat Spiritum? *Ioan. Infra.* Credimus, *ex ipſo*, Perſonam Patris ſignificare. *Mar.* Ergo non aliunde .i. non ex alia Perſona. *Ioan.* Non aliunde .i. non alterius ſubſtantiæ. Nunc ergo redeamus ad *Epiph. Spiritum S. à Filio eſſe, &c. Marc.* Scimus Spiritum S. à Filio accipere eſſe, &c. *Beſſ.* Paulò ante dicebas, *ex ipſo*, Paternam Perſonam ſignificare: nunc autem Patris Eſſentiam. *Ioan.* Præpoſitio, *ex*, proceſſionem ex Principio conſubſtantiali ſignificat, *Mar.* Quæro, an Perſona, & Subſtantia ſint idem, &c. *Ioan.* Sunt idem re: ſed modo intellectionis noſtræ differre videntur, &c. ſcholaſticè, &c. *Mar.* Ad dictum *Baſilij*: *Generat Deus verè, & natum ex ipſo Spiritum emittit per os*: an Pater ex ſua Subſtantia, an ex Perſona? *Ioan.* Ex Patre, & ex Patris Subſtantia, idem ſignificant: ita vt Perſona ſit generans, Subſtantia autem, *quâ*, &c. *Mar.* Inſpicite Patres *Epiphanium* in quo *Spiritus ex Patre & Filio*, non autem, *Eſt*, ſcriptum videtur. *Ioan.* Neceſſariò ſubintelligitur. *Mar.* Ex Patre Filioque .i. ex vtriuſque Subſtantia, non Perſona. *S. Baſil. Ex ipſo. & non aliunde.* Si, *ex ipſo* .i. ex Perſona Patris: ergo non aliunde .i. non ex alia Perſona. Sin autem vtrumque ad ſubſtantiam refertur: & procedere, & ex vtroque. *Ioan. S. Baſil.* modò, inquit, *ex Patre, & non aliunde*: modò *ex Filio eſt.*

Seſſ. 19. *Ioan.* Latinè priùs, vel græcè *Baſilius* recitetur, &c. *Mar.* Illa verba ſignificant Spiritum S. eſſe Patri & Filio conſubſtantialem: non autem ex alia natura, vt creatura. *Ioan. Infra.* Quæro, an hæc verba, *Spiritum emittit per os*, ſignificent ex Patre, vel ex Filio mitti. *Mar.* A directa ad hoc reſponſione, circumducit *Ioannem* per varias ſcholaſticas, æquiuocas, & ſophiſticas quæſt. de Subſtantia, pro Eſſentia, vel hypoſtaſi, pro principio *Quo*, vel *Quod*, deque diſtinctione Perſonæ ab Eſſentia, &c.

Seſſ. 20. Grauis controuerſia, de hoc textu & ſenſu S. *Baſilij*: *Cur neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus S. naturâ quoque tertium eſſe? Dignitate namq. ipſum ſecundum à Filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & ab illa dependeat cauſa, pietatis ratio tradit. Marcus* prætendit hunc textum eſſe corruptum, omittendo *forſan*, & addendo, *cùm ab ipſo eſſe habeat, &c.* Solùmque 5. vel 6. exemplaria ſic habere, & eſſe expreſsè contra *Baſil. Epiſt. ad fratrem ſuum Greg. Spirituſſ. Filio adaptatur, & ſimul cum ipſo percipitur: à cauſa verò paterna habet eſſe dependens & procedit. Id Notionis per proprietatis hypoſtaſim habet, vt poſt Filium & cum ipſo noſcatur, ac ex Patre ſubſiſtat: Filius autem procedentem ex Patre cum ipſo cognoſcit, &c. Ioan.* Probat ſuum textum ex codice 600. annorum, priore hac controuerſia, & miſſo Conſtantinopoli: ſuſtinetque ſenſum eſſe abſolutum & conſequentem, nec contra illum alium textum *Baſilij.* Quia, *adaptari*, .i. ordinari ordine naturali Originis inter Perſonas. Ex *S. Athan. ad Serapionem. Spirituſſ. talem ordinem habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem.*

Seſſ. 21. *Mar.* Nos profitemur Spiritum S. in *Trin.* tertium eſſe: non dignitate, &c. *Infra.* Spiritũ. S. talem ordinem, & naturam ad Filium habere, qualem Filius ad Patrem .i. eſſe conſubſtantialem. *Ioan. Infra.* Refert 1. ſe *Florentiæ* inueniſſe, in vetuſtiſſimo codice græco, quodam ſermone *S. Baſilij de Spiritu S. Non ita nos à Spi-*

Digitized by Google

ritu accipimus, ſicut à Filio Spiritus. 2. Confert, ac meritò præfert ſuum illum textum *Baſilij*, textui *Marci.* 3. Præfert ſuum ſenſum ſenſui *Marci.* 4. Citat ex *S. Athan. Apologia in Arrium. Si Spiritus S. ex Patris Filijq; ſubſtantia non eſt: cur Dei Filius ipſum in Symbolo Sanctificationis connumeraſſet?* 5. Profert verbum, *eſt*, ſæpè à Græcis, & à *S. Amb.* ſubintelligi. 6. Probat Spiritum S. comparari Filio ab *Athan.* ordine naturæ .i. originis.

Seſſ. 22. *Marcus* contendit legendum eſſe: *Non à ſpiritu accipimus aliqua: ſicut à Filio accipimus Spiritum*; quia græcè eſt neutri generis: Nec ex talibus dubijs quicquam certi concludi poſſe; Ideoque ad certiora tranſeundum. *Ioan.* Ex quadam regula *S. Cyril.* inſtat ſenſum s. *Baſilij*, priùs eſſe recognoſcendum vt certum, & clarum. *Mar.* negat ſenſum *Ioannis*, vel ex eo ſequi eius intentum. *Ioan.* Si *Spiritum, &c.* eſſent eadem quæ accipimus à Filio, & à Spiritu. *Iul. Card.* Viderint auditores. *Imper.* Ita quoque nobis videtur, *Iul. Card.* Dominus Prouincialis *Baſilium* optimè declarauit; ita vt aliter exponi non poſſit. *Mar.* Poſt nouam diff. contra numerum, & ordinem numeralem in Deo: redit ad diff. circa textum illum & ſenſum *S. Baſilij.*

Seſſ. 23. *Marcus* probat ſuum ſenſum *Baſilij*, ex *Ioan.* 15. *Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritū Veritatis, qui à Patre procedit.* 1. Cor. 2 *Spiritum qui ex Deo eſt. S. Dion. Solus Pater eſt fons Deitatis. Nicænum* Conc. ad quendam Philoſophum, pro *Leontio* Cæſarienſi Præſule. *Spiritusſ. ex Patre procedit, & Filij proprius eſt. Ioan.* proteſtatur has nouas citationes, ante reſponſionem ad *S. Baſil & Ath.* eſſe inordinatas: interim tamen, illud *Ioan.* 15. explicari per *Ioan.* 16. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. *Marcus.* contendit ſe ordinatè procedere. *Imper.* eum excuſat. *Marcus* reſumit illud *Conc. Nic.* pro *Leontio*: vt *Rom.* 8. Spiritus Chriſti. *Baſil.* ad *Amphil. c.* 18. Spiritus Chriſti dicitur, vt eius proprius. *Synod.* 2. *Spiritusſ. qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. S. Greg.* Theologus, ſermone de Nauigatione ex Ægypto. *Omnia quæ habet Pater, ſunt Filij: excepta cauſalitate.* Synodus 3. non correxit ex Symbolo *Neſtoriano* Spiritum S. non habere Eſſentiam per Filium. *S. Cyril.* profitendo quòd Spiritusſ. ex Patre procedat, ſed non ſit alienus à Filio, fuit reconciliatus *Theodorito.* In Lucam. *Vt digitus à manu dependet: ita Spiritusſ. Filio conſubſtantialiter coniungi creditur, quamuis ex Deo Patre procedat. Summus Pont.* Ad extremam quoque Prouincialis Orationem reſpondeas. *Mar.* Illud, *forſan*, conueniens videtur, &c. Nil amplius volumus proferre, quàm noſtrum librum non eſſe mendoſum. *Ioan.* inſtat contra illud. *Forſan*: quodque illud, *Si*, non ſit dubium, ſed tranſeat in abſolutum, vt & alibi ſæpè. *Mar.* Nil mirum, ſi *Baſil* ex dubio conceſſo, probauerit aliud: vt nos *Ferrariæ, Etſi veſtrum dogma forſan ſit verum; haud tamen neceſſe eſt apponere Symbolo. Ioan. Infra.* Nos Patrem vnicam Filij ſanctique Spiritus cauſam profitemur eſſe. Hic ſermo perplacuit Græcis, &c. *Imper.* ad Patres Græcos. Recordamini quanto in impiorum diſcrimine noſtram domum dereliquerimus, &c.

Seſſ. 24. *Ioan.* abſente *Marco.* Quoniam, vt creditur, victus abeſt: ad vos orationem habebo. *Imper.* Non ad diſputandum conuenimus: propterea *P. Epheſius* noluit conuenire. *Ioan.* Eius extremo ſermoni reſpondebo. *Ioan.* 15. *Quem ego mittam, &c.* Quid aliud ſignificat, quàm, *ex*, &c. Qui verò mittit, ſuum mittere videtur: & quod mittitur, ex ipſo dicitur eſſe. *Ioan.* 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt. Qui videt me, videt & Patrem, &c.* Prætereà dictum eſt à SS. PP. Spiritum S. *per Filium naturâ procedere. Per*, vt *ex*, ſignificare videtur. Vt patet ex *Leone*, *Greg.* Papa, *Ambr. Hier. Aug.* quas authorit. cùm *Ioannes* prælegiſſet, *ſeſſio* fuit dimiſſa.

Seſſ. 25. *Ioan.* Neſcio cur *P. Epheſius* venire noluerit, &c. Porrò obſecro, vt me, dum SS. Orientalium ſententias affero, attentè audiatis. *Baſil.* vt ſupra. *Epiph. Spiritusſ. ex ambobus eſſe credendus eſt.* Cyril. *Spiritus ex Filio profluit, vt ex Patre. Didymus & Athan. Spiritus ex Patre Filioq; procedit. Rhutenus.* Qui ſolus diſputat, facillimè vincit. *Imper.* Hos libros mutuò date: vt horum SS. dictis reſpondere poſſimus. *Iul. Card.* Quæcunque diximus, à noſtris Scribis literis tradita ſunt: Ad *D. Franciſci* Templum priuatim conueniamus; vt ibi noſtris omnibus Scripturis & libris collatis, veriùs & clariùs reſpondere valeatis. Cui omnes acquieuere. Poſtridie, in illo Templo, concordiam facile fieri poſſe Græci cognouerunt. Ex tunc variæ Græcorum inter ſe conſultationes; & diſſenſiones ſuper ineunda concordia: variæ ad Latinos miſſiones, & remiſſiones, acceſſus & receſſus, tandemque conſenſus omnium, excepto *Marco Epheſio*, in confeſſionem proceſſionis Filij ex Patre per Filium. i. Filioq; vt vno eodemque cum Patre principio. Sed noluerunt id ſuo Symbolo addere: nec de tranſmutatione ſeu tranſubſtantiatione Sacramentali agere.

Supplementum.

1. AD ſacras Script. Pleræque veteris Teſt. & quædam noui, poſſent à Iudæis, vel Hæreticis exponi de vno Deo in plurali maieſtatiuè: vel de vno Deo, & pluribus eius Angelis; vel de vno Deo, eiuſque Sapientia, & Voluntate eſſentiali, & actuali; vel de Deo, & Chriſto, eiuſque ſumma gratia; vel de pluralitate naturali, cum vnitate morali. Sed *Matt.* 28. *Marc.* 16. *Ioan.* 1. 10. 14. 1. *Ioan.* 5. non patiuntur alium ſenſum, quàm de Deo vno, & tribus Perſonis æquè Diuinis, Patre, Filio, & Spiritu S. ordine originis; deque vnitate eſſentiali, & diſtinctione perſonali. Reliquæ Script. his accumulatæ collucent; ſed ſeorſim, caligant.

2. Ad ſacra Symbola, & Concilia. Poſteriora explicant priora: omniaque implicitè continentur in primo Symbolo Apoſtolico. Nam, *Credere in Deum Patrem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum, & in Spiritum S.* eſt implicitè credere in vnum Deum, & tres Perſonas, æquè Diuinas, ordine originis. Sed poſt *Conc. Nicænum*, fuerunt

Digitized by Google

circumuenti, contra innocentem ferrent ſententiam, & poſtea pacificè cederent ſententiæ Collegarum, &c. Cap. 5. *Parmenianus dicebat, Per Oſium Hiſpanum adiutorium præſtitum eſſe Cæciliano, &c.* Cap. 8. *Audet conqueri quòd Conſtantinus eos ad ſupplicium duci iuſſit, Hiſpano Oſio ſuggerente. Quaſi verò, &c.* Quamuis enim hæc ante lapſum *Oſii* contigerint: eius tamen lapſu Donatiſtæ, ad hanc in eam vindictam & infamiam abuti potuerunt. Necdum tamen tempore *B. Aug.* qui tam publicam Dei vindictam ignorare non potuiſſet: nec pro illa priori cauſa *Oſij* contra Donatiſtas contendiſſet; ſi de tali eius fine conſtitiſſet.

Quòd verò *S. Athan.* refert ex quadam Epiſt. *Iulij Papæ* Synodum *Nicænam* permiſiſſe prioris Synodi acta, in alia Synodo examinari: intelligendum eſt quoad cauſas iudiciales, non dogmaticas; qui ſubdit, *vt iudices eum omni diligentia cauſam expenderent* .i. ne quid alijs relinquant corrigendum.

S. Hil. ſupra, *col.* 595. 596. ſæpè negat ſimilitudinem eſſentialem inter Perſonas Diuinas eſſe poſſe ſine ſubſtantialitate, ſeu identitate Eſſentiæ: non contra omnem ſimilitudinem inter Perſonas: cùm ex Symbolo *S. Athan. Qualis Pater, talis Filius, &c.* Nec ſolùm quia ſimilitudo adæquata perfectionum, ſupponit identitatem Eſſentiæ; ſed quia ſimilitudo in ipſa eſſentia ſubſtantiali, non eſt propriè ſimilitudo, ſed identitas.

Reliquæ diff. ex PP. ſupracitatis, non tam ſunt reales, quàm vocales. De quibus *Quæſt.* 19. & 20.

QVÆSTIO XIX. SCHOLASTICA.

An, & quomodo hæc Fidei Myſteria ratione naturali inueſtigari, credibiliter proponi, & contra Infideles ſuſtineri poſſint.

Reſponſio.

1. Ante omnem reuelationem internam, vel, externam, non poſſunt vlla certa ratione morali innoteſcere. 2. Sed poſt aliquam reuelationem, poſſunt pluribus modis rationabiliter & credibiliter proponi, ac contra Infideles ſuſtineri. 3. Inter quos modos, præferendus eſt ſuprà relatus ex *B. Aug.* à noſtris Authoribus, optimè explicatus, & applicatus.

1. Pars eſt expreſſa, *Matt.* 11. *Nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Matt. 16. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Idque ſacra Concilia, & SS. PP. ſuprà citati expreſsè ſupponunt. Vt *S. Hil.* ſupra, *col.* 579. 580. *S. Aug. col.* 617. *Lib.* 1. *Trin. c.* 2. *Primùm, ſecundùm authoritatem S. Script. demonſtrandum eſt, vtrùm fides ita ſe habeat, &c.* Cap. 3. *Nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs inuenitur.* Et *col.* 621. ex *lib.* 15. *cap.* 14. De neceſſitate fidei SS. Trinitatis. Vnde non ſolùm cauendum eſt à contradictione rationis naturalis: ſed & ab omni eius præſumptione præueniendi reuelationem, aut eam euidenter demonſtrandi. Ideo enim Eccleſia cenſurauit & inhibuit quoſdam libros optimorum Authorum: vt *Raymundi Lulli*, Præfationem *Raymundi Sebondi*, Illuſtrationem fidei, noſtri à *Capitefontium*; qui videntur in hoc præcipuè myſterio nimium deferre rationi naturali. Cùm enim nulla veritas ſaltem ſalutaris, poſſit à nobis naturaliter certò ſciri: vt *in* 2. *col*, 282. 284. 290. 296. *à* 413. *ad* 424. *à* 478. *ad* 490. *in* 3. *à col.* 468. *ad* 482. De Supernaturalibus: quantò minùs veritas ſupernaturaliſſima.

2. Pars eſt etiam ſatis expreſſa in ſacra Script. ſacris Conc. & Patribus. Vt 1. *Pet.* 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe, & fide.* Rom. 12. *Rationabile obſequium veſtrum*: vtique etiam fidei. *Eccli.* 19. *Qui citò credit, leuis eſt corde.* Pſal. 118. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, &c.* Ex quibus ſolet probari, credibilia, quantumuis ſupra, non eſſe tamen contra rationem, ſed etiam rationabilia. Hinc enim Chriſtus, Apoſtoli, SS. Conc. & PP. omnia fidei myſteria rationabiliter propoſuerunt, & explicarunt. Sed præcipuè *B. Aug.* de hoc ipſo myſterio ſuprà, *Epiſt.* 222. *ad Conſentium.* Petis vt quæſtionem de Trinitate diſcutiam, &c. *Infra.* Quantulacumque ratio, quæ hoc perſuadet, etiam antecedit fidem. Propterea monet Apoſt. *Petrus*, 1. *cap.* 3. *Paratos nos eſſe debere ad reſponſionem omni poſcenti nos rationē de fide & ſpe noſtra. Infrà.* Hæc dixerim vt fidem tuam ad amorem intelligentiæ cohorter: ad quam vera ratio perducit, & cui fides animum præparat. Sicut non debes omnem vitare ſermonem, quia eſt & ſermo falſus: ita non debes omnem vitare rationem, quia eſt & falſa ratio, &c. Cui autem niſi veræ rationi fidelis pietas erubeſcit: vt non audeamus credere ita eſſe Trinitatem, quaſi tres quaſdam viuentes moles, &c. *Infrà.* Nunc tene inconcuſſâ fide Patrem, & Filium, & Spiritum S. eſſe Trinitatem, & tamen vnum Deum, &c. Intellectum verò ama: quia & ipſæ ſacræ ſcript. niſi eas rectè intelligas, vtiles tibi eſſe non poſſunt. *Infrà.* Ita credamus vnius ſubſtantiæ Trinitatem: vt ipſa Eſſentia nihil aliud ſit, quàm ipſa Trinitas, &c.

3. Pars probatur, referendo, & conferendo varios modos explicandi hoc myſterium Scholaſticè: incipiendo à *B. Aug.* ſuprà, & proſequendo per eius potiores Diſcipulos.

Quorum primus, in hac materia, ſit *Boëtius*, Libello inter Scholaſticos celebri, de *SS. Trin.* ad *Symmachum*, ſub initio. Vobis, inquit, inſpiciendum eſt, an ex *B. Aug.* ſcriptis, ſemina rationum aliquos in nos venientia fructus intulerint. Eccleſiæ Catholicæ hæc eſt de Trinitatis vnitate ſententia. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus S. Deus:

Digitized by Google

Deus: igitur vnus Deus, non tres Dij. Cuius coniunctionis ratio eſt indifferentia. Eos enim differentia comitatur, qui vel augent, vel minuunt; vt *Arriani*, qui gradibus meritorum Trinitatem variantes diſtrahunt; atque in pluralitatem deducunt. Principium enim pluralitatis, alteritas eſt: præter alteritatem enim, nec pluralitas quid ſit intelligi poteſt, &c. Idem verò vel diuerſum dicitur tribus modis: genere, ſpecie, numero, &c. Sed numero differentiam, accidentium varietas facit, &c. Nam ſi vel animo ab his cuncta accidentia ſeparemus: tamen locus cunctis diuerſus eſt. *Infra.* In naturalibus rationaliter, in Mathematicis diſciplinaliter, in Diuinis intellectualiter verſari oportebit: neque deduci ad imagines, ſed potiùs inſpicere formam, quæ eſſe ipſum eſt, & ex qua eſſe eſt. Omne namque eſſe, ex forma eſt, &c. Nihil ſecundum materiam eſſe dicitur. Sed Diuina Subſtantia ſine materia forma eſt: atque ideo vnum eſt, & id quod eſt. Reliqua enim non ſunt id quod ſunt. Quod enim habet eſſe ex partibus, eſt hoc & hoc .i. partes ſuę coniunctæ: ſed non hoc vel hoc ſingulariter, &c. Quocirca hoc verè vnum, in quo nullus numerus, nec aliud quàm id quod eſt. Neque ſubiectum fieri poteſt: forma enim eſt, formæ verò ſubiectę eſſe non poſſunt, &c. Dum enim materia ſubiecta humanitati ſuſcipit quodlibet accidens: ipſa hoc ſuſcipere videtur humanitas. Forma verò quæ eſt ſine materia, non poterit eſſe ſubiectum, nec ineſſe materiæ. Neque enim eſſet forma, ſed imago. Ex his enim formis quæ præter materiam ſunt, iſtæ formæ venerunt quæ ſunt in materia, & corpus efficiunt. Quibus abutimur, formas vocantes, cùm imagines ſint: aſſimilantur enim formis quæ non ſunt in materia. Nulla igitur in Deo diuerſitas, nulla ex diuerſitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, nec numerus. Deus à Deo nullo differt: nec accidentibus, nec differentijs ſubſtantialibus. Vbi verò nulla eſt differentia, nulla omnino pluralitas, nec numerus; igitur vnitas tantùm. Nam cùm tertiò repetitur Deus, Pater, Filius, & Spiritusſ. tres vnitates non faciunt pluralitatem numeri numerabilis, &c. Numerus enim duplex eſt. 1. Quo numeramus. 2. Qui rebus numerabilibus conſtat. In numero quo numeramus, repetitio vnitatum facit pluralitatem, non in rerum numero. Vt ſi dicam enſis, mucro, gladius: vel, ſol, ſol, ſol. Hæc enim repetitio, iteratio potiùs eſt, quàm numeratio, &c. Non igitur ſi de Patre, & Filio, & Spiritu S. tertiò prædicatur Deus, numerum facit, &c. Non verò ita dicitur Pater, & Filius, & Spiritusſ. quaſi multiuocum quiddam, &c. Idem alter, qui alter negatur: non eſt igitur inter eos in re omni indifferentia. Quà ſubintrat numerus, quem ex ſubiectorum diuerſitate confici ſuperiùs explanatum eſt. De qua re breuiter: ſi priùs præmiſerimus, quemadmodum de Deo vnumquodque prædicatur. Decem prædicamenta traduntur, &c. Talia ſunt, qualia ſubiecta permiſerint. Hæc cùm quis in Diuinam verterit prædicationem, cuncta mutantur, &c. Nam ſubſtantia in illo non eſt verè ſubſtantia, ſed vltra ſubſtantiam. Item, qualitas, &c. Nam cùm dicimus, Deus, ſubſtantiam quidem ſignificare videmur, ſed eam quæ ſit vltra ſubſtantiam: cùm verò Iuſtus, qualitatem quidem; non tamen accidentem, ſed quæ ſit ſubſtantia, & vltra. Cùm dicitur magnus, quantitatem ſignificare videmur: ſed eam quæ ſit ipſa ſubſtantia, &c. Hæc prædicamenta talia ſunt, vt in quo ſint, ipſum eſſe faciant quod dicitur: diuiſè quidem in cæteris, in Deo coniunctè, hoc modo. Homo vel Deus dicitur ſubſtantia, quaſi id de quo prædicatur, ipſum ſit ſubſtantia. Sed diſtat. Quoniam homo non integrè homo eſt, ac per hoc nec ſubſtantia. Quod enim eſt, alijs debet, quæ non ſunt homo. Deus verò hoc ipſum quod eſt, Deus eſt: nec enim aliud eſt, niſi quod eſt, ac per hoc ipſum Deus eſt. Rurſus, ſi dicamus, Deus vel homo iuſtus: ipſum Deum & hominem iuſtum proponimus. Sed differunt, quòd homo alter, alter eſt iuſtus: Deus verò eſt idem ipſum quod iuſtum. Magnus etiam homo, vel Deus dicitur: ſed homo tantùm magnus, Deus verò ipſum magnum exiſtit. Reliqua, neque de Deo, neque de cæteris prædicantur, &c. Non enim homo ita dicitur eſſe in foro, vt eſſe albus vel longus: nec quaſi determinatus aliqua proprietate; ſed tantùm quod ſit illud alijs informatum rebus. De Deo verò non ita. &c. Nam vbique eſt: non vt in loco, ſed quòd omnis ei locus adſit. *Quando* verò, prædicatur de homine, quod ei ſecundùm tempus acceſſit, &c. de Deo verò dicitur, *ſemper* eſt: quoniam ſemper præſens eſt in eo tempus, &c. De æternitate Dei, vt ſuprà. *Rurſus, Habere* vel *Facere*, eodem modo. Dicimus enim de homine veſtitus, currit. De Deo cuncta poſſidens, regit, &c. Situm, paſſionemque requiri non oportet in Deo, &c. Iamne patet quę ſit differentia prædicationum? Patet quod aliæ quaſi rem monſtrent, aliæ quaſi circumſtantias rei, &c. Age, nunc de relatiuis ſpeculemur, &c. Quoniã Dominus & Seruus relatiua ſunt: videamus an ſecundùm ſe ſit prædicatio, an minimè. Si auferas Seruum, abſtuleris Dominum: At non ſi auferas albedinem, abſtuleris album. Albedo accidit albo: quà ſublatà perit album. At ſi ſeruum auferas, perit vocabulum Domini. Non accidit Seruus Domino, vt albedo albo: ſed poteſtas quædam qua Seruus coërcetur. Quæ quoniam ſublato deperit Seruo: conſtat non eam per ſe Domino accidere; ſed per ſeruorum extrinſecum acceſſum. Non igitur dici poteſt prædicationem relatiuam quicquam rei de qua dicitur, ſecundùm ſe addere, vel minuere, vel mutare: quæ tota non in eo quod eſt eſſe, conſiſtit; ſed in comparatione: nec ſemper ad aliud, ſed aliquoties ad idem. Vt in dextro, ſiniſtro, &c. Quocirca ſi Pater & Filius ad aliquid dicuntur, nihilque aliud vt dictum eſt, differt niſi ſola relatione, &c. non faciet alteritatem rei de qua dicitur; ſed ſi dici poteſt, perſonarum. Omnino enim magna eſt regulæ veritas: in rebus incorporalibus diſtantias effici differentijs, non locis. Neque acceſſiſſe dici poteſt aliquid Deo, vt Pater fieret: non enim cœpit eſſe vnquam Pater; eò quòd ſubſtantialis ei eſt productio Filij, relatiua verò prædicatio Patris, &c.

Digitized by Google

tris, &c. Cogitemus proceſſiſſe quidem ex Deo Patre Filium, & ex vtroque Spiritum S. ſed quoniam incorporales ſunt, minimè locis diſtare. Quoniam verò Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus S. Deus: Deus verò nullas habet differentias quibus differat à Deo; à nullo eorum differt. Differentiæ verò vbi abſunt, abeſt pluralitas; vbi abeſt pluralitas, adeſt vnitas. Nihil autem gigni poteſt ex Deo, niſi Deus: & in rebus repetitio vnitatum non facit pluralitatem; trium igitur idoneè conſtituta eſt vnitas. Sed quoniam nulla relatio ad ſe referri poteſt, &c. Subſtantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem, &c. Sciendum eſt non ſemper relatiuam prædicationem eſſe ad differens; vt ſerui, ad Dominum. Nam æquale eſt æquali æquale, ſimile ſimili, idem eidem. Similis eſt in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriuſque ad Spiritum ſanctum: vt eius quod eſt idem, ad id quod eſt idem. Quod ſi in cunctis alijs rebus non poteſt inueniri: facit hoc cognata caducis rebꝰ alteritas.

Ex eiuſdem libello: *Vtrum Pater, ac Filius, & Spiritusſ. de Diuinitate ſubſtantialiter prædicentur, an alio modo?* Reſp. Nec ſimul, nec ſeorſim prædicari ſubſtantialiter, ſed relatiuè, &c.

In priorem libellum difficilem *Boëtij*, refertur Commentarius editus *Coloniæ* 1612. *Tomo* 8. Operum *Bedæ*: ſed nimis indignus tanto Authore, & pluribus ſæculis poſterior. Vt patet ex his eius imperitijs & ineptijs. Poſt quædam aliena à Doctrina *S. Aug.* & *V. Bedæ*, de gratia, ſub Prologo: tribuit *Vigilantio* hæreſim *Arrianam*, refertque hæc ridicula de *S. Ambr.* & *S. Aug.* contra *Vigilantium*. Pater, inquiunt Catholici, eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritusſ. eſt Deus. Hinc emerſit *Vigilantiana* hæreſis. *Vigilantius* enim transferens naturalium rationes ad Theologiam, tres Deos aſſerebat. Vt, *Plato* eſt homo, *Socrates* eſt homo, *Cicero* eſt homo: ergo tres homines. Sic Deus Pater eſt Deus, Deus Filius eſt Deus, Deus Spiritusſ. eſt Deus; ergo ſunt tres Dij. Hinc fertur *S. Ambroſius* vir miræ ſimplicitatis, reſpondiſſe: quòd Deus non ſaluat mundum in dialectica. Fertur etiam præcepiſſe vt in Litania diceretur: *A Dialecticis libera nos Domine.* *Auguſtinus* tamen argumentum *Vigilantij* hoc modo falſificauit. Non valet, *Vigilanti*, tua complexio. Nam ab alia humanitate eſt *Socrates* homo, ab alia *Plato*, ab alia *Cicero*: & ideo ſequitur; ergo ſunt tres homines. Sed ab vna & eadem Deitate eſt Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritusſ. Deus: & ideo non ſequitur, ergo ſunt tres Dij. Vbi autem dicit *Aug.* quòd ab alia humanitate eſt *Socrates* homo, ab alia *Plato*, videtur ſignare cuiuſque hominis eſſe vnam naturam: vnam dico ſingularitatem eſſentiæ, vt quidam malè interpretantes putant. Nulla enim natura vna eſt ſingularitate eſſentiæ, niſi tantùm natura trium Perſonarum. Humanitas enim non dicitur vna ſingularitate eſſentiæ; ſed potiùs vnione. Nec vnitas *Socratis* eſt vna ſingularitate, ſed potiùs vnione: eo quòd vnit ſpiritum cum alio. Eadem enim eſt natura omnium hominum. Quod bene oſtendit *Aug.* ſuper *Geneſim*: vbi dicit, quòd Deus ſex diebus creauit omnes creaturas. Quid ergo dicit *Aug.* ſupra? Non dixit, alia ſingularitate eſſentiæ, ſed alia alternitate, quam facit accidentium multitudo, &c. Ideo intelligenda prædicta *B. Aug.* authoritas, quæ diſſoluit *Vigilantij* complexionem, poſtquam fertur etiam feciſſe inuectionem hoc modo. Non amplius vocaberis *Vigilantius*, ſed *Dormitantius*. Dicunt tamen quidam, *Auguſtinum* feciſſe prædictum hæretici argumentum, antequam eſſet conuerſus.] Sed nimis eſt palpabile hunc Authorem non eſſe *Bedam*: ſed poſteriorem, aut ſaltem coæuum *S. Bern.* ex relatione huius erroris reprobati à *Conc. Rhemenſi*. [At dicet aliquis: Nunquid Deus eſt à Deitate Deus, à bonitate bonus? Concedo. Ergo bonitas eſt aliquid vnde Deus eſt bonus, quod non eſt Deus. Falſum eſt. Ab hoc loco emerſit eorum hæreſis qui negarunt bonitatem, ſapientiam, Deitatem eſſe Deum, &c. Niſi ita intelligatur: Deitas eſt Deꝰ. i. ille qui eſt Deitas eſt Deus, &c. Decepti ſunt in hoc eum *Arrio*, &c. Dum enim dicitur Deus eſt bonus à bonitate, vel eſt homo ab humanitate: tunc appoſitio ſub qua latet venenum, conſignificat cauſam, & participationem. Dum verò dicitur, Deus eſt Deus à Deitate, vel eſt bonus à bonitate: non ſignificat cauſam vel participationem, vt ipſi *Semiarriani* ſenſerunt. Imò ſignificat eſſentiam, & eſt talis ſenſus. Deus eſt Deus à Deitate. i. ità eſt Deus, quòd eſt ipſa Deitas. Omnes enim hæ conſtructiones, Deus eſt à Deitate, & tres Perſonæ ſunt vnius eſſentiæ, vnius naturæ, &c. ſunt intranſitiuæ. Sicut in *Rhemenſi* Concilio ſancitum eſt: vt hoc quæſiuit Archiepiſcopus ab illo qui dux eſt illorum, qui huiuſmodi conſtructiones fortaſſis eſſe tranſitiuas ſentiebant. Et quærendum eſt adhuc ab illa ſecta, quid ſibi velit, cùm dicit: Nihil quod ſit Chriſti eſt adorandum. Quia ſi velint dicere, poſſeſſio, vel pars Chriſti, verum dicunt: ſi autem velint dicere, Diuinitas quæ eſt natura Chriſti non eſt adoranda, damnabile eſt, &c. Tunc enim intranſitiua eſt conſtructio, & eſt ſenſus: Natura trium Perſonarum. i. quæ eſt tres Perſonæ: Natura Filij vel Chriſti. i. quæ eſt Filius vel Chriſtus. *Infrà.* Deus Pater non eſt idem Deus qui Filius: licet idem Deus cum Filio. Quod bene teſtatur *gloſſula* ſuper *Ioannem*. *Sub finem.* Extirpanda eſt hæreſis Vetularum quæ iurant per tres partes Dei; ſed forſan intelligunt de corpore Chriſti.] Cùm ergo præter tot ineptias, ſupponat *Conc. Rhemenſe*, aliquot ſæculis poſt *Bedam*, contra errorem *Gilberti* relatum ſupra *col.* 232. 233 nec explicet vllas difficultates illius libelli *Boëtij*: mirum eſt potuiſſe irrepere in nouam editionem operum *Bedæ*, & euadere cenſuram ipſius Card. *Bellarmini* de Scriptoribus Eccl. in opera *V. Bedæ*.

Tomo 3. *Bibliothecæ SS. PP.* referuntur libri 7. *Albini Flacci Alcuini*, ad *Carolum Magnum*, ab anno 770. doctrinæ prorſus Catholicæ, & Auguſtinianæ, præcipuè de SS. Trin. Vt *Lib.* 1. *cap.* 4. Quædam de Deo ſubſtantialiter dicuntur, quædam relatiuè. *Cap.* 5. Spiritusſ. relatiuè dicitur ad Patrem, & Filium: ſed non tam reciprocè,

Digitized by Google

quàm Pater & Filius inter ſe. *Cap.* 6. Spirituſſ. à Patre & Filio æqualiter procedens, eſt quædam vtriuſque communio : fortè quia propriè coniunctim dicitur, quod illi communiter dicuntur .i. Spiritus, & Sanctus. *Cap.* 9. Nec Pater, nec Filius cœpit eſſe Pater aut Filius : nec tres Perſonæ ſunt quid maius, quàm ſingulæ. *Cap.* 11. Cùm tantæ ſint ſingulæ Perſonæ, quantæ tres ſimul : Deus nec eſt, nec dici poteſt triplex, ſed Trinitas ; quia eſt perfectionis infinitæ. *Cap.* 2. Singulæ Perſonæ habent ſuam proprietatem, &c. *Cap.* 15. Ingenitum, minùs dicit quàm Pater : Spirituſſ. nec genitus, nec ingenitus dicitur, ſed procedens ; non quaſi à Patre in Filium, & de Filio ad nos, ſed ſimul à Patre & Filio.

Lib. 2. *cap.* 3. Tres Perſonæ ſunt potiùs æquales, quàm ſimiles. *Cap.* 9. Sunt diuerſi modi eſſendi : à ſe, vel ab alio, per generationem, proceſſionem, vel creationem. *Cap.* 13. Vt vna eſt eſſentia : ſic & potentia, voluntas, & operatio Patris, Filij, & Spirituſſ. Idē eſt illis velle & operari : quia voluntas Dei eſt potentia effectiua.

Ex *S. Anſelmo* in *Monologio*. A *cap.* 28. *ad* 48. De Dictione Verbi Diuini à Patre. Vt ſupra *col.* 360. 361. 362. *Cap.* 48. De proceſſione Spirituſſ. vt amoris Dei, à Patre & Filio. *Cap.* 49. De amore mutuo Patris, & Filij. *Cap.* 50. De tanto amore Dei, quantus eſt Deus ipſe. *Cap.* 51. De identitate ſummi amoris, cum ſummo Spiritu: Deq; proceſſione totali eiuſdem totius amoris, à Patre & Filio. Cap. 53. Non procedit vt proles vtriuſque : quia non per generationem, in expreſſam vtriuſque ſimilitudinem. *Cap.* 54. Nec eſt propriè Ingenitus, vt Pater ; nec genitus, vt Filius. *Cap.* 55. Eſt Spiritus Patris & Filij : quia ab vtroque, ſuo quodam inenarrabili modo ſpirante, mirabiliter procedit ; eſtque communio Patris & Filij. *Cap.* 57. Tanta Pater & Filius & Spirituſſ. æqualitate ſeſe complectuntur, & ſunt in ſeinuicem : vt eorum nullus alium excedere, aut ſine eo eſſe probetur. *Cap.* 58. Non indigent ſeinuicem : ſed ſinguli ſufficiunt, ad memorandum intelligendum, & amandum. *Cap.* 59. Vnicus Pater, vnicus Filius, vnicus Spirituſſ. quia ſolus Pater gignit, ſolus Filius gignitur, ſolus Spirituſſ. ſpiratur. *Cap.* 60. Nihil aliud eſt ſummo Spiritui dicere, quàm quaſi cogitando intueri, &c. Sicut pertinet ad eius eſſentiam, ſcientia & intelligentia : ſic eius ſcire & intelligere non eſt aliud quàm dicere .i. ſemper præſens intueri quod ſcit & intelligit. Neceſſe eſt vt ſicut ſingulus intelligens, ita ſingulus quiſque ſit dicens : nec tamen ſint tres dicentes ſimul, ſed vnus dicens. Cumq; hi tres dicuntur, vel à ſeipſis, vel ab inuicem : non ſunt plura quæ dicũtur. Quid namque ibi dicitur, niſi eorum eſſentia ? Ergo vna eſt ſapientia quæ in illis dicit, & vna ſubſtantia quæ dicitur. Conſequitur non ibi plura eſſe verba, ſed vnum. Licet igitur vnuſquiſque ſeipſum, & omnes inuicem ſe dicant : impoſſibile tamen eſt eſſe aliud Verbum, &c. Conſtat enim ipſum eſſe Imaginem, & Filium eius cuius eſt Verbum : nec Imago, nec Filius ſuimet, nec à ſe procedentis Spiritus congruè dici poteſt. *Cap.* 61. Reſtat igitur hoc ſolum Verbum, illius ſolius eſſe, de quo naſcendo habet eſſe, & ad cuius omnimodam ſimilitudinem exiſtit. Cap. 26. Si in eo quod ſeipſum dicit, generat Pater, & generatur Filius : generationem eius quis enerrabit ? *Eſa* 53. *Cap.* 63. Eſt ineffabilis propriè, ſed impropriè. *Cap.* 64. 65. Mens eam repreſentat, velut in imagine ſeu ſpeculo. *Cap.* 7. Credendum eſt pariter in Patrem, & Filium, & in eorum Spiritum : in ſingulos, & ſimul in tres. *Cap.* 76. De nomine Perſonæ: vt *Aug.* 7. *Trin.*

Ex Libro ſeu Epiſt. De proceſſione Spirituſſ. contra Græcos. 1. Præfatur Græcos negare quòd procedat à Filio. 2. Refert inter alia quæ nobiſcum credunt, non negare eum eſſe Spiritum Filij.

3. Quæ ex nobiſcum creditis, neceſſariò conſequantur : quodque in Deo omnia ſint vnum, niſi obſtet oppoſitio. 4. Hinc infert Spiritum S. eſſe de Filio : quia Filius non poteſt eſſe de Spiritu S.

5. Quòd Spirituſſ. non eſſet alius à Patre, niſi ab eo procederet. 6. Quòd non procedat ſola miſſione aut datione : ſed exiſtendo de Patre. Quod cùm Græci credant, quamuis non ſit expreſſum in Symbolo Nicæno : cur negant procedere de Filio, quia non eſt expreſſum in eodem Symbolo?

7. Probat Spiritum S. procedere etiam à Filio, ex *Ioan.* 13. ſubintelligendo Filium cum Patre, vbicumque non eſt oppoſitio. Deinde ex *Ioan.* 14. 15. de miſſione & datione *Spirituſſ.* à Patre & Filio, vel in nomine Filij : cùm *Spirituſſ.* non mittat, nec det Filium niſi quoad naturam humanã.

8. Idem probàt ex *Ioan.* 20. Quid ſibi vult illa inſufflatio Spiritus ſancti ? Cur magis intelligi debeat procedere de ore Patris, *Pſal.* 32. *Eſa.* 2. *Ezech.* 2. quàm de ore Filij ? Non eſt enim aliud os eius, quàm eſſentia eius. Denique ex *Ioan.* 16. Quid eſt audire Spiritum S. niſi quaſi diſcere, ſeu ſcientiam accipere ? *Matt.* 11. Spirituſſ. non cognoſceret Patrem & Filium : niſi Filius ei reuelaret ſui Patriſque ſcientiam, quæ non eſt aliud quàm eſſentia. Si dicũt, Pater & Filius non ſe cognoſcũt niſi per hoc quòd vnum ſunt cum Spiritu S. & ideo, cùm ait Patrem & Filium inuicem ſe noſſe, intelligendus eſt ſimul Spirituſſ. cùmque reuelat Filius, non Spiritui S. ſed creaturæ reuelat, &c. Ergo ſi dicunt nos non tam verba attendere debere, quàm vnitatem eſſentiæ : multò magis debemus huius vnitatis ſeruare conſequentiam de qua ſuprà, cùm tam nullo ſcripto aut ſenſu neget authoritas, &c. Eligant itaque Græci, aut Spiritum S. non noſſe Patrem nec Filium, niſi reuelante Filio : aut quia in hoc quod Pater & Filius ſe cognoſcunt, vnum ſunt cum Spiritu S. conſequi ex neceſſitate, vt in eadem notitia intelligatur Spirituſſ. Nempe nihil eſt medium, ſi volunt hanc notitiam à Spiritu S. aut veritatem à verbis penitus abdicare : quæ vtraque execratur vera confeſſio Nam *Matt.* 11. *Nemo nouit Filium niſi Pater, &c.* Si quidem eligunt Spiritum S. noſſe Patrem & Filium, per reuelationem Filij : habet à Filio noſſe, quod non eſt aliud illi, quàm eſſe, &c. Si autem dicunt, eſſentia per quam ſe noſcunt eadem eſt Spiritui S. confiteantur nobiſcum, propter eſſentialem identitatem Patris & Filij, illum à Filio procedere.

Digitized by Google

Si obijcitur, quòd quoſdam gradus & interualla conſtituimus, quaſi *Spiritusſ.* eſſe non poſſit, niſi *Filius* priùs naſcatur à *Patre* : & ideo rectiùs dici quòd pariter ſint à *Patre*, *Filius* naſcendo, *Spiritusſ.* procedendo, vt ſplendor & calor pariter ſunt à Sole. *Reſp.* Nos nec gradus dignitatis, nec interualla ponimus, &c. *Infrà.* Ponamus Filium & Spiritum S. ita pariter eſſe de ſolo *Patre*, vt calor & ſplendor de ſole: Vnde habent quòd *Spiritum S.* confitetur eſſe *Filij*, & *Filium* negant eſſe *Spiritusſancti*? 10. Aſſerunt eum de *Patre per Filiũ* procedere, &c. cùm nuſquam legant hoc. *Infra.* Cùm *Spiritusſ.* non procedat de Patre, niſi de Deitate: quomodo de Deitate Patris, per Deitatem Filij? Niſi fortè quis dicat, non procedere de Deitate Patris, ſed de Paternitate: nec per Deitatem Filij, ſed per Filiationem. Quæ opinio ſuâ ſed patenti fatuitate ſuffocat. Quòd ſi dicit, &c. ſi de Deitate Patris & Filij procedit, de ſua quoque & de ſeipſo, &c. *Reſp.* Nulla Perſona ex ſeipſa eſſe poteſt. Dicent: Cur non poſſumus dicere Spiritum ſanctum de Patre per Filium, ſicut dicimus à Patre omnia per Verbum facta? Videamus quid ſequatur, ſi hoc dicimus, & pax ſit inter nos. Quæ facta ſunt à Patre per Verbum: facta ſunt ab ipſo Verbo, &c. Dicamus igitur: Quòd procedit *Spiritusſanctus* à *Patre* per *Verbum*, Procedit à *Filio* ſimiliter. Niſi fortè intelligant, *per Filium*: Vt lacus eſt de fonte, per riuum. Sed riuus non eſt in fonte: ſicut eſt *Filius* in *Patre*. *Infrà.* 11. Si quis tamen vult dicere: Vt fons, riuus, & lacus ſunt eiuſdem aquæ, nec lacus eſt magis de aqua fontis, quàm de riuo: Sic *Pater*, & *Filius*, & *Spiritusſ.* ſunt eiuſdem eſſentiæ; nec *Spiritusſ.* eſt magis de eſſentia *Patris* quàm *Filij*. Si dicunt, Deum non poſſe eſſe de duabus cauſis, ſeu principijs. *Reſp.* Non eſt de illis vnde duo ſunt: ſed in quo vnum ſunt. Vt tres Perſonæ ſunt vnum principium creaturarum: ſic *Pater* & *Filius* vnum principium *Spiritusſ. Sub finem.* Idipſum intelligitur, ſi dicamus *Patrem* eſſe *Cauſam Filij*, & *Patrem* & *Filium* eſſe *Cauſam Spiritusſ.* Non enim duas poſſumus dicere *cauſas*: vnam *Filij*, & aliam *Spiritusſancti*, ſed vnam; vt non ſunt duo Dij, ſed vnus, de quo eſt *Filius* & *Spiritusſanctus*. 12. Si quæritur, cur *Ioan.* 15. *Spiritus qui à Patre procedit* : non addit, *& à Filio*, vel *à me*. *Reſp.* Cùm attribuit aliquid vni, vult de aliis intelligi. Vt *Matt.* 10. 16. *Ioan.* 14. 16. 13. Sed dicet quis: Quod de vno ſolo in vno loco legitur, de alijs alibi apertè ſignificatur. Non legimus autem alicubi *Spiritum S.* de *Filio* procedere. *Reſp.* Potiùs docemur per hæc quæ ſic dicta ſunt, ea quæ tacentur intelligere: Cùm rationabili neceſſitate conſequi apertiſſimè videmus. Vt *Ioan.* 5. 14. 17. *Infrà.* Quare, non tantùm recipere cum certitudine debemus quæ in ſacra Scriptura leguntur: ſed etiam quæ ex his nulla alia contradicente ratione, rationabili neceſſitate ſequuntur. 14. Confitentur Græci *Spiritum S.* eſſe Spiritum Dei, *Spiritum Patris*, &c: non vt poſſeſſio, nec vt membrum: quomodo ergo, niſi vt ex Deo *Patre & Filio*? *Infrà.* Si dicunt, eſt *Spiritus Patris*, quia de *Patre*: *Filij* verò nonniſi quia datur à *Filio*. Hoc eſt quod quæro, vnde habeant? Cur nos reprehendunt, cùm dicimus *Spiritum* procedere de *Filio*, quia hæc verba non legunt: cùm ex his quæ legunt & credunt neceſſariò ſequatur? 15. Ad hoc quod nos reprehendunt, nos addidiſſe ad Symbolum, *Spiritumſanctum à Filio procedere*. *Reſp.* Neceſſe erat, propter minùs intelligentes. Quoniam igitur & neceſſitas cogebat, & nulla ratio prohibebat, & vera fides admittebat: fiducialiter aſſeruit latinitas, quod credendum & confitendum eſſe cognoſcebat. Scimus enim quòd non omnia quæ credere debemus ibi contenta ſunt. Vt, *quòd Dominus ad infernum deſcendit* : quod tamen & nos & Græci credimus, &c. Et quamuis defendere poſſemus, hanc adiectionem non eſſe corruptionem: ſi quis tamen hoc contentiosè voluerit aſſerere. *Reſp.* Nos illud non corrupiſſe, ſed aliud edidiſſe. Quare hoc Græcorum conſenſu factum non eſt? *Reſp.* Qui nimis erat difficile, nec erat neceſſe, &c. 16. Nec priùs, nec poſt, nec maior aut minor, nec magis aut minùs eſt *Spiritusſ.* de *Patre*, quàm de *Filio*, aut de *Filio* quàm de *Patre*. Quod ſi dicitur *Principaliter de Patre* : non intelligatur vlla prædictarum varietatũ ineſſe, &c. Sicut *Pater* nõ eſt magis Deus, quàm *Filius*, quamuis *Filius* habeat eſſe de *Patre* : ita *Spiritusſ.* non eſt magis de *Patre*, quàm de *Filio*, licet *Filius* à *Patre* habeat vt de illo ſit *Spiritusſ.* &c. Si ergo dicitur quòd ſit *principaliter à Patre* : non aliud ſignificatur, quàm quod Filius à Patre habet vt de illo ſit *Spiritusſ.* 17. Quòd Pater non ſit principalior aut dignior Filio, nec Spirituſancto: quantumque importet proceſſio Spiritusſancti à Patre & Filio, ad fidem Chriſtianam. Patet ergo præter hoc quod Filius exiſtit naſcendo, & Spiritusſ. procedendo: hac quoque cauſa eos de inuicem dici non poſſe; quia Spiritusſanctus eſt de Filio, & propter hoc ſolum Filium non poſſe eſſe de Spiritu S. *Infrà.* Videmus Filium eſſe de Patre, quia Pater non eſt de illo: & Patrem non eſſe de Filio, quia Filius eſt de Patre; ſicque de Spiritusancto, ad Patrem & Filium, &c.

Ex libris 6. Richardi à S. Victore, De S. Trinitate. *Lib.* 1. *cap.* 1. De triplici modo cognoſcendi. 1. Credendo, 2. ratiocinando, 3. experiendo. *Cap.* 2. De potiori certitudine fidei. *Domine ſi error eſt, à teipſo decepti ſumus. Nam iſta tantis ſignis confirmata ſunt, vt nonniſi per te fieri poſſint.* *Cap.* 3. Niſi credideritis, non intelligetis, *Eſa.* 7. Oportet quidem per fidem intrare: ſed ſemper ad profundiora intelligentiæ properare. *Cap.* 4. Intentio huius operis eſt doctrinam fidei rationibus probabilibus & neceſſarijs condire. *Cap.* 5. Legi frequenter, quòd non ſit niſi vnus Deus, æternus, increatus, &c. vnus ſubſtantialiter, trinus perſonaliter; ſed vnde hæc omnia probentur, me legiſſe non memini. *Cap.* 6. De triplici modo eſſendi. 1. Ab æterno, ex ſeipſo. 2. Ab æterno, & ab alio. 3. Ex tempore, ab alio. *Cap.* 7. De tertio modo. *Cap.* 8. De primo modo. *Cap.* 9. De ſecundo modo. *Cap.* 10. De ſolis modis eſſendi ab æterno, in hoc opere. *Cap.* 11. De ſumma ſubſtantia ab æterno ex ſeipſa. *Cap.* 12. Sola

ſumma ſubſtantia eſt ex ſeipſa, & à qua ſunt omnia. *Cap.* 13. Summa ſubſtantia, eſt & ſumma potentia, & ſumma ſapientia. *Cap.* 14. Summa Sapientia, nec poteſt habere ſuperiorem, nec parem. *Cap.* 15. Nec inferiorem eiuſdem naturæ. *Cap.* 16. Summa Subſtantia eſt ipſa Diuinitas. *Cap.* 17. Non poteſt eſſe niſi vna. *Cap.* 18. 19. Nihil Deo perfectius, nec ab ipſo Deo intelligi poteſt. *Cap.* 20. Quicquid optimum eſt, Deo tribuendum. *Cap.* 21. De Omnipotentia Dei, ſeu omnium poſſibilium. *Cap.* 22. 23. De Sapientia Dei perfectiſſima. *Cap.* 24. De plenitudine, non participatione Potētiæ & Sapientiæ Diuinę. *Cap.* 25. De vnico Omnipotente.

Libro 2. per 25. *cap.* De varijs proprietatibus ſolius Dei, Vt *cap.* 12. De ſingularitate Subſtantiæ, ſeu Eſſentiæ Diuinæ *Danielitas eſt illa ſubſtantia indiuidualis, ex qua Daniel habet eſſe Danielis, &c.* Si igitur hæc dicitur incommunicabilis, quia non poteſt eſſe alterius: quantò magis ſi eſſet idipſum quod ſua ſubſtantialitas? Diuinitas autem eſt idem ipſum per omnia, quod ſingularis Subſtantia Diuina. *Cap.* 22. De ſimplicitate omnium perfectionum in Deo. *Sub vna & ſimplici Veritate, comprehenduntur infinitæ*: ex infinitis granis, guttis, pulueribus contentis in terra, mari.

Libro 3. per 25. *cap.* De pluralitate Perſonarum Diuinarum. *Cap.* 1. Diuiſio huius Libri. 1. An ſit hæc pluralitas, ſeu trinitas. 2. Quomodo conuenire poſſit cum vnitate ſubſtantiæ. 3 An ſit vnica Perſona improducta. 4 An ſint duæ productæ, diuerſo modo producendi. *Cap* 2. De pluralitate Perſonarum Diuinarum; ex plenitudine bonitatis & charitatis, quæ in alterum tendit, vt charitas eſſe queat. *Priuatus amor conuincit quod ſummum charitatis gradum nondum apprehendit. Perſona Diuina non haberet quam vt ſeipſam dignè diligeret; ſi condignam Perſonam non haberet.* *Cap.* 3. Ex plenitudine Beatitudinis Diuinæ. *Non poteſt amor eſſe iucundus, niſi ſit & mutuus. In amore autem mutuo, alter eſt amorem rependens, alter impendens.* *Cap.* 4. Ex plenitudine Gloriæ Diuinæ. *Quid Deo glorioſius; quàm nihil habere quod nolit communicare? In illo indeficienti bono, ſummeq; ſapienti conſilio, tam non poteſt eſſe auara reſeruatio, quàm inordinata effuſio.* *Cap.* 6. De coæternitate Perſonarum Diuinarum. *Cap.* 7. De earum ſumma æqualitate, & ſimilitudine, ex eadem triplici ratione: Deque identitate ſubſtantiæ, & omnis perfectionis. *Cap.* 9. & 10. De mirabili vnitate Naturæ Diuinæ in pluribus Perſonis: ex mirabili vnitate plurium naturarum in vna Perſona humana. *Cap.* 11. De Trinitate Perſonarum Diuinarum: ex perfectione charitatis, quæ vult alterum condiligi vt ſeipſum. *Probatio conſummatæ charitatis, eſt votiua communio exhibitæ ſibi dilectionis.* Eſt indicium magnæ infirmitatis, non poſſe pati conſortium amoris: poſſe verò pati, ſignum magnæ perfectionis; maius, gratanter ſuſcipere; maximum, ex deſiderio requirere. Demus ergo ſummo & optimo, quod optimum eſt. *Cap.* 12. & 13. De tertia Perſona: ex conſenſu, & perfectione primæ, & ſecundæ. *Cap.* 14. & 15. De eadem Trinitate ex eiſdem rationibus ſimul. *Oportet vtrumq; pari voto, æqua ratione, condilectum requirere.* *Cap.* 16. Plenitudo potentiæ & ſapientiæ poteſt conſiſtere in ſingularitate Perſonæ: ſed non plenitudo charitatis. *Inter delicias charitatis & ſapientiæ, ſolet intereſſe: quòd deliciæ ſapientiæ ſolent hauriri de corde proprio; charitatis autem, de corde alieno.* *Cap.* 17. 18. 19. vt *Cap.* 2. 3. 4. De Trinitate Perſonarum, ex concordia charitatis. *Cap.* 21. De coæqualitate trium Perſonarum. *Cap.* 22. 23. 24. 25. De earum vnitate, ſimplicitate, & identitate.

Lib. 4. per 25. *cap.* De varijs difficultatibus. *Cap.* 1. De nomine Perſonæ. *Cap.* 2. & 3. Non eſt mirum, ſi non intelligamus Myſterium *S. Trin.* cùm nec intelligamus multa naturalia & experta. *Cap.* 4. Vt de nomine græco *Hypoſtaſis* taceamus, &c. quidam *Perſonas ſubſiſtentias* exponunt; & tres Subſtantias, & vnam Subſtantiam dicunt, &c. Sed nomen *Perſonæ* in ore omnium, etiam ruſticorum verſatur: nomen verò *Subſiſtentiæ* nec ab omnibus literatis agnoſcitur. Ergo hoc opere ſtudebo non tam ſubſiſtentiæ, quàm Perſonæ ſignificationem determinare. *Cap.* 5. Nomen Perſonæ non eſt aſſignatum ſine inſtinctu diuino, &c. Quod ex neceſſitate factum fuit, nouit SpirituſS. qua ratione & veritate id fieri voluit, &c. Ergo ſecundùm ſimplicem & communem animi intellectum, quem quiſque concipit ad nominationem Perſonæ, ſtudebo aſſertionis noſtræ modum formare. *Cap.* 6. De nomine Perſonæ, & ſubſtantiæ. Sub nomine *Subſtantiæ* intelligitur proprietas generalis vel ſpecialis: ſub nomine *Perſonæ*, intelligitur proprietas indiuidualis, ſingularis, incommunicabilis. *Cap.* 7. Nomine Subſtantiæ non tam *Quis*, quàm *Quid* ſignificatur: nomine autem Perſonæ, non tam *Quid*, quàm *Quis*. *Cap.* 8. Non eſt neceſſe vt plures perſonæ habeant plures ſubſtantias. Tres Perſonæ .i. tres aliqui rationalis naturæ. *Cap.* 9. Si in nullo ab inuicem differrent: vtique plures eſſe non poſſent. Eſſe aliud & aliud facit diuerſitas ſubſtantiarum: eſſe alium & alium, facit alietas Perſonarum. *Cap.* 10. Vt eſſe aliud & aliud, non tollit vnitatem Perſonæ humanæ: ſic eſſe alium & alium, non ſcindit vnitatem Subſtantiæ Diuinæ. *Cap.* 11. In diſcernendis Perſonis, opus eſt vt ſciamus quale quid ſit, & vnde habeat eſſe. *Cap* 12. Sub nomine exiſtentiæ poſſumus intelligere eſſentiam, & eius obtinentiam. Nomen *Exiſtentiæ*, eſt ab *ex*, & *ſiſtere*. Quid eſt enim *exiſtere*: niſi ex aliquo ſiſtere .i. ex aliquo ſubſtantialiter eſſe? Ex quo *Al.* ſuprà *col.* 54. *Cap.* 13. Exiſtentia variatur. 1. Quoad ſolam rei qualitatem. 2 Quoad ſolam rei originem. 3. Quoad vtrumque ſimul. *Cap.* 14. & 15. In natura Diuina, ſecundùm ſolam originem: in Angelica, ſecundùm ſolam qualitatem; in humana, ſecundùm vtramque. *Cap.* 16. Nomine *exiſtentiæ*, intelligitur quod habeat eſſe ſubſtantiale, & ex aliqua proprietate, &c. Exiſtentia, alia pluribus communis, alia omnino incommunicabilis; in Deo eſt vtraque, &c. Ad originem pertinet, non ſolùm eſſe ab aliquo, ſed etiam à nullo. *Cap.* 17. Tot ſunt perſonales proprietates, quot ſunt perſonæ. Proprietas perſonalis

lis eſt incommunicabilis : ex qua quiſque habet eſſe is qui eſt, &c. Quot in Diuinitate Perſonæ, tot incommunicabiles exiſtentiæ. *Cap.* 18. In Deo nihil aliud eſt Perſona, quàm incommunicabilis exiſtentia. *Cap.* 19. Vt ab eſſe, eſſentia : ſic à ſiſtere, ſiſtentia, &c. Exiſtentia igitur ſignificat rei eſſe, & hoc ipſum ex aliqua proprietate, &c. Quamuis vtriſque ſit vnus modus eſſendi : non tamen vtriſque vnus modus exiſtendi. Quid dicitur impoſſibile, ſi quod communiter ſunt, vnus dicatur habere ex proprietate vna, & alius ex alia? Non itaque videtur impoſſibile plures exiſtentias & Perſonas eſſe in Diuinitate. *Infrà.* Vnitas eſt ibi iuxta modum eſſendi : pluralitas iuxta modum exiſtendi. *Cap.* 20. Quòd Perſonę à Græcis ſubſtantiæ, ab alijs ſubſiſtentiæ dicantur : ad idem reſpicere videtur, &c. Nihil aliud oportet intelligere, quàm habentes eſſe ſubſtantiale, ſub diſcretiua & differenti proprietate, &c. Dicimus quidem proprietates Perſonis ineſſe : ſed illarum ineſſe, non dat ſubſiſtere, ſed exiſtere. Idcirco Perſonæ rectiùs dicuntur *exiſtentiæ*, quàm *ſubſtantiæ* vel *ſubſiſtentiæ*, &c. Per ſubſtantiam intelligo exiſtentiam communem : per ſubſiſtentiá, exiſtentiam incommunicabilem, &c. Conuenit omni perſonæ, habere eſſe rationale ex incommunicabili proprietate. *Cap.* 21. Definitio *Boëtij*, quòd *Perſona ſit Natura rationalis indiuidua ſubſtantia, &c.* non poteſt ſoli vel omni conuenire. *Cap.* 22. *Perſona Diuina eſt naturæ Diuinæ incommunicabilis exiſtentia.* *Cap.* 23. Si *Diuiduum* dicamus, tam quod per plures perſonas, quàm quod per plures ſubſtantias poteſt diſtribui, & à pluribus communiter, & à ſingulis integraliter poſſideri : illud verò dicamus *Indiuiduum*, quod non niſi vni ſoli poſſit aptari, &c. poterimus dicere, quàm verum eſt quòd quælibet creata perſona, eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, tam verum eſt quòd quælibet Perſona increata eſt rationalis naturæ indiuidua exiſtentia. *Infrà.* Notatur nomine *exiſtentiæ*, & quod habeat eſſe in ſeipſo, & quod habeat eſſe ex aliquo. Quod eſt omni ſubſtantiæ commune : nam omne quod eſt, vel eſt à ſemetipſo, vel ab aliquo alio. *Cap.* 24. Fortaſſis erit planiùs, ſi dicimus, quòd *Perſona ſit exiſtens per ſe ſolùm, iuxta ſingularem quendam rationalis exiſtentiæ modum.* *Cap.* 25. Proprium eſt Diuinæ naturæ habere pluralitatem Perſonarum in vnitate ſubſtantiæ. E contra, proprium eſt naturæ humanæ, habere pluralitatem ſubſtantiarum in vnitate perſonæ, &c. Angelica proprietas velut media interponitur, &c. De ſubſtantia incorporea Angelorum.

Libro 5. per 25. *cap.* De proprietatibus Perſonarum. *Cap.* 1. Conuenit omni perſonæ habere eſſe rationale ex incõmunicabili proprietate, &c. Proprietas Perſonæ Diuinæ exigit eſſe diuinum ſuperſubſtantiale, &c. Nunc de ſingularum perſonarum proprietatibus, &c. *Cap.* 2. Quanto perſonarum pluralitas germanior : tantò coniunctior & iucundior, &c. Si quæque perſona à ſeipſa eſſe dicitur : talis pluralitas nulla germanitate copulatur, &c. Credi itaque oportet, quòd nec iucundiſſima Perſonarum germanitas poteſt deeſſe in ſumma fœlicitate : nec ordinatiſſima proprietatum varietas, in ſumma pulchritudine. *Cap.* 3. Oportet vt aliqua Perſona Diuina ſit à ſeipſa : alioquin eſſent infinitæ. *Cap.* 4. Omnis compoſitio compoſitore eget, &c. Ergo quod à ſemetipſo eſt, compoſitum eſſe non poteſt, ſed ſummè ſimplex. Quod ex ſemetipſo eſt, ex ſeipſo poteſt omnia : nihilque poteſt eſſe niſi ab ipſo; ergo eſt vnica Perſona prima, exiſtentiæ omnino incommunicabilis. *Cap.* 5. Exiſtentia autem ab alio, poteſt eſſe pluribus communis. *Cap.* 6. Poteſt vnus eſſe ab alio, immediatè, mediatè, vel vtroque modo ſimul. *Cap.* 7. Ab illa principaliſſima exiſtentia, neceſſe eſt vnam aliquam immediatè procedere : alioquin ſola remaneret, &c. Proceſſio immediata conſiſtit in perſonarum dualitate : mediata verò, nunquam ſine Perſonarũ trinitate. *Infrà.* Perfectio vnius perſonæ, eſt *cauſa* exiſtentiæ alterius. Non enim poteſt ab illa non eſſe, à qua eſt omne poſſe. *Cap.* 8. Si idem poſſe eſt ambobus commune : conſequens eſt tertiam Perſonam ex ambobus eſſe habere, &c. Ab hac itaque gemina exiſtentia, eſt omnis eſſentia, omnis perſona, omnis exiſtentia, &c. Sicut perfectio vnius requirit condignum : ſic perfectio vtriuſque requirit condilectum. *Cap.* 9. Quæuis Perſona Diuina videt aliam immediatè : hoc autem videre eſt eſſe ; ergo vna non poteſt eſſe ab alia mediatè tantùm. *Cap.* 10. 11. 12. 13. Ab vna ſola perſona non poteſt eſſe niſi vna : nec à gemina, niſi vna. Ne detur proceſſus in infinitum : & vt ſingulæ immediatè cohæreant. *Cap.* 14. Vt Perſonarum pluralitas ſit ordinatiſſima, videtur neceſſe vt inter illam cuius eſt dare non accipere, & eam cuius eſt accipere non dare, ſit vnica media, cuius ſit dare, & accipere. *Cap.* 15. Non poteſt eſſe quarta Perſona, cuius ſit ſolùm habere eſſe, non autem dare, nec accipere. *Cap.* 16. Perfectus amor non poteſt eſſe, niſi gratuitus Patris, debitus Spiritus ſancti, & vterque Filij. *Cap.* 17. De gratuito tantùm amore ſolius Patris : quia ſolus dat, & non accipit. *Cap.* 18. De debito tantùm amore ſolius *Spiritusſancti* : quia ſolus recipit, & non dat. *Cap.* 19. De amore gratuito & debito ſolius Filij : quia ſolus recipit & dat. *Cap.* 20. Ex plenitudine & proprietate huius triplicis amoris, non poſſunt eſſe niſi tres Perſonæ Diuinæ. *Cap.* 21. Recapitulatio de vnica perſona à ſe, vnica ab vna ſola, & vnica à duabus ſimul. *Cap.* 22. Nihil maius aut melius habet, qui nihil ab alio accipit, quàm qui totum ab eo accipit. Plenitudo autem gratuiti aut debiti amoris, non eſt opus gratiæ, ſed potiùs naturæ. *Cap.* 23. Vnus diligit alterum vt ſeipſum, tantumque vult alteri, quantum ſibiipſi. Itaque quoad ſubſtantiam, eſt vnus & idem amor : ſed in ſingulis ſua proprietate diſtinctus. *Cap.* 24. De æqualitate dignitatis & amoris. Quicquid eſt communicabile, vna perſona tantum amat & vult alteri, quantum ſibiipſi : ſed quod eſt proprium ſibi & alteri, magis amat & vult ſibi vel alteri. *Cap.* 25. Quæ quibus perſonis ſint communia, vel propria, &c.

Libro 6. per 25. *cap.* De diuerſo modo procedendi, & varijs nominibus proprijs. *Cap.* 1. In

Digitized by Google

Deo nihil eſt ex dono gratiæ; ſed ex proprietate naturæ. *Cap.* 2. Proceſſio immediata, eſt prolis de parente: mediata eſt nepotis; vtraque filij, & nepotis ſimul, &c. Proceſſio ſecundæ Perſonæ à Prima, eſt immediata, principali ordine, & operatione naturæ. *Cap.* 3. Deus nihil velle poteſt circa ſe, niſi ex intima & ſumma ratione: cùmq; ſit Omnipotens eſt quicquid vult; ergo de ſe producit conſubſtantialem ſibique conformem, exigente ratione & voluntate. *Cap.* 4. De digniori nomine *Patris* & *Filij* in diuinis; non Matris & Filiæ. *Cap.* 5. De ratione horum nominum. Si Pater & proles omnino conformes eſſent: nec in ſexu quidem diſcreparent. *Cap.* 6. De differentia inter proceſſionem *Filij*, & *Spiritusſ.* Vt ſupra, ex condignè dilecto, & condilecto. *Cap.* 7. Ordine naturæ prior eſt dualitas, quàm trinitas. Conſtat itaque priùs naturaliter eſſe dilectum, quàm habere condilectum. *Cap.* 8. Principalior proceſſio & germanitas, pro modo naturæ, eſt ſolius Filij à ſolo Patre. Spiritus S. non poteſt eſſe Filius. *Cap.* 9. De nomine *Spiritusſancti*, ab aliqua ſimilitudine Spiritus corporalis: & digiti Dei, ab indigitatione, ſeu oſtenſione digito. *Cap.* 10. De eodem nomine proprio, à ſpiritualitate & ſanctitate ſimul, & à ſimilitudine eiuſdem affectus ſpiritualis duorum inter ſe. *Cap.* 11. De nomine Imaginis vt proprio ſoli Filio, à ſimili proprietate: de qua infra. *Cap.* 12. De nomine *Verbi*. Rectè à ſimili Dei Filius Verbum Patris dicitur, per quem paterna claritas manifeſtatur. *Cap.* 13. Filius propriè clarificat Patrem, ab eo procedendo: non ſic Pater Filium, nec Spiritusſ. ſolum Patrem. *Cap.* 14. De nomine Doni: ab Amore. In quantum authori noſtro debitum amorem reddimus, *Spiritusſancti* proprietati cõfiguramur, &c. Meritò eum dicuntur mittere vel dare, à quibus accepit vt poſſit & velit venire, nobiſque ineſſe. *Cap.* 15. In potentia exprimitur proprietas ingeniti: in ſapientia, proprietas geniti; in bonitate, proprietas Spiritusſancti. *Cap.* 16. Quo ſenſu Pater ſit propriè ingenitus, Filius genitus, Spiritusſ. nec ingenitus, nec genitus. *Cap.* 17. Cùm vterque procedendi modus conſtet in voluntate; differunt tamen pro cauſæ alietate, &c. Ingenitum velle habere de ſe ſibi conformem, atque condignum, idem mihi videtur quòd gignere Filium: tam Genitum, quàm Ingenitum velle habere condilectum, idem videtur quod producere Spiritum S. Quod conformem diximus, diligens lector quærat: ne fortè referri debeat ad quandam proprietatum conformitatem. *Cap.* 18. Si homo non peccaſſet, in producenda prole duceretur non tam ſecundùm appetitum animalem, quàm conſenſum rationalem. Eſſet itaque non tam appetitiua, quàm votiua productio prolis, iuxta conformitatem imaginis ſuæ, &c. Videtur idem eſſe Deo Patri Filium gignere, quòd perſonam de ſua ſubſtantia naturaliter & pro voto producere, iuxta ſingularem quandam configurationem proprietatis ſuæ. *Cap.* 19. Cur Spiritus S. non ſit imago, nec ſit Filius, nec imago Patris, nec Filij? Quia neutri ſimilis eſt in ſua proprietate. *Cap.* 20. De vera ſimilitudine, æqualitate, & identitate. Vbi vera vnitas: non tam æqualitas, quàm identitas dici poteſt, &c. In ſummè ſimplici vnitate, non poteſt ſimilitudo vel diſſimilitudo ineſſe. Imago paterna eſt inquirenda, vbi eſt mutua congruentia, non ſine differentia, nec differentia ſine maxima conuenientia, &c. Conuenientia eſt in dando, differentia in accipiendo. *Cap.* 21. Quo ſenſu Filius ſit figura ſubſtantiæ Patris: vt ſupra de imagine. *Cap.* 22. Quid eſt quod Filius dicitur figura paternæ ſubſtantiæ, & non potiùs paternæ Perſonæ? *Reſp.* Eſt figura ſubſtantiæ ingenitæ, ac ſi diceretur figura perſonę ingenitę. Sed multi nullo modo concedunt quòd ſubſtantia gignat ſubſtantiam, vel ſapientia ſapientiam. Pertinaciter negant, quod omnes Sancti affirmant. Adferant, ſi poſſunt, ſaltem vnam authoritatem quæ neget. Sed ſic intelligendum eſt, inquiunt, quod Patres dicunt, &c. Fidelis expoſitio, &c. Sed dicunt, ſi Filij ſubſtantia eſt genita, Patris verò ingenita, quomodo vtriuſque erit vna eademque ſubſtantia? Quod capere non potes, credere potes, &c. In hoc Genita Subſtantia Ingenitæ figuram gerit: quod eandem Perſonam, & eodem modo producit. *Cap.* 23. & 24. Vna ſcientia poteſt ab vno inueniri, & ab alio diſci: cur ergo non poſſit eadem Sapientia Dei in vna Perſona eſſe ingenita, in altera genita, ſicque de ſubſtantia? *Cap.* 25: Sint tres aliqui, quorum vnus ſcientiam aliquam inuenit & docuit, alter ab eo didicit & ſcripſit, tertius legit & intellexit: primus habet à ſeipſo, ſecundus à ſolo primo, tertius à primo & ſecundo, &c. Cur in tribus Perſonis Diuinis non multò magis credatur eſſe vna eademque ſapientia & ſubſtantia?

Ex Opuſculo ad S. *Bernardum*: de vnitate & potentia appropriata Patri; æqualitate & ſapientia, Filio; concordia, bonitate ſeu charitate Spiritui S. vt ſæpè ſuprà.

Ex noſtris Authoribus, ſuprà: *Alenſi* p. 1. à q. 42. ad 47. *S. Bon.* & *Scoto*, in 1. d. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 19. 20. 25. 26. 28. 33. 34.

Ex S. *Thoma*, in Summa P. 1. à q. 27. ad 43. incluſiuè. Opuſculo 1. contra Græcos, & 70. ſeu Commentario in *Boëtium* de *Trinitate*: per plurimas quæſtiones toti Theologiæ communes; ſed paucas huic titulo proprias. In quibus vix differt à noſtris Authoribus: vt patebit ex collatione & conciliatione noſtri *Sarnani*, ad finem Tomi primi huius noſtri operis.

Denique ex Theologia naturali *Raymundi Sebondi*, conflata ex pleriſque rationibus Scholaſticorum, pro omnibus myſterijs noſtræ fidei. Vt, à cap. 40. pro myſterio SS. *Trin. cap.* 47, Creatio artificialis & temporalis ſupponit in Deo aliquam productionem naturalem & æternam: quia hæc eſt perfectior, Deoque dignior ac gratior. *Cap.* 48. Agentia naturalia, per participationem virtutis Dei, producunt ſibi ſimilia in natura: quantò potiùs Deus, à quo id participant? *Cap.* 49. Societas, amicitia, & communicatio æterna inter perſonas eiuſdem naturæ, intelligentiæ, & voluntatis, eſt beatior æterna ſolitudine: ergo illa eſt inter plures Perſonas Diuinas. *Cap.* 50. Quo quis melior & liberalior, eo ſe ſuaque liberaliùs com-

com-

Digitized by Google

communicat : ergo Deus infinitè, nonniſi Perſonis Diuinis infinitæ capacitatis. *Cap.* 51. Hæc communicatio ſupponit aliquam primam perſonam, vt habentem ex ſe omne bonũ communicabile, & omnem vim infinitè communicandi : non per Omnipotentiam ad extra, quia hæc non habet obiectum aut effectum infinitum; ergo per intellectum & voluntatem, habentes obiectum & actus infinitos, non accidentales, ſed ſubſiſtentes & perſonales, &c. vt *Scotus* ſupra *col.* 131. 132. 133. 134. 146. *Cap.* 52. Deus Pater & Filius neceſſariò ſe cognoſcunt & amant : ergo producunt ſui amorem perfectiſſimum, æternum, & ſubſiſtentem, ſeu perſonalem, &c. vt *Scotus* ibidem. *Cap.* 53. Natura humana eſt communis pluribus hominibus, & eadem anima pluribus membris : quantò potiùs natura diuina vt infinita, pluribus perſonis ? Vt *Scotus* infra.

Recollectio Rationum.

EX his omnibus, pleræque rationes pro toto myſterio SS. Trinitatis colligi poſſunt : nulla tamen nobis euidens, aut neceſſaria, nec omnes æquè probabiles, nec ſingulæ toti myſterio adæquatæ; ſed plus minùſue conferentes. Quarum 1. ſumi poteſt à quibuſdam veſtigijs, non ſolùm vnius Dei, ſed etiam trium Perſonarum Diuinarum in creaturis. Ex *S. Aug. Q.* 18. *ex* 83. *Cauſam omnis creaturæ, trinam eſſe oportet : quâ ſit, quâ hoc ſit, quâ ſibi amica ſit,* ſeu appetat ſuum eſſe .i. ſimili ordine intrinſeco. *Lib. de Symb. cap.* 3. *Hoc & nos conamur cùm loquimur : vt quaſi alter animus ab animo per quẽ ſe indicet proferatur. Cap.* 9. Tres illæ ſimilitudines, *col.* 660. inter quædam veſtigia SS. Trinitatis cenſeri poſſunt. *Lib.* 6. *Trin. cap.* 10. De veſtigio SS. Trin. in vnitate, ſpecie, ſeu forma, & ordine omnium corporum ac animorum ad ſuum finem. *Lib.* 11. *Trin.* De veſtigio SS. Trin. in viſione ſenſitiua, externa, & interna, per impreſſionem ſpeciei ab obiecto, & expreſſionem viſionis per ſenſum, appetitu ſenſitiuo copulante, ſeu applicante, & complacente. *Lib.* 11. & 12. De ſimilitudine SS. Trin. ſecundùm portionẽ inferiorem rationis, in ſcientia, fide, & pia voluntate circa myſteria temporalia Chriſti. *Lib. de natura Boni, cap.* 3. De modo, ſpecie, & ordine cuiuſuis creaturæ. *Lib.* 4. *de Gen. in Sap.* 11. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Cap. 3. *Menſura omni rei modum præfigit, numerus omni rei ſpeciem præbet, pondus omnem rem ad quietẽ & ſtabilitatem trahit.* Cap. 4. *Menſura ſine menſura eſt, cui æquatur quod de illa eſt, nec aliunde ipſa eſt : Numerus ſine numero eſt, quo formantur omnia, nec ipſe formatur; Pondus ſine pondere eſt, quò referuntur vt quieſcant, quorum quies purum gaudium eſt, nec illud refertur ad aliud, &c.* De quibus & ſimilibus veſtigijs *Alenſis* ſuprà *q.* 13. *m.* 2. De vno, vero, & bono cuiuſuis creaturæ, vt veſtigio Dei Patris, Filij, & Spiritus. *Q.* 18. *m.* 1. 2. 3. De modo, ſpecie, & ordine, ſeu menſura, numero, & pondere cuiuſuis creaturæ, vt veſtigio trium Perſonarum eiuſdem Eſſentiæ Diuinæ, Sic & *P.* 2. *q.* 7. 8. De veſtigijs Dei in creaturis. *S. Bon. in* 1. *d.* 3. *art.* 1. *Scotus in* 1. *d.* 3. *q.* 5. Noſque in 2. q. 8. *col.* 400. 402. 403. *diſſ.* 4.

Sed cùm hæc ipſa veſtigia, ſuppoſita etiam fide, tam difficulter explicentur, & applicentur myſterio SS. Trin. quantò minùs potuiſſet inde inueſtigari ante omnem doctrinam fidei ? Tum quia creaturæ non procedunt à Deo vt trino, ſeu per aliqua tria propria & diſtincta : ſed à Deo vt vno, per vnam eandemque intelligentiam, voluntatem, & potentiam. Nec ſufficit vlla appropriatio : quia hæc ſupponit notitiam Perſonarum, quibus approprientur. Tum quia hæc indicia ſunt nimis in ſe tenuia, obſcura, & incerta : quàm vt naturaliter deprehendi & applicari poſſint. Tum quia cognitio per veſtigium, eſt tantùm quædam recognitio aliunde præcogniti.

2. Ratio ab aliqua Dei imagine in omni creatura rationali. De qua optimè *S. Aug.* ſuprà *col.* 619. 620. 621. *Alenſis P.* 1. *q.* 61. *P.* 2. *q.* 20. *m.* 3. *Art.* 2. *q.* 55. 62. *m.* 2. *S. Bon. in* 1. *d.* 3. *Art.* 2. & 3. *Scotus in* 1. *d.* 3. *q.* 9. Noſque in 2. q. 8. à *col.* 399. *ad* 404. Sed cùm nec naturaliter nobis conſtare poſſit ſubeſſe vllam imaginẽ Dei in creaturis : vixque ex doctrina fidei & *S. Aug.* conſtet in quo vel quibus ſita ſit : quomodo inde naturaliter tantum myſterium innoteſcere potuiſſet ? Vt monet *B. Aug.* ſuprà *col.* 621. Qui & à *Lib.* 9. *Trin. ad* 15. toties variat aſſignationem huius imaginis; vt videatur ſibiipſi non conſtare. Non tamen variat delendo : ſed eandem delineando; & paulatim perficiendo, in ſenſum à *Scoto* noſtro expreſſum ſuprà *col.* 146. *q.* 9.

3. Ratio, eſt eiuſdem *B. Aug.* ibidem, & contrà *Maxim.* ſuprà, à *col.* 621. *ad* 625. Sed à noſtro *Al. P.* 1. *q.* 42. 43. 44. 45. 46. 47. *S. Bon. in* 1. *d.* 2. *Art.* 1. & præ omnibus à *Scoto* explicata, *d.* 2. *q.* 4. 5. 6. 7. *d.* 7. 8. 9. & alibi ſæpè : ex duplici principio *Quo*, duplicique modo oppoſito producendi actus immanentes, per intellectum & voluntatem, ſine vlla imperfectione producentis & producti. Quæ ratio coincidit quidem cum ſecunda : ſed eam altiùs reſumit à quouis principio productiuo ſine imperfectione producentis aut producti; & diſtinctiùs explicat per duplicem modum oppoſitum producendi. Nec tamen eſt naturaliter euidens, neceſſaria, vel certa : quia non ſatis conſtat de duplici illo principio modoque oppoſito producendi; nec de vlla neceſſitate producendi tales actus, cùm in Deo neceſſariò præſupponantur improducti.

4. Eſt eiuſdem *S. Aug.* ſuprà, & plærorumque poſt ipſum, ex natura Boni : quod cùm ſit communicabile, ſummum Bonum eſt ſummè communicabile; ergo & communicatiuum ſui totius, duplici illo principio & modo, de quibus ſuprà. Sed citra doctrinam fidei, vnde conſtare poſſet eſſe quicquam capax ſummi Boni ab alio quàm à ſeipſo ?

5. Ex ſumma perfectione charitatis : non ſolùm circa ſeipſum; ſed etiam circa alterum condignè ac reciprocè dilectum, & tertium æqualiter condilectum & condiligentem, ſupra omnem imperfectionem zelotypiæ, &c. Vt *Richardus* ſuprà *col.* 651.

Digitized by Google

col. 51. & toto ſuo opere: ex principijs *B. Aug. Libris* contra *Max.* de voluntate ſeu amore Dei generandi ſibi Filium æqualem, ſicque & ſpirandi Spiritum S. ſine vlla inuidia aut impotentia. Sed cùm charitas Dei ſit ex ſe, in ſe, & circa ſeipſum perfectiſſima: vnde, niſi ex fide, conſtare poſſet, hanc ipſam ſummam perfectionem exigere alterum æquè dilectum, & tertium condilectum ac condiligentes?

6. Ex ſumma iucunditate Beatitudinis Diuinæ: quæ non poteſt eſſe ſine ſocietate coïntelligentiæ & amicitiæ. Vt *Richardus* ſupra *col.* 651. ex eodem principio *S. Aug.* Sed cùm totum Dei gaudium ſit de bono ſuo eſſentiali: vnde niſi ex fide conſtare poteſt, illud eſſe commune tribus Perſonis?

7. Ex ſumma gloria Dei, communicandi ſeipſum liberaliſſimè, potiùs quàm ſibi ſoli appropriandi, aut reſeruandi quicquam boni. Vt *Richardus* ſupra *col.* 651. ex illo Chriſti *Act.* 20. *Beatius* .i. glorioſius, *eſt dare, quàm accipere.* Sed quis ſine fide ſcrutari potuiſſet, vllum poſſe tam dignè & glorioſè accipere, quàm alium dare?

8. Ex perfectione cuiuſuis naturæ, vt ſit ex ſe communicabilis pluribus ſingularibus, ſeu vt poſſint eſſe plura ſingularia eiuſdem naturæ: quantò potiùs natura Diuina eſt communicabilis? Non pluribus ſingularibus: cùm ſit ex ſe ſingulariſſima; ergo pluribus Perſonis Diuinis, &c. Vt *Scotus in* 1. *d.* 2. *q.* 4. *col.* 134. *à n.* 38. *ad* 40. Sed vnde nobis vlla diſtinctio eiuſdem naturæ ſingularis à ſua Perſona, vel pluralitas perſonarum eiuſdem naturæ ſingularis in mentem venire potuiſſet, niſi ex fide Chriſtiana?

9 Ex perfectione ſeu capacitate eiuſdem animę rationalis, animandi ſimul, quodam ordine naturali, plura membra eiuſdem corporis: quantò potiùs eadem Eſſentia Diuina eſt ſimul plurium perſonarum, quodam ordine originis? Vt *Scotus in* 1. *d.* 2. *q.* 4. *&* *d.* 28. *q.* 3. *col.* 178. Quibus adde ex illo textu *Scoti. Si anima eſſet tota eſſentia cordis, & manus, per identitatem: & tamen daret ei eſſe diſtinctum quale modo dat, & cum hoc non eſſent partes, ſed ſuppoſita diſtincta: anima eſſet adhuc habens totum corpus organicum pro adæquato perfectibili; & tamen haberet vnum organorum pro primo & immediato perfectibili. Ita ſe habet ſuo modo Eſſentia Diuina ad tres Perſonas, reſpiciens eas primò primitate adæquationis: ſed Primam, primitate immediationis, ad quam ex ſe determinatur, determinatione oppoſita negationi determinationis, non oppoſita determinabilitati vlteriori ad alias Perſonas, mediante origine.* Sed cùm eadem anima non poſſit animare niſi vnum & idem corpus, nec hoc animari niſi per partes, tam ab anima, quàm inter ſe realiter diſtinctas: vnde, niſi ex fide huius myſterij, potuiſſet quis conijcere, vnam eandemque ſingulariſſimam Eſſentiam Diuinam, adæquatè, æqualiter, & ordinatè eſſentiare, ſeu formaliter conſtituere tres Perſonas Diuinas eiuſdem ſingularis eſſentiæ?

10. Ex perfectione obiectorum: non ſolùm imprimendi ſe vel quaſdam ſui formas potentijs, ſed etiam eas mouendi & determinandi ad exprimendos ſeu producendos actus ſibi conuenientes. Quantò potiùs Eſſentia Diuina, vt obiectum perfectiſſimum & præſentiſſimum, non ſolùm format ſeu perficit intellectum & voluntatem Dei actibus eſſentialibus improductis: ſed etiam mouet naturaliter aut moraliter ipſam vim actiuam, ad producendos actus adæquatos obiecto, potentijs, & actibus improductis, ſicque diuinos, ſubſiſtentes, & perſonales? Vt *Scotus d.* 2. *q.* 6. *col.* 131. 132. & alibi ſæpè. Sed cùm actus videatur eſſe finis totius motionis obiectiuæ & actiuæ potentiarum: vnde naturaliter conijci poſſet, habito actu adæquato naturali vel infuſo, & indefectibili, non terminari motionem obiecti & potentiæ, niſi ad actum à ſe productum?

11. Ex perfectione ſimpliciter: quæ cùm ſit ex ſe melior cuiuis eius capaci, quàm non ipſa, vel quæuis alia incompoſſibilis; non eſt ex ſe incommunicabilis, ſed pluribus communicabilis. Atqui Natura Diuina eſt perfectio ſimpliciter, ergo non eſt vni ſoli perſonæ propria, ſed pluribus communis. Ex *Scoto in* 1. *d.* 2. *qu.* 4. *col.* 152. *d.* 26. *q.* 1. *col.* 173. *& col.* 225. 216. 227. Sed vnde notitia huius perfectionis, & communicabilitatis, niſi ex fide huius myſterij?

12. Ex neceſſaria incommunicabilitate & diſtinctione Perſonarum vel ſuppoſitorum, eiuſdem etiam naturæ, ad omnem actionem & productionem. Quia agens nihil poteſt producere niſi realiter diſtinctum à ſe: non neceſſariò diſtinctum naturâ, cùm agendo perfectè, communicet quantum poteſt ſuo producto eandem naturam; ergo ſaltem diſtinctum hypoſtaticè. Cùm ergo Deus habeat perfectiſſimam vim actiuam intra ſe: neceſſariò habet Perſonas realiter diſtinctas & incommunicabiles, quæ producere, & produci poſſint, communicando eandem naturam, reſeruata proprietate & diſtinctione perſonali. Vt colligi poteſt ex *B. Aug. Lib.* 1. *Trin.* 1. & *Libro de immort. animæ, cap.* 8. *Nulla res ſeipſam facit, aut gignit, &c.* Et ex *Scoto* ſuprà, ac alibi ſæpè. Sed cùm Deus ſit ex ſeipſo perfectiſſimus, formaliter operando, non autem ſeipſum perficiat agendo & producendo in ſeipſo: vnde niſi ex hac fide conſtare poſſet, Deum in ſeipſo quicquam agere vel producere?

13. Ex illo *B. Aug.* ſuprà, *col.* 622. *Si non vultis per vnitatem ſubſtantiæ, certè per conſenſionem voluntatis dicite Pater & Filius vnus Deus eſt.* Non in ſenſu Arriano, de ſola vnitate morali; ſed vt infrà. *Si natura vnum eſſent, & conſenſione vnum non eſſent, non ſummè vnum eſſent: Si verò natura diſpares eſſent, vnum non eſſent.* Quia perfectiſſima conſenſio eſt vſque ad identitatem voluntatis, totiuſque naturæ. Cùm enim conſenſio & amor coniugalis inferat aliquam communicationem eiuſdem naturæ: affectus amicitiæ humanæ dimidiet, imò & moraliter tranſmutet amicos inter ſe, ex *B. Aug.* 4. *Conf.* 5. Charitas proximi ſit alterius, vt ſuiipſius; & Charitas Dei transformet in Deum, 1. *Cor.* 6. 15. Quantò potiùs Charitas Deus? Non ſolùm affectiuè, ſed & actiuè ac realiter; quia eius affectus non poteſt eſſe imperfectus. Quicquid enim perfectionis experimur

affectiuè;

Digitized by Google

affectiuè : eſt in Deo perfectè. Experimur autem omnes illos affectus naturæ, virtutis, & gratiæ : Ergo Deus habet illos in ſe realiter perfectos inter Perſonas Diuinas. Non quaſi charitas in Deo ſit primum principium producendi plures Perſonas Diuinas : ſed quod eius affectus in nobis & inter nos imperfectus, ſit quædam participatio & repræſentatio eiuſdem in Deo perfecti inter Perſonas Diuinas. Quo ſenſu hæc 13. ratio eſt ſecundæ & tertiæ explicatio : ex ipſo *Aug.* ſuprà, *619. 620. Partum mentu antecedit appetitus quidam, &c. Idemq; appetitus rei cognoſcendæ, fit amor cognitæ : dum tenet atq; amplectitur placitam prolem .i. notitiam ; gignentiq; coniungit ; & eſt quadam imago Trinitatis, ipſa mens, & notitia eius, & amor tertius.* Non quòd in Deo, vt in nobis, ſit ille appetitus imperfectus rei cognoſcendæ : ſed quòd ille in nobis imperfectus, ſit ſignum ſolius in Deo perfecti; vt & plura alia quæ in nobis experimur. Quis enim naturaliter & rationabiliter non appetat & amet ſuæ ſcientiæ, voluntatis & naturæ participem ? Non ſolùm in ſuperſtitem & hæredem ; ſed & ad vitæ ſocietatem. Quis autem non facilè percipiat, quàm ſit vanum & vitioſum nolle habere æqualem ? Illo ergo imperfecto, cum hoc ipſo vitioſo affectu, ſignificatur perfecta communicatio eiuſdem naturæ ſcientiæ & voluntatis, inter Perſonas Diuinas. Vt ſolet *B. Aug.* non ſolùm à noſtris ſimilibus, ſed etiam à contrarijs anagogicè ad diuina reſilire *in 2. col.*203.217. De quibus omnibus plura inter Difficultates ſequentes. Quæ tota ratio ſic breuiter exprimitur à *B. Aug.* Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt, 1.*Cor.*6. Non vis vt tantum adhæreat Patri Filius, vt ſit vnus Deus ? Hoc & de Spiritu S.

Difficultates rationales.

1 EX tot rationibus, quibus videtur hoc myſterium antiquis Philoſophis innotuiſſe : vel hanc doctrinam fidei, naturaliter & neceſſariò probari & credi poſſe. Nam *B. Aug. Lib.*7.*Conf.*9. *Lib.*19.*&* 18. *Ciu.* 23. refert quædam ex antiquis Platonicis & *Sybilla*, de Verbo & Filio Dei. *Eugubinus lib. de perenni philoſophia*, refert ex *Triſmegiſto : Monas Monadem genuit, & in ſe ſuum reflexit ardorem. S. Thomas* refert ex *Ariſt.* 1. *de cœlo, c.*1. *T.* 2. *Per hunc numerum ternarium adhibuimus noſipſos magnificare Deum vnum, &c. Richardus* ſuprà, *col.* 650. *Intentio huius operis eſt, doctrinam fidei rationibus probabilibus & neceſſarijs condire.*

Reſp. Hæc dicta Infidelium, Philoſophorum, & Vatum, vel non fuiſſe ab eis intellecta & intenta de Verbo Dei perſonali, ſed exemplari omnium : nec de Filio Dei vt vero Deo, ſed homine : nec de generatione æterna vnici Filij Dei à Patre, & productione Spiritus S. ſed de creatione vnius mundi ab vno Deo, propter ſeipſum ; nec de tribus Perſonis eiuſdem Eſſentiæ Diuinæ, ſed de cultu vnius Dei per numerum ternarii vt perfectum, in ſignum perfectionis Diuinæ. Vel nonniſi ex antiqua Dei reuelatione, eiuſque tenui & incerta Traditione. Vel ex ſingulari aliquo motu ac inſtinctu Dei, ad faciliorem aſſenſum, vel minorem contradictionem fidei Chriſtianæ. Vt monet *S. Aug. Libro de vera Relig. cap.* 1. 2. 3. 4. Nec vllæ rationes ſine reuelatione ſufficere poſſunt ad inueniendum, nec ipſa doctrina fidei ſine auxilio gratiæ ad perſuadendum : quia eſt contra vel ſupra omnem experientiam & capacitatem ſenſuum interiorum, & exteriorum, totiuſq; rationis naturalis.

2. Ex pluribus & apparentioribus rationibus oppoſitis, quæ reddunt hoc Myſterium incredibilius, quàm vt vlla ratione vel authoritate humana poſſit credibiliter proponi, vel ſuſtineri. Vt ex illo quaſi principio naturali & euidenti : *Quæcunque ſunt eadem vni tertio, ſunt etiam eadem inter ſe.* Qua enim ratione præualente, vel æquiualente, poterit credibile fieri : quòd tres Perſonæ ſint idem Deus ſingularis, ſeu eiuſdem eſſentiæ ſingulariſſimæ ; & tamen differant realiter inter ſe ? Ex tam apparenti repugnantia inter eſſe vnum Deum verum, ex ſeipſo neceſſarium, independentem, æternum, immutabilem, ſimpliciſſimum, perfectiſſimum, infinitum : & tamen producentem & productum, generantem & genitum, ſpirantem & ſpiratum, Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum S. Ex apparenti facilitate reſpondendi, imò & retorquendi omnes rationes pro hoc myſterio ſupra relatas. Vt patet ad ſingulas. Omnis enim pluralitas in nobis reducenda eſt ad vnitatem in Deo : nec ex pluribus principijs productiuis ſequitur pluralitas productionum & productorum, niſi illa inter ſe realiter differant ; alioquin tot erunt in Deo productiones, quot potentiæ, quot actus improducti, quot perfectiones, vel proprietates eſſentiales ſola ratione formali vel obiectiua differentes. Denique ex tanta contentione Doctorum Scholaſticorum pro ſuis rationibus contra rationes mutuas.

Reſp. Non poteſt quidem contradictio ſenſuum, & rationis naturalis inde ratiocinantis, niſi auxilio gratiæ ſuperari : ſed per gratiam poteſt vera ratio naturalis recognoſcere ſe eſſe fallibilem : nec eſſe capacem omnium ſecretorum diuinorum ; ſed quædam excedere ſuum captum, Deumque habere proprium modum eſſendi & operandi in ſeipſo, ſupra omnem ordinem & exemplum creaturarum. Vt *B. Aug. Epiſt.* 3. *Si ratio quæritur, non erit mirabile : ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe,* quantò potiùs eſſe, *quod nos fateamur inueſtigare non poſſe.* Cùm ergo omnes rationes oppoſitæ huic myſterio, ſint ab experientia, exemplo & ordine communi creaturarum : poteſt & debet vera ratio diffidere de illo prætenſo principio, repugnantia, reſponſione, contentione, &c. præferreq; æſtimationem Dei ſupra omnem ordinem & captum communem, omneſque rationes, & reſponſiones Scholaſticas; non contradictorias nec contrarias, ſed ad illam eandem Dei æſtimationem contendentes, collimantes, ſupplentes, contribuentes. Vt patet ex noſtris & omnibus Authoribus : inter quos optimè *Scotus* ad illud prætenſum principium, *col.* 135. Ad prætenſam repugnantiam, *col.* 132. Ad prætenſas reſponſiones &

Digitized by Google

aliquo actu priore; ſed ſolo obiecto præſente. 8. Intellectio eſt actus eſſentialis, & communis tribus Perſonis: dictio autem propria & relatiua inter Patrem & Filium. Quem ſenſum ſequitur *S. Anſel.* ſed optimè aſſequitur *Scotus*, vocans intellectionem *Intelligificationem*. Vt autem diſtinguitur dictio ab intellectione: ſic & ſpiratio ſeu amatio, ab amore.

Ad 2. Verbum Dei non dicitur immediatè *ex*, nec *de* actu intelligendi, aut vlla proprietate eſſentiali, vel perſonali: nec *ex*, vel *de* eſſentia Dei, vt intellecta; ſed vt eſſentialiter intelligibiliſſima & intellectualiſſima. Non ſolùm vt *ex* obiecto, ſed etiam vt de termino formali conſtitutiuo Verbi Diuini in eſſe Dei: ſed conſequenter ac identicè, *ex* & *de* omni perfectione Diuina. 1. Ex omnibus quæ ad 1. *diff.* 2. Quia *B. Aug.* ſæpè docet Verbum Dei dici, & Spiritum S. ſpirari *ex* & *de* Eſſentia, Subſtantia, ſeu Natura, Sapientia, & Voluntate Dei: ergo immediatè ex illa vt obiecto, & de eadem vt termino formali; ſed ex & de his conſequenter ac identicè. 3. Docet Verbum Dei dici & generari naturaliter, Spiritum S. voluntariè: communicando tamen vtrique æqualiter ipſam Eſſentiam, Subſtantiam, ſeu Naturam Diuinam, quâ ſint æquè formaliter Deus. 4. Docet Deum eſſentialiter eſſe ipſam ſapientiam & charitatem radicalem, ſeu intellectualiſſimum: non ſolùm in intelligendo, ſed & in volendo; nec primò ab intelligendo & volendo, ſed priùs ad intelligendum & volendum; nec ſolùm actiuè, ſed & obiectiuè .i. eſſe intelligentiſſimum & intelligibiliſſimum; conſequenter autem & identicè, quicquid pertinet ad perfectiſſimè intelligendum & volendum. Cùm ergo Deus Pater dicat & generet naturaliter per intellectum: communicat Verbo & Filio ſuo ipſam Eſſentiam Diuinam, vt actiuè & obiectiuè intellectualiſſimam. Cùmque Pater & Filius ſpirent Spiritum S. voluntariè, ſeu per voluntatem communicant ei formaliter eandem eſſentiam, vt actiuè & obiectiuè charitatem, ſeu vt amantiſſimam, & amabiliſſimã.

Ad 3. Verbum Dei non procedit ex cognitione creaturarum: nec ex illis vt cognitis, nec vt cognoſcibilibus in Eſſentia Diuina; ſed priùs obiectiuè, ſeu ordine cognoſcendi inter obiecta. 1. Quia vt expreſsè *B. Aug.* 15. *Trin.* 11. *Verbum Dei potuit eſſe nulla exiſtente creatura*: nequidem obiectiuè, ſeu in eſſe poſſibili; nimis enim certum & euidens eſt quoad eſſe reale. Ergo non poteſt eſſe ex cognitione creaturarum. 2. Nunquam vocat Verbum Dei, verbum creaturarum: ſed ſolius Patris, actiuè, & Eſſentiæ Diuinæ obiectiuè. 3. Nunquàm dicit Verbum videri in vel ex creaturis, ſed è contra. 4. Non eſt ex ipſa eſſentia vt cognita: quantominùs ex creaturis in eſſe cognito? Nec obſtat quod ait *cap.* 14. Verbum eſt de omnibus quæ ſunt in Patre: Quia .i. conſequenter & identicè; non autem *ex*, originatiuè, nec *de* formaliter. Reliqua, *Quæſt.* 20. inter *Diff.* nominales.

4. Ex *Alenſi q.* 42. *m.* 1. Videtur ſupponere generationem in Deo eſſe magnam perfectionem: cùm tamen nec ſit perfectio Patris, nec Filij, nec Spiritùs S. *M.* 2. Non videtur ſatis expreſsè reſpondere, an & quæ ſit differentia inter intelligere & dicere. § 1. Cur definit generationem in Deo eſſe productionem *modo principali* præ ſpiratione? *M.* 3. *Art.* 1. Præclara ratio, cur in diuinis dicatur *Natura de Natura, Lux de luce, Sapientia de ſapientia, &c.* non tamen *Eſſentia de Eſſentia*, minimè autem *Eſſentia generat, aut generatur*. Sed *Ad* 1. videtur negare omnem veram differentiã Perſonæ Diuinæ, ab Eſſentia. *Ad.* 5. 6. Quid eſt Pater ſubſtantiuè, & adiectiuè? *M.* 5. *Art.* 1. Cur negat Filium neceſſariò generari ab æterno? *Q.* 43. *m.* 1. Cur tribuit Spiritui S. proceſſionem *gratuitam*? *M.* 2. Cur comparat analogicè proceſſiones Filij & Spiritùs S. cùm ſint æquales? *M.* 3. *Art.* 3. Non videtur explicare ad mentem *S. Aug.* nexum ſeu communionem Dei Patris & Filij per proceſſionem Spiritùs S. ab vtroque. *M.* 5. Videtur contradicere priori *m.* 5. *q.* 42. de generatione Filij, voluntate concomitante, non mouente. *Q.* 44. *Ad* 3. 4. 5. Cur tribuit proprietatibus perſonalibus ſolam exiſtentiam ex alio quoad perſonam, in alium quoad eſſentiam, negat autem eis ſubſiſtentiam?

Reſp. Ad 1. *ex q.* 45. *m.* 2. *ad* 1 *&* 2. *Perſonæ Diuinæ non perficiuntur ab inuicem: ſed ex perfectione charitatis coëxigunt ſe inuicem.* Sic nec generatio eſt formalis perfectio Patris vel Filij: ſed ex ſumma perfectione Patris, ad ſummam perfectionem Filij. *Ad* 2. Imò verò ſatis exprimit § 1. *Non eſt idem generare, & intelligere, ſicut nec eſſe.* Ad 1. *Ad intelligere ſequitur ſeu concomitatur generatio.* § 2. *Dicere notionaliter, ſeu proferre verbum.* Ergo vt *B. Aug.* ſuprà, ſic & *Alenſis* hìc diſtinguit Dictionẽ ab Intellectione Dei, vt actionem ſeu productionem Verbi, ab actu Eſſentiali & improducto intelligendi. Sic & *Scotus* infrà, ex vtroque. Ibidem etiam ſatis explicat modum illum principalem producendi, ad comproducendum, de quo infrà. *Ad* 3. Imò ibidem diſtinguit modum ſignificandi, & connotandi: non ſolùm voce, aut fictione rationis; ſed etiam diſtincto formali ſignificato, & connotato. Vt & *q.* 45. *m.* 4. *ad* 2. explicat illud *Damaſc. Hypoſtaſes in Deo conſiderari ratione, eſſe autem re*: non quaſi ratione fingente, ſed verè conferente ac diſtinguente. *Ad* 4. Pater *ſubſtantiuè*, eſt Perſona quæ generat: ſed adiectiuè, vt generans, vel eo quo generat. *Ad* 5. Non negat Filium Dei neceſſariò & naturaliter generari, ſed fieri: vt patet ex toto illo membro. *Ad* 6. Per proceſſionem *gratuitam*, intelligit *liberam* ſeu *liberalem*, vt *q.* 43. *m.* 3. *a.* 2. *Ad* 7. Comparat eas *analogicè*: non ob vllam inæqualitatem, ſed ordinem; à quo ſolo prior dicitur *principalis*, ſeu originalis alterius. *Ad* 8. *S. Aug.* ſuprà, *col.* 616. 620. 621. non vult Spiritum S. eſſe communionẽ, ſeu nexum & vnionem primam, ac formalem, quaſi mediam inter Patrem & Filium: cùm immediatè vniantur ipſa generatione, eſſentia, & amore eſſentiali; ſed eſſe vnionem principiatiuè, terminatiuè, & affectiuè, ſeu eſſe terminum ad quem comproducendum, & in quo comproducto vniuntur, & à quo redamantur. Qui eſt ſenſus *Alenſis* ſuprà.

 Ad 9.

Ad 9. Non contradicit: ſed *q.* 42. *m.* 5. negat voluntatem eſſe principium quo generandi. *Q.* 43. *m.* 5 probat generationem & proceſſionem, non quaſi à ſuo principio, ſed à fine, ſeu ad etiam reciprocè diligendum & condiligendum. *Quæſt.* 44. Non negat proprietatibus perſonalibus ſubſiſtentiam relatiuè, ſed abſolutè: tribuit autem eis ethymologicè & propriè, ex alio vel non alio quoad perſonam, in alium quoad eſſentiam vt communicatam, ſed etiam quoad perſonam cui communicatur.

7. Ex *S. Bon.* *In* 1. *d.* 2. *a.* 1. *q.* 1. Videtur tribuere generationi & ſpirationi Diuinæ ſummā perfectionem & beatitudinem: ſed *Ad* 1. & 2. & *q.* 4. ſeſe explicat vt ſupra; de generatione, ſpiratione, & condilectione, ex infinita perfectione & beatitudine eſſentiali. *Diſt.* 4. *Art.* 2. *Quæſtione* 3. Potentiæ non ſunt accidentales, ſed ſubſtantiales Animæ: nec tamen omnino idem eſſentialiter, &c. ſine quibus concipi nequit in eſſe perfecto .i. Potentias intellectuales diſtingui ab anima formaliter, non realiter. *Diſt.* 5. *Art:* 2. *q.* 1. *Eſſentia non generatur.* *Q.* 2. *Sed communicatur, producendo et perſonas quibus communicetur.* Non quaſi perſonæ priùs producantur, quam eis eſſentia communicetur; ſed hac ipſa communicatione producuntur, & productione communicatur. Quia non poſſunt eſſe niſi Eſſentiâ, nec produci niſi eas eſſentiando. *Diſt.* 6. *q.* 3. *Spiritus S. procedit liberaliter .i. non quaſi ex liberalitate; ſed vt ipſa liberalitas.* Diſt. 7. q. 3. *Vt Eſſe, & Perſonam eſſe: ſic potentia generandi & creandi in Deo, differunt ſola intelligentia, comparatiuè ad terminos.* Non ſolâ intelligentiâ noſtrâ, ſed vera & obiectiua in Deo.

8. Ex *Scoto.* Pleræque diff. præuentæ ſunt ab ipſomet in textu, vel à nobis ſuprà, *q.* 3. *à col.* 239. *ad* 242. De intellectu & voluntate, vt duplici principio proximo operandi & producendi in Deo. *Q.* 12. *à col.* 351. *ad* 376. De perfectione Intellectus Diuini: non ſolùm in operando formaliter; ſed etiam in dicendo Verbo Eſſentiæ Diuinæ adæquato. *Quæſt.* 13 *à col.* 376. *ad* 422. De perfectione Voluntatis Diuinæ: non ſolùm in volendo formaliter; ſed etiam in ſpirando, ſeu producendo Spiritum S. quodam modo liberè. Et hac ipſa *Quæſt.* 20. ex *B. Aug.* ſuprà. Paucæ ergo hic & grauiores reſumendæ, & ſupplendæ ſunt. Vt quòd *d.* 26. *col.* 174. neget intellectum & voluntatem eſſe principia producendi Perſonas Diuinas, vt quædam attributa ſeu perfectiones in eſſe ſecundo: ſed vt ſunt perfectiones eſſentiales priores attributalibus. Contra tam frequentem rationem propriam trium Perſonarum Diuinarum, vnius improductæ, & duarum productarum: ex duplici principio proximo, modoque oppoſito producendi, per intellectum, & voluntatem; non autem immediatè ex ſola eſſentia vt infinita & fœcunda, *in* 1. *d.* 2. *q.* 4. 5. 6. 7. *d.* 3. *q.* 9. *d.* 5. *q.* 2. *d.* 10. 11. 12. 13. *Reſp.* vt ſuprà, *à col.* 239. *ad* 242. ſupplendo hîc ad propoſitum: quòd *Scotus d.* 26. fortè intenderit, intellectum & voluntatem, vt ſunt ſolùm attributa quantitatiua, vel qualitatiua, non eſſe principia producendi Perſonas conſubſtantiales; ſed vt ſunt principia ſubſtantialia & eſſentialia ſaltem identicè & obiectiuè, ad communicandam eſſentiam quam ſic habent.

Diſt. 26. *q.* 1. & *d.* 28. *q.* 3. videtur contendere contra communem ſenſum & modum loquendi ſacræ Scrip. & ſactorū Conc. ac Patrum, primam Perſonam Diuinam non eſſe relatiuam, ſed abſolutam, ſeu non conſtitui in ſuo eſſe perſonali per vllam relationem, ſed per priorem aliquam rationem abſolutam. *Reſp.* Non contendit pro illa opinione: ſed eam refert vt alienam & probabilem; cedens tamen in opinionem communem. Vt patet ex toto contextu.

Diſt. 2. *q.* 4. 5. 6. 7. *d.* 3. *q.* 9. *d.* 26. & alibi ſæpè, videtur nimium contendere, quòd Dictio Verbi Dei, & ſpiratio Spiritusſ. non ſunt actus formales intelligendi & volendi, ſed actiones producendi Verbum & Spiritum S. vt actus ſeu terminos illarum actionum. Cùm intellectus & voluntas non videantur agere niſi intelligendo & volendo, ſeu actibus intelligendi & volendi: nec vlli actus videantur in Deo produci, ſed ſoli improducti cum eſſentia vt eorum obiecto communicari perſonis productis; nec denique actio vt differt ab actu videatur immanens agenti, ſed tranſiens in ſuum terminum, non ſine aliqua imperfectione. *Reſp.* ex *S. Aug.* ipſoque *Scoto* ſupra: ſupplendo hîc, quòd dictio & ſpiratio actiua in Deo non ſint quaſi in fieri cum ſuis terminis, ſed improductæ in ſuis principijs; nec ſint productiones ipſorum actuum, ſed perſonarum, communicando eis actus improductos cum eorum obiecto eſſentiali, vel eſſentiam vt identicè & obiectiuè in illis contentam.

Diſt. 11. *q.* 1. & 2. Videtur fauere Græcis, contra veram proceſſionem Spiritusſ. à Patre & Filio: quaſi non eſſet realis controuerſia fidei; poſſetque Spiritusſ. æquè realiter diſtingui à Filio, etſi non procederet ab illo. *Reſp.* Non fauet errori Græcorum negantium proceſſionem Spiritusſ. à Patre, & Filio, vel per Filium: ſed concordiæ cum ijs qui malunt dicere per Filium. Nec tam probanda eſt proceſſio Spiritusſ. à Filio, per diſtinctionem realem huius ab illo: quàm hæc ipſa diſtinctio per duplicem modum oppoſitum procedendi. Quorum prior naturaliter cùm ſit proprius Filio: ſequitur Filium eſſe priorem Spiritu S. non ſolùm origine quaſi paſſiua, ſed etiam actiua, vt priùs naturaliter communicata Filio, quàm voluntariè terminata ad Spiritum S.

Diſt. 10. 12. 39. *quodl.* 16. Videtur *Scotus* indignè ſentire de Spiritu S. & contra veram libertatem arbitrij quaſi non procederet æquè neceſſariò & naturaliter ac Filius, ſed voluntariè & liberè. *Reſp.* Ex noſtra *q.* 13. *à col.* 376. *ad* 421. ſupplendo, hunc modum procedendi proprium Spiritui S. eſſe æquè perfectum, ac modum proprium Filio, & vtroque modo communicari eandem neceſſitatem eſſendi, nec confundere, ſed expreſsè re & nomine diſtinguere perfectiſſimam illam libertatem eſſentialem & inflexibilem voluntatis, à noſtra flexibili & contingentiæ, quæ ſola dici ſolet libertas arbitrij.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XX. SCHOLASTICA.

An, quibus verbis, & quo ſenſu, totum hoc Fidei Myſterium exprimendum & profitendum ſit?

RESPONSIO.

QVò totum hoc fidei myſterium nobis inconceptibilius, & ineffabilius eſt : eò fideliùs corde credendum, & cautiùs ore profitendum; non ſolùm in ſenſu à ſacra Scriptura, ſanctis Patribus, ſacris Conc. totaque Eccleſia intento, ſed & verbis expreſſioribus, & vſitatioribus, quæ à noſtris Authoribus ſuprà optimè explicantur, & applicantur.

1. Ex ſacra Script. *Rom.* 10. 1. *Cor.* 1. *Eph.* 4. de vna eademquè fidei confeſſione. 1. *Cor.* 11. *Eph.* 5. 1. *Tim.* 6. 2. *Tim.* 1. & 2. contra omnes verborum nouitates & contentiones.

2. Ex ſacris Conc. & Patribus ſuprà citatis, pro vſu & ſenſu communi variarum dictionum. Vt ex *S. Athan.* à *col.* 574. *ad* 578. Ex *S. Hil. col.* 596. 597. Ex *S. Baſil.* à *col.* 601. *ad* 606. *S. Hier. col.* 612. 613.

3. Ex rationibus *B. Aug. Libro* 10. *Ciu. c.* 23. *Liberis verbis loquuntur Philoſophi : nec in rebus difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt : ne verborum licentia etiam de rebus quæ his ſignificantur impiam gignat opinionem. Nos itaq; non dicimus duo vel tria Principia, cùm de Deo loquimur. &c.* Lib. 1. Trin. 1. *Quia nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs quæritur, nec fructuoſiùs inuenitur.* Vt enim in obſcuro & lubrico inter præcipitia cautiùs incedendum : ſic & hìc nonniſi verbis ſecuris velut fulcris vtendum & adhærendum eſt. Cùm enim vix hoc myſterium concipere poſſimus : vix totum explicitè credere poſſumus; ſed verbis à Chriſto & Eccleſia traditis, & ſenſu intento fideliter & religioſè profiteri.

Quòd autem noſtri Authores horum verborum vſum & ſenſum optimè explicent & applicent : Patet ex *Alenſi* ſuprà à *q.* 48. *col.* 51. *ad q.* 74. *col.* 80. ordinatiſſimè; ſed ex *S. Bon.* & *Scoto* in totum 1. *Sent.* promiſcuè. De quibus inter Difficultates ſequentes.

Difficultates verbales.

1. DE nomine græco *Homouſios*, ab *Homon*, Simul, ſeu *con-*, & *Ouſia*, Eſſentia .i. coeſſentialis ſeu conſubſtantialis : quod à *Samoſateno* pro ſola ſimultate, communitate, participatione, non autem identitate & ſingularitate eſſentiæ vſurpatum, meritò ſuſpectum & improbatum fuit à quodam Conc. *Antioch.* Sed quia Eſſentia Dei non poteſt eſſe niſi ſingularis, & totalis : optimè reſumptum fuit in *Conc. Nicæno*, ad exprimendam identitatem eſſentiæ inter plures Perſonas Diuinas. Cui cùm Arriani quoad rem palam repugnare non auderent : corruperunt nomen *Homouſios* in *Homoiouſios*, ab *Homoios*; vt hac nominum ſimilitudine ſeducerent Catholicos à fide eiuſdem Eſſentiæ inter Perſonas Diuinas, ad blaſphemiam ſolius inadæquatæ ſimilitudinis. Vnde cùm tanta eſſet orta contentio & confuſio totius fidei, & Orbis Chriſtiani: facilè perſuaſerũt multis, ipſique *Conſtantio* Imper. eſſe tantùm contentionem de nominibus; ideoque vtrumque abolendum, & ſub incerto quaſi ſoli Deo noto relinquendum, an Perſonæ Diuinæ ſint, & confitendæ ſint eiuſdem vel ſimilis Eſſentiæ. Vt patet ex *S. Athan.* & *Hil.* ſuprà. Quam fidei controuerſiam, vt notoriam & abolitam, Authores noſtri potiùs ſupponendam, quàm fruſtra refricandam cenſuerunt.

2. De nomine græco *Hypoſtaſis*, ab *Hyppo* .i. ſub & ſtaſis .i. ſtantia vel ſiſtentia. Vnde cùm æthymologicè idem ſonet quod ſubſtantia & ſubſiſtentia : meritò Latinis Patribus, ipſique *S. Hieronymo*, quamuis latinè, græcè, & hebraicè peritiſſimo, ſuſpectum fuit ſuprà *col.* 612. 613. & *S. Aug. col.* 618. donec ſatis conſtitit, Græcos non eo vti pro ipſa eſſentia & natura ſubſtantiali, ſed pro ſuppoſito vel perſona. De quo nomine, *Alenſis* ſuprà *q.* 58. *col.* 69. *S. Bon.* & *Scotus in* 1. *d.* 26. *col.* 100. & 167. 168.

3. De nominibus latinis Eſſentiæ, Exiſtentiæ, Quidditatis, Subſtantiæ, Naturæ, vt Synonimis : niſi quòd eadem res vt ratio formalis eſſendi, dicatur Eſſentia; vt realis actualis, exiſtentia; vt definibilis, quidditas; vt independens à ſubiecto aut toto, non autem vt ſubſtans alteri, dicitur ſubſtantia; vt origo ſuarum proprietatum, & potentiarum, dicitur natura. De quibus *S. Aug.* ſuprà *col.* 618. 619. *Alenſis q.* 49. *col.* 53. 54. *S. Bon. in* 1. *d.* 23. *Scotus* promiſcuè, *col.* 134. 148. 149. 173. 174. & nos ex illis in 1. *Quæſt.* 2. *a col.* 211. *ad* 226. *in* 2. *Quæſt.* 8. *col.* 339. 390.

3. De nominibus, *Singularis* ſeu *Indiuidui*, *Suppoſiti*, *Subſiſtentiæ*, & *Perſonæ.* Singulare vel eſt accidentale, vel ſubſtantiale. Singulare ſubſtantiale, non eſt idem quod ſuppoſitum : ſed illud eſt prima ſubſtantia, ſeu proxima exiſtẽtię actuali .i. Eſſentia ſubſtantialis vt perfecta, ſeu determinata vltimà differentia formali & communicabili, ad eſſentiandum, ſeu eſſentialiter perficiendum ſuppoſitum, in eo exiſtendo, & ſubſiſtendo; non vt accidens in ſubiecto, aut pars in toto, ſed vt forma ſingularis totius ſubſtantialis, totaque eius perfectio communicabilis, in ſuo vltimo termino formabili ſeu perfectibili, non autem vlteriùs perfectiuo, communicatiuo, aut communicabili, ſed ſolùm capaci habendi, & ſiſtendi omnem vlteriorem communicationem, ſeu in ſolo ſtatu incommunicabili, & proprietario. Subſiſtentia æthymologicè vix differt à ſubſtan-

tia : ſed hæc ſumitur potiùs in concreto pro per ſe exiſtente, non niſi abſolutè; illa potiùs in abſtracto, pro ipſâ exiſtentia ſubſtantiali, non ſolùm vt relatiua & incommunicabili in Deo, ſed etiam vt abſoluta & communicabili. Ex ipſa *Synod.* 6. ſuprà, *col.* 564. *Confitemur trium ſubſiſtentiarum, vnam ſubſiſtentiam, &c. Aug.* 7. *Trin.* 4. *Omnis res ad ſe ſubſiſtit, quantò magis Deus?* Contra *Vaſqueſium*, qui *diſp.* 105. *cap.* 5. contendit, non eſſe vtendum nomine ſubſiſtētiæ in Deo niſi relatiuè : Quia ſolent in Deo dici tres ſubſiſtentiæ. Sed cùm ex *Scoto* probabilius ſit, ſubſiſtentias relatiuas non eſſe per ſe exiſtentias, ſed ſolùm modos incommunicabiliter exiſtendi : videtur nomen ſubſtantiæ ſimpliciter, potiùs conuenire abſolutæ, quæ eſt ſola ratio per ſe exiſtendi. Nec obſtat quòd ſoleant tres dici : quia in plurali determinatur ad relatiuas, in ſingulari ad abſolutam. Nec *Aug.* ſuprà reuocat nomen ſubſtantiæ ab abſoluta ad relatiuam : ſed ab æthymologia ſtandi ſeu exiſtendi ſub accidentibus. *Perſona* eſt Suppoſitum, ſubſiſtens ſubſiſtentia propria naturæ intellectualis. De quibus æthymologicè, definitiuè & deſcriptiuè ſatis : ex *B. Aug.* ſuprà, *col.* 418. 419. *Damaſc.* 628. *Boëtio* 644. 645. *Richardo Vict. col.* 652. 653. *Alenſi p.* 1. *q.* 55. 56. 57. 58. *P.* 3. *q.* 6. 7. *S. Bon.* & *Scoto in* 1. *d.* 25. 26. *in* 3. *d.* 1. & 2. Ex quibus & nos in 3. *col.* 2. 4. 5. 7. 8. 9. 129. 137. 178. 179. 180. Sed ampliſſimè *à col.* 252, *ad* 261. & *à* 267. *ad* 277.

Quibus nihil addendum, aut ſupplendum occurrit : niſi quòd ſola ſubſtantia abſoluta Dei non ſit incommunicabilis : quia non eſt quaſi ſub Eſſentia vel exiſtentia Dei, eam vt in ſe fluidam continendo & terminando; ſed eſt formaliter ipſâ infinita Eſſentia Dei, vt ſubſtantialis; non ſolâ aptitudine ſubſiſtendi, ſeu per ſe exiſtendi, vt omnes ſubſtantiæ finitæ, ſed perfectiſſima & eſſentiali actualitate, infinitè communicabili, æquè ac quæuis perfectio infinita. Vt ſuprà *col.* 212. 213. & *à col.* 226. *ad* 242. de infinita perfectione Dei. Sed ſubſtantiæ perſonales, vt correlatiuæ, vel vt modi oppoſiti habendi Eſſentiam Diuinam, ſunt incommunicabiles : non vt finiti, illam terminando, limitando, & quaſi participando; nec vt infiniti, ſeinuicem identicè includendo, illam autem exhauriendo; ſed vt ſinguli ſolùm capaces infinitæ perfectionis, incapaces propriç oppoſitionis.

4. De concretis & abſtractis. Non ſolùm differunt, quod hæc ſignificent explicitè idem quod illa implicitè : nec ſolùm quòd illa ſignificent per ſe exiſtentiam horum, & hæc ſimplicitatem illorum; ſed quòd concreta non ſolùm ſignificent abſtractorum formam, ſed etiam connotent ſubiectum vel ſuppoſitum. Inter concreta quædā ſunt ſubſtantiua, quædam adiectiua, abſoluta, vel relatiua : Illa ſignificant rem vt ſubſiſtentem; hæc vt formam adiacentem. De quibus eſt difficultas an in Deo dicantur ſingulariter vel pluraliter, à ſola forma ſignificata, vel à ſuppoſitis connotatis. Quia in Symbolo *S. Athan. Non tres immenſi, nec tres æterni, &c.* Sed in *Conc. Later. cap. Firmiter*, tres Perſonæ dicuntur *coæternæ* : imò ſolent dici, *Diuinæ, Infinitæ, Æternæ, Omnipotentes, Spirantes, Creantes*; non autem Spiratores, Creatores, &c.

Reſp. Concreta ſubſtantiua non poſſunt dici pluraliter, niſi à pluribus ſimul formis & ſuppoſitis : quia aures Chriſtianæ nimis abhorrent à pluribus Dijs, quamuis plures Perſonæ ſint Deus. Nec nomē plurale *Elohim* hæbraicè. i. Dij, tribuitur Perſonis Diuinis, niſi cum verbo ſingulari; vt *col.* 555. 556. Sicque de omnibus ſubſtantiuis abſolutis : nam relatiua poſſunt dici pluraliter à pluribus formis, & ſuppoſitis relatiuis. Sed concreta adiectiua vidētur poſſe dici pluraliter à ſolis pluribus ſuppoſitis : niſi fortè & à pluribus formis relatiuis. Sic enim conciliari poſſet negatio trium æternorum abſolutè, cum tribus Cōdiuinis ſeu conſubſtantialibus, coæternis, coinfinitis, coexiſtentibus, cumque duobus conſpirantibus : per ſingulas ſingulorū correlationes, idētitatis, æqualitatis & ſimilitudinis; de quib⁹ *Scotus* ſuprà, *d.* 19. 20. 31. Quamuis ſoleat conciliari de pluribus Perſonis Diuinis, æternis, infinitis, adiectiuè: non pluribus autē æternis, infinitis, &c. ſubſtātiuè ſumptis, pro pluribus Dijs. Sed quia *S. Athan.* prius negat plures Deos ſubſtantiuè : videtur poſtea negare plures æternos, &c. etiam adiectiuè. Negatio enim abſolutè, eſt pro omni modo propriè. Viderurque *Scotus* inter hos loquendi modos ſatis indifferens in 1. *d.* 2, q. 1. *n.* 13. *Quia vis eſt de ſignificatione nominis, non multum immoror.* Et in 3. *d.* 1. *q* 2. & 3. De aſſumptione poſſibili vel non, eiuſdem naturæ humanæ à tribus Perſonis, vel pluriū ab vna: an inde tres eſſent vnicus homo, vel plures homines. Sed in noſtro Compendio illius *q.* 3. *ad* 1. *Arg.* ex meo potiùs ſenſu quàm *Scoti* reſpondi : Ad pluralitatem concreti, tam ſubſtantiui quàm adiectiui, requiri pluralitatem formæ & ſuppoſiti. Quia vtrumque conſignificant : ergo nonniſi vtrimque ſimul plurificari videntur; vel potiùs à forma, quàm potiùs ſignificant. Exceptis verbis & participijs: quç vidētur potiùs ſignificare Perſonas, quàm earū actiones; ideoq; potiùs dici in plurali à ſolis pluribus Perſonis, eadē actione cooperantibus; quàm adiectiua quæ potiùs ſignificant formas vt adiacentes in eſſe, quàm earum ſubiecta vel ſuppoſita. Hinc *B. Aug. Lib.* 5. *Trin. c.* 8. negat vllum abſolutum dici pluraliter de Perſonis.

De abſtractis non eſt difficultas, quin dicantur in ſingulari vel plurali, à ſolis formis quas ſignificant : ſed an hæ ſint plures relatiuè; vt plures entitates, exiſtentiæ, vnitates, veritates, bonitates, &c. Videntur eſſe plures relatiuæ, quæ non repugnant relationi : ſed ſi relatio non poſſit eſſe perfectio, nec poſſunt eſſe plures perfectiones relatiuæ. Vt ſuprà *à col.* 226. *ad* 242. Abſtracta in Deo dicuntur de ſuis concretis, & de ſe inuicem, ſaltem identicè : exceptis quibuſdam relatiuis, non ſolùm realiter differentibus, ſed etiam vtrimq; abſtractis ab infinitate, qua ſola identificantur. Vt rectè & ſæpè monet *Scotus* de paternitate vel filiatione, & ſpiratione actiua. Nec tamen improbat aliam rationem : quia cùm ſint Notiones diſtinctæ in eadem perſona : quamuis in ea realiter identificentur; non ſunt tamen confundendæ per prædicationem identicam.

Reliquæ dictiones, ſimplices, & complexæ, ſat ſuperq;

Digitized by Google

ſuperq; explicatur à noſtris Authoribus ſuprà: exceptis paucis hîc referendis & conferendis ex SS. Patribus ſuprà citatis, ad gerendam curam ſanorum verborum, 2.*Tim.*1.

*Col.*668.669. pleraque dicta *S. Dion.* ſunt metaphorica: ſed *S. Iuſtini col.* 570. valde propria. *Col.* 573. Quædam difficilia *S. Irenæi* explicantur. *Col.* 572. Cauetur à quodam dicto *Tertull.* vel Authoris ſuppoſiti. *Col.* 573. 574. Referuntur ſaniora *Origenis*, quibuſdam explicatis. *Col.* 374. 375. 376. Præclara diſputatio *S. Athanaſij* contra *Arrium* pro ipſa ſana verborum forma.

Col. 583. Ex 12. Libris *S. Hil. de Trin.* Lib.2. *Spiritus S. de Patre & Filio Authoribus.* Solet excuſari adiectiuè, vel pro Authore; ſed facilè & propriè pro Co-authoribus, vt ſuprà. *Lib.* 3. *col.*583. *Deus impertit per charitatem Filio ſuo quicquid eſt* .i. Sic impertit ſoli eius naturæ humanæ: vel etiam Perſonæ Diuinæ, formaliter per charitatem, vt eſſentialem & radicalem; principiatiuè, per charitatem vt obiectiuam, vel identicam intellectui. *Deus Pater procreauit Filium* .i. Generando vt Filium, non creando vt creaturam. *Vt voluit genuit Filium* .i. non aliter, nec inuitus aut coactus, ſed ſponte concomitanter. *Filius miſſus honorat Patrem mittentem*: *quia honor famulantis, in honore mittentis eſt* .i. Inter Deum Patrem, & Filium vt hominem. *Col.* 592. ex Lib. 9. *Maior Pater Filio eſt, & planè maior: cui donat tantum eſſe, quantus ipſe eſt. &c. Maior vtiq; Pater eſt, dum Pater eſt: ſed Filius dum Filius eſt, minor non eſt* .i. Maior ſola origine, non maior vlla perfectione, vt ex *Baſil.col.*598. *Col.*592.593. Excuſatur ab errore contra veras paſſiones humanas Chriſti, & earum ſenſum humanum. *Col.* 595. 596. Quaſi *Homoouſion* ſignificaret diſſimilem natura: cùm ſignificet ſimilem. Sed vel eſt error typographiæ: vel de ſignificatione intenta, non expreſſa: vel quia ſecundùm ſubſtantiam non eſt ſimilitudo, ſed identitas. Ergo ſi non eſt identitas, nec eſt ſimilitudo.

Ex *S. Baſil. col.*597. De nomine *Epinoia*, & diſtinctione ſecundùm *epinoian*, ſeu rationem ſubtilem; non ſolùm formalem, ſed & obiectiuam, quæ eſt ipſiſſima *Scoti* ex natura rei. *Col.* 599. *Cur neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus, naturâ quoq; ipſum tertium eſſe? Dignitate ſecundum eſſe à Filio, pietatis ratio tradit* .i. Non dignitate perfectionis naturalis, nec dignitate ſtatus moralis: ſed ſolius ordinis, non ſolùm tamen numeralis, ſed & originalis. Vnde & ſubdit: *Spiritusſ. dignitate ordinis tertius eſt.* Et *col.* 613. *Si ſoli Spiritui putant conuenire ſubnumerationem: diſcant Spiritum eodem modo pronuntiari, quo Filius cum Patre, &c. Neq; enim iuxta compoſitionem numeramus, vt dicamus vnum, duo, tria; neq; primum, ſecundum, tertium, &c. Iuxta Perſonarum proprietatem, vnus ſunt & vnus: at iuxta communem naturam, vnum ſunt, &c. Col.* 600. *Imago naturalis Dei, ac Filij, Spiritus eſt, &c. Filij Verbum, Spiritus eſt* .i. Vt *Al. q.* 62. *m.*2. In nobis cauſaliter. Vel vt *S.Thom.Opuſc.*1. ex eadem Eſſentiâ & Notitiâ.

*Col.*613. ex *S. Hier.* De dubia tunc ſignificatione *hypoſtaſis*. *Infrà. S. Hier.* ex *Didimo* vocat eſſentiam ſeu ſubſtantiam Dei *capabilem* .i. communicabilem: Perſonam verò, ſolùm capacem illius communicationis.

Col. 616. Ex *B. Aug. q.* 16. 18. ex 83. vtitur nomine *Cauſæ*, pro principio, inter Perſonas Diuinas. *Quæſt.* 16. & 23. ait Deum eſſe cauſam ſuæ Sapientiæ, ſeu eam genuiſſe: Sed retractat in *q.*23. *Col.* 617. De miſſione inter Perſonas Diuinas: ſed perfectiùs *Lib.* 4. quàm 2. *Col.*618. ex *Lib.* 5.*c.*8. *Quicquid de ſingulis ad ſeipſos dicitur* .i. abſolutè; *non pluraliter in ſumma, ſed ſingulariter accipitur.* In fauorem noſtrum ſuprà *col.* 672. Ibidē. *Neſcio quid volunt intereſſe inter Ouſiam & hypoſtaſim.* Quia tunc necdum ſatis conſtabat. *Ibid.* Lib. 7. *Deus Pater Verbo quod genuit dicens eſt, &c. Verbo ſibi æquali dicit ſeipſum, &c. Dicens ergo illo coæterno Verbo, non ſingulus intelligitur: ſed cum ipſo Verbo, ſine quo non eſt vtique dicens.* Et *col.*356. ex *Lib.*15.*c.*13. *Deus Pater tanquam ſeipſum dicens, genuit Verbum ſibi æquale per omnia* .i. Vt *Al. q.* 67. *S. Bon.* & *Scot. in d.* 32. explicant, quo ſenſu Pater & Filius diligant ſe Spiritu S. noſque ſuprà *col.* 368. & 618 .i. Non formaliter, vt ipsâ dictione, intellectione, ſpiratione, dilectione: nec vt principio Quo dicendi, intelligendi, ſpirandi, diligendi; ſed vt termino perſonali, cointelligente, & condiligente eſſentialiter, non condicente, nec conſpirante notionaliter. *Ibid. Lib.* 7. *c.* 3. *Spiritusſ. ſiue ſumma charitas, vtrumq; coniungens, noſq; ſubiungens.* Col. 620. ex Lib. 9. *Verbum eſt cum amore notitia. Cùm itaque ſe mens nouit & amat: iungitur ei amore Verbum eius, &c. Appetitus quo inhiatur rei cognoſcendæ, fit amor cognitæ: dum tenet atq; complectitur placitam prolem .i. notitiam, gignentiq; coniungit.* Et in textu integro c. 8. *Naſcitur Verbum, cùm excogitatum placet, &c. Verbum ergo noſtrum, & mentem de qua gignitur, quaſi medius amor coniungit.* Col.621. *Spiritusſ. eſt quædam ſpecialis communio Patris & Filij.* Col. 616. *Auſi ſunt quidam ipſam communionem Patris & Filij Spiritum S. credere, &c.* ibi.

Quæ omnia cointelligenda ſunt ex *Alenſi* ſuprà, *S.Bon.* & *Scoto in* 1. *d.*10. Non quaſi amor in Deo ſit principium Verbi, nec de ratione eius intrinſeca: ſed quod nonniſi notitia amata, vel amabilis, vel de re amabili concepta, ſit propriè Verbum. Nec quod neceſſariò, nec quod idem amor rei cognoſcendæ, fiat amor cognitæ: ſed quòd ſoleamus ſtudere ex amore rei cognoſcendæ, & proficere in amorem complacentiæ de re cognita, eiuſque cognitione. Vt patet ex 10. *Trin.* 1. Nec quaſi Spiritusſ. ſit prima vnio realis, vel affectiua Patris & Filij, nec origine media, ſeu ſecunda: cùm Pater & Filius priùs origine vniantur in eadem eſſentia, notitia, amore eſſentiali, & notionali actiuè; quàm vniantur in vel ipſo Spiritu S. vt communi termino, ſeu amore ſpirato & perſonali, &c. Vt ſuprà, *col.* 666. 673.

*Col.*622. Lib. 2.contra Max. *Non eſt Pater Dei Deus: ſed Deus eſt Chriſti* .i. Eſt quidem Pater Dei Filij: non tamen eſt Deus ſeu Dominus eius vt Dei, ſed vt Chriſti hominis. Quidam tamen Patres concedunt Patrem eſſe etiam Deum Filij. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt*, 1.Cor.6. *Non vis vt tantùm adhæreat Patri Filius, vt ſit vnus Deus?*

Infrà,

QVò noſtri Authores, præcipuè *Alenſis* pluribus in hanc Partem Quæſtionibus, vſq; ad 189. eò nos paucioribus, nulliſq; inhibitis, *De libero Arb. Gratia, &c.* ſed ſolis neceſſarijs ad fidem Catholicam, doctrinam Eccleſiæ, & *S. Aug.* contra ſolas hæreſes oppoſitas, & opiniones aut dictiones ab Eccleſia cenſuratas. Vt patet ex *Quæſtione noſtra* 7. Quænam ſint credenda & cauenda in doctrina de lib. Arb. Gratia &c. verbatim ex SS. Script. Concilijs, Oraculis Summorum Pontificum, & *SS. Aug.* ac *Hier.* compendijs contra *Pelagianos*, & *Semi-pelagianos*, à col. 273. ad 388. *Quæſt.* 8. De concilianda doctrina *B. Aug.* omniq; opinione Catholica, cum definitionibus ac cenſuris Eccleſiæ, à 388. ad 532. ſub varijs & diſtinctis titulis, indicatis ad finem huius *Tom. 1. col.* 77. Indicum. Quo vero ſenſu, non prætextu, conſtat has *Quæſt.* non poſſe cenſeri inhibitas: ex *Abſolutione noſtra finali ab omni ſcrupulo inhibitionis*, huius *Tomi 1.* & 2.

Nec vlli cenſuræ ſubeſſe poteſt digreſſio noſtra à col. 456. ad Commentarium in *S. Bern. de Gratia, & libero Arb.* contra reprobum cōmentum cuiuſdam Anonymi *Pſeudo-Ranutij Higati*, meritò ſuſpectum impoſturæ hæreticę, de qua infra. Cùm enim vigiles, & præſidiarij liberè explodant in nocturnos, imò & diurnos ſub Symbolo hoſtili inuaſores: cur non & Theologi Catholici, in quoſlibet ſub hæretica verborū larua quouis animo ſcripturientes? Qua libertate vtimur contra ſolas expreſſas hæreſes, & errores ab Eccleſia reprobatos: non autem abutimur contra vllam opinionem probabilem, vel excuſabilem; ſed reueremur illud *Apoſt. Rom. 12.* Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet.

Quàm ſit autem reprobum & inexcuſabile commentum illius *Pſeudo-Ranutij Higati*: non ſolùm patet ex noſtra reprobatione à col. 456. ſed ex hac ſola eius diſſonantia ab omni ſenſu Chriſtiano & Catholico. *Siue Deus*, inquit, *vult permanere bonus, neceſſariò hoc vult, quis dubitat? Siue quæuis creatura diligit Deum per gratiam, neceſſariò diligit: ſiue odit Deum per concupiſcentiam, neceſſariò odit. Nihil enim iſtorum poteſt non facere, hoc ipſum quod facit, &c. Nam liberè nihilominus facit, hoc ipſum quod neceſſariò ſic facit.* Infra. *Ex ſola iſta libertate peccari poſſe, nec aliter peccari quotidie dicimus, & quidem demeritorie &c.* Imò & prætenſæ eius excuſationes à quodam *Pro-Ranutio Exceptore*, & *Ranutij* vindice, ſunt potiùs eiuſdem commenti accuſationes & conuictiones. Vt patet ex noſtra *Veronica S. Bern.* ab Ordinario Leodienſi, & primarijs Doctoribus Duacenſibus approbata: qua faciem ſeu ſuperficiem mellifluæ eius Doctrinæ abſtergimus à 5. maculis quibus eam hæretici & imperiti conſpuunt, vt Iudæi faciem Chriſti.

A 1. Quaſi contra veram Beatitudinem SS. ante Reſur. De qua hoc Opere *in 3. col. 597. 598. 599. & in 4.* à *964.* ad *969.*

A 2. Quaſi contra libertatem ordinariā viatorum: De qua à *col. 456.* ad *465.*

A 3. Quaſi contra vera & propriè dicta merita noſtra: de qua ibid. *col. 465. 466. 467.*

A 4. Quaſi contra poſſibilem obſeruantiam Mandatorum Dei, ex *ſerm. 2. de Vigilia Natiu. 50. in Cantica*, & aliunde: de qua ſatis ex *B. Aug.* hoc *Tomo 1. in 2.* à *col. 426.* ad *456.* à *490.* ad *502.* Ex *S. Bern. col. 459. 460. 461.* ſupplendo ex *ſerm. 50. in Cant.* vel non præcipi nobis charitatem *affectiuam*, ſed *actualem* ſeu efficacem; vel non tantā intenſiuè, ſed appretiatiuè; vel non ad tantam hîc & nunc habendam, ſed petendam, ſperandam, acquirendam in Patria.

Superſunt ergo ſolæ excuſationes *pro-Ranutij* hoc Opere poſteriores, retorquēdę in illud commentum *Ranutij*.

1. *Ranutius* non comparat æqualiter, ſed ſolùm ſimiliter, neceſſitatē noſtram amādi Deum ex gratia, & odiendi Deum ex concupiſcētia: cum neceſſitate ipſius Dei amandi ſeipſum. *Contra.* Cùm hæ neceſſitates non ſint cōparabiles vt toto genere differentes: vel ineptiſſimè comparantur, vel ſub eodē genere neceſſitatis abſolutæ, & impoſſibilitatis aliter faciendi. Vt patet ex dictione, *ſiue*, ter repetita, & comparatiua neceſſitatis odiendi Deum ex concupiſcentia, cum neceſſitate amandi Deū ex gratia: ergo & vtriuſq; cum neceſſitate ipſius Dei amandi ſeipſum.

2. Non eſt contra fidem, vel cenſuras Eccleſiæ, voluntatē noſtram determinari & neceſſitari noſtro iudicio practico: ergo nec gratiā vel concupiſcentiā. *Reſp.* Illud non repugnat libertati etiam flexibili, ſed hoc: quia iudicium practicum poteſt eſſe nobis liberum, ſeu in poteſtate voluntatis; non ſic autem gratia, nec concupiſcentia. Vtrumque tamen eſt expreſsè cōtra hanc partem ipſius textus *S. Bern.* à *Ranutio* cōmentati. *Habet voluntas quocumq; ſe volverit ſemper rationem comitem. Eſt verò ratio data volun-*

Digitized by Google

EX SECVNDA PARTE ALENSIS.

De Creatione, Creaturis, & lapſu Hominis.

QVÆSTIO I. *De Cauſa prima in ſe.*

M*Embro primo.* De cognitione naturali quòd ſit, non quid ſit propriè &c. Vt *1. p. q. 2. & 3.* Niſi quod hic poſſibilis cognitio naturæ, quid ſit. i. remotè, ex natura obiecti & potentiæ.

Mem. 2. De vnitate primi Principij. *Art. 1.* Non de altero omnis boni, altero omnis mali: quia nec Bonum poteſt eſſe Summũ, niſi ei ſubſit omne malum; nec vllum malum vt malũ poteſt eſſe vllius principium, ne quidem defectiuum, ſed vt bonum imperfectum. *Art. 2.* Nec de altero ſpiritualium, alterum corporalium: quia nihil poteſt fieri niſi participando aliquam ſaltem ſimilitudinem eſſendi à primo & cum primo Ente per eſſentiam.

Art. 3. Nec de Deo, & materia prima: quia hæc non eſt niſi à Deo; nec Deus ab ea dependet in agendo; nec omnia alia ab ipſa, ſed eſt tantùm poſſibilis ad omnes formas, &c. Vt *p. 1. q. 14.*

QVÆSTIO 2. *De prima cauſalitate.*

Mem. 1. An cauſa Efficiens, exemplaris, & finalis ſit ab æterno? *Reſp.* Eſſe ex ſe, & ab æterno in habitu, ſeu ſufficere ad cauſandum: ſed non cauſare actu niſi ex tempore; nec eſſe plures, ſed eiuſdem Eſſentiæ & Perſonarum.

Mem. 2. Non differre in Deo realiter: quia Deus omnia ex ſe & propter ſe operatur, *Prou. 16.* nec eſt vlla in Deo dependentia ab alio exemplari aut fine.

Memb. 3. Nec eſſe inter eas ordinem aut pluralitatem, niſi ratione, ſeu reſpectu ad effectus tẽporalis, & quadam appropriatione ad tres Perſonas diuinas. Vnde non poſſunt vocari tres res: vt *B. Aug. 1. Doct. Chriſt.* vocat tres Perſonas, tres Res, & vnam ſummam Rem.

QVÆSTIO 3. *De Cauſa exemplari omnium.*

Memb. 1. Eſſe neceſſariò in Deo, ad agendum ſcienter: nec tamen differre à Deo; quia Deus non poteſt in ſciendo & agendo dependere ab alio.

Memb. 2. Eſſe vnicam re: ſed plures ſola ratione, ſeù comparatione ad plura exemplata. Quo ſenſu *Hebr. 11.* Ex inuiſibilibus fiunt viſibilia.

Mem. 3. Quorum ſit? *Art. 1.* Eſſe omnium poſſibilium. *Art. 2.* Non malorum, quæ à Deo non fiunt, ſed bonorum, etiam corruptibilium: quia hæc non ſunt corruptibilia in ſuo exemplari, ſeù Scientia Dei, ſed ſunt ipſum eſſe, & vita Dei. Vt *Ioan. 1.* Quod factum eſt, in ipſo vita erat. Non vt *Act. 17.* In ipſo viuimus &c. i. ab ipſo conſeruamur in hac vita.

QVÆSTIO 4. *De Cauſa finali omnium.*

Mem. 1. Eſſe, & eſſe vnicam vltimam omniũ. *1.* Quia intentio & quæſitio finis, ſupponit aliquem vltimum, nec poteſt procedere in infinitũ. *2.* Quia finis vltimus eſt ſummum bonum. *3.* Quia proceſſus in infinitum eſt contra nomen ac rationem finis, & cauſæ finalis.

Mem. 2. Eſſe ipſum Deum: quia *Prou. 16.* omnia propter ſe ipſum operatur; non vt finem ſuum, ſed omnium illorum; nec ad ſe ipſum perficiendũ, aut ſibiipſi acquirendum, ſed omnibus ſuo modo communicandum, &c.

Memb. 3. Appeti ab omnibus: ſaltem appetitu naturali ſui eſſe & conſeruationis, ac relationis ad ſuum finem.

QVÆSTIO 5. *De prima Cauſa efficiente.*

Mem. 1. Poſſe quidem non creare, nec conſeruare: non tamen eſſe cauſam non eſſendi, aut deſinendi, aut deficiendi; ſed cuiuſuis rei defectibilitatem naturalem, aut voluntatis culpabilem. Ex *Sap. 1. Eccli. 11. B. Aug. lib. 83. qq. 2. de moribus Manich. contra Secundinum, & alibi ſæpè.*

Mem. 2. Eſſe ad omnia liberam, non neceſſariam: quia Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium. Ex *Aug. 3. Trin. & 83. qq.*

Mem. 3. Se ſolâ creare, & ad omnia ſufficere: ſed & agere per cauſas ſecundas, dependenter à ſe.

QVÆSTIO 6. *De Cauſa prima in actu.*

Mem. 1. Eſſe cauſam in actu: *Ex qua, per quã, & in quâ sũt omnia.* Appropriatè, ex *Rom. 11. vt p. 1. q. 67. m. 4.*

Mem. 2. De actione creandi. *Art. 1.* Creare *1.* & propriè, eſt facere ex nihilo. *2.* Eſt iuſtificare, ex nihilo culpæ. *3.* Eſt condere ſeù ordinare. Vt *Eſa. 45.* Ego creans malum. i. condens, ordinans. Ex B. Aug. *De Moribus Manich. & contra Aduerſ. Leges*, &c. *Art. 2.* Hæc eſt propriè prima, & perfectior Actio Dei: quia eſt ſimplicior, & independentior, & terminatur ad primum eſſe rei, non ad quid additum enti; *ſed latè, ſi licet dicere, generatio & ſpiratio æterna ex propria ſubſtantia, eſt perfectior. Art. 3.* Actio qua Deus creat eſt ipſe Deus: nec differt à Deo creante, niſi connotatione effectus. *Art. 4.* Eſt ſoli Deo propria: ex *B. Aug. de Trinit.* quia eſt perfectior omni re creabili. *Ad 1.* Vis creandi repugnat creaturę: quia eſt perfectior quàm vt poſſit creari, ſicque eſſe creatura; alioquin creatura poſſet creare ſe. *Ad 2.* Remittere culpam per gratiam, eſt plus quàm creare: non autem remittere pœnam. *Art. 5.* Vt eſt actio Dei & Deus ipſe, eſt ab æterno: ſed connotat terminum poſt primum nunc temporis, ſeu poſteriorem cauſalitate.

Art. 6. Philoſophi potuerunt aſſequi creationem. *1.* Per inſpirationem. *2.* Per ſacras Script. 3. Per neceſſariam Omnipotentiam Dei, ad creationem tandem ex nihilo, abſque proceſſu in infinitum.

QVÆSTIO 7. *De proprietatibus Creaturarum comparatiuè ad Creatorem.*

Memb. 1. De Menſura, Numero, Pondere in creaturis: non propriè, ſed metaphoricè; vt menſura ſit limitatio in eſſendo, numerus ſpecificatio & formatio cognoſcibilis, pondus ordinatio ad finem &c. Vt *p. 1. q. 19.*

Mem. 2. Hęc tria eſſe in omni creatura. Vt *p. 1. q. 19.*

Mem. 3. Eſſe effectiuè in Deo, formaliter in ſola creatura, &c. *Vt p. 1. q. 19.*

Memb. 4. Modum ſeù menſuram eſſe à cauſa efficiente, ſpeciem ſeù numerum ab exemplari, pondus ſeù ordinem à finali. Vt *p. 4. q. 19.*

Digitized by Google

Memb. 5. Eſſe tres proprietates naturæ creatæ, relatiuas ad triplicem illam cauſalitatem Dei: non autem tres naturas ad naturam.

Mem. 6. Sine his non intelligi creaturam, cōparatiuè ad ſuas illas cauſas: ſed benè in ſeipſa abſolutè.

Mem. 7. De differentia horum trium, à varijs tribus ſimilibus, quoad eſſe, fieri, regi, aut operari.

QVÆSTIO 8. *De veſtigio.*

Mem. 1. Veſtigium ſub ratione nominis dicit *Effectum aliquo modo ſimilem ſuæ cauſæ: etſi non in genere, ſpecie, vel natura.*

Memb. 2. Veſtigium eſt propriè pedis: ſed tranſlatè, eſt quædam ſimilitudo creaturæ ad Deum, vt ſummum Ens, Vnum, Bonum, &c.

Memb. 3. Quæuis creatura eſt particeps alicuius ad Deum ſimilitudinis: vel communis & confuſæ, quæ eſt veſtigium; vel ſpecialis & intellectualis, quæ eſt imago.

Memb. 4. Vt plùs vel minùs participat entitatis, ſic & ſimilitudinis Dei &c.

Memb. 5. Veſtigium Dei vt vnius, eſt in vnitate creaturæ: vt Trini, in quadam trinitate cuiuſuis creaturæ.

Memb. 6. Non eſt corruptibile, niſi ad corruptionem rei, in aliud plus minuſvè &c.

Mem. 7. Vt veſtigiū, ducit ad Deum: vt res quaſi per ſe delectabilis, abducit. Ex *Sap. 6. 14.* & *B. Aug. ſæpè.* ſed excellenter *lib. 2. de lib. Arb. c. 16.* vt citatur hîc *M. 1.* Væ qui nutus tuos pro te amant, & obliuiſcuntur quid innuant.

QVÆSTIO 9. *De creatione paſſiua, ſci: fieri.*

Memb. 1. Creari non eſt propriè & ſubiectiuè mutari, ab vna forma in aliam: ſed communiter, à non eſſe ad eſſe, vt ab eſſe ad non eſſe.

Memb. 2. Creari, eſt ipſa res quæ creatur, connotando primum eſſe poſt non eſſe: quia nil poteſt creari prius tempore aut natura quàm ſit, vt quædam poſſunt fieri, &c.

Memb. 3. Non eſt quid medium inter creaturam & Creatorem (*ex quodam Conc. Senonenſi*): ſed quid creatum vel concreatum; ſicque creatura, non alia creatione paſſiuâ creata quam ſeipsâ, ſed aliâ actiuâ.

Memb. 4. Eſt ſolius materiæ, & formæ, aut principiorum, creari ex nihilo: ſed compoſiti, creari ex non eſſe in primo eſſe.

Memb. 5. Quæ fiunt ſine diſpoſitione naturali, creantur: quæ ex illa, generantur; excepta anima rationali, ad quam non eſt vis generatiua. *Aug. 13. Trinit.*

Memb. 6. Eſt ſolius ſubſtantiæ creari per ſe: ſed etiam accidentiū, primò concreari cum ſubſtantia.

Mem. 7. Ex *B. Aug. de Gen. ad litt.* Omnia primò creata ſunt ſolo ordine cognitionis Angelicæ: ex *SS. Hier. Greg. &c.* etiam ordine temporis.

Memb. 8. Nil cooperatur Deo in creando: quia creatio eſt independēs, & creatura incapax creandi.

Mem. 9. Creatio non fit in tempore, vt eſt menſura motus: ſed vt eſt ſucceſſio à non eſſe ad eſſe.

Memb. 10. Fieri ex nihilo, non eſt vt ex materia, priuatione, cauſa aliqua, vel termino à quo: ſed ſolo ordine termini ad quem, à non eſſe ad eſſe.

QVAESTIO 10. *De Creatura in ſe.*

Mem. 1. Materia creatur vt origo, forma vt eius perfectio, compoſitū vt terminus perfectus creationis.

Mem. 2. Sub nomine Cœli & terræ, omnia creata dicuntur. *1.* Ad ſignificandam creaturam ſpiritualem & corporalem. *2.* Ad ſignificanda continentia & contenta. *3.* Ad ſignificandam totam naturam incorruptibilem & corruptibilē. *Aug. 11. Ciu.*

Mem. 3. Creari non eſt ipſius eſſe vniuerſalis: quia non poteſt ſaluari ſeù exiſtere niſi in particulari.

QVAESTIO 11.

De vnitate aut multitudine Creaturarum.

Memb. 1. A primo Vno eſſe etiam multa: quorum quodlibet eſt vnum; ſed omnia ſub aliqua ratione vnius Vniuerſi.

Memb. 2. Deus eſt cauſa prima Efficiens, Exemplaris, & Finalis totius multitudinis: nullatenus autem reflexio intellectus Dei ſuper ſe & omnia. Proximè quælibet res eſt ſeipsâ vna, & differt ab alia: ſed in cōpoſitis, nunc materiâ, nunc formâ, &c.

QVÆSTIO 12.

De Simplicitate & Compoſitione Creaturarum.

Mem. 1. Creaturæ ſpirituales ſunt ſimplices. i. ſine materia diuiſibili: ſed non ſine materia, ſeù potentiali, componibili, & ſeparabili à ſuis actibus.

Memb. 2. De cauſa compoſitionis. *Art. 1.* Res compoſita eſt à ſua cauſa efficiente, & ex ſuis partibus componentibus: ſed ipſa compoſitio, vt eſt imperfectio, ſeù defectus ſimplicitatis, eſt ex ipſa re vt orta è nihilo. *Art. 2.* Omnes differentiæ compoſitionis ſunt inter ſe ordinatæ: quia compoſitio numeralis ſupponit integralem, hæc homogeneam, hæc materialem & formalem, hæc eſſentialem ex genere & differentia, hæc ex ſuo *Quo* & *Quod.* Sed totum potentiale, non componitur propriè ex partibus: vt nec genus ex ſpeciebus; quia non habet eſſe ex partibus, ſed è contra.

Art. 3. Compoſitio, ex *Quo* & *Quod* eſt propria omni & ſoli creaturæ, ac vniuerſalior ea quæ eſt ex materia & forma: quia omnis & ſola creatura eſt compoſita, vel vt totum, vel vt componēs illud, vel cum eo à quo dependet in eſſe vel noſſe; non omnis autem, ex materia & forma. Sed ſolus Deus non eſt compoſitus ex *Quo* & *Quod*: quia ſolus Deus eſt ſuum *Quo* & *Quod* eſt, ſeù eſt quicquid habet.

Art. 4. Non quælibet res eſt componibilis alteri, ad compoſitionem alicuius: quia nec Deus eſt ſic componibilis; nec entia completa ſunt ordinata ad vnius alterius, ſed ſolius vniuerſi complementum.

QVÆSTIO 13. *De mutabilitate creaturarum.*

Memb. 1. Mutatio propriè & vniuocè eſt ſolius ſubiecti: ſed latè, eſt etiam à non eſſe ad eſſe, & ab eſſe ad non eſſe.

Memb. 2. Omnes creaturæ ſunt ex ſe mutabiles, tàm in eſſendo, quàm in modo aliquo eſſendi.

Memb. 3. Sunt & mutabiles ab eſſe in non eſſe, ſicut à non eſſe in eſſe, niſi quædam ſine fine conſeruarentur. *Ad Arg.* Sentit animas vegitatiuas & rationales, earumque proprietates eſſe formas ſpirituales: nec habere principia in quæ reſoluantur, ſed deſinere in non eſſe. Idemque ſentire videtur de omnibus accidentibus rerum corruptibilium.

Memb. 4.

Digitized by Google

Memb. 4. Poteſt aliqua à Deo fieri naturæ immutabilis ex ſe actu: non tamen abſolutè, ſeu incapax mutationis; quia hoc non eſſet fieri ex nihilo, ſed eiuſdem naturæ cum Deo. *Ad Arg.* Angeli & animæ rationales non habent finem: non quòd non poſſint habere; ſed quod non habebunt, nec habeant contrarium à quo corrumpantur. *Sub finem.* Si quæ habentur ex natura & gratia eſſent ab initio coniuncta: dicerentur ſecundùm quendam modum naturalia, quæ modo gratuita; & ſic poſſet participari quædam immutabilitas naturalis.

QVÆSTIO 14. *De duratione mundi.*

Mem. 1. Non eſſe æternum. Ex S. Script. & ex cõmuni ratione creaturæ de nihilo, & omniũ partium huius mundi nonniſi inchoata aliqua inter ſe ſucceſſione, vel locali, vel in eſſe &c. Contra *Philoſophos*, vt *p. 1. q. 4. 14.* *Ad 1.* Deus nunquam fuit otioſus: nec ad intra ab æterno, nec ad extra in tẽpore. *Ad 2.* Voluit ab æterno, ſed facere in tempore. *Ad 3. & 4.* Non fit mutatio in Deo, ſed extra. *Ad 5. & 6. vt q. 4.* *Ad 7. & 8.* Deus ab æterno potuit & voluit facere: ſed pro tempore, &c. *Ad 9. 10. 11. 12.* vt ſæpe ſupra. *Ad 13.* Cur non priùs, &c? Quia cum facto, fit & ipſum nũc in quo fit.

Art. 1. Non eſſe in æternum quoad hæc omnia, & hunc eorum ſtatum ac motus: ſed quoad ordinata ad ſtatum hominis immortalem. *Art. 2.* Nec poſſe moueri ab æterno. *1.* Quia motus eſt ad aliquem finem: ergo & ab initio. *2.* Quia mobile eſt prius ſuo motu. 3. Quia motus eſt à motore priore immobili: ergo non ab æterno.

Memb. 2. Refert & confert varios ſenſus: de duobus, vel tribus, vel 4. vel 5. vel 6. vel 7. coæuis ſeu concreatis in hoc mundo. *1.* Eſt natura Angelica. *2.* Materia informis. *3.* Anima *Adæ*. *4.* Cœlum Empyreum. *5.* Primum nunc temporis. 6. Tria elementa. 7. Lux, pro igne.

Memb. 3. Nec mundum incœpiſſe eſſe, quaſi capiendo eſſe nouum in priori materia: ſed capiendo in ſe eſſe ex non eſſe, in primo Nunc.

QVÆSTIO 15. *De localitate creaturæ.*

Mem. 1. De quadam locali finitione, non circumſcriptione cuiuſuis creaturæ.

Memb. 2. De commenſuratione corporum, non ſpirituum, ad locum.

Memb. 3. De impoſſibili illimitatione locali creaturæ: ſed poſſibili independentia à loco.

QVÆSTIO 16. *De pulchritudine vniuerſi.*

Memb. 1. Idem eſt pulchrum & bonum: ſed bonum vt cauſa finalis, ſeu appetibile; pulchrum vt cauſa formalis, ſeu ſpecies viſibilis interiùs aut exteriùs. Ex *S. Dion. de diu. Nom.* Nec obſtat quòd, ex eodem ibidem, omnia affectent decorum & bonum: quia etiam intellectus & viſus dicitur appetere decorum, vt proprium delectabile.

Memb. 2. Pulchrum dicitur in ſeipſo: aptum verò, vt conueniens alteri.

Memb. 3. Malum culpæ vt tale non eſt pulchrum, ſed deforme: huiuſque malitia eſt deformitas; ſed poſſet dici pulchrum, in ordine, vel potiùs eius ordo eſſe pulcher. Malum autem pœnæ poſitiuum eſt abſolutè pulchrum & bonum: ſed priuatiuum, eſt pulchrum in ſuo ordine. Denique omnia quantumuis monſtruoſa & deformia, ſunt pulchra quatenus ſunt, non quatenus deficiunt, ſed ſunt ad decorem vniuerſi.

Memb. 4. Pulchritudo non poteſt augeri vel minui in vniuerſo, ſecundùm formam totius, ſed partium: nec quoad eſſe, ſed benè eſſe.

Memb. 5. Colligitur mundi pulchritudo ex Modo, Specie, & Ordine rerum permanentium & tranſeuntium.

Memb. 6. *Art. 1.* Mala culpæ non conferunt ex ſe ad pulchritudinem vniuerſi: ſed mala pœnæ, vt ſæpè ſupra. *Art. 2.* Nec bona corruptibilia, quoad defectum: ſed ſucceſſionem & ordinem inter ſe. *Art. 3.* Nec mirabilia ante lapſum: ſed ad eius reparationem ac perfectionem. *Art. 4.* Nec Chriſti Incarnatio & Sacramẽta, ad primã pulchritudinem vniuerſi in ſtatu innocentiæ: ſed ad decentiſſimam eius reparationem.

QVÆSTIO 17. *De ordine vniuerſi.*

Memb. 1. Ordo ex *B. Aug. 19. Ciu.* eſt parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. Sumendo hîc locum etiam pro ſtatu quodam ſpirituali.

Memb. 2. Omnia ſunt à Deo ordinata manifeſtè vel occultè.

Memb. 3. Omnia ſunt ordinata ad hominem .i. ad eius neceſſitatem, & completam perfectionem beatitudinis referuntur. Vis autem primi mobilis eſt etiam ſuo modo finis, vt cauſa cui omnia ſubordinantur.

Memb. 4. Ordo eſt inter paria & diſparia ſimul: quia nulla ſunt tam paria quin ſint aliquo modo diſparia. Cùm enim ſint plurimi modi prioris & poſterioris: omnes pertinent ad ordinem vniuerſi; ſed ille potiſſimùm quo omnia plùs minùſue diſtant à primo principio.

Memb. 5. Cauſa efficiens ordinis, eſt Potentia, Sapientia, & Voluntas Dei: ſed appropriatur ſapientiæ. Cauſa finalis, non eſt ſola perfectio intrinſeca vniuerſi: ſed potiùs Deus ipſe à quo totus ordo dependet, & in quo ſiſtitur ac quieſcit. *Ex B. Aug. de Gen. ad litt.*

QVÆSTIO 18. *De perfectione vniuerſi.*

Memb. 1. Non dicitur perfectum cui nil addi poſſit, nec quod habeat ſuum finem perfectionis: ſed cui nil deſit ex partibus ſibi conuenientibus, vel extra quod nihil ſit.

Mem. 2. Perfectio vniuerſi non eſt ex malis, vt ex partibus: ſed vt ſæpè ſupra.

Mem. 3. Maiora & minora bona non ſunt de perfectione regiminis, ſed integritatis Vniuerſi.

Memb. 4. Perfectio huius mundi non conſiſtit in quadam anima totius: ſed vel intrinſecè in natura primi cœli, vel extrinſecè in vi aſſiſtente primi motoris. *Ex B. Aug. 1. Retr.*

Mem. 5. Conſiſtit actu, in indiuiduis exiſtentibus: virtute, in vi generica & ſpecifica multiplicandi indiuidua.

Memb. 6. Partes meliores mundi non ſunt imperfectæ reſpectu totius: quia non recipiunt vllam perfectionem à toto &c.

Digitized by Google

QVÆSTIO 19. *De Angelis in fieri.*

Memb. 1. Non ſunt creati ante: ſed ſimul cum primis corporibus. Ex *B. Aug. de gen. ad lit.* ſub nomine *Lucis.*

Memb. 2. Quidam dicunt fuiſſe priùs temporè vel naturâ creatos in naturalibus, deindè conditos in gratuitis: ex *B. Aug.* 12. *Ciu. in Gen. ad lit.* de natura Angelica priùs informi, deinde formata. Alij ſuſtinent non fuiſſe conditos in gratia gratum faciente: ſed habuiſſe gratiam gratis datam ad illam acquirendam; idemque dici poſſe de primo homine. *Ad vlt.* Videtur meliùs dictum quòd Angelus nunquam habuerit gratiam gratum facientem: quia per eam conuerſus ad Deum, non fuiſſet auertibilis, &c.

Memb. 3. De loco creationis eorum. *Art.* 1. Non neceſſariò corporali, ad eorum exiſtentiam: ſed congruè ad eorum ordinem, & miniſterium in hoc vniuerſo. *Art.* 2. Quo loco? *Reſp.* In ſupremo cœlo Empyreo, ab ignis fulgore, non calore. Ex *B. Aug. Iſid. Damaſc. Strabone. Ad* 1. *ex Eſ.* 14. Aſcendam in cœlum .i. de præſumptione ſpirituali. *Ad* 2 *ex Aug.* 3. *de gen.* loquitur ex opinione Philoſ. de Demonibus aëreis: & ſub dubio, *fortaſſe*, inquit, &c. *Art.* 3. Cœlum repletum fuit Angelis, ait *Beda & Strab.* i. non repletione locali: ſed numero integro, ſufficiente, & ad Deum ordinato.

QVÆSTIO. 20. *De ſubſtantia Angelorum.*

Memb. 1. Sunt Angeli. 1. Ex S. Script. 2. Ex integro ordine, & ſubordinatione creaturarum ad Deum, &c.

Memb. 2. Quid ſint? *Art.* 1. Ex *S. Dion. de diu Nom.* Sunt lumen ſpirituale ex natura & gratia. *Art.* 2. Videtur quòd ſint quid compoſitum ex materia & forma. Aut ſi ſunt ens per ſe ſine materia: habent compoſitionem ex *Quo* eſt, & *Quod* eſt. *Ad vlt.* Non eſt eadem materia corporalium & ſpiritualium: vt infra, de operibus 6. dierum.

Memb. 3. Quid ſint definitione? *Art.* 1. Ex *Damaſc. lib.* 2. *c.* 2. Angelus eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis, ſemper mobilis, ſemper arbitrio libero Deo miniſtrans, ſecundùm gratiam non naturam recipiens immortalitatem. Quæ Defin. non eſt ſolius Eſſentiæ per genus & differentiam: ſed etiam per potentias, actus, & perfectionem naturæ, gratiæ, & gloriæ. *Ad* 1. & 2. Dicitur, *ſemper mobilis* .i. promptè ex ſeipſis. *Ad* 6. Angeli ſemper miniſtrant .i. virtute, officio, voluntate. *Ad* 7. Dicuntur immortales gratiâ non naturâ .i. immutabiles in bono.

Art. 2. Ex *S. Dion. diu. Nom. c.* 6. Angelus eſt imago Dei, manifeſtatio occulti luminis, Speculum purum, ſplendidiſſimum, &c. Eſt *imago*: non propriè & ſimpliciter, vt Filius: ſed communiter & ſuo modo .i. vt anima, ad imaginem Dei. Definitur autem hîc per tria neceſſaria ad contemplationem Dei. 1. Per potentiam ſeu capacitatem imaginis Dei. 2. Per lumen intellectuale, manifeſtans lucem occultam Dei. 3. Per ſpeculum, ſeu ſpeciem Dei ad hoc neceſſariam & impreſſam. Differt ab anima, maiori horum perfectione, &c. Alia verſio addit, *ſpecificans benignitatem ſilentij, &c.* .i. incomprehenſibilem, Dei.

Memb. 4. De perſonalitate Angeli. *Art.* 1. Eſt perſona: quia per ſe ſingulariter ſubſiſtit. *Ad Arg. vt p.* 1. *q.* de perſona, &c. *Art.* 2. Non ſunt diſtincti origine: ſed abſolutâ, naturali & perſonali ſingulorum qualitate perſpicuæ intelligentiæ, & liberæ voluntatis, conſequente ſimplicitatem eſſentiæ. *Ad* 2. Multiplicatio Angelorum vt & animarum, eſt ad multiplicem fruitionem Dei. *Ad* 6. Licet haberent parem perſpicacitatem, &c. differrent proprietate perſonali ſeipſis. *Art.* 3. De 4. attributis Angelorum. 1. Simplicitate eſſentiæ. 2. Diſcretione perſonali. 3. Forma ſapientiæ. 4. Poteſtate voluntatis liberæ. *Ad* 3. *Arg.* Simplicitas illa non repugnat huic diſcretioni. *Ad* 5. Compoſitio Perſonæ in Angelo eſt maior quàm ex *quo & quod*: nec eſt tamen illa ſine hac. *Ad vlt.* Præter perſpicuitatem, eſt alia diſtinctio Perſonæ à Perſona in ſeipſa.

Memb. 5. De differentia eſſentiali ab Anima: Naturaliter, quòd Angelus ſit ſubſtantia ſeparata à corpore, anima naturâ ſuâ vnibilis corpori. Logicè, quòd Angelus ſit ſubſtantia incorporea intellectualis ſimpliciter; anima rationalis, conferendo, inferendo, &c. Metaphyſicè, quòd Angelus ſit intellectualis independenter à phantaſmatibus, animâ dependenter: Theologicè, quòd Angelus natura ſua ſit reſolutionis immutabilis, anima mutabilis.

Memb. 6. De differentia Angelorum inter ſe. *Art* 1. De differentia ſpecifica: ex differentia ordinum & officiorum, quæ non congruerent inter pares ſpecie. *Art.* 2. De differentia & pluralitate numerica, ſub eadem ſpecie: quia quò natura eſt perfectior, eò pluribus communicabilior. *Ad* 1. Pluralitas indiuiduorum materialium, eſt ex diuiſibilitate, corruptibilitate, & neceſſitate conſeruandi ſpeciem: Sed in Angelis, ex perfectione naturæ intellectualis, & ad maiorem communicationem beatitudinis. *Art.* 3. De cauſa tantæ multitudinis Angelorum, ex *Dan.* 7. *Iob.* 25. *Matt.* 26. Ad huius totius vniuerſi, & omnium quæ in eo ſunt, congruam adminiſtrationem, ex *B. Aug. de Gen. ad litt.* Et maximè ad decentem aſſiſtentiam ſeu contemplationem Dei. Porrò quantuſcumque ſit eorum numerus: eſt tamen finitus, & ipſis Angelis certus, ex *B. Aug. cap.* 49. *Enchir.*

QVÆSTIO 21.

De potentia & actibus Angelorum in genere.

Memb. 1. Potentia in Angelis non eſt penitùs idem quòd eſſentia: poteſt tamen dici idem, vt in anima rationali; quia ſeipſa poteſt.

Memb. 2. Non eſt ſemper in actu coæuo: ſed nunquam ſine aliquo actu intelligendi & volendi.

Memb. 3. Sunt plures potentiæ in Angelis: non vnica ſimpliciſſima.

QVÆSTIO 22. *De potentia cognitiua Angelorum.*

Memb. 1. Non eſt ſenſitiua, vt hodiè diſtinguitur ab intellectiua: quia eſt ſpiritualis & independens à corpore; ſed eſt intellectiua etiam experimentalis ſenſibilium. *Ad* 2. Angelus non patitur ab igne per ſpeciem ſenſibilem & ſenſum caloris: ſed per eius ſpeciem intelligibilem & intellectum. *Ad* 4. Intellectus Dæmonum dicitur Phantaſticus: non ab eorum phantaſia, ſed ab errore.

Digitized by Google

Memb. 2. Intellectus Angelicus non eſt propriè rationalis, à ratiocinando : ſed à ſimplici intelligentia. Poteſt quidem ex notis ignota cognoſcere: non tamen inquiſitione rationis ; ſed coniecturâ, vel reuelatione.

Memb. 3. Non eſt intellectus Agens & Poſſibilis, vt humanus dependenter à Senſibilibus & Phantaſmatibus : ſed ex ſe ſolo, vel nonniſi à ſuperioribus.

Memb. 4. Non eſt ſpeculatiuus & practicus : à ſpeculo ſenſibilium, aut à praxi diſcenda ; ſed à cognoſcendo & mouendo ad opus bonum.

QVÆSTIO 23. *De modis cognoſcendi.*

Memb. 1. Cognitio Angelica dicitur *Matutina*, vt eſt ipſius Dei, & rerum in prima luce Verbi Diuini : *Veſpertina*, vt eſt rerum in proprio genere, ſeu in ſeipſis aut ſuis proprijs ſpeciebus, quaſi in quadam vmbra ſeu defectu lucis. Ex *B. Aug. in* 1. *Gen.* qui & illam vocat diurnam. 4 *de Gen. ad lit.* & 11. *ciu.* 29.

Memb. 2. Matutina non eſt naturalis : ſed Veſpertina, ſiue creaturæ in ſe, ſiue Creatoris ex ſolis creaturis.

Mem. 3. De ſufficientia huius diuiſionis: ex M. 1.

Memb. 4. Quæ ſit potior ? *Reſp.* Matutina : quia hæc eſt clarior, certior, diſtinctior, &c. in ipſis rerum idæis, &c.

Memb. 5. An cognitio ipſius Verbi ſit matutina ? *Reſp.* Quòd ſic. ex *B. Aug. Epiſt. ad Oſorium :* quia vt res in Verbo ſunt ipſum Verbum ; ſic videntur in Verbo, videndo Verbum.

Memb. 6. An Dæmones habeant adhuc cognitionem veſpertinam. *Reſp.* Quòd non : quia & veſpertina eſt ex quadam illuminatione Dei. Niſi extendatur ad omnem cognitionem naturalem, ex ſolis ſpeciebus concreatis.

QVÆSTIO. 24. *De cognoſcibilibus ab Angelis.*

Memb. 1. An Angelus cognoſcat Deum per medium, vel ſine ? *Reſp.* Sine medio ex parte Dei: ſed ex parte ſui, mediâ aliquâ aſſimilatione naturæ, gratiæ, vel gloriæ.

Memb. 2. Quomodò vnus Angelus cognoſcat alium ? *Reſp.* 1. Per aliquem effectum alterius. 2. Per ipſas ſacras Script. 3. In Deo viſo, ſeu videndo Deum. 4. Per ſpeciem, non tàm innatam, quàm acquiſitam, vel acceptam ab alio : quia in Angelo *eſt natura dandi formas intelligibiles, & recipiendi eas ab alio*, vt in Anima. Nam in eis eſt natura ſpeculi ad recipiendum, & luminis ad dandum, ſuperinfluente primo lumine. Dicimus ergo quòd vnus Angelus cognoſcit alium per eius ſpeciem : non eſſentialem quæ ſemper manet in primo ſubiecto ; ſed per eius ſimilitudinem, quam Angelus cognoſcens accipit, & ſibi dat ; non vt in intellectu humano, per abſtractionem ſpiritualiorem, ſed ad coniunctionem neceſſariam cognoſcenti. Concedimus etiam quòd non ſufficit Angeli præſentia: ſed requiritur conuerſio ipſius cognoſcentis ſupra cognitum, accipiendo eius ſimilitudinem. *Ad* 1. Intellectus Angelicus eſt etiam Poſſibilis quoad receptionem ſpecierum intelligibilium. *Ad* 2. Non poteſt agere par in parem vel ſuperiorem : niſi ex virtute ſupereffluente, vt ſupra ; vel cognoſcere non eſt agere in obiectum, nec cognoſci eſt pati ab altero. Hinc poteſt vnus Angelus cognoſcere alium : & in Verbo, & in ſeipſo per ſpeciem innatam, & in genere proprio per acquiſitã.

Memb. 3. Quomodò cognoſcant corporalia ? *Reſp.* Non recipiendo ſpeciem ſibi impreſſam à corporibus : ſed ipſam ſpeciem corporum ſimilitudine ſpirituali illuſtrando, vt lux ſpecies colorũ.

Memb. 4. Quomodò cognoſcant ſeipſos, ac ſuos habitus naturales & gratuitos ? *Reſp.* Per proprias ſpecies : non tamen diſtinctas à rebus ipſis ; ſed Mali, virtutes tantùm ſpeculatiuè per ſpecies innatas, Boni autem etiam practicè.

QVÆSTIO 25. *De præuidentia Angelorum.*

Memb. 1. An Boni præuiderint ſuam perſeuerantiam ? *Reſp.* Non præuidiſſe, nec fuiſſe ex tunc Beatos ſimpliciter, ex *B. Aug. ad Oroſium, &* 11. *Ciu.*

Memb. 2. An mali fuerint præſcij ſui lapſus futuri ? *Reſp.* Quòd non : ex *B. Aug. de corrept. & gratia* ; quia fuiſſet nimia pœna ante culpam.

Memb. 3. Quo ſenſu ait *S. Aug.* Non potuit Lucifer eſſe præſcius ſui caſus : quia Sapientia eſt fructus pietatis ? *Reſp.* Nec potuiſſe decenter ex Dei reuelatione ; nec vlla pia ſapientia, ad fructum pietatis.

QVÆSTIO 26. *De arcanis cognoſcibilibus.*

Memb. 1. An Angeli præſciuerint myſterium Incarnationis, & humanæ Redemptionis ? *Reſp.* Non omnes, ſed quidam : vel in Verbo, non in genere proprio. Ex 1. *Tim.* 3. *B. Aug.* 5. *de gen.*

Memb. 2. De cognitione Angelica, rerum naturalium: Vniuerſalium quidem, per ſpecies innatas potiùs ab initio, quàm ſuper additas; ſed ſingularium, per ſpecies ab eis quantumuis diſtantibus acceptas. Cùm lux appareat ab Oriente in Occidentem.

Memb. 3. De cognitione naturali eorum quæ ſunt liberi arbitrij : per quædam ſigna in nobis ſenſibilia vel intelligibilia, non tàm ſimplicia & ſecreta quâm ſunt ipſæ voluntates. Ex *B. Aug.* ſed ſub dubio de ſignis ſenſibilibus, non de intelligibilibus, 2. *Retract.* 56.

Memb. 4. An naturaliter potuerint ab initio cognoſcere futura ? *Reſp.* Non libera, niſi coniecturis : ſed naturalia, ex ſuis cauſis, Beati autem etiam in Deo.

Memb. 5. An naturaliter cognouerint Deum incarnatum ? *Reſp.* Potuiſſe cognoſcere ex ſignis Omnipotentiæ : ſed nec omnes bonos ab initio plenè cognouiſſe per gratiam ; nec malos, niſi per coniecturam, & experientiam pœnalem. Ex 1. *Cor.* 2. & *B. Aug.* 9. *Ciu.*

Memb. 6. De velociore cognitione Angelica, quàm humana. Ex *B. Aug. l.* 4. *in Gen.* Si oculorum acies celeritate tantùm poteſt : quid acies mentis humanæ ? quantò magis Angelicæ ? quid autem ipſius Sapientiæ, &c ? *Ad* 1. Intellectio humana dicitur celerrima : non ſuperlatiuè, ſed intenſiuè .i. tempore imperceptibili. Nam *S. Aug. ad Oroſium :* Spiritus diuinus mouet creatum, non per locum, ſed per tempus, &c. Vis intellectus Angelici eſt celerior intenſiuè : quia independens à corpore. *Ad* 2. Differentia celeritatis eſt imperceptibilis ſenſu, ſed ratione. Hinc videtur humanam

Digitized by Google

manam naturalem eſſe in tempore imperceptibili: Angelicam in inſtanti.

QVÆSTIO 27. *De locutione Angelica.*

Memb. 1. An ſit? *Reſp.* Eſſe, ad Deum, inter ſe, & ad animas.

Memb. 2. An ſit vnius modi ſeu rationis. *Reſp.* Non finaliter: quia non ad ſignificandum Deo; ſed formaliter, ſecundùm priùs & poſteriùs, vt eſt expreſſio cogitationis aut deſiderij, vel ſolùm coram Deo vt omnia ſciente, vel vt directa ad alios aliquo indicio.

Art. 1. An locutio Dei ad creaturas intellectuales, & harum ad Deum, ſit æquiuoca? *Reſp.* Eſſe quaſi æquiuocam: quia loquens Deo nil ei imprimit, ſed ipſe nobis; nec expreſſio eſt vniuoca.

Art. 2. An Deus loquatur creaturæ rationali per ſe, vel per Angelum, vna eademque locutione, vel diſtincta? *Reſp.* Deum nunc loqui per ſe, nunc per Angelum: eadem locutione, vt primi mouentis, & proximi.

Memb. 3. Quid ſit locutio inter Angelos? *Reſp.* ex *Damaſc.* Quòd ſit communicatio intelligentiæ, vel conſilij: dando aliquam ſimilitudinem ſuæ intelligentiæ alteri.

Memb. 4. An locutio Angeli ſit idem quòd viſio? *Solutio.* Angelus habet potentiam cognoſcendi, vel afficiendi circa cognitum, & poſt manifeſtandi cognitum & affectum, ſiue potentia ſit vna, ſiue non: Cùm hi actus ſint differentes & ordinati naturaliter; quia primò eſt cognoſcere, 2. affici, 3. manifeſtare. *Ad Aug. de Trin.* Vis & actus audiendi & videndi in nobis, differunt organis: non ſic de intellectu.

Memb. 5. An locutio ſit omnium Angelorum, vel tantùm ſuperiorum? *Solutio.* Eſt omnium ex natura: ſed ſuperiorum, ex gratia, ad illuminandos inferiores.

Memb. 6. An fiat per ſignum medium? *Reſp.* Concedimus quòd ibi eſt nutus ſpiritualis, ex *Gloſſ. in* 1. *Cor.* 13. Ad hoc notandum, quòd in Angelo 1. eſt ſpecies intelligibilis in intellectu. 2. in affectu. Ex hoc affectu mouetur intellectus ad alijs manifeſtandum. Vnde ſpecies prout ſic eſt ſub voluntate manifeſtandi, dicitur Verbum, &c. prout eſt in actu manifeſtandi, dicitur nutus, &c. nec differt verbum & nutus, niſi hâc & illa ratione. *Ad Arg.* Vox eſt vehiculum verbi noſtri interioris ad auditum alterius, nutus ad viſum. Vt lux corporalis habet vim ſe manifeſtandi & multiplicandi: ſic ſpiritualis, ſi adſit voluntas.

Memb. 7. An Angelus loquens imprimat audienti velit nolit: vel nonniſi conſentienti? Et, an neceſſaria ſit aliqua propinquitas? *Ad* 1. *Reſp.* Loquens per gratiam, poteſt conuertere audientem ad attentionem: ſed non loquens per naturam. *Ad* 2. Diſtantia vel propinquitas localis nihil facit ad hanc locutionem ſpiritualem extra corpora: ſed in corporibus aſſumptis.

QVÆSTIO 28. *De potentia motiua interiori.*

Memb. 1. An ſit in Angelis Synderesis? *Reſp.* Quòd ſic, quoad vim naturalis iudicatorij, & ſcientiam ac remorſum & pœnam conſci. ntiæ: non autem ad pœnitentiam.

Memb. 2. An ſit in eis voluntas naturalis? *Reſp.* Quòd ſic: vt infra, de dilectione naturali.

QVÆSTIO 29. *De libero Arbitrio, Ratione, & vi concupiſcibili ac iraſcibili.*

Memb. 1. De libero Arb. *Art.* 1. An ſit in Angelis? *Reſp.* Eſſe naturaliter in omnibus liberum à coactione: non iam quoad flexibilitatem ad malum in bonis, nec ad bonum in malis. *Art.* 2. Quid ſit in Angelis? *Reſp.* *Ex Aug.* Eſt facultas voluntatis, & rationis .i. intellectus. *Ex Anſelmo:* Eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem propter ipſam. Quæ eſt in Dæmonibus: vt potentia videndi, etiam deficiente viſibili. *Art.* 3. An ſit æquale in Angelo & homine? *Solutio.* Libertas à coactione ſeu neceſſitate, eſt æqualis in omnibus: ex *S. Bern. de lib. Arb.* ſed libertas à peccato & miſeria, eſt maxima in Angelo bono, minor in homine bono, minima in homine malo, nulla in Dæmone. *Ad* 1. Voluntas perfectioris naturæ, eſt perfectior ad actum ſuum vt naturalis eſt: ſed non vt libera eſt à coactione; ſeu in volendo quod vult. *Ad reliqua.* In homine eſt maior mutabilitas: ſed non maior libertas; quia hæc eſt perfectionis, illa imperfectionis. *Art.* 4. An ſit vel fuerit æqualis vertibilitas in homine & Angelo? *Reſp.* Quod non: quia anima vt vnita vel vnibilis corpori, eſt excuſabilior, & conuertibior à malo in bonum. *Art.* 5. An libertas à coactione inſit Angelo ſecundùm ſe, vel ſecundùm voluntatem. *Reſp.* Secundùm voluntatem: Et licet priùs dicatur de Deo, quoad ſufficientiam ex ſe ad ſuum actum; æqualiter tam cum Angelo & homine, quoad non coactionem. *Art.* 6. An libertas ad bonum & malum ſit ex eodem principio. *Reſp.* Malum, non eſt propriè ex yllo principio: ſed ex defectu; nec ex poſſe, ſed non poſſe. *Art.* An Angelus primò inſtanti quo fuit, verſus ſit ad bonum vel malum? *Reſp.* Non niſi in priori & poſteriori inſtanti: vel diſcretis, & quaſi contiguis, vel potiùs diſtantibus aliqua morula, in qua vel mouebantur ſolo intellectu, vel naturali affectu, non gratuito. *Ad arg.* A motu cœli, &c. Non fuit eodem inſtanti; ſed ab illo incæpit. *Ad aliud.* A ſimultate cum eſſentia, & actus cum potentia non impedita: † negat vllum actum eſſe eodem inſtanti ſimul duratione aut natura cum ſua potentia vel eſſentia; quia actus ſupponit rem eſſe, nec poteſt eſſe omninò ſimul in Creatura.

Memb. 2. An Ratio ſuperior & inferior ſit in Angelis? *Reſp.* Quod non: quia hæc differentia non ſumitur ex quouis motiuo ſuperiori, & inferiori; ſed inferiori ex propria ſenſualitate, quæ non eſt Angeli. *Ad S. Dion.* De proterua phantaſia Demonum .i. de motu & motiuo erroneo boni apparentis.

Memb. 3. An vis concupiſcibilis & iraſcibilis ſit in Angelis? *Reſp.* Ineſſe naturaliter, quoad appetitum boni, & fugam mali: non autem quoad paſſiones turbidas & pœnales etiam Dæmonum poſt peccatum.

QVÆST. 30. *De dilectione naturali Angelorum.*

Memb. 1. De ea ante peccatum. *Art.* 1. Quæ & quot fuerint eis naturaliter diligibilia. *Reſp.* 1. Deus vt author & conſeruator naturæ. 2. Omnes Angeli,

Digitized by Google

Angeli, & homines, vt ſimilis naturæ intellectualis. 3. Quæ poſſunt participare Beatitudinem, vt animæ & corpora humana. 4. Quicquid habet rationem boni naturalis.

Art. 2. An dilectio naturalis ſit ordinata, & quis ſit ordo diligendorum? *Reſp.* 1. Eſt ſuo modo minùs perfectè ordinata: non autem contrariè inordinata, ſeù contra ordinem perfectum gratiæ & charitatis. 2. Angelus ante gratiam gratum facientem necdum diligens Deum ſuper omnia, non erat inordinatus contrariè: quia per illam ſic Deum diligeret. 3. Dilectio naturalis poteſt ſtare cum gratuita & vitioſa: quia illa eſt ſummi Boni propter ipſum, hæc creaturæ propter ipſam; ſed naturalis, eſt ſummi Boni propter diligentem; nec eſt media inter bonū & malum, ſed plus inclinat ad gratuitam quàm vitioſam.

§. 1. An & quomodo diligatur à ſeipſo? *Reſp.* Non dilectione amicitiæ ad alterum: nec dilectione concupiſcentiæ ad concupitum, ſed ad cui concupiſcitur.

§. 2. An Deus dilectione naturali plus diligatur quàm ipſe diligens? *Reſp.* Dilectione naturali concupiſcentiæ, nec plus nec minus: quia ſic condiligitur bonum concupitum, & cui concupiſcitur; ſed dilectione adhæſionis, illud plus diligitur quod eligitur & præfertur. *Ad* 1. Dilectio naturalis eſt ſumma Dei vt ſummi Boni concupiſcibilis: ſed ipſius diligentis, vt cui ſummè concupiſcitur; vnica tamen dilectione, quia ratio diligendi & obiecti dilecti non duplicant actum. *Ad* 2. Natura non eſt ſufficiens ad diligendum Deum ex toto corde &c. niſi ex gratia gratum faciente, & per gratiam priùs gratis datam. *Ad* 3. Angelus diligit naturaliter Deum vt maximè bonum ſibi: ſed non ſic pluſquàm ſe. *Ad* 4. Cognoſcit Deum eſſe maius Bonum ſe: non tamen ſic diligit concupiſcendo; niſi dilectio gratuitè conformetur cognitioni. *Ad* 5. Affectus non eſt naturaliter ſatis diſpoſitus, vt ſic moueatur à ſummo bono. *Ad* 6. Potentia ſic inclinatur ad obiectum: ſed non poteſt ex ſe ſic exire in actum. *Ad* 7. Natura poteſt diligere creaturam propter ſe: non tamen Deum propter ſe, niſi ex gratia; quia poteſt ex ſe deficere, non perfici. *Ad reliqua.* Angelus eſt ratio concupiſcendi Deum ſibi: non autem concupiſcit ſeipſum ſibi.

§. 3. An vnus Angelus diligat naturaliter alium vt ſeipſum? *Reſp.* Vt ſe .i. ſimiliter, non æqualiter.

§. 4. An Angelus diligat naturaliter hominem quoad corpus & animam, vt ſeipſum vel alium Angelum? *Reſp.* Non vt naturaliter ſimile diligit ſuum ſimile: ſed vt homo eſt capax eiuſdem beatitudinis quoad animam, inferioris quoad corpus.

Art. 3. An dilectio naturalis Dei propter ipſum diligentem, ſit fruitio ſuiipſius? & an hæc dilectio ſit idem quòd mercenaria? *Ad* 1. *Reſp.* Non eſſe fruitionem ſuiipſius: quia non vt propter finem, ſicut fruitio; ſed propter rationem ex parte ſubiecti inclinantem à natura ad talem actū. *Ad* 2. *Arg.* Amor naturalis ſui, eſt ſuæ vitæ, ſuæ perfectionis, intelligentiæ &c. ſed amor vitioſus ſui, eſt ſuæ propriæ excellentiæ, voluntatis, proprietatis &c.

Ad 3. *Arg.* Angelus diligens ſe .i. ſuum eſſe.

Ad 2. Dilectio naturalis eſt à natura: mercenaria, propter propriam ſalutem, eſt ex gratia. Non *propter* finem ipſius Dei: ſed quo diligens in Deum quieſcat, & beatificetur.

Mem. 2. An ſit adhuc dilectio naturalis in Angelis Beatis? *Reſp.* Amor Patriæ videtur euacuare omnem naturalem reflexū ad ſe: perficere autem non reflexum ad ſe, ſi quis ſit. *Ad* 1. Gratia & gloria non corrumpit naturam, ſed perficit. *Ad* 2. Angelus adhuc miniſtrans, vt cognitione veſpertina, ſic & vti poteſt dilectione naturali circa inferiora: poſt autem, totaliter diliget Deum.

Mem. 3. An ſit adhuc in Dæmonibus? *Reſp.* Ineſſe adhuc habitu, non actu: ex oppoſita malitia actuali. Hinc *ad* 1. Cognitio Dei ad hoc non ſufficit, in contrarium. *Ad* 2. & 3. Videtur quòd dilectio actualis ſui eſſe nunquam tollatur à natura; ſed qui volunt mortem, vellent eſſe ſine miſeria.

QVÆSTIO 31. *De dilectione electiua, ſiue libera.*

Memb. 1. An hæc ſit in Angelis? *Reſp.* Eſſe: non ex moroſa deliberatione, ſed prompto iudicio proprio, aut etiam conſilio alieno.

Mem. 2. Qui ſic diligant Deum? *Reſp.* Non mali, ſed boni: nec vt Deum in ſe, quia vt ſic dilectio Dei eſt determinata, non electiua; ſed vt Creatorem, Rectorem, Glorificatorem.

Mem. 3. An ſic boni diligant Deum propter ipſum & præ ſeipſis? *Reſp.* Non ex cognitione Deiformi, & charitate vt forma, nec vt bonum beatificum: quia vt ſic non poteſt cognoſci nec diligi niſi ex gratia; ſed vt ſummum Bonum in ſe, quod ratio vt ratio & voluntas vt libera poteſt velle, non natura concupiſcere, niſi reflexè.

Memb. 4. An ſic diligant ſeipſos & alios. *Reſp.* Quòd ſic: quia poſſunt ſic iudicare & liberè velle. *Ad* 1. Dilectio gratuita non eſt niſi vt alterius: quia non eſt amor proprius & priuatus; ſed & diligens ſuum eſſe & vitam, diligit aliud à ſe. *Ad* 2. Vt eadem bonitas Dei, in ſe eſt ratio dilectionis gratuitæ, ſed quatenus benefica, mercenariæ: ſic identitas naturæ vt talis, eſt ratio dilectionis naturalis; vt ratione iudicata, electiuæ. Deinde conformis capacitas Dei vt ratione cognita, eſt diligibilis electiuè: vt perfectè cognita, gratuitè.

QVÆSTIO 32. *De localitate Angeli.*

Mem. 1. An ſit in loco corporali? *Reſp.* Contineri & definiri loco: non ex natura propria loci aut Angeli; ſed ex natura propria ſolius Dei continēdi omnia & eſſendi vbique, ſuo modo finito communicatâ huic vniuerſo & Cœlo ad continendum Angelos, independenter tamen ab illo in eſſe aut conſeruari, ſed tantùm quoad determinationem & limitationem præſentiæ. Poſſet tamen dici non eſſe in loco, niſi vt præſens loco. Notat hanc eſſe magnam difficultatem, videturque reprobare eſſe in loco per ſolam operationem: quia nec per ſpiritualem, nec per corporalem, niſi ſub eadē difficultate.

Memb. 2. An poſſit eſſe vbique ſimul? *Reſp.* Eſt quidem ex ſe indifferens ad omnem locum: ſed neceſſariò determinatur ac limitatur ad aliquem.

Memb. 3. An poſſit eſſe ſimul in pluribus locis? *Reſp.*

Digitized by Google

Reſp. Non per eſſentiam in pluribus diſtantibus: ſed per operationem. *Quomodo*, inquit, *poteſt intelligi Damaſc. quod ſit vbi operatur? Ad Arg.* Anima vnitur formaliter corpori in vnam naturam: non ſic Angelus Cœlo, imò nec natura humana Verbo; ideoq; nec hæc ſunt ſibi adęquatè pręſentia, vt illa.

QVÆSTIO 33. *De motu Angeli.*

Memb. 1. An moueatur de loco ad locum? *Reſp.* Moueri: non ex ſua aliqua ſpeciali imperfectione, ad eam perficiendam; ſed ex ſua finita perfectione præſentiæ & virtutis.

Memb. 2. An neceſſariò per medium? *Reſp.* Non per medium vt ſibi commenſuratum: ſed vt inter terminum à quo, & ad quem; quia hoc eſt de ratione motus localis. *Ad 1.* Nec eſt illuminatio niſi per medium: nec lux eſt tota in toto vt Angelus, ſed pars in parte. *Ad 2.* ex *B. Aug.* Deus non mouet ſpiritus per loca, ſed per tempora: non de motu exteriori & locali, ſed interiori mentis.

Memb. 3. An per ſe, vel per corpora aſſumpta? *Reſp.* Per ſe, abſque vlla co-extenſione: per corpora aſſumpta co-extenſiuè ad alia.

QVÆSTIO 34.

De motu Angelorum in corpore aſſumpto.

Memb. 1. An habeant corpus proprium? *Reſp.* Quòd non: ſed ſit ſubſtantiæ prorſus incorporeæ & ſeparatæ. *Ad Arg. Aug.* non loquitur ex propria ſententia, ſed Platonicorum.

Mem. 2. An indigeant corporibus aſſumptis? *Reſp.* Non propter ſe, ſed propter nos: ad effectus aliquos corporales, ſeu ad imprimendũ aliquid noſtris ſenſibus; non autem *intellectui aut imaginatiuæ*.

Memb. 3. Quid ſit aſſumere corpus? *Reſp.* Eſt ſibi, vt motori, quaſi vnire, ad ſui vel Dei manifeſtationem.

Mem. 4. Vnde aſſumant? *Reſp.* Non ex cœlo: ſed ex æthere, ſeu aëre ſuperiori condenſato; dæmones autem ex inferiori.

Mem. 5. An aſſumant ea organizando? *Reſp.* Non quoad formam vltimam: ſed præparatoriè.

Mem. 6. De vſu vero, non phantaſtico: nec tamen ad actus propriè vitales, ſed ad finem aſſumpti corporis. *Ex B. Aug. 13. Ciu.*

Mem. 7. A quo fierent illæ ſpecies in quibus Deus olim apparebat? Et cur ante diluuium in ſeipſo apparebat, poſt per Angelos? *Ad 1.* A Deo, per miniſterium Angelorum. *Gal. 3. Ad 2.* Ex demerito peccatorum: vel ad præfigurandam Chriſtum vt magni conſilij Angelum.

QVÆSTIO 35.

De Actibus Angelorum in Corpore aſſumpto.

Mem. 1. An in eo ſentiant? *Reſp.* Non ſenſu corporali, ſed intellectuali: ſpeciebus ſenſibilibus in eo reſultantibus, vt in ſpeculo &c.

Mem. 2. An verè comedebant? *Reſp.* Verè quoad motum, & conſumptionem cibi: non quoad digeſtionem & incorporationem. Vt *Aug. 13. Ciu.* Poteſtate, non neceſſitate, &c.

Mem. 3. An moueant illud inſtantaneè? *Reſp.* Non, ſed tempore imperceptibili: ex vi motoris.

Mem. 4. An verè loquantur? *Reſp.* Non vitaliter: ſed verè quoad formationem vocum æquè articulatarum; vel per organa ſimilia noſtris, vel ſine.

QVÆSTIO 36. *De miſſione Angelorum.*

Memb. 1. An mittantur à Deo ſolo? *Reſp.* A Deo ſolo authoritatiuè: quamuis inferiores per ſuperiores; ſed non ſunt nec dicuntur Angeli, niſi Dei.

Memb. 2. An etiam mali mittantur à Deo? *Reſp.* Mitti à Deo, ad ſuam bonam intentionem, puniendi &c. non ad illorum malam, fallendi, nocendi &c. Ex *Iob. 1. 3. Reg. vlt. Matt. 7.*

Memb. 3. An mittantur ex omni Ordine? *Reſp.* ex *S. Greg. in Eſa. 6.* ſub dubio: ſed Alenſis videtur diſtinguere inter Miſſionem ad effectus exteriores, & ad interiores; vt illa ſit propria Angelorum & Archangelorũ ad nunciandum, hæc omniũ. Hinc omnes ſint adminiſtratorij Spiritus, *Hebr. 1.*

Memb. 4. Ad quid mittantur? *Reſp.* Propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis *Hebr. 1.* Sed ad exequendam in hoc voluntatem Dei.

Memb. 5. An ſinguli mittantur ad propria officia, vel omnes ad omnia? *Reſp.* Quædam eſſe eis propria, quædam communia: quædam ordinaria, quędam extraordinaria; ſed omnes eſſe promptos ad omnia. Hinc *Pſal. 103.* Facis Angelos tuos Spiritus .i. hos facis eſſe illos.

QVÆSTIO 37.

De præſidentia Angelorum inter ſe.

Mem. 1. An vnus alteri præſit ex naturalibus? *Reſp.* Non iure in alios, ſed perfectione naturæ.

Mem. 2. An vnus alteri præſit per gratiam? *Reſp.* Præeſſe ante iudicium, quamdiu à Deo ad hominum ſalutem mittuntur.

Memb. 3. An mali etiam præſint inter ſe? *Reſp.* Præeſſe etiam in pœnis: ex quadam inclinatione naturali, & ordinatione iuſtitiæ.

QVÆSTIO 38. *De reuelatione inter ſe.*

Mem. 1. An ſuperiores reuelent inferioribus? *Reſp.* Reuelare: ſed Deum ſolum perficere intellectum & affectum.

Mem. 2. An reuelent naturaliter? *Reſp.* Naturalia, naturaliter: reuelata, in Verbo, per gratiam.

Mem. 3. Quomodo fiat? *Reſp.* Per communicationem ſpeciei intelligibilis.

QVÆSTIO 39. *De præſidentia eorum in ſenſus noſtros ad imprimendas eis viſiones.*

Memb. 1. Poſſunt in ſenſus noſtros externos & internos: ſed nonniſi per alia actiua naturalia.

Mem. 2. Angeli Beati non poſſunt fallere nec falli.

Memb. 3. Ex *B. Aug. 12. in Gen.* Fiunt hæ viſiones ab Angelis: *Viſa ſua faciendo noſtra, & ineffabili modo informando ſpiritum noſtrum ſua viſione.* Non ſua propria viſione intellectuali: ſed quadam ſenſibili, ſenſui noſtro ad modum recipientis impreſſa. Vt *B. Aug. 12. in Gen. Ad 2.* Angelus excitat coniunctionem ſimilitudinum quæ ſunt in imaginatiua.

Mem. 4. Non fiunt niſi de occultis prouidentiæ.

QVÆSTIO 40. *De præſidentia Angelica in partem intellectualem animæ.*

Mem. 1. Poſſunt in eam diſpoſitiuè: ſed non efficaciter, ſine noſtro conſenſu: vel in intellectum, non in affectum liberum.

Mem. 2. Nõ poſſunt propriè immittere cogitationes: ſed

ſed *intendere* .i. excitare intellectum. *Memb.* 3. Non affectum,niſi diſpoſitiuè.

Memb. 4. Per ſpecies impreſſas phantaſiæ,vel *proprias viſiones intellectui noſtro immediatè communicatas*,vel tollendo quaſdam obſtructiones naturales aut diabolicas.

QVÆSTIO. 41.
De Cuſtodia Angelica.

Memb. 1. Angeli boni ſunt Cuſtodes hominum.*Matt.*18. *Hebr.*1. &c. *Ad* 1.2.3. Anima perficitur à ſolo Deo immediatè:ab Angelo diſpoſitiuè. *Ad* 4. Non vtimur Angelo vt inferiore: ſed vt Patrono & Superiore. Vtimur etiam omnibus bonis, vt medijs ad Deum.

Memb. 2. Habent id Angeli remotè ex perfectione naturæ : proximè, ex confirmatione in gratia & charitate.

Memb. 3. Vnus Angelus non eſt alterius cuſtos: quia boni non ſubſunt iam vlli periculo.

Memb. 4. per 4. *Art.*1. De cuſtodia Adami in ſtatu Innocentiæ. 2. Non propriè Chriſti : quia nec erat labilis, nec indigens, aut ſubditus illis. 3. Sed Paruulorum, ab ortu in vtero: quia ex tunc ſubſunt varijs periculis animæ & corporis; eorumque animæ *habent ex tunc actum etiam rationalem,quamuis nobis ignotum.*† Fortè de actu 1. proximo, vel ſimplici directo non reflexo. *Art.* 4. Ipſius etiam Antichriſti : ad præſeruationem à grauiori ſaltem culpa damnatione. *Ad* 1. *Damaſc.* non negat ei cuſtodiam,ſed *præſidium*, inquit, *Angelicum*

Memb. 5. Nunquam deſerunt in hac via ſuorum cuſtodiam. *Memb.* 5. *Art.* 1 Nec eam vnquam negligunt. *Art.* 2. Non poſſunt triſtari de futura ſuorum damnatione,nec diſſentire à voluntate Dei : ſed vel eis non reuelatur, vel non quoad quantitatem damnationis. *Art.* 3. Nunquam diſſentiunt in ſuorum cuſtodia: ſed *Dan.* 10. Princeps *Perſarum reſiſtit mihi*, *&c.* i. Angelus malus, ex *S. Greg.* vel etiam bonus, conferendo & referendo ad Deum merita populi.

QVÆSTIO. 42.
De præſidentia Angelorum ad miracula.

Memb. 1. Miraculum, ex *S. Aug. de vtil. cred.* eſt arduum & inſolitum ſupra ſpem & facultatem admirantis. Dicitur *Virtus*, à ſua cauſa : *Mirabile*, ei cui fit; *Signum*, à fine ſignificandi; *Prodigium*, à maiori ſigno futuri.

Memb. 2. Quæ ſint miracula? *Art.* 1. Non opera creationis & gubernationis : quia quamuis ſint maiora, non tamen inſolita. *Art.* 2. Nec propriè opus Incarnationis : quia non eſt contra vllum ſolitum curſum naturæ, ſed ſupra totam naturam. *Art.* 3. Nec formatio *Euæ* ex coſta *Adæ* : quia fuit ex vi aliqua ſeminali, quamuis non naturali, *ex B. Aug. 9. Gen.* *Art.* 4. Nec opus Iuſtificationis : quia nec inſolitum, nec ſine conſenſu, nec proprium omnipotentiæ, ſed miſericordiæ; nec ideò minùs ſed maiùs. *B. Aug. ibid.* *Art.* 5. Nec Reſurrectionis,& Glorificationis: quia hoc eſt ex inclinatione naturæ, & diſpoſitione gloriæ; ſed eſt mirabile ſupra naturam.

Memb. 3. Miracula non ſunt contra ſummam legem naturæ, quæ eſt ipſe Deus : nec contra poſſibilitatem naturæ ad Deum; ſed contra curſum ſolitum, nobiſque notum, naturæ. Fieri *ſupra*, propriè, eſt non eſſe ad hoc vllam vim naturæ : fieri *contra*, eſt modo contrario; fieri *præter*, eſt modo medio inter naturalem & contrarium. Vt, ex virgis vegetatiuis fieri ſerpentes ſenſitiuos, eſt præter naturam : ſed hos fieri ex illis, eſt contra.

Memb. 4. De cauſis miraculorum. *Art.* 1. De fine principali manifeſtandi ſapientiam Dei, in reducenda potentia obedientiali creaturæ ad actum : ſecundariò autem, ad Fidem & ſalutem. *Art.* 2. De ſolo Deo vt cauſa ſupernaturali : non per vllas cauſas ſecundas naturales. *Art.* 3. Circa ſolas formas rerum corporearum. *Art.* 4. De 6. modis. 1. Per tranſmutationem formarum immediatè. 2. Per eductionem. 3. Per multiplicationem. 4. Per conuerſionem. 5. Per nouum modum exiſtendi. 6. Per nouum ordinem contrarium.

Memb. 5. De ratione ſeminali, naturali, & cauſali omnium, *ex B. Aug. 6. in Gen.* *Art.* 1. Seminalis eſt, qua primò omnia facta ſunt ex terra & aqua, nunc autem ex 4. elementis, &c. *Art.* 2. Cauſalis, propriè eſt ſola efficiens : ſeminalis, eſt diſpoſitio materialis; naturalis, eſt diſpoſitio formalis & proxima. *Art.* 3. Cauſalis eſt ſupernaturalis ſoliùs Dei, *Art.* 4. Hæ ſunt immutabiles in Deo : mutabiles in primis operibus, in rebus indè factis, in elementis, in compoſitis. *Art.* 5. Eſt eadem potentia obedientiæ ad omnia opera Dei : ſed ad miracula tantùm paſſiuà, ad alia etiam actiuà. Hinc propriè & ſimpliciter non eſt verum, Serpentes poſſe fieri de virgis, &c.

Memb. 6. per tres *Art.* De impetratione miraculorum, ex fide primi Articuli diſponente, Spe & Charitate cooperante, & ad diſponendum vel confirmandum alios in fide, 1. *Cor.* 14.

QVÆSTIO. 43.
De falſis miraculis.

Memb. 1. Opera Magorum *Exod.* 17. erant verà opera mirabilia : *ex S. Aug. lib.* 83. *qq. & in Exod.* 7. vbi monet denominari virgam *Moyſis* deuoraſſe virgas Magorum, à principali vnde erant & in quod redibant; ſed non fuerunt miracula, nec quoad rem ſupra omnem vim naturalem cauſarum & ſubiectorum, nec quoad modum miraculoſum ſeu inſtantaneum, ſed mirabilem ſeu imperceptibilem.

Memb. 2. Dæmones nil poſſunt ad hæc, niſi celerrimè applicare actiua naturalia ſuis paſſiuis, ad effectus mirabiles.

Memb. 3. De præſtigijs & illuſionibus. *Art.* 1. Quædam fiunt ſola agilitate humana, quædam per alias cauſas naturales quæ faciunt res aliter apparere quam ſint, quædam agilitate & applicatione Dæmonum : ſed *Præſtigium* dicitur propriè illuſio circà ipſos ſenſus, & phantaſiam, per varias ſpecies, non impreſſas aut vnitas, ſed à Dæmonibus variè obiectas & pro rebus ipſis apparentes. *Art.* 2. Ex *B. Aug. lib.* 83. *qq.* Miracula fiunt aliquando per homines peſſimos : ne hoc donum putetur eſſe maius ipſa ſanctitate; ſed ordinariè Angeli boni plus poſſunt, ex gratia, non natura, quam Dæmones,

Digitized by Google

quibus non ſolet relaxari poteſtas, niſi circà infima naturæ. *Art.* 3. *Boni Chriſtiani*, vt ait *B. Aug. faciunt miracula per publicam iuſtitiam: mali, per ſolum ſignum huius iuſtitiæ*.i. Deus influit etiam in bonos per quos fiunt: non autem in malos, ſed tantùm in ſacra ſigna, per quæ fiunt.

Qvæstio 44. *De creatione corporalium.*

Memb. 1 Ex *B. Aug.* 10. *Conf. & alibi.* Omnia ſimul creata ſunt quoad materiam & formam: ex *S. Hier. Greg. & alijs, &c.* quoad ſolam materiam.

Memb. 2. Non eſt eadem materia Cœli & terræ quoad ſubiectum commune tranſmutationis, ſed formarum diſtinctarum.

Memb. 3. Omnia ſimul creata ſunt in vno *Nunc* æui: ſed ordinata ſucceſſiuè. Gen. 1. *In principio creauit, &c.* deinde, *fecit*, Gen. 2. *In die qua creauit Cœlum & Terram*, Eccl. 18. *Creauit omnia ſimul.*

Memb. 4. Prima creatio fuit ante omnem diem: ſed perfectio, *in die, &c.*

Qvæst. 45. *De creatione Cœli & Terræ, Gen.* 1.

Memb. 1. *In principio, &c.* i. In Filio ſeu Verbo ſuo, appropriatè; vel in initio temporis. *B. Aug.* 12. *Conf.*

Memb. 2. *Creauit Deus Cœlum & Terram* .i. ſaltem vtriuſque materiam primam.

Memb. 3. Vel nomine *Cœli & Terræ* ſignantur reliqua elementa media, vel nomine *Terræ*, tota materia elementaris. *Terra inanis & vacua* .i. ſine forma diſtincta & complente; *inuiſibilis* .i. ſine forma ſpectabili; *incompoſita* .i. ſine decentia; *abyſſus* .i. ſine candore lucis.

Memb. 4. *Erant tenebræ*.i. negatio lucis fiendæ.

Memb. 5. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* .i. Summa Dei bonitas diſtinguebat & ordinabat totam materiam.

Qvæstio 46.

De diſtinctione & ornatu omnium.

Mem. 1. Omnia ex tunc facta ſunt ſub aliqua forma: ſed necdum ſingula diſtinctè, in propria forma.

Memb. 2. Nec omnia ex tùnc in ſuo genere & ſpecie, ſed in ſuis cauſis.

Memb. 3. Nec omnia naturalia, niſi in ſuis principijs generationis.

Memb. 4. Vt *M.* 1.

Memb. 5. De *Luce*, vel intellectuali Angelorum, & *diebus* .i. diſtinctis eorum cognitionibus, *ex B. Aug.* Vel de *luce & diebus* corporalibus.

Art. 1. De primis diebus, à *luce* ſeu lucido corpore ante ſolem. *Art.* 2. Quòd prima lux facta ſit ſeparatione perſpicui ob opaco, illiuſque condenſatione. *Art.* 3. Quòd ex illo primo lucido facta ſint omna Luminaria Cœli. *Art.* 4. De vnico die ſpirituali, vel pluribus, ad litteram. *Art.* 5. De facta die, non nocte: quia nox non eſt niſi defectio lucis.

Qvæstio 47. *De opere primæ diei.*

Memb. 1. Eſt Cœlum Empyreum. 1. Ad complementum vniuerſi. 2. Ad congruum locum Beatorum Spirituum & hominum.

Memb. 2. Eſt verum corpus.

Memb. 3. Nec mouetur, nec mutatur: niſi in fine mundi; ad maius lumen.

Memb. 4. Dicitur *Cœlum* ab eminentia, & à continentia Beatorum, ac ipſius Chriſti, qui tamen eſt dignitate ſuprà: non autem à cælatura, nec à continentia aliorum corporum.

Memb. 5. Habet naturam communem Cœli luminoſi: ſed ſpecialem, vniformis ac immoti.

Qvæstio 48.

De luce corporali primæ diei.

Memb. 1. Quòd ab initio eius, motu continuo vſque ad veſperam facta ſit dies.

Memb. 2. Quòd facta ſit in loco ſolis: ad æqualitatem primorum dierum.

Qvæstio 49. *De Luce Spirituali.*

Memb. 1. Creatio naturæ Angelicæ ſignificatur nomine Cœli: eius autem illuminatio gratuita, per conuerſionem ad Deum, propriè nomine lucis creatæ; *quia lux ſpiritualis eſt propriè lux*. Aug. 11. Conf. & 4. in Gen.

Memb. 2. *Dixit Deus fiat lux, &c. & vidit* .i. placuit, *Diuiſit, &c.* i. diſtinxit. *Factum eſt veſpere, & mane* .i. cognitio Angelica rerum faciendarum, in ſeipſis, & in Verbo. *Dies, &c.* i. Cognitiones ſpirituales rerum factarum, *ex B. Aug.*

Qvæstio 50. *De opere diei* 2.

Memb. 1. De *aquis ſupra firmamentum*, quaſi cœlo quodam aqueo, ſeu cryſtallino: à materia, luce, & perſpicuitate, non ab alijs, proprijs aquæ.

Memb. 2. De eius forma orbiculari inter Cœlum Empyreum & ſydereum.

Memb. 3. De vtilitate Cœli aquei, ad conſeruationem omnium, *Qualibet aquæ ibi ſint, eas eſſe minimè dubitandum. Maior eſt huius Script. authoritas, quàm omnis ingenij humani capacitas. B. Aug.* 13. *Conf.*

Memb. 4. Denominatur Cœlum, à forma: aqueum, à materia; Cryſtallinum, à luce & perſpicuitate, non à congelatione.

Memb. 5. De ordine & ſenſu verborum. *Art.* 1. *Dixit Deus, &c.* Vnico verbo, ad intrà: ſed tot quot factis, ad extrà. *Art.* 2. Die 2. *Dixit, fiat*, in verbo: *& factum eſt*, in cognitione Angelica; *& fecit*, in genere proprio: ſed prima die, non niſi bis: quia Angeli non ſunt facti in præcognitione propria. *B. Aug. in Gen.* Addit *Alenſis*, Quodlibet primò dictum eſſe in Deo. 2. factum in ſeipſo. 3. Relatum ad Deum vt finem: ſed quia non omnes Angeli retulerunt ſe, non triplicatur prima die. *Art.* 3. De *firmamento*, ſeu Cœlo inter aquas: ex eadem quidem materia, ſed ei appropriata, à firmitate ac impenetrabilitate, non ab immobilitate. *Art.* 4. *Vocauit firmamentum Cœlum*: vt primum ſenſibile, non excludendo alios Cœlos.

Qvæstio 51. *De opere diei* 3.

Memb. 1. Non ait *fiant*: ſed *congregentur* .i. formentur, *aquæ*; quia non fiebant tam diſtantes à materia informi, quàm *Lux & Firmamentum*. Non exprimitur aër, ſed ſubintelligitur. *Appareat arida* .i. accipiant hanc formam viſibilem.

Memb. 2. *Germinet terra, &c.* quia hæc fiunt ex ipſa terra.

Memb. 3. De omnibus plantis fructuoſis & ſalubribus: niſi ex culpa, ad noſtram punitionem & monitionem.

Qvæst.

Digitized by Google

QVÆSTIO. 52. *De opere Diei 4. ad ornatum cœli.*

Memb. 1. *Fiant luminaria*, ex luce primæ diei. *In Firmamento cœli* .i. in toto corpore Cœlorum ſtellatorum, vt gemma in annulo.

Memb. 2. De vſu horum luminarium. *Art.* 1. *Vt luceant & præſint* lucendo, &c. Aliter, *In inchoationem, &c.* ſed græcè, *in principatum. Diuidant diem ac noctem*, lucendo, &c. *Art.* 2. *Sint in ſigna:* vt cauſæ communes remotæ frequentium euentuum naturalium, non liberorum: *in tempora dies & annos.* Annus ſolaris continet 365. dies cum quadrante: Hinc biſextilis 366. ſed annus lunaris 354. quia cùm Luna creata eſſet plena 4. die Solis, debuit anticipare 11. diebus, vt eſſet oppoſita Soli, ex *Damaſc.* *Art.* 4. *Duo luminaria magna*.i. maiora alijs in illuminando. *Art.* 5. *Et poſuit ſtellas in firmamento*, fixas & erraticas: ſiue mobiles motu proprio, ſiue ſolo motu ſui orbis; ſiue à proprijs formis, ſiue ab Intelligentijs, ſiue à Deo ſolo vt primo motore immobili, non autem ab aliqua anima propria.

QVÆSTIO 53. *De opere Diei 5.*

Memb. 1. *Producant aquæ, &c.* quia in aqua præcipuè eſt fœcunditas: non in alijs, niſi vt humidis. §. 1. *Producant reptile, &c.* vt continet etiam natatile, & opponitur volatili, ac greſſibili. §. 2. *Reptile animæ viuentis*.i. viuens. §. 3. *Volatile ſub Firm.* i. inter cœlum & terram. §. 4. In prima productione animantium, non fit mentio ſeminis: quia producebantur materialiter ex aqua, nec omnia propagantur ex ſemine, &c.

Memb. 2. De benedictione expreſſa, non plantarum ſed animalium, ad multiplicationem: quia plantæ generant naturaliter abſque appetitu.

QVÆSTIO. 54. *De opere Diei 6.*

Memb. 1. De productione Animalium terreſtrium ad varios hominum vſus, & diſtinctione à germinatione plantarum.

Memb. 2. De productione prima plurimorum etiam minutiſſimorum animantium, ad maiorem Dei gloriam ex tanta multitudine & perfectione vitæ ſenſitiuæ in eis, ad tot hominum vſus, & ad perfectionem Vniuerſi. Exceptis tunc ijs quæ non niſi ex putrefactione oriuntur.

QVÆSTIO 55. *De Animante rationali.*

Memb. 1. *Faciamus hominem, &c.* De pluralitate Perſonarum Diuinarum, & excellentia hominis.

Memb. 2. Non de cooperatione Angelorum.

Memb. 3. *Ad imaginem & ſimil. noſtram*: vel Diuinã vt exemplarẽ, vel creatam vt exemplatam.

Memb. 4. *Ad imaginem ſuam creauit illum.* Hinc vnitas cauſalis, exemplaris, & finalis.

Memb. 5. *Maſculum & fœminam creauit eos.* Anticipatiuè, ad exprimendum imaginem Dei eſſe eis communem. *Et benedixit illis, &c.* ad generandum ſine libidine ante peccatum, &c.

Memb. 6. *Ecce dedi vobis, &c.* In vſum & ſubiectionem. §. 1. *Et factum eſt*: non autem, *Et fecit*; quia hoc tunc non fuit executus. §. 2. Non dixit de homine, *Vidit quod eſſet bonum*: præuidens, ait *Aug.* eius peccatum. §. 3. *Perfecti ſunt cœli, &c.* quoad materiam & formam.

QVÆSTIO 56. *De Die 7.*

Memb. 1. De fine operum, per tres *Paragraphos.* 1. De nullo mane aut veſpere illius diei, ſeu quietis Dei. 2. De quiete Dei, à nouis rerum generibus. 3. Non ab eorum conſeruatione, *Io.* 5. Nec de quiete Dei in vllo opere: ſed ab omni opere, in ſeipſo vt fine. Ex *B. Aug.* in hunc locum.

Memb. 2. De benedictione, & ſanctificatione Diei 7. ad cultum Dei, & quietem æternam.

Memb. 3. De hoc *Libro* totius creaturæ, & *Die* vel tempore totius creationis.

QVÆSTIO 57. *De opere multiplicationis.*

Memb. 1. De *Fœno agri exorto*, apud 70. per generationem conſequentem.

Memb. 2. De fœcunditate terræ ſine pluuia, &c.

Membro 3. *De fonte illo irrigante vniuerſam ſuperficiem terræ* .i. vel Mari per ſecretos meatus, vel de varijs fontibus, vel de hoc ſingulari Paradiſi.

QVÆSTIO 58. *De collocatione in Paradiſo.*

Memb. 1. De vero *Paradiſo* ſpirituali & corporali.

Memb. 2. De poſitione *Adæ* in Paradiſo: *vt operaretur*, ad oblectationem, *& cuſtodiret eum* ſibi ipſi. Vel potiùs, *vt Deus operaretur*, ſeu coleret, *& cuſtodiret eum* .i. hominem ipſum.

Membr. 3. De tribus *Lignis Paradiſi.* 1. *Scientiæ boni & mali*, experimentalis. 2. Nutritionis. 3. *Vitæ*, ſeu immortalitatis, diſpoſitiuè & extrinſecè, intrinſecè autem ab Innocentia.

Memb. 4. *Per* 5. *Paragraphos.* De formatione *Euæ ex latere & coſta Adæ dormientis*: ad ſocietatem, & propagationem hominum; ac in varia ſigna ſacra. *Eph.* 5. ipſius etiam Originis inter Perſonas Diuinas, exceptis imperfectionibus & differentijs.

Memb. 5. *per* 4. *Parag.* De multiplicatione aliorum etiam animalium, ex humo ſeu terra aquoſa: eorumque adductione ad *Adam*, per motus quoſdam animales miniſterio Angelorum; & nominatione à primo *Adam*, vel ab hominibus, priùs & potiùs quàm plantarum; quia illa vt mobilia poterant adduci ad *Adam*, non ſic plantæ, &c.

QVÆST. 59. *De quidditate animæ rationalis.*

Memb. 1. Quòd ſit .1. Ex actibus concipiendi Deum & ſpiritualia. 2. Ratiocinandi. 3. Diſcernendi verum à falſo, bonum à malo. 4. Liberè volendi. 5. Ex forma & figura corporis humani ad vſum actuum rationalium.

Memb. 2. Quid ſit, per 7. definitiones in 6. paragraphis. quarum duæ in primo Par. explicatæ ſufficiunt. 1. Ex ſacra ſcript. *Gen.* 2. *Eſt Deiforme ſpiraculum vitæ*: vtique in corpore, ad diſtinctionem ab anima irrationali, & ab Angelo. 2. *B. Aug. lib. de ſpir. & anima*, imò de quãtitate animæ c. 13. *Eſt ſubſtantia rationis particeps, regendo corpori accomodata* .i. intrinſecè viuificando. Dicitur *ſubſtantia*, ſeu Ens per ſe, non accidens, aut ſolùm forma ſubſtantialis. 1. Quia mouet per ſe corpus ſuum: ergo aliud à ſe. 2. Quia agit in corpus proprium, ergo non eſt tantùm forma eius. 3. Perficit corpus ſuum inæqualiter: ergo non eſt ſolùm forma corporis. Eſt *incorporea*. 1. Quia tota in pluribus partibus. 2. Quia habet, aut habere poteſt infinitas ſpecies intelligibiles corporum, ſine extenſione. 3. Quia non habet par-

Digitized by Google

tem extra partem. *Parag.* 6. Eſt *ſpiritualis*.i.non corpulenta. Eſt *ſimplex*.i.non compoſita, vt ſpiritus vitales in corpore. Eſt *paſſibilis* & mutabilis in corpore.i. compatiendo proprio corpori. Dicitur *indiſſolubilis*.i.incorruptibilis in ſe:quia non habet vnde diſſoluatur,licet dependeat à Deo in exiſtendo.

Qvæstio 60. *De cauſa materiali animæ.*

Memb. 1. Non eſt de Deo: ſed à Deo creata de nihilo, *Ecli.vlt.* Quia non poteſt eſſe de totali ſubſtantia Dei, niſi ſit Deus: nec de partiali, niſi Deus ſit partibilis. *Ad* 1. *&* 2. Inſpirare Dei non eſt efflare ſpiritum proprium, ſed alium cauſare.

Memb. 2. Per duos Art. 1. De anima *Adæ* creata perfecta die 6. vel ante corpus, vel potiùs in corpore :non ex vlla materia etiam ſpirituali, ſed ex nihilo. *Art.* 2. De anima Euæ, vel creata die 7. in corpore formato ex coſta *Adæ*: vel die 6. ſimul cum anima *Adæ* ante corpus ſuum; vel potiùs eadem die, ſed paulo poſt *Adam*, & corpus ſuum ex eius coſta.

Memb. 3. De alijs animabus. *Art.* 1. De vegetatiuis, & vegetatis, eorumque multiplicatione ex potentia in actum: non tam per nouam generationem, quàm per diuiſionem materiæ & formæ ſimul. *Art.* 2. De animabus ſenſitiuis, & animalibus propagatis per generationem ex ſemine vel putredine: diſponente vi aliqua intrinſeca incorporea,vel influentia corporea cœleſti ad animationem. *Art.* 3. De creatione ſingularum animarum rationalium à Deo: non Traductione ex anima *Adæ*, aut vlla materia corporali vel ſpirituali. 1. Quia *Gen.* 3. ait, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*: non anima ex anima mea. 2. Quia hæ ſunt ſpirituales ac indiuiſibiles, & neceſſariò inter ſe diſtinctæ. *Ad* 1. Culpa originalis non eſt ex hac traductione: *Sed quia anima Adæ non ſeruauit ſibi & ſuæ poſteritati rectitudinem originalem.*

Qvæstio 61. *De cauſis Animæ rationalis*

Memb. 1. De compoſitione eius: non ex materia & forma corporali, ſed intellectuali .i. Ex ſua ſubſtantia & virtute, ex ſubiecto & actu. *Ad* 5. Forma vt forma non habet actiuitatem: ſed anima vt anima habet virtutem, & compoſitionem quoad agere & pati.

Memb. 2. De creatione ſingularum à ſolo Deo immediatè, non per Angelos, &c. vniuoca tamen hominum generatione, ex conformatione corporum, & conformi infuſione animarum. Subdit, nec animas brutorum, imò nec plantarum, poſſe ab vllo corpore effici:quia ſunt incorporeæ .i. non compoſitæ ex materia.

Memb. 3. De cauſa finali animarum rationalium: primariò, ad participandam beatitudinem; ſecundariò, ad ſupplendum ruinam Angelorum.

Qvæstio 62. *De ſimplicitate animæ.*

Memb. 1. De quantitate virtuali animæ ad varias operationes:non molis ſeu extenſionis compoſitæ aut diuiſibilis.

Memb. 2. De vnitate & identitate animæ rationalis ſenſitiuæ & vegetatiuæ in homine. 1. quia idem perfectibile,ergo & perfectiuum. 2. quia vnus actus impedit alium: ergo ſunt eiuſdem animæ. 3. Quia non poſſent coire in vnam ſpeciem & indiuiduum. 4. Non reſurgeret idem homo. 5. Quia anima ſeparata trahit ſecum ſenſum & imaginationem, ex *lib. de Spiritu & Anima*. *Ad* 1. Forma embrionis non perficit, ſed præparat corpus animale.

Memb. 3. De creatione ſingularum ſucceſſiuè in ſuis corporibus: non omnium ſimul ab initio ante corpora. Quia ex tunc egiſſent aliquid boni vel mali, contra *Rom.* 9. imò vel peccarent vnione voluntaria ad corpora corrupta; vel nolentes, non contraherent peccatum. *Ad* 1. Deus requieuit die 7. à nouis rerum generibus & ſpeciebus, non à nouis ſingularibus.

Memb. 4. De localitate animæ. *Art.* 1. De loco ſpirituali animarum, qui eſt vel ſpiritus increatus vt earum Finis, &c. vel earum terminatio ſeu limitatio & diſcretio perfectionis ſpiritualis. *Art.* 2. De loco earum corporali: non propriè ſeu circumſcriptiuè per commenſurationem; ſed minùs propriè ſeu diffinitiuè, per adæquatam coexiſtentiam; communiter,per ſolam vtriuſque ſimul exiſtentiam.

Memb. 5. De imagine Dei in anima. *Art.* 1. Non proprijſſimè, pro ſimilitudine adæquata; ſed pro expreſſa. *Art.* 2. Præ omnibus alijs creaturis. Quia repreſentat Deum. 1. Cognoſcendo & amando eum. 2. Regendo ſuum vniuerſum. 3. Producendo ſibi ſimile in natura. *Art.* 3. Eſt ad imaginem ſeu imitationem Dei & S. Trin. Sed appropriatè Filij, qui eſt imago Patris. *Art.* 4. per 2. *Parag.* De varijs differentijs inter imaginem & ſimilitudinem. *Art.* 5. per 2. *Parag.* De imagine non propriè ſecundùm corpus, nec animam ſenſitiuam,ſed rationalem: nec propriè ſecundùm partem inferiorem rationis, ſed ſuperiorem; nec ſecundùm memoriam, intelligentiam, & dilectionem ſuiipſius, ſed Dei. *Art.* 6. Secundùm naturalia & gratuita. *Parag.* 1. Non quoad ſolos actus, ſed potentias ſimul. *Art.* 7. Memoria innata veritatis, vt eſt principium intelligendi & volendi, repræſentat Patrem: Intelligentia orta ex hac memoria, Filium; volitio ex vtraque, Spiritumſanctum. Sed memoria vt inde orta repræſentat etiam Spiritumſanctum.

Memb. 6. De ſubordinatione totius Vniuerſi, ad corpus animæ rationalis.

Qvæstio. 63. *De Anima comparata ad Corpus.*

Memb. 1. Coniungi poſſunt in vnum naturâ. 1. Quia vnum eſt alterius perfectibile & perfectiuum, intrinſecè & ſubſtantialiter. 2. Actus ſunt elicibiles ex hoc toto, & ex partibus,

Memb. 2. Vniuntur immediatè ſeipſis: præuiâ diſpoſitione ſubiecti ad formam, & actus eius.

Memb. 3. Vniuntur ad motum, mediante vi vegetatiua ac ſenſitiua animæ, & complexione ac ſpiritibus vitalibus & animalibus corporis.

Memb. 4 Non vniuntur contiguè, continuè, colligatione, mixtione, impreſſione, inſertione: ſed *ex S. Bern. ad Eug. Vnione natiua materiæ & formæ*; qua tamen nulla pars, vt in alijs, *ſed totum rationaliter perficitur. Ad Arg. Actus corporis completi forma naturali, dicitur Corporalis.*

Qvæst.

QVÆSTIO 64. *De modo eſſendi totius animæ rationalis:* Quoad ſuam eſſentiam, in toto corpore & ſingulis eius partibus: quoad ſuam formalem perfectionem hominis, in ſolo toto, non in vlla parte; quoad vim intellectualem in nulla parte, ſed ita in toto vt poſſit eſſe extra; quoad vim vegetatiuam & ſenſitiuã, in varijs partibus diſtinctè.

QVÆSTIO 65. *De viribus animæ rationalis.*

Memb. 1. Quòd anima identificetur ſuis potentijs, ex *B. Aug. lib. de ſpiritu & anima:* non tamen quoad eſſentiam, ſeu rationem eſſendi & operandi; ſed quoad ſubſtantiam, ſubſiſtentiam, ſeu neceſſariam coexiſtentiam & cointelligentiam. *Ad Arg.* Anima eſt reſolubilis in ſuam materiam & formam .i. in ſuum *Quod* eſt, & *Quo* eſt.

Memb. 2 *Art.* 1. De pluralitate virium eiuſdem animæ. *Ad.*2. Deus agit naturaliter vnicâ virtute: creaturæ eò pluribus, quò ſunt perfectiores. *Art.* 2. Hæ vires animæ non ſunt eius partes; niſi quatenus particulant vim eiuſdem animæ ad actus differentes. *Art.* 3. Vires animæ propriè differunt ſeipſis: ſed conſequenter, quædam per actus ſpecie differentes, quædam per organa, quædam per obiecta, quædam ſecudùm materias. Quod fusè proſequitur, & valdè naturaliter exequitur de vi animali exteriori, ſeu ſenſitiua.

QVÆSTIO 66. *De vi animali exteriori ſeu ſenſitiua.*

Memb. 1. De pluralitate ſenſuum eiuſdem animæ: ex pluribus organis.

Memb. 2. De 5. ſenſibus externis: ex 5. differentijs organorum.

Memb. 3. Quòd hic numerus ſumi poſſit. 1. Ex 5. mediationibus elementorum inter extrema, & 5. differentijs mediorum ſenſibilium. 2. Ex 5. differentijs influendi ſenſibus. 3. Ex 5. differentijs obiectorum ſenſibilium. 4. Ex 5. modis ſentiendi per maiorem vel minorem approximationem ſenſibilium.

QVÆSTIO 67. *De vi ſenſitiua interiori.*

Memb. 1. De eadem vi imaginatiua, vt eſt ex ſe: & excogitatiua, vt ex imperio rationis.

Memb. 2. quòd Excogitatiua ac Memoria *Damaſceni*; & ſenſus communis, phantaſia, imaginatiua, æſtimatiua, memoratiua *Auicennæ*, reducantur ad Imaginatiuam *B. Aug.* quatenus participant formas ſenſibiles ſine materia.

Memb. 3. Quòd quæ differunt, vtantur ſingulæ organo proprio: quia deficiunt ex læſione ſuorum organorum. Hinc *Damaſc.* ponit ſuam Imaginatiuam in ventriculo anteriore cerebri, Excogitatiuam in medio, memoratiuam in poſteriori: *Auicenna* ſuam æſtimatiuam in ſummo & medio cerebri. *Ad Arg.* Diſtinguit inter has ſenſitiuas, & ſimiles rationales: differtque in aliam quæſt. an hæ ſint etiam in anima ſeparata.

Memb. 4. De ratione & diſtinctione harum virium. *Art.* 1. Quòd ſenſus communis habeat organum proprium in quo recipiat, conferat, & diſcernat actu proprio omnes ſpecies ſenſibiles, ſenſibilia, & ſenſationes ſenſuum externorum: Quod organum proximum ſit pars illa cerebri in qua conueniunt omnes nerui ſenſibiles; cor autem, remotum. *Art.* 2. quod ſenſus communis apprehendat omnes formas ſenſibiles: phantaſia cuſtodiat; imagitatiua conferat & transformet; æſtimatiua apprehendat vtile vel noxium; memoratiua cuſtodiat. *Auic.* ponit ſenſum communem in anteriore parte cerebri, phantaſiam in eadem parte, imaginatiuam ſeu excogitatiuam in media, æſtimatiuam in eadem, memoratiuam in vltima.

QVÆSTIO 68.

De Viribus motiuis animæ ſenſitiuæ: Phantaſia & Æſtimatiua, diſponentibus ad motum per apprehenſionem boni vel mali: Concupiſcibili autem & Iraſcibili, vt motiuis immediatè.

Memb. 1. De ſenſualitate animæ ſenſitiuæ; ſed prout ſubeſt rationali.

Memb. 2. Senſualitas vt tantùm cognitiua boni vel mali ſenſibilis, ſolùm diſponit ad motum: ſed vt etiam appetitiua, eſt & motiua.

Memb. 3. Senſualitas non eſt propriè ratio inferior: ſed vis ſenſitiua vt ſubeſt rationi.

Memb. 4. Peccatum ſaltem veniale eſt in ſenſualitate vt motiua: non originaliter, ſed ſubiectiuè; quia debet eſſe antecedenter & conſequenter ſubordinata rationi, quòd autem non ſit, eſt ex culpa originali. *Art.* 1. quòd Philoſophi non agnouerint ſenſualitatem vt rebellem rationi ex pœna peccati orig. ſed tantùm vt appetitum ſenſitiuum motum à phantaſia. *Art.* 2. De Vi Concupiſcibili & Iraſcibili, earumque triplici diſtinctione. 1. quoad appetitum boni, & fugam mali. 2. quoad appetitum delectabilis, & ardui ſeu honorabilis. 3. quoad bonum vel malum, præſens, & futurum.

QVÆSTIO 69.

De Parte Rationali Cognitiua & Motiua.

Quarum priorem, B. Aug. lib. de Anima & Spiritu diſtinguit in Rationem, Intellectum, & Intelligentiam; Aliter, in Ingenium, Memoriam, Rationem, & Intelligentiam: Damaſcenus, *in Intellectum, Mentem, & Opinionem;* Philoſophus, *in Intellectum materialem, Poſſibilem, & Agentem.*

Memb. 1. Hæ diuiſiones differunt ſuis modis.

*Mem.*2. Prima *B. Aug.* eſt de modo ſimplici concipiendi veritates ex ipſis obiectis. Altera eiuſdem, eſt de initio & progreſſu perfectionis. *Damaſc.* de modo perfectiori. aut imperfectiori, cognoſcendi complexè. *Philoſ.* de abſtractione à ſenſibilibus. *Ad* 1. *Damaſc.* per *Mentem* intelligit vim diſcernendi verum à falſo: ſed *Aug.* vim ſupremam contemplandi Deum.

Memb. 3. De ordine harum diuiſionum. *Art* 1. Prima eſt diuiſio trimembris *B. Aug.* includens identicè memoriam intellectualem. *Art.* 2. Intellectus materialis *Philoſ.* eſt circa phantaſmata vt perfectibilia in ſpecies intelligibiles. *Art.* 3. Intellectus *Agens*, eſt animæ vt formæ ſpiritualis & actiuæ: *Poſſibilis*, eſt animæ vt potentialis, &c.

Memb. 4. De intellectu poſſibili. *Art.* 1. Eſt quædam differentia intelligendi. *Art.* 2. Intellectus *materialis* eſt animæ vt in corpore: *Poſſibilis*, eſt eius vt ſeparabilis; *Agens*, quaſi ſeparatæ. *Art.* 3. Vt ſenſus, ſic & intellectus eſt *Poſſibilis* eſſentialiter: ſed hic indiget *Agente* ad ſui perfectionem.

Memb. 5. De alijs diuiſionibus per tres *Art.* 1. Illa 4. *Aug.* ſunt eadem vis ad actus conſeqnentes.

Digitized by Google

5. De illa diuiſione *Damaſc.* 3. De alia *Damaſc.* *Intelligentia*, eſt principij, *Excogitatio* medij, *Intentio* concluſionis, *Phroneſis* collatiua totius.

QVÆST. 70. *De ſenſu Animæ & Angeli.*

Memb. 1. Non eſt eis communis niſi ſpiritualis: ſed perficitur gratiâ & gloriâ.

Memb. 2. Eſt vnicus, non plures, niſi in modo cognoſcendi. *Ex B. Aug. in ſuis Conf.*

Memb. 3. Eſt ſeparabilis à corpore. &c.

Memb. 4. Solus ſenſitiuus eſt proprius animæ.

Memb. 5. Senſitiuus eſt ſenſibilium, Intellectiuus intelligibilium.

Memb. 6. Senſus intellectualis impeditur per animales: quia ſunt eiuſdem animæ, circa diuerſa ſimul minùs intentæ; ſed phantaſia & ſenſus externi ſunt æquè ſimul circa idem ſenſibile.

QVÆSTIO 71. *De vi motiua rationali.*

Memb. 1. Non eſt vnica ſed plures.

Memb. 2. Diuiditur 1. in imperatiuam, conſiliatricem, & affectiuam. Ad 1. pertinet ſynderefis naturalis ad vnum, & lib. Arb. ad oppoſita. Ad 2. Ratio ſuperior & inferior. Ad 3. voluntas naturalis, & deliberatiua ſeu electiua. Ad 2. & 3. ſimul, vis rationalis, concupiſcibilis, & iraſcibilis: ſed præcipuè imperant liberum Arb. & ſynderefis.

QVÆSTIO 72. *De libero Arb. quoad ſubſtantiam.* Eſt ad bonum & malum in creatura rationali: nec poteſt vlla creari ex natura ſua neceſſariò bona, ſed ſolùm fieri per gratiam; quia non poteſt fieri niſi ex nihilo, ſicque defectibilis ex natura ſua.

QVÆSTIO 73. *Quid ſit liberum Arb.*

Memb. 1. Quid ſit re? *Art.* 1. Eſt potentia habitualis pro libitu eligendi. Hinc ob facilitatem exeundi in actum, frequenter nominatur habitus. *Ad Aug. in Enchir.* i. de amiſſa libertate gratiæ, non naturæ. *Ad* 3. Libertas à coactione non habet magis nec minùs, &c. *Art.* 2. Eſt plurium ſimul potentiarum, non plures: ex *B. Aug. lib.* 5. *Reſp.* *Art.* 3. Eſt Potentia communis rationis & voluntatis: ſed præcipuè voluntatis.

Memb. 2. Quid ſit definitione? *Art.* 1. ex *Anſ. Eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem propter ſe.* .i. ex vi huius potentiæ: vt viſus eſt potentia videndi, etiam ſine obiecto aut lumine. Non definitur autem poteſtas ad malum: quia non eſt ad hunc finem. *Art.* 2. Ex *S. Aug.* Eſt *facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, & malum eadem deſiſtente.* Ratio hæc, non eſt ſola cognitio veri, aut etiam boni faciendi aut non: ſed practica facti. *Art.* 3. Ex *S. Bern.* Eſt *conſenſus, ob inamiſſibilem voluntatis libertatem, & indeclinabile iudicium rationis.* Dicitur *conſenſus*, inter ſenſum ſeu appetitum mentis & carnis: *libertas* naturæ *inamiſſibilis*: *indeclinabile iudicium* .i. inſeparabile à libero Arb. *Art.* 4. Defin. *S. Bern.* eſt comparatiuè ad cauſam mouentem, *Anſ.* ad cauſam finalem, *B. Aug.* quaſi ad cauſam materialem ſeu potentias, &c.

Memb. 3. Quid ſit nomine? *Art.* 1. Liberum à coactione, eſt æquè ad bonum & malum: liberum perfectè, eſt ad bonum; imperfectè ad malum. *Art.* 2. Dicitur liberum potiùs à voluntate, quàm à ratione: quia hæc eſt domina ſuorum actuum. Hinc *ex B. Aug. Nil tam eſt in poteſtate noſtra quàm ipſa voluntas. Ad Arg.* Denominatur etiam ab arbitrio rationis: dependetque ab eius vſu. *Art.* 3. Libertas naturalis à coactione, & in omnibus æqualis, denominatur potiùs à natura: ſed vt habitus accidentalis & variabilis, à gratia & gloria. *Art.* 4 Dicitur liberum à voluntate: *Arbitrium*, à ratione: quia ad meritum & demeritum requiritur cognitio & affectio. Non dicitur liberum iudicium: quia Iudex debet ſequi leges, non Arbiter. *Art.* 5. Philoſophi agnouerunt liberum Arb. à libertate naturali agendi ex proprio arbitrio: ſed non à poteſtate merendi & demerendi, nec quoad dependentiam à gratia.

QVÆSTIO 74. *In quibus ſit liberum Arb.*

Memb. 1. Eſt commune Deo & Creaturæ: non vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè, per priùs & poſteriùs. *Ad Arg.* Electio quaſi ignoti, non conuenit Deo: ſed determinatio inter nota.

Memb. 2. Non eſt vllius Creaturæ irrationalis. 1. quia habet formam determinatam ad materiam, & ad vnicum naturalem modum operandi: libertas autem eſt abſoluta à materia, &c. 2. quia non habet vim iudicandi accomodatè ad libertatem. 3. quia agitur potiùs inſtinctu & impetu naturæ, quàm agat. *Ad Arg.* Mutabilitas non eſt libertas: ſed vis electiua ex deliberatione.

Memb. 3. Libertas à coactione eſt cuiuſuis creaturæ rationalis. *Ad Arg.* Diabolus eſt liberè obſtinatus: quia non vult ſequi rationem.

Memb. 4. Eſt eadem à coactione, in omni ſtatu; ſed non eadem à culpa & miſeria.

Memb. 6. Eſt in omnibus æquè non coactè; non æquè perfectè.

Memb. 7. Non poteſt cogi abſolutè: ſed voluntariè, ſeù non niſi velit. Nullatenus quoad actum internum volendi, nolendo velle: ſed quoad actum externum.

Memb. 8. Libertas à coactione non poteſt minui nec augeri.

QVÆST. 75. *De libero Arb. comparatiuè ad actum.*

Memb. 1. De cauſalitate propria liberi Arbitrij in nobis.

Memb. 2. Non neceſſariorum, ſed contingentiū.

Memb. 3. Actuum interiorum, & exteriorum, vt ab illis ſunt.

Memb. 4. Principaliter actus eligendi: ſed & communiter volendi. Non tamen denominatur liberum Arb. ab electione: quia illud eſt materialiter rationis, formaliter voluntatis; ideoque denominatur vtrimque.

Memb. 5. Eſt capax merendi, conformando ſe Deo in actu gratuito.

QVÆSTIO 76. *De Synderefi.*

Mem. 1. Eſt potẽtia habitualis, ſeu habitus naturalis.

Memb. 2. Eſt ratio naturalis, practica, & moralis. *Ad vlt.* Eſt eadem cum voluntate naturali, circa moralia.

Memb. 3. Nunquam mouetur, aut mouet ad malum: ſed à malo ad bonum.

Memb. 4. Non poteſt vnquam extingui, quin remordeat ad pœnam: ſed hic aliquando ex prauo habitu non ſentitur.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆSTIO 77. *De conſcientia.*

Memb. 1. & 2. Eſt Originalis ex lege naturæ, Potentialis, Habitualis, & actualis, naturalis ex ſe recta, acquiſita etiam praua.

Memb. 3. Eſt cognoſcitiua ſimul & motiua à malo ad bonum.

Memb. 4. Nunquam eſt ſine aliquo actu ſtimulandi adultos in operando.

Memb. 5. Eſt diſtincta à lege naturali, vt à ſua regula.

Memb, 6. Adhæret ſurſum ſynderęſi: ſed deorſum magis rationi, à qua per accidens ſeduci ac turbari poteſt.

QVÆST 78. *De cauſa efficiente corporis Adam.*

Memb. 1. A ſolo Deo immediatè. Ex *Gen.* 2. & *B. Aug. in* 9. *de Gen.* Quia creabatur etiam in hoc ad imaginem Dei: vt eſſet principium omnium corporum humanorum; & vt haberet ſolum Deum pro Alpha & Omega, principio & fine.

Memb. 2. Per duos *Art.* De impoſſibili productione vllius corporis, ab Angelis bonis vel malis: vt ſæpè ſupra, *ex B. Aug.*.

Memb. 3. De impoſſibili etiam productione primi Corporis humani, ab vlla alia cauſa naturali: quia hæc vis non conueniebat niſi primo corpori humano, &c.

QVÆSTIO 79.

De cauſa formali, ſeu modo producendi ex nihilo.

Memb. 1. Non ex nihilo, quaſi nec eſſet, nec fieret: nec ex nihilo, quaſi ex cauſa; nec ex nihilo materiæ proximæ; ſed remotæ, & ex re nihili, ſeu ex limo.

Memb. 2. Omnia ſunt ipſe Deo æquè facilia: ſed creatio ex ſe difficilior, ob diſtantiam quaſi infinitam à non eſſe ad eſſe; opus tamen iuſtificationis impij dicitur difficilius, ob reſiſtentiam impij, non nihili. Non quòd Deus non agat omnia, ex tota ſua vi infinita: ſed quòd eius velle ſit facere omnia moderatè.

Memb. 3. Productio primi corporis humani, vt principij totius generis, fuit de perfectione vniuerſi.

QVÆST. 80. *De cauſa materiali corporis Adam.*

Memb. 1. De compoſitione eius ex 4. elementis. *Art.* 1. Eſt præ omnibus alijs compoſitum: ad varias animæ rationalis operationes. Ex quodam libro *De fonte vitæ.* *Art.* 2. Denominatur à materia primitiua, vel prædominante, vel viliore.

Memb. 2. De perfectione mixtionis in corpore Adæ. *Art.* 1. Non fuit mixtum ex elementis, ad æqualitatem molis: quia hæc æqualitas non fuiſſet conueniens complexioni & operibus humanis, &c. De mixtione, plus quàm compoſitione mixtilium inter ſe: ſicque potiùs ſecundùm partes materiales & quantitatiuas, quàm formales. *Art.* 2. Fuit mixtum ex elementis, ad æqualitatem virtutis in agendo & reſiſtendo inter ſe: ſed nec hoc ſuffecit ad immortalitatem. §. 1. Non fuit mixtum ad æqualitatem grauitatis & leuitatis: quia hæc æqualitas nec conueniret partibus corporis, nec motui, &c. §. 2. Grauitas in eo præualuit leuitati: quia terra & aqua prædominabantur mole, aër & ignis virtute; ſed grauitas & leuitas ſequuntur molem, non virtutem. *Art.* 3. De æqualitate iuſtitiæ. §. 1. Hæc ei fuit col[lata] à iuſtitia Dei: vt diſtribuente vnicuique conu[enie]ntia ſuæ naturæ. §. 2. Fuit ei iuſtè ablata priuatiuè, ex demerito. §. 3. Non reſtituitur in hac vita per gratiam: ſed natura iuſtè propagatur corrupta, ad punitionē, &c.

QVÆSTIO 81. *De cauſa finali corporis Adæ.*

Memb. 1. Non fuit formatum ad voluptatem, cuius nec eſt capax ſine anima: ſed ad ſuam animam rationalem, & totum hominem, in quo & beatificetur.

Memb. 2. Anima non eſt propriè finis, cuius gratia ſit corpus: ſed huius cum illa vnio, & vſus ab illa, ad meritum & beatitudinem.

Memb. 3. Deus eſt finis corporis humani, & omnium operum ſuorum, non vt terminus extenſionis, aut durationis, minùs vt effectus aut forma eius: ſed vt ſummum bonum intentum ab ipſo Deo vt operante, & intendendum, aut naturaliter appetendum ab omnibus operibus eius, pro ſua capacitate & participatione. Ex *Prou.* 16. & *S. Dion.* 4. *diu. Nom.* &c. *Ad* 3. Motus animæ rationalis ad Deum, vt perſonalis totius hominis, eſt etiam ſuo modo corporis in ſuo toto. *Ad vlt.* Appetitus naturalis Dei ab omnibus, eſt quoad eſſe vt ab eo participatum & conſeruandum.

QVÆST. 82. *De vnitate corporis Adæ in ſuo eſſe.*

Memb. 1. De propagatione omnium hominum ex eodem corpore Adæ. *Act.* 17. *Ad.* 1. Eua ex coſta Adæ, non ideò fuit eius filia: nec ſic decuit fieri vxorem eius.

Memb. 2. Mutua dilectio naturalis ob eandem originem, diſponit etiam ad dilectionem ſpiritualem: ſed vt timor introducens charitatem imperfectam, excludit à perfecta; ſic dilectio naturalis, ad ſpiritualem & gratuitam.

Memb. 3. Hinc debet eſſe inter homines maior dilectio naturalis, quàm inter indiuidua aliarum ſpecierum, *Eccle.* 13. *Ad* 1. Aqua ex eodem fonte, eſt magis vna quàm ex pluribus, &c. *Ad* 2. Bruta ſolo & toto naturæ impetu ſuis catulis aut pullis afficiuntur: Homines ſub vſu vel abuſu liberi Arb. *Ad* 3. Angeli plus diligunt ſeinuicem: quia non indigent tanta reflexione ad ſeipſos, quam homines. Deindè fortè minùs differunt inter ſe, quàm homines. *Ad* 4. Omnes homines ſunt ab vno cauſaliter, & ex vno materialiter: hinc & habent aliquam inter ſe formalem ſimilitudinem etiam interiorem, pluſquam ſpecificam naturæ humanæ.

QVÆSTIO 83. *De veritate corporis Adæ.*

Memb. 1. Fuit verum corpus humanum, & naturale in ſe: quamuis productum modo ſupernaturali; nec ſtatus ille incorruptibilitatis fuit contra veritatem, ſed ad perfectionem corporis humani naturalis.

Memb. 2. De veritate naturæ propagatæ *Art.* 1. Tota natura corporis humani fuit in *Adamo.* 1. Quoad ſuam perfectionem. 2. Quoad ſuam ſpeciem. 3. Quoad materiam ſufficientem in infinitum. 4. Quoad virtutem ſeminalem. *Art.* 2. Probabilis eſt opinio Magiſtri *in* 2. *d.* 30. quòd propagatio omnium hominum ab *Adam* quoad ſpeciem, non fiat per eius augmentationem ex alimento, ſed per ſolam eiuſdem multiplicationem. 1. Quia minima

nima materia ſu. ad plura & maiora in infinitum: ergo & minimum ſeminis Adæ, &c. 2. Quia ex Aug. de vera Relig. De vno grano ſunt ſegetes ſegetum, & ſyluæ ſyluarum. 3. Ex rarefactione, multiplicatione lucis, & punctorum, ſine additione. 4. Minimus ignis conuerſus in aquam, habet plus materiæ: ergo per ſolam multiplicationem. 5. Materia ex ſe non eſt quanta, ſed punctualis: ergo non poteſt augeri per additionem aut rarefactionem, ſed per ſolam multiplicationem, pro exigentia formæ. Ergo homines non propagantur formaliter quoad ſpeciem ſeu rationem formalem ſeminalem, per nutritionem: ſed per ſolam multiplicationem. 6. Ex multiplicatione panum, ex ſufficientia coſtæ ad formandam Euam, &c. Subdit, & oppoſitam ſententiam, quòd modicum ſeminis ab Adamo transfuſum augeatur in poſteris ex alimento: non autem per ſolam multiplicationem; ſuſtinens vtramque vt probabilem.

QVÆSTIO 84. *De dignitate corporis humani.*

Memb. 1. A compoſitione ex plurimis diſtinctis organis, ad diſtinctas operationes. *Ad Arg.* Multitudo organum diſtinctorum, eſt ſignum quòd ſit corpus capax animæ multæ virtutis: non autem multitudo organum eiuſdem ſpeciei, vt pedum in vermibus, &c. Nec ſol habet plures virtutes aut operationes eſſentiales: ſed ſolum lucendi, reliquas conſequenter; nec idem cœlum, ſed varij cœli, & ſtellæ.

Memb. 2. A rectitudine, ſeu recta corporis forma: in ſignum quòd ſit capax animæ ad Deum erectæ, *Eccli.* 7. Deus fecit hominem rectum, &c. multa ex SS.PP. ipſoque Poeta: *Os homini ſublime dedit, &c.* *Ad.* 1. Plantæ ſunt rectæ: non erectæ, ſed radicitùs inuerſæ, & terræ infixæ. Hinc *Antropos* quaſi arbor verſa, ſeu erecta radice ſurſū.

Memb. 3. Ab eius vnione ad Animam rationalem, & participatione vitæ, gratiæ, gloriæ, ac vnionis hypoſtaticæ. *Ad Arg.* Corpora cœleſtia ſunt perfectiora ſecundùm quid: ſed humanum, ſimpliciter.

Memb. 4. A prima locatione corporis humani in Paradiſo terreſtri, *Gen.* 3. & futura eleuatione ac ſtatu æterno in cœlo Empyreo. *Ad* 1. *Arg.* Nemo aſcendit in cœlum niſi qui inde deſcendit, &c. *Ioan.* 3.i. niſi Chriſtus in ſe, & ſuo vtroque corpore: vel nemo niſi ab eo eleuatus. Vt qui deſcendiſſet nudus de monte, & aſcenderet veſtitus: non aſcenderet aliùs à ſe.

QVÆSTIO 85.

De Animalitate corporis humani.

Memb. 1. Fuit animale in *Adam*: non ab animalitate brutali, nec vicioſa; ſed ab animalitate generica, à ſenſitiua, & alimentitia, ſeu à quadam neceſſitate alimenti; non ex corruptione intrinſeca per qualitates contrarias; ſed ex defectibilitate communi creaturæ, niſi ſuo modo conſeruetur à Deo. *Ad vlt.* Potuit eſſe digeſtio, & egeſtio per euaporationem, vel aliter, ſiue fœtore, &c.

Memb. 2. Debuit fieri priùs animale quàm ſpirituale, 1. *Cor.* 15. 1. Ordine proficiendi. 2. Ordine merendi. 3. Ordine reſurgendi. 4. Ordine propagandi, &c.

QVÆSTIO 86. *De tempore creationis.*

Memb 1. Ex B. *Aug.* 6. *in Gen.* Adam non fuit creatus primò ſingulariter: ſed potentialiter & ſeminaliter. Quia Gen. 1. *Creauit Deus hominem, maſculum & fœminam fecit eos.* Gen. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ, &c. & Euam de coſta Adæ*: Ergo ibi potentialiter inter opera creationis, hic ſingulariter, inter opera conſeruationis & propagationis, &c. Deinde, Gen. 1. *Dixit Deus, Producat terra beſtias, &c.* Gen. 2. apud 70. *Finxit adhuc de terrâ omnes beſtias, &c.* Ergo ibi indidit vim producendi: hic autem exercuit actu, &c. Nec obſtat Gen. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* quia vt *Matt. vlt.* Ecce ego vobiſcum ſum, &c. *Ier.* 1. Priuſquam te formarem, &c. loquendo ad futuros: ſic & hic, ait *Aug. ibid.* ordinando & diſcernendo futura vt præſentia.

Memb. 2. Corpus hominis creatum fuit poſt alias creaturas. 1. Ordine dignitatis. 2. Ordine vniuerſi completi. 3. Ordine mediorum ad finem. 4. Partium ad totum, &c.

QVÆSTIO 87. *De loco primi hominis.*

Memb. 1. De loco creationis eius extra Paradiſum in agro Damaſceno, ex terra rufa: tranſlationis autem in Paradiſum; ſed formationis *Euæ* in Paradiſo, non tamen ex Paradiſo, ſed ex coſta Adami, *Gen.* 2. Ad maiorem eius humilitatem & gratitudinem, iuſtiorem ingrati eiectionem, huius pœnæ moderationem, &c. quæ fuiſſet grauior, ſi ex natali ſolo, &c.

Memb. 2. De Paradiſo. *Art.* 1. Refert ex *Damaſc. Ioſepho, Iſid. & Gen.* 2. fuiſſe locum & hortum deliciarum ad habitationem hominum in ſtatu Innocentiæ: ſed ex *Strabone* ac *Beda*, fuiſſe ſitum ad orientem, vltra oceanum, propè cœlum Lunæ, &c. *Art.* 2. Non fuit propè cœlum Lunæ: ſed hyperbolicè .i. ſupra eleuationē vaporum, &c. *Subdit* quorundam opinionem de ſitu Paradiſi ad orientem, inter oceanum & mare Mediterraneum, ſub æquinoctiali. *Art.* 3. Hunc locum & ſitum poſſe eſſe conuenientiſſimum habitationi. 1. Ex temperie aëris, ob æqualitatem dierum & noctium, irrigationem fontium & fluminum, Terræ planitiem minùs colligentem radios ſolis, & aëris ſubtilitatem minùs recipientem caloris, &c. 2. Ex ſalubritate. 3. Ex amœnitate. 4. Ex ipſa terræ fœcunditate, ab irrigatione & fortè poroſitate ſeu ſpongioſitate terræ ad ſugendum humorem, &c.

QVÆST. 88 *De conditionibus corporis muliebris.*

Memb. 1. Formandum fuit in adiutorium viri. 1. Literaliter, ad perfectionem agendi, & patiendi. 2. Moraliter, ad humilitatem & charitatem, ex hac dependentia & neceſſitate mutua. 3. Allegoricè, ad ſignificandam vnionem Chriſti cum Eccleſia. 4. Anagogicè, in ſignum & motiuum neceſſariæ vnionis animæ cum Deo, ad fœcunditatem ſpiritualem. *Ad Arg.* In ſtatu innocentiæ fuiſſent hi fructus & fines, abſque vllo vitio vel abuſu. *Sub finem.* Mulier dicitur à Philoſopho *Occaſionata*: non vt vitium naturæ, ſed in adiutorium viri, vt ſupra. *Nazian, Damaſc. & Græci.* videntur velle quòd ſit creata occaſione peccati futuri: ſed intelligendi ſunt, non futuram fuiſſe neceſſariam generationem

generationem in ſtatu innocentiæ ad conſeruationem ſpeciei, ſed ad propagationem & multiplicationem Electorum.

Memb. 2. An & cur, *Gen.* 2. ex coſta viri? *Reſp.* 1. Ad quandam identitatem, ex parte oculta minùs neceſſaria. 2. Ad ſacram ſignificationem, de qua ſupra. 3. In ſignum cuiuſdam paritatis ad generationem: ſaluo viri regimine. &c. 4. Ad maiorem dilectionem & ſocietatem mutuam. *Ad Arg.* Deus creauit eos ſimul .i. vtrumque. vel eiuſdem naturæ, vel ſubordinatè. Vt *Eccli.* 18. Creauit omnia ſimul. *Formauit eam de coſta*, ſed carnoſa. Hinc *Gen.* 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Repleuit autem carnem pro ea* .i. pro priori coſta repleuit carnem vacuam, alia coſta: vel potiùs repleuit carne, non coſta, *ex B. Aug.* Hinc dicitur vir habere à latere dextro vnam coſtam minùs quàm mulier.

Memb. 3. Non per Angelos, ſed à Deo immediatè. 1. Quia ſupra omnem vim naturæ. 2. Ad vnitatem principij. *Ad* 1. Prima mulier non fuit occaſionata vt aliæ, ex defectu cauſæ à perfectione maris. *Ad* 4. Non negat ad hoc miniſterium Angelorum, ſed cooperationem ad formam.

Memb. 4. Eua in ſtatu innocentiæ per coitum non fuiſſet corrupta vitioſè aut violenter: ſed ſola ſeminum commixtione; contraria quidem ſtatui virginali, ſed non virtuti.

Memb. 5. Corpus *Euæ* erat infirmius virili. 1. Quia hoc ad agendum & regendum: illud magis ad patiendum, & molliter nutriendum. 2. Ad ſignificationem ſpiritualem noſtræ à Deo dependentiæ, &c. *Ad Arg.* Mas & fœmina non ſunt inæquales animis & gratijs: ſed complexione naturali corporum. *Gal.* 3. In Chriſto, non eſt maſculus nec fœmina.

Memb. 6. De dignitate ſexus virilis ſimpliciter, præ muliebri: ex omnibus prædictis. Hinc Chriſtus voluit eſſe ſexus virilis.

QVÆST. 89. *De paſſibilitate naturæ humanæ.*

Memb. 1. Erat impaſſibilis ante peccatum: non potentiâ remota, ſed proxima, & propinqua. *Ad* 1. Dos impaſſibilitatis eſt ex ſatietate omnis appetitus, etiam materialis, ad alias formas.

Memb. 2. Non erat paſſibilis ab extrinſeco, corruptiuè & contrariè, niſi valdè remotè: ſed conſeruatiuè & perfectiuè. *Ad* 2. *&* 3. Non fuit paſſibilis vllius violentiæ: ex dono intrinſeco Innocentiæ, & protectione Dei extrinſeca, tunc æquè connaturali illo dono, ac nunc eſt conſeruatio & concurſus Dei generalis ad exiſtendum & agendum. *Ad* 4. Potuerunt tentari, ſola receptione ſpecierum, nulla autem inclinatione ad malum, ante peccatum.

Memb. 3. Non erat tamen ex ſe inſenſibilis doloris, ſi potuiſſet lædi: quia ſenſus doloris eſt ex perfectione & vnitate naturæ ſenſitiuæ. Non eguit ſomno: ſed fuit capax ſoporis ſenſuum, intellectu & affectu ad deum vigilantiore. In quo ſoporè *Adam* intellexit: ſed non ſenſit nec doluit ſibi à Deo coſtam detrahi; vt nec indè vigilans doluiſſet.

Memb. 4. Non erat obnoxia ſenectuti. *Ad* 1. Non ex ſola vi extrinſeca ligni vitæ: ſed etiam ex dono intrinſeco naturæ. *Ad* 2. *ex Hug.* Tranſlati fuiſſent viui ſucceſſiuè ad Beatitudinem poſt certum ſpacium temporis.

Memb. 5. Nec vlli diſſolutioni corporis. *Ad* 1. Omne compoſitum eſt diſſolubile *naturâ naturante, non naturata.*

QVÆSTIO 90. *De vita.*

Memb. 1. Quid ſit definitione? *Reſp.* 1 ex S. Bern. *Eſt motus internus & naturalis.* 2. ex Philoſ. *Eſt primus & continuus actus viuentis.* 3. ex eodem. *Eſt actus primus animæ & corporis apti ad motum.* 4. ex S. Amb. *Eſt frui ſpirandi munere.* 5. ex S. Dion. *Eſt proceſſio Theophaniarum ab ente quieto, & ſempiterno.* Sed hæc, eſt vitæ gratuitæ: illæ naturalis in actu primo vel ſecundo.

Memb. 2. *Quid ſit re?* *Art.* 1. Vita non eſt propriè ſubſtantia Prædicamentalis: ſed eſt ſubſtantialis. *Art.* 2. Eſt aliquid animæ à ſua cauſa, & ab anima in corpore: ſed anima non eſt formaliter ipſa vita. *Ad Arg.* Anima non viuit ſeipſa totâ formaliter: ſed aliquo ſui. *Art.* 3. Poteſt dici potentia animæ: ſed potiùs virtus vitalis, &c. Quia vita eſt actualior, quàm ſonet potentia. *Ad* 3. Vita eſt à qua immediatè actus primus viuendi. *Art.* 4. Vita eſt formaliter ſeu eſſentialiter actus primus & continuus ſubſtantiæ mobilis: vtique à ſeipſa, ſeu viuentis. *Ad* 2. Vita ſumitur 1. Pro actu primo ſeu prima perfectione viuentis. 2. Pro virtute vitali cordis ad opera vitæ. 3. Pro quolibet actu vitali ſecundo & accidentali. *Ad* 3. Vita ſumitur pro continuatione viuentis in eſſe. vel pro vi continuante, vel pro operatione conſequente. *Ad vlt.* Vita non eſt actus alicuius potentiæ: ſed primus & immediatus animæ in corpore. Eſt actus animæ primus ſimpliciter, ad actus particulares. Vel, Anima eſt actus primus ſimpliciter: vita eſt actus primus poſt vnionem. Vel, eſt primus actus animæ, non vt eſt forma, ſed vt motrix corporis. *Art.* 5. Vita non eſt propriè habitus: poteſt tamen dici vis habitualis: ob facilitatem exercendi & continuandi ſuum actum proprium.

QVÆSTIO 91. *A quo vita ſit immediatè.*

Memb. 1. De cauſa vitæ. *Art.* 1. Deus, viuit ex ſe: Angeli & animæ per ſe, ſed à Deo immediatè; corpora per animas. *Ad* 1. *ex Gen.* 2. Vita eſt quædam ſui de ſe ſpiratio in ſe reflexa, mouens proportionatè corpus ſuum per primum ſuum organum vt ſpiraculum. *Ad.* 2. Motus vitalis non fatigat, quia à ſola cauſa intrinſeca: ſed motus animalis, quia etiam ab extrinſeca. *Ad* 3. Motus quo anima in ſe viuit, non eſt eſſentia animæ formaliter ſeu eſſentialiter, ſed cauſaliter ſeu fundamentaliter: quia cùm viuere ſit eſſe, eſt ex eiſdem principijs. *Ad* 4. Anima eſt quieta in primo ſuo motu vitali. *Ad* 5. Eſt vita in actu primo ſubſtantiali, & in ſecundo accidentali. *Ad* 6. *&* 7. Eſſe ex, dicitur formaliter, vel cauſaliter. *Art.* 2. A quo ſit vita plantarum & brutorum? Quidam ponunt quòd illæ animæ multiplicentur per ſolam diuiſionem materiæ, vt puncta in linea: Alij, quòd Brutales fiant ex traduce de potentia in actu, per motus cœleſtes ab ipſis motoribus. Alij, quòd à Deo creentur, vt *Gen.* 1. nec producantur

Digitized by Google

ex elementis, niſi quoad corpora diſpoſita. *Reſp.* Videtur inſipientiæ meæ, quòd præter naturam elementarem indita ſit elementis vis quædam ſimplex, ſpiritualis, vitalis, animalis, & ſeminalis harum animarum & animatorum, cooperante virtute plantarum & animalium, concurrente motu cœleſti ad organizationem corporum. Ex *Gen.* 1. & 2. Nam B. Aug. 3. Trin. *Vt matres ſunt grauidæ fœtibus: ſic mundus cauſis naſcentium*, &c. Ad 4. Hæ animæ ſunt ſimplices quantitatiuè, non ſubſtantiuè: ſed ex ſuo *Quod* in vi ſeminali mundi, & ſuo *Quo* producto. *Ad* 5. Vis illa ſeminalis mundi cooperans virtuti plantarum & animalium, poteſt dici corporalis, quia radicatur in corporibus: & ſpiritualis, quia ſine mole corporali. &c. *Ad vlt.* In ipſo alimento eſt vis illa ſeminalis, quæ per vim ſimilem animæ reducitur ad actum, &c.

Memb. 2. Vnde anima viuat in ſe? *Art.* 1. Vita ſeu primus motus vitalis, & vigens, & principium intrinſecum omnis motus interni, eſt appetitus ad ſui vel alicuius ex ſe perfectionem aut ſtatum. Qui quò minùs eſt materiæ inuolutus, eò viuacior, mobilior, & actualior eſt: vt patet in igne, argento viuo, & aqua viua fontium, à motu continuo. Hinc vt appetitus inter materiam & formam eſt principium vnionis: ſic appetitus vigens inter actum & potentiam, ſeu inter *Quo* & *Quod* animæ eſt principium viuendi, &c. Motus ergo vitalis eſt vigens appetitus ſubſtantiæ ſimplicis. Hoc addit viuere, ſuper eſſe. *Art.* 2. Anima viuificat corpus, appetitu vitali perficiendi ſuum perfectibile, & ſe in illo, per ſuos actus vitales. Hinc, ipſe appetitus eſt vita, vel origo vitæ.

Q V Æ S T I O 92. *De proprio ſubiecto vitæ.*

Memb. 1. Deus eſt ſua vita ſimpliciſſima & perfectiſſima, in ſumma actualitate. *Ad* 1. Vita eſt ipſa eſſentia Dei: ſed in creatis differt *Quod* viuit, à *Quo*. *Ad* 2. Vita Dei originalis omnium, eſt ſupra omne genus ac differentias: ſed vita participata eſt ſub genere, & contrahitur per differentias. *Ad* 4. Appetitus, ſeu fruitio boni præſentis, non eſt imperfectionis.

Memb. 2. Vita Dei & noſtra non conueniunt vniuocè .i. in vna priore & communi: ſed Analogicè .i. pri .s natura & originaliter diuinæ, quàm noſtræ.

Memb. 3. Non ſolæ creaturæ ſpirituales viuunt: ſed & corporales; differenter tamen. Quia cùm vita ſit ex appetitu ſui eſſe & perfectionis: ſi terminatur ac perficitur in ſeipſo ſolo, ſeu ſuiipſius fruitione, eſt vita Dei; ſi totaliter extra ſe, eſt minima vita vegetatiua & ſenſitiua; ſi partim in ſe, partim extra ſe, quoad benè eſſe, eſt vita creaturæ ſpiritualis. Quæ ſi poſſit quod ſibi deeſt conſequi per ſe propria operatione, eſt vita Angelica: ſi nonniſi per corpus, eſt vita humana.

Memb. 4. Corpora cœleſtia non viuunt formaliter: ſed tantùm cauſaliter. *Ad* 1. 2. & 3. Habent formam in multis perfectiorem anima vegetatiua & ſenſitiua, magiſque terminantē appetitum materiæ. Vel, ſola cauſa propria immediata ac vniuoca non poteſt eſſe imperfectior ſuo effectu. *Ad* 4. Dans vel agens naturaliter habet vniuocè quòd dat: Agens autem à propoſitio, habet excellentiùs in mente; ſed maximè primum Agens. Agens commune & remotum non eſt neceſſariò conforme effectui. *Ad* 5. *ex Aug.* 10. *Con.* Corpus non dat vitam corpori .i. formaliter: vel nec cauſaliter, virtùte omnino corporali; vel non effectiuè, ſed excitando cauſam latentem, vt patet in fouendis & excludendis pullis. Sic virtute cœleſti excitatur vis prima ſeminalis ad producendum animantia ex putrefactione.

Memb. 5. Multa viuunt & ſentiunt quæ carent ſanguine: nec ſanguis eſt ſedes omnis animæ, ſed carnalis. *Gen.* 9. *Leuit.* 17.

Memb. 6. Embrio non viuit anima propria informante: ſed ſolum influentia vitali ab anima corporis continentis; vt poma ab influentia arboris. *Ad Arg.* Vis ſeminalis ſufficit ad organizandum: nec eſt opus ad hoc vlla anima vegetatiua aut ſenſitiua embrionis, quæ vel deſinat, vel duret cum perfectiori.

Memb. 7. Humores nec viuunt propriè, nec adhærent viuenti: ſed vegetantur in viuente. *Ad* 1. Chriſtus factus eſt ex puriſſimis ſanguinibus B. V. .i. de ipſa puriſſima carne habente vim ſeminis.

Q V Æ S T I O 93. *De mortalitate primi hominis.*

Memb. 1. Erat mortalis remotè: non proximè, nec propinquè.

Memb. 2. Immortalitas eius ſeu poſſibilitas non moriendi, non erat ei ex natura, ſed ex gratia gratis data: immortalitas tamen ſpiritualis, ſeu poſſibilitas non moriendi ſpiritualiter, erat à gratia gratum faciente. Immortalitas vero perfecta, ſeu impoſſibilitas moriendi, erit ex gratia perfecta.

Memb. 3. Non fuit eadem immortalitas in ſtatu Innocentiæ, quæ erit in ſtatu gloriæ: ſed illa fuit ſola poſſibilitas, hæc neceſſitas non moriendi.

Memb. 4. In *Adam* fuit eadem potentia nuda ſeu remota moriendi & non moriendi: ſed non eadem diſpoſita, & neceſſaria, ſeu propinqua & proxima.

Q V Æ S T I O 94. *De modo propagandi prolem.*

Memb. 1. Fuiſſet in ſtatu innocentiæ vis generatiua ex ſemine & coitu maris ac fœminæ, motu vtrimque libero ac honeſto, abſque vlla libidine aut corruptione, ad multiplicationem electorum, non ad conſeruationem ſpeciei. *Ex B. Aug.* 14. *Ciu.* 23. 26.

Memb. 2. Quidam dixerunt tunc futuram fuiſſe maiorem delectationem, abſque vllo abuſu: ob maiorem conuenientiam corporum, perfectionem potentiarum, & rationis imperium. Sed videtur *ex Aug.* & ratione quod non, niſi quoad delectationem ſpiritualem: quia tunc ratio illam temperaſſet pro decentia illius ſtatus, nunc autem nimia libidine abſorbetur, &c.

Memb. 3. Non fuiſſet vllus coitus ad delectationem, aut remedium concupiſcentiæ: ſed ſolum neceſſarius & efficax ad generationem; alioquin fuiſſet peccatum.

Memb. 4. Fuiſſet quidem continentia ab omni coitu illicito: non tamen à neceſſario, & lege naturæ præcepto, vſque ad ſufficientem multiplicationem.

Q V Æ S T.

Digitized by Google

QVÆSTIO 95. *De propagatione prolium.*

Memb. 1. Quales tunc futuræ fuiſſet? *Art.* 1. Ex S. *Anſ.* Si primi parentes ſtetiſſent, generaſſent filios in eadem iuſtitia originali, merito ſuæ perſeuerantiæ. Ex *Aug.* Genuiſſent quidem eos ſine peccato: ſed non in eadem iuſtitia originali. Ex alijs, non genuiſſent vllos malos, ſed ſolos ſaluandos. *Meritò tamen quæritur an non ſinguli eiuſdem aut ſimilis mandati obedientia probandi fuiſſent, &c.* *Art.* 2. Non transfudiſſent in filios gratiam gratum facientem: quia ſic fuiſſet connaturalis, cùm ſit ſupernaturalis, à ſolo Deo. *Art.* 3. Ex *Anſ. Boetio, & S. Aug.* 14. *Ciu.* 1. Genuiſſent filios confirmatos in gratia originali, &c. Sed ex *Hug.* & alijs, genuiſſent eos in eadem ſtatu poſſibili peccandi. *Ad vlt.* Conciliat *Hug.* cum *Anſ.* Quòd non fuiſſent ita confirmati vt peccare non poſſent negatiuè, ſed expreſſiuè .i. quaſi non poſſent. Opinio autem fuit ferè omnium, & maiorum, quod nullo modo peccare potuiſſent.

Memb. 2. Proles ante peccatum habuiſſent ab initio aliquam illuminationem cognitionis, directiuam appetitus recti, &c. Quibuſdam videtur quòd habuiſſent ex tunc perfectum rationis vſum, nec profeciſſent niſi experientiâ: Alijs, quòd non ex ignorantia, ſed ordine naturæ acquiſiſſent paulatim vſum rationis; non tamen tam tardè ac nunc. Poſſumus mediam viam tenere, quòd paruuli ſtatim ex inſtinctu naturæ directo ratione, nouiſſent conuenientia & noxia illius ſtatus: cùm id natura tribuat catulis & pullis brutorum; ſed paulatim profeciſſent in notitia ſaltem actuali honeſti, ex innata fortè habituali.

Memb. 3. Non fuiſſent nati infirmi corpore, vt nunc: ſed pro illa ætate perfecti ad vſum ſenſuum, motum, & greſſum, potiùs quàm catuli & pulli brutorum. Ex *B. Aug. l. de Bapt. & 9. in Gen.*

Memb. 4. Genuiſſent filios & filias æquali numero, ad paria coniugia: ex voluntate ordinata, & imaginatione ac applicatione virtutis ad hoc conueniente. *Ad* 1. Vt in eodem corpore naturaliter generantur membra, alia alijs ſolidiora: ſic & in vtroque ſexu. Alij putant quòd mulier ſemper concepiſſet filium & filiam ſimul. Alij ſentiunt quòd genuiſſent plures filios quàm filias: quia geniti ex vltimis parentibus fuiſſet omnes filij, ad quid enim vltra filiæ? *Infra.* Hæc opinio videtur probabilior, &c. Eſt ſexus deuotior .i. facilior ad bonum, ſed & labilior: perfectio autem eſt potiùs à ſtabilitate in bono, &c. Puritas B. V. fuit qua maior nequit intelligi: ſed an nec fieri, &c. *non definio.*

QVÆSTIO 96. *De adiutorio gratiæ in Adam.*

Memb. 1. An conditus fuerit in gratia ſeu virtute? *Reſp.* Quidam ponunt conditum fuiſſe in gratia gratum faciente: Alij probabiliùs, quòd non in gratia gratum faciente aut virtutibus gratuitis; ſed in naturalibus, & donis diſponentibus liberum Arb. ad rectitudinem. 1. Ad diſtinguendum & ordinandum ſtatum naturæ & gratiæ: vt homo inde eſſet humilior, & hinc gratior. 2. Ad communicandum homini ordinatè gratiam per meritum aliquod, ſeu diſpoſitionem de congruo. *Ad* 9. Primus homo diligebat ſe propter ſe, amore amicitiæ, non concupiſcentiæ: quia hoc eſſet frui ſeu delectari ſeipſo, propter ſe, non autem illud. Sed poterat ſolum Deum diligere propter ſe, amore amicitiæ & concupiſcentiæ. Nec ad hoc neceſſaria fuit charitas, aut vlla virtus gratum faciens: ſed ſufficiebat dilectio naturalis. Eſt enim naturæ inſtitutæ ita diligere Deũ, ex prima maximè rectitudine & habilitate: ſed eſt gratiæ, captiuare affectum in obſequium Chriſti diligendo, vt intellectum credendo.

Memb. 2. De gratia ſuperaddita ad ſtandum & de poteſtate ſtandi. *Art.* 1. An ex accepto potuerit ſtare? *Reſp.* Ex acceptis potuiſſe ſtare, & reſiſtere omni tentationi. Ex *Aug. de Corr. & Gratia.* Non deerat ei adiutorium per quod poſſet, & ſine quo non, &c. *Nota,* quòd ante gratiam gratum facientem, habuit gratiam gratis datam communiter dictam, & gratiam ſuperinfuſam: quæ erat continua influentia virtutis à cauſâ prima, ſine qua non poterat ſtare, ſed ſine noua gratia, &c. Dicit enim *Magiſt. in* 2. *d.* 24. Illud adiutorium quo ſtare poterat ſi vellet, fuit libertas Arb. & voluntatis rectitudo, & omnium potentiarum naturalium ſinceritas ac viuacitas. *Ad* 2. *ex Aug. lib. de vera Innoc.* Quòd nulla creatura in quacumque rectitudine poſſit ſe ſeruare ſine Dei adiutorio .i. influentia ſuſtentante. *Ad* 3. Vincere non eſt tantùm reſiſtere, ſed meritoriè: quod fieri nequit ſine gratia. *Ad* 4. Nulla fuit difficultas reſiſtendi, ſine gratia gratum faciente: ſed impoſſibilitas merendi ſine ea. *Art.* 2. Non fuit tamen conditus indefectibilis, ſed defectibilis ad malum: Ad agnoſcendam Dei Omnipotentiam, Sapientiam, Miſericordiam, Iuſtitiam, & noſtram infirmitatem ac dependentiam. *Ad* 4. Anima non allicitur à ſummo bono, niſi gratiâ diſpoſita, & informata. *Art.* 3. Nec poteſt vlla creatura rationalis eſſe indefectibilis ad malum ex natura ſua: ſed fieri talis ex gratia & gloria. Quia ſi eſſet ex natura ſua arctata ad bonum, vt lapis ad deorſum, ignis ad ſurſum, non eſſet libera: ſi ex propria perfectione naturali ſuæ voluntatis eſſet determinata ad bonum, non eſſet creatura ex nihilo, ſed Deus ipſe. *Ad vlt.* Natura non eſt capax illius perfectionis moralis gratiæ: quia ſic non eſſet natura, &c.

Memb. 3. An ex acceptis fuerit Deo gratus & potuerit proficere? *Art.* 1. Complacentia, acceptatio, amor Dei ad creaturas, non dicit aliquam affectionem accidentem in ipſo. Hinc *S. Bern.* de Amore Dei, *Nos te diligimus affectu à te nobis indito: tu vero nunquid accidenti vel incidenti affectu amas quos amas? Abſit, &c.* Acceptio autem & amor eius, eſt affectus in creatura, non in Creatore, ex *S. Bern.* l. de Amore Dei. *Hoc eſt amare tuum quo tu amas te amantes, &c. inſpirare eis deſiderium amandi te, & amorem quo te amant, & amare te, &c. Amas te amabilis in teipſo, &c. Amas & teipſum in nobis, &c.* Amor Dei in ſe poteſt dici affectio: quia ſummè delectatur in ſe; ſed ad creaturam, eſt effectus, non affectio. Quodam ergo modo humano poſſunt dici accepta omnia facta à Deo: ſpecialiter creatura rationalis, propriiſſimè per

Digitized by Google

gratiam gratum facientem, 1. *Cor.* 3. *Eph.* 3. *Ioan.* 1. *Ozee* 2. Hoc ergo modo primus homo ex ſua conditione non fuit acceptus Deo. *Ad vlt.* Non potuit fieri natura accepta Deo ſine gratia: quia ſic natura eſſet gratia, & è contra. *Art.* 2. In ſtatu naturæ conditæ neceſſaria erat gratia ad merendum. 1. Quia nihil poteſt obligare Deum ad retributionem, niſi ex gratia ſua. 2. Quia Deus ipſe eſt præmium ſupra omnem naturam: ergo nonniſi ex gratia. 3. In ſtatu naturæ lapſæ operans, eſt ingratus Deo: ergo ad merendum debet gratificari. 4. Nulla eſt operatio meritoria niſi recta: nulla recta niſi ab intentione; hæc non poteſt eſſe recta ad ſummum Bonum ſuper omnia, niſi ex gratia; ergo, &c.

QVÆSTIO 97. *De gratia ſuperaddita.*

Memb. 1. An *Adam* habuerit gratiam gratum facientem & virtutes ante lapſum. *Reſp.* Quidam dixerunt *quòd habuerit tantùm gratias gratis datas, & naturam valde bonam, quibus poterat tentationi reſiſtere, & ſe ad gratiam gratum facientem diſponere. Sed quia ſacra Script. & SS. PP. videntur dicere de gratia gratum faciente: eſt alia opinio communior & verior, & probabilior, quòd* Adam *ante lapſum habuit gratiam gratum facientem.*

Memb. 2. De quantitate illius gratiæ. *Art.* 1. Habuit fidem perfectam quoad materiale .i. quoad cognitionem noſtrâ perfectiorem: & quoad ſubſtantiale ac formale fidei .i. quoad affectum & conſtantiam credendi. *Ad* 3. Habuit fidem reparationis: ſed vel non aduertit ad lapſum futurum; vel tantùm implicitè habuit; vel non cognouit quòd ex ſuo caſu eſſet futura neceſſaria reparatio. *Art.* 2. Habuit eadem quæ nunc dona gratiæ gratum facientis, quoad habitus & actus perfectionis illius ſtatus, non imperfectionis huius: ſed alia dona gratiæ gratis datæ, vt impaſſibilitatem, immortalitatem, &c. illius ſtatus. *Art.* 3. Potuit inde mereri ante lapſum. *Art.* 4. An gratuita fuiſſent efficaciora ante quàm poſt lapſum. *Reſp.* Fuiſſent excedentia & exceſſa inter perſonas vtriuſque ſtatus: fuiſſent efficaciora in ſtatu Innocentiæ ex promptitudine ſubiecti; ſed piè ac probabiliter ſupponendum eſt eſſe maiora & efficaciora in ſe poſt lapſum, & maximè poſt Chriſti aduentum, quàm ante; ob maiorem noſtram neceſſitatem, & merita Chriſti exhibita, *Ioan.* 7.

QVÆSTIO 98. *De cognitione Adam.*

Memb. 1. Fuit conditus perfectus in ſcientia & cognitione, ex *Aug. in Gen.* 1. Quia Dei perfecta ſunt opera. 2. Quia erat futurus Pater & Doctor totius generis humani. 3. Quia rector omnium, &c. vnde & omnia animalia ſapienter denominauit. 4. Quia cùm eſſet rectus affectu, rectè dirigendus erat intellectu. *Ad Arg.* Angeli ex natura ſua erant creandi perfecti ſcientia: ſed primus homo ex gratia, & ſtatu primi.

Memb. 2. De cognitis & perfectione huius ſcientiæ. *Art.* 1. Non videbat Deum immediatè in propria ſpecie: ſed cognitione intellectuali media inter hunc ſtatum noſtrum, & gloriæ. *De qua mediatione ſunt variæ opiniones.* 1. *Hæretica, quòd Deus non ſit ab alio viſibilis vt in ſe eſt immediatè: ſed tantùm mediante aliqua ſui repræſentatione, &c. Contra* 1. *Cor.* 13. Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum. 1. *Ioan.* 3. Videbimus eum ſicuti eſt. 2. *Quòd videatur etiam in omni ſtatu magis minuſuè.* 3. *Quòd in ſolo ſtatu gloriæ immediatè & plenè: in ſtatu miſeriæ nonniſi mediatè; in ſtatu innocentiæ immediatè dimunitè. Sed tenendum eſt quod nonniſi mediatè.* Ad 1. & 2. *Viſio illa ad faciem*, Exod. 3. *Sine enigmate*, Num. 12. *eſt intellectualis, & experimentalis præſentia & influentiæ Dei in aliquo effectu interiori.* *Ad* 3. Amor Dei immediatè, non pendet à viſione Dei immediatè: quia vbi deficit intellectus, proficit affectus, ex *S. Bern. lib. de Amore Dei.* *Ad* 4. Non deſiderabat perfectiorem viſionem quàm ſui ſtatus. *Ad alia.* Videre non eſt agere in obiectum, ſed potiùs ab eo pati. Nec videtur Deus vt infinitus, ſed vt finis noſter: nec ad hoc requiritur proportio quantitatis aut perfectionis; ſed perfectibilis ad ſuum perfectiuum, & ſimilitudinis expreſſæ ad obiectum. *Art.* 2. Excepta viſione intellectuali, cognouit Deum omnibus modis. 1. *Per fidem.* 2. *Per contemplationem intellectualem, quaſi abſtractiuam.* 3. *Per viſionem experimentalem præſentiæ Dei in ſuo aliquo effectu, & influentia propria intellectuali.* 4. *Per ſpeculum ſeu imaginem animæ propriæ, nullo ænigmate aut phantaſmate inuolutam.* 5. *Per Dei veſtigia in creaturis.* 6. *Per apparitionem & locutionem Dei etiam exteriorem, vt* Gen. 3. *Ad* 2. Non habebat medium *impediens*, ſed *conferens*: necdum tamen *diſponens* proximè ad viſionem Dei intuitiuam, ſed *deducens*. *Art.* 3. Non profeciſſet in ſcientia habituali: ſed actuali & experimentali rerum naturalium & artificialium; in actuali autem & habituali rerum ſupernaturalium. Quia nil horum fuiſſet contra perfectionem ſtatus eius. *Art.* 4. Quidam dicunt quòd non potuerit errare circa ſcibilia & neceſſaria: ſed falli opinando circa opinabilia ſeu contingentia. Alij dicunt quòd non potuerit falli vllo obliquo iudicio: ſed ſolum neſcire ſimpliciter. Vnde 1. *Tim.* 2. Adam non fuit ſeductus, &c. Ex *B. Aug. in Gen. & Magiſt. in* 2. *d.* 22. Deceptio *Euæ* fuit ex peccato interiori ſuperbiæ, ante externum inobedientiæ. Hinc poteſt dici primos Parentes in ſtatu Innocentiæ potuiſſe decipi aliqua credulitate falſi. Nam *B. Aug.* 11. *Ciu.* 11. de ipſis Angelis: *ſiue ſcirent, ſiue neſcientes putarent, &c.* *Ad* 1. ex *Aug. lib.* 2. *de lib. Arb. Approbare vera pro falſis, non eſt natura hominis inſtituti, ſed pœna damnati* .i. de errore morali. *Ad* 2. *Ex eodem Enchir.* 20. *Omnis error eſt malus, quo approbatur falſum pro vero, vt c.* 17. *Non eſt conſequens vt erret quiſquis aliquid neſcit: ſed quiſquis exiſtimat ſe ſcire quod neſcit, &c.* *Ad* 5. Vt poſſumus peccare ſine præuia expreſſa voluntate peccandi: ſic primi parentes ſine præuio errore, &c. *Ad* 6. Hæc credulitas non erat contra ſtatum illum adhuc liberum ad bonum & malum, ad verum & falſum. *Ad* 7. *ex Aug.* Accipit *putare*, pro certo approbare.

QVÆSTIO 99.

De Dominio Adami in ſtatu Innocentiæ.

Memb. 1. Fuiſſet Dominus omnium hominum, dignitate & regimine: ſed nullius pœnali ſeruitute.

Ex

Digitized by Google

Ex *B. Aug.* in illud *Gen.* 3. Sub viri poteſtate eris, &c. & 19. *Ciu.* 15.

Memb. 3. Fuiſſet dominatus omnibus animalibus: ex vi imaginis Dei, & creatione omnium propter hominem. *Ad* 1. Hoc dominium *Adæ* non fuit proprietatis: ſed communitatis & prouidentiæ, &c. *Ad* 2. Fuiſſent ad aliquem vſum ſaltem gubernationis, oblectationis, & laudis Dei. *Ad* 3. Non fuiſſent tunc rebellia. *Ad.* 4. Fuerunt ſubitò per Angelum adducta ad *Adam*: ſed potuiſſent etiam ab eo congregari.

Memb. 3. Non autem creaturis inſenſibilibus, dominio regiminis: ſed poſſeſſionis, & liberi vſus ſecundùm earum naturas. *Ad* 1. Corpora cœleſtia non dominarentur corrumpendo, &c. ſed tantùm ſeruiſſent homini lucendo, &c. *Ad* 2. In miraculis creaturæ ſeruiunt Deo, non homini, &c.

QVÆST. 100. *De malo. vt* 1. *P. q.* 19. 38. 40.

Memb. 1. An ſit? *Reſp.* Formaliter pro ipſa malitia ſeu priuatione boni, non eſt realiter, ſed ſolum moraliter aut ratione: Materialiter, pro re priuata, eſt realiter, &c.

Memb. 2. Quid ſit? *Reſp.* Eſt priuatio boni, creati vel increati, in aliquo ſubiecto capace illius boni: vnde variè denominatur ab obiecto cuius eſt priuatio, & à ſubiecto in quo.

Memb. 3. De cauſa mali. *Art.* 1. Non habet vllam cauſam reducibilem ad Primam: nec efficientem, ſed deficientem reducibilem ad liberum Arb. defectibile. Ex *B. Aug.* 12. *Ciu.* 9. & *de lib. Arb.* *Art.* 2. Malum culpæ nullatenus eſt à Deo: ſed malum pœnæ, vt pœna eſt. *Art.* 3. Malum eſt in bono: ſed non ex bono vt eſt à Deo, ſed vt eſt ex nihilo. *Art.* 4. Malum culpæ eſt à Diabolo vt primo peccante, & ſuadente: ſed & ab homine conſentiente, & ex ſeipſo peccante. *Art.* 5. Eſt culpabiliter à ſolo libero Arb. non antem ab alijs cauſis. *Art.* 6. De mala Voluntate, & Actione. §. 1. Voluntas vt libera & ex nihilo, eſt defectibilis & cauſa malæ volitionis: nec tamen illa eſt ex ſe mala, ſed à ſuo actu malo, ſeu defectu actuali. §. 2. Actio mala, quà mala, non eſt à Deo. *Ad* 1. Relatio ad finem vt finem, eſt à Deo: ſed non vt ad indebitum finem. *Ad* 2. Malum fit Deo volente, vt permittente, non approbante. §. 3. Actio mala, quà actio, eſt à Deo, non quà mala. Nam eſt à voluntate: quæ vt potentia vel actus, eſt à Deo; vt defectibilis & deficiens, non eſt à Deo, ſed ex ſeipſa & ex nihilo. *Ad* 2. Deus dat potentiam ad actionem, non ad defectum; quia hoc non eſt poſſe: nec agit aut iuuat ad deficiendum; quia hoc nec eſt agere, nec iuuare.

Memb. 4. De permiſſione mali. *Art.* 1. & 2. Deus permittit mala ad eliciendum bona, &c. vt *p.* 1. *q.* 18. 38. 40.

Memb. 5. In quo ſit malum? *Art.* 1. Malum naturæ eſt in aliquo bono naturæ, vt priuatio alicuius boni in ſubiecto capaci. *Art.* 2. Malum culpæ eſt in libero Arb. non tantùm vt agente, ſed ſubiecto. *Ad* 3. Malum culpæ eſt etiam in potentia motiua & eius motu, vt libero, & contrario rationi. Hinc non eſt in vi cognitiua, niſi vt mixta motiuæ: non ſolùm vt deliberatiua, ſed definitiua ſeu electiua. *Ad vlt.* Eſt potiùs in voluntate quàm ratione: quia hæc poteſt & facit quod vult, eſtque proxima cauſa mali. *Art.* 3. Malum ſeu defectus naturæ, non eſt in bono oppoſito, ſed in ſubiecto priuato: Malum autem negatiuum omnis boni, non eſt in vllo, quia nihil eſt.

Memb. 6. Omne malum creaturæ rationalis eſt culpæ, vel pœnæ, poſitiuæ, vel priuatiuæ: quia hæc ſine culpa non pateretur vllum malum naturæ, ſeu priuationē aut corruptionem, vt aliæ creaturæ.

Memb. 7. Malum vt malum eſt ex ſe intrinſecè inordinatum: ſed tantùm extrinſecè & relatiuè ordinatum ad bonum vniuerſi, vel etiam particulare eliciendum.

Memb. 8. De oppoſitione mali. *Art.* 1. Non opponitur ſummo Bono in ſe, niſi quadam diſſimilitudine: ſed in ſuis effectibus. *Aug.* 12. *Ciu.* Bonum eſt natura quàm viciat malum. *Ad Arg.* Non opponitur ſummo Bono contrariè, nec priuatiuè; quia nec eſt aliquid, nec circa idem ſubiectum: ſed quaſi negatiuè aut diſparatè; quia vel eſt nihil, vel aliquid priuatum aliquo bono, quod non poteſt eſſe Deus. *Art.* 2. Nec opponitur contrariè bono creato: niſi quatenus priuatiuè nocet ſubiecto, vel in bonis & malis habitibus & actibus. *Art.* 3. Idem malum non opponitur bono gratiæ & naturæ, niſi conſequenter. *Art.* 4. Non opponitur ſubiecto proprio niſi illud minuendo: ſed bono quo illud priuat. *Art.* 5. Subiectum, & bonum quo priuari poteſt, eſt finitum: poteſt tamen in creatura rationali peccando minui in infinitum, quoad habilitatem naturalem boni.

Memb. 9. De nulla cauſalitate mali: niſi per accidens & occaſionaliter, ad bonum eliciendum; & per ſe defectiuè ad malum.

QVÆSTIO 101. *De ſpoliatione gratuitorum.*

Memb. 1. Deus non propriè ſpoliat, aut ſubtrahit gratiam, eam non continuando: ſed peccator ipſe peccando & demerendo. *Ad* 1. Hæc priuatio, vt pœna iuſta, eſt à Deo. *Ad vlt.* Prius peccatum, priuat gratia: poſterius, maiori indignitate ſubiectum magis elongat à gratia.

Memb. 2. Quodlibet malum culpæ non ſpoliat omni virtute morali: ſed vnico actu tota virtute ſibi oppoſita.

QVÆSTIO 102. *De vulneratione naturalium.*

Memb. 1. De 4. vulneribus, Infirmitatis, Ignorantiæ, Malitiæ, & Concupiſcentiæ.

Memb. 2. De pluribus diuiſionibus horum vulnerum inter ſe comparatis, & conciliatis.

Memb. 3. De ſingulis 4. vulneribus. *Art.* 1. De vulnere Infirmitatis, ſeu difficultate reſiſtendi peccatis: vſque ad quandam peccādi neceſſitatem; non naturalem, ſed voluntariam, ſeu peccando voluntariè contractam, ſed auxilio gratiæ ſuperabilem. *Art.* 2. De vulnere ignorantiæ: ex peccato Orig. oppoſitæ ſcientiæ ſpeculatiuæ; ex actuali, oppoſitæ ſcientiæ experimentali & approbationis. *Art.* 3. De vulnere Malitiæ: non quoad culpam ex certa ſcientia, aut pertinacia; ſed quoad pœnam pronitatis ad malum, & defectibilitatem voluntatis ex corruptione priore. *Art.* 4. De vulnere concupiſcentiæ, non tantùm ex peccato Orig.

 ſed

ſed etiam ex quolibet actuali, inclinante ad idem vel ſimile vt delectabile. *Art.* 5. Vulneratio liberi Arb. ex peccato, non eſt quoad potentiam peccandi: quia hæc non eſt de libertate Arbitrij; ſed quoad vim non peccādi, quæ peccando minuitur.

QVÆSTIO 103.

De priuatione modi, ſpeciei, & ordinis, per peccatum.

Memb. 1. Non prout hæc ſunt in natura, aut viribus animæ: ſed in voluntate creata vt ordinabili ad voluntatem diuinam; per modum, vt ad cauſam efficientem; per ſpeciem, vt ad formalem, ſeu exemplarem; per ordinem, vt ad finalem.

Memb. 2. Nec de priuatione totali, ſed de minutione modi, ſpeciei, & ordinis, ſeu triplicis illius habitudinis noſtræ voluntatis ad diuinam.

Memb. 3. De horum priuatione, ſeu minutione ſimul, quouis peccato: quia minutio habitudinis ad cauſam efficientem, eſt etiam ad formalem, & finalem, &c.

Memb. 4. De æquali horum ſimul etiam minutione, per quodlibet peccatum mortale.

QVÆSTIO 104. *De malo culpæ ex genere.*

Memb. 1. Non pro genere communi malorum culpæ, nec pro malo eſſentialiter: ſed pro malo actu aut defectu, ex materia indebita, prout diſtinguitur à circumſtantijs.

Memb. 2. Bonum & malum ex genere, ſeu actus bonus & malus ex ſola materia, non opponuntur contrariè, ſed diſparatè: quia non poſſunt quidem eſſe idem, ſed nec circa idem.

Memb. 3. Actus malus eſt peior habitu, quoad cauſalitatem: ſed hic eſt illo peior ſimpliciter; quia habitus proximiùs priuat animam, eique plus adhæret quàm actus. *Ad* 1. Actus malus priùs generat habitum malum: ſed habitus bonus priùs generat actum. Exceptis conſuetudinarijs. *Ad* 2. *quæſitum.* Omnia mala ex genere ſunt æquè mala in ſuo genere: ſed non æquè mala animæ. *Ad* 2. *quæſitum.* Non poteſt fieri malum ex genere, niſi in aliquo particulari malo: ſed poteſt fieri malum aliquod particulare, ex ſolo genere, ſine vlla circumſtantia aggrauante.

Memb. 4. Summum Bonum excedit omne malum: ſed actus boni & mali excedunt ſe mutuò.

QVÆSTIO 105. *De malo ex circumſtantijs.*

Memb. 1. Prout diſtinguitur à malo ex genere ſeu materia, de quo ſupra: & à malo ex fine & intentione, de quo infra.

Memb. 2. Non autem prout *Tullius* vocat circumſtantias actionis omnia ad illam pertinentia.

Memb. 3. De comparatione mali ex circumſtantia, cum malo ex genere, & fine. *Art.* 1. Circumſtantia mala aggrauat malitiam & demeritum mali ex genere ſeu materia. *Ad Arg.* Malum, ex ſolo genere eſt malum, ideò aggrauatur mala circumſtantia: ſed circumſtantiæ bonæ ſunt de eſſentia boni, & meriti; quia non eſt bonum ex ſola materia, ſed ex integra cauſa ſeu ex omnibus requiſitis ſimul. *Ad quæſitum.* Quædam circumſtantiæ bonæ non augent malum per ſe, ſed tantùm occaſionaliter. *Art.* 2. Malum ex circumſtantia, peius eſt eodem malo ex ſolo genere ſeu materia. *Ad Arg. ex* 1. *Petri* 1. *& Beda.* Iniqui generaliter, diſtinguuntur ibi à diabolis & peioribus. *Art.* 3. Malum ex genere & circumſtantia, non poteſt eſſe ſine intentione generali ipſius operis aut circumſtantiæ: ſed ſine intentione ſpeciali huius aut illius modi & finis. *Ad* 1. Qui peccat, licet non intendat peccare: intendit id facere quod ſcit eſſe peccatum.

Memb. 4. De varijs numeris circumſtantiarum, præter illum communem, *Quid, quis, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*: Ex 4. Cauſis, quarum efficiens vel eſt per ſe, vel per medium; formalis, vel eſt ipſa ſpecies actionis in ſe, vel relatiuè ad agentem. Per, *Quid*, non intelligitur ipſum genus, ſeu materia generalis actionis, ſed eius determinatio ſeu quantitas. Circumſtantiæ non aggrauantes aut minuentes diſtinctè malitiam, non pertinent ad hunc numerum. Circumſtantiæ, ſtrictè loquendo, ſunt inter genus & finem operis: vt malum diſtinguitur ex genere, circumſtantijs & fine; ſed finis poteſt latè cenſeri inter circumſtantias.

QVÆSTIO 106. *De intentione in genere.*

Memb. 1. Quid & cuius ſit: an rationis vel voluntatis? *Reſp.* Intentio à tendendo in finem, ſeu bonum verum vel apparens: eſt rationis, præcognoſcendo, diffiniendo, præeligendo, dirigendo; ſed voluntatis, appetendo, proſequendo, adherēdo. Non benè diſtinguitur voluntas vt appetitus rationalis in ſe, ab intentione vt ad finem: quia appetitus in ſe non eſt niſi vt finis ſeu boni. Solet tamen appropriari finis intentioni: res ad finem, voluntati.

Memb. 2. Si intentio ſit voluntas ſoliùs finis, non eſt ſola & tota ratio merendi: ſed ſi ſit voluntas finis, & omnium quæ ſunt ad finem.

Memb. 3. An ſola intentio vel voluntas pro facto reputetur. *Reſp.* In bonis, ex pari charitate ſeu gratia gratum faciente, æquiualet ipſi facto ad præmium eſſentiale, non ad accidentale, & remiſſionem pœnæ: in malis autem, æquè mala voluntas ſine facto, æquè punitur pœna damni, ſed non æquè pœna ſenſus; quia vtrique .i. *& voluntati & facto debetur ſua pœna.*

QVÆSTIO 107. *De intentione bona & mala.*

Memb. 1. An qualitas boni operis priuilegiati augeat meritum bonæ intentionis? *Reſp.* vt ſupra, ex æquali charitate intentionis aut operis eſſe æquale præmium eſſentiale: ſed ex qualitate operis priuilegiati eſſe ſpeciale præmium accidentale.

Memb. 2. An plura & maiora opera vel dona valeant ad maiùs meritum? *Reſp.* Non ad maiorem gratiam aut gloriam eſſentialem, niſi ex maiori charitate: ſed ad plura alia bona aut minora mala in præſenti & futuro.

Memb. 3. An intentio mala reputetur pro facto? *Art.* 1. Credulitas non eſt ipſa intentio: ſed quando praua intentio voluntatis eſt totaliter ex errore, commenſurantur. *Art.* 2. Voluntas mala non æquiualet facto, niſi ſit plena: quælibet autem in ſpiritualibus ſufficit ad totum actum peccandi, non in corporalibus. *Art.* 3. Intentio & opus ſimul, eſt duplex peccatum quoad defectus boni: ſed vnicum, quoad radicem libertatis. *Art.* 4. Pœna vermis poteſt etiam eſſe duplex: ſed pœna Gehennæ eſt communis. *Art.* 5. Vnus intendens adulterium,

terium, & tantùm fornicans. Alter intendens fornicari & adulterans : excedunt & exceduntur. Quantùm quis intendit, tantum facit : actu interno, non externo. *Art. 6.* Ad peccatum mortale ſufficit intentio mortalis : ſed non ad quodlibet mortale, ſine opere externo. Ad veniale autem requiritur & intentio venialis, & opus veniale.

QVÆSTIO 108. *De peccato & eius diuiſione.*

Memb. 1. Quid ſit? *Art.* 1. A defectu efficientis, *Eſt malum voluntarium, ex Retr. Aug.* A defectu formæ, *Eſt carentia debitæ iuſtitiæ, ex Anſ.* A defectu finis, *Eſt priuatio boni ſeu finis, ex Aug. lib. de natura Boni.* A vitio materiæ, *Eſt ſuperfluitas concupiſcentiæ, ex Damaſc. lib.* 4. *Art.* 2. De 1. *Deſin.* Quòd peccatum Orig, ſit etiam voluntarium in *Adamo* : peccata autem ignorantiæ & cuiuſdam coactionis ſint etiam ex cuiuſuis voluntate. Vt *Aug in Retract.*

§. 1. De 2. *Deſin.* omnis peccati, vt eſt carentia debitæ iuſtitiæ naturalis, vel gratuitæ, in perſona, vel ſolo eius actu, ex voluntate propria vel aliena. §. 2. De 3. *Deſin.* omnis peccati, vt eſt priuatio boni ſeu finis, vel in ſolo actu, vel etiam in ipſa perſona. §. 3. De 4. *Deſin.* Peccati etiam Angelici : non à concupiſcentia humana & pœnali, ſed ſpirituali Angelis etiam communi.

Memb. 2. De prima diuiſione ſubiectiua, in peccatum Angeli & hominis : quia hoc eſt ab illo.

QVÆSTIO 109. *De peccato Luciferi & ſuorum.*

Memb. 1. Quis fuerit Lucifer? *Art.* 1. Fuit de ordine ſuperiori, ex *Ezech.* 28. *& SS. PP.* *Art.* 2. Fuit ſupremus. *Iob.* 40. *Ipſe eſt Principium viarum Domini. Eſa.* 14. *Dixiſti Lucifer, In cœlum conſcendam, &c. Ezech.* 28. *&* 31. *Art.* 4. Non fuit creatus malus, ſed propria voluntate deprauatus. *Ad* 1. *ex Iob.* 40. *& Pſal.* 103. *Factus eſt ad illudendum ei* .i. ad hoc teordinatus. *Ad* 2. *ex Ioan.* 8. *In veritate non ſtetit* .i. fuit, ſed non permanſit. *Ab initio peccauit* .i. ab initio peccati.

Memb. 2. Quod fuerit primum eius peccatum? *Reſp.* Superbia, ſeu Appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. Ex *Eſa.* 14. *Ezech.* 28. *Luc.* 10. *Ad Arg.* Hæc ſuperbia eſt etiam cupiditas : quàm neceſſariò comitatur omiſſio, non infidelitas; quia voluntas poteſt eſſe impoſſibilium.

Memb. 3. Quo motiuo finali? *Reſp.* Non expreſſæ æqualitatis diuinæ in eſſendo : ſed cuiuſdam independentiæ ac præſidentiæ diuinæ. *Ad Arg. Aſcendam, &c. Eſ.* 14. i. appetitu. *Similis ero, &c.* .i. non æqualis. §. 1. Non peccauit appetendo ſimilitudinem conuenientem naturæ, gratiæ, vel gloriæ : ſed independentiæ & præſidentiæ, quæ eſt ſoliùs Dei. §. 2. Peccauit ex nimia complacentia ſuæ perfectionis, appetendo diuinam : ſicque conuerſione ad ſe, & auerſione Deo.

Memb. 4. De irremiſſibilitate illius peccati. *Art.* 1. Non ex impoſſibilitate abſoluta : ſed ex obſtinatione, & deſperatione diabolica, &c. Fuit & irremediabile per alium : quia non fuit ab alio contractum, vt peccatum Orig. hominum. *Ad* 4. *&* 5. Peccatum animæ ſeparatæ eſſet etiam irremiſſibile. *Ad* 7. *&* 8. Poſſet Deus ei dare gratiam pœnitendi : ſed non congruit, &c. *Art.* 2. Nec quia ſpecialiter erat in SpiritumS. potiùs quàm in Patrem & Filium, niſi ob circumſtantias peccati : ſed ex ſtatu perſonæ, &c. *Art.* 3. Non potuit primò nec conſequenter peccare venialiter : ob excellentiam ſui ſtatus, & malitiâ in peccando.

Memb. 5. Peccat adhuc eodem genere peccati, non eadem ſpecie proxima. *Ad* 1. *ex Pſal.* 73. *Superbia eorum aſcendit ſemper* : non intenſiuè, ſed contra membra Corporis myſtici.

Memb. 6. Peccatum diaboli non eſt cauſa neceſſaria noſtri, ſed tantùm occaſionalis.

Memb. 7. De Capite Malorum. *Art.* 1. Diabolus dicitur Caput Malorum. 1. Quia primus peccauit. 2. Quia influit in alios, ſuggeſtione propinqua vel remota. *Art.* 2. Non dicuntur vnum in eſſe naturali, ſed morali. *Art.* 3. Dæmones dicuntur membra eius, ab imitatione : mali homines, à conſenſu in eius ſuggeſtiones. *Ad Arg.* Dicuntur filij Diaboli ab aliqua operum ſimilitudine. *Art.* 4. Non dicitur Caput omnium à ſuggeſtione aut imitatione omnium peccatorum : ſed ab illius dominio, & horum ſubiectione per quoduis peccatum mortale. *Art.* 5. Peccatum mort. vnit peccatores diabolo, vt membra ſuo Capiti, ex condeformi voluntate. *Art.* 6. Membrum Chriſti, peccando mort. fit membrum Diaboli : ſaluo charactere Baptiſmali. *Art.* 7. Membrum Eccleſiæ, ſolo numero, eſt ex ſola fide : ſed Chriſti, nonniſi ex charitate. *Art.* 8. Antichriſtus dicitur Caput malorum hominum : ſed ſub Diabolo, & ab ipſo.

Memb. 8. Non refertur expreſſè primum peccatum Diaboli, *in Gen.* quia erat irremediabile : ſed inſinuatur per diuiſionem lucis à tenebris.

Memb. 9. Ex primo illo peccato Superbiæ, ſtatim ſecutum eſt peccatum inuidiæ in homines, potiùs quàm alios Angelos : quia illi erant ad ſupplendum eius locum.

Memb. 10. Peccatum ſuperbiæ & inuidiæ dicuntur peccata diaboli, *Eſa* 14. *& Sap.* 2. vt duo prima genera omnium peccatorum ſpiritualium.

Memb. 1. Peccauit ſtatim poſt inſtans ſuæ creationis, vel paulo poſt, ante creationem hominis. *Ad* 4. Potuit ſtatim vel bonum vel malum, & voluntas erat ſufficiens, nec eſt determinata ad tempus, &c. *Ad* 5. *ex Ezech.* 28. *Ambulaſti perfectus*.i. motu naturæ, non temporis.

QVÆST. 110. *De peccato aliorum Angelorum.*

Memb. 1. Peccauerunt eodem peccato ſuperbiæ, conſentiendo Lucifero : quod non mutat ſpeciem peccati. *Ad Arg.* Inobedientia, cupiditas, præſumptio non erant diſtincta peccata : ſed incluſa in eodem circa eandem materiam.

Memb. 2. Ex *Anſ.* Appetierunt perfectionem ſuæ Beatitudinis contra iuſtitiam .i. vel ſine gratia & meritis, quaſi ex dignitate naturæ ſuæ; vel plus aut priùs quàm Deus dare vellet.

Memb. 3. Si de quolibet ordine ceciderunt : non tamen fit mentio in Script. de Seraphim & Thronis, ob horum denominationes ſolis bonis proprias, à charitate, & ſeſſione Dei in illis. Sed Lucifer licet ſupremus, denominatur Cherub : à ſcientia communi bonis & malis.

Memb.

Digitized by Google

Memb. 4. Plures ſteterunt quàm ceciderunt. Ex 4. *Reg.* 6. Plures nobiſcum ſunt. Nec obſtat multitudo Bonorum, aut pluralitas Peccatorum: quia iidem mali Angeli poſſunt ſucceſſiuè tentare homines ſibi inuicem moriendo ſuccedentes; nec erant ex natura corrupta inclinati ad peccandum, vt ſunt homines.

Memb. 5. Vel omnes ſimul cum Lucifero peccauerunt, vel ſubito poſt. *Ad* 1. In Angelis non eſt neceſſaria diſpoſitio præcedens ad conſenſum.

Memb. 6. Peccatum Luciferi fuit maius quàm aliorum ex maiori libidine, cognitione, & tentatione aliorum.

Memb. 7. Vt Luciferi, ſic & aliorum peccatum fuit irremediabile.

Memb. 8. Etſi fuiſſent conditi in gratuitis, & in gratia perſeuerandi, ſeu virtute ad perſeuerandum: non tamen in ſtatu perſeuerantiæ. *Ad* 2. Si erant in ſola iuſtitia naturali proniore ad bonum quàm malum: erant tamen liberi ad vtrumlibet. *Ad* 3. Datio perſeuerantiæ eſt cauſa eam accipiendi & habendi: non datio, non eſt cauſa non acceptionis, niſi conſequentiæ; ſed non acceptio eſt cauſa non dationis. *Ad* 4. Deus, quantum eſt de ſe, offert. *Ad* 5. Acceperunt poteſtatem & voluntatem perſeuerandi: ſed non *pervoluerunt*, ait *Anſ*.i. non perfectè voluerunt. *Ad* 6. Non velle tenere, non fuit cauſa volendi deſerere: ſed velle deſerere fuit cauſa non volendi tenere. Voluerunt autem deſerere, volendo aliud indebitè.

QVÆSTIO 111.

De ligatione Luciferi, quoad poteſtatem tenendi.

Memb. 1. Eſt minor quàm vellet & poſſet.

Memb. 2. Eſt adhuc minor poſt Chriſtum quàm ante: ex vi gratiæ reſiſtendi.

Memb. 3. Si quis plenè vinceret tentationem alicuius Dæmonis, fortè non amplius ab eodem de eodem tentaretur: ſed veriſimilius eſt quòd nunquam hic tam plenè vincatur.

Memb. 4. Diabolus ſemel victus perdit audaciam, non poteſtatem tentandi. Sic exponit *Adamantium* in *Ioſue* 11.

Memb. 5. Non cohibetur ab vllius tentatione exteriori: ſed ab interiori eorum in quibus eſt fomes extinctus, vel non fuit; & à quorundam grauiori ad lapſum.

QVÆST. 112. *De ligatione poteſtatis eius ad alia.*

Memb. 1. Poteſt adhuc mira ex ſua natura: ſed non miracula.

Memb. 2. Cohibita eſt eius poteſtas naturalis in corporalia.

Memb. 3. Non habet poteſtatem in corpora aut animas hominum, ad aliquam mutationem realem: ſed ad illuſionem ſenſuum, &c. Non meminit motus localis, ſed nec videtur eum negare.

Memb. 4. Habet poteſtatem in malos vt ſibi velut tortori, non domino, ſubditos, 2. *Pet.* 2. Sed in bonos, nonniſi ad eorum probationem.

Memb. 5. Deus moderatur poteſtatem naturalem Dæmonum, relatiuè ad homines præſeruandos, probandos, puniendos, &c.

Memb. 6. Cohibentur aliquando à Deo ſolo, aliquando etiam per bonos Angelos, *ex Aug.* 3. *Trin.*

QVÆSTIO 113. *De obſcuratione cognitionis.*

Memb. 1. Priuati ſunt cognitione Dei, ex lumine ac illuminatione ſuperiori: non ex alijs omnibus effectibus Dei, & experientia iuſtitiæ eius. §. 1. Dæmones non certò cognouerunt Chriſtum eſſe Deum, ante mortem eius. Ex 1. *Cor.* 2. Si cognouiſſent, &c. §. 2. Si quam habuerunt veram cognitionem in Deo, nunc non habent.

Memb. 2. Cognoſcunt adhuc ſeipſos quoad naturalia: ſed minùs perfectè quàm ante.

Memb. 3. Cognoſcunt adhuc virtutes, per earum effectus in alijs: ſed per priuationem in ſe, non per eſſentiam virtutum, aut ſpecies indè oriundas. §. 1. Priuatio huius cognitionis eſt nunc eis pœnalis.

Memb. 4. Non ſunt priuati cognitione naturali rerum in genere proprio: ſed veſpertina, quæ eſt etiam ex gratia, & propria Bonorum.

QVÆST. 114. *De pœna Vermis ſeu Conſcientiæ.*

Memb. 1. Hæc eſt in Dæmonibus, quoad remorſum peccatorum.

Memb. 2. Ineſt eis æquè quoad rem: ſed potiùs animabus damnatis, quoad denominationem & ſimilitudinem Vermis.

Memb. 3. Priuatio viſionis Dei eſt maxima pœna damni: Gehenna ignis, maxima pœna ſenſus; ſed Vermis eſt pœna maxima ſpiritualis & inhæréns.

Memb. 4. Pœna Vermis eſt de omnibus peccatis ſimul cognitis.

QVÆSTIO 115. *De pœna voluntatis.*

Memb. 1. Poſſunt adhuc habere quaſi gaudium: quia poſſunt adhuc demereri; ſed nonniſi valdè amarum.

Memb. 2. Illud gaudium inordinatum eſt culpa: ſed effectiuè & materialiter etiam pœna; quia & meretur pœnam, & eſt materia pœnæ.

Memb. 3. Patiuntur dolorem ſeu triſtitiam de priuatione Boni amiſſi in re & ſpe.

Memb. 4. Patiuntur & timorem mali, *Iac.* 2.

QVÆSTIO 116. *De pœna locali.*

Memb. 1. Patiuntur pœnam lapſus ex cœlo Empyreo, ad hunc aërem caliginoſum: quia hinc non poſſunt eò redire, & ferunt ſecum tenebras interiores. *Ad* 2. Ipſi ſibi indè pœnam faciunt.

Memb. 2. Sunt in ſtatu & loco medio inter primum & vltimum: ad indè agendum, & hinc patiendum. *Ad* 1. Aër natura ſua nil poteſt in ſpiritum: ſed hic demeruit à corpore pati. *Ad* 2. Quia ſunt ſpiritus, patiuntur in eo quòd cogantur ad corpora

Memb. 3. Dici poſſunt lapſi de cælo per ſuperbiam, ex paradiſo per tentationem primorum Parentum, ex tota terra habitabili per tentationem hominum; ſed nonniſi ad hunc aërem caliginoſum, & ad infernum.

Memb. 4. Pœna temporalis huius aëris caliginoſi, & æterna inferni, eſt communis omnibus Dæmonibus. Ex 2. *Pet.* 2. *Mat.* 25. *Apoc.* 19. 20. Aër hic poteſt nunc etiam dici infernus Dæmonum, comparatiuè ad cœlum Empyreum.

QVÆSTIO 117. *De tentatione Dæmonum.*

Memb. 1. Omnis tentatio Dæmonum, ex *Caſſiodoro*, eſt ſimulatio boni ad fallendum. §. 2. ex *Hugone*,

Digitized by Google

Hugone, Tentare eſt callidè experiri, & bland. conari, &c. quoad initium tentationis.

Memb. 2. Eſt proprium officium Dæmonum ſic tentare, per ſe vel ſuos. *Ad* 3. & 4. *ex Iac.* 1. Hæc tentatio eſt a Diabolo vt patre, ſeu primo motore: à concupiſcentia, vt matre, ſeu medio per quod.

Memb. 3. Cuius ſit ſic tentari? *Art.* 1. Eſt ſoliùs hominis. *Art.* 2. Boni & Mali. *Art.* 3. Fuit etiam Chriſti exteriùs, *Matt.* 4. *Art.* 4. Eſt ipſorum etiam dormientium: ad malum affectum, & effectum poſt ſomnium. *Art.* 5. Solet eſſe grauior tentatio Religioſorum ante ingreſſum, quàm paulo poſt; in progreſſu, quàm initio vel fine. *Art.* 6. Eſt maior tentatio perfectorum: ſed potentior imperfectorum. *Art.* 7. Eſt acrior reſiſtentium, quàm non. *Art.* 8. Eſt acrior & fallacior fidelium: ſed multiplicior infidelium. *Art.* 9. Eſt maior cupiditas, ſed minor permiſſio tentandi vnitos Eccleſiæ, quàm ſeparatos.

Memb. 4. Diabolus tentauit *Adamum* ex inuidia.

Memb. 5. Deus permiſit & permittit ad eliciendum bonum, & ſaluandum liberum Arb.

Memb. 6. De varijs differentijs Tentationis vel tentati, &c. Sed ſpecialiter, de Tent. humana, 1. *Cor.* 11. & diabolica: ex humano modo conſentiendi per infirmitatem, vel diabolico per malitiam; vel ex conſenſu veniali & mortali, & pluribus alijs ſenſibus. Item de Tentatione Diuina & humana, ex *libro Aug. de nono Teſt.* non effectiuè, ſed materialiter .i. non à Deo, ſed de Deo vel homine. §. 1. De tentatione à Diabolo proximè, vel à carne: ab hoſte exteriore, Diabolo vel mundo, & ab interiore. *Ad* 3. Senſualitas non eſt vt in Brutis: ſed vt ſubordinata rationi. §. 2. De Tentatione exteriore & interiore: vt inclinat ad aliquem conſenſum, vel vt eſt ſolùm ad probationem. §. 3. De 4. Tent. S. *Bern. in Pſal.* 40. 1. Eſt leuis & occulta, *à timore nocturno.* 2. Leuis & manifeſta, *à ſagitta volante per diem.* 3. Grauis & occulta, *à negotio ambulante in tenebris.* 4. Grauis & aperta, *à Dæmonio meridiano.* §. 4. De 6. S. *Greg.* 1. Oprimendo. 2. Inſinuando. 3. Minando. 4. Blandè ſuadendo de præſenti. 5. Promittendo de futuro. 6. Deſperando. §. 5. De 2. eiuſdem, per vicia ſeu delectabilia vitiorum, & per flagella, ſeu triſtia: vel per mala culpæ, & pœnæ. §. 6. De 7. S. *Bern.* 1. Importuna. 2. Dubia. 3. Subita. 4. Occulta. 5. Violenta. 6. Fraudulenta. 7. Perplexa.

Memb. 7. De varijs modis tentationis exterioris & interioris. *Art.* 1. Quomodo Diabolus tentet exteriùs? §. 1. Non nouis ſignis ſibi poſſibilibus: ſed vtendo ad hoc rebus ſenſibilibus. §. 2. Nec vniendo ſeipſum per eſſentiam ſenſibus, ſed per operationem. *Parag.* 3. Per quemlibet ſenſum: ſed fortiùs per guſtum & tactum, per viſum autem multpliciùs. *Art.* 2. Quomodo caro tentet? *Parag.* 1. Caro tentat .i. ſenſualitas carnis. *Parag.* 2. Ratio ſuperior mediante inferiore tentatur: non ipſa ſenſualitas. *Ad* 1. Si primus motus peccati venialis ſit in ſenſualitate: non eſt neceſſariò ex tentatione; ſed ſi eſt in ratione inferiore. *Parag.* 3. Nunc fit per concupiſcentiam boni apparentis: nunc per iram contra malum apparens. *Parag.* 4. Tentatio in ſola ſenſualitate poteſt eſſe peccatum veniale. *Ad* 2. Potuit & eſſe in Apoſtolo, 2. *Cor.* 12. *Art.* 3. Quomodo Hoſtis tentet per carnem? *Parag.* 1. Per imaginatiuam. *Parag.* 2. Repreſentando ſimilitudines rerum inclinantium ad malum, vel auertentium à bono. *Parag.* 3. Hæc tentatio in ſola cognitiua non eſt peccatum: ſicut in motiua ſeu affectiua ſenſuali; non ob inclinationem ad mortale, ſed ob motum inordinatum in ſe. *Parag.* 4. Hæc Tent. eſt ad profectum Bonorum, reſiſtentium in vigilia, non in ſolo ſomno. *Art.* 4. De tentatione intellectus. *Parag.* 1. Non omnes malæ cogitationes ſunt à Diabolo. *Parag.* 2. Nec vllæ immittuntur ſeu fiunt à Diabolo, niſi diſpoſitiuè: ſed à nobis defectiuè vt malæ, à Deo nobiſcum effectiuè, vt ſunt cogitationes. *Parag.* 3. Diabolus eſt incentor vitiorum & malarum cogitationū, non author, &c. *ex V. Beda.* *Parag.* 4. Obſcurare cogitationem, eſt ne videatur quid eligendum aut non: incendere autem, eſt mouere ad malè eligendum.

Memb. 8. De remedijs, Humilitatis, Orationis, & Vigilantiæ, contra tentationes.

Memb. 9. De quadam ceſſatione Diaboli à tentatione actuali Bonorum, & malorum: vel cógente Deo, vel timore victoriæ Bonorum, & conuerſionis malorum ex nimia fatigatione; nunquam tamen à praua voluntate tentandi.

Memb. 10. De creſcente appetitu eius tentandi, vſque ad finem huius mundi.

QVAST. 118. *De demerito præſenti Dæmonum.*

Memb. 1. Vt Angeli boni poſſunt nunc adhuc mereri præmia accidentalia, per bona opera: ſic & Dæmones demereri pœnas accidentales, per mala. Non ſic tamen damnati, nec Dæmones poſt Iudicium: quia nunc libet ipſis abſolutè, peccare; tunc autem, nonniſi poſſent impunè.

Memb. 2. Sunt in cōtinuo peccato etiam actuali.

Memb. 3. Peccant quouis motu liberi Arb. non naturæ. *Ad* 4. Vita Infidelium dicitur eſſe peccatum: non quoad omnem motum, ſed ſtatum peccati. & omnia opera mortua. *Art.* 1. Credere Diaboli, *Iac.* 2. eſt bonum in genere: non voluntarium, nec ex fide informi, vt formabili voluntatis; ſed nullatenus formabili ſoliùs intellectus. *Art.* 2. Oderunt Deum, nolendo eum eſſe vt iuſtum: non vt Creatorem, &c. *ex Pſal.* 70. & *B. Aug.* *Art.* 3. Malitia propria & aliena placet eis liberè: non vt priuatio boni, ſed vt ſuæ voluntati conueniens; non tamen naturaliter. *Art.* 4. Non habent vllam ſpem ſalutis. *Art.* 5. Timent pœnam, ex eius cognitione, non ex vllo dono Timoris ſeruilis, *Iac.* 2. *Art.* 6. Non ſuperbient actu contra Dominum in die Iuditij. *Art.* 7. Quidam dicunt quòd liberè malint eſſe contra Deum, quàm non eſſe: ſed homines damnati mallent non eſſe, quàm eſſe in illis pœnis; non tamen paruuli, quia nullam ſentiunt pœnam actualem. *Art.* 8. Subiecti ſunt paſſionibus animi, non corporis. *Art.* 9. Demerentur magis magiſque peccando: indeque magis punientur; quia prima

Digitized by Google

eorum mala voluntas non fuit ex tunc determinata ad hæc omnia mala actu, ſed actu incenditur ad ea.

QVÆSTIO 119.

De Tentatione primorum Parentum : per 9. Memb.

1. Hoc non fuit primum peccatum Diaboli, &c. 2. Fuit hæc vnica totalis tentatio inobedientiæ, ex motiuo ſuperbiæ. 3. Si quæ plures fuerunt, referendæ ſunt ad primam. 4. Fuit per rem ſenſibilem: ſed de re primò intelligibili. 5. Nonniſi per ſerpentem : Deo non aliter permittente; ſed quaſi ſub vultu virgineo, & corpore ac motu lubrico, ad ſignificandam ipſam tentationem. 6. Locutio illa fuit à Diabolo, per organa ſerpentis. 7. Incœpit à muliere, vt inferiore & infirmiore. 8. Vt & ſolet in nobis à parte animali : ſed poteſt etiam inchoari à rationali. 9. Melius fuit hominem poſſe tentari, & diſſentire, quàm non poſſe tentari.

QVÆSTIO. 120.

De peccato primorum Parentum.

Memb. 1. Primum omnium fuit Superbia, appetendi ſimilitudinem ſcientiæ diuinæ : vnde proceſſit appetitus fructus vetiti; & hinc eius comeſtio, quæ vt peccatum Gulæ, fuit proxima cauſa totius peccati Orig. *Ad* 1. Non fuit error in fide contra vnitatem Dei : ſed cupiditas participandi vltra modum. *Ad vlt.* Fuit vnum peccatum quaſi ex pluribus ab vno : ſed non tam vnum ac peccatum Diaboli.

Memb. 2. Primum motiuum fuit appetitus ſcientiæ deiformis : quaſi ex natura, ſine vlla gratia & merito. Hinc *Phil.* 2. dicitur Rapina : non ipſius Deitatis directè, ſed conſequenter .i. ſimilitudinis ſupernaturalis ſine gratia.

Memb. 3. Fuit maximum quoad conſequentiam damni : non quoad iniuriam Dei, & malitiam. *Ad Aug.* 14. *Ciu.* Ex facilitate illa obediendi fuit maiùs noſtris: ſed non maximum ſimpliciter.

Memb. 4. Adam non peccauit ſeductus, nec eodem affectu quo *Eua*, vt eſſet ſicut Deus : ſed eodem effectu, & conſenſu. *Parag.* 1. De varia inæqualitate reciproca huius & illius peccati.

Memb. 5. Non fuit peccatum irremediabile, nec irremiſſibile : vt peccatum in Spiritum S. directè.

Memb. 6. Homo potuit primò peccare venialiter : ſed peccauit primò mortaliter; quia Ratio non ſtetit recta ſub Deo, nec vires inferiores ſub ipſa. *Ad* 2. Videtur velle quòd peccatum veniale non potuerit ſtare cum rectitudine ſtatus Innocentiæ, ſed ſoliùs gratiæ gratum facientis : quia hæc eſt in ſola parte ſuperiori, quæ non peccat venialiter; illa etiam in viribus inferioribus, quæ poſſunt peccare venialiter.

Memb. 7. Conſentire *Eua* in appetenda illa ſimilitudine Dei, fuiſſet maiùs peccatum in ſe : ſed conſentire in eſum fructus vetiti, fuit maiùs ex damno. *Ad* 1. *quæſitum.* Non fuit prohibitus tactus, niſi ad eſum. *Ad* 2. *Ex* 70. videtur præceptum datum ipſi etiam mulieri : ſed ex noſtra editione, nonniſi per virum.

Memb. 8. Adam peccauit poſt meridiem, ex *Gen.* 3. vt & Chriſtus mortuus eſt.

Memb. 9. Adam peccato non corrupit totam naturam humanam poſſibilem : ſed ſuam, & ex ſe ad poſteros ſeminaliter propagatam; non *corruptione naturali, ſed ſpirituali*, ex lege iuſtitiæ generalis.

QVÆST. 121. *De morte, vt pœna primi peccati.*

Memb. 1. Mors non eſt ex ſe bona. *Parag.* 1. Nec eſt ex natura primò inſtituta : ſed eſt pœna primi peccati. *Ad Arg.* Anima rationalis ex natura ſua. ſine culpa, requirit corpus immortale.

Memb. 2. Mortalitas corporalis vniuerſaliter, eſt ex ſolo primo peccato. *Gen.* 2.

Memb. 3. Hæc pœna fuit valdè proportionata culpæ.

Memb. 4. Eodem inſtanti illata fuit mors ſpiritualis, & mortalitas corporalis.

Memb 5. Mors non eſt à Deo Authore : ſed ab eo Iudice, vt iuſta pœna.

Memb. 6. Non eſt pœna iuſta ſolius *Adæ* : ſed & omnium qui ab eo vt peccatore meritò ei ſimiles peccatores generantur.

Memb. 7. Eſt pœna bonorum & malorum : non ob imitationem, ſed ob originem ſeminalem.

Memb. 8. Mors actualis, eſt pœna corporalis ſenſibilis morientis, necdum mortui.

Memb. 9. Mors vt pœna, eſt inuoluntaria : ſed eius paſſio poteſt eſſe voluntaria & meritoria.

Memb. 10. De pœnis ſpecialibus. *Parag.* 1. De partu & ſubiectione pœnali ſeu inuoluntaria Mulieris ad virum : diſtincta à ſubiectione naturali quoad corpus, & obedientia voluntaria ad meritum. *Ad vlt.* Rectè poſt pœnam pariendi cum dolore, ſubditur : *Vir dominabitur tui, &c.* ne ex partu præſumat, &c. *Parag.* 2. De varijs pœnis latis in virum, vt & in Diabolum : *Quia, &c. Gen.* 3. non ſic in fœminam; quia illi vigebant ratione præ hac. *Parag.* 3. De maledictione terræ *Gen.* 3. non vt pœnali terræ, ſed homini : ob culpam tamen circa fructum terræ, &c. *Parag.* 4. De pœna communi viuendi hîc laborioſè, & ex terra laborioſè culta. *Parag.* 5. De feracitate pœnali ſpinarum & tribulorum, victu pœnali ex herbis inſtar animalium, & pane ſudore parando : Deque communi morte ac incineratione, nullis à morte exceptis, paucis per gratiam ab incineratione. *Parag.* 6. De tunicis illis *pelliceis*, in ſignum mortalitatis : De illa quaſi exprobratione Dei, *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis, &c.* Deque priuatione ligni vitæ, *expulſione è Paradiſo*, & exilio irreuocabili.

QVÆSTIO 122. *De peccato originali.*

Memb. 1. An ſit? *Reſp.* Eſſe, ex *Gen.* 3. 17. *Ioan.* 3. *Rom.* 10. *Eph.* 2. & ex varijs pœnis ac miſerijs totius naturæ humanæ. *Ad* 1. Pœnæ poſt Baptiſmum reſtant ad meritum patiendi, & reſiſtendi, 2. *Tim.* 2. ideoque non vt pœnæ peccati.

Ad 2. Vt pes non fit claudus niſi per accidens, ex defectu : ſic nec proles in peccato Orig. *Ad* 3. Non traducitur idem numero. *Ad* 4. Corpus non agit in animam. *Ad* 5. Caro prolium fuit parentum, ideò puniri poteſt pro illis : ſed anima non punitur niſi pro culpa propria ſingulorum. Hinc ad *Exod.* 20. *Ezech.* 18. *Ad* 6. Animæ non erant in *Adamo* perſonaliter : ſed vt in natura quaſi vniuerſali. *Ad* 7. Anima quoad ſe & ſuas vires appetit vniri & vnitur corpori. *Ad* 8. Gratia nec eſt, nec propagatur à natura, vt culpa Orig. *Ad* 9.

Culpa

Digitized by Google

Culpa non transfunditur à Deo, vt gratia. *Ad.* 10. Eramus in lumbis *Adæ*, materialiter, & concupiſcibiliter; Chriſtus tantùm materialiter. *Ad* 11. *Adam* non potuit reparare hoc damnum, ſalua veritate ac iuſtitia Dei.

Memb. 2. Quid ſit? *Art.* 1. Non eſt tantùm pœna, ſed & culpa priuationis Iuſtitiæ debitæ, ſeu deformitas animæ; & pœna concupiſcibilitatis in paruulis, concupiſcentiæ in adultis. Vt patet ex Lauacro Baptiſmi à peccatis, & ex priuatione Beatitudinis nonniſi pro culpa.

Ad 1. *Aug.* de lib. Arb. *Nonnulli homini, ſed naturæ, dixi peccata nocere niſi ſua.*

Ad 2. Culpa Orig. eſt concupiſcentia materialiter, formaliter macula ſeu deformitas illa.

Ad vlt. Quòd *Adæ* fuit actuale, eſt nobis originale .i. cauſaliter, non formaliter.

Art. 2. Eſt culpa voluntaria, voluntate communi *Adami*, non propria ſingulorum: *ex B. Aug. lib.* 1. *Retract.*

Ad Aug. ibid. *Peccatum dicitur voluntarium: quòd eſt culpa, non pœna* .i. quatenus culpa, non quatenùs eſt etiam pœna.

Ad vlt. Quidam dicunt eſſe voluntarium animæ appetenti vniri potiùs corpori corrupto, quàm nulli: ſed quia ſine authoritate, eadem facilitate contemnitur, quà à quibuſdam approbatur.

Art. 3. De varijs eius definitionibus. 1. *Eſt carentia ſeu nuditas debitæ iuſtitiæ, ſeu potentiæ originalis eam habendi, per inobedientiam* Adæ *contracta:* Non gratiæ gratum facientis, nec naturalis, ſed originalis. 2. Materialiter, *Eſt vitium ex corruptione ſeminis in homine natum.* 3. *Eſt concupiſcentia ex vitioſa conditione noſtræ originis contracta.* Quæ eſt in parte rationali, eſt culpa & pœna: quæ in ſenſitiua, eſt ſolum pœna. Quidam dicunt quòd ſit etiam auerſio à ſummo bono, ad commutabile: non actualis, ſed habitualis. Sed non eſt vlla auerſio actiua, nec habitualis, nec actualis: quia hæc eſt actus vel ex actu proprio.

Parag. 1. Ignorantia eſt pœna, non culpa niſi cauſaliter: quia culpa proprie eſt in voluntate, quæ ſibi & rationi meretur pœnam.

Art. 4. Carentia debitæ iuſtitiæ non eſt pœna, ſed culpa carentis: poteſt tamen etiam eſſe pœna totius voluntatis humanæ in *Adam* peccantis; ſed concupiſcentia eſt pœna, non culpa.

Memb. 3. De cauſa peccati Orig. *Art.* 1. Non contrahitur niſi ex illo peccato primorum Parentum. *Ad* 1. *Exod.* 20. i. De iuſta punitione prolium imitantium parentes in peccando. *Ad.* 2. Soli primi parentes poterant omnibus conſeruare iuſtitiam orig. *Ad* 3. Parentes proximi non poſſunt augere pecc. orig. ſed demereri citiùs effectum eius. *Art.* 2. Imputandum eſt potiùs *Adamo*, quàm *Euæ*: quia in illo ſolo erat tota natura humana. *Ad* 1. *Eua* prior peccauit: ſed *Adam* plus quoad damnum. *Ad* 2. & 3. Si ſola *Eua* peccaſſet, ſola perijſſet, *ex Anſ.* *Ad vlt.* Tota cauſa corruptionis orig. eſt *Adam* peccator generans, in *Eua* peccatrice. Quòd ſi ſolus *Adam* peccaſſet, videtur quòd ex *Eua* non peccante genuiſſet etiam peccatores. *Art.* 3. Contrahitur ex peccato inobedientiæ, contra primum illud præceptum, vt commune toti naturæ humanæ in *Adamo*: cùm fuerit etiam *Euæ*, quæ non fuit ab eo ſeminaliter propagata. Hinc *Rom.* 5. Per inobedientiam vnius hominis, &c. i. ait *Aug. Non quaſi vnius perſonæ, ſed totius hominis in vno.*

Ad vlt. Per vnum hominem, *ait Apoſt.* quia mulier & vir in generando non ſunt duo ſed vna caro. *Eccli.* 25. A muliere initium peccati, & per illam omnes morimur.

Memb. 4. Cùm ſit culpa, & pœna: vt pœna, eſt ex fœditate vitioſa corporis; vt culpa, ex carentia iuſtitiæ debitæ.

Ad 1. Aliæ pœnæ ſunt ex culpa: hæc culpa, eſt ex illa pœna.

Ad 2. Anima poteſt contrahere culpam ex coniunctione ad carnem corruptam.

Ad 3. Generamur vniuocè ab *Adamo* in culpa & pœna: ſed pœna prior eſt in carne noſtra.

Ad 4. Vt vinum inebriat, vel aceſcit in vaſe, ſic corpus inficit animan, &c.

Ad 5. Vt anima ex corpore contrahit varias paſſiones: ſic &c.

Ad 7. & 8. Deus iuſtè infundit & punit animam in corpore organizato.

Ad 9. Anima non peccat hoc peccato: ſed eſt eius rea.

Ad vlt. Vt ex grano ſine palea germinat granum cum palea, & ex olea oleaſter: ſic etiam ex iuſtis peccatores.

Parag. 1. Non contrahitur ex carne niſi vt libidinoſè, ſeu concupiſcibiliter genita. *Ex Aug. ſæpe.*

Memb. 5. Peccatum illud primorum parentum fuit originale, à Perſona in Naturam: in nobis à natura in perſonas; in illis, cauſaliter & ſubiectiuè; in nobis non cauſaliter, ſed ſubiectiuè. *Infra.* In *Adam* non in *Eua* dicuntur omnes peccaſſe: ideoque non videtur fuiſſe effectiuè in *Eua*.

Memb. 6. Peccatum orig. dicitur per Baptiſmum *tranſire reatu culpæ*: ſed *manere actu*, ſeu in effectu ſuo Concupiſcentiæ; non tamen vt regnantis, & culpabilis, ſed ſubditæ, aut repugnantis ad exercitium virtutis.

Parag. 1. Gratia Baptiſmalis delet totam culpam, *& pœnam ſuffocantem, non promouentem.*

Ad Arg. Gratia eſt potentior culpa, &c. ex *Rom.* 5. Quia delet omnes culpas, & aperit Beatitudinem etiam ijs *qui non deſcendiſſent ab Adam.*

Memb. 7. De concupiſcentia originali.

Art. 1. Eſt per ſe pœna, non culpa: niſi denominatiuè à cauſa vel effectu culpæ, ex *B. Aug. ad Valerium.*

Art. 2. Eſt & dicitur fomes: à fouendo feruore peccandi, *Rom.* 7.

Art. 3. In quo ſit?

Parag. 1. Eſt ſubiectiuè in ſola anima: ſed quaſi cauſaliter in carne corrupta, animam inclinante, *Sap.* 11.

Parag. 2. Omnes vires animæ ſuo modo ſunt vitiatæ.

Digitized by Google

Parag. 3. Sed præ omnibus vis generatiua: tam ad peccata actualia ſingularum perſonarum, quàm ad transfuſionem originalis, per ſuos motus irrationales.

Parag. 4. Quibus tamen coniuges poſſunt vti ad coitum, & finem coniugij, ſine peccato.

Art. 4. Vt eſt fomes peccati, ſeu inclinatio ad peccandum, non eſt à Deo: ſed vt pœna iuſta peccati.

Art. 5. Concupiſcentia, ſeu pronitas communis creaturæ rationalis ad peccandum, eſt cauſa omnium malorum: non autem concupiſcentia ſenſitiua hominis ex carne & culpa originali.

Art. 6. Vt eſt ex ſolo peccato orig. eſt æqualis in omnibus: non autem vt ex varijs conditionibus, complexionis, ætatis, liberi vſus aut abuſus; nec comparatiuè ad varias gratias reſiſtendi.

Art. 7. De eius extinctione aut non.

Parag. 1. Fomes fuit in aliquibus extinctus.

Ad 6. In quo non ſurgunt, ſed poſſunt ſurgere motus veniales, manet concupiſcentia, ſed non eſt fomes actu.

Parag. 2. Fomes extinguitur, non vt nullatenus ſit, ſed non vt fomes peccati, &c. 1. Eſt intenſus ante Bapt. 2. Materialis poſt, cui per gratiam reſiſti poteſt. 3. Materia eius extinguitur, &c. *Omnino concupiſcentia ſubiecta fuit in B. Virgine: vt nullatenus rebellare poſſet, gratia dominante.*

Parag. 3. An in ſola B. Virgine fuerit extinctus? *Reſp.* Ex *B. Aug. de natura & gratia*, Soli Sancti veteris Teſt. includuntur ſub peccatoribus, 1. *Io.* 2. Sed ex *Aug. lib.* 1. *de pecc. mer. & rem. c.* 24. non excipitur caro ipſius B. Virg. *quin prius inſuerit fomes*, ſed caro Chriſti ex ea. *Ad* 1. *ex Anſ.* Puritas B.V. fuit tanta quanta decuit eam pro ſuo ſtatu, vt ex eius carne fieret Chriſtus, &c. Concupiſcentia ita purgata fuit, vt nullatenus influeret ad conceptionem Chriſti. *Ad* 2. Poteſt extingui quoad mortale, vel veniale, vel vtrumque, vel *quoad potentiam diſpoſitam. In B. Virg. erat omnimoda extinctio.*

Parag. 4. Gratia opponitur concupiſcentiæ, vt diſponit ad culpam: ſicque in B. Virgine *extinguebatur omnino* .i. erat extincta; ſed vt eſt ſola pœna, poteſt ſtare cum gratia.

Art. 8. Dicitur Concupiſcibilitas in paruulis, Concupiſcentia in adultis, Libido cum iam actu inclinat, Vitium vt opponitur virtuti, Corruptio boni naturalis, Languor ob inueterationem, Infirmitas reſiſtendi malo, Fœditas ſeu turpitudo ſpiritualis, Pronitas ſeu inclinatio ad malum, Lex carnis vt eſt ex lege Dei pœnali, Lex membrorum vt ea aptans ad malum, Tyrannus quorundam membrorum, Fomes peccati ex carne in animam, Stimulus à ſtimulando ad peccatum.

Memb. 8. De vnitate peccati originalis in *Adam*, ſed ſingulorum in ſingulis, &c.

Memb. 9. De quantitate peccati originalis.

Art. 1. Dicitur maius vel minùs in eodem: non vt culpa aut pœna, ſed vt concupiſcentia magis vel minus inclinat.

Art. 2. Non eſt maiùs ex ſe in vno quàm in altero: ſed in aliquo effectu.

Art. 3. Concupiſcentia non augetur vnquam habitu, ſed actu: ſicque erit maior in fine mundi quoad amorem proprium hominum, & experientiam malorum; non tamen quoad omnia, 2. *Tim.* 3.

Memb. 10. De pœnis proprijs peccati originalis.

Parag. 1. Priuatio viſionis Dei eſt eius pœna principalis: non tamen propria, ſed communis omni Mortali. Nec concupiſcentia orig. punitur alia pœna, ex *B. Aug. & Matt.* 25. Ite in ignem. Quia, quoad paruulos, *in ignem*, vt tenebroſum, & priuatiuum illius lucis, non autem vt ardentem.

Parag. 2. Quædam neceſſitas peccandi ſaltem aliquando venialiter, eſt pœna peccati originalis.

Parag. 3. Pollutio inuoluntaria in ſe, & in ſua cauſa, non eſt culpa, ſed pœna orig.

Parag. 4. Non eſt culpa ex conſenſu ſequente, ſed ex præcedente & comitante. Complacentia ſubſequens, ob exonerationem naturæ, & liberiorem animum ad bonum, non eſt culpa: ſed ob delectationem habitam.

Parag. 5. Non eſt naturalis quoad primam inſtitutionem: nequidem in vas naturale, niſi intentione finis.

Parag. 6. Infirmitas vt ſolum pœnalis, eſt excuſabilior: non vt etiam vitioſa.

Parag. 7. Pollutus ex ſola crapula non tenetur abſtinere à ſacra communione: ſed congruit, vt abſtineat à ſacrificio, ſine neceſſitate.

QVÆSTIO 123.

De peccato actuali in communi.

Memb. 1. Quid ſit? Refert 8. Defin. 1. ex Aug. *Eſt conuerſio voluntatis indebita ad commutabile bonum.* Quæ vt ex ſolo defectu finis debiti, eſt communis etiam veniali.

Parag. 1. De 2. Defin. *Aug.* de libero Arbitrio, *Eſt ſpreto incommutabili bono, adhærere mutabili.* Malum plus eſt ab auerſione: peccatum in communi, plus à conuerſione; ſed mortale, ab auerſione. *Ad vlt.* Auerſio & conuerſio ſunt duo motus in omiſſione & commiſſione: ſed vnicus in commiſſione.

Parag. 2. De 3. Defin. S. Ambr. *Eſt præuaricatio legis diuinæ, & cœleſtium inobedientia mandatorum.* Prout lex ſtatuta, differt à mandato. Quædam inobedientia eſt concomitans omne peccatum: quædam ſpecialis contra præceptum, vt præceptum.

Parag. 3. De 4. Defin. *Aug. lib. vera Relig.* *Eſt appetere quod Chriſtus contempſit, vel fugere quod ſuſtinuit.* Fugitur enim etiam ex quadam libidine.

Parag. 4. De 5. Defin. *Aug. Eſt dictum, factum, vel concupitum, contra legem Dei.* Sed hæc eſt ſoliùs peccati actualis, & propriè mortalis.

Parag. 5. De 6. Defin. *Aug. de libero Arbitrio, Eſt affectio mala voluntaria.* Non vt paſſio, ſed vt actus affectiuæ.

Parag. 6. De 7. Defin. *Aug. Eſt actus incidens:* non

Digitized by Google

non caſualis, ſed contingens : *ex defectu boni* ; vel in voluntate, vel in eius actu.

Parag. 7. De 8. defin. *Anſ. de pecc. mort. Eſt carentia debitæ iuſtitiæ* .i. rectitudinis : *ex propria voluntate. Macula* peccati, eſt deformitas animæ, defectu gratiæ : *Vitium*, eſt defectus boni naturæ ; *Peccatum*, conuerſio ad bonum apparens ; *Crimen*, eſt peccatum vt dignum accuſatione ; *Culpa*, vt dignum pœna ; *Scelus*, vt iniuria Dei ; *Nefas*, vt illicitum perſonæ.

Parag. 8. Omne peccatum eſt Mendacium : non in loquendo ſcienter falſa ; ſed defectus à ſumma veritate. Eſt & error concomitanter, non formaliter.

Memb. 2. De varijs diuiſionibus peccati actualis : in veniale & mortale, &c. De quibus ſucceſſiuè.

QVÆSTIO 124.

De peccato veniali.

Memb. 1. Quid ſit? *Art.* 1. Eſt macula minuens rectitudinem alicuius actus, non deformans totam imaginem Dei in nobis.

Art. 2. Eſt malum voluntarium .i. actiuè, vel permiſſiuè ; propinquè vel remotè.

Art. 3. Eſt cui per ſe debetur pœna terminabilis quamuis per impœnitentiam finalem fiat dignum pœna interminabili.

Memb. 2. Veniale eſt libido in creatura, citra Deum : mortale, ſupra, vel æquè in eadem autem materia difficile eſt, vbi deſinat veniale, & vnde incipiat mortale. *Ad* 3. Non differunt principio, nec fine : ſed modo, &c.

Memb. 3. Idem quod fuit veniale non poteſt fieri mortale : niſi progrediendo vſque ad mortale. Nihil eſt adeò veniale, quin fiat mortale dum placet .i. ſupra Deum.

Memb. 4 Eſt proportio eius ad mortale, quoad ipſam delectationem : non quoad infra & ſupra Deum, nec quoad pœnam temporalem & æternam.

Memb. 5. Eſt etiam ex aliqua libidine, ſeu concupiſcentia inordinata ad creaturam : non tamen contra Deum, nec ſemper carnali.

Memb. 6. Poteſt eſſe in parte ſuperiori, & inferiori rationis, & in ſenſualitate.

Memb. 7. Poteſt quis eſſe aliqua particulâ vitæ ſine veniali : non tota vita, niſi ex gratia excellenti & ſingulari, quam videtur B. *Aug.* fateri in B. Virg. *Ad.* 4. Eſt neceſſitas ad primos motus veniales : poteſt tamen caueri hoc & illud veniale, determinatè.

Memb. 8. Veniale non opponitur gratiæ : ſed gratia Baptiſmalis delet cum originali omnia etiam actuali, à mortalia, & venialia, quoad culpā & pœnam, &c *Ad vlt. Poteſt adhuc placere hic actus, vt actus, & diſplicere in genere vt peccatum, malendo hoc non eſſe peccatum. Dicimus autem quòd hoc ſufficit ad remiſſionem in Baptiſmo.*

Parag. 1. De ſufficientia eiuſdem gratiæ ad delenda omnia peccata. vt p. 4. q. 68. & 69.

Parag. 2. Veniale non opponitur charitati : nec hæc timori ſeruili, vt timor eſt ; ſed vt ſeruilis, ſupponens cupiditatem actualem peccandi etiam mortaliter, ſi poſſet impunè.

Parag. 3. Opponitur perfectioni Charitatis patriæ : non viæ, quoad habitum, ſed quoad actum. Nec hæc perfecta Charitas foras mittit veniale, ſed timorem etiam initialem quoad reſpectum pœnæ æternæ, non gloriæ ; quia vt pœna illa plus opponitur Deo, quàm quodlibet obiectum peccati venialis : ſic & timor illius pœnæ plus opponitur perfectæ Charitati quàm affectio venialis boni creati.

Parag. 4. Maledictus qui facit opus Dei negligenter, *Ier.* 48. i. Negligentia mortali. Hæc negligentia minuit amorem Dei.i. Deficit à Charitate, ad amorem tantùm naturalem.

Prag. 5. Eadem vis gratiæ, quà delentur mortalia, poteſt extendi ad venialia.

Parag. 6. De neceſſitate & ſufficientia minimæ gratiæ, ad remiſſionem omnis culpæ : non ad ſatiſfactionem cuiuſuis pœnæ. Vt ſupra, & *p.* 4. *q.* 68.

Parag. 7. Motus Charitatis poteſt eſſe ſimul cum motu aut defectu veniali : non ſolùm in eadem anima, ſed in eadem eius vi, imò & in eodem actu, qui tamen denominetur à Charitate, non à defectu veniali. *Ad* 1. Quò vis animæ eſt ſimplicior : eò ad plura ſimul potentior, &c.

Memb. 9. De pœna æterna ſed mitiori finaliter impœnitentis, pro veniali cum mortali, vt *p.* 4. *q.* 65. *m.* 3.

Parag. 1. De pœna morientis in peccato originali & veniali : non in loco ſpeciali ; ſed in ipſo inferno, pœna conueniente. Quod & de lymbo paruulorum intelligi poteſt : non quoad locum, ſed differentiam pœnæ. Ex B. *Aug. de fide ad Petrum, &c.*

Memb. 10. De remiſſione omnis culpæ in hac vita, gratia finali, vt completa : ſoliùs autem pœnæ in Purgatorio. Ex B. *Aug. de Ciu.* de nullo nouo merito aut remiſſione poſt hanc vitam. *Vide Alen.* 4. *p. q.* 65.

QVÆSTIO 125.

De primis motibus.

Memb. 1. Motus primus eſt ſenſualitatis, ex impulſu fomitis, tendens impetuoſè ad fruitionem delectabilem alicuius creaturæ. Senſualitas autem non eſt ratio inferior : ſed ſola vis ſenſitiua vt ſubordinata rationi.

Memb. 2. Quidam negant motum primò primum ſeu ſubitum, eſſe peccatum : ſed tantùm ſecundò primum, ſeu conſequentem. Alij dicunt omnem motum primum eſſe peccatum : ſed non dici primum motum niſi attingat voluntatem. Meliùs poteſt dici quòd omnis delectatio libidinoſa, ſeu inordinata quæ oritur ex ſenſualitate vt corrupta, eſt motus primus & peccatum : quia in omnibus ſuis motibus deberet eſſe ſubiecta rationi. *Ad* 1. *&* 4. Ratio non poteſt vitare omnem, ſed quemlibet. *Ad* 2. Eſt voluntarius permiſſiuè, non comprimendò radicem. *Ad* 3. Non eſt conſenſus actu, ſed habitu. *Ad* 5. Motus diaboli non eſt peccatum : ſed ſenſualitas plus allicit, &c.

Memb. 3. Non omnis primus motus aliarum

Digitized by Google

virium inferiorum eſt peccatum: ſed ſoliùs ſenſualitatis.

Memb. 4. Motus primus eſt peccatum, ex ſua origine, & inordinatione à fine. *Ad* 1. Remiſſa culpa per Baptiſmum, fomes non eſt culpa; ſed ſolum pœna; inclinans tamen ad culpam. *Ad* 2. Primus motus non eſt vt in vxorem, imò nec fortè vt in mulierem: ſed in delectationem carnalem.

Memb. 5. Non eſt neceſſitas ad hunc, nec ad illum primum motum: ſed tantùm ad aliquem.

Memb. 6. Primi motus non prohibentur directè: ſed indirectè, monendo, improbando, &c.

Ad 1. Non concupiſcens .i. Non de primo motu directè: ſed de conſenſu, &c.

Ad 2. Nec venialia prohibentur directè: ſed monemur eſſe mala & cauenda. Aliter, Præceptum diligendi Deum ex toto corde non poteſt impleri in via quoad circumſtantiā totalitatis: ſed motus primus, quoad diſpoſitionem ante conſenſum.

Memb. 7. Ratio non tenetur reprimere motus primos ſenſualitatis ne oriantur: ſed tantùm non conſentire definitiuè.

Ad 2. Ratio ſuperior tenetur cohibere inferiorem: non hæc ſenſualitatem à primis motibus; quia non illa ſed hæc ordinata eſt ad hanc pœnam.

Memb. 8. Non quæuis gratia: ſed ſpecialis opponitur primis motibus, *Rom.* 7.

Memb. 9. Primi motus ſunt in omnibus æquales, ex radice Concupiſcentiæ: ſed non ex diſpoſitione perſonarum.

Memb. 10. Puniuntur à Deo temporaliter, ipſa ſua inordinatione.

Memb. 11. De moroſa delectatione: non naturali, aut voluntaria licita, ſed vitioſa & illicita. Quæ ſi ſit illecebra primi motus, necdum eſt peccatum, ſed paſſio & pœna. Si ſit moroſa, ex diuturnitate deliberationis cum conſenſu, eſt peccatum mortale, alioquin tantùm veniale.

Ad 1. Conſenſus in opus mortale, eſt mortalis: in veniale, venialis. Conſenſus ſubitus ad delectandum, eſt venialis: deliberatus in re graui mortalis.

QVÆSTIO. 126. *De Ocio.*

Memb. 1. Ocium à neceſſarijs aut vtilibus, eſt peccatum.

Memb. 2. Nonniſi veniale, ſi ex aliquo delectabili infra Deum: mortale, ſi æquè aut ſupra.

Memb. 3. Vt veniale, non eſt contra vllum præceptum: vt mortale, eſt contra præceptum operis faciendi, & ſanctificandi Sabbatum. Hinc hoſtes deriſerunt Sabbata ocioſorum.

Memb. 4. Ocium operis, cæteris paribus, peius eſt otio ſermonis.

Memb. 5. Charitas non eſt ocioſa .i. moroſa in ocio, vel prorſus ocioſa. Ocium non opponitur per ſe fortitudini, ſed timor: Nec ocioſitas eſt idem omnino quod acedia.

Memb 6. De obligatione Religioſorum ad laborandum, ex vi ſuæ Regulæ: ad cauendum otium & ſcandalum, vel non. Vt 4. *p. q.* 108.

QVÆSTIO 127. *De peccato mortali.*

Memb. 1. Dicitur mortale, à cauſalitate mortis ſpiritualis præſentis, & æternæ futuræ.

Memb. 2. Eſt idem quod crimen, communiter: ſed minùs propriè.

Memb. 3. Non eſt vllius proportionis cum veniali, quoad deformitatem: ſed quoad delectationē.

Memb. 4. Vnum eſt maiùs vel minus peccatum altero: ſed nec magis nec minùs mortale; vel, non quoad æternitatem, ſed acerbitatem pœnæ.

Memb. 5. Separat à Deo priuando gratia præſenti, vel magis magiſque elongando, ſeu indigniorem reddendo.

Memb. 6. Non fit mortale ex ſola mora aut frequentia: ſed ex maiori deliberatione, obligatione, & progreſſu.

Memb. 7. Meretur pœnam æternam: non vt eſt temporale, ſed vt contra Deum æternum, eiuſque promiſſa ac minas æternas; nec vt eſt actio tranſiens, ſed macula in æternum permanens.

QVÆSTIO 128. *De Delicto.*

Memb. 1. Non à derelicto Deo: ſed ab omiſſo aliquo bono faciendo.

Memb. 2. Opponitur commiſſo. §. 1. Peccatum mortale actuale, rectè diuiditur in Delictum & Commiſſum.

Memb. 3. Commiſſio mali, peior eſt omiſſione boni: Niſi delictum ſumatur pro iniuria in Deum, vt aliquando in *Leuit.*

Memb. 4. Delictum poteſt eſſe ſine commiſſo, & è contra, vel ſimul.

Mem. 5. Delicta ſunt contra præcepta: cōmiſſa, contra prohibitiones; illa omnia poſſunt reduci ad præceptum diligendi; hæc, non concupiſcendi.

QVÆSTIO 129. *De Delicto ex ignorantia.*

Memb. 1. Non eſt ſolum ipſe defectus cognitionis naturalis aut debitæ: ſed nolle, aut non velle ſcire. *Pſal.* 35. Noluit intelligere, &c.

Memb. 2. Ignorantia ſumpta pro neſcientia, poteſt nec eſſe pœna, nec occaſio aut comes culpæ: vel ſola occaſio, aut ſola comes culpæ, vel etiam pœna pro culpa.

Memb. 3. Ignorantia eſt defectus cognitionis debitæ: error eſt aſſenſus aut diſſenſus contrarius.

Memb. 4. Omnis peccans eſt ignorans practicè, non ſpeculatiuè: ſed non omne peccatum eſt ex illa ignorantia.

Memb. 5. Ignorantia pro incuria ſciendi debita, eſt peccatum actuale: pro priuatione culpabilis debitæ notitiæ originalis, eſt peccatum originale, vt concupiſcentia; ſed & poteſt *tranſire reatu*, *manendo actu*, vt originale; & *tranſire actu, manendo reatu*, vt peccatum actuale.

Memb. 6. Quædam ignorantia diſponit ad peccandum, quædam eſt materia peccati, quædam eſt conſequens peccata grauiora. §. 1. *Eua* non peccauit ex ignorantia præcepti: ſed mendacij diabolici poſſibilis aut futuri, inexcuſabiliter.

Memb. 7. Ignorantia ſimplex, inuincibilis, & facti, ſine culpa, excuſat à peccato inde ſequente: & ignorantia iuris Diuini & Canonici, excuſat ſimplices in non eſſentialiter neceſſarijs ad ſalutem; ſed nec ignorantia ſupina ſeu affectata, nec negligentiæ, nec illorum neceſſariorum, excuſat. Quædam non excuſat à toto, ſed à tanto, &c.

Memb.

Digitized by Google

Memb. 8. Ignorantia iuris minùs excuſat, quàm facti. Quò quis plus tenetur ad cognitionem alicuius iuris: eò minùs excuſatur. Hinc ignorantia iuris neceſſarij ad ſalutem, minùs excuſat quàm alterius: Diuini, minùs quàm Canonici; huius, minùs quàm Ciuilis; Naturalis, omnium minimè. Sed & inæqualiter, pro inæquali obligatione perſonarum ad ſciendum ea quæ ſunt aut non ſunt proprij officij. Ignorantia facti, plus minùſuè excuſat: prout eſt facti plus minùſuè, aut non neceſſarij ad ſalutem, vel officium proprium. Idque ex parte obiecti ignorati. Sed ex parte ignorantiæ voluntariæ: *Simplex*, qua quis neſcit quod debet, nec facit quicquid poteſt ad ſciendum, ſed aliquid excuſat à tanto non à toto. *Craſſa* qua quis negligit ſcire quod debet, nec tamen vult neſcire: minùs excuſat à tanto. *Affectata*, qua quis & negligit & non vult ſcire, ſed placet ei neſcire quæ debet ſcire: nil excuſat, ſed accuſat. *Inuincibilis* à natura, vel ex caſu inculpabili, excuſat à toto; ex culpabili, ſaltem à tanto, & fortè à toto.

Parag. 1. Puer captus à Saracenis, ſi fecerit quod in ſe eſt, vtendo ratione ad inuocandum Deum; illuminabitur à Deo per ſe, vel per Angelum, aut hominem. Videtur tamen ex *Aug.* quòd ſi non potuerit diſcere, non ignoret ſuo vitio, nec ſit condemnandus.] Supple, ob hanc ignorantiam. *Parag.* 2. Quilibet tenetur ſcire ſaltem in genere & dictamine naturæ, quæ ſint peccata mortalia: ſed non de quolibet explicitè. *Parag.* 3. Peccat ſuſcipiens Ordines, cùm neſciat nec poſſit diſcere neceſſaria ad eorum functiones. Sacerdos neſciens Canones, nec potens diſcere, tenetur non ſuſcipere, nec exercere curam animarum. Adorans Sathanam transfiguratum, non excuſatur: quia ſi adhiberet diligentiam ſufficientem, Deus ei potius reuelaret. Cæcus non poteſt ſe exponere periculo abutendi aliena, pro ſua vxore: niſi ipſa monita gerat ſe pro ſua. Dubitans de Symonia: non poteſt ſe exponere periculo.

Memb. 9. De excuſatione à toto vel tanto, ex defectu vſus rationis, perpetuo vel non, continuo vel non, totali vel partiali, ſubito vel ſtabili, culpabili vel inculpabili.

QVÆSTIO 130. *De omiſſione.*

Memb. 1. Eſt peccatum voluntarium negatiuè, à non volendo quòd volendum eſt.

Memb. 2. Eſt peccatum actuale: à non nolitione nolendi, vel non volitione volendi & debiti.

Memb. 3. Peccatum ignorantiæ, diſtinguitur ex *Aug.* ab omiſſione ſcienter. Omiſſio propriè diſtinguitur à transgreſſione, quamuis communiter concomitante.

Memb. 4. Omiſſio rei vtilis poteſt eſſe venialis: ſed debiti ex præcepto, eſt mortalis. Omiſſio Boni non diſtinguitur materialiter, niſi ex integris bonis omiſſis: ſed commiſſio mali, ex ſingulis etiam defectibus.

Memb. 5. An quis teneatur ad impoſſibile? *Reſp.* Tentio eſt obligatio ad agendum, vel non, vel ad patiendum: ex vi præcepti, vel prohibitionis, vel proprij conſenſus, aut culpæ alicuius. Non eſt ad impoſſibile quatenus & quamdiu eſt impoſſibile: ſed ad quantum & quando eſt poſſibile; vel ad æquiualens poſſibile, ſi priùs ex culpa debentis factum eſt ei impoſſibile.

Memb. 6. Commiſſio in genere eſt prior omiſſione: ſed in ſpeciali, excedunt ſeinuicem *vt q.*128.

Memb. 7. Peccatur omiſſione cùm datur voluntari causâ illicita ac neceſſaria omittendi.

Memb. 8. Omiſſio, ordine peccandi, prior eſt Commiſſione.

Memb. 9. Omiſſio, non eſt debiti ex accepto, ſed ex præcepto: Nec debet quis ex præcepto quantum poteſt; nec ſemper peccatur omiſſione; nec omiſſio eſt circumſtantiæ, ſed totius actus boni vt præcepti. *Ad* 2. Non eſt omiſſio ſed imperfectio, non diligere Deum ex toto, &c. *Aug. l. de Perfectione Iuſt.*

Memb. 10. Pœna Omiſſionis non eſt ſola damni, ſed etiam ſenſus, *ex Matt.* 7. Omnis arbor, &c.

QVÆSTIO 131. *De negligentia.*

Memb. 1. Vt diligentia ſeu ſolicitudo rationis eſt circa omnes virtutes, ſed ſollicitudo voluntatis ad bonum eſt virtus ſpecialis diligentiæ: ſic & huic oppoſita negligentia voluntatis, eſt peccatum ſpeciale.

Memb. 2. Negligentia circa circumſtantiam præceptam eſt mortalis: circa expedientem, venialis; circa indifferentem, non eſt peccatum.

Memb. 3. Differt ab omiſſione: quòd ſit circa circumſtantiam, hæc circa ipſum actum, &c.

Memb. 4. Eſt ſpecialiter ex Acedia, ſeu triſtitia & faſtidio bonorum ſpiritualium.

Memb. 5. Hæc autem remotè ex nimio amore ſui: proximè, ex nimis modico amore naturali aut libero, non gratuito, Dei. *Ad* 1. *ex Ier.* 48. Maledictus qui facit opus Dei negligenter: Aliter, *fraudulenter*, i. non vt opus Dei, ſed proprium.

Memb. 6. Verſatur circa bonum opus in genere, negligendo aliquam eius circumſtantiam debitam.

Memb. 7. Negligentia finis eſt peior: ſed loci vel temporis poteſt eſſe nocentior.

Memb. 8. Peccator non ſemper peccat actuali negligentia contritionis vel attritionis: niſi ad hoc ſpecialiter excitetur. Nec ſunt plures ſimul negligentiæ plurium virium ſubordinatarum ad eundem actum.

Memb. 9. Timor Dei excutit primò negligentiam, *Iob* 19. *Prou.* 15. Sed & Prudentia & Charitas propinqua.

QVÆSTIO 132.

De commiſſione, ſeu tranſgreſſione.

Memb. 1. Vnitas aut pluralitas commiſſi peccati, vel eſt ex pluribus præceptis contrarijs: vel ex vno aut pluribus actibus; vel ex vno aut pluribus motiuis voluntatis.

Memb. 2. Non ſunt plura peccata niſi ſint plures actus ſpecie vel numero: ſed vnicum maius ex pluribus præuaricationibus plurium legum.

Memb. 3. Commiſſio eſt contra legem, etiam naturæ & conſuetudinis.

Memb. 4. Delictum diuiditur ex defectu cognoſcendi, volendi, & operandi, circa opus aut circumſtantias debitas: ſed commiſſio, ex varijs differentijs boni & mali, ac talium actuum in ſpecie.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆSTIO 133. *De peccato cogitationis.*

Memb. 1. Cogitatio ſpeculatiua ante conſenſum, non eſt peccatũ: ſed practica vſque ad conſenſum.

Memb. 2. Cogitatio vſque ad delectationem & conſenſum in mortale, eſt mortalis ob conſenſum.

Memb. 3. Peccatum operis peius eſt peccato cogitationis & cordis: ſupponitque ac auget huius & illius malitiam.

Memb. 4. Senſus non peccant ante conſenſum, ſed ex conſenſu.

Memb. 5. Peccatur cogitatione præteritorum, præſentium, & futurorum: ſed nonniſi ex motiuo aliquo in memoria præſente.

QVÆSTIO 134. *De prauo iudicio ſuſpicionis.*

Memb. 1. Suſpicio, pro ipſo actu ſuſpicandi, non eſt iudicium: quia illa eſt cum formidine oppoſiti, hoc vt certum; ſed illa diſponit ad hoc, & poteſt etiam ex hoc oriri.

Memb. 2. Suſpicio pro quauis opinione de bono vel malo, poteſt eſſe bona vel mala: ſed bona de malo, & mala de bono, eſt vitioſa.

Memb. 3. Voluntas inordinata iudicandi vel malè opiniandi de ſecretis aliorum, eſt culpa: ſed pronitas voluntatis ad hoc, eſt pœna naturæ corruptæ.

Memb. 4. Suſpicio ex pronitate ac leuitate animi, abſque iudicio, non eſt mortalis.

Memb. 5. Eſt pœna peccati orig. & actualis, diſponens ad culpam.

Memb. 6. Suſpicio, non eſt ſtatus innocentiæ: niſi pro opinione non prorſus certa.

Memb. 7. Suſpicio *Temeraria* de ſecretis aliorum, ex paucioribus indicijs mali quàm boni. eſt peccatum mort. *Probabilis*, ex pluribus indicijs mali quàm boni, eſt adhuc peccatum; ſed *Violenta*, ex omnibus ſignis mali, abſque vllo boni, eſt ſine peccato.

Memb. 8. Quilibet præſumendus eſt bonus: nullus autem malus, niſi conſtet oppoſitum. *Ad vlt.* Ex vno malo poteſt quis præſumi malus: non ex vno bono bonus.

QVÆST. 135. *De Iudicio præſumptuoſo vel vſurpato.*

Memb. 1. De non vſurpando iudicio Dei. *Art.* 1. Eſt ſoliùs Dei iudicare de occultis cordium, iudicio certitudinis, 1. *Reg.* 16. *Act.* 2. *Art.* 2. Poteſt quis iudicare quædam ſecreta cordis proprij, iudicio examinationis, quædam iudicio definitionis: ſed non ſeipſum iudicio approbationis, niſi ex ſpeciali gratia, 1. *Cor.* 11. 1. *Ioan.* 4. 1. *Cor.* 4. Nil mihi conſcius ſum: ſed, &c. *Art.* 3. De manifeſtis iudicari poteſt à quibus & quomodo oportet: de nemine autem in via deſperandum, vel ferendum iudicium condemnationis futuræ. *Art.* 4. Dubia de ſeipſo in peiorem partem ſunt interpretanda: De alijs, in meliorem, *Matt.* 7. *Rom.* 13. *Prou.* 18. *Iob* 11. Nec illud eſt iudicare ſimpliciter: ſed ita ſe gerere ad cautelam.

Memb. 2. De non vſurpanda ex ſe vlla iuriſdictione, minùs aliena: & de exceſſu quodam ipſius *Moyſis* in occidendo Ægyptio, *Exod.* 2.

Parag. 1. De iuditio vindicatiuo *Phinees Num.* 25. *Danielis* 13. ex inſtinctu Dei: ſed S. *Petri*, ex dilectione Chriſti carnali.

Memb. 3. De poteſtate ſeu iuriſdictione Eccleſiaſtica & Seculari. *Art.* 1. Sunt ex ſe diſtinctæ imperio, & exercitio: ſed non eſt vſurpatio, cùm ex conceſſione principis ſæcularis Eccleſia exercet iudicia ſecularia per miniſtros, & ſecundùm leges ſeculares. *Art.* 2. Vſurpatio eſt, iudicare ſine poteſtate: præſumptio autem vel temeritas, ſine ſcientia vel bonitate debita. *Art.* 3. Vſurpatio iudicij vel eſt in perſonam, vel in cauſam, vel in locum, tempus, modum, &c.

Memb. 4. De non vſurpanda iuriſdictione in ſubditos alienos in foro conſcientiæ: niſi ex commiſſione ſuperioris. *Parag.* 1. Nec in foro exteriori, &c.

QVÆSTIO 136. *De acceptione perſonarum.*

Memb. 1. Eſt iniuſtitia præferendi perſonam perſonæ ob cauſam indebitam. Dicit primò præferentiam interiorem: deindè exteriorem. *Parag.* Præferendo ſic vnam, contemnitur altera, vno codemque peccato.

Memb. 2. Eſt acceptio perſonæ, præferre conſanguineum hoc titulo ad Beneficium ſpirituale: non ad temporale, ſi capax eſt; nec eodem titulo ſecundario ad annexum ſpirituali, ſine ſcandalo, ad prouidendum inopiæ, non ad luxum. Quia ſanguineitas eſt impertinens ad ſpiritualia. *Parag.* 1. Scientia præferenda eſt ad hoc nobilitati: hæc tamen aliquando præferri poteſt, ad bonum publicum Eccleſiæ. *Parag.* 2. Ad Epiſcopatum eligendus eſt dignior, & Eccleſiæ vtilior: ad minora beneficia, ſufficit bonus. Poſtulandus eſt etiam potiùs melior, quàm eligendus ex gremio. *Parag.* 3. Nec eſt declinandum ab æquitate iudicij, ob paupertatem perſonæ. *Parag.* 4. Non eſt acceptio perſonarum, honorare Prælatos Eccleſiæ. *Parag.* 5. Nec honorare Poteſtates ſeculares, *Rom.* 13. *Parag.* 6. Sed præferre diuites pauperibus, ob ſolas diuitias, *Iac.* 2. niſi fiat ad euitandum ſcandalum, ſine contemptu pauperum, & fomento diuitum in peccatis.

Memb. 3. Poteſtas præfertur, quia eſt à Deo, & vice Dei: non ſic diuitiæ.

Memb. 4. Deus eſt alieniſſimus ab acceptione perſonarum: quia ex ſe liberaliſſimus ad omnes, *Gal.* 3. *Col.* 3. *Tim.* 2. Ex præuiſione quidem occultiſſimum meritorum; ſed quorum principium ſit gratia, cui liberũ Arb. cooperatur. In quo nulla eſt acceptio perſonarum: quia ob nullam cauſam indebitam, ſed ex gratuita bonitate.

QVÆSTIO 137.

De peccato conſenſus, & de Conſcientia.

Memb. 1. Conſenſus ex S. *Bern.* eſt motus animi liber ſui. Eſt Rationis & Voluntatis ſuperioris & inferioris: vel in ſolam delectationem, vel etiam in opus.

Memb. 2. Conſenſus portionis etiam inferioris, in ſolam delectationem de obiecto mortali, non reprobante portione ſuperiore, eſt peccatum mortale: ſed de obiecto tantùm veniali, aut reſiſtente portione ſuperiori, eſt veniale. *Ad quod valet tunſio pectoris, cum oratione Dominica, &c. Difficillimum eſt in hoc fines peccati venialis & mort. diſtinguere.* *Ad Arg.* In ſenſualitate, eſt tantum veniale: in portione

Digitized by Google

portione inferiori Rationis, veniale & mort: in ſuperiori mort. tantùm, ait *Magiſter in Sent.*

Memb. 3. De cauſa peccati, ex conſcientia recta vel erronea. *Art.* 1. An conſcientia obliget? §. 1. An etiam erronea? *Reſp.* Obligat, ad ſola præcepta, non ad indifferentia: nec obligat vt erronea; niſi vt deponatur, & interim nihil contra fiat. Ex *Rom.* 2. & 19. 1. *Cor.* 8. Quia conſcientia eſt Lex & Iudex interior. *Ad.* 1. Eſt in ratione conſulente, non cogente: ſed tamen obligante voluntatem ad ſequendum. *Art.* 2. Minùs obligat circa indifferentia aut dubia, quàm iudicium Prælati; *Matt.* 23. Quæcumque dixerint vobis facite, &c. *Rom.* 13. Obedite, etiam propter conſcientiam. *Art.* 3. Non obligat ad indifferentia, vt talia: ſed vt hic & nùnc obligatoria, 1. *Cor.* 8. *Art.* 4. Quicquid fit ex vera conſcientia, ſeu lege mentis noſtræ, eſt bonum: non tamen meritorium, niſi etiam ex gratia; ſed non quicquid fit ex quadam credulitate conſcientiæ eſt bonum, ſicut quicquid fit contra eſt malum; quia plus requiritur ad bonum, quàm ad malum. *Art.* 5. Quod fit contra conſcientiam, ſeu vt prohibitum, eſt peccatum mortale: ſed quod tantùm fit præter, ſeu vt malum notum, non tamen vt prohibitum, eſt tantùm veniale.

Memb. 4. De perplexitate conſcientiæ. *Art.* 1. Duplex eſt hæc perplexitas ſeu dubietas, iuris & facti: neutra neceſſitat ad peccandum; ſed vtraque poteſt ſolui ante opus. *Art.* 2. De varijs caſibus ſpiritualibus huius perplexitatis: reſoluendis vitando maiùs malum, & ſequendo certiorem ac fortiorem obligationem. §. 1. De varijs caſibus corporalibus, eodem modo reſoluendis.

QVÆSTIO 138. *De peccato taciturnitatis.*

Memb. 1. Taciturnitas aliquando eſt virtus, aliquando vitium.

Memb. 2. Aliquando eſt peccatum veniale, aliquando mortale: prout eſt obligatio loquendi vel non. §. 1. Non eſt obligatio prædicandi incorrigibilibus.

Memb. 3. Peccatum taciturnitatis, eſt maioris damni: ſed locutionis maioris numeri.

QVÆSTIO 139.

De peccato locutionis mentiendo.

Memb. 1. Mendacium eſt falſa vocis ſignificatio, cum intentione fallendi, ex *B. Aug.* *Ad* 1. In factis non eſt propriè mendacium, ſed ſimulatio. *Ad* 2. Qui intendit fallere dicendo verum, non mentitur ſimpliciter. *Ad* 3. & 4. In mendacio iocoſo & officioſo eſt etiam intentio fallendi: quamuis relata ad finem iocandi, vel benefaciendi. *Ad* 5. Diſputans ſophiſticè non mentitur, nec peccat: quia tantùm ad exercitium. *Ad vlt* Intentio fallendi eſt plus de ratione mendacij, quàm locutio falſi: quia hæc eſt materialis, illa formalis.

Memb. 2. Mendacium nunquam poteſt licere: quia eſt inordinatum circa intentionem ac finem optimum & inuariabilem. Furtum autem, homicidium, &c. poſſunt aliquando licere: quia ſunt inordinata circa materiam & finem inferiorem, mutabilem in melius.

Memb. 3. Omne mendacium eſt peccatum: contra veritatem & veracitatem. Non omne eſt peccatum mortale: ſed ſæpè veniale. *Ad* 1. Vt impietas eſt contra pietatem, ſic mendacium contra veritatem: ſed non æquè. &c. *Ad* 2. 3. & 4. .i. de mendacio pernicioſo, vel contra mentem ſeu conſcientiam, ac ſalutem propriam. Vt *Sap.* 1. *Pſal.* 5.

Memb. 5. Mendacium veniale non eſt mortale in profeſſo ſtatum religioſum, ſine expreſſione non mentiendi: nec in Prælato, niſi ſit contra ſpecialem obligationem officij; ſed poteſt fieri mortale in perfecto, ſeu perfectè adhærente Deo intellectu & affectu, quolibet mendacio à veritate diuerti; & in omnibus, ex quadam libidine, ac conſuetudine mentiendi, *Eccli.* 17. *Ad* 1. & 4. Eſt contra ſtatum tantæ perfectionis vel minimum diuerti à Deo. *Ad* 2. Libido & conſuetudo mentiendi eſt ex contemptu veritatis. *Ad vlt. quæſitum. Ex B. Aug. lib. contra mendacium.* Nequidem licet vllum mendacium ad procurandam ſalutem æternam: quia Deus neminem vult ſaluare per mendacium.

Memb. 6. De varijs mendacijs officioſis, vel figuris veritatis in veteri Teſt. non imitandis in nouo. Sed ſpecialiter de mendacio obſtetricum, *Exod.* 1. Veniali quidem ex bona compaſſione, ſufficiente etiam ad meritum vitæ æternæ ſi fuiſſet ex gratia: ſed fortè etiam mortali, ex nimia earum libidine tuendi hoc mendacio vitam propriam.

Memb 7. De varijs ſpeciebus mendacij, *ex B. Aug. libris de mendacio, & contra.* 1. De mendacio officioſo, pro re, vel vita, vel caſtitate, vel ſalute aliena: non tamen ſine peccato; vt nec pro propria, ſed minori comparatiuè. 2. De mendacio ex ſola fallendi, mentiendique libidine .i. vana delectatione, ſine contemptu veritatis. 3. De mendacio circa mores. 4. De mendacio circa Religionem: non ex malitia, ſed ex infirmitate, vel ignorantia, quod in perfectioribus eſt peius, quàm in imperfectis: ad idem tamen genus reuocatur. 5. De mendacio intento contra fidem. 6. De peiori mendacio alicuius Catholici contra fidem, quàm ſit error Hæretici. 7. Quòd ſint tot modi mentiendi officioſè, quot pernicioſè. 8. De ordine illo mendaciorum apud *Aug.* ex maiori vel minori oppoſitione, non tàm intellectus quàm voluntatis, contra veritatem increatam potiùs quàm creatam.

Memb. 8. Locutio veritatis eſt facilior mendacio: ex inclinatione naturæ integræ, non corruptæ; ſed defenſio veritatis eſt facilior etiam pro ſtatu naturæ corruptæ, quàm mendacij. Hinc mendaces ſui memores eſſe oportet. De periurio, ſub decalogo.

QVÆSTIO. 140. *De peccato contentionis.*

Memb. 1. Contentio eſt clamoſa impugnatio veritatis: vel quælibet verbalis, ſtudio vincendi.

Memb. 2. Eſt peccatum, ex *Iac.* 1. §. 1. Si fiat ex malignitate, ad peruertendum, vel iniuſtè ſupprimendum alios, eſt peccatum mortale: ſi ex vana gloria eſt veniale; ſi ex aliqua neceſſitate, aut exercitatione, non eſt peccatum.

Memb. 3. Licet contendere, ſeu diſputare cum Hæreticis: ſed non contra veritatem, ſtudio vincedi.

Digitized by Google

Memb. 4. Licet etiam diſputando circa ſacram Script. contendere : non ad impugnandam : ſed inueſtigandam veritatem.

Memb. 5. Licet contendere iudicio : ſed non impugnando veritatem.

QVÆSTIO 141. *De ſcurrilitate, & turpiloquio.*

Memb. 1. Scurrilitas ſermonis contra honeſtatem, eſt peccatũ : non autem vrbanitas & affabilitas, ad fouendam amicitiam, & amouendam triſtitiam.

Memb. 2. Scurrilitas ex ſola ſurreptione rationis, lubricitate linguæ, & ſubito impetu iraſcibilis, vel concupiſcibilis, eſt peccatum veniale : ſed ex deliberatione, libidine, conſuetudine, & praua affectione, eſt mortale. *Epheſ.* 6. *Scurrilitas aut ſtultiloquium non nominetur in vobis.*

Memb. 3. In Prælato, aut Sacerdote poteſt eſſe peccatum mortale, ex ſcandalo. §. 1. Audire casû, non eſt tantum peccatum : ſed audiendo prouocare & fouere turpiloquium, eſt etiam maius ipſo turpiloquio.

Memb. 4. Ipſum opus turpe, eſt maius peccatum quàm turpiloquium.

Memb. 5. Stultiloquium refertur ad indiſcretionem rationis : ſcurrilitas, ad laſciuiam affectionis : poſſunt tamen coincidere.

QVÆSTIO 142. *De multiloquio.*

Memb. 1. In multiloquio ſuperfluo, & inutili non deeſt peccatum, *Prou.* 14.

Memb. 2. Eſt peccatum veniale : ſed linguoſitas, & verboſitas poteſt eſſe mortale, ex quadam praua libidine, & contemptu.

Memb. 3. Verboſitas, ſeu iactantia, & ſtultitia loquendi, ac vaniloquium, ſunt peiora ſimplici multiloquio.

Memb. 4. De varijs damnis multiloquij.

Memb. 5. De difficultate naturali cauendi hoc peccatum: ſed poſſibilitate & facilitate per gratiam.

QVÆSTIO 143. *De iactantia in ſermone.*

Memb. 1. Poteſt eſſe peccatum veniale, vel mortale, pro ſuâ materia vel deliberatione.

Memb. 2. Si eſt de propria ſententia, eſt ſuperbiæ vel vanæ gloriæ.

Memb. 3. Poteſt facile caueri ſermo oſtentationis : ſed nonniſi à perfectis, quædam vana gloria in ipſo ſermone.

Memb. 4. Senſualitas plus inclinat ad cupiditatem rerum temporalium : ſed ſpiritualitas plus ad vanam gloriam. Iactantia ſæpè coincidit cum mendacio : differt tamen intentione æſtimationis, non deceptionis, vt in mendacio.

QVÆSTIO 144. *De peccato adulationis.*

Memb. 1. Adulatio eſt vana laus alicuius ad placendum ei, quicquid vltra intendatur. Fit vel tribuẽdo alicui quod non habet, vel plus quàm habet.

Memb. 2. Poteſt eſſe peccatum mortale, fouendo aliquem in peccato, vel nocendo alteri, vel generando in ſeipſo nimium contemptum boni oppoſiti : alioquin eſt veniale.

Memb. 3. Non eſt grauiſſimum peccatum ex ſe: ſed aliquando ex damno & conſequentia.

Memb. 4. Plus nocet à pluribus & occultiùs, quàm homicidium.

Memb. 5. Qui impetraret beneficium Eccleſiaſticum ſola adulatione : *credo quòd indignè reciperet, & teneretur ad reſignationem, tanquam impetraſſet per munus à lingua, vel obſequio.* Adulatio corrumpit intentionem ipſius dantis, non autem hypocriſis.

Memb. 6. Qui procurat ſibi, & fouet adulationem, plus peccat, quàm adulator.

Memb. 7. Effectus conſequentes adulationis aggrauant peccatum.

Memb. 8. De remedio interno bonæ conſcientiæ, & externo iuſtæ reprehenſionis, vel etiam alienæ detractionis, contra malum adulationis.

QVÆSTIO 145. *De contumelia, ſeu conuitio.*

Memb. 1. Contumelia, propriè in ſermone, eſt improperium manifeſtum culpæ : Conuitium autem, quaſi culpæ, ſeu vitij.

Memb. 2. Ex deliberatione, & graui materia eſt peccatum mortale : ſed horum defectu, poteſt eſſe veniale.

Memb. 3. Eſt conſultum & meritorium pati contumeliam: niſi ſit in damnum publicum debiti ordinis, & officij.

Memb. 4. Melius eſt tacendo vincere contumelias, quàm reſpondendo : niſi quis ſit iudex, & vindex ex officio. Nec vllus vincitur ab alio conuitijs : niſi à ſeipſo victus ſit, aut vincatur peccando.

Memb. 5. Naſcitur proximè ex ira : ſed diſpoſitiuè ex ſuperbia.

Memb. 6. Eſt ex ſe peior adulatione : ſed ſæpè minùs nocet alteri.

QVÆSTIO 146. *De detractione.*

Memb. 1. Detractio eſt alienæ famæ per occulta verba denigratio, Vel, Eſt ſeminatio occulta mali, in iniuriam proximi. Vel, Eſt obloqui abſenti, & doloſè mordere. 1. *Defin.* Eſt à fine indebito. 2. à materia. 3. à perſona. Sunt ſex eius differentiæ. 1. Negando bonum quod ſcitur de alio. 2. Tacendo quando alius eſt laudandus. 3. Interpretando bonum in malum. 4. Reuelando malum occultum. 5. Augendo illud. 6. Fingendo falſum.

Memb. 2. Nunquam licet reuelare malum proximi, intentione detrahendi : nec quando ſcitur ex confeſſione ſacramentali, vel ſecreto naturali : niſi ex obligatione grauiori, ad neceſſariam correctionem, vel cauendum graue damnum, adhibita maxima cautela.

Memb. 3. Eſt peccatum mortale : niſi ex leuitate materiæ, & indeliberatione.

Memb. 4. Aggrauatur ex dignitate perſonæ de qua fit.

Memb. 5. Audire detractiones non eſt tantùm peccatum : niſi ex aliqua complacentia, maleuolentia, & prouocatione ad detrahendum.

Memb. 6. Detractor tenetur ad reſtitutionem famæ, quantum poteſt : de eodem bene loquendo, & fatendo ſe deliquiſſe.

Memb. 7. Quamuis ſit graue peccatum : non eſt tamen par homicidio. *Ad* 1. Non eſt par vita in opinione aliena, & reipſa. *Ad* 2. Eſt par pœna, quoad ſolam æternitatem. *Ad.* 3. Detractio fidei, & gratiæ Chriſti, plus nocet quàm mors Chriſti :

Digitized by Google

Chriſti : ſed non eſt maiùs peccatum ipſo Chriſticidio.

Memb. 8. Excœcat detractorem practicè, non ſpeculatiuè. Facit oculum nequam, & inficit audientes quaſi lepra, vel peſte.

Memb. 9. Eſt remedium præſumptionis,& adulationis in eis quibus detrahitur.

Memb. 10. Non eſt danda, ſed auferenda occaſio detractionis, cauendo ab omni ſpecie mala.

Memb. 11. Detractio habet pœnam radicalem inuidiæ, & inordinati animi.

QVÆSTIO 147.

De maledictione, ſeu imprecatione mali.

Memb. 1. Si fiat ex officio & zelo iuſtitiæ in eum qui meretur, eſt bona : ſin ſecus, eſt mala.

Memb. 2. Si fiat ex prauo affectu ad pœnam æternam,eſt peccatum mortale : ſi ex leuitate animi, & ad pœnam leuem, poteſt eſſe veniale.

Memb. 3. Creaturæ irrationali non eſt maledicendum : niſi ob culpam & in pœnam creaturæ rationalis.

Memb. 4. Nec creaturæ rationali maledicendum, vt eſt talis naturæ : niſi prædicendo,aut comminando pœnam;ſed ſoli peccatori vt peccator eſt.

Memb. 5. Solus Deus verè & efficaciter maledicit : homo autem ex commiſſione Dei, aut officio. Qui nouit innocentiam alicuius, non poteſt eum excommunicando maledicere, nequidem de mandato Superioris : niſi præuiâ excuſatione, eius tantùm ſententiam recitando.

Memb. 6. Nulli eſt maledicendum ex affectu vindictæ, ſed ſolius iuſtitiæ.

Memb. 7. Maledictio creaturæ vt talis, eſt & Creatoris.

Memb. 8. Maledictiones ſunt potiùs veteris Teſt. Benedictiones autem Noui.

QVÆSTIO 148. *De Blaſphemia.*

Memb. 1. Non eſt propriè, niſi in Deum : ſiue in ſeipſo, ſiue in ſuis Sanctis, ac creaturis.

Memb. 2. De triplici blaſphemia. 1. Tribuendo Deo aliquid indignum. 2. Negando aliquid dignum. 3. Tribuendo creaturæ aliquid Deo propriū.

Memb. 3. Eſt peccatum mortale, niſi fiat ex ſurreptione.

Memb. 4. Hic blaſphematur ex aliqua libera libidine : in inferno ex deſperatione, & pœnæ acerbitate.

Memb. 5. Blaſphemia, pro ipſo ſpiritu, & malignitate blaſphemiæ, eſt maximum peccatum.

Memb. 6. Conſiſtit propriè in dictis contra Deum : ſed extenditur etiam ad facta.

Memb. 7. Cùm fit ex coactione, quaſi in Deum Patrem, vel ex deceptione quaſi in Deum Filium, dicitur adhuc remiſſibile : quia non excludit cauſam motiuam remiſſionis; ſed cum fit ex malignitate, ſeu ſpiritu blaſphemiæ, dicitur irremiſſibile, quia vt ſic excludit cauſam remiſſionis.

QVÆST. 149. *De honeſtate in riſu, ludo, ioco.*

Memb. 1. Si procedunt ex manſuetudine naturæ, vel ſpirituali mentis iucunditate, vel ad aliquam animi recreationem, non ſunt peccata, ſed honeſta : ſecus, ſi ex laſciuia, vel nimia animi leuitate.

Memb. 2. Eſt in eis ſæpè peccatum veniale : imo, poteſt ineſſe mortale, ex nimia animi laſciuia.

Memb. 3. Spectatores ludorum illicitorum, ſtudioſè ad delectationem, vel cum periculo delectationis mortalis, peccant mortaliter : non autem alij, nec aliter.

Memb. 4. Qui procurant, aut fouent tales ludos & ſpectacula ſcandaloſa, peccant mortaliter.

QVÆSTIO. 150. *De irriſione.*

Memb. 1. Deriſio eſt inſultatio deſpectiua aliorum, voce confuſa : ſubſannatio autem, fit naſo.

Memb. 2. Eſt peccatum veniale, vel etiam mortale; *Prou.* 3. Deriſio formalis Dei, eſt maxima : ſed Dei interpretatiuè, eſt minor deriſione formali patris & matris, *Prou* 30.

Memb. 4. Patientia deriſionis in bonis operibus, eſt meritoria : ſed non in malis.

Memb. 5. Deriſio auertit à fide, & pœnitentia.

QVÆSTIO 151. *De ornatu veſtium.*

Memb. 1. Non eſt peccatum vti veſtibus decentibus ſtatum cuiuſque : ſine libidine, vel ſcandalo. Eſt peccatum viris vti veſte muliebri, ſine neceſſitate : quia non decet eius ſexum.

Memb. 3. Coniugatæ poſſunt ſe honeſtè ornare ad placendum viris ſuis: virgines autem non æquè.

Memb. 4. Qui viuunt ex patrimonio Chriſti, tenentur ad modeſtiam in veſtibus, ſecundùm leges Eccleſiæ: Religioſi autem ad vilitatem,& aſperitatem veſtium ſuæ profeſſionis.

Memb. 5. De peccato artificum, in componendis veſtibus & ornatu ad laſciuiam,ex S. Chryſ.

QVÆSTIO. 152. *De 7. vitijs capitalibus in genere.*

Memb. 1. De vno capite vitiorum, ſiue contemptu Dei, ſiue ſuperbia : & tamen pluribus capitalibus.

Memb. 2. De 7. Capitalibus præcisè. Ex 7. ſpiritibus nequioribus, *Matt.* 12. & 7. odioſis, *Prou.* 6. *Ad* 1. Hæc 7. reuocantur ad illa tria, 1, *Ioan.* 3.

Memb. 3. De varijs rationibus huius ſeptimembris diuiſionis. 1. Ex viribus animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationalis. 2. Ex vi concupiſcibili, iraſcibili, & rationali. 3. Ex inordinato appetitu boni, & fuga mali, &c.

QVÆSTIO. 153. *De ſuperbia.*

Memb. 1. Superbia eſt appetitus propriæ excellentiæ : Non veræ, nec à Deo datæ; ſed præſumptæ, ſeu appropriatæ.

Memb. 2. In omni peccato eſt quædam ſuperbia: non tamen omne peccatum eſt formaliter ſuperbia, nec è contra; ſed hæc eſt primum ex 7. vitijs capitalibus ab alijs diſtinctum.

Memb. 3. Motiuum naturale ſuperbiæ, eſt appetitus potentiæ, ſicut & cuiuſuis perfectionis naturalis abſolutæ, vel ſupra alios homines, ad gloriam Dei & eorum vtilitatem : ſed appetitus propriæ excellentiæ propter ſe, non eſt niſi naturæ corruptæ.

Memb. 4. Superbia eſt in appetitu iraſcibili, quia eſt boni difficilis : non autem in concupiſcibili, niſi ſub communi ratione amoris; nec in rationali, niſi vt ſubeſt rationi.

Memb. 5. Infidelitas dicitur maximum peccatum : quia euertit fundamentum omnium bonorū.

Digitized by Google

Peccatum in Spiritum ſanctum dicitur maximum, quia præ omnibus excludit motiuum remiſſionis. Schiſma dicitur maximum peccatum, quia diſſoluit vnitatem totius Eccleſiæ. Odium dicitur maximum, quia magis eſt contra charitatem & alienum à fine. Peccatum primorum Parentum dicitur maximum, damno & origine. Superbia dicitur maximum, ex proprio motiuo magis intrinſeco, magiſque Deo contrario.

Memb. 6. Superbia vt eſt quidam implicitus contemptus Dei & amor ſui, ſeu boni proprij, eſt intrinſeca cuilibet peccato: ſed prout eſt vnum ex his ſeptem, ſeu appetitus propriæ excellentiæ, non eſt alijs intrinſecus, ſed ab eis etiam actu ſeparabilis.

Memb. 7. Vt eſt priuatio virtutis gratuitæ, æquè facile excluditur per infuſionem oppoſiti, ac alia vitia; ſed vt eſt diſpoſitio ad appetitum excellentiæ propriæ, magis adheret ſpirituali rationali, & difficilius euincitur.

Memb. 8. Vt infidelitas excæcat intellectum, ſic ſuperbia affectum, contra lumen gratiæ, *Iac.* 4.

Memb. 9. Superbia eſt prior naturâ reliquis vitijs: & adherentior ſpirituali rationali.

Memb. 10. De ſpeciebus ſuperbiæ. *Art.* 1. De 4. ſpeciebus ex *S. Greg.* 1. Cùm quis affectus æſtimat ſe quid habere ex ſe. 2. Saltem principaliter ex proprijs meritis. 3. Plus quàm reuera habeat. 4. Præ alijs. *Art.* 2. De ſufficientia huius diuiſionis. *Art.* 3. De prima ſpecie, vt peſſima, & Deo iniurioſiſſima, ac ſimili pri ſuperbiæ diabolicæ. *Art.* 4. De 4. alijs ſpeciebus ſuperbiæ ex *Anſ.* 1. In opinione. 2. in voluntate. 3. in ſermone. 4. in operatione. De duabus ex *S. Bern.* Superbia cæca, & ſuperbia vana, deque harum & illarum inter ſe & cum illis 4. S. *Gregorij* comparatione.

Memb. 11. De oppoſitione formali ſuperbiæ contra humilitatem: ſed finali contra charitatem, deque origine occaſionali non radicali ſuperbiæ, ex prætenſa humilitate. Denique, de maxima & pertinaciſſima oppoſitione ſuperbiæ contra Deum, per affectationem ſimilitudinis Dei in omnibus.

Memb. 12. De 12. non ſpeciebus ſed gradibus ſuperbiæ, ex *S. Bern.* 1. Eſt curioſitas. 2. Leuitas animi. 3. Inepta letitia. 4. Iactantia. 5. Singularitas. 6. Arrogantia. 7. Præſumptio. 8. Defenſio peccatorum. 9. Simulata confeſſio. 10. Rebellio. 11. Libertas peccandi. 12. Conſuetudo.

Memb. 13. De ſuperbia appetendi quemlibet primatum propter ſe: cùm non habeat vllam veram rationem appetibilis, vel excellentiæ; ſed miniſterij, oneris, ac periculi, *Rom.* 13. 1. *Cor.* 4.

QVÆSTIO 154. *De inani gloria.*

Memb. 1. Quamuis liceat appetere aliquam laudem & gloriam propter Deum: nunquam tamen vanam, propter ſeipſam, aut propter nos.

Memb. 2. Poteſt eſſe peccatum mortale, vel veniale: ex ſurreptione, ac pronitate huius concupiſcentiæ; & ex modo vanè gloriandi ſub Deo, non contra.

Memb. 3. Motiuum vanæ gloriæ eſt velle laudari ob hunc finem vaniſſimum.

Memb. 4. Superbia eſt formaliter appetitus propriæ excellentiæ: vana gloria laudis; Ambitio, præ alijs.

Memb. 5. Vanitas, ſeu affectio rei vanæ, eſt communis omni peccato: ſed vanitas affectandi rem vaniſſimam, ſeu laudem humanam, eſt propria vanæ gloriæ; ſicq; diſtinguitur & oritur à ſuperbia; nec repugnat fidei informi.

Memb. 6. Diabolus non afficitur vanæ gloriæ, ſeu laudi alienæ; ſed propriæ complacentiæ.

Memb. 7. Quo quis plus habet ſpiritualium aut corporalium bonorum: eò plus vel pluribus ſubeſt vanæ glorie motibus.

Memb. 8. Quò bona ſunt magis expoſita hominum cognitioni: eò plus vanæ gloriæ.

Memb. 9. De facilitate, periculis, & conſequentia huius peccati.

Memb. 10. De ſpeciebus quaſi materialibus vanæ gloriæ, vel potiùs ſuperbiæ. 1. Affectatio libertatis. 2. Dignitatis. 3. Poteſtatis. 4. Authoritatis.

Memb. 11. Vanæ gloriæ formaliter opponitur vera gloria coram Deo, 1. *Cor.* 6. *Gal.* 1.

QVÆSTIO 155. *De inuidia.*

Memb. 1. Eſt diſplicentia viſi, priùs quàm dolor aut odium boni alieni, vt videtur minuere propelum. *Ad* 1. Vis concupiſcibilis eſt paſſiua doloris ſeu triſtitiæ, & gaudij: vt actiua odij & amoris.

Memb. 2. Eſt culpa & pœna voluntatis. *Ad* 2. Eſt auerſio à bono alieno: ſed nimia conuerſio ad proprium.

Memb. 3. Eſt peccatum mortale, raro veniale, *Prou.* 14.

Memb. 4. Eſt peccatum capitale: quia licet oriatur ex ſuperbia, eſt etiam origo aliorum vitiorum.

Memb. 5. Eſt peccatum ſpirituale. *Ad* 1. ex *Gal.* 5. Eſt ex operibus carnis .i. hominis carnalis ſeu corrupti. *Ad* 2. Paſſiones inuidiæ in corpore, oriuntur ex inuidia ſpirituali.

Memb. 6. Non eſt maximum peccatum ex ſuo genere: ſed ex damno & pœna ſui ſubiecti. §. 1. Inuidia gratiæ Dei, eſt irremiſſibilis, i. excludit motiuum remiſſionis: non ſic inuidia aliorum bonorum; §. 2 Inuidia diabolica vt continua & inexpiabilis, eſt peior humana. §. 3. Differt à ſuperbia, quòd hæc appetat propriam excellentiam vt ſic: illa videat & odiat alienam quaſi diminutiuam ſuæ.

Memb. 7. Vt diſplicentia viſionis, eſt in vi rationali: vt odium boni, eſt in concupiſcibili, vt ira contra alium, eſt in iraſcibili. §. 1. Eſt ſemper minoris ſeu inferioris, vel vt talis: in maiorem ſeu ſuperiorem in aliquo, vel vt talem.

Memb. 8. Non eſt in pares, nec inferiores: niſi ne fiant ſuperiores. §. 1. Non eſt in ſeipſum, ſeu de bono proprio: niſi vt graui, aut difficili, ſeu contrario alteri bono concupito.

Memb. 9. Vt odium, opponitur Charitati; vt dolor, miſericordiæ; vt triſtitia, gaudio.

Memb. 10. Inuidia eſt in affectu, æmulatio in effectu.

Memb. 11. Superbia eſt cauſa omnium malorum, in ſe, & alijs: inuidia, in alijs.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆSTIO 156. *De ira.*

Memb. 1. Vt habet eſſe naturæ, *ex Damaſc. Eſt feruor ſanguinis circa cor, ex vaporatione fellis, &c.* Ex B. Aug. *Eſt triſtitia ex impotentia vlciſcendi ſe.* Vt habet eſſe morale, *Eſt animi motus ad pœnam inferendam.* Vel, *Eſt animi motus malus ad nocendum.* Deordinat hominem ad proximum, & ad Deum, appe endo per ſe vindictam. Vt paſſio, eſt in vi iraſcibili: vt eſt vis paſſiua: vt actus, eſt in eadem vi vt eſt actiua, &c. Vt actus naturalis, non eſt peccatum: ſed vt voluntarius, & libidinoſus. Vt paſſio de genere qualitatis, eſt diſpoſitio potentiæ ex apprehenſione motiui, ſecundùm naturam integram, vel corruptam. Vt paſſio de genere paſſionis, eſt pœna & ſequela peccati.

Memb. 2. Iraſci non eſt ſemper malum culpæ: ſed aliquando bonum gratiæ, *Pſal.* 4. *Epheſ.* 5. aliquando bonum naturæ: aliquando malum pœnæ, cum culpa, vel ſine culpa: aliquando malum culpæ, vt *Matt.* 5. De ira veniali ante conſenſum, mortali poſt.

Memb. 3. Ira eſt paſſio cupiditatis vindictæ & triſtitiæ, ſeu doloris de iniuria.

Memb. 4. Motiuum iræ eſt vindicta? *Adr.* Velle vindictam de alio ad ſatiandum ſuum prauum affectum, eſt vitioſum: non, ad ſatisfaciendum iuſtitiæ Dei ex eius lege.

Memb. 5. Eſt peccatum, appetendo per vim iraſcibilem malum proximi vt ſibi bonum.

Memb. 6. Eſt vitium capitale plurium conſequentium: quamuis ipſa ſit ex radice amoris proprij, qui necdum eſt ſpeciale peccatum.

Memb. 7. Ira poteſt eſſe per zelum bonum, non inuidia.

Memb. 8. Non eſt ſemper peccatum mortale: ſed aliquando veniale in ſuis primis motibus, quamuis ex mala conſuetudine non inducente conſenſum.

Memb. 9. Quamuis comparetur dæmonio à S. *Chryſ.* in continua memoria mali, & appetitu vindictæ, ac difficultate pacandi ſe: non eſt tamen maximum peccatum, niſi quoad effectus & pœnas quæ poſſunt inde ſequi.

Memb. 10. Eſt ianua omnium vitiorum contra proximum: ſi exeat in ſuos actus.

Memb. 11 Patientia opponitur iræ, ad eius extinctionem: manſuetudio ad præuentionem: zelus, quoad materiam: quia ira eſt contra perſonam, zelus contra malum perſonæ.

Memb. 12 De triplici gradu iræ, *Matt.* 5. non quoad diſtinctionem venialis à mortali: cùm poſſit eſſe mortalis in ſolo corde ſine vlla voce: ſed quoad certitudinem, aut incertitudinem pœnæ determinandæ.

QVÆSTIO 157. *De Acedia.*

Memb. 1. Quaſi ab acredine, *Prou.* 10. vt acetum dentibus, ſic piger, &c.

Memb. 2 Ex *Aug.* in Pſal. *Eſt tædium boni interni.* Ex Damaſc. *Eſt triſtitia aggrauans.* Ex Richar. *Eſt torpor mentis bonum negligentis.* Ex Magiſtris, *Eſt diffidentia adimplendi mandata.* Sed eſſentialiter, *Eſt triſtitia aggrauans*: reliqua concomitanter, antecedenter, vel conſequenter.

Memb. 3. Delectatio, & triſtitia non ſunt culpæ niſi vt voluntariæ.

Memb. 4. Triſtitia Acediæ de aliquo bono opere, radicatur in amore quietis oppoſitæ.

Memb. 5. Acedia eſt vitium capitale plurium aliorum.

Memb. 6. Opponitur Charitati: quia hæc æſtimat omnia bona facilia, illa difficilia. Opponitur etiam concomitanter patientiæ: ſed eſſentialiter opponitur gaudio de bono ſpirituali laborioſo propter Deum.

Memb. 7. Charitas propriè opponitur Inuidiæ, non Acediæ.

Memb. 8. Acedia terminata in deſperationem, 2. *Cor.* 7. eſt maximum peccatum, ob deſperationem adiunctam. Vt appetit otium, eſt occaſio multorum vitiorum: ex ſe autem non eſt tantum peccatum, ſed ſæpè oritur ex melancholia, &c.

Memb. 9. Vt defectus iræ debitæ reuocatur ad vitium iræ: ſic defectus triſtitiæ debitæ, ex vana quadam lætitia, ad ipſam acediam, vel ad aliud genus peccati.

Memb. 10. Eſt contra præceptum de ſanctificando Sabbatho, quiete corporali, & labore ſpirituali.

Memb. 11. Obtenebrat intellectum triſtitiâ: ſed amore inordinato ſuperbia.

QVÆSTIO 158. *De Auaritia.*

Memb. 1. Ex *Aug. in Gen.* Eſt etiam appetitus potentiæ, vt abundantis: ſuperbia autem, vt excellentis. Ex *Tullio*, Eſt amor inordinatus habendi. Ex *Aug.* 14. *Ciu.* Eſt libido habendi pecuniam, .i. omnia temporalia quæ pecunia æſtimari poſſunt. Auaritia generaliter dicitur concupiſcentia oculorum, ſeu omnium viſibilium ſenſu, & intellectu: quærendo in eis ſufficientiam ipſi appetitui, ſeu abundantiam. Sed propriè eſt ſpeciale peccatum concupiſcentiæ bonorum fortunæ. Nomen Auaritiæ vix ſumitur niſi in partem malam.

Memb. 2. Diligere temporalia propter ſe quaſi ad ſufficientiam, cùm ſufficere non poſſint, eſt peccatum.

Memb. 3. Auaritia habendi potiùs res proprias, quàm eis vtendi, eſt contra naturam.

Memb. 4. Dicitur concupiſcentia oculorum, .i. rerum exteriorum vt viſibilium: non ad voluptatem cognitionis vt curioſitas, Nec guſtus, aut tactus, vt alia vitia; ſed ad poſſeſſionem, & abundantiam.

Memb. 5. Eſt vitium capitale plurium, vndecumque ipſa oriatur.

Memb. 6. Eſt vitium ſpirituale: quia in anima ſpirituali; ſed corporale, quia nõniſi propter corpus.

Memb. 7. De alijs vitijs circa temporalia. §. 1. Ambitio, ſeu appetitus potentiæ: ſi ob honorem, reducitur ad ſuperbiam; ſi ob abundantiam, reducitur ad auaritiam. §. 2. Prodigalitas inclinans ad nimis dandum, reducitur ad ſuum finem vitioſum. §. 3. Philoſophus ponit inter auaritiam & prodigalitatem, magnificentiam & liberalitatem: ad quandam tantum ciuilem decentiam; ſed Theologus nullum datum æſtimat magnum ad beatitudinem æternam, 2. *Cor.* 3.

Digitized by Google

Memb. 8. Cupiditas generalis opponitur charitati: ſed auaritia ſpecialis liberalitati; vel quoad actum interiorem, charitati; quoad exteriorem, liberalitati, vel prodigalitati.

Memb. 9. Auaritia non eſt æqualis, ſed ſimilis Idolatriæ, *Coloſ.* 3.

Memb. 10. De varijs caſibus circa maiorem, vel minorem auaritiam & obligationem dandi: ex vario affectu, neceſſitate, & fine habendi.

Memb. 11. Auaritia nimia intentione ad temporalia, excœcat intellectum, & extinguit affectum circa æterna.

QVÆSTIO 159. *De Gula.*

Memb. 1 Eſt immoderatus amor edendi: non contra modum ſolùs quantitatis, ſed & cuiuſuis circumſtantiæ debitæ.

Memb. 2. Motiuum naturale gulæ, eſt apparens conuenientia alimenti.

Memb. 3. Primus motus nutritiuæ, ſeu appetendi nutrimentum, non eſt peccatum: ſicut eſt primus motus generatiuæ, niſi excuſetur per matrimonium; quia hæc non eſt tàm vis perſonæ quàm naturæ, vtroque modo corrupta; illa autem eſt potiùs perſonæ, ideoque non tam corrupta vt naturæ. *Sub finem.* In generatiua, eſt corruptio perſonæ & naturæ, tam pœnalis culpæ prioris, quàm cauſalis culpæ ſequentis: in nutritiua verò, eſt ſola corruptio perſonæ. Gula pro *gaſtrimargia*, ſeu exceſſu cibi & potus, eſt vitium capitale: ſed pro exceſſu ſoliùs cibi, eſt ſpecies diſtincta ab ebrietate. Vitia aliorum ſenſuum à guſtu & tactu, reducuntur ad hæc.

Memb. 5. De culpa non ſumendi victum ſufficientem: ſiue ex malo fine, ſiue ex errore, ignorantia, aut dubio de mediocritate. In quo ſecuriùs, inquit, eſt abſtinere. Excuſat autem, ſi quis mallet ſcire mediocritatem, ad eam obſeruandam: non ſi malit neſcire, ne teneatur obſeruare, *ex B. Aug.* 10. *Conf.*

Memb. 6. Sunt 5. circumſtantiæ gulæ, *ex S. Greg. Lautè, Præproperè, Nimis, Ardenter, Studioſe,* Quæ reduci poſſunt ad alias 4. *Iſidori.*

Memb. 7. Gula non eſt origo omnium vitiorum: niſi diſponendo ad ea; ſed maximè ex ſe ad luxuriam.

Memb. 8. Prudentia carnis, vt eſt ſola cognitio, non opponitur prudentiæ ſpiritus: ſed vt inclinat ad carnalia.

Memb. 9. Sobrietas propriè opponitur ebrietati: parcimonia, gulæ; ſed ſobrietas communiter vtrique. Ex ſe non opponitur directè vlli præcepto Decalogi: quia hæc ordinant hominem ad Deum & Proximum; ſed conſequenter, eſt contra præcepta non mœchandi, non concupiſcendi, non ociandi, &c.

Memb. 10. Omnis gula fuit prohibita ſub primo præcepto facto *Adæ.*

Memb. 11. Vitium gulæ non eſt ex ipſo cibo & potu: ſed ex inordinato eius appetitu quoad omnes circumſtantias, *Rom.* 14.

QVÆSTIO 160. *De Ebrietate.*

Memb. 1. Eſt peccatum volendi ſumere potum, vltra menſuram ſenſibilem, vnde prouenit priuatio vſus rationis.

Memb. 2. Eſt mortalis, quando vſque ad menſuram perceptibilem ex qua euertatur ſtatus mentis: ſed eſt venialis, quando tantum vltra neceſſitatem, citrà menſuram illam perceptibilem. Eſt etiam mortalis, exceſſus notabilis ex libidine, ſine intentione ebrietatis conſequentis, *ex Eſa.* 5. Potus ſuperfluus ex intentione prouocandi vomitum ad ſanitatem, ex conſilio Medici diſcreti, non eſt peccatum. Non ſola ebrioſitas, ſed quælibet ebrietas poteſt eſſe peccatum mortale.

Memb. 3. Inuitans alium honeſtè ad bibendum, etiam ſuperfluè, non peccat niſi venialiter: ſed mortaliter, ſi quo modo intendat eius inebriationē.

Memb. 4. Illæ 5. circumſtantiæ gulæ. *q.* 159. *m.* 6. ſunt etiam ebrietatis.

Memb. 5. Non eſt ſimpliciter maximum peccatum: ſed quoad priuationem rationis.

Memb. 6. Aggrauatur ex ſtatu & dignitate perſonæ cui magis inhibetur, vel quam magis dedecet, & cui magis eſt neceſſarius vſus rationis.

Memb. 7. Primum peccatum fuit cauſa directa ſeruitutis; ſed ebrietas fuit cauſa occaſionalis & indirecta maledictionis & ſeruitutis inter filios Noë, *Gen.* 9.

Memb. 8. De peccato ebrietatis & inceſtus in Loth *Gen.* 19. quamuis ex ebrietate minuente culpam inceſtus.

Memb. 9. Vinolentia ita inhibetur Prælatis 1. *Tim.* 3. vt tamen non permitattur voracitas.

Memb. 10. Non puniuntur communiter ebrioſi, ne non emendentur ſed deteriores fiant. Ante diluuium regnabat luxuria, poſt cœpit ebrietas: quia ante erat quaſi mundi adoleſcentia, & eſus fructuum, poſt autem, ætas grauior, & eſus carnium.

QVÆSTIO 161. *De Luxuria.*

Memb. 1. Vt eſt appetitus voluptatis libidinoſæ, vel concupiſcentia nimia experiendæ huius voluptatis, conſentiente aut non cohibente ratione, eſt peccatum mortale: vt & *Matt.* 5. Videre mulierem ad concupiſcendum .i. in hunc finem, &c. Definitur per appetitum & concupiſcentiam: ſed conſequenter per viſum ad concupiſcendum.

Memb. 2. Coire ex ſe non eſt malum: ſed cùm non ſua per matrimonium, ex corruptione potentiæ, & defectu materiæ debitæ. *Ad Arg.* Vt iurare, ſic & coire malum eſt: niſi honeſtetur fine debito. §. 1. Coitus viri cum pluribus vxoribus, non eſt prorſus contra legem naturæ: ſed vnius mulieris cum pluribus viris; quia mulier ex natura ſua ſubiecta eſt viro, nec vna poteſt concipere ex pluribus viris, ſed plures ex vno. §. 2. Coitus viri cum propria vxore, non eſt peccatum: niſi ex defectu aut exceſſu veniali aut mortali finis & modi debiti. *Ad* 1. Potentia corrupta poteſt relaxari in actum ex dominio rationis, non concupiſcentiæ. *Ad* 2. & 3. Traducit pecc. orig. in prolem, vt eſt opus naturæ corruptæ: non in parentem vt eſt opus perſonale. Nec cauſando naturaliter peccatum originale peccat formaliter, perſonaliter, & actualiter.

Memb. 3. Omnis luxuria cum conſenſu rationis eſt peccatum mortale: niſi in coniugatis, *ex* 1. *Cor.* 6. *Eph.* 4. *Ad* 1. Non poteſt eſſe motus luxuriæ ſine

Digitized by Google

ſine diſſenſu rationis, cum caſtitate gratuita: Niſi non ſit tantus, vt cohibendus ſit à ratione. *Ad* 2. Delectatio inferioris partis poteſt non eſſe tanta, vt cohibenda ſit à ſuperiori. *Ad* 3. *ex gloſſa in* 23. *Deut.* Non *venialis*: ſed *venalis*. *Ad* 4. Non Mœchaberis, *Exod.* 20. ſed *Aug. ex* 70. Non fornicaberis. Satis eſt ibidem implicitè prohiberi.

Memb. 4. Fornicator peccat ſpecialiter in corpus ſuum, 1. *Cor.* 6. Quia abſorbendo vſum rationis fit totus carnalis, & ſubditur ac coaleſcit corpori.

Memb. 5. Sub viſu mulieris, *Matt.* 5. prohibentur ſenſus propinquiores. Non tam prohibentur obiecta & motus iræ, quàm luxuriæ: quia illa non tam immediatè procedit à concupiſcentia, quàm hæc; poteſtque dirigi per zelum, luxuria autem non niſi corrigi per matrimonium.

Memb. 6. Eſt multis titulis maiùs alijs peccatis: non tamen maiùs ſimpliciter.

Memb. 7. Superbia hominum ſolet à Deo permiſſiuè puniri, ac confundi lapſu carnis.

Memb. 8. Caſtitas eſt medium inter luxuriam & neceſſitatem: ſed Theologicè, virtus non ſemper eſt medium inter extrema. Præceptum creſcendi & multiplicandi, *Gen.* 1. & 9. non eſt contra virginitatem poſt multiplicationem: Nec virginitas contra illud, ſed ſupra.

Memb. 9. De varijs ſpeciebus ſeu differentijs luxuriæ. *Fornicatio* eſt ſoluti cum ſoluta ab omni vinculo oppoſito, vſu naturali. *Adulterium*, eſt violatio tori coniugalis. *Stuprum*, eſt corruptio virginis. *Sacrilegium*, eſt luxuria cum perſona ſacra voto continentiæ, aut ordine ſacro. *Inceſtus*, eſt inter conſanguineos, vel affines, vel deuinctos compaternitate ſpirituali. *Peccatum contra naturam*, eſt peruerſo ordine ſexus, aut vaſis naturalis. Non meminit *Beſtialitatis*: niſi ſub peccato contra naturam. Subdit *Raptum* cum puella violenter abducta.

Memb. 10. Corruptione ſoliùs mentis, non perditur aureola virginitatis: ſed ſimul corruptione carnis. §. 1. Ex cognitione matrimoniali meretricis & viduæ, contrahitur irregularitas: quia eſt contra ſacram ſignificationem, *ex diſt.* 30. & 50.

Memb. 11. De differentia fornicationis ante, vel poſt aduentum Chriſti, ante, vel poſt Baptiſmum, ex diuitijs vel paupertate: non quoad ſpeciem, ſed quoad circumſtantiam peccati.

QVÆSTIO 162.

De filiabus ſingulorum vitiorum capitalium.

Memb. 1. De filiabus inanis Gloriæ: Inobedientia, Iactantia, Hypocriſi, Incontinentia, Pertinacia, Diſcordia; harumque origine ex vana gloria: §. 1. Cur plures aliæ ſpecies, ſeu differentiæ non connumerentur.

Memb. 2. De filiabus Inuidiæ: Odio, Detractione, Suſurratione, Afflictione in proſperis alienis, Exultatione in aduerſis; harumque origine. §. 1. De vlteriori ratione huius numeri, & originis.

Memb. 3. De 6. filiabus Iræ: Rixa, Tumore mentis, Contumelia, Clamore, Indignatione, Blaſphemia; harumque origine. §. 1. De vlteriori ratione huius numeri & originis.

Memb. 4. De 6. filiabus Acediæ: Malitia, Rancore, Puſillanimitate, Deſperatione, Torpore circà præcepta, Euagatione mentis circà licita; harumque origine. §. 1. De dubijs & rationibus huius numeri.

Memb. 5. De 7. filiabus Auaritiæ: quæ ſunt; Proditio, Fraus, Fallacia, Periuria, Inquietudo mentis, Violentia contra miſericordiam, & Obduratio cordis; harumque origine. §. 1. De dubijs & rationibus huius numeri. §. 2. De nouenario *Iſidori*, eiuſque ratione, & comparatione cum ſeptenario S. *Gregorij*.

Memb. 6. De 5. filiabus Gulæ: quæ ſunt Inepta lætitia, Scurrilitas, Immunditia, Multiloquium, Hebetudo mentis; harumque origine. §. 1. De dubijs, & rationibus huius numeri.

Memb. 7. De 8. filiabus Luxuriæ *ex S. Greg.* quæ ſunt Cœcitas mentis, Inconſideratio, Inconſtantia, Præcipitatio, Amor ſui, Odium Dei, Affectus præſentis ſœculi, Horror ſeu deſperatio futuri. Sed 4. *ex Iſid.* quæ ſunt, Turpiloquia, Scurrilia, Ludicra, Stultiloquia; deque earum origine. §. 1. De dubijs & rationibus eiuſdem numeri.

QVÆSTIO 163.

De peccatis ex infirmitate, ignorantia, vel malitia.

Memb. 1. Ratio huius diuiſionis *ex Aug. lib.* 83. *qq.* quòd infirmitas opponatur virtuti; imperitia, ſapientiæ; malitia, bonitati; &c. Nam vel peccatur ex ignorantia intellectus, vel ex infirmitate oriunda à corpore, vel ex ſola malitia ſeu libertate voluntatis.

Memb. 2. Non coincidunt principaliter, ſed tantùm concomitanter. Nec ſunt propriè in ſingulas Perſonas, ſed appropriatè.

Memb. 3. Grauius eſt ex infirmitate, quàm ex ignorantia: ſed grauiſſimum ex malitia, quoad hanc cauſalitatem, non quoad genus peccati.

QVÆSTIO 164.

De Fornicatione, vt ex infirmitate.

Memb. 1. Sumitur generaliter pro fornicatione ſeu auerſione à Deo, & conuerſione ad creaturam, *Pſal.* 72. Communiter pro omni peccato carnis; propriè pro coitu ſoluti cum ſoluta.

Memb. 2. Eſt peccatum mortale, vt ſupra. *Ad* 1. Non eſt contra naturam communem, aut modum naturalem: ſed contra naturam rationalem vt ordinatam ad virtutem & gratiam, corrumpitque ſpeciem, numerum, & ordinem. *Ad vlt.* Fit iniuria Deo, cuius templum violatur, 1. *Cor.* 6. Eſt minus ſub hoc genere inter perſonas: non autem minus omnibus alijs.

QVÆSTIO 165. *De Adulterio ex infirmitate.*

Memb. 1. Propriè, eſt perſonæ coniugatæ cum non ſua: ſed interpretatiuè, etiam cum ſua, non tanquam ſua; ſed affectu tam libidinoſo, ac ſi cum non ſua.

Memb. 2. Peccatur etiam variè cum ſua: ſed non propriè adulterio.

Memb. 3. Eſt minus inceſtu, & peccatis contra naturam: ſed grauius ſimplici fornicatione.

Memb. 4. Puniebatur in lege veteri pœna mortis: non in noua, ſed pœnâ canonicâ ſeptennij.

QVÆSTIO 166. *De peccatis coniugum.*

Memb. 1. Peccant quando non ad bonum prolis, nec

Digitized by Google

nec ad reddendum debitum, nec in remedium fornicationis, ſed ex ſola libidine.

Memb. 2. Si affectu delectationis ſub Deo, eſt tantùm peccatum veniale : ſi verò præ Deo, aut æquè .i. non præferendo honeſtatem coniugij, eſt mortale. *Ad* 1. Poteſt eſſe veniabile, ſeu remiſſibile ex infirmitate : quamuis non veniale, ſed mortale.

Memb. 3. Reddens debitum affectu coniugali, quamuis coniugi aliter petenti, non peccat : niſi eſſet contra naturam, vel cum periculo prolis, vel loco ſacro ſine neceſſitate ; quia non debet illi ſic, ſed aliter.

Memb. 4. Coniuges non peccant reddendo debitum, etiam poſt votum continentiæ : quia maior eſt obligatio coniugij ; ſed peccant petendo.

QVÆSTIO 167. *De ſtupro.*

Memb. 1. Eſt illicita virginis defloratio .i. ſine matrimonio ex conſenſu parentum eius. Tunc enim pater habet actionem iniuriarum.

Memb. 2. Differt propriè ab adulterio.

Memb. 3. Differt propriè à raptu, quoad vim illatam puellæ : non autem quoad vim illatam parentibus per ſtuprum.

Memb. 4. Stuprator mulctabatur lege veteri 50. ſiclis patri puellæ, & cogebatur eam habere vxorem.

QVÆSTIO 168. *De Raptu.*

Memb. 1. Raptus eſt abductio violenta puellæ à Domo patris : vt corrupta in vxorem habeatur, ſiue vis ei inferatur, ſiue ſolis parentibus. Sed ſi non vt habeatur in vxorem, eò raptus eſt peior.

Memb. 2. Rapta non poteſt coniungi in vxorem, niſi prius reſtituta patri, & ex eius conſenſu, poſt pœnitentiam raptoris. *Conc. Meldenſe.* 36. *q.* 2. *Placuit, vt qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel ſeducunt eas, nullatenus habeant vxores : quamuis eas poſtmodum conueniant, aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum conſenſu ſuorum parentum duxerint.* Sed hoc abrogatum eſt.

Memb. 3. Raptores, *Deut.* 22. puniendi erant morte, &c. Lege Iouinianâ in codice : *Si quis, non dicam rapere, ſed attentare præſumpſerit, capitali pœnâ feriatur, &c.* Sed ex cauſa poteſt mitiùs agi cum raptore, & complicibus eius.

Memb. 4. Ex *Conc. Aurel. Si raptor cum rapta confugiat ad Eccleſiam, & hæc ſit paſſa vim, reſtituatur libertati : ille autem propriâ ſeruitute aut redemptione liberetur à morte.*

QVÆSTIO 169. *De Inceſtu.*

Memb. 1. Eſt abuſus inter conſanguineos vel affines, vel contra iuſtitiam publicæ honeſtatis.

Memb. 2. Eſt ex ſe peccatum contra limites legis Naturæ, Diuinæ, & Eccleſiaſticæ, poſt ſufficientem multiplicationem hominum. *Ad* 2. Si deficerent homines, eſſet opus ad hoc diſpenſatione diuinâ.

Memb. 3. Inceſtus in ſummo, eſt maius adulterio in ſummo, magiſque contra naturam.

Memb. 4. De aliquot dubijs reſolutis. 1. Quòd in lege veteri prohibebatur ne quis haberet vxorem fratris ſui .i. adhuc viuentis : ſed *Deut.* 25. præcipiebatur vt frater acciperet vxorem fratris ſui defuncti ſine prole, ad ſuſcitandam ei prolem. 2. Quòd *Iacob* ſimul habuerit duas ſorores in vxores : ſed ante legem *Moyſis*, quâ prohibebatur. 3. Quod in *Conc. Lateran.* conuocata ſit inhibitio plurium graduum conſanguinitatis ad 4. incluſiuè : ſed per nouellam ordinationem *Innocentij*, in fauorem matrimonij, ſatis ſit alterum coniugum eſſe extra quartum gradum. 4. Hos gradus abbreuiatos eſſe, tùm propter nimiam confuſionem & incertitudinem vlteriorum graduum, tùm ob nimium defectum dilectionis naturalis : vt à quinto gradu per coniugium & affinitatem renouaretur. 5. Quòd affinitas ex copula licita ſit etiam limitata ad quartum gradum *Extra de conſanguinitate & affinitate.*

QVÆSTIO 170. *De ſacrilegio fornicario.*

Memb. 1. In lege veteri, & initio noui non fuit inhibitum coniugium perſonarum ſacrarum ; nec poſtea æqualiter in tota Eccleſia : Nam in occidentali eſt obligatio omnium Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum ad perpetuam continentiam, & inhabilitas ad matrimonium, ex præcepto & ſtatuto Eccleſiæ, & voto implicito ſingulorum in ſua ordinatione : ſed in Orientali, eſt tantùm eorum obligatio ad ſolas primas nuptias, & ad continendum ab vxoribus vice ſuâ miniſtrandi Altari.

Memb. 2. Habet ſe cum inceſtu vt excedens & exceſſum.

Memb. 3. De quibuſdam caſibus reſolutis. 1. Quòd votum ſolemne reddat vouentem ineptum ad matrimonium : Sed ſi conſtet de matrimonio, non autem de voti ſolemnitate, videtur eſſe reddendum debitum. 2. Votum ſimplex caſtitatis ante vel poſt matrimonium obligat ad non petendum debitum : ſed non abſoluit à reddendo. §. 1. Quæ vouit caſtitatem & poſtea iurauit alicui matrimonium, peccat contrahendo, & conſummando, non autem poſteà reddendo ; quia non potuit iurare contra prius votum. §. 2. Quæ promiſit alicui matrimonium, & poſt vouit continentiam : ſi non poteſt continere, poteſt nubere, ex *quadam decretali.* §. 3. Qui baptizat ſuum Filiaſtrum, vel Filiaſtram ex neceſſitate, poteſt poſt æquè liberè petere, & reddere debitum vxori. Qui ex ſola ignorantia, poteſt excuſari : qui ex malitia, tenetur non petere, ſed reddere. 31. *q.* 1. Sed ſi alter altero ſciente ſuſcepit communem filium, vterque priuatur iure petendi, & ſoluitur obligatione reddendi, &c.

QVÆSTIO 171 *De peccatis contra naturam : Mollitie, Sodomia, Beſtialitate.*

Memb. 1. Horum maximum eſt Beſtialitas, contra naturam ſpeciei humanæ. *Ad* 1. Mollities eſt contra naturam priuatiuè, ſeu fundendo ſemen fruſtra : ſed Beſtialitas poſitiuè, & quaſi contrariè.

Memb. 2. Beſtialitas & Sodomia ſub veteri & noua lege puniuntur pœnâ mortis præſentis, & maximè æternæ. Sed *Matt.* 11. Remiſſius erit terræ Sodomorum, &c. quàm Capharnaitis : quoad Infidelitatem, non Sodomiam.

Memb. 3. Peccant coniuges coeundo modo brutali, quamuis in vaſe naturali, ſine neceſſitate

QVÆST.

Qvæstio 172. *De peccatis ex ignorantia.*

Memb. 1. Actus malus factus per ignorantiam, eſt peccatum. *Ex Act.* 3. *& B. Aug. lib.* 1. *de Adult. coniugijs, cap.* 19. *Sunt minora peccata ignorantium, quàm ſcientium.*

Ad 1. Inuoluntarium ſimpliciter ex ignorantia inuincibili, non eſt peccatum : ſed inuoluntarium ſecundùm quid. *Aug. De vera Relig. cap.* 14.

Ad vlt. Eſt voluntarium ex aliqua cognitione præuia.

Memb. 2. Actus malus qui fit per ebrietatem, furorem, vel puerilitatem, non fit ex ignorantia vt cauſa principali : ſed ex infirmitate vitioſa vel non quamuis fiat ignoranter, ſeu ignorantia concomitante.

Memb. 3. Omnis actus malus factus ex ignorantia iuris naturalis, eſt peccatum in adultis : & ex ignorantia iuris diuini neceſſarij ad ſalutem, in ijs qui ſcire poſſunt : non ſic ex ignorantia Iuris humani Eccleſiaſtici & Ciuilis ; ſed prout quis ex officio, aut promulgatione illud ſcire tenetur.

Memb. 4. Ignorantia facti ſciendi, non excuſat: niſi pro adhibita diligentia plus minuſue: ſed ignorantia facti non ſciendi, excuſat.

Memb. 5. In deteſtationem criminis alieni, aliquando puniuntur priuatiuè, qui ex ignorantia non deliquerunt : vt priuatione alicuius malè acquiſiti à parentibus.

Memb. 6. Ignorantia aliqua Iuris diuini fuit olim excuſabilis, quæ non poſtea : vt miſcendæ aquæ vino conſecrando.

§. 1. Nec minores nec maiores Iudæorum fuerunt excuſabiles ab ignorantia Chriſti : quamuis minus hi quam illi tenebantur, & poterant ſcire.

Ad Act. 1. & *Matt.* 28. Subfuit aliquid ignorantiæ & excuſationis.

§. 2. Nemo excuſatur à pœna ex ignorantia rei publicatæ : niſi probet ſuam ignorantiam inculpabilem.

Qvæst. 173. *De peccatis in Spiritum ſanctum.*

Memb. 1. Poſſunt dici quæuis mortalia, ex certa malitia, cum aliqua in eis pertinacia : ſed propriè, quæ fiunt ex vel cum expreſſa pertinacia ac repugnantia gratiæ quaſi in perpetuum.

Ad 2. Peccans ex ignorantia & infirmitate, poteſt obdurari & fieri impœnitens : ſic & potiùs peccans ex certa malitia, vt cauſa peccandi ; ſed propriè peccat in Spiritum S. qui peccando proponit finaliter in eo perſeuerare.

Memb. 2. Peccatum ad mortem, 1. *Ioan. vlt.* pro ſolo mortali, non eſt in Spiritum S. ſed pro finali ; ex tanta malitia vt ſit inexorabile à Sanctis, propriè coincidit cum illo.

Memb. 3. De 6. peccatis in Spiritum S. que ſunt Deſperatio, Præſumptio, Impugnatio gratiæ fraternæ, Impugnatio veritatis agnitæ, Obſtinatio, & Impœnitentia, ex *Marc.* 3. *Matt.* 12. *Rom.* 2. & aliunde. Quia præſumptio & deſperatio opponuntur duobus principijs gratiæ & remiſſionis, quæ ſunt miſericordia & Iuſtitia Dei : Impœnitentia & obſtinatio, opponuntur duplici diſpoſitioni neceſſariæ ad remiſſionem in peccatore ; Impugnatio agnitæ veritatis repugnat motiuo intellectus ad conuerſionem ; Inuidentia gratiæ fraternæ, repugnat affectui, &c.

§. 1. Deſperatio de bonitate Dei, non poteſt eſſe ex ignorantiâ infinitæ bonitatis : nec diffidentia de ſeipſo, eſt peccatum in Spiritum S. ſed diffidentia de bonitate Dei.

§. 2. Præſumptio, eſt potiùs contra iuſtitiam : quia eam quaſi excludit. Deſperatio, eſt contra miſericordiam : quia excludit eius effectum. Præſumptio tamen dicitur opponi iuſtitiæ in effectu, deſperatio miſericordiæ in effectu, &c. Præſumptio eſt expectatio miſericordiæ ſine gratia, ſpes per gratiam. Præſumptio eſt indebita expectatio boni futuri, timor eſt debita fuga mali futuri, &c. *Matt.* 12. Blaſphemia illa remiſſibilis, videtur eſſe ex infirmitate, vel ignorantia blaſphemantis : ſed ſpiritus ille blaſphemiæ irremiſſibilis, videtur eſſe ipſa affectatio vituperationis Diuinæ.

§. 3. Obſtinatio includit ſcienter affectum peccandi in poſterum : Impœnitentia verò excludit ſcienter dolorem de peccato præterito.

Memb. 4. Si peccatum oritur ex fragilitate, vel ignorantia, licet progrediatur ad malitiam, non dicitur in Spiritum S. niſi quoad partem poſteriorem motus, peiorem priori.

Memb. 5. Peccatum in Spiritum S. opponitur ſpecialiter gratiæ pœnitentiali.

Memb. 6. Peccatum in Spiritum S. eſt remiſſibile in ſe, & à Deo, & per pœnitentiam peccatoris : excepto peccato finali, vt actu finale eſt ; ſed dicitur irremiſſibile, 1. quia inexcuſabile. 2. quia indignum remiſſione. 3. quia reddit ſubiectum inhabile ad remiſſionem. 4. quia eſt ſpecialiter contra gratiam remiſſionis. Remittuntur autem aliqua poſt mortem. *Matt.* 12. vel quoad ſolam pœnam, vel quoad culpam venialem.

Qvæstio 174.

Specialiter de Deſperatione.

Memb. 1. Eſt principaliter ex auerſione à miſericordia Dei : ſed non ſine conuerſione, & quadam delectatione, ſeu affectatione, ac æſtimatione, ſeu præferentia magnitudinis ſui peccati.

Memb. 2. Non eſt vana confidentia in creatura.

Mem. 3. Non poteſt eſſe cum ſpe informi remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ : ſed poteſt ſtare cũ fide informi, vt eſt generatiua timoris, non ſpei.

Memb. 4. Deſperatio poteſt eſſe de ipſa potentia Dei, dimittendi peccata : ſicque vſque ad extinctionem fidei informis ; ſed non ſolet eſſe de bonitate, quaſi malitia illam excedat in ſe, ſed in effectu ſuo ordinario reſpectu diſpoſitionis, & ſatisfactionis noſtræ.

Memb. 5. Eſt in damnatis ad augmentum pœnæ, non ad continuum demeritum culpæ.

Memb. 6. Eſt multis titulis maius alijs peccatis: non tamen ſimpliciter omnibus, &c. *Sub finem.* Deſperatio de miſericordia Dei quoad bona temporalia, & minora, eſt maior quàm quoad ſpiritualia & maiora.

Memb. 7. Eſt peccatum deſperare de ſalute vllius viatoris.

Memb. 8. Remedium præcipuum, eſt confidere de Chriſto paſſo.

Digitized by Google

Qvæst. 175 *De peccatis ex timore inordinato.*

Memb. 1. Timor vitæ, eſt fuga animi ab aliquo malo, ex amore boni oppoſiti.

Memb. 2. Paſſio timoris eſt pœna, non culpa: ſed actus timoris poteſt eſſe culpa; mortalis, ſi auertat à Deo vel eius præcepto; venialis, ſi ſolum ab aliquo conſilio. Nec timor naturalis, nec voluntarius eſt peccatum, niſi ex delectatione ſaltem aliqua veniali contrahatur.

Memb. 3. De differentijs timoris. Timor humanus, vel eſt carnalis, patiendi in corpore: vel mundanus, patiendi in bonis externis. Iterum, vel eſt mortis, vel doloris, vel damni. Ex *Damaſc.* ſunt 6. eius ſpecies. 1. Segnities, ſeu timor laboris in operando. 2. Erubeſcentia, ſeu timor conuitij. 3. Verecundia, ſeu timor in actu turpi. 4. Admiratio, ſeu timor ex magna apprehẽſione rei magnæ. 5. Stupor, ſeu timor ex rara apprehenſione. 6. Agonia, ſeu timor ex ſubito & magno infortunio. Item, vel eſt paſſio timoris cum conſenſu, vel propaſſio ante.] Quarũ diuiſionũ aſſignantur aliquæ rationes.

Memb. 4. De timendis aut non. Timor vel eſt naturalis, vel gratuitus, vel libidinoſus: hicque vel venialis vel mortalis. Ex natura primò inſtituta non erat timenda poteſtas ſæcularis: ſed ex conditione naturæ lapſæ, vt cohibeatur à peccato; relatiuè tamen ad Deum timore gratuito. Timor poteſtatis ſæcularis, eſt libidinoſus & mortalis, quando præualet timori Dei, auertendo ab eius fide, & dilectione: Eſt autem venialis, quando ſubeſt timori Dei, ſalua eius fide & dilectione.

Memb. 5. De cauſa plus minuſuè timendi aut non. Violatio pudicitiæ ſpiritualis, non corporalis, eſt timenda præ morte: nec tamen hæc ſibi ex illo timore vnquam inferenda, ſed patienda. De oppoſitis autem exemplis quarundam ſanctarum, nil audet B. *Aug.* temerè iudicare *lib.* 1. *Ciu.* niſi quòd iuſſu Dei potuerint id feciſſe.

Memb. 6. Metus probabilis, ſeu cadens in perſonam conſtantem, in actibus externis per vim extortis abſque vllo conſenſu, excuſat ab omni culpa: interueniente aliquo conſenſu, non excuſat ex toto à culpa, ſed à pœna Canonica, niſi ſit inductio, non coactio: ſed metus improbabilis, ſeu vanus, non excuſat. *Extra, De his quæ vi metuſque cauſa.*

§. 1. Scriptura aut conſenſus extortus metu probabili, non habet vim. Extortum etiam ſub Iuramento, poteſt repeti. Matrimonium ex metu probabili contractum, nullum eſt: niſi ex nouo conſenſu.

Memb. 7. Timor malus variè opponitur timori bono, ſpei, & amori.

Qvæstio 176. *De peccatis ex amore proprio.*

Memb. 1. Amor ſui, vel eſt naturalis etiam propter Deum, vel gratuitus ex Charitate Dei, vel libidinoſus propter ſeipſum: ſi ſub Deo, venialis; ſi præ aut æquè, mortalis.

Memb. 2. Omne peccatum mortale eſt ex amore proprio propter ſeipſum, præ Deo aut æquè: vt ex cauſa prima vel remota; quia vt *B. Aug. de liber. Arb.* Peccatum mortale eſt auerſio à Deo, amore alicuius Boni mutabilis.

Memb. 3. Omne peccatum eſt ex inordinato amore, proximè vel remotè. Nam primus motus concupiſcentiæ eſt ex amore inordinato primorum Parentum: ſed quia eſt in poteſtate noſtra, vt nec hic nec ille determinatè ſurgat, ideo eſt adhuc ex prauo amore ſenſuali, qui ſubeſſe debet rationi. Deinde, eſt in poteſtate noſtra ne progrediatur, &c.

§. 1. Non tam excuſat amor ex infirmitate, quàm timor: quia hic eſt magis ab extrinſeco contra voluntatem; ille magis ab ipſa voluntate, & ſecundùm ipſam.

Memb. 4. Amor creaturæ ſupra Deum, non eſt propriè Idolatria: niſi procedat ex credulitate alicuius Numinis, & ad aliquam eius latriam.

Memb. 5. Amor venialis, creaturæ ſub Deo, poteſt ſtare cum Charitate Dei: non mortalis, *præ*, aut *æquè*. Nec motus venialis amoris poteſt ſtare cum perfectione actuali Charitatis ex toto corde.

Memb. 6. Amor ſui quoad naturam aut imaginem Dei in nobis, eſt concomitanter aut conſequenter odium peccati oppoſiti: ſed amor ſui, quoad vitia propria, eſt etiam concomitanter aut conſequenter odium imaginis Dei, aut boni naturalis oppoſiti vicio.

Memb. 7. Amor vitioſus in habitu, erit æternus in pœnam damnatorum.

Qvæstio 177. *De diuiſione peccati, ex concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ.*

Memb. 1. Non pro concupiſcentia originali, nec pro ſpeciali cupiditate diuitiarum, nec pro cupiditate boni apparentis necdum habiti: ſed pro prauo affectu ad bona mutabilia, ſiue habita ſiuenō.

Memb. 2. Omnes libidines ſeu concupiſcentiæ, poſſunt reduci ad has tres, & omnia peccata indè oriuntur proximè vel remotè.

§. 1. Hæ tres autem ita differunt: vt concupiſcentia carnis ſit ad delectationem per ſenſus, concupiſcentia oculorum ad curioſitatem ſciendi etiam per ſenſus, ſuperbia vitæ ſit concupiſcentia excellentiæ propriæ ad ſibi interius complacendum in ea.

Memb. 3. De ſingulis. *Art.* 1. De concupiſcentia carnis, quoad omnes delectationes inordinatas ſenſuum exteriorum, & interiorum.

Art. 2. De concupiſcentia oculorum, quoad omnem curioſitatem ſenſualem, imaginariam, & intellectualem, circa ſecreta naturalia, libera, & ſupernaturalia.

Art. 3. De ſuperbia vitæ, ſeu concupiſcentia excellentiæ propriæ, & omnium ad eam referibilium. Superbire .i. quaſi ire ſupra ſe.

Qvæst 178. *De peccatis in Deum.* 1. *De Idolatria.*

Memb. 1. Idolatria eſt latria, ſeu cultus diuinus Idoli .i. ſimulacri alicuius creaturæ veræ vel fictæ. *Ad Arg.* ex 1. *Cor.* 8. Idolum nihil eſt. 1. Defectu finis. 2. Defectu vitæ internæ. 3. Defectu veri prototypi, vt *Exod.* 20.

Memb. 2. De origine & occaſione Idolatriæ, ex ſpecie apparenti creaturarum, & fictione effectuum mirabilium, &c. vt *Sap.* 13.

Memb. 3. Idolatria interna, & externa, omniſque eius ſimulatio, eſt illicita & inexcuſabilis: non tamen vſus ſacratum Imaginum in Eccleſia, ad memoriam & cultum Chriſti ac ſanctorum; nec honores

nores ac reuerentiæ hominum. Monet autem genuflectionem quidem cordis eſſe ſoli Deo propriam, 2. *Paral vlt.* non de e tamen flectere homini vtrumque genu. Mo et etiam peccari repreſentando ſub imagine S. Trinitatem in vnitate.

Memb. 4. Idolatria non eſt cauſa prima nec neceſſaria omnium peccatorum : ſed occaſionaliter, conſequenter, &c.

Memb. 5. §. 1. Idolatria eſt maximum peccatum ex genere ſeu obiecto, non ex omni circumſtantia : quia eſt contra primum fundamentum Fidei. Spei, & Charitatis Dei.

Memb. 6. De initio Idolatriæ, à ſecunda mundi ætate, poſt multiplicationem & diuiſionèm hominum per omnem terram.

§. 1. De abolitione & ceſſatione Idolatriæ ab aduentu Chriſti, & publicatione Euangelij ſucceſſiuè.

Memb. 7. De non communicando cum Idolatris pertinacibus .i. approbando, tolerando, diſſimulando : non deteſtando, & corrigendo Idolatriam, quantum fieri poteſt.

QVÆSTIO 179. *De Iudæis tolerandis aut non.*

Memb. 1. Tolerari poſſunt ex *Pſal.* 58. Ne occidas eos, &c. *Eſa.* 10. & *Rom.* 10. Reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, &c. Sed coërcendi à blaſphemiis, & libri eorum blaſphemi ſunt comburendi.

Memb. 2. Cultus & ritus eorum legales non ſunt æquales idolatriæ.

Memb. 3. Peccant quidem exercendo ſuos ritus : poſſunt tamen tolerari ſine conſenſu & peccato; quia non ſunt ſubditi Eccleſiæ ad neceſſariam correctionem.

Memb. 4. Non ſunt cogendi ad fidem Chriſtianam, vt qui baptizati ſunt : nec leuiter ad eam recipiendi, vt in Eccleſia primitiua; quia tunc credentes ſigno viſibili diſcernebantur.

QVÆSTIO 180.

De conuerſatione Fidelium cum Infidelibus.

Memb. 1. Non eſt Eccleſiæ iudicare infideles non baptizatos, legibus aut pœnis ſpiritualibus, ſed tantùm temporalibus : niſi indirectè, priuando eos cõmunione fideliũ, & quibuſdam actibus legitimis.

Memb. 2. Omnes Chriſtiani ſunt iure liberi ab omni ſeruitio Iudæorum. : & omnes Iudæi ſunt incapaces officij publici inter Chriſtianos, *Diſt.* 44.

Memb. 3. Exigendæ ſunt Decimæ prædiales etiam à Iudæis : non perſonales ex eorum vſuris. *Extra, de decimis & de vſuris, in* 5.

Memb. 4. Iudæi & infideles poſſunt haberi à Chriſtianis in mancipia : ſed ſine nimia familiaritate, 23. *q.* 8.

QVÆSTIO 181. *De Hæreſi.*

Memb. 1. Vt fides, ſic & hæreſis afficit intellectum & voluntatem, ſed eſt pecc. vt in voluntate.

§. 1. Ex B. *Aug.* De vtilitate credendi, *Hæreticus eſt qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatuſque gratiâ nouas aut falſas opiniones gignit, vel ſequitur.* Ex S. *Hier. in Gal.* Poteſt dici communiter, *Quicumque ſacram Script. aliter intelligit quàm ſenſus Spiritus S. exigat* : ſed propriiſſimè ſuperaddit pertinaciam in defendenda falſitate, vel impugnanda veritate.

Memb. 2. Symoniacus non eſt propriè hæreticus. Schyſma differt ab hæreſi : quòd hæc ſit contra vnitatem fidei, illud contra pacem ſeu vnitatem Charitatis, & obedientiam Eccleſiæ, ſed eſt diſpoſitio ad hæreſim.

Memb. 3. Hæreſis per ſe non eſt ſub vllo ex 7. vitijs capitalibus : niſi ex ſuperbia, & vana gloria.

Memb. 4. Non vt fides eſt fundamentum omnium bonorum operum, ſic hæreſis omnium malorum : ſed eſt vltimus defectus, ſeu ruina omnium bonorum gratuitorum.

Memb. 5. Hæreſis eſt peccatum grauius ſchyſmate, quatenus directè euertit fidem fundamentalem totius Chriſtianæ Religionis : ſchyſma verò, grauius hæreſi, quatenus diſſoluit totam vnionem Charitatis, & ordinem obedientiæ in Eccleſia.

Memb. 6. Hæreſis circa vnitatem Dei, & Trinitatem Perſonarum, eſt contra primum præceptum Decalogi : circa alias materias fidei, eſt contra ſecundum.

Memb. 7. Vt fides extendit ſe primò ad Articulos fidei, & conſequenter ad omnia credenda : ſic hæreſis contra omnia credenda.

Memb. 8. Hæreſis primò & per ſe opponitur fidei : non autem vt formatæ vel informi, ſed vtramque deſtruit.

Memb. 9. Hæreſes non ſunt per ſe neceſſariæ aut vtiles in Eccleſia : ſed tantùm per accidens, ad excutiendam negligentiam, & excitandum ſtudium ac declarationem veritatis, 1. *Cor.* 11.

Memb. 10. Nunquam eſt communicandum cum hæreticis ſpiritualiter : ſed aliquando corporaliter, cùm eſt eorum magna multitudo, nec ſubeſt periculum corruptionis. *Ex B. Aug. contra Parm. & Gloſſa in Matt.* 13. Nec Princeps, nec multitudo populi eſt facilè excommunicanda, &c. Hæretici ſunt excommunicati generaliter : ſed non perſonaliter, niſi conuincantur.

Memb. 11. Hæretici occulti, non corrumpentes alios, tolerandi ſunt vſque ad falcem Dei, ex *Matt.* 15. & *B. Aug. de vera Relig.* Si ſecretè ſciantur, non ſunt neceſſariò publicè vitandi, ſed cautè cauendi. De publicis autem puniendis : *Extra de Hæreticis, Ad abolendam. Et* 23. *per plures quæſt.* Sed monet *Alenſis* non eſſe ſatis tutum bona hæreticorum exponi prædæ, niſi ex ſpeciali edicto Principis aut Eccleſiæ.

Memb. 12. Semper erunt aliquæ hæreſes vel malitiæ hominum, ad exercendam patientiam & ſapientiam fidelium : quia plenitudo illa futura fidelium, *Rom.* 11. non eſt quoad ſingulos homines, ſed quoad ſingulas Gentes.

Memb. 13. Conuerſi ab hæreſi recipiendi ſunt ad vnitatem fidei & Eccleſiæ : non tamen ad omnia iura perdita, niſi ex diſpenſatione, nec tàm facile poſt relapſum.

QVÆSTIO 182. *De Schyſmate.*

Memb. 1. Eſt illicita ab vnitate Eccleſiæ diſſenſio : vtique contra authoritatem Eccleſiæ Romanæ.

Memb. 2. Schyſma propriè pro ſolo receſſu pertinaci ab obedientia Eccleſiæ, differt eſtque minus peccatum quàm hæreſis, & idolatria. Niſi aliquod ſchyſma ſit ex maiori contumacia, quàm aliqua hæreſis : vt ſchyſma filiorum *Chore*; vel niſi

Digitized by Google

ſit coniunctum cum Idolatria, vt ſchyſma decem Tribuum, 3. *Reg.* 12.

Memb. 3. Qui eliguntur in ſchyſmate, non habent vllam poteſtatem: ſed qui fuerunt ante ordinati & electi, manent in ſuo ordine, ſed peccant abutendo extra Eccleſiæ vnitatem.

Memb. 4. Sacramenta collata à ſchyſmaticis in vera forma Eccleſiæ, ſunt valida.

Memb. 5. Ordinati à ſchyſmaticis in vera forma Eccleſiæ, ſunt validè ordinati: ſed priuati ordinis executione; niſi tolerentur per diſpenſationem, ex ignorantia vel alia cauſa.

Memb. 6. Non eſt communicandum cum ſchyſmaticis, niſi in Sacramento & articulo neceſſitatis.

Memb. 7. Schyſmatici puniuntur excommunicatione, & depoſitione. *Extra de Schyſmaticis cap.* 1. *&* 23. *q.* 5.

QVÆSTIO 183. *De Apoſtaſia.*

Memb. 1. Non eſt propriè quælibet auerſio à Deo, vel à ſtatu gratiæ, vel à fide, charitate, aut obedientia: ſed eſt receſſus temerarius à ſtatu fidei, obedientiæ Eccleſiaſticæ, vel Religionis ſeu perfectionis, ad alium ſtatum malum.

Memb. 2. Non eſt Apoſtaſia perfidiæ, ſeu à fide, non confiteri, aut negare fidem ex ſolo timore, abſque pertinacia aut errore interno.

Memb. 3. Apoſtaſia inobedientiæ à Sede Apoſtolica, eſt diſpoſitio ad Apoſtaſiam perfidiæ.

Memb. 4. Quæuis inobedientia ſuo Prælato non eſt Apoſtaſia inobedientiæ: ſed contumax, poſt monitionem canonicam.

Memb. 5. Clericus primæ tonſuræ deſerens ſtatum Clericalem, ſuo modo apoſtatat.

Mem. 6. Apoſtata à fide, ab obedientia, & à Religione, vel maiori ordine, eſt infamis: nō à minori.

Memb. 7. Subditi ſunt abſoluti ab obedientia domini Apoſtatæ, vt ipſo iure nominatim excommunicati. *Ex Nicolao Papa, & Greg.* 7. Si tamen Domini fuerunt Eccleſiæ ſubditi. Multo potiùs ſunt excommunicati Apoſtatæ à fide: ſed Apoſtatæ contumaces à Religione aut ordine maiori, ſunt excommunicandi.

Memb. 8. Clericus apoſtata ab Ordine, ſola deſertione tonſuræ, & habitus Clericalis, non priuatur priuilegio Canonis: ſed geſtans etiam arma, & exercens indigna Clericatu, meretur priuari; non tamen ducens vxorem virginem, ſeruata tonſura clericali.

QVÆSTIO 184. *De Diuinatione.*

Memb. 1. Eſt ſuperſtitioſa inueſtigatio præſcientiæ futurorum. Vel, eſt præſcientia futurorum aliunde quàm à Deo. Vel, eſt vſurpatio præcognoſcendi futura, ex peſtifera ſocietate hominum cum dæmonibus. *Ex Aug. de Doctr. Chriſt.* Nunc ſumitur pro ipſa præcognitione illicita, nunc pro peccato eam volendi & acquirendi.

Memb. 2. De varijs eius differentijs, ex ſola inuocatione formali dæmonum, vel per varias res aut ſigna magica ad varios fines. Hinc *Necromantia*, per mortuos; *Geomantia*, per terram; *Hydromantia*, per aquam; *Aeromantia*, per aërem; *Pyromantia*, per ignem; Maleficia, Sortilegia, Auguria, Præſtigiæ, Ars ariolandi, Genethliaca, Pythonica, &c. expreſsè inhibentur, *Deut.* 18.

Memb. 3. Omnes ſunt illicitæ, *ex Num.* 23. *Deut.* 18. *Leuit.* 19. *Eſa.* 8. *Rom.* 1. *Gal.* 4.

Ad 1. Ioſeph, *Gen.* 44. non id dixit ſeriò.

Ad 2. Licebat tunc aliqua inuocatio per ſortes vel aliter in nomine Domini.

Memb. 4. Nulla eſt adhibenda fides diuinationibus dæmonum: tùm quia ſunt nimis fallaces, tùm quia non poſſunt certò præſcire multa, tùm quia non eſt vtendum eorum opera; nec vlla cum eis ſocietas habenda. Vtentes eis ſunt excommunicandi, 26. *q.* 5. & puniendi pœnitentiâ ſeptennij, aut maiori vel minori pro rei grauitate, 33. *q.* 2.

Mem. 5. Si quid veri inde ſcitur, primò eſt à Deo: ſed hæc ars, aut modus ſciendi, non eſt à Deo.

§. 1. Iudicio Dei occulto traduntur homines ex ſuo demerito illudendi à dæmonibus, *De Doct. Chriſt.*

§. 2. Licet conijcere quoſdam effectus naturales ex aſtrorum ſitu: non tamen liberos; multò minùs ex vlla dæmonum ſuggeſtione.

§. 3. Non licet in ſuis negotijs ſeu caſibus fortuitis dependere ab aſtris, & dierum obſeruatione, *Gal.* 4.

§. 4. Nec licet ad hæc vti rebus ſacris, nec fictis ſanctorum apparitionibus, aut reuelationibus: vt Samuelis, 1. *Reg.* 18. *Ex B. Aug. lib. ad Simpl.* Sed *Alenſis* non reflexit ad *lib. de cura pro mortuis.*

§. 5. Videtur improbare realem illam tranſlationem Sagarum: ſed fortè tantùm plerumque, vel in ſenſu *Conc. Ancirani.*

§. 6. Non licet vti ſcriptis aut herbis, ſub certa verborum forma, ad ſanitatem hominum, vel animalium: ſed bene Symbolo fidei, oratione Dominica, &c. *Ex B. Aug. lib. de doctr. Chriſt.*

§. 7. Non licet vti arte notoriâ, ſeu quibuſdam ſecretis figuris, ſub quacumque forma orandi, ſeu prætextu pietatis. 1. Quia miſcentur multa nomina ignota. 2. Eſt vana confidentia & dependentia à vi ſecreta Aſtrorum. 3. Applicatur fides in vanum, figuris, lineamentis, &c.

QVÆSTIO 185. *De Sortilegio.*

Memb. 1. Sors, *ex B. Aug. in Pſal.* 30. non eſt aliquid mali, ſed res in humana dubitatione poſita, diuinam indicans voluntatem. Poteſt ſumi pro ipſa ſecreta electione Dei gratuita, vt *Pſal.* 30. *Eph.* 1. Sumitur & in bonum, *Act.* 1. pro indicio voluntatis Dei. Sed quia ſubeſt periculum abutendi, inhibetur vſus ſortium *in Canone*, Ad diuinationem.

Memb. 2. Licet tamen vti ſortibus ordinariè in actibus humanis, ad dirimenda, vel determinanda dubia vel incerta: imo & aliquando ex neceſſitate, & communi conſenſu, ac oratione, ad electiones.

Memb. 3. Eſt quaſi tentare Deum, recurrere ad eum per ſortes, quamdiu ſubſunt media ordinaria, humana & diuina. 2. *Paral.* 20.

Memb. 4. Electio per ſortes erat potiùs legis antiquæ, & figurarum, quàm nouæ, & veritatis.

Memb. 5. Apoſtoli non ſunt in hoc imitandi.

Memb. 6. Vt prima illuſio diaboli per *Euam*: ita & nunc plærumque per mulieres; ſed veritas à Chriſto per viros in mulieres.

Memb. 7. Sortilegium non eſt ſimpliciter maius peccatum Apoſtaſiâ vel infidelitate: ſed quoad malitiam occultiorem.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆSTIO 186. *De Hypocriſi.*

Memb 1. Eſt velle videri bonum,& non eſſe:vel eſt ſimulatio bonitatis, vel palliatio malitiæ, &c,

Memb. 2. Eſt peccatum mortale, ob malitiam ſubſtratam, vel defectu boni: niſi eſſet primus motus, vel non includeret defectum boni neceſſarij.

Memb. 3. Velle videri bonum, eſt malum defectu finis neceſſarij: qui debet eſſe maior gloria Dei, vel ædificatio proximi. Nec ſufficeret finis impetrandi per hoc neceſſaria vitæ: quia hic finis non eſt dignus bonitate ſimulatâ.

Memb. 4. Naſcitur ex inani gloria, & ad eius finem refertur.

Memb. 5. Velle videri bonum,& in hoc ſub Deo gloriari, poteſt eſſe veniale: ſed præferre Deo hanc apparentiam ſanctitatis, vel etiam inde grauem malitiam palliare, eſt mortale. Poſſet tamen quis malus facere aliqua bona ex quibus videretur bonus: ſed non eo fine.

§. 1. Aliquando eſt maius in vna materia quàm alia, vno modo quàm alio.

§. 2. Non continetur ſub auaritia: ſed eſt ſimile, in rapienda laude aliena.

Memb. 6. Nemo poteſt non eſſe, & ſimulare ſe malum: quia hæc ipſa ſimulatio eſſet mala, cùm abſtinendum ſit etiam à ſpecie mali.

§. 1. Nemo poteſt non eſſe, & ſimulare ſe eſſe hypocritam: quia hoc ipſo eſſet talis.

Memb. 7. Velle videri iuſtum aut caſtum, &c. non ſunt ſpecies hypocriſis: ſed varia motiua. Affectatio libertatis, dignitatis, authoritatis, poteſtatis, ſunt varij actus materiales: ſed hypocriſis non habet ſpecies; quia non intendit niſi videri bonum, integrè & præciſè.

Memb. 8. Opponitur ſimplicitati veritatis: ſed concomitanter, etiam omni virtuti.

Memb. 9. Eſt tam deteſtabilis Deo. 1. Quia eſt Anti-Chriſti. 2. Quia eſt Phariſæorum. 3. Quia eſt directè contra proprium Dei, reordinandi mala in bonum. 4. Quia eſt contra gloriam appropriatam Deo Patri, Veritatem Filio, Bonitatem Spiritui Sancto.

Memb. 10. Non eſt ex ſe peccatum irremediabile, nec in Spiritum S. ſed ex infirmitate, ſeu inclinatione ad vanam gloriam.

Memb. 11. Fructus hypocriſis, *Matt.* 7. ſunt, fauor humanus, quæſtus temporalis, laus humana: quibus præcipuè intendit frui, & ſine quibus deficit à bonis operibus.

QVÆSTIO 187. *De Symonia.*

Memb. 1. Denominatur à *Simone Mago. Act.* 8. Sed propriè emptor ſpiritualium dicitur Symoniacus, ab illo *Simone*; venditor autem *Gieſita,* ab illo *Gieſi,* 4. *Reg.* 5.

Memb. 2. Eſt ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum, 1. *q.* 1. Culpa eſt in ipſa voluntate ſtudioſa: ſed pœnæ eccleſiaſticæ, non niſi ex ipſo facto. Voluntas non ſtudioſa, eſt etiam culpa: ſed aggrauatur ſtudio ſeu conatu exequendi, eòque magis quò non tantùm contra ius aliquod Canonicum, ſed etiam Diuinum aut naturale. Sub emptione & venditione, intelligitur quælibet conuentio circa ſpiritualia, mediantibus temporalibus, ſine authoritate Superioris. Iudex quidem ſæcularis peccat grauiter vendendo iuſtum iudiciū: non tamen ſymoniacè; quia hoc non eſt ſpirituale quaſi gratuitum, aut gratis datum; nec labor aduocati ſæcularis eſt ſic ſpiritualis. Secus de iudicibus Eccleſiaſticis vendentibus iudicium, &c. quibuſdam tamen idem videtur de ſæcularibus. Vaſa Eccleſiæ, vt ſacri Calices, Cruces, &c. vendi poſſunt ex neceſſitate & valore materiæ, non formæ ſacræ, nec ad vſus prophanos: non ſic de Oleo, & Chryſmate; quia in his ipſa materia eſt per ſe conſecrata. Ligna antiqua Eccleſiæ conſecratæ, non ſunt vendenda ad opus prophanum: ſed vel comburenda, vel applicanda alteri Eccleſiæ aut Monaſterio ad loca Religioſa, vt ad Capitulum, Dormitorium, &c. non ad Coquinam. *Ex Hygino Papa de conſecr. diſt.* 1.

§. 1. Non eſt propriè hæreſis in intellectu: ſed in affectu quaſi hæretico, contra debitam æſtimationem Spiritus S. & rerum ſpiritualium.

§. 2. Eſt maius peccatum, à maiori pronitate & enormitate: non à maiori contrarietate fidei Catholicæ. §. 3. Idolatria eſt ſimpliciter peior.

Memb. 3. De varijs modis ſymoniæ: per munera, *à manu, obſequio, & lingua.*

Art. 1. De munere à manu, ſeu pecunia, &c. Si voluntas Iudicis eccleſiaſtici moueatur pretio cuiuſuis muneris parui vel magni, ſemper eſt culpa ſymoniæ: ſed Eccleſia non iudicat animum Iudicis corrumpi tam modicis. Quæ ſunt æſtimanda. 1. Ex qualitate dantis & accipientis. 2. Ex quantitate rei datæ. 3. Ex intentione & circumſtantijs donandi, indeque præſumenda ſymonia.

§. 1. Non licet quicquam dare pro ipſo Baptiſmo: ſed ex neceſſitate poſſet dari aliquid Sacerdoti aliter nolenti baptizare, pro ipſa aqua, &c. Vel poſſet ab alio baptizari, ad vitandam talis Sacerdotis ſymoniam.

§. 2. Licet etiam redimere vexationem iniuſtam ſuper re ſpirituali, 1. *q.* 3.

§. 3. Procuratio moderata, pro labore viſitandi & conſecrandi Eccleſias, non eſt ſymoniaca, ſi ſit ſine pacto: quia ſunt actiones verè & valdè laborioſæ, nec temporalia dantur vt media ad finem ſpiritualem, ſed ex conſequenti: Dignus eſt enim operarius cibo ſuo, in Euang. & 1. *Cor.* 2.

Art. 2. De munere ab obſequio. Dicitur eſſe ſeruitus indebitè impenſa. Quòd ſi quis dignus exhibeat obſequium dignum ſeu honeſtum, ſine pacto, aut intentione principali quamuis ſecundaria beneficij ſpiritualis, non eſt ſymonia: ſecus de perſona indigna, vel obſequio inhoneſto, vel cum pacto. 1. *q.* 1.

§. 1. Conditio obſequij ſpiritualis pro beneficio, non facit ſymoniam: ſi ſit annexa in inſtitutione præbendæ, & confirmata à Summo Pontifice.

Art. 3. De munere à lingua, ſeu varijs linguæ vitijs & obſequijs. Sunt qui putant eſſe ſymoniam, ſi quis etiam dignus, ſuis precibus impetret beneficium: Sed hoc graue eſt, cum iura non ſint expreſſa; tutius tamen eſt non precari pro ſe, niſi ad beneficia ſimplicia, neceſſaria ad ſuſtentationi.

Digitized by Google

§. 1. Preces alienæ pro indigno ad ordinem vel beneficium, ſunt ſymoniacæ: non autem pro digno, quia hæ cenſentur commendatitiæ & teſtimoniales pro perſona digna; illæ autem ſi ſint importunæ, potentes, armatæ, mouent inordinatè animum conferentis.

Memb. 4. De materialibus differentijs ſymoniæ.

Art. 1. De reipſa ſpirituali. Non eſt licitum exigere pecuniam pro benedictione nubentium, & ſimilibus: vt habetur *Extra De Symonia*, *Ad Apoſtolicam audientiam*; ſed benè recipere ex pia conſuetudine & deuotione fidelium. Nec eſt ſymonia contrahere matrimonium ſub pacto pecuniæ ſeu dotis. *Dicunt enim quòd in matrimonio non confertur gratia: ideoque poteſt interuenire conditio pecuniæ prouocatiua ad conſenſum.*] Vnde patet hanc non eſſe propriam ſententiam *Alenſis*: ſed potius quia contractus ille de pecunia aut dote, eſt diſtinctus ab ipſo matrimonio ſacramentali.

§. 1. Non eſt ſymonia dare vel recipere aliquid pro legenda Miſſa, vt motiuum laudandi Deum, ad neceſſariam ſuſtentationem Sacerdotis, ſine alia obligatione ad idem, aut pacto, aut intentione principali ad hoc. *Ex S. Hier. in Michæam, de Saule qui dedit quartam partem ſtateris argenti Samueli, &c.* Sed eſt ſymonia dare vel recipere vt prætium Miſſæ, vel exigere aliquid: ſi aliunde ſit obligatio & ſumptus ſufficiant. Si vero non ſit obligatio, & ſumptus ſufficiant: eſt ſpecies mali aliquid exigere. Sed eſt grauis offenſa plures in die Miſſas facere ad lucrum, aut placendum ſæcularibus: niſi ex neceſſitate vnam de die, & alteram pro defunctis.

§. 2. Non licet paciſci de reditu annuo pro anniuerſario: ſed ſi fideles ad hoc conferant reditum Eccleſiæ, obligatur ad eorum intentionem.

§. 3. Licet dare Religioſis temporalia: non vt precium, ſed motiuum amicitiæ ſpiritualis, & orandi pro dantibus.

§. 4. Eſt ſymoniacum exigere pecuniam pro ſepultura, vel vendere terram ſacram ad ſepulturam: *Extra de Symonia, Ad Apoſtolicam.* Quidam dicunt quòd Abraham *Gen.* 23. emit agrum magnum in quo erat illa ſpelunca ſepulturæ: vt ſi quis emat villam cui annexum eſt ius patronatus. Alij, quòd illa ſpelunca non erat conſecrata. *Art.* 2. De re annexa ſpirituali. §. 1. An liceat vendere ius decimãdi. §. 2. An liceat vendere decimas laïcis. §. 3. An liceat laïcis percipere oblationes in Eccleſijs. *Ad* 1. Eſt ſimoniacum vendere ius proprium Clericorum decimandi, vt quoddam tributum in ſignum Dominij Dei: quia hoc non eſt annexum fundo, ſed ordini clericali. *Ad* 2. Fructus poſſunt vendi, vel emi, vel dari laicis ad defenſionem Eccleſiæ: ſed nullatenus ius decimale. *Ad* 3. Laici non habent ius ad illas oblationes: poſſunt tamen eis concedi ad vſum honeſtum, ſine iure. *Ad* 4. Decimæ non poſſunt tranſire in feudum radicale: ſed tantùm ius ad tempus percipiendi fructus pro defenſione Eccleſiæ, non hæreditariè poſt *Conc. Later.*

§. 4. Poteſt Eccleſia redimere à laïcis ius percipiendi decimas: quamuis ex *Conc. Later.* laïci non poſſint eas percipere contra voluntatem Eccleſiæ. §. 5. Non poteſt tamen vna Eccleſia emere ius decimarum ab alia. §. 6. *Cantor Pariſienſis* dicit eſſe ſymoniacum dare præbendam ſuo conſanguineo, ex ſola cauſa conſanguineitatis: quia eſt munus à ſanguine, nec eſt ædificanda Eccleſia *in ſanguinibus.* Sed licet ſit graue peccatum: non eſt tamen ſymonia: quia non datur pro conſanguineitate vt prætio; ſed vt fine, vel motiuo dandi. Qui enim confert amore pecuniæ, vult & recipit aliquid ab eo cui dat: ſed qui confert amore carnis, nil vult, aut recipit ab eo, ſed totum dat. §. 7. Ius Patronatus, ſeu præſentandi Clericum ad beneficium Eccleſiaſticum, per ſe vendi aut emi non poteſt. §. 8. Non poteſt vendi vt pars totius venditi: nec totum cariùs, ob illud annexum; ſed tranſit cum empto vel acquiſito cui annexum eſt.

Art. 3. De ſpiritualibus & temporalibus annexis. Non licet prædicare pro temporalibus, vt pro precio: ſed primariò propter Deum; ſecundariò, vt auditores moueantur ad eleemoſynas, vt 2. *Cor.* 12. §. 1. Eſt ſymonia vendere ipſam ſcientiam: non autem recipere aliquid pro labore docendi. §. 2. Eſt ſymonia in cauſis & perſonis Eccleſiaſticis, vendere teſtimonium veritatis, vt & iudicium: In alijs, eſt graue peccatum, *ex Aug. Epiſt ad Macedonium.* Quia verum teſtimonium eſt intrinſecum cauſæ: Conſilium autem & Patrocinium, eſt extrinſecum. Sed quidam dicunt quòd vendere ſcientiam ſui conſilij, ſit ſymonia: non autem laborem conſulendi, &c.

Memb. 5. Qui recipit Ordinem ſymoniacè, ſuſpenditur ab executione, quoad ſe & alios, poteſtque deponi ſi conuincatur: qui autem confert Ordinem, aut dat aut recipit beneficium ſymoniacè, ſuſpenditur ipſo iure quoad ſe tantùm; teneturque beneficio renunciare, & fructus perceptos reſtituere. *Extra de Symonia.*

Memb. 6. Eſt ſymonia, corrumpi precio ad occultandum aut diſſimulandum peccatum ſubditi, quem quis ex officio ſpirituali tenetur corrigere. §. 1. Licet redimere vexationem ſuper electione validè facta, non facienda. §. 2. Collator ſymoniacè percipit fructus beneficij poſt collationem: non ante, ſi ex æqua cauſa, non ex pacto. §. 3. Eſt ſymonia recipere aliquem ad Monaſterium diues, intentione temporalium: non autem ad Monaſterium inops, intentione ſecundaria.

Memb. 7. Recepta ſymoniacè, reſtituenda ſunt Eccleſiæ cui iniuria facta eſt: quòd ſi quid acceptum fuit ſymoniacè ad recipiendum aliquem in Monaſterio, transferendum eſt cum perſona, ſi hæc ad aliud Monaſterium transferatur.

QVÆSTIO 188. *De ſacrilegio furti.*

Memb. 1. Eſt violatio vel vſurpatio rei ſacræ.

Memb. 2. Vel eſt in perſonam, vel rem, vel locum ſacrum. §. 1. Poteſt dici furtum, vt eſt rei alienæ: ſed ſacrilegium, vt rei ſacræ. §. 2. Sacrilegium rerum Eccleſiæ, non eſt homicidium pauperum qui inde ſuſtentarentur, niſi diſpoſitiuè.

Memb. 3. Eſt ſacrilegium contra immunitatem Eccleſiæ, vi extrahere inde Reum; niſi ſit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel homicida, aut mutilator in ipſa Eccleſia, vel ſer-

tius

Digitized by Google

uus fugitiuus à ſuo domino cui reſtituendus eſt. *Extra, Cap. Immunitatem, &c.* Sacrilegium pollutionis Eccleſiæ, non eſt niſi per adulterium. *De Conſecr. d.* 1. *in conſtit. nouella.* Nec eſt ſacrilegium refugere ab hoſtibus ad Eccleſiam & Cœmiteria cum ſuis familijs & pecoribus, ibique comedere & dormire. *Extra, De Cuſt. Euchar.*

Memb. 4. Pœna ſpiritualis ſacrilegij in perſonam ſacram, ipſo iure eſt excommunicatio maior: in rem autem, nonniſi minor, exceptis caſibus. *Extra De. Excom. &* 10. *q.* 4. Pœna pecuniaria variè determinatur per Canones.

QVÆSTIO 189. *De ſcandalo in proximum.*

Memb. 1. Eſt dictum vel factum minùs rectum, præbens alicui occaſionem ruinæ.

Memb. 2. Non eſt peccatum proprio genere diſtinctum ab alijs: ſed hic circumſtantia aggrauatū. §. 1. Non eſt tantum in dicto & facto: ſed in cupidine ſcandalizandi.

Memb. 3. Tam actiuum quàm paſſiuum poteſt eſſe mortale vel veniale: pro periculo & grauitate ruinæ; ſed paſſiuum potiùs eſt veniale.

Memb. 4. Scandala non ſunt ſimpliciter neceſſaria: ſed ex praua natura, & conſuetudine; nec ſunt ex ſe vtilia, ſed à Deo ad bonum referibilia.

Memb. 5. Scandalizare peius eſt in genere, & ſimpliciter: ſed ſcandalizari, poteſt eſſe peius in aliquo.

Memb. 6. De omittendis ob ſcandalum paſſiuum. Ex *S. Bern.* Cauendum eſt ne quis ſcandalizetur, ex ignorantia aut infirmitate: non ne ex certa malitia, *Matt.* 15. Ex *S. Hier.* Non eſt omittenda veritas vitæ, iuſtitiæ, aut doctrinæ, ne quis inde ſcandalizetur. §. 1. Non ſunt omittenda opera miſericordiæ, ne quis ſcandalizetur: ſed differenda, vel occultanda, *Matt.* 6. §. 2. Non eſt omittendum conſilium Euangelicum ingrediendi Religionem, ob ſcandalum, ex neceſſitate parentum: ſed benè differendum donec eis prouiſum ſit. §. 3. Poſſunt repeti bona propria aut Eccleſiæ, ex bona intentione, bono modo, & pacificè: non autem ex nimia libidine rerum temporalium; nec tamen neceſſario deſerenda, ob ſcandalum paſſiuum. 1. Quia aliàs paſſim quique occuparent & retinerent aliena. 2. Eccleſia & boni priuarentur rebus ſuis. 3. Non eſſet iuſtitia, nec ordo & correctio, &c. 4. Quia nemo preſumi debet inde ſcandalizandus, ſed potius corrigendus. Quod ſi non ſubeſſet periculum iuſtitiæ generalis, nec egeret quis re ſua pro ſe vel ſuis: fortè præſtaret eam dare occupāti ac indigenti, ne rem alienam detineat. §. 4. Licet viuere ex proprio labore ſpirituali, 1. *Cor.* 9. Quòd autem ait Apoſt. *Ne offendiculum demus, &c.* i. Ne qui inde capient occaſionem abutendi, & ne inde minus propagetur Euangelium. Bonum opus diſcretum ex omnibus circumſtantijs, non poteſt ſcandalizare: ſed opus bonum ex ſolo genere poteſt habere aliquam ſpeciem mali cauendā, 1. *Theſ.* 5. Sola vita & conſcientia bona neceſſaria eſt vnicuique pro ſe: ſed fama etiam boni, pro proximo; ideoque tenetur abſtinere ab omni ſpecie mali, & auferre occaſionem ſcandali quantum poteſt, pacificè monendo & ſatisfaciendo, &c. §. 5. Potiùs veſcendum eſt ex Idolotytis, quàm fame moriendum: ſed minùs æſtimando mortem propriam corporalem quàm ſcandalum; & proteſtando quòd non comedantur, niſi ex illa neceſſitate. §. 6. Non eſt omittenda iuſtitia reddendi vnicuique quod ſuum eſt, timore ſcandali: ſed differenda aut moderanda punitio Principum aut populi, ob periculum grauioris ſcandali. *Ex B. Aug. ad Bonif.* & alibi.

Memb. 7. De agendis ad vitandum ſcandalum. Si quis petat rem alterius irrationabiliter, non eſt danda ne ſcandalizetur: quia hoc perturbaret omnem ordinem, & quilibet fingeret ſe ſcandalizari, ad habendam rem alienam. Si quis autem eam petat rationabiliter: aut eſt magis neceſſaria habenti, & ſic non tenetur dare; aut eſt magis neceſſaria petenti, vel etiam ſuperflua habenti; ſed hic mauult dare alteri indigentiori, aut reſeruare in occaſionem probabilem maioris & communis indigentiæ: nec tunc tenetur illi dare; ſed tenetur, ſi nihil horum excuſet, ex periculo ſcandali niſi det.

Memb. 8. Quòd *S. Hier.* excuſet S. Petrum à ſcandalo Gentilium, in obſeruandis legalibus cum Iudæis: quaſi ex condicto, & ſimulata eius à S. Paulo reprehenſione, ad abolendam illam obſeruantiam, *ex Orig.* Sed *S. Aug.* neget id geſtum ex vlla ſimulatione: quia verè Petrus erat reprehenſibilis, eo quòd non rectè ambularet, &c. *Gal.* 2. non quidem peruerſè, ſed minus diſcretè, &c. vt nos in 4. *à col.* 184. *ad* 186.

FINIS

huius ſecundæ Partis.

EX

Digitized by Google

Digitized by Google

EX DOCTRINA S. BONAVENTVRÆ,
In 2. Sent. per Diſt. 44. De creatione Rerum.

Proœmium ex Eccleſ. 7. & Eccli. 17. Deus fecit hominem rectum & ipſe ſe infinitis immiſcuit quæſtionibus, &c.

In DIST. 1. De Creatione totius mundi: ſed ſpecialiter creaturæ rationalis in genere.

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De rebus Creatis.

QVÆSTIO I.

AN Res habeant principium cauſale? *Reſp.* Omnes res Mundi, vſque ad ipſam materiam primam ſunt à Deo creatæ, ſeu productæ ex nihilo: contra varios errores Philoſophorum. Vt *Al. p. 1. q. 3. 19. 20. & p. 2. q. 6.* Sed ſpecialiter quia cùm formæ ſint ſimplices, & diuerſæ ac perfectioris eſſentiæ, non fiunt ex materia vt componente, conſtituente, vel producente, ſed originaliter à ſolo Deo; ergo & ipſa materia prima. *Ad* 4. Creare non eſt agere in ſubiectum: ſed facere totum effectum. *Ad* 5. Quidam dicunt quòd creatio paſſiua nec eſt ſubſtantia nec accidens: ſed via ad vtrumque. Alij, quòd creari non eſt aliud quàm nunc primò eſſe, nec creatio dicat quid medium inter Deum & creaturam, ſed ſolùm connotet ordinem creaturæ ad ſuum priùs non eſſe, & ad ſuam cauſam primam; nec fiat quid ex nihilo vt ex cauſa vel materia, ſed ſolo ordine eſſendi poſt non eſſe.

QVÆST. 2. De principio initiali: An mundus productus ſit ab æterno, vel ex tempore? *Reſp.* Implicat manifeſtam contradictionem totum mundum ab æterno productum fuiſſe ex nihilo. 1. Quia eſſent plurima infinita inter ſe inæqualia. 2. Eſſent infinita inordinata. 3. Infinita iam præterijſſent. 4. Infinita comprehenderentur memoriâ finitâ. 5. Infinita ſimul eſſent. 6. Quia produci ex nihilo non eſt cauſaliter aut materialiter: ſed ſolùm ordinaliter, accipiendo eſſe poſt non eſſe, quod manifeſte repugnat æternitati, &c. vt *Al. p. 1. q. 12. & p. 2. q. 13. & 14.* Niſi quòd hîc *S. Bon.* nolit repugnare productionem ab æterno ex materia, ſi poſſet eſſe æterna: vt non repugnaret veſtigium coæternum pedi & pulueri, nec vmbra coæterna corpori & luci. Non quòd velit hæc eſſe poſſibilia abſolutè: ſed tantùm conditionatè, ex ſuppoſitione impoſſibili.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De vnitate principij.

QVÆSTIO 1. An res omnes ſint ab eodem, vel pluribus principijs? *Reſp.* Pluralitas primorum principiorum non eſt tantùm contra fidem, *Ioan.* 1. ſed etiam euidenter contra rationem primi principij, eiuſque Infinitatem, ac Omnipotentiam, & Ordinem vniuerſi, &c. Vt *in 1. Diſt. 2. q. 1. 42. 43. 44. Alenſis p. 1. q. 3. 13. 14. 19. 20. p. 2. q. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ad Arg. Manich.* Mundus, Caro, &c. vt ſonant abuſus & vitia, non ſunt bona, nec Dei, aut à Deo: ſed vt ſunt quædam res naturales.

QVÆST. 2. An primum principium produxerit omnia ſeipſo, aut mediante alio. *Reſp.* Eſt contra fidem & rationem Omnipotentiæ, ac creationis, Deum non creaſſe omnia per ſeipſum, ſed quædam per cauſas ſecundas, &c. vt *ſupra, ac infra de creatione.* Et *Al. p. 2. q. 5. 6. & alibi.*

ARTICVLVS TERTIVS.

De ipſa Creatione.

QVÆSTIO I. An Creatio dicat mutationem? *Reſp.* Creatio paſſiua eſt mutatio creaturæ: non quâ aliter ſe habeat poſt, quàm ante: ſed quâ eſt, cùm ante non eſſet. Vel, vt *q.* 2. Non eſt mutatio in eſſe, nec ab eſſe, ſed ad eſſe, &c. Vt *Al. p. 1. q. 4. & p. 2. q. 9.*

QVÆST. 2. An creatio dicat medium inter Creatorem & creaturam? *Reſp.* Nec creatio actiua, nec paſſiua eſt quid medium inter Creatorem & creaturam, quoad rem: ſed ſolùm quoad modum noſtrum intelligendi, creationem actiuam, & quoad habitudinem creationis paſſiuæ, ſed eſſentialem creaturæ, &c. vt *Alenſis p. 2. q. 9.*

In 2. partem DIST. 1. De rerum diſtinctione.

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆSTIO I. An à primo efficiente debuerit vel potuerit eſſe rerum multitudo? *Reſp.* Diſtinctio & multitudo rerum intrinſecè & formaliter eſt ab earum formis: extrinſecè & cauſaliter, ab eodem primo efficiente; non ex pluribus ideis, nec ex pluribus medijs, nec ex varijs reflexionibus ſupra ſeipſum; ſed ex ſua ſimpliciſſima ac infinita potentia, ſapientia, bonitate, & perfectione. Nam ſi vnitas eſt principium omnium numerorum in infinitum: quanto magis Deus omnium creaturarum? vt *Al. p. 2. q. 11.*

QVÆST. 2. An tota rerum vniuerſitas diſtinguatur in creaturam ſpiritualem, corporalem, & ex vtraque mediam? *Reſp.* Quòd ſic: ad manifeſtationem Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis Dei.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De ordine omnium.

QVÆSTIO. 1. De ordine ad finem: An Deus produxerit omnia ad ſuam gloriam, vel ad noſtram vtilitatem? *Reſp.* Produxit omnia principaliter ad ſuam gloriam: non acquirendam, vel augendam, ſed manifeſtandam, & communicandam; in quo eſt ſumma vtilitas creaturæ rationalis. *Ad* 1. Deus operatur ex perfectiſſima charitate, non quærente quæ ſua ſunt, 1. *Cor.* 13. i. non vt bonum proprium & priuatum, ſed vt commune, quod eſt ipſum bonum Dei. *Ad* 2. & 3. Natura noſtra vt deficiens recuruatur in ſe ad bonum proprium: ſed perfecta charitate eleuatur ſupra ſe ad bonum, ſeu gloriam Dei. *Ad* 4. Beati magis gaudent de gloria Dei, quàm de propria glorificatione.

QVÆST. 2. An Angelus ſit præſtantior homine? *Reſp.* In ordine ad finem ſeu Beatitudinem æternam ſunt pares: ſed ordine perfectionis naturalis Angelus eſt homine præſtantior. *Ad* 1. Ex *Aug.* Deus immediatè influit etiam in animas. *Ad* 2. Omnia ſunt propter hominem potiùs quàm propter Angelum: non ob illius maiorem perfectionem,

Digitized by Google

nem, ſed indigentiam. *Ad* 3. Nec Beata Virgo, nec Chriſtus excedunt Angelos naturâ humanâ, ſed gratiâ. *Ad* 4. Angelus miniſtrat homini propter Deum: vt diues pauperi, ſanus ægroto.

ARTICVLVS TERTIVS.

De diſtinctione inter Angelum & animam rationalem.

QVÆSTIO 1. An Angelus & Anima differant ſpecie? *Reſp.* Quamuis anima non ſit ſpecies, ſed pars & forma ſpeciei: differt tamen eſſentialiter ab Angelo, ſicque quaſi ſpecie, &c. vt *Al. p.* 2. *q.* 20. *m.* 5.

QVÆST. 2. Quæ ſit illa differentia eſſentialis? *Reſp.* Non perfectior intellectus Angelicus, nec perfectiores actus: quia hæc perfectiò eſt potiùs ex eſſentia, quàm eſſentialis; ſed capacitas ſubſtantialis animæ rationalis informandi & perficiendi corpus humanum ac conſtituendi hominem, &c.

In DIST. 2. *De creatione naturæ Angelicæ.*

Expoſitio textus, per 2. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

In 1. *partem Diſt. De menſura Durationis Angelicæ.*

QVÆSTIO 1. An ſpiritualia habeant propriam menſuram diuerſam à tempore? *Reſp.* Quoad eſſe indefectibile, habent proprium modum ac menſuram durationis æternæ: non autem quoad affectiones variabiles.

QVÆST. 2. An omnium æuiternorum, ſeu ſpiritualium ſit vnum æuum, ſicut omnium temporalium eſt vnum tempus? *Reſp.* Quòd non: quia tempus fundatur præcipuè in materia communi vt tendente ad formas: æuum autem in formis diſtinctis, & ſtabilibus, &c. *non procul ab Al. p.* 1. *q.* 12.

QVÆST. 3. An ſpiritualia habeant menſuram permanentem, vel ſucceſſiuam? *Reſp.* Non ſucceſſiuam quaſi partium ſuccedentium: nec tamen ſimplicem, ac indiuiſibilem; ſed quandam extenſam, & continuatam durationem eiuſdem eſſe continuò dependentis à Deo, vt radius à Sole.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De comparatione æui ad tempus.

QVÆSTIO. 1. An æuum præcedat aliquo modo tempus? *Reſp.* Communiſſimè, tempus includit æuum: communiter, concipitur vt priùs æuo; propriè, ſunt ſimul duratione, ſed æuum priùs eſt dignitate; propriiſſimè, æuum eſt priùs duratione & dignitate. *De quibus Al. p.* 1. *q.* 12.

QVÆST. 2. An inter tempus & æuum ſit alia menſura media? *Reſp.* Inter tempus propriè, pro menſura cuiuſuis ſucceſſionis, & æuum, non eſt medium re, ſed ſola ratione: ſed inter tempus propriiſſimè, pro menſura ſucceſſionis continuæ ac finibilis, eſt medium re, quod dici poteſt ſæculum ſucceſſiuum ſine fine, &c. *De quo Al. p.* 1. *q.* 12. *m.* 9. *a.* 8.

QVÆST. 3. An ſubſtantiæ ſpirituales & corporales ſint ſimul creatæ? *Reſp.* Angeli, Cœlum Empyreum, Materia prima, & Tempus, fuerunt ſimul creata quoad concomitantiam durationum. Ex *Gloſſ. in Gen.* 1. & *B. Aug.* 12. *Conf.* 12. *Ad* 1. & 2. Prior omnium creata eſt Sapientia, *Eccli.* 1. non prioritate durationis, ſed electionis, ſeu dignitatis.

In 2. *partem DIST.* 2. *De Cœlo Empyreo.*

ARTICVLVS PRIMVS.

De natura Cœli Empyrei.

QVÆSTIO 1. An ſit, & cuius naturæ? *Reſp.* Eſt, vniforme, immobile, luminoſū, & perfectè lucidum. *Gen.* 1. De quo *Al. p.* 2. *q.* 19. *m.* 3. & *q.* 47.

QVÆST. 2. An influat in hæc inferiora? *Reſp.* Dicendum quòd cùm ſit primum & maximum, omnia contineat, & in omnia influat.

ARTICVLVS 2. *De loco Angelorum.*

QVÆSTIO 1. An Angeli ſint in loco corporeo? *Reſp.* Sunt in cœlo Empyreo, vt in loco continente. 1. Quia ſi non haberent vllum locum continentem, non haberent inter ſe ſocietatem, coexiſtentiam, & ordinem. 2. Quia ſunt limitatæ ſubſtantiæ. 3. Ad rationem & ordinem totius vniuerſi, &c. vt *Alenſis p.* 1. *q.* 9. & *p.* 2. *q.* 15. & 32.

QVÆST. 2. An poſſint eſſe ſimul in pluribus locis? *Reſp.* Quòd non: ex eorum indiuiduatione, ac limitatione. *De qua Alenſis q.* 32. *m.* 3.

QVÆST. 3. An ſint in loco particulari, vel punctuali? *Reſp.* Non in ſolo punctuali: ſed etiam toti in toto aliquo partibili, & toti in ſingulis eius partibus; vt Deus vbique, & animæ in corpore.

QVÆST. 4. An poſſint eſſe plures ſimul in eodem loco? *Reſp.* Poſſent quidem ex natura ſua ſpirituali: ſed non poſſunt ex ordine vniuerſi.

In DIST. 3. *De ſtatu æquali, vel inæquali Angelorum ex ſua creatione, ante lapſum.*

ARTICVLVS PRIMVS.

De ſimplicitate naturæ Angelicæ.

QVÆST. 1. An Angeli ſint compoſiti ex materia & forma? *Reſp.* Cùm in Angelis ſit ratio mutabilitatis, paſſibilitatis, indiuidualitatis, limitationis, & compoſitionis eſſentialis, &c. illa poſitio videtur verior, quòd in eis ſit compoſitio ex materia & forma, &c. *Al. p.* 1. *q.* 45. *p.* 2. *q.* 12. & 20.

QVÆST. 2. An ſint compoſiti ex eadem materia corporalium? *Reſp.* Non Phyſicè, ſed Metaphyſicè: conſiderando actum eſſendi quem dat forma, & ſtabilitatem per ſe exiſtendi quam dat id cui innititur forma, & hæc eſt materia. *Si Theologus tractat hanc quæſtionem vt Philoſophus naturalis, dicet non eſſe eandem materiam: ſi vt Metaphyſicus, dicet eandem eſſe per eſſentiam, differentem quoad eſſe. Et quia nobiliori modo iudicat Metaphyſicus: qui poſuerunt eandem, altiùs eleuati meliùs iudicarunt, &c. Concedendæ ergo ſunt rationes probantes eandem eſſe materiam per eſſentiam in ſpiritualibus & corporalibus.* Ex *Aug. lib. de mirabil. ſacræ ſcript. qui fuit altiſſimus Metaphyſicus.*

QVÆST. 3. An materia corporalium & ſpiritualium ſit vna numero? *Reſp.* Non vnitate formali & actuali, nec continuitate: ſed ſolùm homogeneitate, ſeu eadem capacitate, vel potentialitate, abſque vlla ex ſe diſtinctione numerica, vel alia; quia eſt tantùm potentialis, abſque vllo actu ſeu forma diſtinguente. Videtur contra *Alenſem p.* 2. *q.* 12. 13. 20. 44.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De diſcretione perſonali Angelorum.

QVÆST. 1. An in Angelis ſit mera diſcretio perſonalis? *Reſp.* Quidam dixerunt quòd ſit diſcretio perſonalis: ſed nunquam purè, imo tot ſint ſpecies quot indiuidua; ſed non videtur rationabile vt nullus ſpiritus communicet cum alio in natura ſpirituali & ſpecifica. Alia eſt poſitio ſobria & Catholica, quòd in aliquibus vel omnibus Angelis eſt ſola diſtinctio perſonalis: tum ex communi mini-

miniſterio, tum ex ſimilitudine Dei, tum ex ſimilitudine mutuâ. *Ad* 1. & 2. Ratio potiſſima multiplicationis, eſt Diuinæ Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis declaratio. *Ad* 4. Non ſola origo eſt ratio diſtinctionis perſonalis: cùm homines diſtinguantur etiam ab iis à quibus non oriuntur; ſed diſtinctio perſonalis eſt ex principijs conſtituentibus & particulantibus. Vt enim homines habent diuerſas facies, ſic & mentes ac proprietates mentales: ita & ſuo modo de Angelis. *Al. p.* 2. *q.* 20. *m.* 4. 5. 6.

QVÆST. 2. An proprietas perſonalis in Angelis ſit ſubſtantialis, vel accidentalis? *Reſp.* Diſcretio perſonalis videtur dicere accidens, quia dicit per modum accidentis: tamen principaliter dicit quid ſubſtantiale; & ſi conſequenter importet accidens, id immediatè oritur à principijs ſubſtantialibus, &c. *Infra.* Vt diſcretio indiuidualis eſt exiſtentia formæ naturalis in materia: ſic perſonalis diſcretio eſt exiſtentia naturæ nobilis & ſupereminentis in ſuppoſito. Et ideo quamuis vtrobique importetur quid ſubſtantiale, & accidentale conſequens: non tamen ortum ab accidente, ſed conſequens formam in materia, vel naturam in ſuppoſito. Hinc ſi proprietas ſubſtantialis dicatur, quia immediatè ſequitur ſubſtantiam: ſic diſcretio perſonalis eſt ſubſtantialis. Si ſubſtantiale dicatur quia non exit genus ſubſtantiæ: quodāmodo ſic, quodāmodo non. Si proprietas accidentalis dicitur, quia cauſatur ab accidentibus: ſic non eſt accidentalis. Si verò dicatur accidentalis quia eſt in genere accidentis: ſic poteſt dici quodāmodo talis & non talis. *Ad* 1. Proprietas indiuidualis & perſonalis non eſt accidentalis quoad rem, ſed quoad modum. *Ad* 2. & 3. Diſtinctio perſonalis non eſt per qualitatem quoad rem, ſed quoad modum: vel non eſt per qualitates accidentales, ſed per eas cognoſcitur.

QVÆST. 3. An diſcretio perſonalis ſit ex principio formali, vel materiali? *Reſp.* Cùm materia ſit ex ſe communis, ſed forma propria alteri ſimilis: neutra poteſt eſſe tota ratio diſtinctionis; ſed Indiuiduatio eſt ex coniunctione formæ cum materia, vt ſigilli cum cera, quâ ſeinuicem ſibi appropriant. Cùm autem Indiuiduum ſit *Hoc Aliquid*: quòd ſit *Hoc*, in loco & tempore, habet principaliùs à materia; quòd ſit *Aliquid*, à forma. Indiuiduum enim habet Eſſe à forma, exiſtere à materia. Diſcretio autem perſonalis dicit ſingularitatem & dignitatem: illam ex coniunctione principiorum eius *Quòd eſt*; hanc principaliter à forma.

In 2. *partem* DIST. 3.

ARTICVLVS 1. *De malitia Angelorum.*

QVÆSTIO 1. An Deus condiderit eos malos? *Reſp.* Eſt hæreticum & impoſſibile Deum condidiſſe Angelum malum: quia quodlibet opus Dei eſt neceſſariò bonum, laudabile, ordinabile, acceptabile, perfectum aut perfectibile, ſeu tendens ad perfectionem.

QVÆST. 2. An quis Angelus à primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus, ſeu peccauerit? *Reſp.* Fuit antiqua poſitio quòd ſic: ſed quia quaſi hæreſim ſapit, excommunicata eſt ab Epiſcopo Pariſienſi. Ideo vt catholicum dico eſſe tenendum, quòd paruula morula fuit inter creationem & lapſum. *Ad* 1. Diabolus ab initio peccauit, 1. *Ioan.* 3. i. ſtatim. *Ad* 2. *B. Aug.* vult omnia creata eſſe ſimul in eſſe, ſed non in benè eſſe. *Ad* 3. & 4. Quidam negant vllam creaturam poſſe operari primò inſtanti ſui eſſe: quia tamen *Aug.* videtur id dicere de Luce, & Splendore, concedamus & in Angelo. Sed non fuit ſtatim in actu electionis: quia illum antecedit deliberatio, & præcognitio plurium, quæ non poſſunt eſſe ſimul; non propter repugnantiam actuum, ſed ſimplicitatem intellectus Angelici; quia vna conuerſione capitur totus ab vno obiecto, ita vt incompoſſibilis ſit eodem inſtanti conuerſio ad aliud obiectum. Adde ex quinta ratione pro hac cōcl. Nullus peccat actualiter in eo quod vitare non poteſt: Non poteſt vitari in primo inſtanti nec ante: ergo nec peccari in primo inſtanti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De cognitione naturali Angelorum.

QVÆSTIO 1. An omnia cognoſcant per ſpecies innatas? *Reſp.* Non cognoſcunt niſi per ſpecies concreatas vniuerſalium, ac neceſſariorum: componendo, & applicando eas ad certam cognitionem omnium ſingularium & contingentium, ex eorum intuitu abſque receptione vllius nouæ ſpeciei. Non quòd ſint incapaces recipiendi: ſed quòd non ſit opus noua receptione. Quæ videntur contra *Alen. p.* 4. *q.* 24.

QVÆST. 2. An naturaliter cognouerint eſſentiam Diuinam immediatè? *Reſp.* Non poſſunt naturaliter videre eſſentiam diuinam: quia hæc eſt vita æterna, & lux Diuina, quæ eſt naturaliter inacceſſibilis, *Iac.* 1. *Alenſis p.* 2. *q.* 24.

ARTICVLVS TERTIVS.

De naturali dilectione Angelorum.

QVÆSTIO 1. An naturaliter dilexerint Deum propter ſe, & ſuper omnia? *Reſp.* Tempore naturæ inſtitutæ, tam homo quàm Angelus erat habilis ad diligendum Deum propter ſe, & ſuper omnia: quia hæc eſt rectitudo quâ Deus eum fecerat rectum. *Ad* 1. Motus naturæ eſt curuus .i. naturæ animalis vel corruptæ. Quamuis autem Deum appetat ſibi: propter eum tamen & ſuper omnia. *Ad* 2. Non poteſt naturaliter eleuare ſe ſupra ſe .i. ſupra ſuum poſſe: ſed benè ſupra ſuum eſſe vt obiectum, ſeu ad obiectum ſupra ſe. *Ad* 3. Motus hic naturæ inſtitutæ, ex habilitate & rectitudine, differt à motu gratiæ. 1. Quòd hic captiuet affectum contra inclinationem oppoſitam. 2. Quòd hic ſit ex fide, ille ex ratione. 3. Quòd hic ſit ob Deum vt ſummum bonum in ſe, ille ob deum vt nobis ſummum bonum. *Alenſis p.* 2. *q.* 30.

QVÆST. 2. An naturaliter plus diligant ſuperiorem, parem, vel inferiorem? *Reſp.* Superiorem plus obiectiuè, ſeu ad maius bonum: parem, plus affectiuè; inferiorem plus effectiuè. *Alenſis ibid.*

In DIST. 4. *De ſtatu creationis Angelorum.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆSTIO 1. An fuerint creati in ſtatu beatitudinis? *Reſp.* Non in ſtatu perfecto beatificæ Viſionis ac Fruitionis: ſed in ſtatu innocente ac impaſſibili, ſine vllo malo culpæ ac pœnæ. *Ad* 1. ex *Ezech.* 28. *In delitijs Paradiſi fuiſti.* i. in quadam beatitudine inchoata, vt primi Parentes. *Ad* 2. 3. 4.

B. Aug. Creati ſunt in ſummo honore .i. quoad naturalia. *Ad* 5. Non habuerunt perfectam fruitionem. *Ad* 6. Nulli debuit dari liberum arbitrium inuertibile.

Qvæst. 2. An Angeli fuerint creati in ſtatu gratiæ? *Reſp.* Non in ſtatu gratiæ gratum facientis, ex probabiliori & communiori ſententia Doctorum: quamuis ſententia oppoſita ſit etiam probabilis, ex liberali infuſione gratiæ Dei, vbi & quando nulla eſt oppoſitio. *Ad* 1. 2. 3. Dicuntur data Angelis gratuita .i. naturalia vltra eſſentiam, vel etiam diſponentia liberum arbitrium ad rectitudinem: non autem ipſa gratia gratum faciens, rectificando & conformando illud Deo; vel non a primo inſtanti creationis; vel nonniſi diſpoſitiuè. *Ad* 4. & 5. Hæc gratia non datur ex ſola liberalitate: ſed ordine Sapientiæ & Iuſtitiæ. *Ad* 6. Deus erat promptus ad dandam gratiam petentibus, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qvæstio 1. An bonis Angelis fuerit reuelata eorum futura perſeuerantia? *Reſp.* Quòd non: quia hæc certitudo non tam pertinet ad ſtatum viæ & merita, quàm beatitudinis & præmij, nec ſolet Deus eam dare ante ſtatum gloriæ. *Ad B. Aug.* Aliquando videtur aliter opinari: ſed 11. *Ciu.* 11. dicit Angelos fuiſſe pares ante lapſum. *Al. q.* 19. *m.* 2.

Qvæst. 2. An mali Angeli potuerint præſcire ſuum caſum? *Reſp.* Non potuerunt certò præſcire: quia erat contingens, nec poterat Deus ordinatè eis reuelare; quia fuiſſet eis magna pœna & miſeria ante culpam, nec potuiſſent oppoſitum ſperare. *Ad* 1. Chriſtus prædixit *S. Petro* proprium lapſum futurum: ſed non vt irreparabilem; nec fuit hæc propriè reuelatio, nec *Petrus* eam abſolutè intellexit ante lapſum. *Alenſis q.* 5. *m.* 2.

ARTICVLVS TERTIVS.

Qvæstio 1. An à primo inſtanti creationis Angeli habuerint cognitionem matutinam? *Reſp.* Quòd non: quia cognitio matutina eſt in ipſo Verbo viſo: quòd non videtur niſi à Beatis. *Ad B. Aug. de Geneſi ad litteram.* Dicit Angelos cognouiſſe res faciendas in Verbo .i. per aliquam illuminationem à Verbo Dei: ſed non per viſionem ipſius Verbi. Vt patet ex 11. *Ciu.* 7. 11. *Al. q.* 23. *m.* 1.

Qvæst. 2. An Angeli habeant adhuc cognitionem veſpertinam? *Reſp.* Quòd ſic: quia hæc eſt cognitio rerum in genere proprio ex ſpeciebus innatis; nec repugnat viſioni Beatificæ; quia non eſt ex imperfectione cognoſcentis, ſed cognoſcibilis. *Alenſis* 23. *m.* 2.

In DIST. 5. De auerſione, ſeu peccato malorum Angelorum, & conuerſione, ſeu perſeuerantia bonorum.

Expoſitio Textus, per 2. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De primo peccato Luciferi. Al. q. 109.

Qvæstio. 1. Quodnam fuerit? *Reſp.* Non fuerunt plura ſimul diuerſi generis: quia vt intellectus ſimplex Diaboli non poteſt ſimul æquè primò diuerſa intelligere, ſic nec affectus velle aut nolle; ſed primum eius peccatum fuit ſuperbiæ, inchoatum à præſumptione de ſeipſo, conſummatum ambitione ſeu appetitu ſuprà ſe, & confirmatum inuidiâ ac odio. *Ad* 1. Non fuit primo nec principaliter peccatum omiſſionis: quia omiſſio eſt actus non circumſtantiæ, præcepti affirmatiui non negatiui, principalis non annexi. *Ad* 2. & 3. Non fuit etiam propriè peccatum ingratitudinis: quia non de beneficijs Dei vt talibus, ſed quaſi de bonis proprijs. *Ad* 4. Nec infidelitatis: quia intellectus perfectus non peruertitur, niſi ex affectu deprauato.

Qvæst. 2. An appetierit æquari deo? *Reſp.* Non potuit appetere perfectam æqualitatem Dei: quia eſt figmentum impoſſibile; ſed appetijt inordinatè aliquam æqualitatem ſeu ſimilitudinem cuiuſdam præſidentiæ & independentiæ diuinæ, ſine meritis & gratia Dei, &c. Vt *Al. q.* 109. *m.* 2. 3.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De primo peccato Angelorum inferiorum.

Qvæstio 1. Quodnam fuerit? *Reſp.* Non fuit ſolus conſenſus in ſuperbiam Luciferi: ſed ſuperbia propria ſeu appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, libertatis, ac beatitudinis, quaſi per ipſum Luciferum aſſequendæ independenter à gratia Dei ac meritis. Quia Affectus eſt priùs inordinatus ad ſeipſum, quàm ad alium.

Qvæst. 2. An, & quis fuerit ordo inter horum & illius peccatum? *Reſp.* Non tantùm fuit ordo grauitatis: ſed etiam cuiuſdam cauſalitatis exemplaris, ſeu occaſionis, & breuis ſucceſſionis inter peccatum Angelorum inferiorum, & Luciferi. *Ad* 2. Vel non ceciderunt omnes eodem inſtanti, ſed tempore imperceptibili. Vel non eodem inſtanti quo appetierunt, ſed quo peccatum ſuum conſummarunt, & per odium & inuidiam confirmarunt.

ARTICVLVS TERTIVS.

De conuerſione bonorum Angelorum.

Qvæstio 1. An ex vi naturæ vel auxilio gratiæ? *Reſp.* Inchoatiuè ex quadam rectitudine naturæ inſtitutæ: ſed perfectè ac meritoriè, nonniſi auxilio gratiæ cooperantis ſeu ſubſequentis, non operantis ſeu præuenientis. *Ad* 1. Non indigebant gratia iuſtificante ab aliqua iniuſtitia, ſed iuſtitiâ gratiæ, ex qua opera ſunt meritoria. *Ad* 4. Conuerſio ad Deum per appetitum concupiſcentiæ, eſt à natura: per affectionem amicitiæ, eſt à voluntate deliberatiua; per obſequium obedientiæ, eſt à gratia. *Ad* 6. Mali ſtare poterant & non auerti, ſi volebant.

Qvæst. 2. An meritum præceſſerit præmium? *Reſp.* Non tempore, ſed natura: contra opinionem Magiſtri: Quia quamuis ſit probabile quòd potuerint poſt gratiam & gloriam gratis collatam, eam etiam mereri, vt miles ſtrenuè pugnando meretur equum ad hoc ipſum priùs datum: probabiliùs tamen eſt quòd ex gratia collata præmeruerint gloriam, per motum aliquem gratiæ & voluntatis perfectæ. *Ad* 2. Per ſuum miniſterium merentur præmia accidentalia. *Ad* 3. Magnitudo meriti poteſt eſſe in vnico actu interiori.

In DIST. 6. De differentia Angelorum lapſorum, quoad naturam, & pœnam.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qvæstio 1. An Lucifer fuerit de ſupremo Ordine Angelorum? *Reſp.* Non quoad diſtinctionem

nem

Digitized by Google

nem & perfectionem illius Ordinis, quæ eſt ex gratia & charitate : ſed quoad diſpoſitionem naturæ ad illum ordinem, *Iob* 10. *Ezech.* 28. *Ad* 1. Vocatur Cherub, à plenitudine ſcientiæ & perfectione naturæ : non Seraph à charitatis ardore. *Ad* 2. Præerat alijs dignitate naturæ, &c. vt *Alenſis q.* 109. *m.* 1.

QVÆST. 2. Ex quo ordine alij lapſi ſint? *Reſp.* Non ex vnico, ſed ex quolibet. *S. Greg. Hom. Pent. Ad* 1. ex 2. *Pet.* 2. Omnes dicuntur Angeli, à miniſterio communi, non ab ordine infimo. *Ad* 2. ex *Epheſ. vlt.* Dicuntur *Principatus & Poteſtates*, non *Seraphin & Throni* : quia hæc nomina aſſumuntur in bonum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆSTIO 1. An lapſi ſint in Infernum? *Reſp.* Non omnes in Infernum ſubterraneum, ante diem iudicij : ſed in hunc aërem caliginoſum, ad exercitium hominum ; ex quo & aliqui deſcendunt in infernum ad torquendum damnatos. Ex 2. *Pet.* 2. vt *Alenſis q.* 116.

QVÆST. 2. An vbicunque ſint crucientur vt in Inferno? *Reſp.* Quidam dicunt eos in quibuſdam corporibus annexis vbique circumferre ignem infernalem, eoque cruciari, minùs tamen intensè, quàm poſt iudicium : ſed probabiliùs videtur, eos extrà infernum non puniri pœna ignis, ex *Matt.* 8. *Veniſti ante tempus torquere nos, &c.*

ARTICVLVS TERTIVS.

QVÆSTIO 1. An inter eos ſit diſtinctio ordinum? *Reſp.* Non perfecta, vt in ſtatu gloriæ : nec ſolùm imperfecta, vt in ſtatu naturæ ; ſed & peruerſa, pro grauitate culpæ, & perfectione naturæ.

QVÆST. 2. An ſit inter eos prælatio? *Reſp.* Non vllo iure : ſed poteſtate naturæ, Dei inſtitutione, ac eorum inter ſe maligna conſpiratione. Vt *Alenſis q.* 37.

In 1. partem DIST. 7. De Confirmatione & Obſtinatione.

Expoſitio Textus ſine dubijs.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An affectus ſeu voluntas Dæmonum rectificari poſſit? *Reſp.* Non, de potentia ordinata ad actum : ex demerito culpæ, ordine Sapientiæ, & decreto Dei non dandi eis gratiam pœnitendi, &c. Vt *Al. q.* 29. *& p.* 3. *q.* 1.

QVÆST. 2. An ſit in eis continuatio malæ voluntatis? *Reſp.* Eſt, non ſolùm quoad deformitatem culpæ præteritæ, & pronitatem peccandi, ſed etiam quoad continuam actualitatem, 1. *Ioan.* 3. *Diabolus ab initio peccat, &c. Ad* 1. Credunt & contremiſcunt, *Iac.* 2. ſed impatienter remurmurando. *Ad* 2. *&* 3. Improba voluntas præualet timori. *Ad* 4. Deformat omnem motum inchoatum naturæ. *Ad* 5. Poſſunt ceſſare ab hoc vel illo actu, ſed non ab omni. *Ad* 6. Non ſubeſt amplius in eis prima illa occaſio ſuperbiendi : ſed praua voluntas, quæ eſt ſemper cauſa ſuperbiendi. *Ad* 7. Appetitus velleitatis eſt etiam impoſſibilium : non autem appetitus abſolutus *eligentiæ*, niſi ex iudicio peruerſo. *Alenſis q.* 118.

QVÆST. 3. An in eis mala voluntas ſemper intendatur? *Reſp.* Non quoad auerſionem à Deo : ſed contra homines, *Pſal.* 73. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Non continuò demerendo affectu auerſionis à Deo ; ſed affectu & effectibus nouis contra homines. *Ad* 1. Auerſio à Deo, eſt eis in pœnam, non in demeritum. *Ad* 2. Bona voluntas non augetur niſi ex gratia : ſed mala, ex malitia. *Ad* 7. Dæmon poteſt ceſſare à nocendo : & ipſe induxit ſe in hanc neceſſitatem. Nemo autem excuſatur per neceſſitatem inductam, niſi pœniteat de inductione. *Ad* 8. Impoſſibilitas conuerſionis non creſcit in damnatis, ſed indignitas gratiæ. *Al. q.* 118.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆSTIO 1. An confirmatio mutet liberum arbitrium? *Reſp.* Non quoad eſſentiam, ſed quoad perfectionem ſtatus & actus. *Ad* 1. Vertibilitas liberi arbitrij eſt ei naturalis : non ex perfectione, ſed defectu perfectibili. *Ad* 5. Malum non eſt per ſe obiectum liberi arbitrij, vt liberi : ſed vt deficientis.

QVÆST. 2. An obſtinatio Dæmonum tollat eis vſum libertatis? *Reſp.* Non quoad actus eliciendos : ſed rectè ordinandos in finem. *Ad* 2. Poteſtas peccandi non eſt pars libertatis : ſed non eſt ſine libertate ; vt nec peccare, eſt ſine vſu libertatis. Idcirco continuatio peccati, non excludit, ſed includit vſum liberi arbitrij. *Ad* 3. Neceſſitas coactionis ab extrinſeco, opponitur libertati : non autem ab intrinſeca diſpoſitione voluntatis. Qualis eſt in Dæmonibus. *Ad* 4. Frenetici non vtuntur ratione nec libertate : ſed Dæmones, quorum proteruitas eſt potiùs à libero arbitrio, quàm ab infirmitate naturæ. *Ad* 5. Impetus brutorum eſt ſine *retinaculo interiori*, non exteriori ; Impetus autem Dæmonum ad malum, non eſt ſine potentia interiori retinendi.

QVÆST. 3. An confirmatio in bono, vel obſtinatio in malo, augeant vel minuant dominium libertatis? *Reſp.* Non dominium oppoſitum coactioni, ſed ſeruituti. *Ad* 1. Neceſſitas immutabilitatis ad bonum, nullatenus repugnat libertati. *Ad* 2. Potentia non ampliatur ad defectus. *Ad* 3. Non eſt liberum poſſe per ſe bonum, ſed per gratiã.

In 2. parte DIST. 7. De cognitione, & poteſtate Dæmonum.

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 113.

QVÆSTIO 1. An Dæmones errent circa præſentia? *Reſp.* Errant ſæpè iudicio ſpeculatiuo per peccatum obnubilato, circa contingentia : ſed ſemper iudicio practico, ſubuerſo & excæcato circa agenda. *Ad* 1. *&* 2. *S. Dion.* 4. *Din. Nom.* tribuit Dæmonibus phantaſiã proteruam : ab apparentibus rationibus, quibus contra veritatem cognitam proteruiunt, & decipiunt quos poſſunt, &c. Vt *Alenſis q.* 22. *m.* 1.

QVÆST. 2. An in Dæmones cadat obliuio? *Reſp.* Non quoad habitum : ſed quoad actum recordandi bona & ſalutaria.

QVÆST. 3. An præcognoſcant futura contingentia? *Reſp.* Non dependentia à libero arbitrio : niſi per varias coniecturas ; quia cùm talia ſint incerta in ſe & in ſua cauſa, non poſſunt indè certò præſciri niſi à Deo, qui ſolus eſt independens à rebus ipſis in cognoſcendo, &c. Vt *Al. q.* 23. 24. 25. 26.

Digitized by Google

ARTICVLVS 2. *Al.q.*42.*m.*5.*q.*60.79.80.

QVÆSTIO I. An omnes formæ naturales inducantur à Creatore, vel ab agente creato? *Reſp.* Non à ſolo Creatore: ſed cum cauſa ſecundaeas etiam producente; non ſolùm in materia vt potentia receptiua, ſed & actiua; non tamen ad nouam quidditatem formæ, ſed ſolum ad nouam diſpoſitionem & modum etiam ſubſtantialem exiſtendi. Quia *S. Aug.*3. *in Gen.* 14. docet omnia produci ex rationibus ſeminalibus, de quibus infra. *Ad* 4. Forma non producitur per ſe: ſed vt in materia, & ſic compoſitum. *Ad* 5. *&* 6. Formæ non producuntur ex nihilo, ſed ex aliquo: non tamen ex aliquo materialiter vel conſtitutiuè, ſed originaliter. Vel fiunt ex aliquo, non vt ex parte, ſed conſubſtantialiter, vt roſa ex globo. *Concedo enim quòd ſint in materia quoad potentiam in qua, ex qua, & à qua. Materia ipſa non agit: ſed ſeminarium ei inditum, &c. Hæc eſt ergo ſumma poſitionis: quòd agens creatum nullam quidditatem, nec ſubſtantialem nec accidentalem omnino producit; ſed Entem ſub vna diſpoſitione, facit eſſe ſub alia.*

QVÆST. 2. An Dæmones veras rerum formas inducere poſſint? *Reſp.* Non naturales, niſi applicando actiua paſſiuis: ſed artificiales, vi propriâ intellectuali, & motiuâ, &c. Vt *Al. q.* 43. *Ad* 9. Miracula Dei differunt à mirabilibus Dæmonum. 1. Quòd illa fiant potentiâ infinitâ ſuprà naturam: hæc per naturalia coniuncta. 2. Illa fiant per ſigna publica veræ fidei: hæc per pacta magica & priuata. 3. Illa fiant ad noſtram ſalutem, & gloriam Dei: hæc contra. 4. Illa circa opera digna & ſalutaria: hæc circa vilia & non ſalutaria.

QVÆST. 3. An liceat vti magicis artibus. *Reſp.* Non, vllâ operâ Dæmonis, niſi Deo cum ad hoc cogente. Quia non licet præbere vllam fidem Dæmoni, vel vti eius ope, vel cum eo communicare, *Leuit.* 20. 4. *Reg.* 1. 2. *Cor.* 6. *Ad* 1. Tradere Satanæ, 1. *Cor.* 5. eſt tantùm exponere eius vexationi. *Ad* 2. Poteſt quis vti opera impiorum: ſed necdum damnatorum. *Ad* 3. Dæmones ſunt ſerui, ad noſtram vexationem: non ad noſtrum vſum. *Ad* 4. Vti Characteribus Magicis, eſt inuocare Dæmonem, conſentiendo in pactum eius cum primis Magis. *Ad* 5. Vti eis non credendo, eſt ſaltem peccatum inobedientiæ, vixque eſt vnquam abſque aliqua Infidelitate vel Idolatria. *Ad* 6. Quærere perdita à Dæmone mendace, eſt prohibitum, & periculum multorum malorum.

In 1. *DIST.* 8. *De aſſumptione corporum.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. *Al. q.* 34.

QVÆSTIO I. An Angeli habeant corpora ſibi naturaliter vnita? *Reſp.* Nec boni nec mali: ſed ſunt ſubſtantiæ merè ſpirituales; nec habent vlla corpora inſeparabiliter vnita, alioquin Legio Dæmonum, *Matt.* 5. non potuiſſet ineſſe eidem corpori poſſeſſo. *Ad* 1. *B. Aug.* 8. *Ciu.* 16. loquitur ex opinione Apulei, & aliorum. *Ad* 2. *S. Greg.* Vocat Angelum Animal rationale, ab apparitione humana. *Ad* 3. ex *S. Bern.* 5. *in Cant.* Omnis Spiritus creatus indiget corpore: vel pro ſe, vel pro alijs. *Ad* 4. *&* 5. Potentia animandi corpus non eſt perfectionis, ſimpliciter, ſed cum imperfectione.

QVÆST. 2. An aſſumant ſibi corpora? *Reſp.* Aſſumunt, vt organa ad operandum, vel ſigna ad apparendum: non ex ſua indigentia, ſed noſtra, &c. Vt *Al. q.* 34.

ARTICVLVS SECVNDVS. *Al. q.* 34.

QVÆSTIO I. An Angeli aſſumant vera corpora humana? *Reſp.* Non perfecta quoad ſuam formam naturalem: ſed ſolùm quoad effigiem. Quia nec aliter poſſunt, nec aliter indigent, &c. Vt *Al. q.*34. *Ad* 1. Non eſt in hoc falſitas: quia non apparent vt inde oſtendāt ſe eſſe homines, ſed rationales.

QVÆST. 2. An aſſumant corpora ex natura cœleſti, vel elementari? *Reſp.* Ex aëre magis minùſue condenſato, per aliquam imperfectā mixtionem cum vapore terreo vel aqueo, &c. Vt *Al. q.* 34 *m.* 4.

ARTICVLVS TERTIVS. *Al. q.*35.

QVÆSTIO. I. An Angeli in corporibus aſſumptis exerceant aliquas operationes animæ vegetatiuæ? *Reſp.* Non naturales, nec vitales: ſed ſimiles; vt in traijciendo & ſumendo cibo, transfundendo ſemine, &c. Vt *Al. q.* 35.

QVÆST. 2. An in eis exerceant aliquas operationes potentiæ ſenſitiuæ? *Reſp.* Non ſenſitiuas, ſed ſolùm motiuas. *Ad* 4. Sentire vel eſt rem vt præſentem cognoſcere, vel vt hîc & nunc, vel per ſpeciem ſenſibilem, &c.

In 2. *partem DIST.* 8.

ARTICVLVS PRIMVS. *Al. q.* 39. 40.

QVÆST. I. An Dæmones habitare poſſint in corporibus humanis? *Reſp.* Poſſunt ea penetrare, commouere, conturbare: niſi à Deo prohibeantur, &c. *Al. q.* 39.

QVÆST. 2. An poſſint illabi animabus? *Reſp.* Non poſſunt: quia illabi eſt ad intimum Animæ, quod eſt & ſupremum; ideoque ſoli Deo proprium. *Ad* 1. Diabolus dicitur intrare aliquo effectu, non illabi. *Ad* 2. Non poteſt applicari localiter nec virtualiter vſque ad ſummum. *Ad* 3. Omnes creaturæ rationales ſunt immediatè ad Deum, & earum intimum eſt ſupremum ac Deo proximum. *Ad* 4. Gratia eſt à Deo vt intimè præſente & influente, *Heb.* 4. Sed culpa à diabolo vt ab extra ſuggerente.

QVÆST. 3. An poſſint illudere ſenſibus? *Reſp.* Poſſunt: non ſpecies proprias nobis imprimendo, nec noſtras interiores ad ſenſus externos retrahendo, ſed ſpecies ſenſibiles offerendo, organum & obiectum variando, vel aliquod impedimentum præſtando, ad oſtendendum præſens quod non eſt, vel abſcondendum quod præſens eſt, vel vt appareat aliter quàm eſt. *Ad* 1. Senſus non errat ex ſe circa proprium obiectum: vel eſt ſola phantaſia quæ errat. *Ad* 2. Poſſunt ſpeciem phantaſticam tam viuaciter obijcere, vt videatur obiectum eſſe præſens. *Ad* 3. Poſſunt abſcondere ſpeciem hominis præſentis, & offerre ſpeciem integram capræ, vt videatur capra præſens.

QVÆST. 4. An poſſint immittere cogitationes? *Reſp.* Non vt agens principale, ſed vt excitans & impellens, &c. Vt *Al. q.*40. *Ad vlt.* Quidam dicunt quòd poſſint cogere ad cogitandum mala, &c. Alij, & probabiliùs, quòd non niſi otioſos à bonis cogitationibus.

QVÆST.

Digitized by Google

Qvæst. 5. An poſſint incendere malas cogitationes? *Reſp.* Non eas propriè cauſando, ſed excitando. &c. Vt *Al. q.* 117.

Qvæst. 6. An poſſint ſcrutari ſecreta conſcientiæ noſtræ? *Reſp.* Nec boni nec mali poſſunt ea ſcrutari: ſed tantùm ſagaciter conijcere, per aliqua ſigna exteriora vel interiora. *Ad* 1. Non ſolùm dæmon, ſed & cor noſtrum accuſabit nos. *Ad* 4. Vt res eſt naturaliter aut liberè, ſic & repræſentatur. *Ad* 5. Speculum voluntarium non repræſentat niſi liberè. *Ad* 6. Vt ſunt quædam velamenta corporalia, ſic & ſpiritualia. *Aug.* 12. *in Gen.* 17.

In DIST. 9. De ordinibus & miniſterijs Angelorum. 1. Per varias definitiones Hierarchiæ, ſeu ſacri Principatus, ex *S. Dion. c.* 3. 2. Per notificationem Angeli: ex *Damaſc.* 2. *Fide* 3. *& S. Dion. c.* 4. *vt Al. q.* 20. *m.* 2. 3. 3. Per deſcriptionem ordinis Angelici, à *S. Greg. hom.* 34. *Eſt multitudo cœleſtium Spirituum, qui inter ſe aliquo munere gratiæ ſimilantur, vt & in participatione donorum naturalium conueniunt.* 4. Per diuiſionem Hierarchiæ, in ſupercœleſtem, cœleſtem, & ſubcœleſtem: Cœleſtis, in ſuperiorem, mediam, & inferiorem, ſeu in Epiphaniam, Hyperphaniam, & Hypaphaniam: Primæ Hierarchiæ, in Seraphim, Cherubim, & Thronos: Secundæ Hierarchiæ, in Dominationes, Poteſtates, & Virtutes, vel Dominationes, Principatus, & Poteſtates: Tertiæ Hier. Ex *S. Dion.* In Principatus, Archangelos, & Angelos. Ex *Greg. & Bern.* in Virtutes, Archangelos, & Angelos.

ARTICVLVS VNICVS.

Qvæstio 1. An diuerſi ordines ſint diuerſarum ſpecierum? *Reſp.* Duplex eſt opinio, & vtraque probabilis. 1. Quòd in Angelis eſt diuerſitas ſpecierum, & generum ſubalternorum. 2. Quòd omnes ſint eiuſdem ſpeciei. Sed quia *S. Dion.* & alij dicunt quòd omnia quæ ſunt omnium ordinum in ſingulis reperiātur, licet excellentiùs in vno quàm altero: videtur magis Theologica & probabilis poſitio, quòd omnes Angeli ſint eiuſdem ſpeciei, vt & omnes homines, ad maiorem vnitatem, ac perfectionem vniuerſi, & Angelorum inter ſe, &c. Quòd videtur contra *Al. q.* 20. *m.* 6.

Qvæst. 2. An diſtinctio Angelorum ſit à natura vel gratia? *Reſp.* Principaliter à gratia diſpoſitiuè à natura.

Qvæst. 3. An ſecundùm maiorem capacitatem naturalium, dentur à Deo maiora Dona gratuita? *Reſp.* Non ſemper nec cauſaliter, ſed tantùm diſpoſitiuè de congruo, non neceſſariò. *Ad* 1. Vnicuique ſecundùm propriam virtutem, *Matt.* 25. .i. conatum, diſpoſitiuè de congruo. *Ad* 2. Conuerſio Angelorum toto conatu, fuit diſpoſitio proximior, quàm hominum. *Ad* 3. Diſpoſitio materiæ ad formam eſt neceſſitatis, hæc congruitatis. *Ad* 4. Homo non habet gratiam, quia non accipit: ſed non habet gratiam, quia eam accipit. *Ad* 5. Natura non meretur gratiam, vt gratia gloriam. *Ad* 6. Vt forma perficit materiam ſecundùm eius diſpoſitionem: ſic gloria naturam, ſecundùm exigentiam gratiæ, non totam capacitatem naturæ. *Ad* 7. Tota capacitas naturæ ordinatur ad gloriam: ſed ſecundùm diſpoſitionem voluntariam, ſine qua tamen illa non eſt fruſtra.

Qvæst. 4. An ordines Angelorum denominentur à donis naturalibus vel gratuitis? *Reſp.* Nomina communia denominantur à naturalibus: ſed propria ſingulorum, à gratuitis excellentioribus in ſingulis ordinibus, reſpectu donorum & ordinum inferiorum. *Ad* 6. Cherubim non dicuntur ab excellentia cognitionis præ Seraphim, ſed præ ordinibus inferioribus. *Ad* 7. Sapientia à *ſapore*, includit Charitatem, & denominat Seraphim: ſed à *ſapere*, denominat Cherubim.

Qvæst. 5. An ad ſingulos ordines Angelorum aſſumantur aliqui homines ſaluandi? *Reſp.* Vt ex omnibus ordinibus aliqui Angeli ceciderunt: ſic ad reſtaurationem, ſeu gratiam & gloriam ordinum ſingulorum aliqui homines aſſumuntur. *Ad* 4. Angelus non habet maiorem capacitatem Dei, quàm anima: nec Angeli receperunt gratiam ſecundùm ſuam totam capacitatem.

Qvæst. 6. An prælatio Angelorum euacuetur poſt iudicium? *Reſp.* Non quoad exceſſum dignitatis: ſed quoad influentiam & imperium. *Ad* 4. Ordo Principatus non dicit præſidentiam actualem: ſed donum gratiæ, vel aptitudinem ad præſidendum.

Qvæst. 7. An non ſint, vel futuri ſint pluſquam nouem illi ordines ſaluandorum? *Reſp.* Probabile eſt, præter B. Virg. quæ excellit omnes ordines, eſſe decimum ordinem ſaluandorum, inferioris gratiæ & gloriæ, ſub nouem ordinibus Angelorum. Ex Drachma decima, *Luc.* 15. & Denario illo, *Matt.* 22.

Qvæst. 8. An omnes Angeli eiuſdem ordinis ſint æquales? *Reſp.* Vt inter Apoſtolos, Martyres, & Confeſſores, &c. eſt aliqua inæqualitas, ſed minor quàm cum alijs: ſic & inter Angelos eiuſdem ordinis.

Qvæst. 9. An ſoli Angeli diſtinguantur per ordines? *Reſp.* Soli propriè & perfectè: quia ſoli diſtinguntur ſecundùm dignitatem naturalium & gratuitorum ſimul.

In DIST. 10. De Miſſione Angelorum.

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 36.

Qvæstio 1. An boni Angeli mittantur? *Reſp.* Mittuntur. 1. Ex charitate Dei. 2. Ipſorum Angelorum. 3. Ad noſtram ſalutem & reciprocam charitatem, *Eſa* 6. *Pſal.* 103. *Luc.* 1. *Heb.* 1. *Ad* 1. Deus eſt præſens, & poteſt per ſe: ſed vult ſeruare hunc ordinem. *Ad* 2. Non quòd Deus indigeat, ſed nos. *Ad* 3. 4. 5. Angeli non diſtrahuntur inde à Deo: quia nonniſi propter Deum. *Ad* 6. Plus placet Angelo mitti à Deo, quàm eſſe in Cœlo Empyreo.

Qvæst. 2. An omnes mittantur? *Reſp.* Nonniſi inferiores ad nos: ſed etiam ſuperiores, ad ſibi inferiores, propter nos, *Dan.* 7. *Heb.* 1. *S. Dion. de Angel. Hier.* 13. *Ad* 1. *Seraph* ille, *Eſa.* 6. non dicitur à ſupremo ordine: ſed à fine & effectu incendendi labia. Vt *Dion. ſupra, & Al. q.* 37. 38.

ARTICVLVS SECVNDVS. Al. 39. 40.

Qvæstio 1. An mittantur ad inflammandum noſtrum

noſtrum affectum? *Reſp.* Non vt cauſæ agentes, ſed excitantes, & adiuuantes. *Ad* 1. 2. 3. Charitas angelica eſt ſui diffuſiua: ſed nonniſi à Deo. *Ad* 4. Inflammatio affectus non fit per coniunctionem, ſed infuſionem.

QVÆST. 2. An mittantur ad illuminandum noſtrum intellectum? *Reſp.* Non qnoad portionem ſuperiorem, quæ à ſolo Deo illuminari poteſt: ſed quoad portionem inferiorem, non infundendo lumen, nec ſolùm offerendo vt obiectum vel ſpeculum; ſed ſuggerendo, & viuaciùs excitando quàm vllus Doctor exterior, &c. Vt *Al. q.* 40. *Ad* 4. Poteſt fieri mediante virtute fantaſtica.

ARTICVLVS TERTIVS. Al. q. 27.

QVÆSTIO 1. An locutio & cogitatio Angelorum ſint idem? *Reſp.* Non ſunt idem: ſed locutio vltra verbum ſeu cogitationem dicit reſpectum ad alterum, & directionem propriæ ſpeciei intelligibilis ad alterum, in diſtantia finita. Quòd videtur contra *Al. q.* 27. *m.* 7. *Ad* 2. Non addit ſignum externum, ſed actum exteriorem, qui requirit diſtantiam finitam. *Ad* 5. Loqui Angeli, non eſt influere in alterum, nec imprimere alteri ſuam ſpeciem: ſed eſt potiùs excitare alterum ad eam in ſeipſo exprimendam. Hinc videre Angeli, eſt intelligere proprio motu; audire, eſt ab alio ad hoc excitari. *Ad* 6. 7. Eadem eſt ſpecies conſiderata in ſe & relata ad alterum: ſed ille actus conſiderandi eſt alius ab hoc protendendi; poteſt tamen dici alia & alia ſpecies: vt eſt alia ſpecies in ſpeculo, & alia in oculo.

QVÆST. 2. An eadem locutio poſſit eſſe à Deo, & ab Angelo? *Reſp.* Eſt ſæpè eadem, vt Dei imperantis & Angeli exequentis, vel Deum repræſentantis: ſed interdum eſt ſolius Dei immediatè reuelantis, &c. *Al. q.* 27.

In DIST. 11. *De Cuſtodia Angelica, &c.*

Expoſitio Textus, per 2. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 27.

QVÆSTIO 1. An fuerint deputandi Angeli ad noſtram cuſtodiam? *Reſp.* Ita decuit Potentiam, Sapientiam, & Miſericordiam Dei. *Ad* 5. Vt Deus per cauſas ſecundas operatur: ſic & nos cuſtodit per Angelos. *Ad* 6. multò minus eſt cuſtodire quàm redimere: cùm hoc æquè ſit ac condere.

QVÆST. 2. An deputati fuiſſent ad cuſtodiam hominis non lapſi? *Reſp.* Decuiſſet etiam in ſtatu naturæ inſtitutæ: quia etiam in illo ſtatu Diabolus erat nobis fortior, & aſtutior, &c. Vt *Al. q.* 41. *Ad* 3. Homo in illo ſtatu ſubfuiſſet ſoli Deo, vt ſeruus Domino.

QVÆST. 3. An Chriſtus habuerit Angelum Cuſtodem? *Reſp.* Nec indiguit, nec decuit, &c. Vt *Al. q.* 41. *m.* 4. *Ad* 1. ex *Pſal.* 90. Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c. i. de membris Chriſti, non de ipſo Capite: in quo Diabolus errauit, *Matt.* 4. *Ad* 2. ex *Luc.* 22. Angelus confortabat eum tantùm miniſterialiter. *Ad* 3. *ex Heb.* 1. Chriſtus fuit ab Angelis minoratus: non cuſtodiâ, ſed morte & paſſione ſuâ. *Ad* 4. 5. 6. Cuſtodia ſupponit deſtibilitatem.

ARTICVLVS SECVNDVS. Al. q. 41.

QVÆSTIO 1. An Angeli deſerant cuſtodiam obſtinatorum? *Reſp.* Non viatorum quoad omnem cuſtodiam corporis aut animi: ſed quoad acquirendum vel conſeruandum bonum, non quoad vitandum vel minuendum malum. *Al. q.* 41. *m.* 5.

QVÆST. 2. An augeatur gaudium Angeli Cuſtodis, ex beatificatione cuſtoditi? *Reſp.* Non eſſentiale: ſed accidentale, extenſiuè & intenſiuè, &c. *Luc.* 5.

QVÆST. 3. An aliquid patiantur ex damnatione ſuorum cuſtoditorum? *Reſp.* Nec vllum damnum, nec vllam compaſſionem: ex plenitudine gaudij eſſentialis, &c. Vt *Al. q.* 41. *m.* 6.

In DIST. 12. *De operibus ſex dierum.*

Expoſitio Textus, per 2. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Materia, 1. *Al. q.* 44. 45. 46.

QVÆSTIO 1. An Materia prima creata ſit in ſola poſſibilitate? *Reſp.* Poteſt quidem conſiderari, ſed non exiſtere prorſus informis. *Ad* 1. *&* 2. ex 12 *Conf.* 2. *&* 3. *in Gen.* 11. Materia dicitur prior naturâ, non tempore.

QVÆST. 2. An producta ſit in perfecta actualitate? *Reſp.* Non eodem die & inſtanti ſpirituali, quoad omnia perfectè: vt valde ſubtiliter & anagogicè, quaſi literaliter, *B. Aug. in Gen. ad litt.* ſed potiùs ſucceſſu ſex dierum diſtinctè. Ex ſacra Script. litteraliter, Tropologicè, Allegoricè, Anagogicè. Imò & ex ipſo *B. Aug.* qui 12. *Conf.* 12. omnem ſenſum verificabilem approbat, &c.

QVÆST. 3. An Materia Corporalium creata ſit ſub varijs formis? *Reſp.* Non ſub varijs confuſis: nec ſub vlla completa, ſed incompleta & diſpoſitiua.

ARTICVLVS SECVNDVS. Al. q. 44.

QVÆSTIO 1. An ſit eadem materia horum inferiorum, & cœleſtium? *Reſp.* Non quoad eſſe completum, ſed incompletum.

QVÆST. 2. An materia prima producta ſit in aliquo ſex dierum, vel ante? *Reſp.* Priùs naturâ, vel etiam aliquâ morulâ mutationis ipſius materiæ, ante lucem primæ diei.

QVÆST. 3. An primò habuerit aliquem locum & ſitum? *Reſp.* Habuit molem aliquam, extenſionem, locum & ſitum, incompletè, intra Empyreũ.

In DIST. 13. *De opere Diei* 1. *Gen.* 1.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS Al. q. 47. 48. 49.

QVÆST. 1. An lux primæ diei fuerit corporalis, vel ſpiritualis? *Reſp.* Fuit corporalis: quamuis *B. Aug.* 4. *in Gen.* 32. & alibi, probabiliter, & rationabiliter ſenſerit fuiſſe ſpiritualem, videlicet, lucem naturæ, & intelligentiæ Angelicæ formatæ. Quia ille eſt potiùs ſenſus litteralis ſcripturæ. *Ad* 3. Lux principaliùs conuenit ſpirituali: ſed non quoad vſum & captum communem.

QVÆST. 2. An, & quomodo lux illa fecerit diem & noctem? *Reſp.* Non, vt Græci, ſolâ emiſſione & contractione radiorum: ſed vt *Latini*, rationabiliùs, ſuo motu quodam ſucceſſiuo, &c. vt *Al. q.* 48. 49.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An lux ſit corpus, vel forma corporis? *Reſp.* In abſtracto, eſt forma ſimplex: in concreto, poteſt dici corpus luminoſum. Vt *Aug.* 2. *de lib. arb.* 5. *&* *Epiſt.* 3.

QVÆST. 2. An lux ſit forma ſubſtantialis, vel acciden-

Digitized by Google

accidentalis? *Reſp.* Vt dat eſſe, & actiuitatem corpori lucido, eſt ſubſtantialis: vt eſt fulgor ſenſibilis circa corpus luminoſum, eſt accidentalis. *Ad* 5. Non eſt forma propria & vltima corporum: ſed conſeruatiua & perfectiua aliarum.

ARTICVLVS TERTIVS.

QVÆSTIO I. An lumen ſeu radius à corpore lucido, ſit corpus? *Reſp.* Non eſt corpus: niſi ſumatur pro ipſo aëre illuminato; quia corpus non poteſt ſic diffundi, & ineſſe alteri corpori. *Ad* 1. Lumen & radius non diffunditur motu locali: niſi per accidens, ad motum corporis lucidi; ſed ſubitò generatur in toto ſpatio. *Ad* 2. Radij non repercutiuntur localiter, ſed cauſaliter ab ipſo corpore lucido, citrà opacum incapax luminis. *Ad* 3. Radij non franguntur nec interſecantur niſi per accidens in aëre ſubiecto. *Ad* 4. Non habent trinam dimenſionem niſi aëris ſubiecti. *Ad* 5. Sol non illuminaret vacuum.

QVÆST. 2. An lumen ſeu radius ſit forma ſubſtantialis, vel accidentalis? *Reſp.* Vt eſt quædam vis actiua, influens in inferiora, eſt ſubſtantialis: vt ſenſibilis, eſt accidentalis.

In DIST. 14. *De opere Diei* 2. 3. 4.

Expoſitio 1. partis per 3. dubia: ſecundæ, per 4.

ARTICVLVS 1. *De Cœlo. Al. q.* 50.

QVÆSTIO I. An ſit Cœlum Cryſtallinum, naturæ aqueæ, ſupra firmamentum? *Reſp.* Non naturæ elementaris, grauis, corruptibilis: ſed vt tranſparentis, & virtualiter frigidæ. Ex ſenſu literali ſacræ Script. de Aquis ſupra Cœlos, & ex ordine rationabili vniuerſi.

QVÆST. 2. An firmamentum ſit idem cum igne elementari? *Reſp.* Non eſt idem, nec eiuſdem naturæ ſeu formæ ſpecificæ, ſed lucis participatæ. *Ad* 1. Sacra Script. nec exprimit ignem, nec aërē: ſed ſubintelligi tur. *Ad* 3. Sunt tantùm 4. primæ qualitates contrariæ: ſed plures aliæ. *Ad* 5. Cœlum non calefacit proprio calore intrinſeco: ſed ſuâ luce ac lumine; vt patet ex reflexione radiorum circa ſpeculum concauum, quâ generatur ignis.

ARTICVLVS 2. *De figura Cœli.*

QVÆSTIO I. An Cœlum ſit figuræ orbicularis? *Reſp.* Eſt, vt ſimplicioris, perfectioris, capacioris, & mobilioris.

QVÆST. 2. An in cœlo ſit dextrum & ſiniſtrū? *Reſp.* Eſt dextrum & ſiniſtrum: non propriè, ab ipſis dimenſionibus; ſed à Motore & motu ab Oriente in Occidentem. *Ad* 3. Poteſt etiam in cœlo poni ſurſum & Deorſum in duobus polis oppoſitis, ante & retro in duobus hemiſphærijs: non à diuerſis motibus aut terminis motuum; ſed ab extremis trium dimenſionum, & ab apparitione aut diſparitione ſtellarum. Vt ſi quis imaginetur ſibi hominem ſtantem à polo Artico ad Antarticum, facie verſa ad nos.

ARTICVLVS 3. *De motu Cœli.*

QVÆSTIO I. An Cœlum immediatè moueatur à Deo ſolo? *Reſp.* Non à Deo ſolo, ſed per aliquam virtutem creatam: quia hoc eſt magis connaturale.

QVÆST. 2. An moueatur per propriam formam, vel per intelligentiam? *Reſp.* Non quaſi per animam propriam: nec per aliam formam naturalem & intrinſecam; ſed per Intelligentiā ſeu Angelum aſſiſtentem; quia hoc pertinet ad vnitatem & ordinem vniuerſi, nec poteſt forma naturalis ſeu naturaliter ita mouere ſine fine ſeu termino.

ARTICVLVS 1. *in* 2. *partem. De Stellis.*

QVÆSTIO I. An ſint omnes in eodem cœlo continuo? *Reſp.* Omnes ſunt in eodem cœlo continuo Firmamenti, ſeu firmamento cœli: ſed in diſtinctis orbibus. 1. *Ex Gen.* 1. *Fiant Luminaria in firmamento cœli, &c.* 2. Quia totum corpus cœli eſt vniforme, nec habet diſtinctos terminos ſuperficiales. 3. Quia motus primi mobilis voluit totum corpus cœlorum: ergo eſt continuum. 4. Vt aues in eodem corpore continuo aëris: ſic omnia cœli luminaria. *Ad* 1. Orbes Planetarum dicuntur ſeptem, vt diſtinctè mobiles, non vt diſcontinui. *Ad* 2. Non diſcontinuantur contrarijs motibus in corpore ſubtili & raro, vt in corpore ſolido. Quòd patet in motibus oppoſitis eiuſdem aquæ continuæ & aëris, ex ventis oppoſitis. *Ad* 3. Orbes Planetarum diſtinguntur à firmamento: non diſcontinuatione, ſed motibus. *Ad* 4. Poſſunt in eodem continuo corpore cœli eſſe ſtellæ fixæ ſuperiùs, & planetæ interiùs.

QVÆST. 2. An ſingulæ in ſuis orbibus moueantur proprijs motibus? *Reſp.* Probabiliùs, nonniſi ad motum ſuorum orbium. 1. Quia hoc pertinet ad maiorem integritatem & perfectionem totius corporis cœleſtis. 2. Quia omnes apparitiones motuum poſſunt ſaluari ſine excentricis & concentricis Mathematicorum, per inæqualem velocitatem orbium.

QVÆST. 3. An quis orbis moueatur abſque ſtellis? *Reſp.* Probabilius eſt ſolùm cœlum Empyreum eſſe immobile: Aqueum autem ſeu criſtallinum ſine ſtellis, eſſe primum mobile, mouerique ab oriente ad orientem per occidentem, ſpacio 24. horarum, rapiendò ſecum firmamentum & ſeptem orbes planetarum; quia deprehenſum eſt firmamentum moueri motu proprio infrà centum annos ad vnum gradum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆSTIO I. An luminaria cœli differant ſpecie? *Reſp.* Differunt ſpecie: non tamen ex totalitate materiæ propriæ; ſed 1. ex diſtinctis finibus. 2. Ex Potentia & Sapientia Dei. 3. Ex denſiori & rariori materia cœli. 4. Ex diuerſa participatione lucis.

QVÆST. 2. An habeant diuerſas influentias? *Reſp.* Vt differunt perfectione, ſic & virtute & influentijs in hæc inferiora, ad diuerſos fines. *Ad* 1. *&* 2. Sacra Script. tribuens eis ſignificationem, non negat efficaciam. *Ad* 3. Dant quòd habent virtualiter, non formaliter. *Ad* 4. 5. 6. Præter vim communem lucis, habent & proprias.

QVÆST. 3. An cauſent in hominibus diuerſos mores? *Reſp.* Non neceſſariò: ſed diſpoſitiuè contingenter, & remotè, &c.

In DIST. 15. *De opere Diei* 5. 6. 7.

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS 1. *De productione animalium. Al. q.* 53. 54. 55. 56.

QVÆST. I. Vnde Animæ irrationales ſint productæ? *Reſp.* Non ex nihilo: nec ex vllo materialiter;

rialiter; ſed ex aliquo ſeminaliter, ſeu ex aliqua vi actiua in ſuo ſeminario. *B. Aug.* 3. & 5. *in Gen* 23. & 7. *Trin.* 8. *ac alibi.* *Ad* 2. Vis illa actiua eſt ſpiritualis, &c. Ad motum ſufficit quòd forma motrix ſit inextenſa per ſe & per accidens, tota in vna parte, & tota in alia. *Ad* 4. & 5. Vis actiua, quæ priùs latebat, actione cœleſti perficitur ad generatione plantarum & animalium inperfectiorum, &c. Corpora annuloſa, ſunt quaſi ſimilis organizationis in qualibet parte: ideoque proximè diſpoſita ad eandem animam. *Ad* 6. In propagatione animalium non diuiditur anima: ſed quædam vis, & calor.

Qvæst. 2. An corpora animalium ſint compoſita ex 4. elementis? *Reſp.* Quod ſic. 1. Ad ſenſum. 2. Ad motum. 3. Ad modum perfectionis. Aqua eſt decies ſubtilior terra, aër centies, ignis millies.

Qvæst. 3. An corpora animalium magis conſtent ex elementis actiuis quàm paſſiuis? *Reſp.* Ex paſſiuis, quoad quantitatem molis: ex actiuis quoad quantitatem virtutis; idque ad vitam, ſenſum, & motum.

ARTICVLVS 2. *De ordine productionis.*

Qvæst. 1. An omnia ſenſibilia ſint facta propter hominem? *Reſp.* Non propter hominem vt finem vltimum, ſed ſubordinatum ad Deum: pro ſtatu quidem innocentiæ, ad decorem & delectationem, intellectus & affectus ad Deum eleuationem; poſt peccatum autem, etiam ad varias hominum neceſſitates, correctionem, punitionem, &c.

Qvæst. 2. An Deus ordinatè produxerit res ſenſibiles? *Reſp.* Ordinatiſſimè, tam ordine ſucceſſionis, quàm perfectionis.

Qvæst. 3. An poſt omnium rerum productionem, Deus ab omni opere quieuerit? *Reſp.* Non quaſi à labore, fatigatione, aut continuatione, & conſeruatione ſuorum operum: ſed ab innouatione & vlteriore perfectione ſpecierum, & cauſarum ſecundarum. *Ad* 2. Fecit diem ſeptimum: ſed non alium ſpecie *Ad* 3. Requieſcere, de Deo dicitur cauſaliter, vel connotat effectum eius præcedentem. *Ad* 4. Non creatur noua ſpecies animarum rationalium. *Ad* 5. & 6. Creantur animæ rationales ſimiles primæ: Generantur quædam diſſimiles primis per putrefactionem; ſed ex prima ratione ſeminali.

In DIST. 16. *De creatione hominis.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. *Al.* 53. 55. 60.

Qvæstio 1. An homo verè ſit imago Dei? *Reſp.* Non per identitatem naturæ ſingularis, nec per participationem naturæ vniuerſalis: nec per ſolam ſimilitudinem remotam; ſed immediatam & expreſſam. 1. Ex eius capacitate & ordinatione ad Deum. 2. Ex ſimili comparatione ad ſua intrinſeca & extrinſeca. 3. Ex *Aug.* 7. *Trin.* 6. & 18. *Trin.* 8. *Ad* 1. Dicitur factus ad eius Imaginem, abſtractiuè: dicitur imago Dei, concretiuè, i. inſignitus imagine Dei. *Ad* 5. Imago perfectiſſima, eſt totius ſimpliciter: ſed creatura rationalis eſt imago Dei quoad aliquam totalitatem intellectualem, quà eſt capax omnia repreſentandi.

Qvæst. 2. An homo ſit imago Dei naturalis? *Reſp.* Eſt imago Dei naturalis, non artificialis: quia per ſuam formam naturalem repræſentat Deū; ſed non eſt eius Imago connaturalis, quia non per eandem naturam. *Ad* 4. Homo voluntariè à Deo producitur: non tamen voluntariè ſed naturaliter eum repræſentat.

Qvæst. 3. An ſolus homo ſit Imago Dei? *Reſp.* Solus, ad excluſionem aliorum corporalium, non Angelorum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qvæstio 1. An in homine, vel Angelo ſit potior Imago Dei? *Reſp.* Eſt æqualis quoad eſſe Imaginis, ſeu capacitatem & ordinationem immediatam ad Deum, & quoad diſtinctionem ac originem intrinſecam: ſed eſt potior Angelorum, quoad præſidentiam creaturarum, & incorporeitatem; potior animarum, quoad præſentiam intimam ac motum ſuorum corporum, & finem aliarum creaturarum. *Ad Arg.* Angelus eſt capacior per naturam, non per gratiam: nec maior perfectio intenſionalis potentiarum & actuum, facit ad perfectiorem imaginem, ſed ſimilitudinem.

Qvæst. 2. An potior ſit Imago Dei in Mare, quàm in Fœmina? *Reſp.* Non quoad proprium eſſe Imaginis in anima: ſed quoad vim principiandi ac præſidendi ſecundùm corpus, &c. *Gen.* 2.

Qvæst. 3. An ſit potiùs in vi cognitiua, quàm affectiua? *Reſp.* Imago eſt potiùs in cognitiua, ſed ſimilitudo in affectiua. 1. Quia Imago dicit quandam configurationem naturalem trium potentiarum, quarum duæ ſunt cognitiuæ, tertia affectiua: ſimilitudo, eſt ſecundùm qualitatem gratiæ ſeu vnionis ad Deum, per duplicem vim affectiuam, ſpei & charitatis.

In DIST. 17. *De creatione animæ & corporis.*

Expoſitio textus, per 5. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. *Al. q.* 60.

Qvæstio 1. An Anima humana ſit ex Dei ſubſtantia? *Reſp.* Quòd non: quia Deus non poteſt eſſe cauſa materialis, ſed tantùm efficiens, finalis, & formalis ſeu exemplaris. *Ad* 1. Inſpirare, *Gen.* 2. idem eſt quod ſpiritum creare, vel infundere. *Ad* 2. Spiritus redit ad Deum, *Eccleſ.* 12. vt ad ſuum principium & finem. *Ad* 3. *Summus genus Dei, Act.* 17. analogicè.

Qvæst. 2. An ſit ex materia? *Reſp.* Eſt ex materia, ſeu habet materiam: non extenſionis, priuationis & corruptionis; ſed ſpiritualem, exiſtentiæ reſpectu ſui formalis .i. eſſentiæ; quia eſt hoc aliquid, capax ſubſiſtendi, agendi, & patiendi, motus actiui & paſſiui.

Qvæst. 3. An fuerit producta ante vel poſt corpus? *Reſp.* Quamuis vtrumque probaliter ſuſtineri poſſit: probabilius eſt tamen quòd poſt, ſed nonniſi ſtatim in corpore. Quia hic eſt ſtatus eius naturalis. *Ad* 1. Anticipatur vel recapitulatur creatio hominis, in Geneſi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qvæstio 1. An corpus Adæ producendum fuerit ex natura cœleſti, vel elementari? *Reſp.* Ex elementari. 1. Ad veritatem organorum. 2. Ad mortalitatem & immortalitatem. 3. Ad coordinationem cum reliquis creaturis, &c. 4. Ex *Gen.* 1. 2.

Qvæst. 2. An fuerit conſtitutum ex natura purè elementari? *Reſp.* Non propriè & materialiter

Digitized by Google

liter ex vlla cœleſti : ſed ex aliqua ſimili in ſubtilitate & claritate, & virtualiter per influentiam cœleſtem, &c. vt ſupra *d.* 14. *a.* 1. *q.* 2.

QVÆST. 3. An fuerit conſtitutum ex elementis in æquali compoſitione? *Reſp.* Non æqualitate à pondere, ſiue quoad quantitatem molis & virtutis, ſiue ſolius molis, ſiue ſolius virtutis: quia hæc non eſt apta ad corpus humanum, ſed æqualitate à iuſtitia, ſeu in proportione debita, & ſecundũ exigentiã animæ introducendæ. Quæ æqualitas ſeu proportio non eſt punctualis: ſed habet ſuam latitudinem perfectionis, ſecundùm varios ſtatus, Innocentiæ, Miſeriæ, & Gloriæ, &c. De quibus omnibus *Alenſis à q.* 18. *ad* 86.

In DIST. 18. *De formatione Mulieris.*

Expoſitio Textus, per vnum dubium.

ARTICVLVS 1. *Quoad corpus. Al. q.* 58. *&* 88.

QVÆST. 1. Vnde productum fuerit corpus Euæ? *Reſp.* Ex oſſe lateris Adæ, dormientis: idque ſapienter & congruè. *Gen.* 2. Vt *Al. q.* 88.

QVÆST. 2. An de coſta viri ſecundùm rationem ſeminalem? *Reſp.* Nonniſi remotè & impropriè: ſed ex ſola potentia obedientiæ. Quia ratio ſeminalis propriè eſt vis intrinſeca materiæ, reducendi eam ad actum, mediatè & immediatè: vel eſt regula naturalis dirigens hanc vim ad effectum ſimilem ſuæ formæ, &c. Non vt *Al. p.* 1. *q.* 20. *m.* 5. *p.* 2. *q.* 42. ex *Aug.* 5. *&* 6. *in Gen. à c.* 4. *ad* 19.

QVÆST: 3. An ratio ſeminalis ſit forma vniuerſalis, vel ſingularis? *Reſp.* Non propriè ſeu metaphyſicè vniuerſalis, abſtrahendo ab exiſtentia: ſed phyſicè & realiter, vt forma verè exiſtens, ſed incompleta, & indifferens ac poſſibilis ad completam ac perfectam, &c. vt ſupra *diſt.* 3. *art.* 2. *q.* 3.

ARTICVLVS 2. *Quoad animam.*

QVÆSTIO 1. An ſit vnica numero anima omnium hominum, vel ſingulæ ſingulorum? *Reſp.* Nec eſt vnica vt ſenſitiua, nec vt intellectualis: ſed ſingulæ numero diſtinctæ ſingulorum. Ex fide Chriſtiana, ratione, & experientia: contra inſaniam Pithagoræ, & ipſius Commentatoris in Ariſt. *Ad* 1. Intellectus nec indiuiduatur à corpore: ſed ſecundùm exigentiam corporis, &c. vt ſupra *in diſt.* 3. *Ad* 2. Eadem anima poteſt animare diſtincta membra vnita: non ſic diſtincta corpora integra. *Ad* 3. Multiplicatio numerica non eſt ad ſolam conſeruationem ſpeciei, &c. Vt ſupra *in diſt.* 3.

QVÆST. 2. An animæ omnium fuerint ſimul productæ? *Reſp.* Non ſimul, ſed ſucceſſiuè, priùs naturâ non tempore, quàm corporibus vnirentur. Ex fide, ratione, & quadam experientia: contra ſomnium Platonis, & delirium Manichæorum. *Ad* 1. Ex illo Iob, *Behemot quem feci tecum* .i. vt te feci, non autem tecum tempore.

QVÆST. 3. An Animæ rationales ſint ex traduce? *Reſp.* Non ex traduce quaſi cauſali, alicuius Intelligentiæ, contra multos Philoſophos: nec ex traduce quaſi materiali per quandam eiuſdem multiplicationem abſque diminutione, de quo & ipſe B. *Aug.* ſæpe dubitat, quamuis *l. de Eccleſ. dog. & in Gen.* improbet; ſed à ſolo Deo creando infunduntur, & infundendo creantur quoad totum ſuum eſſe. 1. Ex earum dignitate. 2. Ex immortalitate. *Ad* 1. *Gen.* 46. Animæ .i. homines dicuntur egreſſi de femore Iacob, *Gen.* 2. Anima Euæ non dicitur, ſed ſupponitur inſpirata. *Ad* 2. Naſcimur filij iræ, *Epheſ.* 2. Ex vnione animæ ad corpus infectum.

In DIST. 19. *De ſtatu Innocentiæ.*

Expoſitio Textus per 4. dubia.

ARTICVLVS 1. *De immortalitate animæ.*

QVÆSTIO 1. An anima humana, naturâ ſuâ ſit immortalis? *Reſp.* Eſt immortalis. 1. Ex ſuo fine beatitudinis æternæ, quæ nec poteſt eſſe vera beatitudo cum periculo amiſſionis. 2. Ex eius quaſi cauſa formali, ſeu capacitate & Imagine Dei. 3. Ex eius quaſi parte materiali: quia id *Quo* anima, eſt tantæ dignitatis, vt eius *Quod* vel quaſi materia non poſſit aliam formam appetere. 3. Ex Deo vt eius ſola cauſa efficiente, & eam perpetuò conſeruante. *Ad* 1. Ex 1. *Tim. vlt.* Deus ſolus habet immortalitatem .i. ex ſe independenter; ſed anima nonniſi à Deo, ſecundùm tamen ſuam naturam. *Ad* 2. Ex *Damaſc.* 1. *de fide* 2. Anima eſt defectibilis, non in eſſendo, ſed in operando. *Ad* 3. Ex *Ariſt.* 1. *de Anim.* Intellectus eſt corruptibilis & mortalis, quoad ſuas operationes in corpore. *Ad* 4. 5. 6. Anima compatitur corpori, & patitur in ſeipſa paſſiones proprias: ſed non contrarias ſuæ naturæ ac exiſtẽtiæ.

QVÆST. 2. An animæ irrationales ſint ex ſua conditione mortales vel immortales? *Reſp.* Non immortales, nec ex ſolo corpore aut peccato mortales, ſed ex propria natura. 1. Ex fine perpetuo ſolius animæ rationalis. 2. Ex fine aliorum animalium ad vſum ſucceſſiuum hominum. 3. Ex eorum generatione & corruptione. *Ad* 1. *Eccleſ.* 3. *Vnus eſt interitus hominis & iumentorum* .i. apparenter, quoad corpora. *Ad* 2. Ex *Sap.* 1. *Deus mortem non fecit, &c.* i. de morte pœnali, vel æterna, quæ eſt ſolius peccatoris. *Ad* 3. Anima humana ſenſitiua eſt immortalis: quia eſt eadem cum rationali. *Ad* 4. Animæ brutorum ſunt perfectiores quibuſuis corporibus: ſed corpora alijs corporibus corruptibiliora. *Ad* 5. Animæ ſenſitiuæ non ſeneſcunt ex ſe, ſed ex ſuis corporibus. *Ad* 6. Bruta ſeruiunt homini, ſed nihil inde merentur.

ARTICVLVS 2. *De immortalitate corporis.*

QVÆSTIO 1. An Adam non peccante, corpus eius non poſſet diſſolui? *Reſp.* Non quoad actum ſed ſolam potentiam diſſolutionis, &c. De quo *Al.* 4. *p. q.* 1. *Ad* 1. Erat corruptibile ex libera voluntate Adæ. *Ad* 2. Contraria intrinſeca non pugnaſſent inter ſe. *Ad* 3. Tantum fuiſſet reſtauratum, quantum corruptum. *Ad* 4. Adam erat obligatus ad comedendum de ligno vitæ. *Ad* 5. Videtur ſupponere, quòd poſteri Adæ Innocentis potuiſſent peccare, ſed nullum innocentem occidere: quia Deus non permiſiſſet occidi ante reatum mortis. *Ad* 6. Impoſſibilitas gloriæ eſt quoad actum & potentiam patiendi: ſed impaſſibilitas Innocentiæ fuiſſet quoad ſolum actum.

QVÆST. 2. An Adam peccante corpus eius per eſum ligni vitæ potuiſſet perpetuari? *Reſp.* Non potuiſſet: quia vt decreto Dei Innocens non erat moriturus: ſic peccator erat reus mortis & moriturus. *Ad* 1. Ex *Gen.* 3. *Ne fortè ſumat de ligno vitæ & viuat in æternum* .i. valde diu. *Ad* 2. *&* 3. ex *Richard. & Gloſſ.* Enoch & Elias non poſſent ex

ſolo

ſolo ligno vitæ in æternum viuere. *Ad* 4. Lignum ſcientiæ boni & mali non fecit ex ſe corpora corruptibilia. *Ad* 5. Fons vitæ ſpiritualis plus poteſt in animam, quàm lignum vitæ in corpus. *Ad* 6. Lignum vitæ perfectè reſtauraſſet humidum radicale in ſtatu innocentiæ, non ſic poſt.

ARTICVLVS 3. *De immortalitate Totius.*

QVÆSTIO I. An immortalitas hominis fuiſſet ex natura vel gratia? *Reſp.* Ex natura, quoad aptitudinem: ſed à gratia, quoad diſpoſitionem & perfectionem, ſpecialiter quoad extrinſecam præſeruationem, &c. *Al.* 4. *p. q.* 3. *Ad* 1. Non omne quod concreatur eſt propriè naturale. *Ad* 2. Iuſticia originalis que non perit niſi per culpâ, perficiebat illam immortalitatê. *Ad* 3. Innocentia priuatiua non erat cauſa illius immortalitatis, ſed poſitiua. *Ad* 4. Non ſufficit ſolus appetitus ad immortalitatem: ſed neceſſaria eſt vis ad hoc ſufficiens. *Ad* 5. Non eſt eiuſdem perpetuò conſeruare, cuius producere. *Ad* 6. Lignum vitæ non erat ſola cauſa: ſed etiam virtus Diuina interius conſeruans, ac conciliaus contraria, & exteriùs protegens; nec lignum vitæ habebat ſuum effectum niſi ex ſpeciali dono Dei.

QVÆST. 2. An illa immortalitas fuiſſet eadem cum immortalitate gloriæ? *Reſp.* Fuiſſet eadem quoad eſſentiam, ſed non eadem quoad diſpoſitionem ſuperadditam, ſeu quoad alterationem. Quia tunc fuiſſet cum libertate peccandi ac moriendi; non ſic in gloria.

In DIST. 20. *De propagatione hominum in ſtatu Innocentiæ. Al. q.* 94. 95.

Expoſitio Textus, per 7. dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

QVÆSTIO I. An in ſtatu Innocentiæ fuiſſet generatio per commixtionem ſexuum? *Reſp.* Omnino, fuiſſet. 1. Quia in illo ſtatu ad hoc mulier data eſt viro in adiutorium. 2. Dictum eſt etiam eis, *Creſcite & multiplicamini.* 3. Data eſt eis ad hoc potentia generatiua vtrimque dependens. 4. Ex *Aug.* 14. *Ciu.* 23. *Ad* 1. ex *Aug. de bono coniug.* 2. Nuptiæ non ſunt niſi mortalium .i. corruptibilium ſaltem quoad aliquid ſui in ſemine. *Ad* 2. Non negatur tunc generatio, ſed vt nunc cum libidine. *Ad* 3. Generatio eſt præcipuè ad multiplicationem Electorum. *Ad* 4. Non fuiſſet tunc opus carnale vitioſum, ſed naturale & naturæ.

QVÆST. 2. An tunc fuiſſet generatio ex deciſione & mixtione ſeminum? *Reſp.* Fuiſſet: quia hic eſt ordo naturæ, vt proles generentur plus materialiter ex ſemine materno, plus cauſaliter ex paterno. *Ad* 1. Semen non eſt ſuperfluum ſpeciei, ſed indiuiduo.

QVÆST. 3. An fuiſſet cum delectatione? *Reſp.* Non tantâ, ſed moderatâ ratione, &c. Vt *Aug.* 14. *de Ciu. c.* 19. 23. *Ad* 1. Appetitus ille naturæ non fuiſſet tranſgreſſus ſuum limitem. *Ad* 2. Delectatio non eſt tantùm ex vnione conuenientium: ſed etiam ex conuerſione affectus ad delectabile. *Ad* 3. & 4. Fuiſſet maior delectatio naturalis viſus & auditus, quàm nunc: ſed non curioſitatis.

QVÆST. 4. An tunc fuiſſet corruptio integritatis? *Reſp.* Non quoad vllam libidinem culpabilem aut pœnalem: ſed quoad ſolum motum liberum genitalium, & apertionem. *Aug.* 14. *Ciu.* 23.

QVÆST. 5. An toties quoties, &c. fuiſſet genita proles? *Reſp.* Quòd ſic: ex perfectione virtutis generatiuæ, & directione rationis. *Ad* 3. Non potuiſſet eſſe coitus cum prægnante ſine peccato: ſed nunc poteſt eſſe, in remedium fornicationis.

QVÆST. 6. An fuiſſet æqualis multiplicatio virorum ac mulierum? *Reſp.* Fuiſſet, ad finem paritatis coniugalis, & ex vi voluntariæ imaginationis.

In DIST. 21. *De Tentatione & lapſu hominis.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 119.

QVÆST. I. Cur Diabolus hominem tentauerit? *Reſp.* Ex ſuperbia, ad eum ſibi ſubijciendum: & ex inuidia, ad eum à ſtatu beatitudinis excludendum. *Sap.* 2. *Ioan.* 8.

QVÆST. 2. Cur per Serpentem? *Reſp.* Ex hac congrua permiſſione Dei: ad moderandum, & indicandum modum ac finem tentationis.

QVÆST. 3. Cur hoc ordine & progreſſu, per mulierem ad virum? *Reſp.* Ex Sapientia Dei: ad viri monitionem, & noſtram eruditionem; & ex aſtutia Diaboli, ad viri deceptionem, &c. *Al. q.* 117. 119.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆSTIO I. An ſit carnis tentare? *Reſp.* Non ad probandum, approbandum, aut reprobandum: ſed ex cuius impulſu ſequatur probatio, appobatio, & reprobatio.

QVÆST. 2. An tentatio carnis ſit etiam ſine tentatione Diaboli? *Reſp.* Non ſine hac ſaltem remotè, ſed proximè, &c. Vt *Al. q.* 117.

QVÆST. 3. An tentatio carnis ſit difficilior tentatione Diaboli? *Reſp.* Illa circa vitia carnalia, hæc circa ſpiritualia, ſecundùm maiorem vel minorem pronitatem ſubiecti. vel apparentiam boni. *Ad* 1. 2. 3. Diabolus eſt fortior & aſtutior: ſed non permittitur vti tota potentia & aſtutia. *Ad* 4. Caro eſt in poteſtate noſtra, ordine naturæ, non peruerſitate concupiſcentiæ, &c.

ARTICVLVS TERTIVS. Al. q. 120.

QVÆST I. An peccatum Adæ potuerit eſſe veniale? *Reſp.* Non potuit eſſe veniale ex genere ſuo, nec ex præuentione rationis: ſed noniſi mortale, ex perfectione illius ſtatus, contemptu Dei, & conſequentia damni. *Ad* 1. Non potuit eſſe incuruatio ſucceſſiua, ſed fractio. *Ad* 2. Appetitus præcedens conſenſum primorum parentum, non fuit libidinoſus, ſed naturalis. *Ad* 3. Adam in illo ſtatu nihil poterat inordinatè diligere, quin diligeret ſupra Deum. *Ad* 4. Verbum otioſum fuiſſet ei mortale. ob perfectionem ſtatus: nec vllum pec. eſt veniale ex genere ſuo, niſi pro ſtatu naturæ lapſæ. *Ad* 5. Qui poteſt maius malum, non poteſt ſemper minus: vt quis poteſt inferre mortem, non febrem. *Ad* 6. Non poteſt eſſe pronitas ad veniale, quin conſequenter ad mortale.

QVÆST. 2. An peccatum hominis potiùs fuerit remediabile, quàm Angeli? *Reſp.* Quòd ſic: vt *Al. p.* 2. *q.* 109. & *p.* 4. *q.* 55.

QVÆST. 3. An primum peccatum Adæ fuerit omnium grauiſſimum? *Reſp.* Non ſimpliciter, ex maxima libidine, nec ingratitudine: ſed grauiſſimum omnium humanorum, & maximum extenſiuè, ex damno conſequente.

In

Digitized by Google

In DIST. 22. De motiuo interno primi peccati.
Expoſitio Textus, per 4. dubia.
ARTICVLVS 1. Quoad affectum.

QVÆSTIO 1. Quomodo Mulier peccauerit? *Reſp.* Inchoauit à Superbia, ſeu appetitu propriæ excellentiæ: progreſſa eſt ad auaritiam, ſeu inordinatum appetitum ſufficientiæ propriæ, & conſummauit in gula, ſeu appetitu inordinato propriæ voluptatis. Ex *Gen.* 3. *Eccl.* 10. *&* 25.

QVÆST. 2. An vir idem concupierit quod mulier? *Reſp.* Non illam æqualitatem Dei, nec ſufficientiam illam ſcientiæ, nec voluptatem gulæ: ſed ex ſuperbia præſumpſit de facili venia; ex auaritia, curioſus fuit de euentu; ex inordinata amicitia, offendit Deum ne contriſtaret Euam. 1. *Tim.* 2. *Phil.* 2. *Aug.* 11. *in Gen.* 42. *& alibi.*

QVÆST. An vir grauiùs peccauerit quàm mulier? *Reſp.* Ille grauiùs, ingratitudine, & cauſalitate damni: hæc grauiùs, libidine, & damni occaſione. *Ad* 1. *ex Aug. in Gen. Pars faſtu* .i. vel quoad tranſgreſſionem exteriorem, vel quoad ſimilitudinem & ſimulatem; & *Al. q.* 120.

ARTICVLVS 2. Quoad intellectum.

QVÆSTIO 1. An peccauerint ex ignorantia? *Reſp.* Non ex ignorantia vt pœnali, aut vitioſa: ſed vi aliqua imperfectione naturali, in muliere potiùs quam in viro, *Gen.* 3. 1. *Tim.* 2. *Ad* 2. Non fuit propriè ignorantia Iuris, niſi quoad ſeueritatem Iudicis: nec ignorantia Facti, niſi quoad futurum euentum. *Ad* 3. Nec fuit neceſſariò ignorantia voluntaria, aut inuoluntaria: quia potuit eſſe ſine aduertentia ad ignoratum. *Ad* 4. Erat tantùm imperfectio naturalis ſcientiæ humanæ. *Ad* 5. ex 1. *Tim.* 2. *Mulier fuit ſeducta, non vir.* i. non vt mulier; ſed aliquâ neſcientiâ.

QVÆST. 2. An ignorantia in aliquo, poſſit eſſe culpa? *Reſp.* Non vt priuatio cognitionis non neceſſariæ, vel nobis impoſſibilis: ſed neceſſariæ ad ſalutem, & nobis poſſibilis. Quæ ignorantia, vel eſt erronea, vt in hæreticis: vel affectata, vt in nolentibus ſcire; vel craſſa & ſupina, vt in negligentibus, &c. *Al. q.* 129.

QVÆST. 3. An ignorantia excuſet à culpa? *Reſp.* excuſat quantum minuit de ratione voluntarij & contemptus, *Luc.* 12. 1. *Tim.* 1. *Ad* 1. *&* 2. Qui Deum ignorat grauiſſimè peccat .i. conſequenter. *Ad* 5. Peccans ex ignorantia minori libidine quàm ſi ſciret: minùs peccat, quàm peccaret ſi ſciret. *Ad* 6. Ignorantia magis excuſat quàm par infirmitas; quia illa magis minuit rationem voluntarij. *Ad* 7. Ignorantia facti, adhibitâ debitâ diligentiâ, excuſat à toto. Ignorantia Iuris, ſi ſit vincibilis & affectata ex conſenſu vero, magis aggrauat, quàm excuſet: ſi ſit craſſa & ſupina, ex negligentia, aliquantum excuſat, non tamen à mortali. Si ſit inducta per culpam propriam, vt in ebrio vel furioſo, non excuſat à toto, ſed à tanto: vel aggrauat priorem culpam ex malo ſequenti, vel accuſat etiam malum conſequens ex culpa præcedenti. Quorum prior modus videtur probabilior. [Sed ſequentia videntur potiùs approbare modum ſecundum.] *Ex his,* inquit, *patet quòd Loth,* Gen. 19. *non omnino excuſatur à pœna inceſtus, &c. Aug. de gratia & lib. arb.* 3. *Al.* 129.

In DIST. 23. De permiſſione primi peccati.
Expoſitio Textus, per 4. dubia.
ARTICVLVS PRIMVS. Al. q. 29.

QVÆST. 1. An creandus fuerit homo impeccabilis? *Reſp.* Quòd non: ad manifeſtandam Dei Potentiam, Sapientiam, Miſericordiam, & Iuſtitiam; noſtram autem dependentiam, defectibilitatem, &c. Ex *Aug.* 14. *Ciu.* 18.

QVÆST. 2. An permittenda fuerit hominis tentatio? *Reſp.* Quòd ſic: ad exercitium liberi arb. in Diabolo, & homine, &c. vt *q.* 1.

QVÆST. 3. An viro iuſto optanda ſit tentatio? *Reſp.* Non à carne propria, ex infirmitate: ſed à Deo, nonniſi ad bonum; imò & aliquando à Diabolo, ad exercitium & victoriam. Ex *Iac.* 1. *Aug.* 14. *Ciu.* 9.

ARTICVLVS SECVNDVS. Al. q. 98.

QVÆSTIO 1. An ſi homo ſtetiſſet, profeciſſet cognitione? *Reſp.* Non cognitione naturali & habituali rerum naturalium: ſed acquiſita & infuſa rerum ſupernaturalium ac liberarum; & modo quodam experimentali ac iudicioſo circa omnia particularia. *Ad vlt. pro priori parte.* Obiectum externum non mouet nec perficit animum: ſed ipſa ſeipſam circa obiectum, ab occaſione exteriori.

QVÆST. 2. An potuiſſet decipi? *Reſp.* Nec ab extrinſeco, nec ab intrinſeco circa ſcibilia: nec vllo errore propriè dicto circa opinabilia; ſed quadam incerta opinione, vel potiùs ſolâ neſcientia ſine culpa aut pœna. Ex *Aug.* 3. *de lib. arb.* 18. *&* 14. *Ciu.* *Ad* 1. *&* 2. Seductio & falſa credulitas primorum parentum, vel fuit ex priori peccato ſuperbiæ; vel non fuit in ſolo iudicio ſpeculatiuo, ſed practico & voluntario. *Ad* 3. *Ex Magiſtro,* quòd mulier putauerat ſerpentem poſſe loqui .i. ex vi aliqua ſupernaturali, vel ex graui errore poſt peccatum. *Ad* 4. Non fuiſſent tunc ſomnia illuſoria, &c.

QVÆST. 3. An tunc Adam cognouerit Deum vt in gloria? *Reſp.* Non in ſe, & immediatè: nec ſolùm in ænigmate, ſeu per ſpeculum obſcurum fidei; ſed per ſpeculum clarum contemplationis internæ, & apparitionis externæ, &c. *Exod.* 33. *Eſa.* 6. *Ioan.* 1. 1. *Cor.* 13. 1. *Ioan.* 3. *&c.* Vt *Al. Ad* 1. 2. 3. Authoritates oppoſitæ poſſunt intelligi de contemplatione per ſpeculum clarum, non obſcurum. *Ad* 4. Viſio non eſt niſi rei immediatè præſentis: ſed dilectio immediata, eſt etiam abſentis. Adam habebat viſionem intellectualem & experimentalem, non ipſius eſſentiæ; ſed gratiæ & influentiæ diuinæ. *Ad* 6. Mens humana erat Deo immediata quoad eſſe; ſed non quoad ſtatum gratiæ & gloriæ. *Poteſt tamen,* inquit, *mens ita in Deum figi, vt nihil aliud aſpiciat: non tamen eum perſpiciat, ſed eleuetur in caliginem per omnium obliuionem.* Vt dicit Dion. de myſtica Theol. *vocans illam cognitionem doctam ignorantiam. Hæc enim mirabiliter inflammat affectionem: vt eis patet qui conſueuerunt eleuari ad anagogicos exceſſus. Hunc modum arbitror cuilibet viro iuſto in hac via eſſe quærendum.* *Ad* 7. Deus in patria dici poteſt videri per medium diſponens: non per medium deferens, cùm ipſe ſit immediatus; nec per medium deducens, ſeu contemperans, cùm ipſe non ſit lux corruptiua ſed delectabiliſſima. Vt *l.* 1. *diſt.* 1. *a.* 3. Nunc autem

pro firmo tenendum eſt,quòd etſi Adam non videbat Deum in ſua ſubſtantia, videbitur tamen in gloria: nec licet huius contrarium ſentire & dicere, *Nam hic eſt vnus ex 10. Articulis reprobatis ab Vniuerſitate Magiſtrorum Pariſ. Tempore Gulelmi Epiſcopi, & Odonis Cancellarij, & Alexandri de Ales, Patris & Magiſtri noſtri; qui Art. vt euitentur, hic ſubſcripti ſunt.*

In DIST. 24. per duas partes: de gratia & potentia, ante caſum.

Expoſitio primæ & ſecundæ Partis, per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. In primam partem.

QVÆST. 1. An potuerit dari homini liberum arbitrium inflexibile per naturam,ad malum? *Reſp.* Id repugnat cuilibet naturæ rationali: quia vel arctaretur ad ſolum bonum, vt lapis deorſum, ſicque eſſet incapax liberi arbitrij; vel eſſet ex ſe indefectibiliter determinatum ad ſolum bonum, vt Deus, ſicque non eſſet ex nihilo. *Ad* 3. Quod conuenire poteſt per gratiam, non poteſt per naturam: vt quod eſt naturale non poteſt eſſe morale,nec è cõtra,

QVÆST. 2. An fuerit datum homini adiutorium naturale per quod poſſet reſiſtere tentationi ſine gratia? *Reſp.* Non ſine continuatione diuinæ influentiæ conſeruatiuæ in bono: ſed ſine appoſitione nouæ gratiæ. *Ad* 1. Ex *B. Aug. De vera innocentia.* Humana natura etſi in illa integritate, in qua condita eſt,permaneret; nullo tamen modo ſeipſam, Creatore non adiuuante ſeruaret .i. ſine continua Dei influentia, vt ſupra. *Ad* 2. Eadem nunc ſunt naturalia in nobis,quoad ſubſtantiam:ſed infirmata, vulnerata & deteriorata. *Ad* 3. Plus eſt vincere, proficiendo inde ad meritum, nonniſi per gratiam: quàm ſolùm reſiſtere, cauendo culpam & pœnam.

ARTICVLVS 2. Al. p. 2. q. 72. m. 2.

QVÆST. 1. An intellectus & affectus, ſeu ratio & voluntas eſſentialiter differant? *Reſp.* Non quoad eandem eſſentiam & ſubſtantiam animæ: ſed quoad diſtinctas potentias inter ſe. Ex *B. Aug.* 9. *Trin.* 11. & ratione ac experientia, quòd vtamur alia potentia ad intelligendum, quàm ad volendum; quodque plus differant intellectus & voluntas inter ſe, quàm memoria & intelligentia, vel vis concupiſcibilis & iraſcibilis. Vt ſi quis haberet inſtrumentum ex vna parte inſtar ſecuris ad ſcindendum, ex alia inſtar mallei ad fabricandum. *Ad* 1. *ex Aug.* Dicuntur vna eſſentia: quia in ea ita radicantur, vt non cadant in aliud genus, vt patet *ex* 15. *Trin:* 7. *Ad* 2. *Ariſt.* 3. *De Anima* non dicit ipſum intellectum fieri affectum: ſed ex ſpeculatiuo fieri practicum, dirigendo operationem. *Ad* 3. Potentiæ immediatiùs diſtinguntur per actus, quàm per obiecta: & ad differentiam eſſentialem potentiarum ſufficit diuerſitas obiectorum ſecundùm rationem. *Ad* 4. Hæc diſtinctio potentiarum perfectiùs repræſentat S. Trin. quàm earum identitas. *Ad* 8. Creatura non poteſt habere poſſe perfectum, niſi ex pluribus potentijs vnitis. Quòd ſi qui dicant eſſe vnam .i. collectiuè. Si dicant eſſe animæ eſſentiam .i. per reductionem ad idem genus completum.

QVÆST. 2. An portio ſuperior & inferior Rationis, ſint diuerſæ potentiæ? *Reſp.* Non ſunt diuerſæ potentiæ: ſed eiuſdem diuerſæ diſpoſitiones & officia circa obiecta ſuperiora & inferiora.

QVÆST. 3. An voluntas naturalis & deliberatiua ſint diuerſæ potentiæ? *Reſp.* Non vt differunt in ſolo modo appetendi ex ſola inclinatione naturali, vel ex deliberatione: ſed vt differunt ex obiecto appetibili ſolo appetitu ſenſitiuo vel rationali.

QVÆST. 4. An intellectus agens & poſſibilis, ſint diuerſæ potentiæ? *Reſp.* Non ſunt diuerſæ potentiæ, ſed quædam eiuſdem differentiæ, ſecundùm varias opiniones Philoſophicas. *Ad* 5. & 6. *Intellectus poſſibilis, non eſt purè paſſiuus, quia habet vim conuertendi ſe: nec tam eſt actiuus quàm Agens; quia nec ſua conuerſione poteſt ſpeciem abſtrahere, nec de ſpecie niſi adiutorio ipſius Agentis iudicare. Nec ipſe intellectus agens poteſt intellectionem perficere, niſi formetur acies intellectus poſſibilis ab ipſo intelligibili: ex qua formatione eſt in pleniori actualitate reſpectu cognoſcibilis, quàm erat cùm carebat ſpecie, & ita cùm cogitamus de intellectu agente & poſſibili, non quaſi de duabus potentijs ita ſeparatis, quòd vna ſine alia perficiat ſuam operationem. Hæc enim vana ſunt & friuola.*

ARTICVLVS 1. In ſecundam Partem.

QVÆST. 1. An peccata ſint in ſola ſuperiori parte rationis? *Reſp.* Non peccata carnalia, ſed ſpiritualia, &c.

QVÆST. 2. An peccatum veniale poſſit eſſe in ſuperiori parte rationis? *Reſp.* Poteſt ineſſe ex ſurreptione, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An aliquod peccatum poſſit eſſe in inferiori parte rationis, abſque ſenſualitate? *Reſp.* Non abſque ſenſualitate pro quolibet affectu boni præſentis: ſed ſine ſenſualitate, ſeu appetitu ſenſitiuo præueniente rationem & conſenſum; vt in peccatis ſpiritualibus, vix autem in carnalibus.

QVÆST. 2. An pars inferior poſſit peccare mortaliter abſque ſuperiori? *Reſp.* Non poteſt: quia non poteſt peccari mortaliter niſi per aliquam à Deo auerſionem, & conſenſum deliberatum, quæ ſunt portionis inferioris. *Infra.* Cùm percipitur delectatio, ſi ſtatim repellitur,eſt leue peccatum: ſi tenetur, quia & ipſa & eius conſummatio placet,eſt plenus conſenſus & peccatum mortale. Si placet delectatio, ſed non conſummatio, eſt conſenſus ſemiplenus, nihilominus peccatum mortale. Si vtrumque diſplicet, ſed non repellitur, ex inaduertentia periculi, non eſt peccatum mortale: ſed ſi cum aduertentia periculi, *dicunt Magiſtri quòd ſit peccatum mortale, ex conſenſu interpretatiuo, &c. Negant tamen aliqui eſſe mortale in negligentia reprimendi, vbi eſt diſplicentia,quantumcumque quis periculum aduertat: ſed ſecurior via tenenda eſt, &c. Nota, id non de quauis delectatione: vt non ex ſola pulchritudine mulieris,ſed ex ipſo opere nefario imaginato.*

ARTICVLVS TERTIVS.

QVÆST. 1. An poſſit eſſe peccatum veniale in ſenſualitate? *Reſp.* Non vt eſt culpa contraria Deo & eius gratiæ, quæ non poteſt eſſe niſi in libero arbitrio: ſed vt eſt vitium,ſeu inordinatio ipſius ſenſualitatis ſubordinandæ rationi.

QVÆST. 2. An in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum mortale? *Reſp.* Non vt eſt culpa, nec vt vitium:

Digitized by Google

tium : quia peccatum mortale vitiat totaliter per auerſionem à Deo, & conſenſum deliberatum : venialia autem non vitiant niſi diſpoſitiuè. *Ad* 1. Primus motus eſt ſenſualitatis vt mouentis rationem : ſed peccatum mortale non eſt ſenſualitatis, niſi vt motæ à ratione. *Ad* 2. Diſpoſitio quæ tranſit in habitum, eſt eiuſdem potentiæ : ſed peccatum veniale non eſt diſpoſitio tranſiens in mortale. *Ad* 3. Culpa opponitur etiam iuſtitiæ originali, vt erat habitus regulans naturam in ſtatu innocentiæ : non vt erat plenaria rectitudo omnium vitium, &c.

In DIST. 25. De libero arbitrio. Al à q. 72.

Expoſitio primæ & ſecundæ Partis, per 6. dubia.

ARTICVLVS 1. De libero arbitrio in ſe.

QVÆST. 1. An liberum arbitrium ſit in ſolis rationalibus? *Reſp.* Eſt in illis ſolis. 1. Ex libertate circa varia obiecta, & circa actum proprium etiam internum. 2. Ex arbitratione ſeu iudicio ſuperiore : quæ ſunt propria ſolis rationalibus. Quia hæc ſola cognoſcunt ſeipſa & actus proprios : reliqua autem materialia non poſſunt ſe reflectere ſuper ſeipſis. *Ad* 2. Bruta non poſſunt reprimere ſuum appetitum internum : nec vllum eius actum proprium, niſi ex imaginatione & timore maioris mali ſenſibilis. *Ad* 4. Appetitus Brutorum eſt potiùs ab obiecto externo, quàm à principio interno : nec quiuis motus ab intrinſeco eſt potentiæ liberæ, ſed ille quo potentia mouet ſeipſam.

QVÆST. 2. An liberum arbitrium ſit potentia diſtincta à ratione & voluntate? *Reſp.* Non quoad rem, ſed rationem mouentis & moti. Hinc liberum arbitrium dicitur facultas rationis & voluntatis, vt motiuum ſuiipſius, non vt motum.

QVÆST. 3. An liberum arbitrium complectatur rationem & voluntatem? *Reſp.* Complectitur vtramque. 1. Quia dicitur arbitrium à ratione, liberum, à voluntate. 2. Quia hinc definitur facultas, ſeu conſenſus & facilitas rationis & voluntatis. 3. Quia dicit dominium potentiæ ſuper ſuis obiectis, & actibus proprijs : ad quod neceſſaria eſt reflexio rationis, & motio voluntatis. *Ad* 1. 2. 3. Eſt facultas rationis .i. intellectus vt ordinati ad affectũ : & voluntatis .i. affectus vt regulati ab intellectu. *Ad* 5. Actus liberi arbitrij eſt conſenſus, ſeu concordia rationis & voluntatis : & electio, ſeu iudicium rationis & appetitus voluntatis. *Ad* 6. Vt duo homines habent facultatem & facilitatem ferendi lapidem, quam neuter per ſe habet : & ſimilitudo eſt duorum ſimilium ; ſic libertas eſt rationis & voluntatis coniunctim, nec ſunt in eis duæ libertates, ſed vna.

QVÆST. 4. An liberum arbitrium ſit habitus vel potentia? *Reſp.* Dicit principaliter habitum vtriuſque potentiæ ſimul : quia eſt facultas ſeu facilitas vtriuſque potentiæ coniunctim ; vt poteſtas arbitraria duarum Perſonarum coniunctim ad aliquos actus.

QVÆST. 5. An liberum arbitrium addat aliquid ſupra rationem & voluntatem? *Reſp.* Non quoad eſſentiam : nec tantùm quoad rationem intelligendi ; ſed quoad relationem, ſeu concurſum neceſſarium vtriuſque potentiæ. &c. vt *q.* 4.

QVÆST. 6. An liberum arbitrium ſit potiùs facultas rationis, an voluntatis? *Reſp.* Eſt potiùs in voluntate : quia inchoatur in ratione, & conſummatur in voluntate. Hinc dicitur arbitrium ſubſtantiuè, pro materiali : liberum, adiectiuè pro formali.

ARTICVLVS 2. In ſecundam Partem.

QVÆST. 1. An liberum arbitrium ſit æquale in omnibus liberis? *Reſp.* Eſt æqualis in omnibus libertas à coactione, ex *S. Bern. de libero arb.* inæqualis ſub Deo, non inter creaturas, in hac earũ ſuprema dignitate ; ſed inæqualis etiam inter eas, in poteſtate ſeruandi rectitudinem.

QVÆST. 2. An liberum arbitrium ſit contingentium vel neceſſariorum? *Reſp.* Vt liberum poteſt eſſe circa contingentia & neceſſaria, ad actus contingentes & neceſſarios : vt patet in libertate Dei, Chriſti, & Beatorum, ad actus neceſſarios, immutabiles, non coactos ; ſed vt deliberans, poteſt eſſe de obiectis contingentibus & neceſſarijs, ſed nonniſi ad actus contingentes.

QVÆST. 3. An liberum arbitrium ſit liberum etiam ad malum? *Reſp.* Vt eſt commune ad Deum & creaturas, non eſt liberum ad actum vel obiectum malum, niſi vt deteſtandum : nec in creatura vt liberum, eſt ad malum, ſed vt deficiens. Seu, malum, non eſt obiectum liberi arbitrij vt liberi, ſed vt deficientis. *Ad* 4. Liberum arbitrium non poteſt malum ex ſeipſo vt ſufficiente, ſed deficiente.

QVÆST. 4. An liberum arbitrium cogi poſſit? *Reſp.* Non quoad actum proprium interiorem, ab vllo agente creato : ſed quoad actus exteriores ; poteſt tamen impediri ab vſu etiam interiori rationis & libertatis. *Ad* 5. Coactio plus repugnat affectioni quàm cognitioni. *Ad* 6. Inductio non eſt propriè coactio repugnans libertati, niſi moraliter ſecundùm ius humanum.

QVÆST. 5. An liberum arb. à Deo cogi poſſit? *Reſp.* Non, ſtante ipsâ libertate, ſed auferendo libertatem. *Ex hoc enim quòd liberum arbitrium eſt, ſi aliquid vult, liberè vult : & ex hoc quòd voluntarium eſt, ſi aliquid vult, voluntariè vult, & ſeipſo mouente vult. Ex hoc autem quòd cogitur, ſi aliquid vult, ſeruiliter, inuitè, & ab alio vult : quia violentum eſt cuius principium eſt extra, nullam vim conferente paſſo.* 6. *Ethic.* 1. *Ergo liberum arbitrium cogi, eſſet eius actum ſimul eſſe liberum & ſeruilem, voluntarium & non, à ſe & non à ſe.* *Ad* 1. 2. 3. Deus compellit, trahit, inclinat : non cogendo, nec tantùm inducendo ; ſed etiam immutando, ſeu immittendo affectiones. In quo non eſt coactio : *quia æquè voluntariè volo quod Deus immittit, quàm quod ex meipſo volo ; & ſi quid volo, volens volo, non inuitus.* *Ad* 4. Potentia obedientialis creaturæ non poteſt pati à Deo coactionem aut violentiam : ſed potentia ſpecialis & naturalis, excepta voluntate ; quia potentia naturalis eſt ita determinata ad vnum, vt nonniſi violenter trahatur ad oppoſitum ; ſed voluntas eſt vt pila ſeu rota vtrimque vertibilis ſine violentia. *Ad* 5. Poſſe cogere liberum arbitrium manens liberum, non eſt potentiæ, ſed contradictionis.

QVÆST. 6. An liberum arbitrium poſſit impediri quoad vſum? *Reſp.* Poteſt, & ſæpe impeditur in pueris, dormientibus, furioſis : ex vnione animæ & corporis ad conſtitutionẽ totius hominis,

&

& propriam, & perfectam eius operationem, quæ eſt in vſu liberi arbitrij. *Ad* 1. Salomon 3. *Reg.* 3. ſomniando non meruit niſi ex præcedente vigilia, vel ex ſpeciali gratia. *Ad* 2. Sancti dicuntur in ſomnis mereri, vt peccatores demerentur pollutione nocturna ex priori voluntate.

In DIST. 26. De auxilio Gratiæ. Al. 3. p. à q. 69.

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS VNICVS.

QVÆST. 1. An gratia ſit quid poſitiuum in gratificato? *Reſp.* Eſt quid poſitiuum. 1. Quia voluntas Dei non acceptat nouo quodam affectu, ſed effectu. 2. Quia Veritas Dei non fallitur præſciendo ſeu approbando vnum præ altero, niſi quem facit dignum. 3. Quia Deus non mutatur, ergo mutat gratificando. *Ad* 1. & 2. Nimis differt gratia Dei à gratia hominū. *Ad* 3. Dilectio eſt etiam pro futuro: ſed gratificatio & acceptatio pro præſenti.

QVÆST. 2. An ſit quid creatum vel increatum? *Reſp.* Eſt quid creatum cum increato. 1. Quia hæc opinio eſt ſecurior, ex communi conſenſu Sanctorum & Sapientiorum, contra Pelagianiſmum. 2. Eſt rationabilior: quia affectus & effectus gratiæ in nobis non poſſunt eſſe niſi à Deo efficiente, & forma aliqua informante. Vt illuminatio non poteſt eſſe niſi à lucido, & influentia luminis. Hæc autem influentia dicitur gratia. 1. Quia non oritur ex principijs ſubiecti, nec ex vlla neceſſitate naturæ, ſed datur merâ Dei liberalitate. 2. Quia gratum facit & amicum Deo, ei gratificando & aſſimilando. 3. Quia facit agere gratis quæ agendi ſunt ad honorem Dei, & ſalutem proximi. *Ad* 1. ex *Damaſc.* Dicit Spiritum Sanctum eſſe ſubſtantiam donorum Dei. i. cauſaliter & appropriatiuè. *Ad* 2. 3. 4. 5. 6. Effectus gratiæ non ſunt tantùm à Deo vt principio effectiuo, ſed & per gratiam informantem. *Ad* 7. 8. 9. 10. Gratia non vnit Deo quoad eſſe, ſed quoad cognitionem & amorem.

QVÆST. 3. An ſit ſubſtantia vel accidens? *Reſp.* Non eſt ſubſtantia, ſed accidens inhærens ſubiecto, oriens à Deo per influentiam perfectam. *Ad* 1. Bonitas ſubſtantiæ & accidentis non ſunt comparabiles: nec accidens eſt ſeorſim comparandum cum ſubſtantia, ſed vt in ſuo ſubiecto; nec gratia dicitur ex ſe nobilior ipſâ animâ, ſed ex vnione ad Deum. *Ad* 2. Anima aſſimilatur Deo: ſed gratia eſt ipſa ſimilitudo vel aſſimilatiua. Nec eſt maior vel minor aſſimilatio in anima gratificata, quàm in gratia gratificante: poteſtque accidens plus aſſimilari alicui ſubſtantiæ in aliquo, quàm alia ſubſtantia.

QVÆST. 4. An ſit accidens corruptibile vel incorruptibile? *Reſp.* Eſt corruptibile: ſed vt nonniſi ex nihilo produci poteſt, ſic nec corrūpi niſi in nihilum peccati. *Ad* 1. Anima vt imago ſubſtantialis ſeu capax Dei, eſt incorruptibilis: ſed gratia vt forma illius imaginis, poteſt corrumpi; quia anima poteſt deformari. *Ad* 2. Gratia non ſolùm dependet à Deo, ſed etiam ab anima in qua eſt, vt ad Deum conuerſa, vel non auerſa. *Ad* 5. Gratia deficit ex auerſione mentis à Deo. Hinc dicitur corrumpi peccato: non actione peccati in gratiam; ſed ſola auerſione à Deo, cuiuſque influentia neceſſaria ad conſeruationem gratiæ.

QVÆST. 5. An gratia priùs inſit ſubſtantiæ animæ, vel potentijs? *Reſp.* Propriè ineſt animæ per potentias: priùs tamen appropriatur animæ; non quòd priùs ei infundatur, indeque redundet in potentias; ſed quia gratia & virtus ei infunditur per potentias, virtus diſtinguitur ſecundùm varias potentias & actus; Gratia verò eſt vna eademque ab eadem animæ ſubſtantia, & acceptatione Dei.

1. Ex B. *Aug.* qui docet gratiam ſe habere ad liberum arb. vt ſeſſor ad equum, ſæpeque comparat gratiam ad voluntatem. 2. Quia gratia eſt quædam Dei influentia in animam ad ſe conuerſam. 3. Quia gratia opponitur culpæ in ipſa potentia. 4. Quia meritum eſt potentiæ, ergo & gratia. *Ad* 1. Gratia eſt in actu continuo informationis, ſed non actionis. *Ad* 3. Eadem numero gratia ineſt animæ per potentias: quia hæ ſunt eiuſdem naturæ & liberi arb. Vt eſt eadem ſanitas totius hominis. *Ad* 4. Deformatio & reformatio animæ eſt per potentias.

QVÆST. 6. An gratia ſit motrix animæ ſeu liberi arbitrij? *Reſp.* Eſt eius motrix: ſed gratia operans ſeu præueniens, mouet vt influentia inſtrumentalis Dei; cooperans ſeu ſubſequens, mouet liberum arbitrium diſpoſitiuè ad ſeipſum mouendum. *Ad* 1. Vt voluntas mouet ſeipſam ad opera naturalia, ſic adiuta per gratiam, ad opera meritoria. Vel voluntas à Deo mota vult ſic moueri: ſicque mouetur etiam à ſeipſa. *Ad* 2. Motor totalis diſtat à mobili. *Ad* 3. Gratia mouet voluntariè, voluntate Dei influentis, & liberi arb. conſentientis.

In DIST. 27. De Gratia operante & cooperante.

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS 1. De differentijs Gratiæ.

QVÆST. 1. An gratia gratum faciens habeat differentias? *Reſp.* Non quoad ſuam eſſentiam, ſed quoad effectus. 1. Quia eſt influentia Dei aſſimilans ei animam: ergo eſt eadem. 2. Quia eſt vita animæ in eſſe ſecundo: ergo eadem. 3. Gratificat totum ſubiectum ad idem ſummum Bonum: ergo eſt vna & eadem. *Ad* 1. Diuiſio gratiæ in præuenientem & ſubſequentem, eſt penes effectus liberandi à malo, & ordinandi ad bonum. *Ad* 2. Diuiſiones illæ gratiarum, 1. *Cor.* 12. ſunt de gratijs gratis datis ad varia opera exteriora: ſed gratia gratum faciens, vt talis, non reſpicit opera niſi per habitus Virtutum & Donorum, vel nonniſi ſub vna eademque ratione meriti. *Ad* 3. Eadem gratia opponitur omnibus culpis. *Ad* 4. Perfectio gratiæ ſufficit ad omnes eius actus ſubordinatos. *Ad* 5. Scientia reſpicit obiecta etiam exteriora, ſecundùm eorum naturas & proprietates: non ſic Gratia.

QVÆST. 2. An gratia gratum faciens, & virtus gratuita eſſentialiter differant? *Reſp.* Differunt vt habitus, ſed non vt gratuiti: quia eadem gratiâ ſunt gratuiti. Vt lumen differt à coloribus, ſed non vt illuminatus. *Ad* 1. ex *Magiſtro:* gratia eſt fides cum dilectione. i. concomitanter & ſignificatiuè, vel cauſaliter. *Ad* 2. Gratia eſt donum maximum totius Bonitatis Dei. *Ad* 3. Gratia vt cooperans eſt ordinatiua virtutis: nec inde ſequitur quòd ſit virtus. Vt color & lux mouet viſum: nec tamen color eſt lux. *Ad* 4. Virtus dicitur gratuita: non ab inhærentia gratiæ, ſed à circuminceſſione & ordinatione. *Ad* 5. Charitas dicit virtutem formatam gratiâ: ideoque non poteſt ab hac præſcindi. Quòd ſi quis illam

Digitized by Google

illam vocet habitum diligendi Deum propter ſe & ſuper omnia : poteſt eſſe ſine gratia, vt in Adam & Angelis malis ante lapſum. Hinc patet quòd gratia ſit aliud quàm virtus, & quàm rectitudo potentiarum : quia hæc erat in ſtatu innocentiæ ante infuſionem gratiæ gratum facientis.

QVÆST. 3. An gratia gratum faciens & gloria eſſentialiter differant? *Reſp.* Non differunt eſſentialiter : ſed variâ comparatione in ſtatu & perfectione. 1. Quia, *Rom.* 6. Gratia Dei dicitur vita æterna. 2. Quia vtraque eſt influentia Dei ad eum habendum. 3. Quia gratia eſt inchoatio gloriæ, & gloria conſummatio gratiæ. *Ad* 1. Fides ſtat cum gratia inchoata, non conſummata. *Ad* 2. Gratia eſt ad gloriam vt via ad terminum .i. vt imperfectum ad perfectum. *Ad* 3. Gratia & gloria eſſentialis ſunt ab eodem, in eodem, & ad idem. *Ad* 4. Immutabilitas gloriæ & mutabilitas gratiæ, non ſunt ab intrinſeco : ſed illa à Deo, hæc à libero arbitrio. *Ad* 5. Gratia eſt ignota habenti, non gloria.

ARTICVLVS 2. *De merito gratiæ.*

QVÆST. 1. An ſit meritoria ſuiipſius per vſum ſequentem? *Reſp.* Nec de condigno, nec de congruo : quia eſt principium gratuitum merendi. *Ad* 1. Non poteſt quis mereri gratiam Dei ſibi priùs datam, vt miles equum : quia illa eſt ſimpliciter & intrinſecè gratuita. *Ad* 3. Poteſt quis alteri, non ſibi, mereri primam gratiam. 1. Quia id non ſine gratuita liberalitate Dei. 2. Quia id non ſine ordine meriti ad præmium. 3. Quia non contra rationem doni gratuiti. *Ad* 4. Gratiarum actio pro dono habito, æquè placet Deo ac oratio pro habendo : ſed non ad meritum habiti, vt habendi.

QVÆST. 2. An ſit meritoria augmenti proprij? *Reſp.* Non plenè & perfectè de condigno, per adæquationem meriti ad præmium : nec ſolùm de congruo cum indignitate, aut ſine vlla dignitate ; ſed ex inæquali dignitate &c. *vt in* 1.*d.*.17.*a.*2.*q.* 2. *Al. coll.* 69. 71. ex 1. *Tim.* 4. *Aug. Epiſt.* 106. Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, &c. *Ad* 1. Gratia vel non eſt omnino ſimplex ſine partibus perfectionis : vel perficitur ſolo acceſſu, ſeu maiori participatione ſui ſummi & ſimpliciſſimi. *Ad* 2. Gratia non dicitur augeri propriè, niſi ſub ratione gratuiti & meritorij.

QVÆST. 3. An ſit meritoria ſui complementi ſeu gloriæ? *Reſp.* Eſt eius meritoria : non ſolùm de congruo, ex libertate voluntatis, liberalitate Dei & opportunitate huius temporis ; ſed etiam de condigno, ex dignitate gratiæ, promiſſione Dei, & ſupernaturalitate meriti.] Quod videtur etiam accommodandum reſolutioni quæſtionis ſecundæ. *Ad* 1. Non ſunt condignæ, &c.i. ex tribus prioribus titulis. *Ad* 2. Deus non ſaluat nos per merita noſtra, vt ſunt ſolius voluntatis noſtræ. *Ad* 3. Omnia opera noſtra ſunt Deo debita : ſed quatenus ex gratia & charitate ſunt gratuita. Vt ergo ratio debiti non tollit rationem liberi, ſic nec rationem meriti. Deinde Deus non poteſt obligari ex dato & accepto, ſed ex propria promiſſione. Denique meritum condigni non eſt neceſſariò ex obligatione retribuentis, ſed ex ſufficienti opere ad remunerationem. *Ad* 4. *&* 5. Quod gratis fit, non obligat : poteſt tamen eſſe meritum condignum ; ſi non ad omnimodam æqualitatem, ſaltem ad ſufficientem proportionabilitatem. Vt ſemen reſpectu ſuorum fructuum : quis enim non exigit inde decuplum?

In DIST. 28. *De neceßitate gratiæ.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS 1. *De gratia gratum faciente.*

QVÆST. 1. An liberum arb. poſſit à culpa reſurgere ſine gratia gratum faciente? *Reſp.* Ad reſurgendum à culpa neceſſaria eſt gratia, non tantùm extrinſeca miſericordiæ Dei ac redemptionis Chriſti, ſed etiam intrinſeca & habitualis. Vt ſupra *diſt.* 26. *art.* 1.

QVÆST. 2. An liberum arb. ſine gratia gratum faciente poſſit Diabolum vincere? *Reſp.* Poteſt ei reſiſtere non conſentiendo : ſed non eum vincere vſque ad aliquod meritum. *Ad* 1. Sub te erit appetitus tuus, &c. *Gen.* 4. ad vitandam pœnam. *Ad* 4. Non poteſt quis ſeipſum uincere ſine gratia gratum faciente.

QVÆST. 3. An abſque gratia gratum faciente poſſit implere omnia mandata? *Reſp.* Non quoad intentionem Mandantis, expreſſam præcepto diligendi Deum ex toto corde, &c. ſed quoad ſubſtantiam operis, ex ſola gratia gratis data, fidei, pietatis, deuotionis, &c. *Ad* 1. Mandatum Dei non eſt ſupra nos, nec procul, &c. *Deut.* 30. i. quoad opus ; vel per gratiam, quæ nemini deeſt. *Ad* 2. Mandata Dei ſunt iugum ſuaue & onus leue, *Matt.* 11. i. habentibus charitatem. *Ad* 3. Mandata Diuina ſunt difficiliora humanis : quia Deus exigit & intuetur cor. *Ad* 5. Nil prodeſt ſine charitate, 1. *Cor.* 13.

ARTICVLVS 2. *De gratia gratis data.*

QVÆST. 1. An liberum arb. ſine gratia gratis data poſſit ſe diſponere ad gratiam gratum facientem? *Reſp.* Nonniſi de congruo per talem aliquam gratiam *naturalibus ſuperadditam, quæ aliquo modo adiuuet & præparet voluntatem ad habitum vel vſum gratiæ : ſine qua vix aut nunquam adulti reperiuntur.* Vt ait *Bern. De lib. arb. c.* 17. *Conatus liberi arb. ad bonum caßi ſunt ſi à gratia non adiuuentur, nulli ſunt ſi non excitentur.* Non quia gratia gratum faciens *præexigat diſpoſitionem gratiæ gratis datæ : ſed quia ipſa eſt quid Diuinum & ſupra liberum arb. ac naturale iudicium.* *Ad* 1. Conuertimini ad me, &c. *Zach.* 1. Hoc ipſo quo inuitat & vocat, exhibet homini aliquod donum gratuitum per quod excitetur, &c. ex *cap.* 21. *De Eccl. dogm. quaſi Aug.* *Ad* 2. *&* 3. Notitia & cupiditas veri & boni in communi, non ſufficit in particulari abſque omni dono gratuito. *Ad* 4. Facere quod in ſe eſt poſitiuè ordinatum ad gratiam, diſponit ad eam : ſed facere quod in ſe eſt priuatiuè .i. quantum poteſt, ſed non ordinatum ad gratiam, non diſponit ad eam. *Ad* 5. Id quod poteſt nihil eſt reſpectu gratiæ ſuſcipiendæ : vt comedere nihil eſt ad gratiam ſuſcipiendam. *Ad* 6. Deteſtari culpam vt offenſiuam Maieſtatis & Æquitatis Diuinæ, diſponit ad gratiam gratum facientem, nec eſt vnquam ſine gratia gratis data : non autem deteſtari culpam vt læſiuam naturæ per morbum aliquem, &c. Hinc Pelagius *dupliciter mendax fuit.* 1. Dicendo quòd prima gratia cadat ſub meritum. 2. Quod liberum arb. poſſit ſe viribus proprijs diſponere ad gratiam.

QVÆST. 2. An liberum arb. abſque vlla gratia poſſit alicui tentationi reſiſtere? *Reſp.* Nec poteſt ex ſe cuilibet reſiſtere, nec cuilibet neceſſariò ſuccumbit. Ex *Sap.* 8. Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det. *Aug. De perfectione Iuſtitiæ, De natura & gratia, De vera Relig.* Quòd ſuperbus neceſſario peccet aliquando peccato inuidiæ, & ſic de alijs generibus peccatorum, &c. contra Pelagium *Quem decepit quod liberum arb. nunquam deſtituitur omni gratia gratis data: & ipſe poſſe gratiæ attribuit ipſi naturæ. Superbiâ enim excæcatus neſciuit diſtinguere inter dona naturalia & gratuita.* Infra. *Sed eſt valde durum, quòd in hoc ſtatu nulli poſſit reſiſtere: cùm habeat naturale indicatorium, & quendam inſtinctum naturalem remurmurantem contra malum, nec ſit etiam in malo confirmatum.* Porro neceſſitatem aliquando peccandi cadendo ex vna tentatione in aliam, tribuit inſtabilitati, & infirmitati liberi arb. exemplificatque in naui hinc inde perforata, & in pugile qui non poteſt ſe vndique tueri ab omni ictu expertioris ac potentioris. *Ad* 1. 2. 4. Non eſt coactio, ſed tanta inclinatio voluntatis ad malum, vt non poſſit ſtare ſine aliqua gratia ſuſtentante. *Ad* 3. Bonum eſt potentius malo: ſed bonum gratiæ, vel bonum naturale liberi arb. ſubijcit ſe malo. *Ad* 5. Liberum arb. eſt integrum quoad eſſentiam, non quoad perfectionem habilitatum. Nec poteſt omni tentationi per ſe reſiſtere: nec tamen ſi conſentiat eſt à culpa immune; *quia adiutorium gratiæ præſtò eſt, ſi vellet ſuſcipere; & quia ex propria culpa deuenit in illam neceſſitatem.* Ex Aug. 14. Ciu. 15. *Quia homo noluit vitare peccatum dum potuit: inflictum eſt ei vt non poſſit cùm velit.* *Ad* 1. *Oppoſitum.* Oratur, Ne *nos inducas, &c.* Quia non poteſt cuilibet propriâ virtute reſiſti. *Ad* 5. Affectus prauus non ſemper prædominatur ad quoduis malum: & quamuis habitu, non ſemper actu. *Ad* 6. Claudus non poteſt ire niſi claudicando: quia habet hanc indiſpoſitionem ad hunc motum determinatum; ſed liberum arb. eſt ad varios motus ex varijs motiuis.

QVÆST. 3. An liberum arb. ſine vlla gratia poſſit aliquod bonum? *Reſp.* Non meritorium, niſi ex gratia gratum faciente: nec ordinatum aut diſponens nequidem de congruo ad ſalutem, vt opus rectæ intentionis ad Deum, niſi ex aliqua gratia gratis data; *ſed tantùm aliquod bonum ex materia, vel aliqua debita circumſtantia, ordinabile ad finem. Ad quod genus boni complendum, etſi gratia gratis data ſit neceſſaria vt faciliter fiat: circumſcripto tamen omni munere gratiæ, & libero arb. relicto in puris naturalibus, per naturale indicatorium, & inſtinctũ, poſſet in tale bonum, Deo ſibi cooperante, vt alys creaturis, &c. Per illud tamen nec diſponitur ad gratiam, nec ad gloriam: quia non eſt in finem vltimum ordinatum, ſed tantùm ordinabile, &c. Sancti loquuntur de bono ordinato ad ſalutem: vel nomine gratiæ non eſt intelligendus aliquis habitus ſuperadditus naturalibus; ſed gratuita Dei influentia per quam cætera conſeruat & adiuuat vt compleant operationes ſuas.* Sic *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere. *Eſa* 25. Omnia opera noſtra operatus es in nobis. *Aug. lib. De Magiſtro. Dion. cap. 4. Diuin.* Nom. Recapitulatio. *Patet igitur quàm ſit neceſſaria gratia gratum faciens: quia ſine ea liberum arb. non poteſt à peccato reſurgere, nec aduerſarium vincere, nec mandata Dei implere. Patet quàm ſit neceſſaria gratia gratis data: quia ſine ea non poteſt ad gratiam gratum facientem ſufficienter ſe diſponere, non poteſt omni tentationi reſiſtere, non poteſt etiam in quantumcunque modicum bonum quod ſit ordinatum ad ſalutem. Et licet poſſet in aliquod bonum morale: vix tamen aut nunquam faceret niſi malum ob peccati originalis corruptionem.*

In DIST. 29. *De gratia Adami, Al. q.* 91.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS 1. *De eius neceſſitate.*

QVÆST. 1. An homo in ſtatu innocentiæ eſſet Deo acceptus abſque dono gratiæ? *Reſp.* Non acceptatione ſpeciali, quaſi in ſuum Templum, Filium, Sponſam, ad æternam Beatitudinem: *quia hæc ſunt ſupra naturale complementum omnis creaturæ, nec decreuit Deus ducere hominem ad gloriam per aliquid ortum ex naturæ principijs*; ſed ſolùm acceptatione generali, ſeu approbatione & conſeruatione cuiuſuis boni creati. *Ad* 3. Ego diligentes me diligo, *Prou.* 8. i. dilectione Charitatis, quæ non eſt ſine gratia. *Ad* 5. Natura rationalis eſſet ſine culpa & macula: ſed non pulchra pulchritudine gratiæ, & digna illo Dei amore. *Ad* 6. Natura non eſt capax tantæ dignitatis: quia ſic natura eſſet gratia, & è contra. Hinc vt eſt impoſſibile creari aliquem beatum ex natura, ſic & Deo gratum ex ſua natura ſine gratia. Et ſi poſſet, nec decuit, nec Deus decreuit ad obſeruandum ordinem naturæ, gratiæ, & gloriæ.

QVÆST. 2. An in ſtatu Innocentiæ fieri poſſit opus meritorium abſque vllo dono gratiæ? *Reſp.* In ſtatu innocentiæ erat neceſſaria gratia gratum faciens ad merendum de condigno. 1. Quia Deus nec poteſt obligari ex dato & accepto, nec acceptat ſeu gratum habet vllum hominem niſi ex influentia ſuæ gratuitæ bonitatis eum gratificet. 2. Quia præmium æternæ beatitudinis, ſeu habendi ſummum bonum, eſt ſupra omnem naturam. Sed in ſtatu naturæ lapſæ eſt adhuc magis neceſſaria ad merendum. 1. Quia Deus non acceptat, ſeu non habet grata opera niſi perſonæ gratæ. 2. Quia nulla operatio poteſt eſſe meritoria niſi recta, nulla recta niſi ex recta intentione, nulla recta intentio niſi præponat ſummum bonum omnibus alijs: quod nequit fieri in ſtatu naturæ lapſæ ſine gratia. *Ad* 1. & 2. ex *B. Aug. & Damaſc.* In ſtatu innocentiæ liberum arbitrium poterat iuſtè viuere: quia erat concors gratiæ. *Ad* 3. Omnia Dei perfecta ſunt opera: quoad eſſe naturale, non ſupernaturale. *Ad* 4. Creaturæ inferiores poſſunt naturaliter aſſequi ſuum finem, non autem rationales: quia ille eſt naturalis, hic ſupra omnem naturam. *Ad* 5. Deus ſupplet defectum naturæ, *& ſemper præſtò eſt cùm ſe offert tempus & locus.* *Ad* 6. Homo in ſtatu Innocentiæ ſeruando mandata Dei mereretur de congruo, & ſic diſponeret ſe ad gratiam.

ARTICVLVS 2. *De rei veritate.*

QVÆST. 1. An homo ante lapſum habuerit gratiam? *Reſp.* Non ſolùm habuit gratias gratis datas, ſed etiam gratum facientem: quâ & poſſet malo reſiſtere, & in bono proficere. Ex *Luc.* 10. *Aug. Enchir.* 106. *Epiſt.* 14. *in Pſal.* 114. *&c.* *Ad* 1.

Deus

Digitized by Google

Deus præſciebat futurum eius lapſum: ſed & bonum inde eliciendum; nec ſubſtrahit gratiam præſentem ob euentus futuros. *Ad* 2. Gratia gratum faciens afficit voluntatem, vt eſt deliberatiua: ſed gratia originalis afficiebat ipſam naturam; ideo hæc erat irrecuperabilis, non illa. *Ad* 3. Adhærens Deo habitualiter per gratiam, poteſt ab eo actualiter auerti contra inclinationem gratiæ. *Ad* 4. Lucifer non habuit gratiam gratum facientem, ſed Adam: quia ille erat creatus proximior ſtatui æterno gratiæ & gloriæ, quàm hic.

QVÆST. 2. An homo ſimul tempore fuerit conditus in naturalibus & gratuitis? *Reſp.* Non ſimul, ſed priùs in illis quàm his. 1. Ordine Sapientiæ Dei inter naturalia & gratuita. 2. Ordine Bonitatis, ad noſtram maiorem vtilitatem & gratitudinem. 3. Ordine Iuſtitiæ, præuia aliqua diſpoſitione voluntaria. Vt *Aug. ſerm.* 14. *De verb Apoſt.* Qui creauit te fine te, non iuſtificat te ſine te. *Ad* 1. Deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: vel ſimul per gratias gratis datas, vel ſucceſſiuè. *Ad* 2. & 3. *Deus fecit hominem rectum, &c. Eccl.* 17. 1. ſimul, vel ſucceſſiuè, vt ſupra. *Ad* 4. Fecit hominem ætatis perfectæ: quia ad hoc poteſt vis naturalis, non autem ad gratiam. *Ad* 5. Deus eſt liberaliſſimus, ſed ordinatè.

ARTICVLVS 3. *De quantitate gratiæ.*

QVÆST. 1. An homo habuerit tot virtutes ante lapſum quàm poſt? *Reſp.* Non quoad dona gratis data, hinc inde excedentia & exceſſa: ſed quoad gratum facientia, & eorum actus non habentes annexam imperfectionem, *Eccli* 17. *Damaſc. l.* 2. *c.* 12. *Ad* 1. 2. 3. Non habuit actus fortitudinis, temperantiæ & pœnitentiæ, habentes annexam imperfectionem huius ſtatus, ſed alios actus ſimiles gloriæ. *Ad* 4. Non habuit ſtatum perſeuerantiæ finalis: ſed virtutem ac propoſitum perſeuerandi in bono.

QVÆST. 2. An fuerint æquè efficacia dona ad merendum ante lapſum, quàm poſt? *Reſp.* Tunc fuiſſent efficaciora quoad promptitudinem voluntatis: nunc, quoad difficultatem operis, & probabiliùs quoad magnitudinem charitatis; comparando ſtatum ad ſtatum, non ſingulas perſonas inter ſe. 1. Quia nunc eſt maior indigentia. 2. Quia decet Deum ex malo elicere maius bonum. 3. Ex meritis Chriſti. 4. Ex *Ioan.* 7. *Nondum erat Spiritus datus, &c.* *Ad* 1. Dilectio non eſt ſemper maior ex maiori cognitione.

In DIST. 30. *De peccato originali. Al.* 122.

Expoſitio Textus, ſub vno dubio.

ARTICVLVS 1. *De vera eius culpa.*

QVÆST. 1. An corruptio naturæ humanæ ſit ex eius conditione, vel per peccatum? *Reſp.* Non niſi per peccatum inobedientiæ. 1. Ex fide noſtra. 2. Ex ſacra ſcript, *Gen.* 2. & aliunde. 3. Ratione nitente fidei, non ſoli ſenſui & experientiæ. *Ad* 1. Deus fecit ouem paſſibilem, non ſic hominem: quia hic eſt capax iuſtitiæ, culpæ, & pœnæ, non illa. *Ad* 2. Mortalitas aliorum animalium non eſt contra exigentiam animæ propriæ, vt eſt mortalitas hominis. *Ad* 3. Ordine naturæ & Sapientiæ Diuinæ corpus debet eſſe ſubiectum animæ, & ſenſualitas rationi. *Ad* 4. Vt Orbis ſuperior mouet inferiores, non è contra: ſic, &c. *Ad* 5. Virtus eſt operatiua difficilium: ex genere operis, non ex defectu operantis. *Ad* 6. Sacra Script. tradit media ſalutaria, pro ſtatu naturæ lapſæ.

QVÆST. 2. An tota natura humana in omnibus generatis naturaliter corrupta ſit non ſolùm pœnaliter, ſed etiam culpabiliter? *Reſp.* Etiam culpabiliter 1. Ex priuatione Beatitudinis: nonniſi culpabiliter. 2. Ex erubeſcentia rationis, nonniſi ob culpam. 3. *Euidentiſſimè, ex prædominio concupiſcentiæ: & hoc de plano, non tantùm ſecundùm fidem, Rom.* 7. *ſed & Philoſophiam, &c. Hanc legem & ordinationem ad Deum, ſi quis velit attendere, nullo modo dubitabit hominem eſſe peccatorem à ſua natiuitate, imò ita certum eſt, vt dubitari non poſſit de Originali, vt nec de actuali. Hoc tamen ignorauerunt Philoſophi, & aliqui Hæretici: quia neſcierunt in quo ſit rectitudo animæ & iuſtitia, & pro quanto anima dici debeat ordinata, &c. A quo autem corrupta fuerit, planum eſt ex Script. quia ab Adam.* 1. Quia erat totius naturæ humanæ principium. 2. Quia fuit ei datum mandatum, vt ſtipiti totius naturæ humanæ. 3. Quia receperat innocentiam pro ſe & pro tota ſua poſteritate. *Ad* 1. Filius non portabit iniquitatem Patris, &c. *Ezech.* 18. vt perſonæ ſingularis. *Ad* 2. Non eſt ideo omittenda generatio: quia minus malum eſt ſic eſſe, quàm non eſſe, cùm nec deſit remedium. *Ad* 3. Tota natura pendebat à perſona Adæ quoad exiſtentiam. *Ad* 4. Tota natura peccauit in primo Parente. *Ad* 5. Naturale primæ inſtitutionis non eſt culpabile, ſed naturæ corruptæ. *Ad* 6. Pecc. Originale in nobis neceſſarium, fuit Adamo voluntarium.

ARTICVLVS 2. *De concupiſcentia culpabili.*

QVÆST. 1. An peccatum Originale ſit ipſa concupiſcentia? *Reſp.* Non eſt ſola priuatio iuſtitiæ originalis: ſed eſt neceſſitas & immoderatio concupiſcentiæ, ſeu concupiſcentia immoderata, habens annexam priuationem debitæ iuſtitiæ originalis ab ipſa noſtra origine. Quia vt peccatum actuale, ſic nec originale eſt ſola auerſio, ſed & conuerſio priuata rectitudine debita. *Ad* 1. Peccatum operatur in nobis concupiſcentiam, ſed actualem. *Ad* 2. 3. Concupiſcentia eſt nobis inflicta per peccatum *vt remiſſa, non vt intenſa.* Supple remiſſione & intenſione morali. *Ad* 4. Concupiſcentia intenſa ex prima origine, eſt peccatum Orig. non autem intenſa proprijs peccatis actualibus.

QVÆST. 2. An peccatum Orig ſit ignorantia? *Reſp.* Eſt ipſa etiam ignorantia, vt concupiſcentiæ iuncta: quia vt ſic opponitur virtuti & gratiæ fidei. Nec inde ſequitur eſſe plura peccata originalia in ſingulis: quia vbi eſt vnum propter alterum, ibi eſt tantùm vnum.

ARTICVLVS. 3. *De veritate Naturæ.*

QVÆST. 1. An per generationem tranſeat aliquid in veritatem naturæ humanæ? *Reſp.* Tranſit in ſemine aliquid humidi radicalis & alimenti ſuperflui ab Adamo per poſteros in ſuas proles: non autem fit ſola multiplicatio, vel extenſio eiuſdem materiæ, nec ſola additio alimenti ſuperflui. 1. Ex *Rom.* 5. Quòd omnes in Adam peccauimus. 2. Ex *Heb.* 7. Quòd Leui erat in lumbis Abrahæ quando decimatus fuit. 3. Ex *Aug.* 10. *in Gen.* 20. Quòd omnes

Digitized by Google

omnes fuimus in Adam ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, & rationem ſeminalem. 4. Quia alioquin non eſſet vera generatio ex ſubſtantia generantis. 5. Non eſſet vera cognatio geniti cum generante: *ſed potiùs cum porco, de quo ſumptum eſt alimentum.* *Ad* 1. ex *Magiſtro & Hugone*: Improbatur eorum opinio. *Ad* 2. *Aug. & Anſel.* non dicunt naturam humanam præfuiſſe totaliter in Adam. *Ad* 3. ex *Matt.* 15. Non quòd totus cibus egeratur, ſed aliquid ex toto: vel quòd etiam totus per ſubtiles meatus decoletur. *Ad* 4. Vera generatio non fit neceſſariò ex tota ſubſtantia. *Ad* 5. Quantitas molis in ſemine, quantillacumque ſit, poteſt in infinitum miſceri ac diuidi: ſed quantitas virtutis ſeu formæ, quæ eſt ratio ſeminalis, poteſt in infinitum multiplicari. *Ad* 6. Caro vnius hominis ſecundùm ſpeciem non poteſt fieri alterius: ob neceſſariam ordinationem quam habet ad ſuam animam. De quo *in* 4. *d.* 24. *a.* 2. Reſurget autem ſemen in genito, non in generante: quia in hoc eſt tantùm pars humidi radicalis, ordinata ad genitum vt eius totum.

Qvæst. 2. An per nutritionem tranſeat aliquid in veritatem naturæ humanæ? *Reſp.* Non tranſit in id quod eſt de veritate neceſſaria naturæ humanæ, ſeu ordinatum ad ruſurrectionem & immortalitatem: ſed tantùm in id quod eſt de congruitate & perfectione corporis humani. 1. Ex Philoſophia naturali quòd nutritio non conuertat alimentum in carnem ſecundùm ſpeciem ſeu vt actiuam, ſed ſecundum ſolam materiam; vt in mixtione aquæ cum vino. 2. Ex medicis, qui diſtingunt humidum naturale à nutrimentali, &c.

In D I S T. 31. *De Traductione peccati Originalis.*

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS 1. *De eius ſubiecto.*

Qvæst. 1. An anima ſenſitiua hominis ſit à generante? *Reſp.* Non eſt à generante, nec alia à rationali. 1. Ex *Aug. l. De Eccl. dogm.* 15. *De ſpiritu & anima* 13. 33. 2. Quia non poſſunt diuerſæ aut plures animæ idem ſimul animare. 3. Idem per eſſentiam non poteſt conſtitui pluribus formis. *Ad* 5. *&* 6. Anima ſenſitiua in Brutis & homine ſignificat vim quandam ſentiendi, vel formam ipſam ſubſtantialem, quæ in homine eſt principaliter rationalis.

Qvæst. 2. An peccatum Orig. inſit primò Animæ, vel cui eius potentiæ? *Reſp.* Non ineſt potentijs per animam, ſed animæ per potentias, vt ſunt eiuſdem animæ: & quidem vt culpa, ineſt primò per voluntatem; ſed vt eſt vitium deordinatum, per potentiam ſenſitiuam vt primò deordinabilem. 1. Quia iuſtitia Orig. eſt primò in voluntate: ergo & eius priuatio. 2. Quia concupiſcentia eſt alicuius potentiæ. 3. Deordinatio eſt primò ſecundùm aliquam potentiam, &c. Vt ſupra de gratia *q.* 5. *Ad* 1. 2. 3. Nec vegetatiua nec generatiua eſt deordinabilis, niſi ob annexam ſenſitiuam. *Ad* 4. Eſt vnicum Orig. ex vnione potentiarum in eadem anima.

Qvæst. 3. An Originale plus inficiat potentiam generatiuam, quàm aliam? *Reſp.* Quòd ſic. 1. Quia eſt vis perſonæ, & naturæ corruptæ. 2. Quia eſt in parte maximè ſenſibili, &c. *Ad* 1. Nutritiua eſt magis perſonalis. *Ad* 2. Appetitus nutritiuæ eſt vehementior ex indigentia: ſed generatiuæ, ex libidine. Hinc motus primi huius ſunt potiùs peccata quam illius, &c.

ARTICVLVS 2. *De cauſa proxima.*

Qvæst. 1. An anima inficiatur per carnem? *Reſp.* Non per ſolam vnionem cum carne mortali & paſſibili, vt patet in Chriſto & B. Virgine: nec per ſolam vnionem cum carne vt propagata ex Adamo, vnde efficiatur indigna habendi iuſtitiam debitam; ſed etiam per vnionem ad corpus ex generatione libidinoſa vitioſum, aggrauans ſeu incuruans animam à ſua rectitudine debita. Vt ſi anima vniretur carni læſæ, in ipſa vnione doleret. Si vniatur corpori inepto ad vſum rationis, fit inde ignorans, &c. Quia S. Script. plus tribuit corpori ad infectionem animæ, quàm ſolam priuationem. Non tamen aliam cauſalitatem, quam per dictam colligationem & communicationem. *Ad* 1. Ex *Anſel.* Non eſt plus culpæ in ſemine quam in ſputo. 1. Quoad exiſtentiam, non quoad vim illam inficiendi. *Ad* 2. 3. ex *Aug.* 6. *De Muſica* 5. Corpus non poteſt agere in animam per influentiam. *Ad* 4. Anima aliter adhæret corpori, quàm radius. *Ad* 5. Corruptio animæ nobilioris, eſt peior corruptione corporis. *Ad* 6. Pœna ex culpa, & inclinans ad culpam, poteſt eſſe origo culpæ. Non vult *Aug. & Anſel.* quòd carentia iuſtitiæ debitæ ſit prior neceſſitate: ſed actu concupiſcendi: cùm neceſſitas concupiſcendi, ex carne coniuncta, ſit prior ratio illius priuationis.

Qvæst. 2. An peccatum originale contrahatur ex carne, per aliquem eius appetitum? *Reſp.* non per priorem appetitum deliberatiuum, quod eſſet hæreticum: neque per ſolum appetitum naturalem animæ ad vnionem cum corpore; ſed & potiùs per quandam colligantiam, & allectionem animæ ad corpus vitioſum, non ſine illius ad hoc appetitu naturali, &c. *Al. q.* 122.

Qvæst. 3. An caro inficiatur ex ſola propagatione, vel ſimul ex libidine? *Reſp.* Non ex ſola propagatione, ſed libidinoſa: ſi non libidine voluntatis, ſaltem libidine delectationis, vel vitioſæ corruptionis. Ex *B. Aug. De fide ad Pet. c.* 2. & ex conceptione Chriſti, &c.

In D I S T. 32. *De remiſſione peccati Orig.*

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS 1. *Quoad culpam de eius remiſſione.*

Qvæst. 1. An deleatur per baptiſmum quoad culpam? *Reſp.* Deletur quoad culpam per infuſionem gratiæ: quâ excluditur priuatio iuſtitiæ debitæ, & remittitur neceſſitas, ac debitum non concupiſcendi: Vel, vt peccatum actuale eſt formaliter priuatio, quæ deletur infuſione gratiæ, ſed materialiter eſt pronitas ad actum malum, quæ manet remiſſa, cum gratia: ſic peccatum originale eſt formaliter priuatio illius iuſtitiæ, quæ deletur infuſione & compenſatione gratiæ: ſed materialiter eſt concupiſcentia, quæ tollitur reatu culpæ, ſed manet actu remiſſo per gratiam prædominantem. *Ad* 1. Soluitur debitum habendi iuſtitiam originalem, merito Chriſti: & eius priuatio compenſatur, gratiâ Deo gratiori. *Ad* 2. Dicitur manere actu .i. materiali, non formali peccati. *Ad* 3. Concupiſcentia

Digitized by Google

piſcentia originalis poſt baptiſmum non habet amplius rationem culpæ, ſed vitij. *Ad* 4. De plena remiſſione pœnæ & culpæ per baptiſmum. *d.* 4. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 2.

QVÆST. 2. An per baptiſmum deleatur ipſa cauſa ſeu radix peccati originalis? *Reſp.* Deletur quoad omnem vim in ipſos baptizatos, non in alios propagandos. Quia eſt remedium ſingulare ſingulorum, non commune totius naturæ. *Ad* 1. *Vulgò dicitur quòd paruuli baptizati non ita fœtent ſicut non baptizati.* *Ad* 2. Chriſtus non contulit baptiſmo omnem ſuam vim, ſed congruam. *Ad* 3. Vitium corporis eſt cauſa peccati orig. in fieri, non in conſeruari. *Ad* 4. Concupiſcentia non eſt radix peccati originalis in baptizatis, ſed occaſio humilitatis. *Ad* 5. Baptiſmus curat morbum perſonæ, non naturæ. *Ad* 6. Leproſus ſanatus generat ſanum, non baptizatus baptizatum: quia in hoc, non in illo, eſt corruptio perſonæ & naturæ, ſeu voluntatis & virtutis generatiuæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De concupiſcentia pœnali. Al. q. 177.

QVÆST. 1. An ſit in anima, vel in carne, vt in ſubiecto? *Reſp.* Non in carne, niſi ſuo modo cauſaliter: ſed formaliter in appetitu ſenſitiuo & rationali; propriè tamen in toto homine, qui etiam inde caro dici ſolet. *Ad* 4. Concupiſcentia non ineſt animæ, niſi vt carni vnitæ.

QVÆST. 2. An concupiſcentia ſit à Deo? *Reſp.* Non vt eſt culpa ſeu exceſſus & immoderatio appetitus, quæ vt priuatio non eſt niſi à cauſa deficiente: ſed vt eſt appetitus ſubſtratus, & vt eſt pœna à Deo ordinata ad culpam puniendam, &c. Vt *Al q.* 122.

ARTICVLVS 3. *De hac æquitate.*

QVÆST. 1. An hæc culpa contracta ex carne, ſit imputabilis animæ contrahenti? *Reſp.* Eſt ei imputabilis: quia Deus meritò exigit, non ſolùm à primo parente, ſed etiam ab omnibus eius poſteris, iuſtitiam eis datam: eiſque imputat eius priuationem, vt voluntariam in Adamo. *Ad* 1. Non imputatur paruulis quòd aliquid faciant aut non: ſed quòd non habeant id quod habere debent. *Ad* 2. Vt paruuli per gratiam, ex meritis Chriſti ſunt digni æterna vitâ: ita & morte æternâ per hanc culpam ex demerito Adami. *Ad* 3. Nemo eſt laudandus nec vituperandus ex natura vt inſtituta: nec ex natura vt corrupta, apud homines qui in hoc ſunt pares; ſed apud Deum qui aliter naturam inſtituit. *Ad* 4. Homo excuſat incapaces rationis & impotentes: quia non dedit ipſis capacitatem & potentiam amiſſam, ſicut Deus.

QVÆST. 2. An deceat iuſtitiam Dei, infundere animam tali carni? *Reſp.* Non ex demerito ſingularum animarum: ſed ſolius primi parentis, & ex quadam iuſtitia condecente Creatorem, Conſeruatorem, & Gubernatorem omnium, ſecundùm cuiuſque naturam; vt cuilibet corpori diſpoſito infundatur anima cuius eſt capax. Vt ſi quis ſtatuiſſet ſeu promiſiſſet replere vino omnia dolia ſibi oblata: repleret etiam infecta. Vt parentes ob graue crimen proſcripti & priuati feudo aliquo Principis, generant etiam proles exules ac priuatas: ſic, &c. *Ad* 3. Infernus non eſt locus naturalis animæ rationalis, vt corpus humanum: ideoque non poteſt in illo ſtatui ſine proprio demerito, ſicut in hoc. *Ad* 4. Anima non propagatur ex anima: ſed homo ex homine, qui conſtat ex corpore & anima vnitis. *Ad* 5. Si anima ante vnionem ab ea liberè diſſentiret, non poſſet ei iuſtè vniri: ſed naturaliter appetit vnionem, nec poteſt libere diſſentire. *Ad* 6. Non fuit inuertendus ordo Sapientiæ Dei, vt omnes ex vno homine propagarentur, ob præuiſum peccatum originale. Nec deeſt in hoc coniunctio Miſericordiæ & Iuſtitiæ.

In DIST. 33. *De origine huius peccati. Al. q.* 122.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An quorumlibet parentum peccata tranſeant ad poſteros? *Reſp.* Non quoad culpam, nec quoad pœnam æternam: ſed quoad ſolam temporalem, niſi ex imitatione culpæ, *Ezech.* 18. *Gal.* 6. *Exod.* 20. 3. *Reg.* 14. Quia poſteri in ſolo primo parente obligantur ad habendam iuſtitiam acceptã & debitam. *Ad* 6. Adulterium, quamuis ad generationem illicitam, eſt peccatum perſonale ſolius propriæ voluntatis: ideoque non tranſit ad proles inde genitas, niſi quoad aliquam infamiam humanam.

QVÆST. 2. An vt Adam potuit omnes ſuos poſteros inficere, ſic & pro eis ſatisfacere? *Reſp.* Non potuit. 1. Quia erat reus & indignus. 2. Quia gratia eius pænitentialis, erat perſonalis, corrigens ſolam propriam voluntatem, non naturam communem. 3. Quia merita eius perſonalia non poterant compenſare damnum totius naturæ. 4. Quia offenſa Dei eſt infinita, &c. *Al. p.* 3. *q.* 1. *Ad* 1. Potuit iuſtitiam originalem poſteris ſeruare, non reſtituere. *Ad* 5. Gratia eſt potentior quàm culpa: ad ſuum proprium effectum, &c. *Ad* 6. Adam non fuit quaſi tutor poſterorum ſuorum, ſed Pater: qui potuit eorum hæreditatẽ conſumere, non reparare.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An peccatum orig. ſit æquale in omnibus? *Reſp.* Eſt æquale. 1. Formaliter, quoad priuationẽ Iuſtitiæ orig. ob eandem culpam Adami. 2. Materialiter, quoad concupiſcentiam vt culpabilem originaliter ex ſola illa priuatione, non autem ex complexione naturali aut pœnali, nec ex conſuetudine. 3. Quaſi cauſaliter, quoad vitioſam illam carnis fœditatem, vt eſt ex culpa ſolius primi parentis. *Ad* 1. ex *Anſel.* Natura fit magis peccatrix per perſonam .i. homo, non hunc ſingularem. *Ad* 2. Peccatum orig. eſt ſummum in ſuo genere. *Ad* 3. Concupiſcentia intenſior ex complexione vel conſuetudine, nihil facit ad maius peccatum orig. *Ad* 4. Nec maior fœditas carnis in leproſis, &c.

QVÆST. 2. An peccatum orig. ſit vnum vel plura? *Reſp.* Eſt vnum quaſi ſpecie in omnibus: ſingula propria in ſingulis. 1. Quia eſt priuatio eiuſdem ſpecie iuſtitiæ, ſolo numero differentis. 2. Ex eodem primo peccato Adami: quod fuit originale ſeu origo omnium noſtrorum originalium, ſeu inde originatorum. *Ad* 1. Scriptura nominat illud pluraliter, ob plures inclinationes ad mala. *Ad* 2. Vt in Adam & Eua fuit vna vis integra generatiua, ſic vna origo peccati: nec permiſiſſet Deus Adam innocentẽ generare ex Eua corrupta.

Digitized by Google

Ad 5. Peccatum orig. eſt corruptio plurium virium, ſed eiuſdem animæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

QVÆST. 1. An paruuli morientes in ſolo originali puniantur pœnâ ignis materialis? *Reſp.* Non pœna ignis ſenſibili: ſed priuatione viſionis Dei, & vilitate loci infernalis. *Ad* 1. 2. Ex *B. Aug.* Non vult eos cruciari ipſa pœna ſenſibili ignis: ſed graui pœnâ, & in inferno, contra hæreſim Pelagianam. Nam vt in moribus declinandum eſt ab extremo ad aliud extremum, vt ſiſtatur in medio: ſic ſæpe *Aug.* de grauitate huius pœnæ; ſed in *Enchir.* 93. vocat eam *mitiſſimam.* *Ad* 3. Paruuli patiuntur pœnas ſenſibiles temporales, omnibus communes, non æternas. *Ad* 4. Animæ paruulorum non concupiſcunt actu, ſed ſolo habitu. *Ad* 5. Corpora eorum non erunt impaſſibilia ex aliqua dote, ſed ex ordine ſupernaturali Iuſtitiæ.

QVÆST. 2. An puniantur aliquo dolore ſpirituali? *Reſp.* Quidam volunt quòd carebunt omni cognitione & dolore: alij, quòd habebunt cognitionem, & inde dolorem de ſua priuatione; eſt tamen rationabilius, quòd non careant cognitione, ſed dolore, ſine vlteriori defectu aut profectu. Quia non eſt probabile quòd tales animæ ſeparatæ perpetuò careant cognitione: nec quòd doleant ſine vlla ſpe aut patientia. *Ad* 1. Vermis ſeu remorſus conſcientiæ non erit niſi ex peccatis actualibus. *Ad* 2. Paruulis ſufficit ſuus ſtatus: nec eleuant oculos ad opes quas habere non poſſunt. *Ad* 5. Scient ſe iuſtè, ſed non ex propria culpa priuatos.

In DIST. 34. *De peccato actuali. Al. q.* 123.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An malum culpæ habeat originem à bono vel malo? *Reſp.* Non à ſummo malo, contra hæreſim Manichæorum: ſed à bono defectibili & deficiente .i. à voluntate, &c. Vt *Al. p.* 1. *q.* 19. & 20. & *p.* 2. *q.* 100.

QVÆST. 2. An peccatum ſit à voluntate, vt efficiente, vel deficiente. *Reſp.* Non eſt à voluntate, niſi vt deficiente ſeu defectibili, naturaliter & antecedenter, formaliter & culpabiliter, conſequenter & pœnaliter, &c. *Al. ſupra.*

QVÆST. 3. An malum poſſit ab aliquo intendi? *Reſp.* Non vt malum ſimpliciter & ſibiipſi: ſed vt ſibi bonum, etiam ſub ratione mali inſeparabilis, &c. vt *Al. ſupra.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An quid poſſit ita eſſe malum, vt nil habeat boni? *Reſp.* Non poteſt: quia malum eſt priuatio boni, quæ non poteſt eſſe niſi in aliquo bono priuato, &c. *Al. ſupra.*

QVÆST. 2. An malum ſit in bono oppoſito? *Reſp.* Non in bono ſibi directè & formaliter oppoſito, quod eſt virtus & gratia: ſed in bono ad oppoſitum ordinato .i. in voluntate.

QVÆST. 3. An malum ſit in bono, vt habitus, vel priuatio? *Reſp.* Malum abſtractiuè eſt in ſubiecto bono, vt ſola priuatio: ſed concretiuè, vt habitus, vel potentia mala, &c. *Al. ſupra.*

In DIST. 35. *De quidditate peccati. Al. q.* 123.

Expoſitio Textus, per 6. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An peccatum ſit corruptio Boni? *Reſp.* Eſt corruptio & priuatio totius boni oppoſiti, ſeu iuſtitiæ debitæ: non autem ſubiecti, ſeu potentiæ; nec totius habilitatis mediæ, ſed eius diminutio, *Ad* 5. Corrumpit etiam actum ſuum, vt eſt ordinabilis in finem. *Ad* 6. Propriè malum culpæ eſt priuatio habilitatis mediæ inter bonum naturæ, & bonum gratiæ, &c.

QVÆST. 2. An peccatum eſſentialiter ſit corruptio ſeu priuatio actiua, vel paſſiua? *Reſp.* Vt culpa, eſt potiùs actiua: vt pœna, potiùs paſſiua. Quia, vt actiua, eſt voluntaria: vt paſſiua, potiùs inuoluntaria.

QVÆST. 3. An peccatum vt corruptiuum boni, ſit contrarium Bono Increato? *Reſp.* Non in ſeipſo, nec in effectu ſuæ Omnipotentiæ: ſed ſuæ gratiæ, in nobis, & per nos.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. Quid quolibet peccato corrumpatur in voluntate? *Reſp.* Modus eius à Deo vt primo mouente: ſpecies, ad Deum vt exemplar dirigens; & ordo, ad eum vt ad finem quietantem, &c. Vt *Al. p.* 1. *q.* 19. *p.* 2. *q.* 7.

QVÆST. 2. An hæc tria ſimul & æqualiter corrumpantur? *Reſp.* Quòd ſic, quatenus ſunt tres conditiones inſeparabiles eiuſdẽ bonæ voluntatis.

QVÆST. 3. An hæc tria poſſint totaliter corrumpi in voluntate? *Reſp.* Nunquam, ſed in infinitum minui, per maiorem in infinitum auerſionem à Deo, & indignitatem, &c. *Al. p.* 1. *q.* 19.

In DIST. 36. *De pœnis peccati.*

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An peccatum ſit pœna peccati? *Reſp.* Quodlibet peccatum eſt pœna etiam ſuiipſius, concomitanter & cauſaliter: ſed eſſentialiter ſeu formaliter poſterius eſt pœna prioris; quia ſæpe à Deo permittitur in pœnam prioris, *Rom.* 1. *Apoc.* 22. Omnis pœna eſt iuſta & laudabilis, vt punitiua & reordinatiua, non vt culpa. *Ad* 3. Prior culpa eſt meritum ſequentis: de congruo, non de condigno.

QVÆST. 2. An paſſiones animæ ſint tantùm pœnæ, vel etiam culpæ? *Reſp.* Quædam ſunt tantùm pœnales, vt fames, ſitis, &c. quædam etiam culpabiles, vt iræ, inuidiæ, &c. non tamen vt paſſiones, nec vt pœnales, ſed vt voluntariæ. *Ad* 1. Quodlibet peccatum eſt ex libidine .i. improba aliqua voluntate, non delectatione; ſed & inuidus gaudet dolendo de aliena proſperitate, &c. *Ad* 2. Paſſiones ab intrinſeco poſſunt eſſe voluntariæ, voluntate comitante & cauſante, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An poſſit eſſe culpa ſine pœna? *Reſp.* Non poteſt eſſe ſine pœna ſubſequente, imò concomitante. 1. Ex æquitate Dei, quæ non fert dedecus culpæ, ſine decore iuſtitiæ. 2. Ex ordine & perfectione huius vniuerſi. 3. Ex pœna damni, ſeu priuatione iuſtitiæ, peccando. 4. Ex remorſu Conſcientiæ. *Ad* 5. Deus eſt ipſa iuſtitia, ideoque non poteſt ferre culpam impunitam.

QVÆST. 2. An poſſit eſſe pœna in aliquo ſine culpa? *Reſp.* Poteſt eſſe ſine eius culpa: non ad eum puniendum, ſed ad bonum inde eliciendũ, &c.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

QVÆST. 1. An aliquæ pœnæ ſint à Deo? *Reſp.* Sunt à Deo: quia non ſunt ſolum malum, ſeu priuatio boni; ſed ordo & diſpoſitio Rei puniblis à Deo. *Ad* 1. Mors eſt à Deo vindicante, non inſtituente.

QVÆST. 2. An omnis pœna ſit à Deo? *Reſp.* Non pœnæ priuatiuæ, nec deordinatæ: ſed poſitiuæ & ordinatæ. *Ad* 3. Deus non obdurat niſi permiſſiuè: nec ſubſtrahit gratiam datam, niſi homine ſe auertente.

In DIST. 37. *De actu malo.*

Expoſitio Textus, per 5. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An omnis actio vt actio ſit à Deo? *Reſp.* Eſt à Deo: quia eſt ens poſitiuum à Deo dependens. *Ad* 1. Deus prohibens aliquam actionem, non prohibet eam ſibiipſi, ſed nobis: nec facit eam vt prohibitam, ſed vt actionem. *Ad* 2. Actio eſt ſemper bona vt à Deo, non vt à nobis. Non omnis cui Deus cooperatur propter ſe, eſt bona moraliter. *Ad* 4. Voluntas deficiendo recedit à Deo: quia non cooperatur deficienti, ſed operanti. *Ad* 5. Tota actio eſt à Deo & à libero arbitrio: ſed ab illo quoad bonitatem naturæ, ab hoc quoad moralitatem. *Ad* 6. Deus non mouet ad malum vt malum eſt.

QVÆST. 2. An omnis rei conſeruatio ſit à ſolo Deo immediatè? *Reſp.* Eſt neceſſariò à Deo immediatè: quia omnia ab eo eſſentialiter dependent; ſed non à Deo ſolo, quia quædam producuntur & conſeruantur etiam à cauſis ſecundis.

QVÆST. 3. An omnis compoſitio ſit à Deo? *Reſp.* Omnis, ſiue actio, ſiue paſſio, ſiue diſpoſitio compoſiti: ſed nullus defectus annexus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An actio vt mala & iniuſta ſit à Deo? *Reſp.* Non eſt à Deo: quia repugnat eius Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitati, *Ioan.* 1. Sine ipſo factùm eſt nihil, &c. *Ad* 1. ex 3. *Reg. vlt. Egredere & fac, &c.* i. permiſſiuè, non imperatiuè. *Ad* 2. Deus paratus eſt omnes adiuuare. *Ad* 3. Non licet, nec congruit nobis, ſed Deo, cum omnibus ad omnia concurrere. *Ad* 4. Intentio noſtra vanæ gloriæ eſt etiam à Deo: ſed non eius inordinatio. *Ad* 6. Malitia non eſt à nobis niſi defectiuè.

QVÆST. 2. An actio fortuita vel cauſalis, vt talis, ſit à Deo? *Reſp.* Quòd non: quia vt talis eſt ſine præcognitione & intentione, ſicque temere, ex *Aug. q.* 24. ex 83.

QVÆST. 3. An enuntiatio falſa vt falſa, ſit à Deo? *Reſp.* Non vt falſa: ſed poteſt aliquid à Deo fieri ex quo neceſſariò ſequatur eius falſitas. Vt ex iuſtificatione impij, neceſſariò ſequitur eſſe falſum, quòd ſit impius. *Ad* 3. Non tamen propriè facit Deus propoſitionem falſam.

In DIST. 38. *De Fine & Intentione. Al.* 106. 107.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS. De fine.

QVÆST. 1. An voluntas ſit bona ex fine bono: *Reſp.* Eſt bona ex ordinatione rei ordinabilis ad ſuum finem bonum ſub ratione finis, *Matt.* 6. *Aug.* 11. *Trin.* 21. *Ad* 1. Finis verus & bonus eſt vera & ſpecialis beatitudo: non falſa vel generalis tantùm. *Ad* 2. ex *Dion. c.* 4. *diu. nom.* Nemo operatur ad malum aſpiciens .i. niſi ſub æſtimatione alicuius boni. *Ad* 3. & 4. Nil eſt perfectè bonum niſi ex charitate referente ad ſummum bonum.

QVÆST. 2. Quis ſit hic finis bonus? *Reſp.* Charitas increata eſt finis *in quo* quieſcitur: creata verò, nunc inchoata, & tandem perfecta, eſt finis *quo* quieſcendi in increata, 1. *Tim.* 1. 1. *Ioan.* 4. *Enchir.* 121. &c.

QVÆST. 3. An ſit vnicus vel plures fines bonæ voluntatis? *Reſp.* Eſt vnicus principalis: ſed poſſunt eſſe plures ei ſubordinati.

QVÆST. 4. An malæ voluntates habeant vnicum finem? *Reſp.* Non eundem, ſed diuerſos: quia ſingulæ quærunt bonum proprium per diuerſa obiecta, cùm non inueniant in vno.

ARTICVLVS 2. *De intentione.*

QVÆST. 1. An intentio ſit in ſolis rationalibus? *Reſp.* Propriè eſt in illis ſolis: ſed quadam neceſſitate & directione, in agentibus naturalibus & ſenſitiuis.

QVÆST. 2. An intentio ſit intellectus, vel affectus? *Reſp.* Intentio ab *in tendendo*, non in obiectum, ſed ab *intendendo* finem vltimum. eſt ſimul ab intellectu dirigente, & voluntate mouente, & ſic à fide & charitate. Hinc *Matt.* 6. dicitur lumen oculus, &c. *Ad* 2. Nunc ſignificat potentiam, nunc habitum, nunc finem ipſum: ſed propriè actum intendendi.

In DIST. 39. *De conſcientia & ſynderesi. Alenſis q.* 76. 77.

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An ſit in intellectu vel affectu? *Reſp.* Nunc ſumitur pro ipſa lege *conſcita*, nunc pro potentia *conſciendi*: ſed propriè pro habitu intellectus practici, ſeu dirigentis affectum ad opus. Vnde dicitur *Conſcientia*, à coniuncta affectione & operatione.

QVÆST. 2. An ſit habitus innatus, vel acquiſitus? *Reſp.* Eſt innatus, quoad lumen ſignatum ſuper nos circa principia & concluſiones: ſed acquiſitus, quoad ſpecies cognoſcibiles concluſionum & principiorum.

QVÆST. 3. An conſcientia obliget? *Reſp.* Obligat ad id quod dictat obligatoriè, vel ad eam deponendam. Ex *Rom.* 14. Quia Deus non tam attendit quid homo faciat, quàm quo animo. *Ad vlt.* Non poteſt abſoluere ab obligatione, ſed benè obligare.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An ſit in cognitione, vel affectione? *Reſp.* Vt conſcientia eſt in intellectu, ad dirigendum affectum circa bonum morale: ſic ſynderesis in affectu, vel vt habitus naturaliter inclinans affectum ad bonum honeſtum, vel vt potentia ſic habituata, &c.

QVÆST. 2. An extingui poſſit per peccatum? *Reſp.* Non quoad ipſam potentiam, aut habitum naturalem: ſed quoad aliquem actum, vel ad tempus, vel ad ſemper; vt in damnatis quoad inſtigationem ad bonum, non tamen quoad remurmurationem contra malum.

QVÆST. 3. An poſſit deprauari per peccatum?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Non poteſt in ſe deprauari: ſed vt ſeſſor equo, ſic ipſa libero arb. præcipitari. *Ad* 2. Synderesis non eſt portio ſuperior vt libera, ſed vt naturalis. *Ad* 4. Conſcientia poteſt eſſe erronea, quia eſt collatiua etiam circa particularia,& ex ſpeciebus acquiſitis: ſed ſynderesis non poteſt eſſe praua, quia eſt ſimplex & innata, ad bonum & contra malum, non vt hoc, ſed in communi.

In DIST. 40. *De Bonitate & Malitia, Alenſis q.* 106. 107.

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An qualitas operis ſit ex qualitate intentionis? *Reſp.* Bonitas operis non eſt ex bonitate intentionis, niſi ſit perfecta ordinatio rei ordinabilis ad ſuum finem: ſed ad malitiam operis ſufficit malitia intentionis. Quia, Bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus.

QVÆST. 2. An tantùm boni vel mali fiat, quantum intenditur? *Reſp.* Non quoad æqualitatem, ſed proportionem: nec quoad opus intentum, ſed actum intendendi; nec ad maius bonum, vt ad maius malum. Quia, poteſt intendi magnum bonum, ſine magna charitate: ſed non poteſt intendi graue malum, quin hoc ipſum ſit magnæ malitiæ.

QVÆST. 3. An ſola bona intentio ſufficiat ad ſalutem? *Reſp.* Non cum, ſed ſine facultate ac poſſibilitate boni operis. 1. Quia non eſt ſola obligatio volendi, ſed etiam faciendi neceſſaria & poſſibilia. 2. Quia non eſt perfecta voluntas & intentio, quæ non facit quod poteſt & debet, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An opera externa addant aliquid boni ſupra intentionem? *Reſp.* Addunt 1. Exemplum bonum. 2. Meritum præmij accidentalis, 3. Meritum de congruo, ſeu diſpoſitionem ad meritum de condigno præmij eſſentialis.

QVÆST. 2. An quantitas dati augeat bonitatem operis? *Reſp.* Non directè, ad præmium eſſentiale: ſed diſpoſitiuè, cæteris paribus, *Tob.* 4. 1. *Cor.* 9. *Ad* 1. Vidua illa, *Marc.* 12. plus tribuebat pro ſua facultate, & ex maiori affectu.

QVÆST. 3. An multitudo bonorum operum augeat meritum? *Reſp.* Non præmij eſſentialis, niſi de congruo, diſpoſitiuè & perſeueranter: ſed varij præmij accidentalis. *Ad* 3. Opus ſequens non plus meretur, ſed idem efficaciùs. *Ad* 4. Plura peccata augent demeritum, non plura bona opera meritum: quia mali ſumus ob malefacta, ſed benè facimus quia boni ſumus. *Ad* 5. Homo æſtimat operantem ob opere: Deus opera propter operantem. *Ad* 6. Singula bona opera habent ſuum gaudium accidentale.

In DIST. 41. *De operibus bonis, malis, vel indifferentibus.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia: quòd fides dirigat ad bonum; non tamen omnis actio Infidelium ſit peccatum, ſed cum peccato: voluntarium autem dicatur 9. modis.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An actio deliberata rectè diuidatur in bonum & malum? *Reſp.* Rectè moraliter, & directè vt per differentias oppoſitas, non ſolùm diſparatas. Quia vt bonum morale vel eſt ex genere, vel ex circumſtantia, vel bonum ſimpliciter ſeu perfectum: ſic malum ex genere, ex circumſtantia, & ſimpliciter.

QVÆST. 2. An hæ ſint differentiæ eſſentiales, vel accidentales? *Reſp.* Sunt accidentales, quaſi communes, & ſeparabiles ab actione vt actio eſt: quaſi propriæ & inſeparabiles ab actione vt hæc eſt; ſed quaſi eſſentiales actioni vt talis vel talis eſt ex nomine proprio virtutis vel vitij. *Ad* 1. Accidens ſubiecti tranſeuntis non eſt ab eo ſeparabile. *Ad* 2. Actio poteſt conſiderari ſine ſua malitia. *Ad* 3. Nullus eſt habitus eſſentialiter malus, ſed bonus. Nam auaritia & laſciuia non ſunt habitus vt habitus, ſed vt deformes: poteſt autem malitia eſſe eſſentialis habitui & actui vt defectiuus eſt. *Ad* 4. Bonum & malum in genere non eſt propriè genus ad ſpecies: ſed vt indifferens ad circumſtantias determinantes. Nec malum habet propriè ſpecies: ſed ſolum per reductionem & oppoſitionẽ ad bonũ.

QVÆST. 3. An hæ ſint differentiæ immediatæ? *Reſp.* Non ſunt immediatæ ex parte operis: quia inter bona & mala in ſe ſeu ſimpliciter, dantur ex genere, vel circumſtantiâ, vel indifferentia; ſed nec ſunt immediatæ ex parte operantis, quia Deus non obligat nos in hoc ſtatu miſeriæ ac infirmitatis, vt ſemper omnia & ſingula referamus ad eum, ſed ſuo loco & tempore. *Ad.* 1. ex 1. *Cor.* 10. Quæcumque facitis, &c. vel eſt tantùm conſilium, vel præceptum nil faciendi contra: vel eſt finis omnis præcepti & conſilij ad quem tendendum, & tandem perueniendum ſit. *Ad* 2. ex *Matt.* 10. De omni verbo otioſo, &c. Non eſt otioſum quicquid non refertur ad Deum: ſed quod ad nihil eſt vtile. *Ad* 3. ex *Bern.* In via Dei ſtare retrocedere eſt. i. cùm quis tenetur progredi. *Ad* 4. Non eſt medium inter ſalutem & damnationem, ſed inter meritum & demeritum. *Ad* 5. ex *Apoc.* 12. Deus eſt Alpha & Omega, &c. Sed non eſt æquè neceſſaria relatio operis ad Deum vt finem, ac origo à Deo vt Principio. *Ad* 6. Eſt peccatum quieſcere in creatura, vt in fine vltimo vel principali: non autem in ea ſiſtere abſque vlteriori tendentia, ex ſola infirmitate ſine negligentia aut inordinata affectione. *Nota, ad meritum non requiri actualem relationem ad Deum, ſed ſufficere habitualem: non ſolùm quâ habens charitatem ſit habilis ad referendum; ſed quâ in principio operis refert omnia conſequentia ad Deum. Vt qui dat centum marcas propter Deum, referendo actu primam ad Deum, refert conſequenter reliquas.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An omne peccatum actuale ſit voluntarium? *Reſp.* Peccatum originale eſt voluntarium, ſolâ voluntate alienâ, Adami: peccatum actuale mortale eſt voluntarium ſimpliciter, ſolâ voluntate propriâ; ſed venialium quædam ſunt voluntaria ſecundùm quid, partim ex voluntate propria, partim aliena, vt primi motus ex ſubreptione: quædam ſunt voluntaria ſimpliciter, ex propria deliberatione, vt mendacium iocoſum, &c. *Ad* 1. ex *Prou.* 24. Septies in die, &c. Diſplicet peccanti peccatum in genere: ſed non hoc cum actu peccat, vel non ſatis diſplicet ad cauendum. *Ad* 2. ex *Aug.* 1. *Retr.* 9. i. De neceſſitate venialium in genere, vel in aliqua ſpecie, non autem in vllo ſingulari.

Ad 3.

Digitized by Google

Ad 3. ex *Aug.* 19. *Ciu.* 4. & 1. *Retr.* 13. Eſt neceſſitas concupiſcendi in genere, non autem hoc, hic, & nunc. *Ad* 4. Quilibet primus motus caueri poteſt, non omnes. *Ad* 5. Poſſunt vitari omnia peccata venialia diuiſim, non coniunctim: vt poteſt quis vincere decem homines, vel ferre decem lapides ſeorſim & ſucceſſiuè, non omnes ſimul.

QVÆST. 2. An omne peccatum ſit in voluntate vt in ſubiecto? *Reſp.* Vt culpa & demeritum, eſt in ſola & à ſola voluntate: vt vitium eſt etiam in alijs potentijs, ſed nonniſi cauſaliter à voluntate. Hinc *Aug.* 2. *De Anim. c.* 11. definit peccatum per vitioſam inordinationem, & per culpabilem libertatem. *Ad* 6. Amor peruertit iudicium.

QVÆST. 3. An vt culpa, ſic & eius pœna ſit propria ſolius voluntatis? *Reſp.* Vt pœna eſt vltio, ſic eſt ſolius voluntatis vt culpabilis: vt autem eſt quædam paſſio lædens & affligens, eſt totius animæ & corporis humani ad puniendam voluntatem; ſed vt diſplicens, eſt ſolius voluntatis.

In DIST. 42. *De differentijs peccatorum.*

Alenſis q. 124. 127.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS 1. *De voluntate & opere.*

QVÆST. 1. An ſint vnicum vel duo peccata? *Reſp.* Vt coniunctim non ſunt duo formaliter, ſed tantùm materialiter: quia ſunt ſubordinata ſub vnica à Deo auerſione, & conuerſione ad creaturam; ſed ſeorſim, in eodem, vel diſtinctis ſubiectis, ſunt diſtincta peccata ſolius voluntatis, & voluntatis ac operis ſimul. *Ad* 5. Duæ voluntates ſunt duo peccata; quia ſingulæ habent ex ſe ſuam deordinationem: non ſic voluntas & opus eius.

QVÆST. 2. An peccatum operis nil addat malitiæ voluntatis. *Reſp.* Addit malitiæ voluntatis inefficacis: non autem malitæ voluntatis æquè efficacis, quoad contemptum Dei; ſed quoad maiorem libidinem ſeu delectationem, & ſcandalum ac damnum proximi.

ARTICVLVS 2. *De Veniali & Mortali.*

QVÆST. 1. An conueniant in auerſione à Deo? *Reſp.* Non propriè: quia auerſio à Deo vel eſt contemptus mandati eius, vel præferentia alicuius creaturæ: veniale autem nec eſt directè contra, ſed præter mandatum; nec eſt præferentia vllius creaturæ, ſed nimia adhæſio; ergo non eſt propriè auerſio à Deo, ſed quædam deflexio vel retardatio. *Ad* 1. Mortale eſt deſertio Dei: ſed veniale, eſt tantùm deſertio alicuius rectæ circumſtantiæ, &c. *Ad* 2. Veniale non eſt prohibitum, aliqua obligatione ad oppoſitum: ſed tantùm propriè *cohibitum*; quia, Non concupiſces, &c. *Deut.* 5. non prohibet primum motum, ſed progreſſum. *Ad* 4. Conuerſio actualis ad creaturam, nec eſt habitualis, nec totalis, nec eſt auerſio à Deo: quia auerſio dicit aſpernationem, &c. *Ad* 5. Veniale non eſt quaſi motus à Deo, ſed affectus ad creaturam. *Ad* 6. Veniale nec eſt propriè fruitio creaturæ, nec eius vſus, ſed abuſus.

QVÆST. 2. An conueniant in reatu pœnæ æternæ? *Reſp.* Non, niſi coniunctim in inferno: quia Mortale eſt priuatio vitæ ſeu gratiæ naturaliter irrecuperabilis, non autem veniale; ergo illud eſt dignum pœna æterna, non hoc ex ſe. *Ad* 1. Satisfactio pro mortali, ſupponit mutationem pœnæ æternæ in temporalem. *Ad* 2. Punitio æterna venialis cum mortali, eſt iuſta coniunctim. *Ad*. 3. Etſi veniale non poſſit deleri ſine gratia, non repugnat principio ſitæ remiſſionis. *Ad* 4. Non poteſt quis mori in ſolo veniali, ſine gratia: nec Deus permittit mori aliquem in gratia cum aliquo veniali; nec poteſt Deo ſatisfieri pro veniali ſine gratia. *Ad* 5. Vt charitas Dei excedit in infinitum amorem proximi: ſic concupiſcentia mortalis venialem. *Ad* 6. Veniali non offenditur Deus, ſed minùs amatur. 10. *Conf.* 28. Minùs te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat.

ARTICVLVS 3. *De alijs differentijs.*

QVÆST. 1. An peccatum diuidatur per differentias materiales, vel formales? *Reſp.* In abſtracto, vt eſt ſola priuatio, non habet differentias formales, niſi per accidens, à ſuis oppoſitis: ſed in concreto, prout dicit etiam actũ vel habitum ſubſtratũ priuationi, habet differentias materiales & formales ipſius habitus vel actus ſubſtrati. *Ad* 1. Peccatum eſt æquè, aut potiùs formaliter boni oppoſiti, quàm auerſio à Deo: nec eſt tantùm auerſio ab eodem, ſed ad diuerſa materialiter & formalite. *Ad* 2. Peccatum formaliter nihil eſt: ſed eſt alicuius, vt ſubiecti, & vt oppoſiti. *Ad* 6. Delectari ſub Deo, eſt eſſentiale veniali: ſed delectari ſuprà Deum, eſt eſſentiale mortali.

QVÆST. 2. An auerſio & conuerſio ſint differentiæ peccati? *Reſp.* Sunt differentiæ conſtituentes eundem actum ſeu motum peccati à Deo ad creaturam: ſed diſtinguentes duos actus ſeu motus inordinatos, 1. contra Deum, 2. erga creaturam.

In DIST. 43. *De peccatis in Spiritum S. Al. q.* 173.

Expoſitio Textus, per 4. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVÆST. 1. An ſint genus peccati diſtinctum ab alijs? *Reſp.* Quòd ſic. 1. Ex proprio principio, ſeu certa malitia. 2. Ex proprio oppoſito, ſeu gratia pœnitentiali. 3. Ex actu ſpirituali ſubſtrato. *Ad* 1. ex 1. *Ioan vlt.* Peccatum ad mortem non eſt in Spiritum S. niſi vt repugnans diſpoſitioni ad vitam. *Ad* 2. Non dicitur in ſpiritum propriè, ſed appropriatè. Peccatum ex certa malitia eſt certi generis: ſed ex ignorantia & infirmitate, eſt cuiuſuis.

QVÆST. 2. An peccata in Spiritum S. ſemper ſupponant aliud? *Reſp.* Quædam ſupponunt aliud circa quod: Vt Obſtinatio, Deſperatio, Impœnitentia finalis; ſed quædam non neceſſariò ſupponunt aliud, vt Inuidentia gratiæ fraternæ, Impugnatio veritatis agnitæ, & Præſumptio. *Ad* 4. Nemo repentè fit ſummus: ſed poteſt ſubitò præcipitari; nec quolibet peccato in Spiritum S. fit tam malus, quin poſſit fieri peior.

ARTICVLVS SECVNDVS.

QVÆST. 1. An peccatum in Spiritum S. ſit grauiſſimum? *Reſp.* Eſt grauiſſimum in offendendo, & nocendo. 1. Quia non eſt ſolùm ex malitia originali, ſed etiam actuali cognitâ & volitâ. 2. Quia maximè deprauat voluntatem.

QVÆST. 2. An peccatum in Spiritum S. ſit irremiſſibile? *Reſp.* Non abſolutè, ſed difficulter: quia repugnat diſpoſitioni ad remiſſionem; niſi ſit coniunctũ impotentiæ finali abſolutè irremiſſibili.

Digitized by Google

Ad 1. & 2. ex *Matt.* 12. *Non remittetur, &c.*i. non ſolet remitti, vel non cum impœnitentia finali. *Ad* 3. ex *Ier.* 18. *Noli orare, &c.* Quia erant indigni & obſtinati. *Ad* 4. ex *Aug. l.* 1. *de ſerm. Domini.* Non poteſt fieri.i. difficulter. *Ad* 5. Impœnitentia .i. propoſitum non pœnitendi non eſt irremiſſibile, ſed impœnitentia finalis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Qvæst. 1. Quot ſint peccata in Spiritum S. *Reſp.* Sunt ſex: 1. Deſperatio. 2. Præſumptio. 3. Obſtinatio. 4. Impœnitentia finalis. 5. Impugnatio veritatis agnitæ. 6. Inuidentia gratiæ fraternæ, &c. Vt *Al. q.* 133. *Ad* 1. Deſperatio non eſt peccatum in Spiritum S. vt contra ſpem : ſed directè vt contra diſpoſitionem pœnitentialem.

Qvæst. 2. An hæ ſint ſpecies propriæ peccati in Spiritum S. *Reſp.* Non vt oriuntur etiam ex ignorantia & infirmitate : ſed ex certa malitia. *Ad* 1. Deſperatio ex ſola puſillanimitate, non eſt in Spiritum S. *Ad* 2. Præſumptio de meritis non eſt in Spiritum S. ſed de impunitate peccati. Obſtinatio peccandi, ex certa malitia & complacentia, eſt in Spiritum S. non autem ſola continuatio in peccato. *Ad* 4. Impugnatio veritatis agnitæ non poteſt eſſe ex odio ipſius veritatis : nec eſt in Spiritum S. ex ignorantia & infirmitate, ſed ex certa malitia, & odio docentis, aut fructus eius. *Ad* 5. Inuidia gratiæ fraternæ ex odio eius, eſt in Spiritum S. ſed vt videtur minuere bonum proprium, eſt peccatum capitale. *Ad* 6. Impœnitentia priuatiuè, non eſt peccatum in Spiritum S. ſed contrariè .i. pertinacia non pœnitendi, quæ eſt omnibus alijs annexa.

In DIST. 44. *De potentia peccandi.*

Expoſitio Textus, per 3. dubia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qvæst. 1. An potentia peccandi ſit à Deo? *Reſp.* Vt eſt potentia, & vt ad talem actum, eſt à Deo : ſed vt peccandi & deficiendi, ſeu defectibilitas ipſa, non eſt à Deo, ſed ex nihilo. *Ad* 1. ex *Aug.* Voluntas nocendi eſt à nobis, ſed poteſtas nonniſi à Deo .i. quatenus eſt poteſtas.] Supple, de potentia exequendi malam voluntatem.

Qvæst. 2. An potentia peccandi vt talis, ſit mala? *Reſp.* Non eſt mala : quia tantùm poteſt fieri mala, ſed non eſt actu. *Ad* 1. Voluntas peccandi eſt mala, quia actualiter vel proximè : ſed vt potentia, nonniſi remotè. *Ad* 2. Vſus potentiæ huius eſt malus, ſed non ipſa : quia non ordinatur directè & proximè ad hunc vſum. *Ad* 3. Potentia eſt neceſſariò bona, ad benefaciendum : non eſt mala, vt poſſit malè facere; ſed fit mala malefaciendo. *Ad* 4. Potentia peccandi non perficitur peccando. *Ad* 5. Poteſtas peccandi vt ſic, nec eſt bona, quia non eſt ens : nec eſt mala, quia non actu ſed habitu defectuoſa, nec priuata aliquo bono debito. Hinc voluntas peccandi eſt potius mala, quàm potentia peccandi : quia illa eſt voluntas, & cauſa proxima actus; hæc non eſt tam potentia quàm impotentia, & remota.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qvæst. 1. An poteſtas dominandi ſit à Deo? *Reſp.* Vt iuſta eſt à Deo, non vt iniuſta, *Rom.* 13. *Ioan.* 19. *Prou.* 8.

Qvæst. 2. An poteſtas dominandi ſit ex inſtitutione naturæ, vel demerito culpæ? *Reſp.* Poteſtas Dominandi .i. vtendi rebus ſuis, & regendi ſuos inferiores, eſt communis ſtatui naturæ integræ & lapſæ : ſed poteſtas coercendi ſubditos, eſt ſolius ſtatus naturæ lapſæ, &c. Vt *Al. q.* 99.

ARTICVLVS TERTIVS.

Qvæst. 1. An Chriſtiani teneantur ſubeſſe Tyrannis, & poteſtati ſeculari? *Reſp.* Tenentur, ſed non contra Deum, *Matt.* 22. *Iac.* 13. 1. *Cor.* 1. 1. *Pet.* 2. *Ad* 1. ex *Matt.* 17. Chriſtus erat liber ab omni tributo, & pauperes Euangelici. *Ad* 2. Lex noua eſt libertatis à lege veteri, & à peccato. *Ad* 3. Charitas vnit & reddit omnia communia : per participationem, non æqualitatem. *Ad* 4. Lex noua non eſt libera à lege Humana, ſed Moſaica : quia hæc erat illius vmbra. *Ad* 5. Chriſtus redemit nos à culpa in via : ſed ab omni miſeria & ſeruitute in patria.

Qvæst. 2. An Religioſi teneantur in omnibus obedire ſuis Prælatis? *Reſp.* Nonniſi in omnibus quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ & regulæ ſuæ. *Ad* 1. ex *Matt.* 24. & *Luc.* 10. Obediendum eſt in his quæ pertinent ad Cathedram, & quæ ex perſona Chriſti, nec tamen in vllo eſt poteſtas ſpernenda. *Ad* 2. ex *Coloſ.* 3. Filij obedite per omnia parentibus : vel monitoriè, vel circa mandata Dei. *Ad* 3. 4. 5. Alia eſt obligatio neceſſitatis, alia perfectæ charitatis. *Ad* 6. Votum paupertatis & continentiæ eſt quoad omnia abſolutè : ſed votum obedientiæ nonniſi quoad expreſſa, & obſeruatu poſſibilia, &c. Vt ex Regula S. Franciſci, ſupra.

FINIS Libri ſecundi.

Digitized by Google

EX DOCTORE SVBTILI

In Librum 2. Sententiarum, per Diſtinctiones 44.

In DIST. 1. QVÆST. 1.

An prima cauſalitas omnium cauſabilium ſit neceſſariò in tribus Perſonis? S.Bon. d. 26.

OPinio *Henr. n.* 2. Quòd ſimplex notitia Patris, & ſimplex amor Patris & Filij non ſufficiat ad cauſandum, niſi per notitiam *diſpoſitiuam* Filij, & amorem *affectatiuum* Spiritus S. *Contra.* 1. Sic Pater nihil cauſaret proximè. 2. Nec Filius, nec Spiritus S. cauſaret: quia neuter per alterum; nec ipſa ratio cauſandi propriè cauſat. 3. Si illa notitia *diſpoſitiua*. & amor *affectatiuus* ſint relationes propriæ, reales, & intrinſecæ, non poſſunt eſſe ad creaturas, nec earum productiuæ: ſi ſint tantùm appropriatæ, ſunt realiter tribus Perſonis communes. 4. Ideæ practicæ ſunt tam vnius Perſonæ, quàm alterius: ex *Aug.* 15. *Trin.* 13. 5. Verbum non perficit, ſed ſupponit intellectionem perfectiſſimam.

Art. 1. *n.* 9. De cauſalitate omnium in Eſſe ſimpliciter, neceſſariò à tribus Perſonis ſimul. 1. Quia productio duarum Perſonarum, eſt neceſſariò prior omni actione contingenti. 2. Prior eſt neceſſariò productio ex obiecto eſſentiali & primario, quàm ex ſecundario, in ſolo eſſe cognito & volito. 3. Priùs eſt naturam eſſe in ſuis Suppoſitis propriè, quàm agere ad extra, &c. Ex *lib.* 1. *d.* 1. 3. 7. 35. 36.

Art. 2. *n.* 12. De duplici ordine Naturæ, & Originis in Deo. 1. Ex comparatione Intellectus & Voluntatis Diuinæ ad Obiectum primarium: in operando & producendo ſimpliciter ad intra ex illo obiecto neceſſariò præſuppoſito. 2. Ex comparatione ad obiectum ſecundarium producendum ſecundùm quid, in eſſe obiectiuo cognito & volito, ex illo Primario: poſteriùs vtraque productione ſimpliciter ad intra; ſed priùs Origine ſecundùm quid à Patre, quàm à Filio & Spiritu S. i. ab illo ex ſe, ab his per communicationem.

Art. 3. *n.* 20. De neceſſario ordine, ſeu ſuppoſitione productionis Perſonarum Diuinarum, ad cauſalitatem creaturarum: ſufficiente tamen potentia abſoluta Dei, & cuiuſuis Perſonæ Diuinæ, ad quidlibet cauſandum, independenter ab alia.

N. 22. Ad Quæſt. princ. patet, quòd cauſalitas perfecta omnium cauſabilium ſimpliciter, aut ſecundùm quid, eſt neceſſariò in tribus Perſonis ſimul: ſi tamen per impoſſibile eſſet in vnica abſoluta, ſufficeret ad cauſandum.

Hinc Ad 1. *Arg. princ. Ad* 2. Ex 1. *d.* 12. de vnitate Principij in Patre, & Filio: & *d.* 4. *q.* 2. *d.* 20. *q. vnica. Ad* 3. Principium producendi ad extra, non eſt applicabile niſi vt eſt in tribus Perſonis. *Ad oppoſita.* Perſonæ Diuinæ non poſſunt niſi ſimul operari.

QVÆST. 2. Al. q. 6. S. Bon. hic.

An Deus poſſit aliquid creare?

Reſp. n. 3. Concedunt Philoſophi, Deum poſſe creare, ſeu producere de nihilo, ordine Naturæ: non vt priore poſitiuè, quaſi creatura priùs ex ſe formaliter haberet non eſſe, quàm eſſe; ſed quaſi priuatiuè, quia nec habet ex ſe formaliter eſſe, nec non eſſe, nec ſimul eſſe & non eſſe, ſed non habet vllum eſſe niſi à cauſa extrinſeca creante. Non quia quò agens eſt perfectius eò minùs præſupponat in agendo, ſicque minùs Deus quàm ars & natura: cùm Philoſophi id negent de Intelligentia ſuperiore; ſed quia Deus poteſt aliquid immediatè cauſare; ergo ex nullo alio effectu præſuppoſito, ſicque de nihilo ſaltem naturâ priore, vt ſupra.

Negant autem poſſe creare de nihilo ordine durationis: quia dicunt Deum neceſſariò producere quicquid poteſt immediatè: quòd autem mediatè per cauſas ſecundas, id nonniſi ex aliquo à ſe immediatè producto.

Sed contra, in 1. *d.* 8. & 39. Deus cauſat omnia extra ſe contingenter, &c. *Inſtabis.* Contingentia in ipſo velle Dei, non infert nouitatem: ergo nec in effectu. *Reſp.* Non poteſt eſſe nouitas in ipſo velle, nec volito Dei, niſi ex nouitate impoſſibili in actu volendi: ſed poteſt eſſe nouitas in effectu. Cumque Deus cauſet contingenter: æquè poteſt creare de nouo, ac ab æterno.

Negat etiam *Henr.* creari poſſe aliquid ex tempore de nihilo eſſentiæ, ſed tantùm exiſtentiæ: quia putat creaturas produci ab æterno in eſſe eſſentiæ, ſeu poſſibili, per Omnipotentiam Dei. Sed *l.* 1. *d.* 43. Res eſt poſſibilis in ſuo eſſe intelligibili, ſeu intellecto, per intellectum diuinum: & *d.* 36. Si illud eſſet verum eſſe ſimpliciter, illa productio eſſet creatio ab æterno.

Ad hunc Art. dico, quòd Deus poteſt creare de nihilo exiſtentiæ, & eſſentiæ: quia *d.* 36. eſſe eſſentiæ nunquam ſeparatur realiter ab eſſe exiſtentiæ. Nihil tamen poteſt creari, quin ſit formaliter poſſibile quaſi potentiâ propinquâ, in eſſe intellecto & volito, ab æterno.

Ad 1. *Arg. princ.* Cauſa poteſt immediatè producere extra ſe aliquem effectum nouum, abſque vlla ſuiipſius mutatione, &c. Agens autem liberum poteſt eadem volitione durante producere effectum pro quando vult. Nec ad cauſandum neceſſaria eſt vlla prior relatio cauſæ ad effectum: ſed ſola potentia abſoluta, ad quam immediatè ſequitur effectus abſolutus, & hinc reſpectus dependentiæ à cauſa, & tandem fortè aliquis cauſæ ad effectum, &c. Fallit autem imaginatio, quaſi prior aliqua relatio determinaret cauſam ad cauſandum. *Ad* 2. Vt in naturalibus, cauſam determinari ex ſe, eſt habere formam quâ cauſet: ſic in liberis, cauſam eſſe determinatam, eſt velle. *Ad* 3. ex *Ariſt.* Idem manens idem, ſemper natum eſt facere idem .i. in naturalibus. *Ad* 4. Vt in neceſſarijs, ſic & in contingentibus ſtandum eſt in primo principio, ſeu voluntate Dei, abſque proceſſu in infinitum. Nec voluntas Dei quicquam neceſſariò vult extra ſe, nec expectat vllam oportunitatem faciendi: quia nec habet vllam bonitatem ex illis obiectis volitis, nec vllam difficultatem, nec rationem faciendi potiùs nunc, quàm tunc.

Ad Henr. Eſſe cognitum, non eſt formaliter

Digitized by Google

ipſum eſſe poſſibile : ſed hoc in illo fundatur ; quia illud eſt actu ſecundùm quid , hoc non eſt actu, ſed in potentia ad eſſe ſimpliciter.

QVÆST. 3. *Problematica.*

An ſit poſsibile Deum producere aliquid aliud à ſe ſine principio durationis ? Al.q.14. S.Bon.hîc.

N. 2. Affirmat *S. Thom. p. 1. q.* 46. Quia non poteſt demonſtrari impoſſibile. 2. Ex *Aug.* 6. *Trin.* 1. Si ignis eſſet æternus, ſplendor eſſet ei coæternus. 10. *Civ.* 31. Si pes fuiſſet ab æterno in puluere, impreſſiſſet veſtigium. 3. Si Deus neceſſariò ageret, cauſaret ab æterno : ergo æquè poteſt contingenter, &c.

N. 6. Negat *Henr. S. Bon. &c.* 1. Quia vel creatura haberet aliquod primũ fieri,quo acciperet eſſe : vel eſſet in continuo fieri in infinitum. 2. Ex *Ariſt.* Quod eſt, quando eſt neceſſariò eſt : ergo creatura ab æterno exiſtens non potuiſſet non eſſe. 3. Sic potuiſſent eſſe infinitæ generationes,& actu infinita, &c.

N. 9. *Ad Arg.* 1. *Opin.* Poteſt repugnare alicui, quòd non omni. Nec prima impoſſibilia ſunt demonſtrabilia. Nec Rationes repugnant fidei. Nec ex illis ſub conditione ſequitur quicquam abſolutè. Nec cauſare neceſſariò eſt perfectionis. Nec cauſatio ab æterno eſt poſſibilis : Sed duratio illimitata repugnat creaturæ. Et vt nil poteſt ſemper eſſe, & tamen tendere ad non eſſe : ſic nec fieri ex non eſſe, niſi poſt non eſſe. In quæ contradictoria Philoſophi inciderint : quia non ſunt tam euidentia quin poſſint ſimul concipi, vel ſine aſſenſu, vel in communi, aut ſub dubio.

N. 16. *Ad Arg.* 2 *opin.* Vt Filius Dei ſemper neceſſariò generatur & eſt : ſic & Angelus poſſet ſemper fieri in inſtanti, & eſſe contingenter. Nec Cauſa cauſat vt prior duratione, ſed naturâ : ſicque cauſat etiam contingenter, quando cauſat. Nec eſt eadem impoſſibilitas permanentium ab æterno, quæ ſucceſſiuorum. Nec eſt abſurdum cauſam æternam non generaſſe ab æterno : cùm nec Deus ab æterno creauerit. Si quid fieret ab æterno,nunquam eſſet ſub ſola potentia ad eſſe, ſed ad non eſſe. Nec prius naturâ, eſt ſemper prius duratione: vt patet inter materiam & formam. Si non poſſunt creari infinitæ animæ vnâ die vel horâ per infinita eius inſtantia, vel etiam ſimul eodem inſtanti : nec poſſent ab æterno per infinitos dies. Inter infinita, non eſſet magis & minùs, nec æquale ac inæquale.

Ad 1. *Arg. princ.* Materia prima eſt ingenita, ſed non improducta. *Ad* 2. Tempus non potuit eſſe ante tempus : nec eſt vllum ante, niſi imaginarium. *Ad* 3. Generatio vnius eſt corruptio alterius : per accidens, ob formam contrariam; ideoque non infert infinitam ſucceſſionem generationum. *Ad* 4 Prioritas naturæ in cauſa æquiuoca requirit prioritatem durationis ad effectum.

Ad 1. Oppoſitum ex *Aug. contra Fælic.* Vel hæc non eſt definitio creaturæ, *ex non eſſe ad eſſe*, ſed tantùm deſcriptio conceſſa ab Arianis : vel non cuiuſuis creaturæ; vel non vt creabilis, ſed vt actu creatæ.

QVÆST. 4. *Al. q.* 6. *S. Bon. hîc.*

An Creatio Angeli ſit idem Angelo ? Et n. 3. *An relatio creaturæ ad Deum ſit eadem ſuo fundamento ?*

Henr. identificat realiter omnem relationem ſuo fundamento. 1. Quia tales ſunt relationes in Deo. 2. Quia non mutant ſubiectum realiter. 3. Quia non inſunt ei diſtinctè à ſuo fundamento : nec ſunt omnes accidentales; alioquin eſſent in, & eſſent ad. 4. Eſſet proceſſus in infinitum inter relationes relationum. 5. Non diſtinguuntur niſi ſuis fundamentis.

Art. 1. *n.* 5. *Contra.* 1. Multæ ſunt ſine quibus fundamenta eſſe poſſunt : ergo non ſunt idem realiter.Confirmatur ex diſtinctione reali naturæ vnitæ ab ipſa relatione vnionis hypoſtaticæ : & accidentium conſecratorum, à relatione inhæſionis: & cuiuſuis cauſæ, à relatione proportionis & approximationis ad cauſandum. 2 Idem poteſt ſucceſſiuè fieri eidem ſimile & diſſimile, æquale & inæquale : ergo differt realiter ab his relationibus. 3. Idem eſt ſimile pluribus in infinitum ſimilitudinibus : ergo non continet omnes identicè. 4 Fundamentum perfectionis non ſemper magis, ſed minùs refertur : vt magis album, eſt minùs ſimile; ergo non identicè. 5. Quædam relationes fundatæ in eodem fundamento, magis differunt quàm fundatæ in diuerſis: ergo non ſunt identicæ ſuis fundamentis. 6. Relatio rationis eſt quidam modus rationis ſui obiecti : ergo & relatio realis eſt quidam modus realis ſui fundamenti. 7. Ex *Aug.* 5.*Trin.*5. *S. Hyl* 1 *Trin.* 5.

Art. 2. *n.* 11. Contra *Proteruientes*, eas tantùm diſtingui ratione. 1. Hoc eſt contra relationem vnitatis ac ordinis realis Vniuerſi. 2. Contra relationem compoſitionis, ſeu vnionis realis partium. 3. Contra relationem propoſitionis, ac approximationis realis cauſarum. 4. Contra reales ſcientias Mathematicas de varijs relationibus ſui ſubiecti. *Si adhuc proteruiatur quòd non ſint entia rationis, nec aliæ res à fundamentis, ſed tantùm quidam modi proprij rei. Videtur tantùm contentio de nomine modi, & rei. Licet enim modus non ſit vt res cuius eſt modus : non tamen eſt nulla res , ſeu nullum ens.* Ex *Aug.* 1. *Doct. Chriſt.* 1.

Nec omnia entia ſunt æquè perfectè entia : imò qualitas poteſt dici modus ſubſtantiæ. Sic & relatio eſt adhuc imperfectior modus qualitate : ſed non intrinſecus fundamento, vt eſt infinitas in Deo.

Si dicas quòd genus relationis eſt res : non eſt vt eſt modus proprius ad aliquid; ſed vt res ipſa , cuius hic modus. Hoc non eſt verum : quia omne ens vnum per ſe,conceptum ſub ratione ſua abſoluta, pertinet ad aliquod genus abſolutum; ſub ratione reſpectiua , ad reſpectiuum; nec modus concipiendi dat vel aufert propriam & formalem cuiuſq; realitatem.

Ad 1. *Henrici à n.* 4. Relationes Dei ſunt tranſcendentales: ſed album ſimile eſt magis compoſitum , quàm ſolùm album. *Ad* 2. Relatio mutat ſubiectum, ad alterum. *Ad* 3. Relatio ineſt , vt omne accidens : ſed propriè refert ad aliud; nec componitur ex paſſione inhærendi, & modo proprio referendi. *Ad* 4. Relatio ſeipſa differt, ac refertur ad ſuum fundamentum. 5. Diſtinctio eius non eſt, ſed cognoſcitur ex fundamento.

A n. 17. Ad Quæſt. de relatione creaturæ ad Deum. Creatura non eſt ſola relatio ad Deum : contra *Henr.* & alios. 1. Ex *Aug.* 7. *Trin.* 2. Quòd

Digitized by Google

Quòd relatiuè dicitur, eſt aliquid excepta relatione. 2. Non definitur relatiuè. 3. Plus differt à Deo, quàm Perſonæ Diuinæ inter ſe. 4. Vna differt realiter ab alia: ergo non ſunt eadem relatio. 5. Eſt triplex eius relatio ad Deum. *N.* 20. Nec hæc relatio Angeli, eſt accidens ab eo realiter diſtinctum: contra eundem *Henr.* Quia hic non poteſt eſſe ſine illa. Nec *Aug.* 5. *Trin.* 5. & 16. ſumit Accidens ſtrictè, pro inhærente: ſed pro re mutabili, & amiſſibili.

A n. 21. Sed relatio communis creaturæ ad Deum, eſt eadem realiter, non formaliter, nec adæquatè, cum ſuo fundamento. 1. Quia eſt ab intrinſeco impoſſibile vllam creaturam eſſe ſine relatione dependentiæ à Deo. 2. Quia hæc dependentia à Deo, eſt æquè neceſſaria cuiuis creaturæ: ergo cuiuis identica, non accidentalis. 3. Quia ſi hæc dependentia eſſet diſtincta à dependente, & ipſa dependeret: nec poteſt procedi infinitum in relationibus; ſed ſiſtendum eſt in ea ſine qua fundamentum eſſe nequit; vt in hac prima, non in alijs quæ non ſunt niſi relationes rationis eiuſdem ad ſeipſum.

Quòd hæc relatio non ſit eadem formaliter cum ſuo fundamento: nec fundamentum ſit adæquatè ipſa relatio: patet ex diſtinctione formali abſoluti à reſpectiuo, & ex inadæquata continentis à contento. Creatura enim continet per identitatem hanc relationem dependentiæ, vt perfectior ſeu abſolutior quàm ipſa: non autem ab ea continetur.

Ad 1. *Arg. princ. n.* 3. Reſp. *n.* 26. Non omnia ſunt formaliter ad aliud: ſed quædam ad ſe, licet etiam identicè ad alia. *Ad* 2. Rationes formales generum ſunt primò diuerſæ: quamuis quædam identificentur in exiſtendo. Vel, hæc relatio eſt tranſcendens. Ad *Aug. n.* 20. Dici ibi ſecundùm accidens, eſt non prædicari per ſe in *quid*, vel eſſe mutabile.

A n. 27. Creatio propriè non tantùm videtur importare relationem ad Deum efficientem: ſed etiam ad non eſſe priùs ordine durationis, vel immediatè ante primum inſtans creationis, vel mediatè etiam poſt. Hæc relatio non videtur eadem fundamento ſi ſit in ſolo primo inſtanti: ſed ſi etiam poſt. Niſi quòd hæc non ſit dependentia ab aliquo.

Hinc *n.* 29. *Ad* 1. *Arg. à n.* 16. Equinitas formaliter non eſt niſi Equinitas. *Ad* 2. Eadem relatio creationis manet ſemper in creatura. 1. *d.* 2. *q.* 2. *Ad* 3. Deus poteſt eundem numero motum reparare: vt in 4. *d.* 43. *q.* 1. Nec ex oppoſito ſequeretur, niſi quòd non poſſet reſtitui eadem creatio ex eodem nihilo immediatè. *Ad* 4. Creatio communis, ſeu productio à Deo, ineſt igni etiam ab alio igne: nonniſi tamen ad Deum producentē. Vt ſimilitudo ineſt à generante, etſi non ſemper ad ipſum generantem. *Ad* 5. Reſpectus mutationis ſubiecti à priuatione ad formam, nec ſunt eſſentiales ſubiecto, nec formæ, nec compoſito: ſed creatio non eſt propriè mutatio, niſi ad hanc ſufficiat ſubiectum aliter nunc ſe habere ſub hac forma, quàm habere ſine illa.

QVÆST. 5. *Al. q.* 20. *S. Bon. hic.*

An Angelus & Anima differant ſpecie?

N. 2. Concluſio eſt certa: quia non Angelus, ſed anima eſt forma naturaliter perfectiua corporis organici. Ratio huius dicitur à *S. Bon.* eſſe vnibilitas, vel non, cum materia. *Contra.* Forma eſt finis materiæ: ergo hæc potiùs diſtinguitur per illam.

Aliter ab Al. p. 2. *q.* 20. *m.* 5. Quòd differant gradu intelligendi, ſine, vel cum diſcurſu. *Contra.* 1. Nec Anima diſcurrit circa principia. 2. Nec circa obiectum beatificum. 3. Non differunt viſione beatifica: ergo nec intellectualitate. 4. Nec Angeli carent vi diſcurſiua.

N. 4. Ad Quæſt. Dico. Prima diſtinctio rerum eſt ex natura ſua in ſe: non vt eſt principium agendi. Hinc Angelus & Anima differunt 1. ſpecie, vel vt ſpecies & pars ſpeciei: ex tali huius & illius natura, non ex principijs intelligendi & volendi, quamuis identicis naturæ. Poteſt etiam addi, quòd intellectualitas Angeli non differt ſpecie ab intellectualitate Animæ. 1. quia habent idem obiectum. 2. Poſſunt aliqua differentia ſpecie, continere non differentia ſpecie: vt entia diuerſa, eaſdem paſſiones entis. 3. Poſſunt diſtincta formaliter contineri per identitatem: ergo eadem formaliter contineri à pluribus ſpecie differentibus.

Hinc *Ad* 1. *Arg. princ.* Potentiæ differentes ſpecie ex parte fundamenti, non obiecti: poſſunt habere actus, non hinc, ſed inde differentes ſpecie. *Ad* 2. & ſimilia. Angelus & Anima ſunt pares naturâ: ex obiecto & fine. *Ad* 3. Quilibet Angelus eſt perfectior quauis Animâ: vt in 3. *d.* 13. 14. Nec tota capacitas naturalis ſatiatur in beatitudine: ſed appetitus ordinatus, ſecundùm merita, &c. in 4. *d.* 49. *q.* 12. & *d.* 50. *q.* 5.

IN DIST. 2. *QVÆST.* 1.

An in exiſtentia actuali Angeli ſit aliqua ſucceſſio formaliter? Al. q. 12. *S. Bon. hic.*

Dicitur quòd ſic, à S. Bon. 1. Ex conſeruatione & quaſi continuo fieri à Deo. 2. Ex ſimplicitate & immutabilitate ſolius Dei: qui ſolus habet ſimul fuiſſe, eſſe, & futurum eſſe; ergo Angelus habet hæc diſtinctè; & ſucceſſiuè. 3. Ex infinitate, & æternitate ſolius Dei: qui ſolus habet ſimul totam ſuam infinitam durationem. 4. Ex ordine & ſucceſſione poſſibili in Angelis: à ſtatu gratiæ ad peccatum, & è contra; ab eſſe & non eſſe, & è contra. 5. Ex *Aug.* 11. *Conf.* 4. *Si nunc temporis ſemper ſtaret, eſſet æternitas.* 4. *in* Gen. 14. *Pater vſq; modo operatur*, Ioan. 5. *Continuationem operis ſignificat, &c.*

Contra. Ex *Henr.* 1. In Angelis non eſt prius & poſterius: ergo non eſt ſucceſſio. 2. Subiectum æui Angelici non deficit, nec aliũde corrumpitur: ergo nec ipſum deſinit. 3. Tempus eſt menſura mutationis, non æuum.

N. 12. Contra *Henricum.* 1. Contradicit ſibi, docens alibi, quod æuum ex ſe ſit defectibile quouis inſtanti. 2. Ponit æuum neceſſariò coexiſtere tempori: cùm tamen ſit priùs naturâ, &c.

N. 14. Qui vult tenere opin. *S. Bon.* quæ videtur probabilis: poteſt dicere quòd æuum propriè eſt quantitas diuiſibilis ſucceſſiuè; ſucceſſione inſtantium, ſeu eiuſdem eſſe in inſtantibus ſucceſſiuis, ab eadem cauſa conſeruante idem eſſe, ſed aliâ & aliâ in infinitum cauſatione. Vt idem Angelus ſit

Digitized by Google

ſit præſens pluribus locis: ſic & coexiſtit pluribus *Nunc* ſucceſſiuè.

Ad 1. *Arg. Henr.* Duratio Angeli eſt ſucceſſiua: ſed non eius exiſtentia *Ad* 2. Nunc æui & temporis deficit per vltimum ſuum eſſe: ſuccedente ſibi alio nunc incompoſſibili. *Alio modo poſſet hæc opin. ſuſtineri*: quòd idem eſſe abſolutum Angeli manet ſuccedens ſibipſi, ſub nouis & nouis reſpectibus ad ſuam cauſam.

N. 18. Contra hanc opin. in ſe. 1. Si nunc æui Angelici ſit idem realiter cum ipſo Eſſe, non poteſt vnum ſine altero ſuccedere: ſi non eſt idem, poteſt idem æquè ſucceſſiuè conſeruari, ac ipſum eſſe. Sed non eſt quid aliud abſolutum ab ipſo eſſe Angeli, &c. vt *q. ſeq.* Poteſt ergo dici quòd nulla eſt neceſſitas ponendi aliquam ſucceſſionem formaliter in Angelo.

An. 19. *Ad* 1. *Arg. pro* 1. *opin. Aug.* poteſt in vtraque opin. exponi, &c. Nec Angelus poteſt ſimul conſeruari & annihilari: nec ſimul creari & conſeruari, in ſenſu compoſito, ſed diuiſo. *Ad* 2. Idem *Nunc* æui, poteſt fuiſſe, eſſe, & fore, reſpectu diuerſi temporis. imò Angelus qui fuit, in ſenſu diuiſo, poteſt non fuiſſe; quia non præterijt in ſe. Et ſi de volitis contrarijs ab æterno, vt ſint ſucceſſiuè: quia priùs naturaliter volita ſunt vt obiecta, quàm eorum contrarietas & ſucceſſio. *Ad* 3. Nihil eſt infinitum duratione, niſi neceſſariò coexiſtat omnibus & ſingulis partibus temporis: vt nihil eſt immenſum, niſi neceſſariò coexiſtat omni loco poſſibili. *Ad* 4. Vnum æuum ſuccedit alteri: ſed non in eodem eſſe. *Ad author.* Quæuis creatura eſt continuè dependens: ſed non aliâ ac aliâ dependentiâ.

Ad 1. *princ.* Vnus Angelus poteſt creari priùs altero: ſed non idem, ſeipſo. *Ad* 2. Angelus poteſt annihilari in ſuo proprio *nunc* ſimul deſinente: vel in ipſa æternitate. *Ad* 3. Idem eſſe Angeli poteſt ſequi ſeipſum: mediante non eſſe.

QVÆSTIO 2.

An in Angelo actualiter exiſtente neceſſarium ſit aliquid realiter aliud ab eius exiſtentia, menſurans eam vel eius durationem? Al. & S. Bon. ſupra.

N. 2. Affirmat *S. Bon.* vt ſupra: & *Henr.* de æuo diſcreto omnium, ex æuis indiuiſibilibus ſingulorum.

An. 3. *ad* 10. Negat & reprobat Scotus differentiam realem vllius talis menſuræ, ab ipſa exiſtentia actuali: quia ſi hæc eſt naturâ prior ſuo æuo, non poteſt tamen eſſe ſine illo, nec ſunt ſimilia vllis inſeparabilibus realiter diſtinctis. Nec obſtat *Ariſt.* 4. *Phyſ. Idem nunc ſecundùm ſubſtantiam differt ſecundùm eſſe.* i. Quoduis *Nunc* eſt in ſe idem: ſed differt in ordine ad tempus, &c. Nec *Ariſt.* vnquam expreſſè ſoluit Quæſt. de tempore, &c. Sed ſi quod nunc temporis ſe habet ad mobile, vt nunc æui ad Angelum: non plus differt à mobili, quàm æuum ab Angelo. Quòd ſi tempus differt à motu, & inſtans à mutatione: non eſſet ex menſura huius ab illo; ſed ex inæqualitate motus celerioris, cum ſuo tempore.

N. 10. Negat & menſuram Angeli à ſuo æuo. Quia hoc non eſt nouus illo: quod eſt de ratione menſuræ. Hinc ad Arg. princ.

QVÆST. 3. *Al. & Bon. ibidem.*

An omnium æuiternorum ſit vnum æuum?

N. 1. Dicitur ab *Henr.* quòd tot ſunt æua, quot æuiterna. Sed vt *q.* 2. aut æuum eſt ipſa exiſtentia Angeli: aut eſt menſura intrinſeca, aut extrinſeca Angeli exiſtentis. Si 1. & 2. tot ſunt æua quot Angeli: Si 3. vel nulla eſt extrinſeca menſura duratiua Angelorum, ſed tantùm quidditatiua, ex *Ariſt.* 10. *Met.* Primum eſt menſura reliquarum ſui generis: vel æuum Angeli ſuperioris eſt menſura extrinſeca inferiorum; vel æuum ſeu exiſtentia ſolius primi Angeli, eſt menſura omnium, &c. problematicè. Latiùs *Al. p.* 1, *q.* 12. *S. B. hîc.*

QVÆST. 4. *Al. & Bon. ibidem.*

An operatio Angeli menſuretur æuo?

N. 2. Hic dicitur à *S. Thoma* 1. *p. q.* 10. quòd operationes intrinſecæ menſurentur tempore diſcreto: quia nec permanent, nec ſuccedunt continuè, ſed diſcretè. Sed huius temporis diſcreti non meminit *Ariſt.* quia putauit Angelos eſſe Deos.

Contra. 1. Hæ operationes ſunt permanentes: ergo etiam durant æuo; quia plus vel minùs durare non variat modum ſeu menſuram durandi. 2. Actus beatificus durat ſeu menſuratur æuo: ergo & omnes actus, &c.

N. 9 Concedo quòd intellectiones Angeli menſurentur æuo: & quæcumque exiſtentia actualis cui repugnat ſucceſſio partium. Quia plus vel minùs durare non variat modum ſeu menſuram formaliter. Ned ideo omnia permanentia menſurantur ſeu durant æuo: ſed ſolæ ſubſtantiæ indiuiſibiles; vel etiam accidentia in eſſe quieto, ſed non in fieri ſucceſſiuè.

Ad Aug. 4. *de Gen.* 20. Deus mouet Angelum per tempus. i. ad aliquod eſſe poſt non eſſe: ſicque omnia alia à Deo dicuntur temporalia.

QVÆST. 5. *Al. q.* 20. *S. Bon. hîc.*

An Angelus ſit in loco? Quæſt. 6. *An locus Angeli ſit determinatus, punctualis, maximus, & minimus?*

Ad 1. *Quæſt.* dicitur à *S. Thom. p.* 1. *q.* 53. quòd Angelus ſit in loco præciſè, per operationem. Ex *Damaſc. c.* 13. *&* 16. Sed hoc videtur damnatum ſub excommunicatione ab Epiſcopo Pariſienſi. Si dicatur quòd non tranſeat mare, vel Diocæſim: & fuit Articulus condemnatus vt hæreticus, vbique eſt talis, authoritate Papæ, *extra de hæreſi c. ad abolendam*, vel ſaltem eſt ſuſpectus.

Alij nolentes vti verbo ſuſpecto, dicunt eum eſſe in loco per applicationem ad locum. Sed videntur idem dicere: quia hæc applicatio non eſt niſi per aliquam operationem.

Contra. 1. Idem *S. Thom. p.* 1. *q.* 8. *a.* 1. docet Deum eſſe vbique: quia vbique agit; ergo & Angeli ſunt vbi agunt. 2. Hinc Angelus nihil agens nullibi eſſet: & Agens in extremis non in medio, eſſet in illis non in hoc. 3. Angelus mouens cœlum eſſet in toto cœlo. 4. Angelus eſt formaliter in loco: ergo non aliqua actione tranſeunte. 5. Sic Angelus, vt eius actio, cõmenſuraretur loco. 6. Ipſe *Damaſc.* ibid. diſtinguit inter adeſſe & operari.

N. 6. Ad hanc Quæſt. ſoluendam: cuilibet corpori contento conuenit. 1. Eſſe in loco. 2. In loco actuali. 3. In loco æquali. 4. In loco commenſurato. 5. In hoc vel illo determinatè. 6. In naturali,

turali, vel non. *n.* 8. Locus habet immobilitatem oppoſitam motui locali, & quandam incorruptibilitatem comparatiuè ad motum, ob ſpatium interceptum, &c. Phyſicè de loco, & Theologicè de quouis corpore poſſibili extra omnem locum.

N. 11. Ad propoſitum, Angelus non neceſſariò eſt in loco: quia poſſet eſſe ſine, & extra omne corpus; ſed poteſt eſſe in loco, ſeu non ei pugnat, ſiue ex propria ſubſtantia, ſiue ex limitata exiſtentia, ſiue ab extrinſeco. Conceditur communiter quòd non poteſt eſſe in quantũcunque magno: quia hoc eſt proprium Dei; ſed videtur quòd nec in quantumcumque paruo. 1. Ex illo Euclidis: *Quicquid poteſt eſſe in vno, poteſt eſſe in quouis æquali, ſi figuratio ei non repugnet:* Ergo ſi Angelus poſſet eſſe in loco quantumuis ſtricto, poſſet eſſe in quantumuis longo. 2. Non poſſet eſſe in maiori loco in infinitum, niſi ex vi infinita: ergo nec in minori in infinitum. *n.* 13. An poſſit tamen eſſe in puncto, vel non: non videtur vlla ratio neceſſaria, &c. Nec fortè repugnat ei eſſe in puncto: quia inde poſſet ſe transferre in continuum ad motum.

N. 13. De hoc igitur Art. videtur quòd Angelus habet locum determinatum: ſed indeterminatè inter maximum & minimum continuum; licet fortè poſſet eſſe in puncto. An verò Angelus neceſſariò occupet tantum loci, quantum poteſt, vel quantum vult, eſt dubium. Sed patet quòd non poſſit eſſe in loco commenſuratiuè: quia non habet partes commenſurabiles. Eſt tamen neceſſariò in aliquo loco determinato: quia nec poteſt eſſe vbique, nec nullibi, &c. Sed non eſt in vllo loco naturaliter, nec in vllo violenter: quia nec dependet ab vllius loci conſeruatione, nec ſubeſt vlli corruptioni. *Ad Arg.* Angeli non ſunt in vllo loco circumſcriptiuè

QVÆST. 7. Al. q. 32. Bon. hîc.

An Angelus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis?

In hac Quæſt. *Damaſc. l. 2. c. 3.* dicit quòd de facto cùm eſt in cœlo non eſt in terra, nec è contra. Videtur etiam probabile quod non poſſit naturaliter eſſe ſimul in duobus locis adæquatis: quia tunc neuter eſſet ſibi adæquatus. Vtrum in duobus locis continuis inadæquatis, dubium eſt. Sed quòd per potentiam Dei poſſit eſſe in pluribus diſcontinuis, ſiue adæquatis, ſiue non, certum puto: quia non includit vllam contradictionem. Vt *in* 4. *De Eucharistia.*

Ad 1. *Arg.* Quæ ſunt ſimul cum aliquo tertio ad hoc limitato ſunt ſimul inter ſe: Quicquid autem eſt in duobus vbi, eſt illimitatum ad illa. *Ad* 2. Angelus eſt ex ſe limitatus in perfectione: ſed non ad aliqua accidentia, minùs autem ad reſpectiua. *Ad* 3. Duo vbi ſunt contraria: ſed relatiua, quæ poſſunt ineſſe eidem, ſaltem illimitato ad talia. *Ad* 4. Poſſet quieſcere in vno vbi, & moueri in altero: non tamen ſimul quieſcere, & moueri ſimpliciter. Vt hoc eſt duplum ad vnum, & dimidium ad alterum: non tamen duplum & dimidium ſimpliciter. *Ad vlt.* Poſſet ſimul moueri ad duo vbi, & manere in priori: quia motus non ſunt incõpoſſibiles, niſi ob terminos De quibus in 4.

QVÆST. 8. Al. q. 32 Bon. hîc.

An Duo Angeli poſſint eſſe ſimul in eodem loco?

Reſp. n. 2. Non eſt Deo impoſſibile: quicquid ſit de facto, & de poſſibili naturaliter. 1. Ex illa legione Dæmonum *Marc.* 5. in eodem homine obſeſſo. 2. Ex motibus rectis Angelorum. 3. Ex creatione eorum ſimul, fortè antè hunc mundum.

Ad 1. Etſi eſſent in loco per operationem, poſſent ſimul operari aut cooperari circa eundem locum. *Ad* 2. Cur plura non poſſent eſſe in eodem: cum poſſint eſſe ab eodem?

QVÆST. 9. Al. q. 33. Bon. 1. d. 37.

An Angelus poſſit moueri continuè?

N. 8. *Reſp.* Quod ſic: quia nec eſt ex ſe determinatus ad vllum locum, nec illimitatus ad omnes; ergo poteſt moueri ad aliquem; & quidem motu continuò, quia per infinita vbi media inter extrema. Confirmatur ex deſcenſu animæ Chriſti ad inferos: & ex varijs Angelorũ miſſionibus in S. Script.

Ad 1. *Arg.* Motus eſt actus entis in potentia, ad aliquam ſui perfectionem: ſed Vbi poteſt etiam dici aliqua perfectio, quantumuis minor Angelo. *Ad* 2. Negat nullum ſucceſſiuum eſſe continuum, & continum componi ex indiuiſibilibus, aut minimis: idque demonſtrat Phyſicè, ac Geometricè. 1. Ex inæqualitate totius & partis, circuli maioris & minoris. 2. Ex inæqualitate lineæ diametralis & lateralis in eodem quadro.

Contra. Hæc non concludunt contra *minimum ſecundum formam ſeu ſpeciem*, ſed tantùm contra *minimum ſecundùm materiam. Reſp* 1. Nulla pars materiæ poteſt eſſe in toto ſine forma: nec vlla pars homogenea ſine forma eiuſdem rationis; ergo nec vlla pars minima formæ. 2. Quodlibet quantum eſt per ſe diuiſibile in infinitum: ergo & quicquid eſt extenſum in quanto. 3. *n.* 29. Singulæ partes quanti homogenei poſſunt eſſe per ſe: ergo nulla datur minima in exiſtendo. *Si dicas quod ſtatim conuerteretur in ſuum continens: non quæritur de hoc, ſed de ratione intrinſeca cur repugnaret quamlibet partem per ſe exiſtere. n.* 22. Nec ideo poteſt indiuiduum eſſe actu diuiſum in omnes ſuas partes: quia eſt diuiſibile in infinitum; nec hæc potentia eſt reducibilis ad vltimum actum. Nec ex ſingulis poſſibilibus ſequitur vniuerſale eſſe poſſibile, aut omnia eſſe compoſſibilia. *n.* 27. Nec indiuiſibilia ſunt tantùm negationes continuationis, nec ſuperflua: nec ſunt ipſa finita & terminata; nec ſunt contra vnitatem per ſe; nec indiuiſibilia fierent aut deſinerent ſine vlla generatione & productione. 1. Quia ſic omnes actiones inſtantaneæ nihil eſſent, vel in nihilo. 2. Linea & ſuperficies nihil eſſent: cùm tamen multæ qualitates afficiant ſolam ſuperficiem. 3. Punctum eſſet tantùm priuatio aliarum priuationum. *n.* 29. Nec indiuidua ſunt inter ſe immediata in continuo permanenti aut ſucceſſiuo: ſed terminant aut continuant ipſa diuiſibilia. *n.* 30. Nec *Ariſt.* vult dari maxima & minima poſſibilia: ſed ad generationem, motum, ſenſum, aut ſtatum naturalem, ſaltem in viuentibus. *n.* 31. Nec datur vllum primum mutatum eſſe, aut prima pars vllius motus. 32. Nec ideò omnia poſſibilia ſemper mouentur, aut nonniſi per inſtantia. *n.* 33. Sed poſſunt quieſcendo diſponi ad motum ſubitum & imperceptibilem, non inſtantaneum: vt in guttis cauantibus lapidem. *n.* 34. 35. Nec vltimum non eſſe formæ per

Digitized by Google

motum acquirendæ, eſt ſimul cum aliquo eſſe formæ acquiſitæ: nec hæc ſecundùm aliquam partem minimam, ſed ſecundùm ſe totam, aut partem in infinitum diuiſibilem ſequitur immediatè inſtans ſui non eſſe. Hinc nec ſunt vlla contradictoria ſimul nec eſt vllum medium inter contradictoria, completa aut incompleta, &c. Philoſophica ſubtiliſſima ad libros Phyſ.

A n. 36. *Ad* 3. *Arg. princ.* contra motum Angeli ex eius indiuiſibilitate. *Reſp.* Saltem moueri poteſt ex loco diuiſibili ad diuiſibilem, & ad punctualem: imo & ex punctuali ad punctualem, & ad diuiſibilem, quia nulla eſt ratio cur diuiſibile per ſe exiſtens non poſſit continuò moueri. Nam ſphœra mota ſuper plano, ſito puncto contactus deſcribit lineam; ergo non eſſet impoſſibile punctum exiſtens per ſe moueri, &c. *n.* 37. Nec ideo ſpatium illius tranſitus componeretur ex indiuiſibilibus: quia tranſitus non fit per indiuiſibilia, nec per partes minimas. *n.* 38. Nec *Ariſt.* negat indiuiſibile eſſe mobile per ſpatium: ſed ex ſeipſo; quia ſucceſſio motus localis non eſt neceſſariò ex quantitate mobilis, ſed poteſt eſſe ex ſola quantitate ſpatij. *n.* 39. Punctus tranſiens, quolibet inſtanti eſſet ſuper puncto ſpacij: ſed quauis parte temporis moueretur ſuper aliquâ parte diuiſibili ſpatij.

A n. 40. *Ad* 4. *Arg. princ.* contra motum Angeli, defectu reſiſtentiæ mobilis vel med j. *Reſp.* Poſſibilitas ſucceſſionis eſt ex eadē reſiſtentia medij ad mobile & ad motorem: quia mobile vt habet formam inter quam & terminum ad quem ſunt quædam media, poteſt ab illa ad hunc moueri per hæc media, quæ obſtant ne poſſit in inſtanti à termino in terminum. Inter quæ media ſunt ipſæ partes mobilis, & formæ acquirendæ. Neceſſitas tamen ſucceſſionis non eſt inde: ſed ex reſiſtentiâ mobilis & med j ad motorem finitum.

A n. 42. *Ad* 5. *Arg.* ex *Ariſt.* Ab improportione medij vacui cum pleno, ad improportionem ſubtilitatis Angelicæ cum quouis corpore. *Reſp. n.* 4: *Angelus eſt mobilis continuè, vt habet quantitatem virtualem quâ poteſt coexiſtere loco. Si vacuū poſſet cedere, & motus poſſet eſſe in eo, haberet ſuam ſucceſſionem ex diuiſibilitate ſpatij: ſed nec velocitatem nec tarditatem, quæ non ſunt niſi ex ſpatio pleno, &c.*

QVÆST. DECIMA.

An Angelus poſſit ſe mouere?

A n. 1. Concedo quod poſſit moueri localiter à ſeipſo? Quia eſt perfectionis in mobili, poſſe ſe mouere: Vt patet in animalibus. Nec ad hoc eſt neceſſaria pars mouens alia à mota: vt patet ex motu grauium & leuium, quæ nec aliunde impelluntur aut trahuntur, nec mouentur immediatè à generante, ſed à forma ingenita. 1. Quia mouentur actu: ergo à cauſa exiſtente & actu mouente. 2. Mouent etiam ſibi annexa: ergo ab intrinſeco. 3. Sunt motiua aliorum: ergo & ſui. 4. Quies cauſatur: ergo ab eo à quo & motus. 5. Agunt contra obſtacula motus: ergo mouent ſeipſa. 6. Grauiora mouentur celeriùs quàm minus grauia, quamuis ab eodem genita: reliquis paribus. 7. Motus eſt celerior in fine: ergo non ab extrinſeco. Nec *Ariſt.* negat grauia & leuia mouere ſe aut agere: niſi vt agentia ex cognitione, vel actione vniuoca, aut extra ſe, aut naturaliter; quia motus eſt naturalis mobili vt eſt mobile, non vt eſt motiuum. Sed vult quòd nō agant nec moueant in actu ſecūdo: niſi prius mota vel reducta ex potētia ad actū primū.

Ad 1. *Arg.* Vt in 1. *d.* 3. *q.* 7. Ens in potentia paſſiua & actiua non opponuntur: ſed ens actu, & ens tantùm poſſibile.

Ad 2. *Ex* 7. *&* 8. *Phyſ.* Omne primum mouens organicè per cognitionem, differt à moto primo. Vel nihil mouet ſe primò .i. ſecundùm ſe totum, & quamlibet ſui partem, æquè primo mouentem & motam.

QVÆST. 11. *Al. q.* 35. *Bon.* 1. *d.* 37.

An Angelus poſſit moueri in inſtanti?

S. Thom. 1 p. 1. *q.* 53. *a.* 3. negat poſſe moueri in inſtanti temporis continui, ſed diſcreti.

Reſp. n. 5. Dico ad Quæſt. quòd nulla eſt necneceſſitas temporis diſcreti ad motum Angeli. Quia nec plus nec minùs poteſt moueri inſtantibus immediatis temporis diſcreti, quàm continui: ſed neceſſariò quieſcit inter inſtantia, vel mouetur continuò & ſucceſſiuè. Ergo cum Angelus participet in motu & vbi cum corpore, poteſt eius motus menſurari tempore aut inſtanti communi. Nec eſt neceſſarius motus cœli, aut eius tempus, ad alios motus corporales: ſed poſſunt menſurari tempore quaſi potentiali, vt cognoſcibili.

A n. 6. Non videtur Angelus poſſe moueri ſeu mutari inſtanter nec à loco ad locum diſtantem, per omnia ſimul media: quia non videtur naturaliter habere poſſe plura ſimul vbi adæquata; ſed de vno loco ad alium, non ad plura ſimul. Quia quòd locus non acquiratur in inſtanti, eſt ex imperfectione virtutes motiuæ, quæ eſt in Angelis perfecta.

Ad Arg. Maior virtus poteſt celeriùs mouere quàm minor: non tamen celerius quàm in inſtanti; quia hoc nec eſſet moueri, nec celeriùs, ſed mutari.

QVÆST. 12. *Al. q.* 33. *B.* 1. *d.* 37.

An Angelus poſſit moueri ab extremo ad extremum, non tranſeundo per medium?

Reſp. Non poteſt tranſire continuè ab extremo ad extremum, niſi per omnia media: quia tam extrema quàm motus ipſe, continuantur; nec poteſt quicquam naturaliter eſſe in duobus locis diſcontinuis. Sed poteſt tranſire inſtantaneè ab vno extremo ad totum extremum immediatum, non tranſeundo per partes. De extremis autem diſtantibus, eſt dubium, &c. Videtur probabiliter quòd non: quia hic eſt ordo præfixus à Deo inter partes vniuerſi. Nec obſtat tranſitus inſtantaneus ad totum locum immediatum ſine ſucceſſione per partes: quia omnes ſimul occupantur ſuo ordine naturæ.

Ad 1. *Arg.* Angelus bonus eſt vbi vult: quis nil vult inordinatè. *Ad* 2. Omnipotentia Dei circa corpus Chriſti in Euchariſtia, eſt ſupra omnem illum ordinem naturalem.

In DIST. 3. QVÆST. 1.

An ſubſtantia materialis ſit ex ſe ſingularis?

1. Opinio, quòd natura ſit ex ſeipſa ſeu ex propria exiſtentia ſingularis. *Contra.* 1. Obiectum eſt natura priùs actu: ergo & natura communis, eius conceptu. 2. Vnitas naturæ eſt minor Vnitate numerali. 3. Vnitas prima entis cùm ſit menſure omnium eſt realis, nec tamen ſingularis. 4. Fundamentum

Digitized by Google

damentum proximum ſimilitudinis & æqualitatis, eſt vnitas realis : non tamen numeralis; quia nil eſt ſimile ſibiipſi. 5. Eſt vna contrarietas realis, non tamen numeralis. 6. Vnitas obiecti ſenſibilis eſt realis, nec tamen numeralis. 7. Non omnis diuerſitas realis eſt numeralis : ergo nec omnis vnitas realis. 8. Singularia non ſunt primò diuerſa : ſed in aliquo conueniunt, in aliquo differunt; ergo id in quo conueniunt non eſt vnum numero. 9. Generatio eſt ex ſe vniuoca : ergo eſt quædam vnitas realis, non numeralis.

A n. 7. Ad quæſt. igitur dico, quòd ſubſtantia materialis ex natura ſua non eſt hæc : quia poteſt concipi ſine repugnantia, ſub ſola vnitate reali naturæ, minore numerali ſeu ſingulari, vt indifferens ad ſingularem, &c. *Infra.* Natura eſt de ſe indifferés ad eſſe in intellectu vniuerſale, & in particulari ſingulare : ſed nec in intellectu habet primò ex ſe vniuerſalitatem; quia hæc non eſt pars conceptus eius Metaphyſici, ſed modus logicus eam concipiendi; non tamen modus ipſius intellectus, &c. Sic etiam vbi natura exiſtit cum ſingularitate, non eſt ex ſe determinata ad ſingularitatem : ſed naturaliter prior ratione contrahente ipſam ad hanc ſingularitatem; & vt ſic non repugnat ſibi eſſe ſine illo contrahente, &c.

Sed contra 1. *à n.* 8. Hoc videtur ponere vniuerſale in re. 2. Eſt contra *Damaſc.* *Ad* 1. Vniuerſale actu, eſt quod habet vnitatem indifferentem : quâ idem eſt in potentiâ proximâ vt dicatur de quolibet ſuppoſito, hoc eſt hoc. Quod eſt ſolùm poſſibile de obiecto, eodem indifferenti actu conſiderato ab intellectu : quod vt intellectum habet vnitatem etiam numeralem obiecti, ſecundùm quam ipſum idem eſt prædicabile de omni ſingulari, dicendo hoc eſt hoc. Hinc intellectus Agens non facit vniuerſalitatem, &c. Nam priuſquam habeat eſſe obiectiuè in intellectu poſſibili, etſi non repugnet ei eſſe in alio : non tamen conuenit ei potentiâ proximâ dici de quolibet, niſi vt eſt in intellectu poſſibili. Eſt ergo in re commune, quòd non eſt de ſe hoc, nec ei repugnat eſſe non hoc : ſed tale commune non eſt vniuerſale in actu; quia deeſt ei illud completiuum vniuerſalis. *Ad* 2. ex *Damaſc.* Natura Diuina eſt ex ſe ſingularis & communis, non ſic vlla creata.

QVÆSTIO SECVNDA.

An ſubſtantia materialis ſit de ſe indiuidua per aliquid poſitiuum intrinſecum?

Negat *Henr. n.* 1. Contra. 1. *n.* 2. Nil repugnat alicui, niſi per aliquid poſitiuum in eo : ergo nec repugnat huic ſingulari diuidi in inferiora, quorum quodlibet ſit ipſum, niſi ex aliquo poſitiuo intrinſeco. 2. Saltem nulla imperfectio repugnat niſi ob perfectionem intrinſecam & poſitiuam : ergo nec hæc imperfectio diuiſionis. 3. Subſtantia ſingularis eſt perfectior : ergo aliquo poſitiuo intrinſeco. 4. Id cuius eſt ſingulare, per ſe primò de eo prædicatur : ergo vt de aliquo poſitiuo. 5. Ipſæ negationes non ſunt ex ſe ſingulares : ergo nec conſtituunt ſingulare.

Concedo ergo quòd non poſſit repugnare ſingulari diuiſio in partes ſubiectiuas, niſi per aliquod poſitiuum ei intrinſecum : quod eſt per ſe cauſa indiuiduationis, ſeu illius indiuiſibilitatis in partes ſubiectiuas.

Ad Arg. Vnitas non eſt tantùm, nec formaliter negatio diuiſibilitatis : ſed prius aliquid poſitiuum.

QVÆSTIO TERTIA.

An ſubſtantia materialis ſit indiuidua, vel indiuiduet aliquid, per actualem exiſtentiam?

Dicitur quòd ſic, &c. Sed contra. 1. Exiſtentia non eſt ex ſe determinatior, quàm ipſa Eſſentia. 2. Præſupponit diſtinctionem & determinationem eſſentiæ. 3. Eſſentialia coordinantur vſque ad ſingularia, ſine exiſtentia. 4. Natura habet ſuam exiſtentiam eiuſdem rationis in ſingularibus : ergo non eſt plus de ſe ſingularis, quàm ipſa natura.

Ad Arg. Differentia indiuidualis eſt vltima prædicamentalis : ſed exiſtentia actualis eſt poſterior, diſtinguens vltimatè, ſed extra-prædicamentaliter, ſicque quaſi accidentaliter, ſeu extra totam quidditatem.

QVÆSTIO QVARTA.

An ſubſtantia materialis ſit indiuidua per qãntitatem?

Dicitur quòd ſic : quia materialia ſunt diuiſibilia, & inter ſe diuiſa per quantitatem.

Contra. 1. *n.* 3. Hæc ſingularis ſubſtantia poteſt eſſe ſub alia & alia quantitate : vel conuerti in aliam ſingularem ſub eadem quantitate; ergo non eſt hæc ſingularis per hanc quantitatem. 2. *n.* 5. Hæc ſubſtantia eſt prior omni accidente : ergo non eſt hæc per quantitatem. 3. *n.* 7. Coordinationes prædicamentales ſunt diſtinctæ : ergo ſubſtantialis non includit quantitatem, &c. Nec vlla ſignatio materiæ per quantitatem poteſt eam indiuiduare : quia ſubiectum eſt prius omni effectu quantitatis circa ſe, nec quantitas eſt actiua in ſuum ſubiectum. 4. *n.* 10. Quantitas terminata ſequitur formam : interminata autem eſt communis inter genita & corrupta : ergo neutra poteſt indiuiduare, imo nec ipſa eſt de ſe hæc. 5. *à n.* 12. Contra rationes illius opinionis ſeu diuiſibilitatis. Alia eſt diuiſibilitas quantitatis in ſuas partes, alia naturæ & ſpeciei, &c. Concedo ergo quòd impoſſibile eſt ſubſtantiam indiuiduari, ſeu diuidi in partes ſubiectiuas per aliquod accidens, &c. *n.* 16. Quantitas & omnia accidentia corrupti ordine durationis præſupponuntur indiuiduationi geniti : ſed ex hoc nihil ſequitur ad B. ſeu quòd quantitas ſit naturaliter prior indiuiduatione illius ſubſtantiæ in qua eſt *n.* 17. Si nulla forma corporeitatis maneat formaliter in igne & aqua : nullum accidens quod requirit pro ſubiecto ſubſtantiam compoſitam, poteſt manere idem numero; ſed quodlibet vel erit in corrupto, vel in genito vt in ſubiecto; & ita quantitas & quoduis aliud accidens erit poſterius naturaliter ſuâ ſubſtantiâ, &c. Agens autem inducit formam ſubſtantialem, quâ materia perficiatur vt materia, non vt quanta, &c. De materia vt parte poteſt produci corpus compoſitum, quod comitatur quantitas vt eius paſſio. Hæc *Reſp.* negat dimenſionem interminatam manere eandem numero in compoſito generato & corrupto. De quo aliâs, in 4. *d.* 11. *q.* 2. *d.* 12. *q.* 3.

Ad 1. *Arg.* Ex prima differentia numerica ſubſtantiali, ſequitur differentia numerica accidentalis : hinc rectè Boetius ex negatione huius negat illam.

Ad

Ad 2. ex *Damaſc.* Differentia indiuidualis poteſt dici quaſi accidentalis ſpeciei, non autem per aliquod accidens. *Ad* 3. ex *Auic.* Vocat accidens quicquid non eſt præciſè de quidditate.

QVÆST. QVINTA.

An ſubſtantia materialis ſit hæc per materiam?

N. 1. Dicitur quòd ſic, à *S. Thom. p.* 1. *q.* 7. *&* 50. *Quæſt.* 6. *An ſubſtantia materialis ſit indiuidua per aliquam entitatem poſitiuam?*

N. 3. Hic dicitur à *Goff.* quod natura ſpecifica eſt de ſe hæc: ſed quãtitas eſt ratio cur plura ſingularia poſſint eſſe ſub eadem natura, &c.

Contra. 1. *n.* 5. Sic non eſſet proprium naturæ diuinæ, eſſe ex ſe ſingularem, & communem pluribus ſuppoſitis. 2. In qualibet conſecratione tota natura cuiuſcumque vini conuerteretur, ſine ſua quantitate. 3. Si Naturæ eſſent ex ſe hæ, exiſterent de ſe pluſquam Ideæ Platonis. 4. Nulla ſubſtantia poſſet generari nec corrumpi. 5. *n.* 8. Nulla eſſet diuiſibilis in parteſſubiectiuas.

N. 9. Ad Quæſt. *Reſp.* Quòd ſic. 1. Singulare eſt vnum per ſe: ergo propria vnitate, ac entitate poſitiuâ per ſe determinante ad ſingularitatem. 2. Singularia differunt: non natura; ergò differentijs ſingularibus primò diuerſis. *Infra. n.* 10. Potentiale quòd contrahitur per actuale, informatur ab hoc, & ab vnitate eius conſequente: non tamen eſt ſic vnum per ſe primò, ſed denominatiuè, &c. Differentia ſpecifica eſt vna ſpecie per ſe primò: quia ſibi primò repugnat diuidi in plura ſpecie. Albedo eſt vna ſpecie per ſe, ſed non primò: quia per differentiam ſibi intrinſecam. Ita concedo quòd quicquid eſt in hoc lapide, eſt vnum numero: vel primò, vel per ſe, vel denominatiuè. *n.* 11. Entitas ſpecifica, comparata infra ſe, non poteſt diuidi in plura ſpecie ſeu naturâ, &c. Comparata ſupra ſe, eſt actualis ad realitatem generis, vt potentialem: ita vt hæc non ſit ſaltem formaliter illa, ſed quandoque eſt etiam alia res. *n.* 13. Comparata iuxta ſe ad differentiam ſpecificam, poſſet eſſe non primò diuerſa ab alia, vt eſt illa entitas quæ ſumitur à forma: vltima tamen Differentia ſpecifica, quæ habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, eſt primò diuerſa &c. Sic & differentia indiuidualis. *n.* 14. Non tamen conſtitu̓ta per has vel illas differentias repugnant primò diuidi in plura inferiora: nec ſũt primo diuerſa; ſed in aliquo conueniunt, & differunt.

N. 15. Si quæras, quæ ſit iſta entitas à qua ſumitur differentia indiuidualis: An ſit materia, forma, vel Compoſitum? *Reſp.* Omnis entitas quidditatiua, ſiue partialis ſiue totalis, eſt de ſe indifferens ad hanc vel illam: nec compoſitum, nec materia, nec forma eſt de ſe hoc: ergo illa entitas nihil eſt horum, ſed eſt vltima realitas cuiuſuis entis

N. 16. *Ad* 1. *Arg. princ. huius Quæſt.* 6. Indiuiduum non eſt compoſitum propriè ex re actuali, & re potentiali: ſed minùs propriè ex realitate actuali, & realitate potentiali in eadem re. Qualis compoſitio nec poteſt ſtare cũ ſimplicitate Diuina. *Ad* 2. Singulare eſt per ſe intelligibile: An autem & noſtro intellectui, de hoc aliàs. *Ad* 3. Non poteſt propriè definiri quidditatiuè: quia non eſt quidditas; ſicque nec propriè demonſtrari.

Ad 1. *Arg. primæ Opin.* Species atoma .i. indiuiſibilis in plures ſpecies: In ea iubet Plato quieſcere; quia procederetur ad infinita indiuidua. *Ad* 2. Species dicit totũ eſſe quidditatiuũ. *Ad* 3. Non eſt idem principium diuiſibilitatis, & diſtinctionis.

N. 20. *Ad* Quæſt. 5. Concedo quòd materia abſolutè, vt natura, non eſt ratio diſtinctionis, nec indiuiduationis: quia nihil eſt in ea de ſe hoc. *Ad Ariſt.* 5. *Met.* Sumit materiam pro ipſa entitate indiuiduali, vt opponitur quidditatiuæ tanquam formali. 12. *Met.* Negat poſſe eſſe plures motores primos: quia in primo non eſt materia .i. nihil eſt quaſi materiale. 7. *Met.* In eis quæ ſunt ſine materia .i. ſine hac quaſi materiali contractione, idem eſt quid & cuius eſt. Appropriatur materiæ diſtinctio inter generans & genitũ: quia forma aſſimilat; ſed & hæc principaliùs diſtinguit.

QVÆST. 7. *Al. q.* 20. *Bon. hic. a.* 2. *q.* 2.

An plures Angeli poſſint eſſe in eadem ſpecie?

N. 3. Negant qui dicunt quantitatem vel materiam indiuiduare, &c. *Contra* 1. Quæuis natura eſt ex ſe communicabilis pluribus. 2. Eſt ex ſe conceptibilis non vt hæc. 3. Quilibet Angelus poteſt annihilari, & alius numero reproduci. 4. Animæ rationales differunt numero abſolutè, priùs natura omni inclinatione ad corpus. 5. Ex *Aug. Ench.* 28. Deus non damnauit integras ſpecies. 6. Sic quiuis Angelus eſſet infinitus, habens ſolus totam perfectionem infinitorum poſſibilium. 7. Ex *Damaſc.*

N. 5. Dico igitur quòd omnis natura quæ non eſt actus purus, eſt potentialis ad tot quot ſingularitates: Sed quæ eſt ex ſe, eſt ex ſe hæc; quia eſt neceſſariò quorum eſſe poteſt.

N. 6. *Ad* 1. *Arg. Ariſt.* Putauit omne immateriale eſſe ex ſe neceſſariò, ſicque hoc. *Ad* 2. Angeli differunt formaliter, vt formæ differentes, non quaſi ſinguli ſuâ formâ ſpecifica. Formæ autẽ ſunt ſicut numeri .i. inuariabiles formaliter, ſine mutatione ſpeciei. *Ad* 3. Ex 10 *Met.* Sola, ſed non omnis differentia formalis eſt ſpecifica. *Ad* 4. Forma immaterialis non habet totam perfectionem poſſibilem ſuæ ſpeciei. *Ad* 5. Deus & Natura agendo non intendit ipſam infinitatem impoſſibilem: ſed pluralitatem etiam numeralem, ad ordinem vniuerſi inter paria & diſparia. *Ad vlt.* Generatio plurium indiuiduorum corruptibilium eſt ad conſeruandam ſpeciem: ſed non ſolũ ad hoc.

QVÆST. 8. *Al. q.* 24. *S. Bon. hic.*

An Angelus poſſit ſe cognoſcere per eſſentiam ſuam?

N. 3. Dicitur à *S. Thom. p.* 1. *q.* 66. *&* 54. quòd ſic.

N. 5. *Aliter Henr. Gandenſis.* quod nonniſi per habitum ſcientialem propriæ eſſentiæ, vt aliarum.

N. 8. Ad quæſt. dico, Quod Angelus poteſt intelligere ſe per eſſentiam ſuam, vt obiectum: & per intellectum proprium, vt potentiam. 1. Quia ſunt concauſæ partiales proximæ & ſufficientes ad hunc actum. 2. Species intellibiles obiectorum ſufficiunt cũ intellectu: ergo & res ipſæ ſpirituales.

Contra. 1. Sic & res ſenſibiles poſſent immediatè intelligi. 2. Principium operandi debet ineſſe formaliter. 3. Obiectum debet per aliquid mouere intellectum. 4. Cauſæ tam inæquales non poſſunt agere ad idem, nec in ſe mutuò.

Ad 1. Vt *d.* 3. Species intelligibiles non ſunt neceſſariæ, niſi vice obiecti abſentis, vel non intel- ligibilis

Digitized by Google

ligibilis actu: eſſentia autem Angeli eſt ei præſens & actu intelligibilis. *Ad* 2. Neutra harum cauſarum debet alteram informare: quia quælibet habet ſuam vim propriam partialem. *Ad* 3. Obiectum & intellectus non mouent ſe inuicem in cauſando: ſed ſolum intellectum in recipiendo. *Ad* 4. Negatur de cauſis partialibus, &c. Vt *in* 1. *d.* 3. *q.* 6. 7. 9.

N. 13. *Ad* 1. *Arg. princ.* Anima eſt ex ſe actu intelligibilis, &c. *Et fortè propter hoc dicit frequenter Aug. Quod anima mouet ſe ſemper .i. proximè ad actum*, &c. Sed quare non exit iſte actus primus in ſecundum? *Reſp.* Quia ſubeſt impedimentum. Vt *in* 1. *d.* 3. *q.* 3. Sed in Angelo non eſt hoc impedimentum. *Ad* 2. Vnus Doctor dicit quod ſingulare immateriale poteſt per ſe intelligi, &c. Alius, quòd nec materiale, nec immateriale, ſub ratione ſingularis. *Neutrum credo eſſe verum*: niſi fortè de intellectu imperfecto. *Ad* 3. Potentiæ organicæ debent denudari ab obiecto: quia id non poſſunt intimè recipere niſi in ſua ſpecie. Non ſic intellectus. *Ad* 4. Idem poteſt mouere ſeipſum. *Ad vlt.* Intellectio ſuiipſius non eſſet ideo ſibiipſi eadem: ſed formaliter diſtincta per ſeipſâ, & cauſaliter à ſuis cauſis.

QVÆSTIO NONA.

An Angelus habeat notitiam naturalem diſtinctam eſſentiæ Diuinæ?

N. 2. Concordant aliqui in negatiua. 1. Quia non eſt ad hoc proportio naturalis. 2. Cognitio naturalis debet eſſe determinata: ergo nonniſi obiecti determinati. 3. Species per quam cognoſceret, eſſet magis imago Dei quàm Angelus ipſe. 4. Naturaliter cognoſceret etiam perſonas. 5. Vnus Angelus poſſet per iſtam ſpeciẽ naturaliter videre Deũ.

N. 6. Ad Quæſt. *Reſp.* Duplex eſt cognitio. 1. Abſtractiua ab exiſtentia, vel non exiſtentia actuali: eaque confuſa vel diſtincta. 2. Intuitiua rei vt in ſe præſentis & exiſtentis actu, &c. Non poteſt Angelus ex puris naturalibus cognoſcere Deum intuitiuè, vt *in* 4. *d.* 49. *q.* 11. Non videtur tamen negandum quin poſſit eum cognoſcere abſtractiuè: per ſpeciem etiam diſtinctè repræſentantem Eſſentiam Dei; non quidem naturaliter acquiſibilem, ſed naturæ Angelicæ concreatam. 1. Quia natura Angelica eſt naturaliter beatior humanâ. 2. Videns Eſſentiam Diuinam per raptum, recordatur eius: vt patet ex *Apoſt.* 2. *Cor.* 12. Ergo per eius ſpeciem diſtinctiorem. 3. Ex *B. Aug.* 4. *in Gen.* 22. 23. De cognitione matutina Angelorum in Verbo, priuſquam in genere proprio: necdum intuitiua, ergo abſtractiua; non confuſa vt noſtra, ergo diſtincta.

Ad 1. *Arg.* 1. *Opin.* Eſt proportio ſufficiens ad repræſentandum etiam diſtinctè, ſed non adæquatè. *Ad* 2. Deus eſt obiectum determinatum in ſingularitate, non in perfectione. *Ad* 3. Angelus eſt Imago Dei ſimilior in eſſendo, non in repræſentando, quàm vlla ſpecies intelligibilis. *Ad* 4. Species illa poteſt diſtinctè repræſentare Eſſentiam ſine Perſonis: vel iſta cognitio nõ eſt merè naturalis. *Ad* 5. Hæc ſpecies vel non ſufficit ad videndum ſupernaturalia: vel non prorſus naturaliter. *Ad* 6. *n.* 17. Eſſentia Angeli non eſt imago vt ſpecies intelligibilis, per quam vt incognitam, ſed vt cognitam cognoſcatur Deus. *Ad Arg. princ.* Eſſentia Dei vt intima poteſt influere ſui cognitionem: ſed Angelus non poteſt ex eâ elicere, niſi per ſpeciẽ.

QVÆST 10. *Al. q.* 24. *S. Bon. hîc.*

An Angelus non cognoſcat quidditates alias à ſe, niſi per proprias ſingularum rationes?

1. *Opin Henr.* Quod per vnicum habitum ſcientialem. 2. S. Thomæ *p.* 1. *q.* 55. per paucas ſpecies.

A n. 7. Contra hanc. 1. Nec vna ratio finita, nec paucæ poſſunt ſufficere ad cognoſcenda plura in infinitum. 2. Singulæ rationes cognoſcendi habent ſuum obiectum adæquatum. 3. Ratio cognoſcendi vel eſt propria, vel virtualis plurium. 4. Quæuis ratio cognoſcendi poteſt habere actum adæquatum. 5. Poteſt noſſe vnum, alio ignoto: ergo non eodem formaliter.

A n. 12. Contra illam *Henr.* 1. Nec habitus poteſt eſſe formaliter reſpectus. 2. Nec repreſentat vllum obiectum. 3. Quanto minus omnia? 4. Nec inclinat niſi naturaliter.

A n. 15. Ad Quæſt. Angelus cognoſcit abſtractiuè omnes quidditates, per earum proprias, & diſtinctas ſpecies intelligibiles, habitualiter permanentes: ſed intuitiuè, per res ipſas præſentes.

A n. 17. *Ad* 1. *Princ.* Sola eſſentia diuina eſt ratio eminens, ſeu virtualis, cognoſcendi inferiora. *Ad* 2. Perfectio accidentalis eſt minor ſuo perfectibili ſubſtantiali. *Ad vlt.* Poſſunt omnia intelligi per eſſentiam, & per ſpeciem.

A n. 18. *Ad Arg.* 1. *Opin.* Species vt permanens, poteſt dici habitus. *Ad* 2. Angelus non acquirit habitum ſciendi, ſi eſt ex ſe ad hoc ſummè habilis. *Ad* 3. In nobis habitus ſcientiæ perficit imperfectionem, quæ non eſt in Angelo. *Ad* 4. Species ſufficit ſine habitu, non habitus ſine ſpecie. *Ad vlt.* Obiectũ *eſt* præſens voluntati per intellectum.

Ad 1. *Opin.* 2. Angeli ſuperiores habent vniuerſaliorem ſcientiam, quam inferiores .i. perfectiorem. *Ad* 2. Perfectior intellectus perfectiùs cognoſcit, ſed non per pauciora. *Ad* 3. Nec ingenioſior cognoſcit per pauciora, quam tardior. *Ad vlt.* Species non plus repræſentat vni, quàm alteri.

QVÆSTIO VNDECIMA.

An Angeli poſſint proficere cognitione à rebus?

1. Opin. *n.* 2. *S. Thom. p.* 1. *q.* 54. 55. 56. Quòd Angelus non poſſit accipere ſpecies à rebus, nec habeat intellectum agentem & poſſibilem.

Contra. Hoc eſt alicuius perfectionis: ergo non deeſt Angelis.

2. Opin. *n.* 8. *Henr.* Quòd Angelus ſine habitu concreato non intelligeret, &c. *Contra.* Talis Intellectus ex ſe eſſet quaſi truncus, &c.

A n. 11. *Reſp ad Quæſt.* Angelus poteſt proficere accipiendo notitiam actualem à rebus. 1. De ſingularibus vt ſingularia ſunt: quia nec poſſunt cognoſci ex ſolo vniuerſali, nec per ſpecies concreatas ſingulorum poſſibilium, nec ſunt incognoſcibilia. 2. Etſi haberet ſpecies ſingularium: non tamen quoad quamlibet eorum exiſtentiam contingentem. 3. Ad cognitionem abſtractiuam: non ad cognitionem intuitiuam, niſi ex rebus ipſis in ſe, vel in eſſentia Dei. 4. Imperfectiora poſſunt acquirere ſuam perfectionem: ergo & Angelus.

Ad 1. *Arg. princ.* Angeli ſunt pleni formis: vniuerſalium, non ſingularium. *Ad* 2. Corpus non agit in ſpiritum: vt cauſa totalis, nec principalis.

Ad 3. Angeli non illuminantur ex ſenſibilibus.

In DIST. 4. QVÆST. Al. q. 19. B. hîc.

An inter creationẽ & beatitudinẽ Angeli fuerit mora?

In DIST. 5. QVÆST. 1.

An Angelus priùs eam meruerit quàm acceperit?

N. 2. Opin. *Magiſtri*, quòd eam mereantur poſt: vt milites ſuos equos & arma.

Contra. 1. Angelus fuiſſet beatificatus etſi nullus homo fuiſſet futurus: ergo non ob præuiſa merita circa hominem. 2. Actus internus eſt meritorius, ſine externo. 3. Vſus bonus præuiſus, non eſt meritorius primæ gratiæ: ergo nec gloriæ. 4. Status beatitudinis eſt certus: ergo non pendet à futuris.

Ideo tenetur quòd Angeli meruerint ſuam beatitudinem priuſquam receperint. 1. Quia quidlibet aſſequitur ſuam perfectionem per operationem ſibi poſſibilem. 2. Beati non operantur contingenter: ergo nec meritoriè. 3. Diſpoſitio eſt vt via ante terminum: ergo & meritum ante beatitudinem.

Ad 1. *Arg.* Merentur per hæc obſequia aliquam beatitudinem accidentalem: non præteritam, ſed futuram; imò hæc non ſunt tam meritoria vlterioris perfectionis, quàm redundantia ex perfectione. *Ad* 2. Meruerunt volendo finem vltimum, quando mali auerſi ſunt: præſtatq; vnum meritum intenſum, centum remiſſis. *Ad* 3. Difficultas neceſſaria ad meritum non eſt ex inclinatione ad oppoſitum: ſed ex opere ſupernaturali.

N. 5. *Ad* 1. *Quæſt.* 1. *Quot ſint moræ ponendæ circa Angelos? 2. Quæ ſint illæ?* N. 6. *Neceſſe eſt ſaltem ponere tres moras. 1. Creationis in gratia, vel ſolâ naturâ. 2. Meriti & demeriti. 3. Termini.* Poſſunt & poni 4.

N. 7. *Probabile eſt quòd quilibet Angelus fuerit aliquando in gratia, ſiue in inſtanti creationis, ſiue poſt. Nam etſi vt quis peccet non ſit opus habuiſſe gratiam: tamen congruum eſt Angelos non ſolùm accepiſſe libertatem & iuſtitiam naturalem; ſed etiam gratuitam.* Ex *Anſel. De caſu Diaboli*: & *Aug.* 11. *in Gen.* 17. *Deus non eſt prius vltor, quàm quis ſit peccator.*

A n. 8. Quantæ fuerint illæ moræ? Dico quòd vltima mora termini, correſpondet toti tempori poſt primum inſtans beatitudinis & damnationis. Si mora 1. vniformis coextitit tempori, non vltimo inſtanti: mora 2. potuit habere primum inſtans; ſed ſi illa coextitit vltimo inſtanti, hæc non potuit habere primum inſtans. Potuerunt peccare vel mereri primo inſtanti, vel cum tempore noſtro.

N. 9. Sed qualis erat mora 2. in ſe? Videtur quòd non inſtantanea. 1. Quia mali peccarunt pluribus peccatis diuerſæ ſpeciei. 2. Quia *Apoc.* 13. Fuit prælium magnum in cœlo, & tentatio prior reſiſtentiâ ac victoriâ. Hinc *Ad Arg.*

QVÆSTIO 2. Al. q. 29.

An Angeli fuerint beati vel miſeri 1. inſtanti?

A n. 3. *Reſp.* 1. Potuerunt creari tales ſine merito, aut culpa: imò & fieri tales ex merito, vel culpa in primo ſuo inſtanti. *Contra S. Thomam p.* 1. *q.* 63. *a* 5. & 9. eius rationes. *Contra.* 1. Aug. 11. Ciu. 13. *Qui dicunt Angelos à principio fuiſſe malos, non ſentiunt cum Manichæis.* Nec defectus cauſæ 2. eſt potiùs effectus Primæ in inſtanti Creationis, quàm Conſeruationis. *Contra.* 2. Obiecto præſente & cognito, voluntas eſt æquè cauſa ſui primi velle, ac ſecundi. Sed *S. Anſel.* finxit eſſentiam Angeli ſine potentia volendi: vel, ſine vllo affectu commodi aut incommodi. *Contra.* 3. Ad libertatem ſufficit prioritas naturæ: alioquin tolleretur omnis libertas actualis, cùm nihil fiat liberè niſi cùm fit, &c. vt in 1. *d.* 41. & in 2. *d.* 1. *q.* 3. *Contra* 4. Non eſt neceſſaria deliberatio per plures cognitiones: ſed ſufficit vna ad liberè volendum; nec plus deliberationis requiritur ad peccandum, quàm ad merendum. N. 9. *Contra.* 5. Potuit voluntas actu inſtantaneo obliquari: nec hæc obliquitas repugnat rectitudini naturæ. *Contra* 6. Potuit 1. inſtanti cognoſcere ſe vt ſibiipſi amabilem, & peccare nimio amore ſui. *Contra* 7. Fuit ex tunc debitum iuſtitiæ, ſeu moderandi motus naturales ad iuſtitiam conſeruandam vel acquirendam. *Contra* 8. Agere ſupponit eſſe, naturâ non tempore: nec vt mutatio, ſed vt actio vel paſſio. *Contra* 9. Ariſt. comparat tantùm vires, vt motiuas.

A n. 13. Teneo igitur quòd potuit in primo inſtanti habere potentiam perfectam ad volendum: nec limitabatur ad rectè volendum; ergo potuit 1. inſtanti peccare amore proprio inordinato.

Reſp. 2. De facto, nec Boni, nec mali fuerint beati in primo inſtanti. 1. Quia non fuerunt certi de ſua beatitudine. 2. Nec Deus priùs diſcreuit bonos à malis, quàm eſſent diſcreti inter ſe: ex *Aug.* in *Gen.* ſæpe. 3. Lucifer priùs ortus fuit & luxit, quàm ceciderit, *Eſa.* 14. *Ezech.* 28.

A n. 14. Iterum de tribus aut 4. illis oneris Angelorum bonorum, & malorum, latiùs quam ſupra, &c. Probabile eſt quòd fuerint 1. creati conformes in natura, ſine gratia. 2. Inſtanti, conformes in gratia. 3. Mali multipliciter demeruerint, & boni multipliciter meruerint. 4. Fuerint in termino. Vel poteſt dici quòd .i. erant creati vniformes etiam in gratia, &c. Longior fuit mora viæ quàm vnius inſtantis, &c. Si nunquam fuerunt vniformes in gratia, &c. *fuiſſet data malis, ſi non poſuiſſent obicem.* Nam potuerunt ponere obicem gratiæ recipiendæ: ſed non præmio in termino & inſtanti receptionis, &c. Non credo quòd omnino pares in via, fuiſſent diſpares in termino.

Ad 1. *Princ. n.* 17. Deus agit quando vult. *Ad* 2. Dubium eſt de ſtatu gratiæ in 1. inſtanti. *Ad* 3. ex *Aug.* 12. *Ciu.* 9. Deus fuit ſimul condens naturam Angelorum, & largiens gratiam .i. *gratis datam*: Vel eſto quòd etiam gratum facientem, in 1. inſtanti, necdum tamen beatitudinem ſupernaturalem, niſi ex meritis. *Ad* 3. ex *Ioan.* 8. Diabolus ab initio homicida fuit .i. poſt initium temporis. In veritate non ſtetit .i. non perſeuerauit. *Ad vlt. n.* 18. Poſſet negari quòd Angelus aſſequatur totam ſuam perfectionem naturalem ſine diſcurſu: nec vnicus actus meritorius eſt ſemper diſpoſitio ſufficiens ad aſſequendam beatitudinem.

In DIST. 6. QVÆST. 1. Al. q. 109. S. Bon. hîc.

An Angelus malus potuerit appetere æqualitatem Dei?

Negat *S. Thom. p.* 1. *q.* 63. Quia nec ex paſſione, nec ex ignorantia: ſed ex electione, quæ non eſt impoſſibilium, nec inconceptibiliũ, quale eſt eſſe æqualem Deo. *Contra.* 1. Eſſe æqualem Deo eſt quoddam bonum poſſibile. 2. Voluntas poteſt etiam eſſe impoſſibilium, 3. *Ethic.* & *Pſal.* 73. De poſſibili odio Dei, nolendo ipſum eſſe. 3. *Aug. q.* 30.

ex 83.

Digitized by Google

ex 83. Voluntas poteſt vti fruendis, & frui vtendis.

Reſp. n. 3. Angelus non potuit velle ſeu appetere æqualitatem Dei: affectu efficaci, per aliquam ſpem aut conatum perueniendi; ſed ſolo affectu ſimplicis complacentiæ & concupiſcentiæ, ſub conditione poſſibilitatis.

Ad 1. *Arg.* 1. *Opin.* Electio efficax non eſt impoſſibilium. *Ad* 2. Hoc totum complexum non eſt volibile: ſed ſingulæ partes. *Ad* 3. Æqualitas Dei præciſè poteſt concipi & appeti. *Ad* 4. Poteſt quis velle conſequenter non eſſe. Nec qui vult antecedens, vult & conſequens, niſi ſit de cōceptu illius. *Ad Anſ.* Non poteſt quis ordinatè velle nō eſſe.

Ad Arg. princ. Vt intellectus intelligendo, ſic nec voluntas peccat volendo ſummum Bonum: ſed ei cui conuenit.

QVÆST. 2. *Al. & S. Bon. ibidem.*

An peccatū primū Angeli fuerit formaliter Superbia?

N. 3. Omne nolle ſupponit aliquod velle: & velle concupiſcentiæ, ſupponit velle amicitiæ, &c. Hinc actus 1. inordinatus, fuit velle amicitiæ ad ſeipſum, 14. *Ciu. vlt.* Deinde velle concupiſcentiæ, Beatitudinis propriæ, vt ſummæ delectabilis.

N. 7. *Contra* 1. Beatitudo ab omnibus appetitur: ergo naturaliter. 2. Voluntas non errat circa vltimum finem. 3. Voluntas non poteſt non velle ſuum commodum.

N. 8. *Ad* 1. Affectio Iuſtitiæ, vt opponitur affectioni commodi, non eſt infuſa, nec acquiſita: ſed eſt ipſa libertas & obligatio naturalis moderandi inclinationem naturæ, etiam intellectualis, ad ſuum delectabile. Nam voluntas vt eſt merè appetitus intellectiuus ſummè inclinaretur actualiter ad ſuum optimum intelligibile: niſi vt libera poſſet ſe refrænare quoad ſubſtantiā actus, & eius intenſionem. Quòd ſi fuiſſet præciſè appetitiua, ſequendo ſuam inclinationem, non potuiſſet peccare: quia non fuiſſet in eius poteſtate aliud vel aliter appetere. Poteſt autem immediatè appeti beatitudo, vel nimis intenſè, vel nimis citò, vel ſi e vilis meritis, &c. Probabile eſt Angelum exceſſiſſe. 1. Plus appetendo beatitudinem & eius obiectum vt ſibi bonum, quàm vt bonum in ſe, vel ipſi Deo. Quæ eſt ſumma peruerſitas, vti fruendis, & frui vtendis. 2. Eam nimis citò appetendo. 3. Non ex gratia, ſed ex natura. Sola ergo inclinatio naturalis in actu primo non eſt peccatum: ſed immediatè elicita in actu 2. *Ad* 2. Intellectus non poteſt moderari aſſenſum ſuum, vt voluntas. *Ad* 3. Angeli mali appetebant eam nimio affectu commodi: Boni, affectu Iuſtitiæ, &c. vt eam habentes perfectiùs amarent ſuum bonum.

N. 13. Vlteriùs concupiuit ſibi excellentiam præ alijs, &c. nec Deo ſubeſſe, & tandem nec Deum ipſum eſſe. In quo videtur conſummata malitia. Sed Dubium eſt: an quis poſſit velle Deum non eſſe? Quia nulla ſubeſt in Deo ratio mali. *Reſp.* Si odium non eſt Dei in ſe, nec Iuſtitiæ, ſed effectuū eius, *Pſal.* 75. Odium Dei non erit maximum peccatum, nec contra Deum in ſeipſo; nec amor Dei habebit directè contrarium.

N. 14. *Art.* 2. De illo inordinato amore amicitiæ: Dico quòd non fuerit propriè ſuperbia; ſed potiùs reductiuè luxuria ſpiritualis circa propriam complacentiam, & delectationem in ſeipſo. Quæ poteſt dici præſumptio, & ſuperbia: nō vt eſt appetitus propriæ excellentiæ præ alijs; ſed vt affectatio nimia boni proprij, ex quo ſequitur illa excellentia.

A n. 16. Nec inordinatum velle concupiſcentiæ videtur fuiſſe propriè ſuperbia: ſed potiùs reductiuè luxuria, &c. vt ſupra. Nolle autem inordinatum videtur fuiſſe iræ, vel inuidiæ. Quibus nihil obſtat diſtinctio communis in. 7. peccata capitalia: quia hæc diuiſio nō eſt neceſſariò ſufficiēs ad omnia.

In DIST. 7. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 1. *Bon. hic.*

An Angelus malus velit neceſſariò malè?

1. Opin. *n.* 3. *S. Thom. p.* 1. *q.* 64. Quòd voluntas Angeli ſit immutabilis, ex immutabili iudicio & aſſenſu intellectus. 2. *Henr.* Ex abſoluta ac irreuocabili electione, & reſolutione liberæ voluntatis. *Contra* vtramque. 1. *Ex Aug. De fide ad Pet.* 5. Poſſibilius eſſet Angelis, conuerti ad Deum, quàm nobis. 2. Tam eſt obſtinata voluntas hominis damnati, quàm Angeli. 3. Anima Lazari reunita corpori, non erat impeccabilis. 4. Voluntas ſub actu eſt adhuc ad illum libera: quia actus non mutat naturam eius. 5. Angeli in via neutro modo fuerunt immutabiles. *Contra.* 1. Opin. 1. Supponit voluntatem determinari ab intellectu. 2. Sic nunquam eſſet libera. 3. Angelus bonus non potuiſſet peccare poſt primum actum bonum. 4. Certitudo aut euidentia noſtra non reddit voluntatem immobilem. *Contra* 2. Opin. 1. Voluntas non neceſſariò vult ſummo conatu: ſed poteſt eum moderari. 2. Æquè liberè adhæret obiecto, ac tendit in illud. 3. Voluntas mala non fit obſtinata per actum animæ ſeparatæ, ſed coniunctæ. 4. Securis infixa ligno non poteſt eadem vi retrahi: quia ſtringitur in ligno; non voluntas in obiecto.

A n. 11. Ad ſolutionem Quæſt. duo ſunt videnda. 1. De gradibus bonitatis & malitiæ. 2. Quis poſſit ineſſe, vel neceſſariò inſit Angelo damnato? De. 1. Dico. Præter bonitatem naturalem volitionis, eſt triplex moralis. 1. Ex genere, ſeu obiecto. 2. Ex omnibus circumſtantijs. 3. Gratuita ſeu meritoria, ex gratia & acceptatione Dei, &c. Cui opponitur triplex malitia, priuatiuè, vel cōtrariè.

A n. 14. De 2. Angelus malus poteſt habere bonam volitionem naturalem, & ex obiecto: ſed non poteſt benè velle meritoriè; nec in ſenſu compoſito, vt eſt malus; nec in ſenſu diuiſo, potentia propria, reali, actiua, totali, propinqua, nec Dei ordinatā; ſed ſolā propria paſſiua, vel actiua partiali, remota, poſſibilitate ſeu non repugnantia logica, & potentiā Dei abſolutā.

N. 15. In poteſtate Angeli non eſt meritoriè velle: *quia non eſt in poteſtate eius habere gratiam, nec per conſequens vti gratiā; nec etiam vti voluntate ſua cum gratia iſta.*

N. 16. Reſtat dubium de principio actiuo ad diſpoſitionem, &c. *An autem viator poſſit habere aliquem motum Attritionis ex puris naturalibus exiſtente influentia generali: vel requiratur aliqua operatio ſpecialis. De hoc in* 4. *d.* 14. *q.* 2. *Sed ſuppoſito quod ſic, negaret quis iſtam potentiam diſpoſitiuam ab Angelo damnato, &c.* n. 20. *Hæc obſtinatio poteſt dici eſſe à Deo: non poſitiuè eam volente; ſed deſerente & nolente dare gratiam.*

A n. 22. De Bonitate morali, & malitia oppoſita, dicitur à *S. Thom. p.* 1. *q.* 64. *a.* 5. Quòd non poſſunt habere volitionem moraliter bonam, ſed ſemper malam: quia eam deformant referendo inordinatè ad amorem ſui; & habitu peſſimo inclinantur ad malum. *Contra.* 1. Habent naturalia integra, ex *S. Dion.* 2. Habent Vermem, ſeu remorſum conſcientiæ. 3. Nolunt pœnam vt eſt læſiua naturæ, ſiſtendo in hoc: ergo non ſemper volunt malè. 4. *n.* 23. Cur non poſſint nihil velle? Cùm 1. *Retr.* 22. *nihil tam ſit in poteſtate voluntatis, quam ipſa voluntas, ſeu actus eius.* 5. Habitus non tollit libertatem voluntatis.

A n. 24. Videtur poſſe dici quòd non habeant neceſſariò vllum actum malum: ſed quòd poſſint ſe ſuſpendere ab omni actu, vel potiùs habere actum non malum moraliter, licet non completè bonum. Quamuis nec in hoc appareat impoſſibilitas: ſaltem videtur probabile, quòd poſſint habere actum bonum ex genere, non deformando eum circumſtantijs: vel ſi cum quibuſdam bonis, cum quibuſdam malis, non tamen oportet quòd actus ille ſit ſemper malus. Mirum enim videtur, negare talem potentiam naturalem in natura tam excellente. Probabile eſt tamen quod non exeant in talem actum, ob vehementem malitiam, &c.

Ad 1. ex *Iac.* 2. *Dæmones credunt. Poteſt dici quòd habent aliquem bonum actum diminutè. i. non malum malitia contraria. Ad* 2. Voluntas Angeli eſt remotè capax boni. *Ad* 3. *Poſſe peccare non eſt pars libertatis: ſed poſſe, eſt per ſe libertatis; poſſe autem peccare ſeu deficere, eſt libertatis vt defectibilis. Vel, potentia eſt ad actum poſitiuum, non ad ipſum defectum peccandi. Vel, libertas eſt ad non peccandum actu: ſed non ad non habendum peccatum. Ad* 4. *Peccatum eſt contra naturam, ſeu inclinationem naturalem quaſi paſſiuam voluntatis: vel contra actum debitum ineſſe, non contra ipſam vt eſt actiua & libera. Ad.* 5. Intellectus neceſſitatur ab obiecto, non voluntas. Ad 6. Habitus non intenditur, nec intendit actum in infinitum. *Ad* 7. Nec præmium Beati, nec pœna damnati ſemper creſcit: ſed quilibet actus eſt ſibi ipſi præmium, vel pœna accidentalis. *Aug.* 1. *Conf.* 12.

In DIST. 8. *QVÆST. Al. q.* 34. *Bon. hîc*

An Angelus poſſit aſſumere corpus?

N. 2. Aſſumere corpus, non eſt illud informare, nec ſibi hypoſtaticè vnire: ſed ad ſe ſumere intrinſecè mouendo, & vtendo ad operationes. *n.* 3. Non aſſumit corpus cæleſte, nec elementare: quia hæc non ſunt capacia accidentium apparentium; ſed mixtum perfectè aut imperfectè, per actiua & paſſiua ad hoc applicata. *n.* 4. Poteſt in eo cauſare motum quaſi progreſſiuum, & reſpirationis, ac diſtinctorũ membrorum: non tamen vllas veras operationes vitales, ſed tantùm apparentes, &c. *Ad* 1. *Arg.* Non aſſumit cœlum, ad motum ordinarium.

In DIST. 9. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 38. *B. d.* 10.

An Angelus ſuperior poſſit illuminare inferiorem?

Quæſt. 2. *An poſſit intellectualiter loqui alteri?*

A n. 4. *Art.* 1. Quomodo Angelus loquẽs cognoſcat id de quo loquitur. 2. Quomodo id alium lateat. 3. Quomodo alteri innoteſcat. 4. De illuminatione.

De 1. Ex *Henr. Quod.* 5. Angelus nouit ſingulare in ſolo ſuo vniuerſali. *De* 2. *n.* 5. Singulare vni notũ, latet alterũ. *De* 3. *n.* 8. Vnus alteri loquitur, ſeu exprimit ſingulare ſibi notum, formando in ſe, ſicque obijciendo alteri conceptum ſingularis vagi, ſub proprietatibus determinatis. *De* 4. *n.* 9. Superior non illuminat inferiorem infũdendo ei lumen: quia hoc eſt proprium Dei. Sed 1. Offerendo luminoſum. 2. Amouendo obſtaculum. 3. Diſponendo vltimò ad illuminationem. *n.* 3. *Contra.* 1. Singulare eſt quid poſitiuum, & obiectiuè diſtinctum à ſuo vniuerſali. 2. Videns totum, videt & hoc. 3. Cur non potiùs conceptum diſtinctum cuiuſuis ſingularis? 4. Quomodo poſſet ſic diſponere ad formam ſupernaturalem, & loqui vni ſoli, nil cauſando in audiente, ſed in ſe ſolo?

A n. 5. *Ad Quæſt.* 2. *Reſp.* 1. Angelus loquitur alteri cauſando in eo immediatè conceptum illius obiecti de quo loquitur. 1. Quia poteſt hũc conceptum in ſeipſo cauſare: ergo & in altero capaci. Nec hæc vis eſt limitata ad præſentiam intimã aut immediatam alterius: nec medium eſt capax huius aut vllius formæ ad hanc ordinatæ. Nec ideo poteſt loqui quantumuis diſtanti: quia hæc vis eſt limitata. 2. *n.* 19. Poteſt vnus Angelus videre alterum etiam diſtantem: ergo vnus poteſt influere cognitionem intuitiuam ſui ipſius, & eandem, vel abſtractiuam ſuorum conceptuum.

Dubium 1. *n.* 20. Quid Angelus loquens gignat in intellectu audientis? *Reſp.* Poteſt cauſare actum ſolum, vel ſolam ſpeciem, vel actum & ſpeciem ſimul. *n.* 22. Sed qualis actus intelligendi eſt auditio? *Reſp.* Eſt expreſſus à loquente vt intelligente, ex propria memoria ſeu obiecto & eius intellectione, in intellectu audientis paſſiuè tantùm.

Dubium 2. *n.* 22. Qualiter Angelus poſſit loqui alteri ſoli? *Reſp.* Vt eſt liber ad intelligendum hoc vel illud: ſic & ad loquendum huic vel illi. Sed quot poteſt ſimul loqui? *Reſp. Quære.* Ex Report. Non infinitis: ſed quot ſimul, Deus nouit.

A n. 25. *Ad* 1. *Quæſt.* Illuminatio in Angelo eſt quædam locutio de vero, perfectiua in actu ſecundo, &c. Angelus ſuperior illuminat inferiorem loquendo, ſeu exprimendo ei aliquod verum reuelatum. Sed videtur quòd non poſſit reuelare ipſum Verbum, vel quicquam in Verbo: niſi diſponendo ad deſiderandum & videndum. Nec quòd inferior poſſit illuminare ſuperiorem; niſi potentiã Dei abſolutã, vel extraordinariã.

Ad 1. *Arg.* 1. *Quæſt.* Hoc illuminare non eſt creare. *Ad* 2. Viſio in Verbo eſt illuminatio perfectiſſima. *Ad* 3. Lux excellens occupat viſum: ſed non impedit alia lucida ne luceant, &c.

Ad 1. *Arg.* 2. *Quæſt.* Non videtur Angelus ſolã ſuã voluntate poſſe occultare aut reuelare ſuam intellectionem, vel volitionem, potiùs quàm eſſentiam: ideoque etſi poſſit videri, non tamen audiri niſi locutione. Nec eſſet fruſtra loqui etiam videnti: quia eſſet communicare liberaliter ſuum conceptum alteri. Auditio etiam præcedens excitat ad viſionem. Nam nec Angeli fruſtra loquuntur Deo omnia videnti. *Ad* 2. Patet ex dictis. *Ad* 3. Etſi Deus concreauerit Angelis ſpecies omnium quidditatum: non tamen ſingularium, nec omnes notitias intuitiuas, nec complexas; ideoque non carent vi naturali eas acquirendi. *Ad* 1. inſtantiam.

Cur

Digitized by Google

Cur non æquè haberent intellectum Agentem & Poſſibilem, ac ſi nullas haberent ſpecies creatas? *Ad* 2. Non dependent à corpore vt ſubiecto vel organo: ſed vt ab obiecto intelligibili. Nec anima tantùm vnitur corpori vt obiecto: ſed vt ſubiecto, & parti totius operantis. *Ad* 3. Intellectus Agens perfectior, poteſt ab obiecto ſenſibili, ſine phantaſmate medio, elicere ſpeciem intelligibilem. *Ad* 4. Deus ſupplet omnem defectum totius naturæ: non autem intellectionis Angelicæ; quia habent vnde acquirant. *Ad* 5. Poſſunt cauſæ genere diuerſæ eſſentialiter ſubordinari ad eundem effectum: vt Subſtantia & Accidens, Deus & creatura. Cur non intellectus & quodcumque obiectum, etiam ſenſibile, vt cauſæ partiales eiuſdem intellectionis? Cùm omne ens ſit obiectum intelligibile: ſicque & ſenſibile, vt eſt ens. Nec *Aug.* 12. *in Gen.* negat corpus poſſe agere in Spiritum: niſi totaliter aut principaliter. Angeli poſſunt diſtinctè cognoſcere ſingularia: tam abſtractiuè, quàm intuitiuè, &c. In nobis phantaſma gignit ſpeciem ſibi & obiecto ſimilem naturaliter: ſed intellectus coagens tribuit ei indeterminationem.

Ad 3. *pro* 1. *opin. n.* 3. Proportionalitas non ſemper includit ſimilitudinem, ſed potiùs diſſimilitudinē. Intellectus proportionatur obiecto: nō vt finito, nec infinito; ſed vt determinato ex natura ſua, & per ſpeciem; non determinatione limitationis, ſed perfectionis. *Ad vlt.* Non eſt habitus ſcientiæ de ſingularibus: quia non habent proprias paſſiones ſcibiles; ſed eſt habitus ex frequenti cognitione.

In DIST. 10. *QVÆST. VNICA.*

An Angeli mittantur? Al. q. 36. *S. Bon. hîc.*

Reſp. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, *Heb.* 1. non tamen omnes ordinariè mittuntur ad extra: ſed ſuperiores ad illuminandos inferiores, hi autem ad nos, exceptis extraordinarijs miſſionibus ſuperiorum Angelorum ad nos, inſcijs etiam inferioribus. Vt patet ex *Eſa.* 63. *Pſal.* 23. *Luc.* 2. *Epheſ.* 3.

In DIST. 11. *QVÆST. VNICA. Al. q.* 41. *B. hîc.*

An Angelus Cuſtos poſſit aliquid effectiuè cauſare in intellectu hominis cuſtoditi?

Auic. putat omnes ſpecies intelligibiles rerum continuò manare à ſuprema Intelligentia per inferiores vſque ad nos. *Contra.* 1. Sic anima non vniretur corpori ad intelligendum. 2. Omnis noſtra cognitio oritur à ſenſu. 3. Nunquam eſſemus in potentia intrinſeca & proxima ad intelligendum.

A. *n.* 4. Ad *Quæſt. Reſp.* 1. Angelus non poteſt vt cauſa totalis nobis imprimere vllam intellectionem actualem, nec ſpeciem intelligibilem. Quia intellectus noſter pro hoc ſtatu non eſt capax, niſi ex phantaſmate. 1. *d.* 3. *q.* 3. *Hinc Angelus non poteſt rapere ad viſionem intellectualem: nec vllus raptus Diaboli poteſt eſſe niſi ad tam intenſam imaginationem, vt tota attentio, etiam intellectus, ſit ad illud ſolum imaginabile, abſq; vlla intellectione alterius intelligibilis. Sic & de quouis raptu nobis poſſibili, &c. Licet fortè quietatio ab omnibus extrinſecis, per talem viſionem quandoq; diſpenat, vt Deus animum ſic tranquillum rapiat ad viſionem intellectualem.*

Reſp. 2. *n.* 5. Angelus poteſt docere hominem faciliùs & perfectiùs quàm vllus homo: proponendo ſigna doctrinalia; non cauſando immediatè phantaſmata, nec ea transferendo de ſubiecto in ſubiectum. *Dubium* 1. An non transferat ea cum ſuo proprio ſubiecto ſeu humore aut ſpiritu animali, de cerebro vnius, ad cerebrum alterius? Videtur quòd non: quia non conſeruarentur ſeorſim, nec poſſent eſſe vſui phantaſiæ alienæ. Sed phantaſma nec pendet in eſſe, nec in vſu, ab eadem cauſa.

Dubium 2. An non variè commoueat humores & ſpiritus in quibus inſunt: ſicque diſponat & ordinet ad vſum faciliorem? Sed nec ſingula phantaſmata poſſunt ineſſe ſuis proprijs ſubiectis: nec videntur in eis commoueri. *Poſſet tamen humores & ſpiritus commotos, vel nimis calidos ſedare: ſicq; ad vſum diſponere, &c. Poſſet etiam fortè ſuo intellectu partialiter coagere cum noſtro, ad eliciendam ſpeciem ex phantaſmate. Hinc ad Arg.*

In DIST. 12. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 12. *S. Bon. hîc.*

An in ſubſtantia generabili & corruptibili ſit aliqua entitas poſitiua, diſtincta realiter à forma?

A *n.* 3. Quidam negant materiam diſtingui à forma: alij formam diſtingui à materia, niſi quodam gradu ſeu modo intrinſeco entitatis. *Contra.* Sic non poſſet eſſe generatio vnius ex altero, nec mutatio, nec conuerſio, nec cauſalitas & compoſitio materiæ & formæ. Hinc *B. Aug.* 12. *Conf.* 32. *Duo feciſti, vnum propè te, & alterum propè nihil, &c.*

A *n.* 10. Dicunt aliqui quòd materia eſt tantùm potentia obiectiua. Sed contra, vt ſupra. *Dico ergo n.* 11. Quòd materia eſt per ſe vnum principium naturæ, 1. *Phyſ.* Eſt per ſe cauſa, 2. *Phyſ.* & *Met.* Eſt pars compoſiti, 7. *Met.* Eſt per ſe fundamentum formarum, 1. *Met.* Eſt per ſe ſubiectum ſubſtantiale, 5. *Phyſ.* Eſt per ſe cauſa compoſiti, 2. *Phyſ.* Eſt terminus creationis: ergo non eſt in ſola potentia obiectiua, ſed ſubiectiua, ſeu actu exiſtens extra ſuam cauſam, &c. Dicitur tamen ens in potentia: quia eſt receptiuum omnium formarum. *n.* 12. Materia & forma ſunt cauſæ intrinſecæ compoſiti, ideo faciunt vnum per ſe: ſed albedo & homo non ſunt cauſæ intrinſecæ; quia hæc poteſt eſſe in vltima ſua actualitate ſine illa, &c. *n.* 16. Materia & forma ſunt primò diuerſa: quia hic eſt actus purus, illa pura potentia receptiua; ideo ſunt proportionata ad vnum per ſe.

Dico ergo quòd mihi eſt contradictio, quòd materia ſit terminus creationis & pars cōpoſiti, nec habeat eſſe.

QVÆST. 2. *Al. q.* 12. *S. Bon. hîc.*

An materia poſſit eſſe ſine forma?

N. 3. *Ad Quæſt.* Dico quòd non eſt contradictio, materiam eſſe ſine vlla forma ſubſtantiali, vel accidentali. 1. Quia eſt quid abſolutum, naturâ & origine priùs omni formâ, ex *Aug.* 13. *Conf.* 2. Quia forma non eſt de eſſentia materiæ. 3. Deus creat immediatè materiam; ergo poteſt ſolam creare, & conſeruare. 4. Eſt indifferens ad omnem formam: ergo non dependet eſſentialiter ab vlla. *Si quæras vbi eſſet? Dico quòd eſſet alicubi diffinitiuè, vel nuſquam, vt Angelus. Si quæras an habeat partes? Dico quòd habet partes ſubſtantiales. Si Dicas, ſaltem habet formam reſpectiuam ad Deum conſeruantem: Dico quòd ille reſpectus eſt idem realiter cum materia.*

Ad 1. *princ.* Quæ ſunt vnum ſola vnione, non identitate, poſſunt ſeparari. *Ad* 2. Accidens eſt imperfectiùs materia: Sed hæc eſt propè nihil,

Digitized by Google

ſeu infima in genere ſubſtantiæ. *Ad* 3. Nullæ priuationes ſunt oppoſitæ in eodem: niſi ſint formarum oppoſitarum immediatarum, neceſſariò inter ſe conſequentium, &c.

In DIST. 13. *QVÆST. Al. q.* 2. *Bon. hic.*

An lux gignat lumen, vt ſpeciem ſenſibilem ſui?

1. Quid ſit lux. 2. Quid lumen. 3. Qualiter lumen à luce gignatur.

De 1. *n.* 2. Lux non poteſt poni ſubſtantia. Quia eſt per ſe ſenſibilis. 2. Quia in igne eſt accidens. 3. Non eſt alia qualitas corporum cœleſtium.

De 2. *n.* 3. Lumen non eſt ſubſtantia completa: quia nec ſpiritualis, cùm ſit extenſa; nec corporalis, cum ſit intima aëri. Nec eſt forma ſubſtantialis: quia eſt idem aer ſiue illuminans, ſiue non. Nec eſt materia, &c. Sed eſt qualitas: non ſenſibilis per ſe, ſed intentio ſeu ſpecies ſenſibilis ipſius lucis. Quia neceſſaria eſt in oculo ad ſenſationem. Vt ergo lux viſibilis eſt prior naturaliter colore: ſic lumen vt ſpecies lucis, ſpecie coloris.

De 3. *n* 4. Radius rectus eſt rectà diffuſus per medium quantum poteſt ſe extendit virtus ſuæ lucis. Radius reflexus eſt qui obſtante opaco non poteſt ſatis extendi rectè, ſed reflexè. Radius fractus, eſt ex medio inæqualiter Diaphano aut denſo variè multiplicatus aut retortus, &c. Dico quod lumen iſtorum 3. Radiorum immediatè gignitur ab ipſa luce, & eſt ſpecies eius ſenſibilis, &c. Sed lumen ſecundarium vmbræ eſt ſpecies luminis primarij. Nec obſtat quod lumen videatur: quia & ſpecies intenſæ ſunt ſenſibiles, quando terminantur ad aliquod opacum, &c. Hinc in luna non eſt lux, ſed lumen terminatum ad eius opacum.

Ad 1. *Arg. Aug.* Sumit lucem pro corpore ſubtili. *Ad* 2. Lux non generat, ſed diſponit ad generationem. *Ad* 3. Lumen dicitur frangi & reflecti, metaphoricè. *Ad reliqua.* Species ſenſibiles poſſent denominare medium: nec excludunt ſeinuicem à medio; & poſſunt habere effectum realem in medio ac organo.

In DIST. 14. *QVÆST. Al. q.* 44 *B. d.* 12

An corpus cæleſte ſit eſſentia ſimplex?

Reſp. n. 1. Philoſophi putarunt eſſe ſimplex, vt neceſſarium, ſempiternum & incorruptibile. *n.* 4. Sed ſecundùm Theol. eſt compoſitum ex materia communi totius mundi, *Gen* 1. & 2. Ideoque ex natura ſua eſſet ſimpliciter corruptibile; quia tamē eius forma non habet contrarium à quo vinci poſſit, non poteſt corrumpi, &c. Nec tamen cœlum poteſt conuertere elementa in ſe: quia fortè non poteſt ea ſatis diſponere ad ſuam formam.

De animatione cœlorum B. Aug loquitur dubitatiuè *c.* 42. *Enchir.* & 2. *in Gen.* 18. Nec id retractat abſolutè 1. *Ret.* 8. 10. 11. Vnde liber de agnitione veræ vitæ non eſt Aug. *Damaſc.* negat eſſe animatos: Quia fruſtra anima vniretur tali corpori. Sed Anima non vnitur corpori ad recipiendam, ſed communicandam perfectionem. *Breuiter. Si cæli non ſunt animati: hoc eſt creditum, non ratione concluſum; quia nulla eſt conditio in corpore tam perfecto, manifeſtè repugnans animationi.*

QVÆST. 2. *Al. q.* 18. & 52.

An ſit aliquod cælum mobile præter ſtellatum?

N. 3. Nulla ſtella mouetur alio motu, quàm ſui orbis: quia vel relinqueret vacuum, vel cœlum non eſſet ſolidū, ſed fluidū. Hinc ſtellæ quæ non ſemper æquè diſtant inter ſe, non ſunt in eodem cœlo. Tales ſunt. 7. Panætæ inter ſe, & reſpectu ſtellarum fixarum. Vnde neceſſariò ſunt. 7. Cœli, ſinguli ſingulorum planetarum, ſub cœlo 8. ſtellarum fixarum, &c. Conceditur & nonum cœlum ſupra ſtellatum: ex motu diurno omnium cœlorum ſtellatorum, diſtincto à motibus proprijs ſingulorum. &c. *n.* 4. Sed dubium eſt an ſufficiant ſingulis planetis ſinguli orbes: ob varios motus ſingulorum. *n.* 6. Non poteſt ſaluari motus eleuationis, & depreſſionis planetarum, niſi per tres ſingulorum orbes Mundo excentricos, ſecundùm alteram vel vtramque ſuperficiem. *n,* 7. Cumque orbis deferens Mercurij, habeat centrum mobile extra centrum terræ habet proprium orbem mouentem, ſicque totum cœlum Mercurij conſtat. 5. orbibus. Præter quos ſunt Epicili ſeu parui orbes. non circa terram, ſed mobiles in illis maioribus: ad ſaluandas inæquales eleuationes planetarum, earumque ſtationes, proceſſiones, & retrogradationes. *Quicquid ſit de Epiciclis ſaltè orbes mobiles circa terrā erūt.* 25.

QVÆST. 3. *S. Bon. hic.*

An cœli agant in hæc inferiora?

N. 2. Agant in elementa mouendo, alterando, & generando. *n.* 3. Ponitur quòd luna habeat virtutem quandam trahendi ad ſe aquas maris, vt magnes ferrum, &c. Sequendo viam communem, quod tumor maris ſemper ſit in directo lunæ: tumor ille circuit totam terram, vt luna motu diurno ferè 25 horis. *n.* 4. Sed quare bis in die fluit, & refluit: vi detur quòd radij Lunæ non poſſint penetrare terram, &c. *n.* 5. Agunt in mixta perfecta & imperfecta. *n.* 6. Agunt in animata, alterando & diſponendo ea ad generationem, & corruptionem. Agunt in organa ſenſuum & appetitus ſenſitiui, ea variè diſponendo ſicque appetitum ſenſitiuum, imò & rationalem inclinando, non hunc neceſſitando.

Ad 1. *Arg.* Agens agit in diſtans, per medium capax eiuſdem vel alterius actionis ſubordinatæ. *Ad* 2. Niſi interueniret liberum Arbit. omnia neceſſariò euenirent. *Ad* 3. Non agunt tantùm per motum localem: quia hic eſt reſpectus, qui non eſt actiuus; ſed per aliquam formam abſolutam.

In DIST. 15. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 80.

An in quouis corpore mixto maneant elementa?

N. 3. Opin. 1. *Auic.* quòd maneant in mixto, remiſſa quoad qualitates. 2. *Com.* Quod remiſſa quoad ſubſtantiam. *n.* 5. Dico ad Quæſt. quòd neutro modo manent. 1. Nil cogit ad hanc pluralitatem formarum ſubſtantialium ſimul. 2. In quolibet mixto eſſent plura ſuppoſita ſubſtantialia. 3. Eſſent plures quantitates. 4. Termini generationis eſſent ſimul. *n.* 6. Sed ex *Ariſt.* dicuntur manere in mixto, quoad naturalem conuenientiam formæ mixti cum elementis: vel virtualiter, vt imperfectiora in ſuis perfectioribus. Nec vllum medium conſtat aliter extremis. *n.* 7. Nec 4. Elementa neceſſariò concurrunt ad mixtum: ſed aliquando ſufficit vnum, vt *Gen.* 1. Nec quando plura concurrunt, generant mixtum actiuè, niſi ex vi agentis Vniuerſalis. 1. Quia non ſunt ſimul in inſtanti generationis. 2. Sunt imperfectiora mixtis.

Ad

Digitized by Google

Ad 1. Mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio .i. vt ſupra. *Ad* 2. In mixto non ſunt qualitates elementares, ſed ſimiles, & perfectiores. Nam calor ignis alterat ad ignem : ſed calor carnis, ad carnem. *Ad* 3. Mixtum mouetur vt elementum prædominans .i. conuenienter. *Ad* 4. Corruptio intrinſeca non eſt ex contrarietate qualitatum elementarium : ſed propriarum ſingulis partibus eiuſdem corporis; vel ex imperfecta reparatione. *Ad* 5. Formæ elemẽtares ſunt priores in fieri, nõ in eſſe ſimul.

In DIST. 16. *QVÆST. Al. q.* 65. *S. Bon. hîc.*

An potentiæ rationales diſtinguantur realiter ab anima, & inter ſe?

1. *Opin. à. n.* 3. Quòd ſic. 2. *n.* 11. Quòd non ab Anima, ſed inter ſe. 3. *Henr. n.* 12. Quòd non niſi relatione ad actus & obiecta.

N. 15. Dico quòd non diſtinguuntur realiter inter ſe, nec ab eſſentia. 1. Quia hæc diſtinctio non eſt neceſſaria : ſed poſſunt actus diuerſi eſſe ab eadem ſimplici anima. 2. Quo quid perfectius, eo immediatius attingit ſuum finem. 3. Alioquin anima non beatificaretur niſi per accidens. 4. Quædam accidentia ſunt immediatè actiua : ergo potiùs anima 5. Hoc eſt perfectionis Diuinæ : ergo participatur ab anima. 6. Subſtantia generatur immediatè à Subſtantia : ergo & actus ab Anima. *n.* 16. Eſt quidem differentia rationis, ex diuerſis connotatis : ſed hoc nihil ad principium operandi. *n.* 17. Sed quia quædam *Author.* dicunt quòd potentiæ fluant ab eſſentia, &c. Ideo dico, &c. *n.* 18. *Quòd anima priùs natura eſt huius naturæ, quàm ſit vel ſic operatiua* : & potentiæ ſeu principia operandi continentur vnitiuè in natura. Hinc dici poſſunt egredi ab anima, vt eius paſſiones, & partes animæ, ſeu partiales eius perfectiones, &c. Nec ſic contenta, continent ſe mutuò : quia ſunt diſtincta formaliter inter ſe, & à continente, cui realiter identificantur, &c. vt 1. *d.* 2. *q.* 7. *d.* 8. *q.* 4. *d.* 10. 26.

N. 20. Ad formam Queſt. Imago S. Trin. non conſiſtit in tribus potentijs, ſed & actibus diſtinctis, &c. Vt *in* 1. *d.* 3. *q.* 5. 9. Hinc *ad Arg.*

In DIST. 17. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 60. *S. Bon. hîc.*

An anima Adæ fuerit creata in corpore?

N. 2. Fuit error Manich. quòd anima eſſet de ſubſtantia Dei, &c. Sed hic error eſt nullus, &c. 1. Opin. Quòd anima ſit ex materia : & tamen creetur ; quia non eſt ex illa vt priore. *n.* 3. Quicquid ſit de hoc, dico quòd poſſibile eſt animam creari ſine corpore. Quia forma quæ poteſt eſſe per ſe, poteſt fieri per ſe. *Sed quid de facto?* Non poteſt demonſtrari quòd ſit per ſe producta : quia nec quod ſit immortalis, de quo in 4. *d.* 43. Quamuis etiam ſit immortalis, nec ſubſit vlli agenti naturali, quoad eſſe vel non eſſe : necdum Philiſophus poneret eam creari, vt nec formam cœli, &c. *n.* 4. Sed ſuppoſito quòd fuerit creata, an ſimul cum corpore formato? Videtur ex *Aug.* 7. *in Gen.* 24. creata cum Angelis, & poſt veniſſe ad corpus. Sed contrarium *Aug. de Eccl. Dog. c.* 13. 1. Quia Dei perfecta ſunt opera. 2. Habuiſſent aliquem actum bonum vel malum ante corpora, contra *Rom.* 9.

Ad 1. *Arg.* Forma producitur in ſuo toto : niſi ſit prior naturâ, & prius terminet ſui productionem. *Ad* 2. Anima eſt & fit independenter à corpore.

QVÆST. 2. *Al. q.* 87. *S. Bon. hîc.*

An Paradiſus ſit locus conueniens habitationi humanæ?

Dico quòd ſic : tam pro ſtatu naturæ lapſæ, quàm innocentiæ. Ex *Gen.* 2. 5. 4. *Reg.* 2. *Eccl.* 4. Dicunt quidam quòd attingit vſque ad globum Lunæ, & ſit ad Orientem, ſub æquinoctiali, &c. In quocumque ſitu ſit, poteſt intelligi eſſe ad Orientem : niſi reſpectu duorum polorum immobilium, &c. Quòd dicunt de Altitudine, vel ſunt verba metaphorica, vel falſa, &c. Nec valet Arg. de Diluuio : quia fuit miraculoſum, ad puniendos peccatores, qui non erant in Paradiſo, &c. Nec videtur verum quod ſub æquinoctiali ſit regio temperata, &c. *Dico igitur ad Quæſt.* Quòd eſt locus conueniens habitationi humanæ. Hinc *ad Arg.*

In DIST. 18. *QVÆST. Al. q.* 60. *S. Bon. hîc.*

An in materia ſit ratio ſeminalis ad formam?

1. *Opin.* Quòd ratio ſeminalis non poſſit eſſe ipſa materia, nec eius potentia paſſiua. 1. Ex *Aug.* 10. *in Gen.* De Leui & Chriſto, in Abraham *Heb.* 7. ſed Leui ſecundùm rationem ſeminalem, Chriſto ſecundùm ſolam materiam. 2. Quia Deus multa producit de materia, ſine ratione ſeminali. Ergo eſt forma imperfecta, coagens ad perfectiorem. Ex *Ariſt* 3. *Ethic.* quòd agentia naturalia agant & patiantur ab intrinſeco.

Contra 1. *n.* 4. Si prima illa pars formæ non præfuit, creatur : ſi præfuit, nil noui generatur. 2. Forma illa imperfecta non ageret ad perfectam. 3. Nil educitur ad actum ex eodem ſecum. 4. Creatio excludit omnem aliam cauſalitatem. 5. Naturalitas non eſt ex principio actiuo, ſed paſſiuo, &c. *Vt motus ergo ſit naturalis, ſufficit quòd potentia paſſiua ſit ad talem formam inclinata, à quocumq; actiuo. Nec ſola materia, ſed & forma eſt natura, vt principium paſſiuum, &c. Nec violentum eſt ab extra, non conferente paſſo vim actiuam, ſed paſſiuam.*

N. 7. Reſtat igitur. 1. In quo ſit ratio ſeminalis. 2. Quid? 3. Ad quid? 4. Qualiter? *Ad* 1. Non eſt in Agentibus æquiuocè, nec vniuocè & immediatè : ſed mediante propagatione. *Ad* 2. *n.* 8. Semen eſt corpus quoddam, cuius forma non eſt intenta propter ſe, ſed ad generandum perfectiùs. Ratio ſeminalis eſt forma ſeminis vt ſemen eſt : eaque vel ſubſtantialis, vel accidentalis neceſſariò conſequens ſubſtantialem; ſed nec ſemen, nec ratio ſeminis ſunt coæua materiæ. *Ad* 3. *n.* 9. Non eſt ad generandum actiuè. 1. Quia non eſt in ipſo inſtanti generationis. 2. Non poteſt generare perfectius ſe : Agente principali abſente, vel nec exiſtente. N. 10. Nec ſemen vniforme videtur diſpoſitiuum actiuè ad generationem : niſi habeat paſſiuum difforme ; quia non poteſt ſeipſum corrumpere, nec promouere ad tantam perfectionem corporis organici. Quid ergo? Recurrendum eſt ad virtutem Diuinam : vt ipſe *Auerroes & Galenus.*

Ad. 4. *n.* 11. Omnia mixta, imò & ſingula elementa, poſſunt dici habere aliquam rationem ſeminalem ad perfectiora : vt cadauer bouis ad formam apis. Ex *Aug.* 3. *Trin.* 9. *& alibi.* Hinc patet quòd in coſta Adæ non fuerit ratio ſeminalis Euæ. 1. Quia ſemen eſt in potentia propinqua, non tam remota. 2. Quia ex illa ſola non potuit naturaliter fieri corpus Euæ, &c.

In

Digitized by Google

In DIST. 19. QVÆST. Al. q. 89. S. Bon. hîc.

An in ſtatu Innocentiæ corpora fuiſſent immortalia?

Ex S. Thoma p. 1. q. 97. poterant non mori, nec poterant mori, in ſenſu compoſito, ſed diuiſo. 1. Quia pœna non poterat eſſe ſine culpa. 2. Quia anima dominabatur corpori. 3. Ex iuſtitia originali, vt qualitate ſupernaturali conſeruante. Non tamen video quòd potuiſſet præſeruare ab omni contrario.

A n. 3. Concedo quòd Adam habuit potentiam moriendi ab intrinſeco & extrinſeco: ſed quæ non fuiſſet redacta ad actum; quia quilibet ante mortem fuiſſet tranſlatus ad ſtatum beatitudinis, lege ordinaria Dei, in fine ſuorum meritorum. *Hinc ad* 1. *&* 2. *Arg.* *Ad* 3. Elementa non ſunt violenter in mixto, nec formaliter. *Ad vlt.* Mors hominum in illo ſtatu, non plus fuiſſet pœna, quàm brutorum.

In DIST. 20. QVÆST. 1. Al. q. 95.

An filij fuiſſent tunc ſtatim confirmati in iuſtitia?

N. 2. Dico quòd non: quia hæc confirmatio & certitudo de Beatitudine *eſt maxima pars Beatitudinis*; ſed vt Adam fuiſſet confirmatus ne peccaret, ſi primam tentationem viciſſet, ſic & ſinguli eius filij *qui ſuæ primæ tentationi reſtitiſſent*. 1. Quia filij non fuiſſent melioris conditionis quàm Pater. 2. Iuſtitia illa non neceſſitabat ad benè operandum. 3. Meritum ipſius Chriſti non confirmat renaſcentes: ergo nec merita parentum tunc naſcituros.

Ad 1. *Arg.* *Anſ.* Aliter dicit opinando, vel de facilitate non peccādi, &c. *Ad* 2. ex *S. Greg. Concedo quòd nulli reprobi nati fuiſſent: quia omnes nati ſeruaſſent iuſtitiā, non quia non potuiſſent non ſeruare. Ad* 3. ex *S. Dion.* 4. *Diu. nom.* Bonum eſt efficacius malo: quia hoc eſt impotentiæ; ſed poteſt pluribus obeſſe, quàm illud prodeſſe. Nec malū Adæ fecit nos obſtinatos. *Ad vlt.* Adam non fuiſſet æquè cauſa noſtræ Iuſtitiæ ac culpæ.

QVÆST. 2. Al. q. 95. S. Bon. hîc.

An tunc illi ſoli fuiſſent geniti, qui nunc electi?

A n. 2. Dico quòd ſoli nunc electi, fuiſſent tunc nati. Ex *Greg.* 4. *Moral.* Quia omnis ordinatè volens, poſt volitionem finis, immediatè vult quod eſt proximius fini: ergo Deus vult 1. ſeipſum vt finem. 2. Vult communicare creaturæ rationali ſeipſum vt finem beatificum. 3. Vult ei gratiam ad hoc ordinatam. 4. Vult hunc & illum beatificandum naſci ex talibus aut talibus parentibus.

Ad 1. *princ.* Idem homo numero quoad animam & corpus, poteſt eſſe horum, vel illorum parentum, aut nullorum: & eadem materia poteſt procedere per hos vel illos; nec idētitas cauſæ efficientis eſt neceſſaria ad identitatē numericā effectus.

Ad 2. Poteſt dici æqualis numerus virorum, & mulierum ſaluandarum: vel inæqualis in ſtatu innocentiæ, &c. Vel qui nunc eſt vnius ſexus, potuit tunc eſſe alterius; quia hæ ſunt differentiæ accidentales, &c. Quidam ineptè addit quod ſola B. Virgo reſurget in ſexu muliebri.

QVÆSTIO TERTIA. Al. q. 95.

An proles tunc creuiſſent corpore & ſcientiā, vt nunc?

Fuiſſent primò neſcij, & inepti ad progreſſum.

In DIST. 21. QVÆST. 1. Al. 120. S. Bon. hîc.

An primum peccatum hominis potuerit eſſe veniale?

Quod non. 1. Quia corrupiſſet ſtatum Innocentiæ. 2. Non potuiſſet eſſe niſi ex inordinatione virium ſuperiorum. *Contra* 1. Gratia illa non vniebat perfectius vltimo fini, quàm nunc. 2. Actus ex ſuo genere poteſt eſſe peccatum veniale: nec quælibet perfectio fuiſſet ſub præcepto.

N. 3. Dico ergo quòd ſic: quia peccatum mortale non diſtinguitur à veniali ex eo quòd illud ſit circa finem, hoc circa ſola media: cùm vtrumque poſſit eſſe circa hæc & illum; ſed quòd mortale ſit contra præceptum neceſſarium ad finem, veniale tantùm contra conſilium. Porro Adam non tantùm potuit agere contra præceptum neceſſarium ad finem: ſed etiam contra ſolum conſilium. *Ad* 1. Obliquitas venialis non repugnabat illi iuſtitiæ habituali: imò nec fortè actuali; quia vt nunc quæuis vana gloria non repugnat quantocumque merito actuali, ſic nec tunc. Nec eſt idem de Beatis: quia ſi poſſent deficere, eſſet contra præceptum non diuertendi ſe ab Obiecto beatifico. *Ad* 2. Poteſt etiam eſſe motus venialis in viribus ſuperioribus. Hinc *ad* 1. *Arg. princ.* *Ad* 2. Veniale meretur minorem pœnam quàm mortem: ſiue ſolam diſplicentiam, ſiue actum aliquem meliorem.

QVÆST. 2. Al. 120. S. Bon. hîc.

An 1. peccatum Adæ fuerit grauiſſimum?

1. Quale fuerit. 2. Quàm graue in ſe. 3. Comparatiuè ad peccatum Euæ. Ad 1. *n.* 2. Non fuit ex immoderato amore proprio: quia priùs nouit alia quàm ſe; ſed ex immoderato amore amicitiæ ad vxorem. *Aug.* 11. *in Gen.* Noluit eam contriſtare, &c. non ex amore concupiſcentiæ, quia hæc necdum erat. *Ad* 2. *n.* 3. Non fuit grauiſſimum: nec vt directè contra ſummum bonum, ſed formaliter contra bonum creatum obedientiæ & temperantiæ; nec vt contra 1. aut 2. præceptum diligendi Deum & proximum, aut aliquid legis naturæ, ſed poſitiuæ, ex nimio amore vxoris. *Ad* 3. *n.* 4. Peccatum Euæ, in appetenda æqualitate Dei, ex ſeductione Diaboli, 1. *Tim.* 2. fuit multò grauiùs peccato Adæ: ſed hoc fuit illo grauius per accidens, ex dignitate, poteſtate, & ſapientia Adæ, præ Eua, & grauitate damni illati. *Hinc ad Arg.* Nec peccatum Adæ priuauit omnes directè & formaliter iuſtitia originali, ſed ſolùm demeritoriè: nec meruit maximam pœnam, niſi extenſiuè & conſequenter; nec erat contra Deum directè & formaliter, ſed tantùm interpretatiuè, &c.

In DIST. 22. QVÆST. Vnica. S. Bon. hîc.

An peccatum Adæ fuerit ex ignorantia?

Reſp. Non fuit ex vllo priore errore aut ignorantia facti, vel peccati: ſed potuit eſſe ex aliqua ignorantia conſequentiarum; & cum ignorantia concomitante, ac conſequente nimium affectum placendi vxori. Quia nullus error aut ignorantia vitioſa fuit ante peccatum: nec vlla apparentia veri aut boni pro falſo & malo; ſed veri boni, diligendi vxorem, liberè excedendo.

Ad 1. *Ex Aug.* 14. *Ciu.* 11. Adam credidit peccatum ſuum futurum veniale: non errore priore, ſed comitante vel ſequente primum peccatum internum. *Ad* 2. Peccatum placendi vxori: potuit eſſe ex electione, ſine mora.

In DIST. 23. QVÆST. Vnica. Al. q. 1. B. hîc.

An voluntas creata poſſit eſſe impeccabilis?

N. 4. Quod non. 1. Quia non poteſt eſſe ſua

regula.

regula. 2. Habet pro obiecto omne bonum, etiam apparens. 3. Eſt de nihilo: ergo & defectibilis. *n.* 5.

Hæ rationes non concludunt. *Ad* 1. Poſſet neceſſariò cõformari ſuæ regulæ. *Ad* 2. Bonũ apparens poteſt eſſe obiectum voluntatis nolentis. *Ad* 3. Intellectus & amor Dei creatus, eſt etiam ex nihilo: nec tamen poteſt deficere, &c. *Dico ergo quod omnis creatura vt ex nihilo, poſſit deficere in nihilum eſſendi & operandi: ſed non culpabiliter.*

Ad Quæſt. n. 6. Non poteſt fieri talis voluntas impeccabilis per naturam. *Ex Aug.* 3. *Contra Max.* 13. *S. Hier. de filio prodigo. Anſel. c.* 10. *Cur Deus Homo.* 1. Quia ſola voluntas prima eſt ex ſe recta. 2. Voluntas creata ex ſe poteſt deficere à ſummo Bono. *Teneo igitur hoc magis propter auctoritates.*

Ad 1. *Arg. princ. n* 8. Non poteſt fieri corpus immobile: ſic nec voluntas indefectibilis. *Ad* 2. Etſi poſſet neceſſariò tendere in bonum infinitum: non ſic tamen in quodlibet ad illud ordinatum *Ad* 3. Poſſe peccare relatiuè ad actum vel defectum, non eſt pars libertatis: ſed poſſe abſolutè & fundamentaliter ipſum actum, qui eſt peccatum. *Ad* 4. Etſi poſſet fieri natura impeccabilis per gratiam: de quo *in* 4. *d.* 44. *q.* 6. non tamen per naturam; *quia perfectibile non poteſt eſſe ſuum perfectiuum. Quanto enim perfectibilius erit: tanto & maior eius perfectio. Quamuis ergo gratia & charitas ſit perfectio finita: non poteſt tamen identicè contineri in ſuo ſubiecto. Et quamuis ei concrearetur: non eſſet tamen de eius natura, nec eam neceſſariò conſequens.* Ad vlt. *Inclinatio naturalis non eſt actus elicitus: ſed ſi voluntas poteſt velle primo inſtanti, non video quin & tunc poſſit peccare; nec vllus eius actus elicitus eſt naturalis ſed liber, niſi vt conformis inclinationi naturali.* Alij tamen negarent peccari poſſe primo inſtanti: ne redundaret in Deũ.

In DIST. 24. *QVÆST. Vnica. S. Bon. hîc.*

An portio ſuperior ſit diſtincta ab inferiore?

N. 2. Neutra Portio eſt vnica potentia: ſed ex *B. Aug.* triplex potentia ſpiritualis, vt circa æterna, eſt portio ſuperior, vt circa temporalia, eſt portio inferior. Nec illa eſt tantùm contemplatiua, hæc tantùm practica: ſed illa eſt etiam practica, referendo temporalia ad æterna. Nec Portio ſuperior vllius potentiæ, eſt potentia diſtincta à ſua portione inferiori. 1. Quia eſt eiuſdem potentiæ verſari circa principia, & concluſiones ex principijs, circa finem & media ad illum. 2. Beatitudo eſt etiam portionis inferioris, vt meritoriæ: ergo non vt potentiæ diſtinctæ à portione ſuperiore. 3. Idem habitus Charitatis perficit vtramque portionem voluntatis: ergo eſt vnica potentia.

Ad 1. *Arg.* ex *Aug.* 12. *Trin.* 4. Imago Dei eſt expreſſiùs in portione ſuperiore circa æterna. *Ad* 2. De diſtinctione potentiarum per obiecta formalia adæquata, &c. *Non video quin albedo ſit æquè obiectum formale viſus, ac color. Quia color vt quid commune non videtur: ſed hoc album, & hoc nigrum. Nec vlla potentia creata habet obiectum adæquatum non abſtractum: quia ſola Eſſentia Diuina continet omnia perceptibilia, &c. Non ergo omnis diſtinctio formalis obiectorum facit diſtinctionem potentiarum. Imò* Ariſt. 2. De Anima, *ex tali mixtione organi infert potentiam eſſe talis obiecti, &c. Sed potentiæ non organicæ, quæ ſunt circà totum ens, non poſſunt diſtingui ex obiectis. n.* 7. *Si ens habet conceptum communem ad creatum & increatum, eſt obiectum adæquatum intellectus, &c. Si non: ſola Eſſentia Diuina erit Obiectum primum & adæquatum harum potentiarum. Sed hoc falſum eſt, ex Diſt.* 3. *q.* 2. *&* 3. *Sicq; probabile eſt quod hæ potentiæ non habeant vnum obiectum adæquatum vnius rationis, ob ſuam perfectionem, &c. Vt nec poteſt eſſe obiectum adæquatum Potentiæ Dei, niſi ens poſſibile &c. Sic nec poteſt eſſe vnum obiectum adæquatum intellectus: quia excedit omnia. Vel dic, quòd quantumuis obiecta diſtinguantur: ſi vnum poſſit eſſe principium cognoſcendi alterum, non requirunt diſtinctionem potentiarum. Qualia ſunt obiecta Portionis ſuperioris & inferioris.*

In DIST. 25. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 74.

An quid aliud à voluntate cauſet eius actum?

1. Opin. *Goff. n.* 3. Quod phantaſma ſit cauſa volendi. 2. *n.* 5. *Henr.* Quòd obiectum cognitum, vel eius cognitio. *Ad Quæſt. n.* 22. Dico quòd nil aliud à voluntate eſt cauſa totalis volendi. 1. *à n.* 2. Ex *Aug.* 12. *Ciu.* 6. 1. *Retr.* 22. & alibi. *Nihil eſt tam in poteſtate noſtra, quàm ipſa voluntas.*

2. Paſſio non eſt in poteſtate patientis: ergo velle non eſt tantùm pati. 3. Finis vt finis non mouet voluntatem niſi metaphoricè: ergo nec obiectum. 4. Perfectiſſimæ potentiæ non poſſunt eſſe tantùm paſſiuæ. 5. *n* 5. Agens naturale non poteſt eſſe cauſa volendi, & nolendi idem. 6. Sic nullus actus merendi aut demerendi eſſet in poteſtate noſtra: ne quidem conuertendo aut auertendo intellectum ab obiecto; quia hoc nequit fieri liberè niſi per actũ voluntatis. 7. *n.* 9. Velle eſt perfectius omni phantaſmate: nec animæ & Angeli volunt per phantaſmata. 8. *n.* 22. Voluntas vult contingenter: ergo non determinatur ad hoc ab vlla cauſa naturali, ſed ipſa determinat ſeipſam. Nec indeterminatio, aut determinatio voluntatis poteſt eſſe ab intellectu: quia eſt ex ſe naturaliter determinatus. Nec *Ariſt.* diſtinguit agens naturale, à Propoſito, quaſi ab intellectu, niſi vt practico, includente voluntatem.

Ad 1. *Arg. princ. n.* 24. Obiectum non mouet cauſaliter, niſi partialiter. *Ad* 2. Voluntas non eſt factiua: nec vt actiua, eſt alia à ſeipſa vt paſſiua. *Ad* 3. Voluntas vt libera poteſt in ſe cauſare accidens cõtingens. *Ad* 4. Potentia indeterminata, ſi eſt perfecta & libera, poteſt ſeipſam determinare. Hinc *& ad Arg.* pro. 1. & 2. Opin. Voluntas eſt perfectior ſua volitione: ſed non ſeipſa volente.

In DIST. 26. *QVÆST. Al. p.* 3. *q.* 69. 70. *B. hîc.*

An gratia ſit in eſſentia, vel potentia Animæ?

A n. 3. Ex *S. Thom.* 1. 2. *q.* 10. Eſt primò in eſſentia: Quia dat primum eſſe & agere ſupernaturale. *Contra.* 1. Gratia eſt diſpoſitio per ſe ad gloriam: hæc autem cùm ſit actus circa obiectum Beatificũ, eſt in potentia; ergo & illa. 2. Gratia perficit animam ad actus meritorios voluntatis: ergo eſt in hac.

Concedi poteſt quòd hic habitus ſupernaturalis. 1. *d.* 17. perficit potentiam voluntatis, in ordine ad obiectum & actum determinatum: non autem eſſentiam. 1. Quia hæc vt ſic nullum reſpicit obiectum vel actum. 2. Ex *Anſel. de concept. Virgin. cap.* 3. Omnis iuſtitia & iniuſtitia eſt formaliter in voluntate 3. Oppoſita ſunt circa idem: ergo vt peccatum, ſic & gratia eſt in voluntate.

Digitized by Google

Ad 1. *Arg.* Eſſentia ipſa refertur ad Deum per propriam potentiam. *Ad* 2. Gratia ſemper gratificat formaliter: ſed non agit niſi cum potentia. *Ad* 4. Eſſentia non eſt Deo ſpecialiter accepta, niſi per potentiam, & ordinem ad actum. Nec *Abel Gen.* 4. fuit acceptus Deo, niſi ob gratiam & actum internum ante externum. *Ad* 5. Habitus agendi debet eſſe in ipſa potentia, non eſſentia. *Ad vlt.* Eſſentia non eſt perfectibilis, niſi per potentiam.

In DIST. 27. *QVÆSTIO Vnica.*

An gratia ſit virtus? Al. p. 3. *q.* 69. *S. Bon. hic.*

Opinio *Henr. & S. Thom. n.* 2. Quòd gratia ſit quoddam lumen ſupernaturale, ſe habens ad virtutes Theologicas, vt lumen naturale ad acquiſitas: vel vt anima ad ſuas potentias, quibus identificatur. *Contra.* 1. Sic nec fides, nec vlla virtus poſſet eſſe informis. 2. Sic omnes virtutes manerent in patria. *Ideo eſt alia Opin. n.* 3. Quòd gratia formaliter eſt virtus ſeu charitas: & quicquid tribuitur vni, tribuitur alteri. Vtraque enim diuidit inter filios regni & perditionis. 15. *Cin.* 18. Vtraque eſt forma virtutis, & neutra poteſt eſſe informis. Vtraque vnit perfectè vltimo fini. Et ſic teneri poteſt opin. Magiſtri *in* 1. *diſt.* 17. Sed charitas eſt perfectio ſimpliciter, & formaliter in Deo: non ſic gratia. *Reſp.* Charitas eſt qua Deus habetur charus: gratia, qua Deus habet nos charos, ſeu gratis diligit. Hoc eſt alicuius imperfectionis in nobis, non illud: in eadem tamen re. Vel idem vt principium operandi eſt charitas, & perfectio ſimpliciter: vt obiectum dilectionis Dei gratuitæ, eſt gratia, non perfectio ſimpliciter. *Ad Arg.* Vt virtutes morales ad prudentiam: ſic ſupernaturales ad Charitatem.

In DIST. 28. *QVÆST. Al. p.* 3. *q.* 69. *B. hic.*

An liberum Arb. ſine gratia poſſit cauere pec. mort?

1. Opin. *Hen.* quòd non omnia, ſed ſingula. 2. S. Thomæ 1. 2. *q.* 109. Quòd non in ſtatu peccati mortalis. *Contra vtramque n.* 3. Peccatum mortale non eſt niſi contrà præceptum pro tunc poſſibile. *Contra* 1. *n.* 5. Poteſt hoc & illud quouis tempore aut inſtanti caueri: ergo omnia; quia cauendo ſingula occurrentia, cauentur omnia. *Contra.* 2. Vnum peccatum non excœcat, nec deprauat hominem circa omnia: nec Deus obligat ad ſeruanda quæuis mandata ex charitate.

Ad Quæſt. n. 7. Non poteſt ex ſe ſine gratia cauere peccatum mortale contractum aut commiſſum: non ex oppoſitione immediata inter gratiam & culpam, quia potuiſſet quis eſſe in puris naturalibus; nec ex impoſſibilitate abſoluta, ſed ex lege Dei ordinaria non remittendi culpam niſi per gratiam. *De quo in* 4. *diſt.* 16. Confirmatur. *n.* 7. ex præcepto diligendi Deum, &c. *Mat.* 22. Ad quod voluntas aliquando tenetur. Quòd cùm præſtat, *quamuis informis, & diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem ſibi oblatam*: vel reſiſtet, & peccabit mortaliter; vel conſentiet, & iuſtificabitur.

Ad 1. *Ex Rom.* 2. Gentiles potuerunt iuſtè viuere ſeruando legem naturæ &c. *Sed non benè vixerunt ſine omni gratia. Ad* 2. *Ex Aug.* 3. *lib. arb.* Poteſt quis cauere ne reſiſtat gratiæ: non autem poteſt cauere peccatum ſtando in priori peccato. *Ad* 3. Liberum arbitrium ſeruare poteſt iuſtitiam habitam: ſed quæ non habetur ſeruari nequit, ex *Anſel.*

In DIST. 29. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 97. *B. hic.*

An Iuſtitia Orig. fuerit donum ſupernaturale?

Opinio Henr. n. 2. Quòd præter donum infuſum fuerit etiam quædam rectitudo naturalis, & accidentalis: cuius incuruatio ſit vulneratio in naturalibus. *Contra* 1. Sic non poſſet peccari niſi corruptione talis rectitudinis naturalis. 2. Voluntas libera plus poteſt quàm talis qualitas. 3. Ex eius priuatione conſtaret hunc ſtatum non eſſe naturalem. 4. Illa eſſet tota corrupta per primum peccatum: quid ergo per ſequentia? 5. Rebellio eſſet ex ſola inclinatione naturali cuiuſuis appetitus.

A n. 4. Poteſt dici quod ſi iuſtitia originalis habuit effectum perfectæ tranquillitatis inter omnes potentias animæ: fuit donum ſupernaturale. 1. Quia quælibet potentia naturaliter inclinatur ad ſuum obiectum. 2. Quia vt intellectus ad ſenſibilia, ſic voluntas naturaliter condelectatur appetitui ſenſitiuo: nec poteſt delectabiliùs continere, niſi dono aliquo ſupernaturali circa Finem. Quòd ſi voluntas, totus homo delectabiliter continet: ſed non totus cum ſenſu triſtatur. Si autem & ipſi appetitus ſenſitiui delectabiliter obediebant rationi: videntur ſinguli habuiſſe ſuum donum ſupernaturale; quia hoc non potuiſſent ex ſola ſubordinatione naturali. Sed Iuſtitia originalis fuit potiſſimùm in voluntate.

Ad 1. *Arg.* Mors naturalis non fuiſſet pœna inuoluntaria, niſi peccando. *Ad* 2. Rectitudo naturalis, non eſt niſi ipſa libertas innata, & incorruptibilis. *Ad* 3. Exiſtens in puris naturalibus non eſt reus, vt priuatus iuſtitia accepta. *Ad Henr.* Donum illud ſupernaturale non fuit neceſſariò gratia quæ eſt principium merendi, tendendi, & vniendi bono ſupernaturali: ſed ei delectabiliùs & firmiùs adhærêdi, &c. De vulneratione in naturalibus, *d.* 25.

In DIST. 30. *QVÆST.* 1.

An quilibet lege communi propagatus ab Adam contrahat peccatum Originale? Quæſt. 2. *An peccatum orig. ſit carentia iuſtitiæ Originalis. Al. q.* 122. *S. Bon. hic.*

In DIST. 31. *QVÆST. Vnica.*

An Anima contrahat peccatum Orig. à carne infecta concupiſcibiliter ſeminata? Al. & S. Bon. ibidem.

In DIST. 32. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 122.

An in Baptiſmo remittatur peccatum Originale?

Suppoſito peccato Orig. ex *Rom.* 5. *& Aug.* Opin. eſt *Magiſtri, Henrici*, & aliorum *à n.* 2. Quòd ſit quædam morbida qualitas, cauſata in carne à voluntate Adæ peccante, inclinans animam vt quoddam pondus ad motus ſenſuales, & ad eis condelectandum, deprimenſque à Spiritualibus & ſupernaturalibus, vt *Sap.* 9. quâ tota caro primorum parentum infecta infecerit ac inficiat propagatione libidinoſa omnem carnem humanam, & ex ea ipſam, animam vnitam: Nec remittatur per Baptiſmum niſi quoad reatum; ſed maneat quoad prauam inclinationem, in pœnam peccati & exercitium virtutis. *Contra.* 1. *n.* 4. Quomodo voluntas peccando potuit inficere totum corpus hac qualitate morbida, nec poſſit eam vllo conatu vel auxilio gratiæ delere? 2. Ad quid illa qualitas ſeu fomes in carne: cùm appetitus ſenſitiuus etiam in puris naturalibus, proprio motu appetendo naturaliter ſua obiecta, hoc ipſo ſit rebellis rationi? 3. *n.* 5. Semen non eſt plus infectum ex ſe quàm ſputum, vt ait *Anſel. De* *concept.*

Digitized by Google

concept. Virg.6. & 7. Nec vnquam fuit animatum animâ peccantis : vnde ergo poſt tot tranſmutationes eſſet ita infectum vt inficeret totum corpus & animam? 4. Ex *Anſ.* Proles immediatè ex carne alicuius, non contraheret pecc. orig. 5. Quomodo corpus inficeret animam aliqua reali qualitate? 6. Cur non æquè omnes parentes peccando ſe & poſteros inficerent? 6. Si id eſt formaliter ipſum pecc. orig. quomodo idem manens remitteretur?

An. 7. De alia via *Anſ.* 1. Quid ſit pecc. orig. 2. An inſit. 3. Qualiter contrahatur. 4. Qualiter remittatur. *Ad* 1. *Anſ.* De conc. Virg. c. 27. *Per peccatum orig. intelligere nequeo, niſi factam per peccatum Adæ iuſtitiæ debitæ nuditatem.* Quia peccatum formaliter eſt iniuſtitia. *Dico ergo,* quòd pec. orig. non eſt niſi carentia iuſtitiæ orig. debitæ ex eius receptione & amiſſione in primo Parente: Non autem ipſa concupiſcentia appetitus ſenſitiui, nec rationalis, niſi materialiter; quia hæc ex ſola priuatione illius reſultat. *Ad* 2. Ineſt omnibus propagatis ab Adam : quia hi omnes carent iuſtitia originali debita, ex eius receptione & amiſſione in Adam. Vt *Anſ.* c. 2. In primis Parentibus tota Natura erat, & ſemper eſt debitrix habendi iuſtitiā quam accepit. Quia Adam eam accepit pro ſe & pro tota natura : ideo Deus eam iuſtè exigit à tota natura. *Contra.* Hæc natura ſingularis non fuit in Adam, niſi cauſaliter, vt & quæuis perſona. Nec fuit cauſaliter in Adam niſi quoad carnem, quæ non eſt capax habendi vel debendi iuſtitiam. *Reſp. n.* 9. Omne donum datum à Deo voluntate antecedente .i. ex parte Dei, ſine ſpeciali gratia & merito, eſt debitum vt acceptum : *Quia qui accepit voluntatem & gratiam benè operandi, eſt debitor bonorum operum quæ virtualiter continentur in illa gratia; & peccans frequenter non tantùm eſt reus illius gratiæ amiſſæ. Deus autem lege ordinariâ ſtatuerat dare illam Iuſtitiam orig. propagatis ex Patre eam habente : vt nunc creat animâ intellectualem in corpore organico.*

Contra. Opera bona non debentur niſi ab eadem voluntate quæ acceperit gratiam illa operandi. *Reſp.* Hoc debitum oritur ab ipſo dante, ex eius datione virtuali, voluntate antecedente : ſed Deus dando Adamo formaliter, dedit cuilibet poſtero virtualiter; ergo quilibet eſt eius debitor. In quo eſt ſimile de bonis operibus datis virtualiter per gratiam : quamuis non in reliquis omnibus. In hoc autem differt orig. ab actuali, quòd illud ſit carentia iuſtitiæ in alio receptæ & amiſſæ, hoc vt receptæ & amiſſæ à ſeipſo. *Ad* 3. Anima contrahit peccatum orig. per carnem : non quaſi aliqua cauſalitate; ſed ex eo quòd anima infundatur corpori organico concupiſcibiliter ſeminato, indeque fiat filius naturalis Adæ, & debitor iuſtitiæ orig. in eo receptæ & amiſſæ.

Ad 4. Peccatum orig. non deletur niſi per ſuum oppoſitũ formaliter aut virtualiter : Gratia autem gratum faciens continet virtualiter ac eminenter iuſtitiam orig. ſicque virtualiter opponitur peccato originali, quod non eſt formaliter ipſum debitum iuſtitiæ, ſed carentia iuſtitiæ debitæ. Quamuis enim gratia gratum faciens minùs facilè ac delectabiliter vniat Deo, quàm originalis : ſimpliciter tamen vnit perfectiùs ac eminentiùs, ideoque & perfectius remittit originale, ac ſoluit debitum habendi iuſtitiam originalem, quàm ſi hæc ipſa reſtitueretur. *Hinc ad Quæſt. Diſt.* 31. & 32.

Ad 1. *Arg. Quæſt.* 1. Peccatum originale eſt cuilibet voluntarium ſubiectiuè : ſed actiuè & liberè, nonniſi in Adamo. *Ad* 2. Omne peccatum caueri poteſt : in committendo, vel omittendo, non autem in habendo commiſſo. Vel caueri poteſt ab habente in ſe, vel ab alio. *Ad* 3. Debitum habendi iuſtitiam orig. eſt â Deo ſtatuente hanc legem : ſed ipſum formale peccati, ſeu priuatio illius iuſtitiæ, non habet cauſam poſitiuam niſi demeritum Adæ. *Ad.* 4. Solus hic defectus orig. eſt culpabilis. *Ad vlt.* Adam non corrupit ſe nec ſuam poſteritatem niſi demeritoriè.

Ad 1. *Arg. Quæſt.* 2. *d.* 30. Carentia huius iuſtitiæ debitæ ex proprio peccato actuali : non fuit peccatum orig. in ipſo Adam. *Ad* 2. Angelus non eſt capax talis iuſtitiæ. *Ad* 3. In Baptiſmo, per donum gratiæ perfectioris, ſoluitur debitum habendi gratiam originalem, & contrahitur debitum habendi illam, cuius priuatio eſt grauius peccatum, quàm huius. *Hinc ad reliqua.*

Ad 1. *Arg. Quæſt. diſt.* 31. Caro & pœna poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis culpæ, vt ſupra. *Ad* 2. Si Adam non peccante, Cain peccaſſet : huius filij contraxiſſet peccatũm orig. à Cain, non ab Adam. *Ad Arg.* Tribuit traductionem pecc. orig. propagationi libidinoſæ .i. vt hæc eſt ex defectu Iuſtitiæ originalis.

Ad Arg. Quæſt. 4. Iuſtitia orig. reſtituitur eminenter in gratia gratum faciente : quæ non tunc, ſed nunc poteſt eſſe ſine illa.

In DIST. 33. QVÆST. Vnica. Al. q. 122. B. hic.

An peccato orig. debeatur tantùm pœna damni?

Videtur Magiſtrorum ſententia, quòd damnati pro ſolo orig. nullam habebunt pœnam ſenſus. 1. Quia nullam habuerunt delectationem inordinatam. 2. Quia ſi triſtarentur, eſſent inuiti, murmurarent, deſperarent, ſicque paterentur pœnam grauiſſimam damnatorum.

Poteſt concedi, quòd poterunt acquirere cognitionem naturalem rerum omnium, perfectiorem quàm nos pro hoc ſtatu : & ſic aliqualem beatitudinem naturalem de Deo cognito in vniuerſali, ſed non in particulari; quia hæc non poteſt haberi naturaliter; nec eis reuelabitur ad pœnam, nec inde triſtabuntur; quia erunt contenti de ſtatu ſuo, ſcientes Deum ita diſpoſuiſſe, nec ſe actu proprio demeruiſſe.

Ad 1. *Arg.* Reſpondet S. Bon. quòd Auguſtinus exceſſiuè loquatur, vt ſolent SS. contra hæreſes. *Aliter poſſet dici, quòd punientur æterni ignis ſupplicio : in ſenſu diuiſo .i. quod eſt in æterno igne.* *Ad* 2. Vt corpora damnatorum patientur incorrupta : ſic hi carebunt beatitudine ſupernaturali, abſque vlla paſſione exteriori aut interiori, ex ſola diſpoſitione diuina abſque vlla dote impaſſibilitatis. *Ad* 3. Vt fomes in eis nullum vnquam motum habuit, ſic nec habebit. *Ad* 4. Deſiderium naturale irritum, non cauſat triſtitiam. *Ad* 5. Qui eſſet in puris naturalibus, non priuaretur vt reus, ſicut hi. Sed nunquam erit quis in puris naturalibus.

In DIST. 34. QVÆST. vnica. Al. q. 100. S. Bon. hic?

An peccatum ſit à bono vt à cauſa.

Digitized by Google

In DIST.35.QVÆST. vnica. Al. q.101. B. hîc.
An peccatum ſit per ſe corruptio boni?

In DIST.36.QVÆST. Vnica. Al. q.127. Bon. hîc.
An peccatum ſit pœna peccati?

In DIST. 37. QVÆST. 1. Al. q.100. Bon. hîc.
An peccatum poßit eſſe à Deo?

A n. 3. Ad Quæſt. 2. *in d.* 35. Quòd peccatum ſit formaliter priuatio boni, patet ex *Aug.* in Ioan. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil* .i. peccatum: Quia actus voluntarius non eſt peccatum niſi vt diſcordans à ſua regula: cui ſi eſſet concors, non eſſet peccatum; ergo ratio formalis peccati eſt priuatio huius concordiæ.

Cuius boni priuatio? 1. Opin. Quòd ſit priuatio boni in quo eſt, ſeu cui nocet. 2. *S. Thomæ* 1.2.*q.*86. quod ſit priuatio habituum bonorum quibus repugnat. *Contra.* 1. Subiectum peccati eſt prorſus incorruptibile: gratia tota perditur vnico peccato mort. habitus acquiſiti poſſunt eſſe æquales in peccante, & non; ergo peccatum non eſt horum priuatio. 2. Peccatum non poteſt eſſe formaliter priuatio bonorum à ſolo Deo dependentium. 3. Peccatum non repugnat formaliter voluntati: imo nec gratiæ, nec huius aut illius effectui neceſſario, ſed contingenti. 4. Peccata differunt ſpecie: ergo non ſunt priuationes eiuſdem boni.

*A n.*6. *Ad Quæſt. in d.*35. Cõcedo quod peccatum eſt formaliter corruptio ſeu priuatio rectitudinis: non naturalis nec habitualis, ſed moralis & actualis: non quæ ineſt aut infuit, ſed quæ deberet ineſſe actui. Voluntas enim libera eſt debitrix eliciendi omnes ſuos actus ſecundùm præcepta Dei: & ideò quandò diſcordat, caret iuſtitia actuali debita ineſſe tali actui. 1. Ex *Aug. l. de* 2. *Anim. l.*12. *Ciu.* 8. *S. Ambr. l.* 1. *de parad.* 2. Peccatum eſt formaliter iniuſtitia: ergo actuale, iniuſtitia actualis; & hæc priuatio iuſtitiæ debitæ ineſſe actui.

Hinc n. 8. An peccatum ſit potiùs auerſio, vel conuerſio? 2. Qnomodo differant ſpecie? 3. Quomodo differant grauitate?

Ad 1. Auerſio formalis à Deo vt fine vltimo, contrariè vel negatiuè, eſt ſolius odij Dei & omiſſionis eum diligendi. Auerſio virtualis à Deo, eſt ab aliquo neceſſario ad Deum vt finem vltimum: Et hæc eſt ratio communis & eſſentialis cuiuſuis peccati mortalis. *Ad* 2. Peccata non ſpecificantur, nec differunt ſpecie per conuerſionem ad diuerſa obiecta, quæ non ſunt niſi materialiter mala: ſed vt priuationes, per oppoſitionem ad rectitudines ſpecie differentes, quæ deberent ineſſe. *Ad* 3. Illud peccatum eſt peius ex genere, quod opponitur rectitudini meliori: hæc autem eſt melior, quæ eſt fini immediatior, cæteris paribus, &c. Sed ſub eodem genere peccati, illud eſt peius, quo voluntas maiori libidine peccat: quia quo quis plus conatur, eo perfectiorem actum cauſare debet, vel ab eo pluſquam ab alio cauere, ſi plus rectitudini repugnat. Nec peccatum aliter vulnerat in naturalibus, quàm frequenti abuſu inhabilitando ad rectum vſum. Nec corumpit gratiam formaliter: ſed demerendo eius à Deo conſeruationem.

Ad 1. *Arg. in d.*35. Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum: materialiter, remotè, vel proximè; ſed formaliter, contra legem Dei. *Ad* 2. Peccata non diſtinguuntur conuerſione ad obiecta poſitiua: ſed auerſione & priuatione oppoſitorum. *Ad* 3. Peccatũ eſt priuatio illius boni actualis, quod deberet ineſſe actui, &c.

A n. 12. *Ad Quæſt. in diſt.* 34. Peccatum non poteſt eſſe ab vllo primo & ſummo malo: Quia nullum tale eſſe poteſt; ſed ab aliquo bono .i. à voluntate noſtra: Non vt causâ per accidens, nec vt ex ſe defectibili, vel ex ſuo actu vt deformi; quia quamuis vt defectibilis ſit ex nihilo, tamen eſt à Deo vt creante naturam ex nihilo; nec peccatum eſt tantùm caſuale, ſed à voluntate vt deficiente, non vt efficiente. Ex *Aug.* 12. *Ciu.* 7. expreſſiſſimè. *Contra.* 1. Sic & Deus cauſaret deficiendo, ſeu non dando rectitudinem actui. 2. Deus eſt Cauſa prima rectitudinis: ergo quando deeſt, Deus eam non cauſat, priuſquam voluntas noſtra. 3. Deus cauſando rectitudinem eſt cauſa cur voluntas noſtra cauſet eã: ergo & è contra. Ad hæc Quæſt. ſequenti.

QVÆSTIO 2. Al. q.9. S. Bon. hîc.
An voluntas creata ſit cauſa totalis ſui velle?

A n. 1. Poteſt dici quod ſic. 1. Quia aliter non eſſet libera. 2. Nil contigenter cauſaret. 2. Non poſſet peccare. 4. Nil poſſet agere. 5. Præ omnibus alijs cauſis creatis. *Contra.* 1. Hinc Deus nec eſſet cauſa peccati, nec meriti. 2. Non eſſet ordo eſſentialis cauſarum. *Ad* 1. Poteſt dici Deus cauſa meriti, per gratiam ſeu charitatem naturaliter inclinantem ad merendum: non ſic peccati. *Ad* 2. Licet ſit ordo inter cauſas partiales; cum motu vel ſine motu vnius ab alia: poteſt tamen eſſe ordo eſſentialis inter cauſas totales; ita vt cauſa 2. ſit totalis & immediata ſui effectus, ſicut cauſa prima ſui; ſaluâ dependentiâ eſſentiali illius ab hac in eſſendo & cauſando, ſine dependentia immediata effectus illius ab hac ſola.

Contra 1. *n.* 8. Si voluntas creata eſſet cauſa totalis & contingens ſui velle: Deus non præſciret futura contingentia ex ſua immutabili determinatione ad illa. 2. Deus non eſſet Omnipotens: quia non fieret quicquid vellet; nec poſſet impedire voluntatem noſtram niſi eam violentando, &c. Reſtat 1. Qualiter peccatum poſſit eſſe à voluntate creata. 2. Quomodo non à Deo. *Ad* 1. Ex tribus vijs *à n.*13. *Quæſt.* 1. poteſt colligi hæc integra ſolutio. Actus poſitiuus peccati eſt eius materiale, priuatio formale: huius nulla eſt cauſa efficiens, ſed deficiens; illius per ſe ſeu vt poſitiui, cauſa per ſe eſt voluntas per ſe, ſeu vt voluntas; ſed eiuſdem per accidens, ſeu vt priuati ſua debita rectitudine, cauſa per accidens eſt voluntas limitata ſeu defectibilis, cui vt voluntati, & perfectioni ſimpliciter accidit hæc differẽtia limitationis & defectibilitatis. *Ad* 2. *n.* 11. Quod voluntas Dei non ſit cauſa deficiens, imò nec poſſit vllatenus eſſe cauſa peccati: probatur. 1. Ex *Aug. q.*3. ex 83. Nullo homine ſapiente authore fit homo deterior. 2. *q.* 21. Qui cauſa eſt omni enti vt ſit, non eſt cauſa non eſſendi. 3. ex *Anſel. De lib. arb. c.* 8. Cum Deus, &c. *Contra* 1. Homo ſapiens tenetur cooperari alteri ad benè agendum: non ſic Deus; ſed vt priùs natura agit ad actionem rectam, ita & videtur priùs non agere ad non rectam, quàm voluntas noſtra. *Contra.* 2. Deus agit quod & quantum vult: ergo poteſt agere

ad

Digitized by Google

ad actum,& non ad eius perfectionem. Poteſt agere ad id quod eſt pœna: cur non & ad id quod eſt culpa? Poteſt nolle cauſare gratiam, cur non & rectitudinem actus? *Contra* 3. Videtur concludere quòd homo non poſſit peccare.

Ad 1. *n.* 14. Quando duæ cauſæ partiales concurrunt ad eundem effectum, poteſt eſſe defectus vnius in cauſando, & non alterius voluntatis, non intellectus. Sic & in concurſu voluntatis Dei cum noſtra, hæc deficit, non illa: quia hæc tenetur dare rectitudinem ſuo actui, & non dat; illa non tenetur, & tamen ex ſe daret, ſi hæc cooperaretur. Quicquid enim Deus dat antecedenter, daret conſequenter ex ſe, niſi ſubeſſet impedimentum: dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ ſunt in poteſtate voluntatis; & ideo ex parte ſua dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & daret conſequenter, ſi voluntas ex parte ſua rectè ageret,&c. Nec Deus priùs naturâ cauſat, aut non cauſat rectitudinem actus, quaſi ſine noſtra voluntate: ſed priùs naturâ .i. perfectiùs, in eodem tamen inſtanti etiam natuæ. Sic eſt Sapientis, non eſſe primam rationem deficiendi. Et quamuis Deus nihil agat neceſſariò: quicquid tamen dat antecedenter, dat & conſequenter ex ſua parte. Nec Deus poteſt in ſeipſo peccare: quia nec formaliter, nec virtualiter à ſeipſo auerti. Sed nec poteſt nobis eſſe cauſa, aut ratio peccandi ſeu deficiendi: quia hoc ipſo non eſſet in poteſtate noſtra rectè agere; ſicque nec teneremur rectè agere, nec eſſet nobis peccatum non rectè agere. Nec ſubſtractio gratiæ à ſolo Deo ſine defectu noſtro, priuaret nos iuſtitia debita. Non enim ſumus debitores iuſtitiæ, niſi vt poſſumus eam non demereri, vel nos ad eam diſponere: ſed non poſſumus demereri priore aliquo peccato primam rectitudinem debitam actui: nec Deus poteſt eam ex ſe ſubſtrahere. *Ad* 3. ex *Anſel.* Poteſt dici quòd probet Deum non poſſe potentiâ ordinatâ auferre rectitudinem voluntati.

Ad 1. *Arg. in d.* 34. Arbor, *Matt.* 7. eſt actus interior: fructus, exterior. *Ad* 2. Cauſa deficiens non aſſimilat ſibi effectum. *Ad* 3. Nec quòd fit tantùm defectiuè, fit ad finem debitum. *Ad* 4. Ex priuatione per partes proportionales, non poteſt dari ſummum malum, ſed itur in infinitum: ex priuatione per partes æquales, ſtatur in nihilo; ſed eſt ſtatus in malo ad optimum perfectibile, carens perfectione conueniente. Sed nec eſt vllum tale, nec ab eo eſſent vlla mala poſitiuè.

Ad Arg. Affir. q. 1. *in d.* 37. vt ſupra n. 11. *Ad* 1. *Neg.* Deus multa præcipit voluntate ſigni, quæ non vult fieri voluntate beneplaciti: & ſic de prohibitione eorum quæ vult. Quod eſt ſignum duplicis voluntatis. *Ad* 2. Volitio noſtra non eſt ipſa volitio Dei, ſed tantùm effectus eius. *Ad* 3. Voluntas Dei non eſt regula noſtræ, in volito, ſed in ſigno volendi.

Ad Quæſt. in d. 36. *n.* 22. Omne peccatum eſt pœna, & vnum poteſt eſſe pœna alterius. 1. Quia pœna formaliter eſt carentia boni conuenientis: ſed rectitudo actus, eſt bonum conueniens voluntati; ergo illius priuatio eſt huius pœna. Hinc 1. *Conf.* 12. Omnis inordinatus animus eſt ſibiipſi pœna. 3. *De Lib. Arb.* Non eſt dedecus culpæ ſine decore iuſtitiæ. Sed quomodo poteſt idem formaliter eſſe culpa & pœna? *Reſp. Mag.* Hæc priuatio actiuè eſt culpa, paſſiuè pœna. 2. Vt priuatio gratiæ habitualis eſt pœna peccati prioris: ſic & priuatio gratiæ, & rectitudinis actualis. Sed hic modus videtur valdè difficilis,&c. Ideò poſſet dici quòd licet Deus quantùm eſt ex ſe aſſiſtat voluntati ad actum ſequentem, vt ad priorem: defectus tamen actus ſequentis eſt pœna prioris, vt priuat ſe † bono maximè conueniente. Nec eſt ſimile de priuatione gratiæ, & rectitudinis actualis: quia Deus non dedit gratiam antecedenter, vt rectitudinem; ideoque poteſt eam non dare conſequenter potiùs quàm hanc. Et carentia gratiæ eſt vnica iniuſtitia habitualis, non ſemper ob aliud & aliud peccatum: ſed in actibus malis eſt ſemper nouum peccatum,& ideo quilibet eſt in poteſtate voluntatis peccantis.

Sed quomodo peccatum ſit pœna, cùm omnis pœna ſit à Deo? Dicitur à *S. Bon. d.* 36. *a.* 3. Non eſt pœna vt culpa, ſed vt ordinatiua culpæ.

Contra. Nec pœna vt pœna, nec vt culpa eſt aliquod ens: ergo nec vlla ordinatio inter eas. *Ideo poteſt aliter dici:* quòd pœnæ poſitiuæ vt diſconuenientes naturæ intellectuali, ſint à Deo: ſed non priuatiuæ; quia nec à Deo vt efficiente, nec vt primo deficiente; ſed tantùm deſerente, ex priore noſtro demerito. *Ad* 2. Si peccatum ſequens eſſet à Deo, in pœnam prioris: non eſſet maius, ſed minus malum priori. Hinc eſt pœna ſibiipſi inflicta à voluntate peccante: non à Deo, niſi vt deſerente.

In DIST. 38. *QVÆST. Vnica. Al. q.* 106. *B. hîc.*

An intentio ſit actus ſolius voluntatis?

Reſp. 1. Intendere eſt in aliud tendere: ſiue ex ſe, ſiue ab alio mouente; ſiue vt in obiectum præſens, ſiue vt in terminum diſtantem, vel abſentem; ſed propriè ſumitur pro tendere in aliud ex ſeipſo ſeu proprio motu; propriiſſimè, in aliud non ſolum vt in obiectum, ſed vt in finem, & quidem potiùs vt diſtantem, & per media, quàm vt præſentem & immediatè. Erit igitur intentio actus liberi arb. per voluntatem, circa ſuum obiectum. Quòd ſi idem actus ſit circa finem & media, idem erit vſus & intentio: ſi non ſit idem, intentio eſt formaliter in finem, materialiter circa media, per actum vtendi, ſeu ea ad finem referendi.

Hinc *Ad* 1. *Arg. Ad* 2. *Aug.* 11. *Trin.* 2. vult quòd voluntas poſſit conuertere aciem intellectus ad obiectum: non quòd nulla viſio aliter eſſe poſſit. *Ad vlt.* Conferre per modum iudicij, eſt ſolius intellectus: ſed referre ſeu ordinare vnum ad aliud, eſt voluntatis.

In DIST. 39. *QVÆSTIO VNICA.*

An ſynderesis ſit in voluntate? Al. q. 76. *S. Bon. hîc.*

Quæſtio 2. *An conſcientia ſit in voluntate? Al.* 36.

Henr. dicit quòd ſynderesis ſit pondus voluntatis: Conſcientia verò ſit eiuſdem habitus. *Contra.* 1. Omnes actus voluntatis ſunt in eius poteſtate: ergo ſi Synderesis habet aliquos actus neceſſarios, non eſt in volũtate. 2. Si Synderesis haberet actum neceſſarium tendendi in finem vltimum, & reſiſtendi malo: eſſet vis ſuprema voluntatis, & ſub ſe contineret omnem aliam vim. 3. Habitus generantur

rantur ex actibus : non ſic conſcientia. 4. Actus intellectus non poteſt cauſare habitum in voluntate. 5. Voluntas non eſſet libera : cùm tamen liberè peccare poſſit contra conſcientiam, *Rom.* 14.

An. 4. Ad has quæſtiones, ſi Synderesis habeat ſemper neceſſariò actum elicitum ad bonum, & contra malum : non poteſt eſſe in voluntate ; ſed eſt in intellectu habitus ipſe principiorum, ſeu eis naturaliter acquieſcendi ex lumine naturali. Ad quod etiam voluntas naturaliter inclinatur, ſed non neceſſariò actu concordat. Conſcientia poteſt poni habitus proprius concluſionis practicæ, inclinans ad rectam electionem in agibilibus. Hinc dicitur ſtimulare voluntatem ad bonum. *Ad* 1. *Arg. q.* 1. Syndereſis remurmurat malo, oſtendendo bonum oppoſitum. *Ad* 2. Voluntas nec vult neceſſariò commodum, nec iuſtum : ſed quoad ſolam affectionem natualem commodi, non eſſet libera. *Ad* 3. Inclinatio naturalis voluntatis, ad ſuam perfectionem non eſt actus ſecundus. *Ad* 4. Voluntas habet proprium modum operandi præ omni naturali. *Ad* 1. *Arg. q.* 2. Habitus practici intellectus denominantur boni vel mali, à voluntate : vt voluntas recta vel curua, ab intellectu. *Ad* 2. *Sciens practicè, eſt conſcientiatus : ſed non tantùm ſciens dicere verba.*

In DIST. 40. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 106. *B. hîc.*
An omnis actus ſit bonus ex fine ?

Reſp. Bonitas naturalis actus, non eſt ipſa paſſio entis : ſed eſt aggregatio cauſæ, obiecti, finis, & omnium ei naturaliter conuenientium, &c. Bonitas eius moralis, eſt ex aggregatione omnium ei conuenientium ſecundùm rectam rationem. 1. Ex Cauſa libera : à qua dicitur, & eſt moralis. 2. Ex Obiecto, à quo vt conuenienti, actus dicitur & eſt bonus ex genere ; quia eſt adhuc indifferens ad circumſtantias. 3. Ex Fine, vt prima ac principali circumſtantia. 4. Ex Forma, ſeu modo operandi intrinſecè. 5. Ex Circumſtantijs extrinſecis Quando, Vbi, &c. Hinc patet, ad bonitatem moralem actus non ſufficere finem bonum.

Ad 1. Intentio facit bonum opus, vt circumſtantia principalis : vel ſuppoſita bonitate morali, facit bonum meritorium, relatione ad finem ex charitate. *Ad* 2. Actus intellectus eſt verus ex ſolo obiecto : non voluntatis, ex ſolo fine. *Ad* 3. Bonum non eſt niſi ex integra cauſa. 4. *Diu. nom.*

In DIST. 41. *QVÆST. Al. q.* 35. *S. Bon. hîc.*
An aliquis actus poſſit eſſe indifferens ?

Opin. S. Thom. 1. 2. *q.* 18. *a.* 9. Quòd nullus actus in ſingulari, ſed tantùm in communi.

Aliter poſſet dici, &c. Quòd actus naturales determinatæ ſpeciei in genere naturæ, poſſunt eſſe indifferentes ad bonitatem & malitiam moralem : quia 2. *Ethic.* 1. ex illis poſſunt generari habitus morales. Quodque actus morales poſſint eſſe indifferentes ad bonitatem meritoriam, vel malitiam demeritoriam : quia poſſunt fieri meritorij per relationem actualem, vel virtualem, ad vltimum finem, ex charitate ; non autem per ſolam habitualem in charitate, quia ſic meritum eſſet continuum : poſſuntque fieri demeritorij relatione contraria, aut priuatiua, non ſola negatiua; quia ſic peccaretur continuò mortaliter aut venialiter. *Ideo probabile videtur* dari actus indifferentes, qui nequidem habeant malitiam venialem : quia Deus non obligauit nos ad illam continuam omnium relationem, nec ſub mortali, nec ſub veniali ; nec tamen videtur minor relatio quàm virtualis ex charitate ſufficere ad meritum. Sunt ergo multi actus indifferentes ex natura ſua, ad eſſe morale : & ex eſſe morali, ad bonitatem vel malitiam meriti ; quia vnum indiuiduum poteſt eſſe tale, & aliud tale. Multi etiam ſingulares actus liberè eliciti ſunt indifferentes. *Ad* 1. *Arg.* Nec bonum & malum morale, nec meritorium & demeritorium, ſunt priuatiuè & immediatè oppoſita : quia actus non ſunt mali ex ſola carentia bonitatis conuenientis, ſed debitæ. *Ad* 2. Ex multis actibus indifferentibus poſſunt generari ſimiles habitus.

In DIST. 42. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 106. 167. *B. hîc.*
An peccatum poſſit eſſe in cognitione ?
Quæſt. 2. *An peccatum poſſit eſſe in ſermone ?*
Quæſt. 3. *An peccatum ſit in opere ?*
Quæſt. 4. *An hæc diuiſio S. Hier. ſit ſufficiens ?*

Ad has quæſt. Præmitto, quòd malitia primò & formaliter non eſt niſi in aliquo actu voluntatis. 1. Quia iuſtitia non eſt niſi in voluntate. 2. Ex *Aug.* 3. *de lib. arb. &* 12. *Ciu.* 8. *ac alibi.* 3. Quia omnes aliæ cauſæ ſunt naturales.

Porro licet non poſſit eſſe formaliter niſi in voluntate, vel eius actu : poteſt tamen materialiter eſſe in cogitatione, ſermone, & opere. Quia voluntas non tantùm tenetur dare rectitudinem actibus ſuis elicitis : ſed etiam imperatis.

Ad 1. *Quæſt. n.* 3. Quomodo poteſt cogitatio eſſe mala, vt in poteſtate voluntatis : cùm ſit naturaliter prior voluntate ? *Reſp. n.* 5. Eſt in poteſtate voluntatis auertere intellectum ab vno intelligibili, conuertendo ad aliud. 1. Quia cum intellectus & obiectum ſint agentia naturalia, ex ſe haberent ſemper eundem actum ab obiecto præualente. 2. ex *Aug* ſæpe. Sed cùm ſit neceſſaria aliqua cogitatio prior natura omni actu volendi : hæc ſaltem non poteſt eſſe in poteſtate voluntatis, ex *Aug.* 3. *de lib. arb.* 15. Dc. 2. etiam cogitatione videtur difficile, quòd ſit in poteſtate noſtra : cùm non ſit præcognita, ad eam volendam. Dicitur 1. quod ad hoc ſufficiat eius cognitio habitualis. 2. Quod ſufficiat eius cognitio in communi, vel ſimili, aut contrario. 3. Quod ſufficiat remiſſio prioris cognitionis, ad aliquam nouam. 4. Quod intellectu conferente vnum cum alio, voluntas poſſit eum ſiſtere in alio. 5. Quod ex cognitione ſimplici voluntas moueat ad diſcurſiuã.

Contra 1. *modum.* Velle actu, ſupponit intellectionem actualem : alioquin dormiens, vel quantumuis diſtractus poſſet velle quidlibet notum habitu. *Contra.* 2. Sic notitia generis ſufficeret ad volendum quidlibet inferius : imo notitia cuiuſlibet ad volendum quidlibet. *Contra* 3. Poteſt quidem voluntas remittere priorem cogitationem : ſed non eligere quamlibet aliam. *Contra* 4. Non eſt ſemper opus cognitione comparatiua, ad inchoandam nouam cognitionem. *Contra* 5. Si notitia ſimplex non eſt in noſtra poteſtate, nec diſcurſus inde pendens. *Contra omnes.* Nullus aſſignat cognitionem ſufficientem in eodem inſtanti, ad eam volendam.

Reſp. Per tres propoſitiones. 1. Poſſunt plures imperfectæ & indiſtinctæ intellectiones eſſe ſimul

cum

Digitized by Google

cum perfectiore. 2. Poteſt voluntas ſibi placere aut non, in aliquo obiecto cognito, & eius cognitione, quamuis non aliter cognita. 3. Intellectio alicuius obiecti placẽs voluntati, intenditur ac confirmatur: diſplicens autem, remittitur, & infirmatur; quia tota vis animæ vnita circa idem, eſt fortior ſeipſa diſperſa, &c. Sicque poteſt voluntas diuertere intellectum ab vna cogitatione, & conuertere ad aliam.

Hinc ad oppoſita. Poſſet etiam dici quod voluntas habeat actionem immediatam ſuper intellectu: ſed hoc eſt difficilius.

A n. 13. Quomodò poſſit eſſe peccatum in cogitatione? *Reſp.* Cogitatio de obiecto illicito ex complacentia voluntatis in illo, poſt deliberationem eſt peccatum mort. vt & talem delectationem voluntati vel potentiæ inferiori concupiſcere. Ex *Aug* 9. *Trin.* 12. Sed ſola cogitatio delectabilis de obiecto illicito diſplicente, aut non placente, non eſt peccatum: niſi vt inde fiat obiectum præſens ad delectationem in illo. *Aug.* 9. *Trin.* 10. *Ad* 1. *princ. Quæſt.* 1. Peccatum non eſt formaliter niſi in voluntate: ſed materialiter etiam extra. *Ad* 2. Cogitatio prima non eſt libera: ſed eius complacentia. *Ad* 3. Ad volendam cogitationem, ſufficit eius præſentia vt actus, non vt obiecti cogniti directè, nec reflexè. *Ad vlt.* Vt ſupra.

Ad Quæſt. 2. *à n.* 16. Peccatum eſt in ſermone materialiter, ſed formaliter in voluntate: quia actus potentiæ loquendi, ſeu huius potentiæ motiuæ, ſubeſt voluntati: ergo debet eſſe circa materiam, & ad finem debitum, &c. *Hinc Ad Arg. Quæſt.* 2.

Ad Quæſt. 3. *à n.* 1. Opus hic accipitur pro operatione aliarum potentiarum. Peccatum eſt etiã materialiter in opere potentiæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. 1. Vt ſubſunt voluntati, per aliquem motum liberum. 2. Immediatè, per complacentiam voluntatis circa idem obiectum. *Ad* 1. ex *Rom.* 7. Non quòd volo bonum, hoc facio, &c. Quoad primos motus, præcedentes omnem actum voluntatis. Delectationes verò quæ ſunt in voluntate vt primi motus, ſunt peccatum: quando ſunt de obiecto illicito; vt quando voluntas condelectatur appetitui ſenſitiuo, quia non ſunt ſine priore actu voluntatis. *Ad* 2. Appetitus noſter ſenſitiuus, eſt liber & rationalis, per participationem à voluntate cui ſubeſt: non autem in brutis vt in nobis.

Ad Quæſt. 4. *n.* 20 S. Hier. non hic diuidit peccatum actuale formaliter, nec ſubiectum peccati ſor malis, quod eſt ſolus actus voluntatis: ſed ſolum ſubiectum materiale peccati. Quòd. 1. diuidi poſſet in actum interiorem, & exteriorem peccati: hic in locutionem, & operationem. Eſt etiam intelligenda diuiſio poſitiuè quo ad peccata cõmiſſionis, negatiuè quoad peccata omiſſionis.

QVÆSTIO 4. *De diuiſione peccatorum Capitalium. Al. q.* 152, *S. Bon. hic.*

Hæc diuiſio non eſt niſi materialis: in peccata ſpiritualia voluntatis circa ſua propria delectabilia, & carnalia eiuſdem circa delectabilia ſui appetitus ſenſitiui, vel circa vtilia ad voluptatem & honorem; formaliter tamen hæc diuiſio non eſt ſufficiens, ſed potiùs ſumenda eſſet ex oppoſitione ad 10. Præcepta, & virtutes, vt *d.* 6. *q.* 1.

In DIST. 43. *QVÆST.* 1. *Al. q.* 173. *Bon. hic.*

An voluntas peccare poſſit in Spiritum S.

Reſp. n. 2. Peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam, formaliter, vel virtualiter. Auerſio non poteſt eſſe ab vna perſona, quin ſit virtualiter ab alia, &c. Sed videtur poſſe eſſe auerſio actualis ab vna non ab alia. 1. Quia ſunt tres articuli diſtincti circa ſingulas perſonas: ergo poteſt errari & peccari actualiter contra vnum, non alium. 2. Ex praxi Eccleſiæ orandi vnam, & per vnam ſine alijs. 3. Poteſt concipi orari & adorari Eſſentia ſine perſonis: ergo & vna perſona ſine alia; quia licet ſint correlatiuæ, extrema tamẽ terminãt duos actus. 4. Pater non refertur ad Spiritum S. ergo poteſt actualiter ſeorſim orari & adorari.

Non tamen dicitur peccatum ex certa malitia propriè in ſolam Perſonam Spiritus S. ſed appropriatè, contra bonitatem ei appropriatam: vt peccatum infirmitatis, contra potentiam appropriatam patri; peccatum ignorantiæ, contra ſapientiam appropriatam filio.

Dico tamen breuiter, quòd omne peccatum non ex paſſione, vel ignorantia, eſt ex certa malitia: quale fortè fuit peccatum Adæ; nec tamen omne tale eſt in Spiritum S. ſed ſolum grauiſſimum, &c. Ad quod requiritur. 1. Vt ſit ex certa malitia. 2. Vt ſit contra primum præceptum. 3. Vt opponatur perfectiſſimo actui circa Deum. Sed quia Charitas Dei non videtur habere odium Dei formaliter oppoſitum: peccatum in Spiritum S. opponetur actui ſpei; ſicque erit peccatum deſperationis, ſeu obſtinationis & impœnitentiæ finalis. Quale fuit Cain *Gen.* 4. & Iudæ, *Mat.* 27. Hoc autem dicitur irremiſſibile: non tantùm ſine pœnitentia, aut poſt mortem in hoc peccato, ſicut & in alijs; ſed. 1. quia hoc directè opponitur principio intrinſeco remiſſionis. 2. corrumpit diſpoſitionẽ neceſſariam ad remiſſionẽ.

QVÆST. 2. *Bon. d.* 25.

An Voluntas poſſit peccare ex ſola malitia, ſub nulla ratione boni?

Dicitur quod non, ex *S. Dion.* 4. *Diu. nom.* Nullus ad malum aſpiciens operatur. Sed contra. 1. Sic voluntas creata non poſſet tendere extra obiectum Diuinæ. 2. Poteſt concipi odium Dei, ſub ſola ratione mali: ergo & voluntas poteſt illud velle vt ſic.

Si in hac Quæſt. tenetur quod ſic: eſt facilè diſtinguere pecc. in Spir. S. ab alijs, ex ſola propria libertate, non ex paſſione, nec ignorantia, aut errore. Sed ſi non: adhuc poteſt aſſignari peccatum ex certa malitia .i. ex ſola libertate ad malum, quamuis non ſub ſola ratione mali.

In DIST. 44. *QVÆST. Vnica. Bon. hic.*

An potentia peccandi ſit à Deo?

Reſp. Non vt dicit ordinem ad ſolum defectum peccandi: quia cùm nihil ſit, non eſt à Deo; ſed ad ipſum actum peccandi, & vt dicit fundamentũ abſolutum huius ordinis, ſeu voluntatem creatam, vt ſic defectibilem. Nam quælibet creatura ex nihilo eſt etiã defectibilis in nihilum: ſed ſola voluntas creata eſt ſic defectibilis. *Ad Anſel.* quòd poſſe peccare non ſit libertas, nec pars libertatis. *Reſp.* Non eſt libertas vt perfectio ſimpliciter: ſed vt limitata, &c. *Soli Deo honor & gloria.*

FINIS libri ſecundi.

Digitized by Google

Quæſtio 9. *An Deus poßit facere Angelum informare materiam?*

RESP. *n.* 2. Negatiuè. Quia Angelus eſt ens per ſe ſubſiſtens completè : ergo non poteſt eſſe pars vllius compoſiti ſubſtantialis, multò minus materialis. N. 18. Anima ſeparata dicitur imperfecta : non in ſeipſa, nec ex non communicatione ſuæ perfectionis; ſed ex non participatione perfectionis totius. N. 21. *Ad* 1. *Arg.* Non repugnat formam ſeparari à materia : quia cum illa ſit abſoluta, non includit vnionem ad hanc; ſed repugnat Angelum vniri materiæ, vt ſupra, & in 4.*d.*43. *q.*2.

Quæſt. 11. *An corpus poßit coexiſtere loco, ſine vbi in illo?*

Art. 1. *n.* 3. Corpus poteſt eſſe ſine loco : quia eſt quid abſolutum, & independens ab hoc. *Art.* 2. *n.* 7. Locus ſeu ſuperficies concaua, poteſt eſſe ſine corpore contento. *Ad* 1. *n.* 8. Vacuum poſſibile non eſt ſpacium habens dimenſiones poſitiuas : ſed ſola poſſibilitas ad tantas dimenſiones, ſine vlla actuali. *Ad* 2. Latera Cœli vacui non diſtarent medio poſitiuo & actuali, ſed potentiali. *Art.* 3. *n.* 11. Poteſt eſſe hoc corpus non locatum hoc loco. *Infra.* Mutato corpore contento, poteſt reſpectus continentis mutari vel non : prout eſt ad hoc contentum, vel ad aliquod in communi. *Art.* 4. *n.* 12. Videtur quòd præſentia extenſiua corporis in loco, non poſſit eſſe ſine vbi in illo, &c.] Sed non ſatis exprimit an non poſſint intimè coexiſtere cum tota ſua quantitate, ſine vllo vbi reali, aut ſine hoc vel illo, &c. *vt in* 2. *d.* 2. *q.* 5.

Quæſt. 12. *An ſit idem reſpectus creaturæ ad Deum creantem & conſeruantem?*

Art. 1. *n.* 2. Eſt idem realiter : quia eſt vnica dependentia eſſentialis eiuſdem ad idem. *Art.* 2. *n.* 7. Concurrunt varij reſpectus rationis ad non eſſe, vel eſſe præcedens, &c. *in* 1. *d.* 2. *q.* 1. *& in* 2. *d.* 2. *q.* 1. *&* 4. *ac alibi.*

Quæſt. 13. *An actus cognoſcendi & appetendi ſint eſſentialiter abſoluti, vel relatiui?* Reſp. *n.* 3. Non ſunt ſolæ relationes : quia hæ non poſſunt eſſe tantæ perfectiones. *n.* 6. Non poſſunt eſſe ſine relatione ad ſuum obiectum. *n.* 11. Referuntur realiter & actualiter ad ſuum obiectum realiter præſens & exiſtens : relatione menſurabilis ad ſuam menſuram, & tendentiæ aut attingentiæ ſeu vnionis ad ſuum terminum. N. 13. Non autem referuntur realiter & actualiter : ſed tantùm potentialiter & ratione, ad ſuum obiectum in ſolo eſſe obiectiuo. *n.* 16. *Ad* 1. *Arg.* Perfectio noſtra vltima & beatifica, eſt abſoluta : nec eius relatio realis ad obiectum beatificat, ſed fundamentum. Vt patet ex beatitudine Dei ſine tali relatione, &c. *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 6. *&* 9. *diſt.* 6. 11. 12. 13. *& alibi.*

Quæſt. 17. *An actus dilectionis naturalis & meritoriæ ſint eiuſdem ſpeciei?* Reſp. *n.* 5. Poteſt dici quòd non ſufficiat ad actum meritorium, vt fiat in charitate : ſed ex eius inclinatione. *n.* 6. Quod non differant ſpecie in eſſe naturæ, ex ſola ratione naturalis & meritorij. 1. Quia hoc præciſè dicit ſolum reſpectum rationis. 2. Illud eſt tantùm potentiale ad hoc. N. 8. Poteſt concedi quòd actus charitatis ſit ſpeciei completioris, quàm virtutis moralis : vel quòd ratio meritorij non ſit ſpecifica & completiua in genere moris. *Ad* 1. *Arg.* Charitas non eſt principium totale actus, nec diſparatum, ſed ſubordinatum voluntati : nec per ſe requiſitum ad ſubſtantiam actus, nec ad meritum, nec vt præuium neceſſitate ordinis eſſentialis, ſed ſolius voluntatis Dei. Principium autem ſpecie diſtinguens, ſaltem per ſe diſponit ad hoc, ordine eſſentiali cauſarum. Actus nudus, dicit reſpectum ad potentiam liberè elicientem : vt virtuoſus, ad rectam rationem : vt charitatiuus, ad charitatem inclinantem; vt meritorius, ad voluntatem Dei acceptantem.

Quæſt. 18. *An actus exterior addat interiori aliquid bonitatis, aut malitiæ moralis?* Conſtat quòd actus exterior cauſaliter vel occaſionaliter intendat actum interiorem : ſed an actus imperatus ab elicito, habeat bonitatem vel malitiam propriam diſtinctam à bonitate, vel malitia actus eliciti? *Art.* 1. De bonitate entitatiua, ſeu integritate aut perfectione entis in ſe, eaque vel eſſentiali, vel accidentali : Deque bonitate morali, ſeu integritate omnium conuenientium actui ſecundùm rectam rationem. *n.* 5. Recta ratio iudicat ex natura agentis potentiæ & actus. 1. Quodnam obiectum ei conueniat. 2. Quis finis : 3. Quis modus. 4. Quod tempus. 5. Quis locus, &c. Hinc de malitia : ex *S. Dion.* 4. *Diu. nom.* Bonum ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus, priuatiuè vel contrariè. N. 8. *Corol.* In eodem actu poteſt eſſe multiplex bonitas moralis : non tantùm partialis ex ſingulis circumſtantijs; ſed & totalis plurium virtutum, ex motiuis & omnibus circumſtantijs ſingularum. *Breuiter.* Quò plura motiua bona, eò actus melior. Sic & de malitijs. *Art.* 2. *n.* 9. De imputabilitate actus, ex eo quod eſt in potentia voluntatis ad fieri vel non. Ex *Aug. l.* 2. *De lib. arb.* N. 10. Actus eſt bonus ex conformitate ad ſuam regulam : ſed imputabilis ex poteſtate voluntatis mediatè vel immediatè, &c. 1. *Ret.* 9. Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas, quoad actum ſuum. *Art.* 3. *n.* 12. Poteſt dici quòd actus exterior, ſeu imperatus, habet propriam bonitatem moralem, aliam quàm actus interior, ſeu elicitus. 1. Ex *Aug.* 3 *Trin.* 5. *&* 14. Mala voluntate, vel ſola, quilibet miſer efficitur : ſed miſerior poteſtate. Non miſeria pœnæ : ergo culpæ. 2. Alia eſt integritas conuenientium actui imperato in eſſe exiſtentiæ, quàm actui elicito, vel obiectiuè. 3. Vt concluſio habet aliam veritatem quàm ſua principia : ſic & actus exterior aliam bonitatem quàm interior. 4. Bonitas exterior eſt ab interiori : ergo non eſt eadem, &c. *Ad* 2. *Arg. n.* 21. Nec voluntarium ſubiectiuè, nec obiectiuè; ſed cauſaliter, vt in poteſtate voluntatis eſt imputabile, &c. vt ſupra *d.*

Digitized by Google

QVÆSTIONES DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ, ET MORALES:

IN LIBRVM II. SENT. ET DOCTRINAM AVTHORVM NOSTRORVM.

QVÆSTIO I.

Quid ſit fide Chriſtiana credendum, de Creatore, Creatione, & Creaturis?

RESP. Solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe Creatorem, Conſeruatorem, primum Motorem, & Cooperatorē omnium quæ ſub Deo ſunt, & fiunt: non ab æterno, nec omnium ſimul, nec ex propria Dei natura, vel alia materia increata; ſed ab initio temporis in æternū, & ex nihilo, ſeu poſt ſuū non eſſe. Sicq; omnia dependere à Deo, in Fieri, Eſſe, Poſſe, & Agere.

I. *Ex* ſacra Script. *Gen.* 1. 2. 3. in ſenſu proprio, vt hiſtorico. *Sap.* 1. 11. *Eccl.* 18. *Eph.* 3. *Heb.* 3. *Apoc.* 4. 10. Deus creauit omnia. *Ioan* 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Hinc & paſſim, dicitur ſolus *Creator & ſolus Omnipotens*: ſed & conſeruator, motor, & cooperator omnium. *Sap.* 1. Continet omnia. 11. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, &c. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? Aut quod à te vocatum non conſeruaretur? *Ioan.* 5. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. *Act.* 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. *Rom.* 11. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. In quo, per quem, & ex quo ſunt omnia. 1. *Cor.* 12. Qui operatur omnia in omnibus. *Coloſſ.* 1. In ipſo condita ſunt vniuerſa, &c. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. *Hebr.* 1. Portat omnia verbo virtutis ſuæ, &c.

II. Ex hac publica & continua profeſſione fidei Chriſtianæ, in Symbolo Apoſt. *Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.* in Nic. & Conſt. *Viſibilium & inuiſibilium.* In Later. cap. Firmiter, de fide Catholica. *Vnus eſt Deus Creator omnium, qui ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam: corporalem & ſpiritualem, Angelicam ſcilicet & mundanam; deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* Contra omnes priores philoſopos infideles; & plurimas hæreſes, à *S. Aug.* ex *S. Epiph.* & aliunde relatas *lib. de Hæreſibus.*

Vt, contra 1. *Simonianorum*, quòd mundus non ſit à Deo factus, ſed ab Angelis. *Contra* 2. *Gnoſticorum*, quòd Animæ ſint ex ipſa Dei natura: quòdque ſint duo prima principia bonorum, & malorum. *Contra* 8. *Cerinthianorum*, quòd hic mundus ſit ab Angelis factus. *Contra* 21. *Cerdianorum*, 22. *Marcionitarum*, 23. *Apellitarum*, de duobus primis principijs contrarijs, & coæternis. *Contra* 59. *Celeucianorum*, quòd Materia non ſit à Deo facta, ſed ei coæterna: nec anima ſit à Deo creata. *Contra* 61. *Patricianorum*, quòd caro humana non ſit à Deo, ſed à diabolo. *Contra* 65. *Coluthianorum*, quòd Deus non faciat vllum malum, etiam pœnæ. *Contra* 66. *Florianorum*, quòd Deus creauerit multa mala. *Contra* 75. quorundam, quòd aqua non ſit à Deo creata, ſed ei coæterna. *Contra* 77. *Orpheorum*, quòd ſint innumerabiles mundi. *Contra* 85. *Paternianorum*, quòd partes inferiores corporis humani non ſint à Deo, ſed à diabolo. Denique contra infideles Mahumetanos, qui dicuntur negare omnem actiuitatem cauſarum ſecundarum, & tribuere ſoli Deo omnes effectus.

III. Ex conſenſu omnium SS. Patrum contra Paganos, & hæreſes ſuorum temporū. Vt *S. Dion.* Diuin. Nom. cap. 4. *Malum vt malum nec eſſentiam nec originem habet, &c. Ea quæ ſunt quatenus ſunt, & bona ſunt, & à bono: quatenus autem priuata ſunt bono, nec bona ſunt, nec conſtant.* Cap. 10. Vocat Deum *Omnipotentem, Omnitenentem, omnium ſedem, omnia continentem, fundantem, complectentē, ſtringentem: ne ſibi excidant, & diſpereant.* Cap. 13. *Deum ad omnia pariter pertingere, iiſdem indeficientibus largitionibus, & interminabilibus operationibus.* *S. Irenæi* lib. 4. Contra pleraſque hæreſes præfatas. S. *Epiphani*, contra hæreſes *S. Ambr.* l. 7. in Lucam Cap. 13. *Dei operationem eſſe iugem ac ſempiternam.* *S. Hier. lib.* 1. *contra Pelag.* Nos neceſſariò dependere à Deo in minimis actionibus naturalibus. Sed vice omnium *S. Aug.* libro illo de 91. hæreſibus; partim ex *S. Epiph.* partim aliunde relatis.

& magna & parua. Cap. 19. *Ei qui ſummè eſt*, Exod. 4. *non poteſt eſſe contrarium niſi quod non eſt*. Cap. 25. *Sine ipſo factum eſt nihil*, Ioan. 1. *Ergo* (inquiunt) *factum eſt, & ideo ipſum nihil aliquid eſt. Senſum perdiderunt, nec intelligunt idem eſſe ac ſi dicatur, ſine ipſo nihil factum eſt*. Cap. 26. *Vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt*, Rom. 4. *Ipſe dixit & facta ſunt*, Pſal. 148. *Ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, Rom. 11. Cap. 27. *Ex ipſo, non de ipſo, &c. Quòd de ipſo, poteſt dici ex ipſo: non autem omne quod ex ipſo, de ipſo*. Lib. contra Secundinum. Cap. 4. *In fide Catholica, Deus fecit de nihilo omnia bona valdè*. Cap. 7. *Si vnius eiuſdemq; ſubſtantiæ Creator, & creatura eſſent: non reprehenderentur*, Rom. 1. *Qui ſeruierunt potiùs creaturæ quàm Creatori*. Cap. 8. *Creaturam ex ſe mutabilem eſſe, quia de nihilo eſt: ideo poteſt vergere ad nihilum*. Cap. 10. *Nobis per Chriſtianam fidem perſuaſum eſt, non eſſe contrarium Deo qui ſummè eſt, niſi quòd omnino non eſt. Omnia bona à Deo facta ſunt certis gradibus ordinata, partim locorum, partim meritis naturalibus, partim meritis præmiorum atq; pœnarum*. Cap. 11. *Deficere non eſt nihil eſſe, ſed ad nihilum tendere, &c. Quantò enim quæque res minùs eſt, tantò vicinior nihilo eſt*. Cap. 12. *Vos ſubſtantiam quandam malum eſſe dicitis: nos verò non ſubſtantiam, ſed inclinationem ab eo quod magis eſt, ad id quod minus eſt*. Lib. de Cathech. rudibus Cap. 18. De creatione, creaturis, & ratione creandi. Lib. 1. Trin. 1. *Nulla omnino res eſt quæ ſeipſam gignat vt ſit*. L. 3. c. 4. *Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium, &c. Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter quod non de interiore inuiſibili atq; intelligibili aula ſummi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur*. Cap. 8. *Nec ſanè Creatores illi mali Angeli dicendi ſunt*. Cap. 9. *Aliud eſt enim ex intimo, ac ſummo cauſarum ordine condere, atq; adminiſtrare creaturam, quod qui facit ſolus Creator eſt Deus: aliud pro diſtributis ab illo viribus aliquam operationem forinſecus admouere, vt tunc vel tunc, ſic vel ſic exeat quod creatur, &c. Nam ſicut Matres grauidæ ſunt fœtibus, ſic ipſe mundus grauidus eſt cauſis naſcentium*. Lib. 1. de Gen. ad litteram c. 1. de ſenſu Litterali præ omnibus alijs. Cap. 14. *Catholica fides præſcribit nullam materiam præfuiſſe potuiſſe niſi à Deo*. Cap. 15. *Non quia informis materia formatis rebus tempore prior ſit: cùm ſit vtrumq; ſimul concreatum, &c. Sed quia illud vnde fit aliquid, etſi non tempore tamen quadam origine priùs eſt quàm illud quod inde fit*. Infra. *Non itaq; dubitandum eſt, ita eſſe informem iſtam materiam propè nihil: vt non ſit facta niſi à Deo, & rebus quæ de illa facta ſunt concreata*. Cap. 19. *Tamdiu non eſt contra fidem, donec veritate certiſſima refellatur*. Cap. 21. *Aliud eſt quid ſcriptor ſenſerit non dignoſcere: aliud à regula pietatis errare, &c. Etſi voluntas ſcriptoris incerta ſit: ſanæ fidei congruam non inutile eſt tenuiſſe ſententiam*. Lib. 2. cap. 5. *Qualeſlibet aquæ ſuper cœlos ſint, eas ibi eſſe minimè dubitemus: maior eſt quippe Script. huius authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas*. Lib. 4. cap. 12. *Creatoris potentia cauſa eſt ſubſiſtendi omni creaturæ: quæ ab eis quæ creata ſunt regendis ſi aliquando ceſſaret, ſimul & eorum ceſſaret ſpecies, omniſq; natura concideret. Neq; enim vt cùm quis fabricauerit abcedit, & ſtat opus: ſic mundus vel ictu oculi ſtare poteſt, &c*. Cap. 23. *Nec quiſquam arbitretur quòd dixi de luce & die ſpirituali, &c. non iam propriè, ſed quaſi figuratè conuenire, &c. Vbi enim melior & certior lux, ibi verior etiam dies: cur non tam verior veſpera & verius mane? Neq; enim & Chriſtus ſic dicitur lux quomodo lapis: ſed illud propriè, iſtud figuratè*.

Lib. 6. cap. 13. *Deus potentiam ſuam naturæ non alligauit, &c. Deo hoc eſt natura quod fecerit*. Lib. 8. cap. 26. *Natura diuerſitatis corporalis non adiuuatur extrinſecus corporaliter: neq; enim eſt extra eam vllum corpus, alioquin non eſſet vniuerſitas: intrinſecùs autem adiuuatur incorporaliter, Deo id agente vt omninò natura ſit; quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia*. Lib. 9. cap. 15. *Angeli nullam poſſunt creare naturam, &c. Non quòd nulla ſit eorum operatio vt aliquid creetur; ſed non ideò Creatores ſunt. Natura agit interiori motu, nobiſq; occultiſſimo: cui tamen ſi Deus ſubtrahat operationem intimam quâ eam ſubſtituit & facit, continuò tanquam extincta nulla remanebit, &c. Creare naturã tam nullus Angelus poteſt, quàm nec ſeipſum, &c. Materiam miniſtrare poteſt*. Cap. 17. *Omnis iſte naturæ curſus habet quaſdam leges naturales, &c. Super hunc poteſtas Creatoris habet poſſe de his omnibus facere aliud, &c. Non tamen niſi id quod in eis poſuit, vt de his fieri poſſit. Neq; enim potentiâ temerariâ, ſed ſapientiæ virtute Omnipotens eſt: nec ex eis vel ille faceret quod ex eis fieri non poſſe ipſe præfigeret; quoniam ſeipſo non eſt nec ipſe potentior, &c*. Cap. 18. *Habet ergò Deus in ſeipſo abſconditas quorundam cauſas, quas rebus conditis non inſeruit: eaſq; implet, non illo opere Prouidentiæ quo naturas ſubſtituit vt ſint; ſed illo quò eas adminiſtrat vt voluerit, qui eas vt voluit condidit*. Lib. 12. cap. 16. *Omne agens eſt præſtantius ſuo patiente*.

Lib. 11. Ciu. De ortu totius mundi à Deo, vt *Gen.* 1. Cap. 4. *Soli Deo credendum eſt de mundi creatione*. *Cap.* 5. Vt quæritur cur potiùs tunc factus ſit mundus: ſic & cur hic potiùs quàm alibi. Nam ſi infinita ſpatia temporis ante mundum cogitant: cogitent extra mundum infinita ſpacia locorum.] *Infra*. [Quòd ſi dicunt inanes eſſe hominum cogitationes, cùm locus nullus ſit præter mundum: Reſpondetur nec vllum tempus eſſe ante mundum, &c. Vt *q.* 29. *ex* 83.] *Lib.* 12. *cap.* 25. [Cuiuſmodi miniſterium Angeli præbuerint Creatori, neſcio, &c. Creationem tamen omnium naturarum, eis quoque fauentibus, Deo tribuo. Non ſolùm igitur agricolas, &c. ſed nec ipſam terram, nec fœminam creatricem ſui puerperij appellare debemus. Priuſquam te formarem in vtero noui te, &c. *Ier.* 1. Et quãuis anima prægnantis valeat aliquibus velut induere qualitatibus fœtum, *Gen* 30. Naturam tamen illam quæ gignitur, tam ipſa non facit, quàm nec ipſa ſe fecit, &c. Ipſas naturas quæ ſic, vel ſic afficiuntur, non facit niſi ſummus Deus: Qui occulta potentia cuncta penetrans, incommutabili præſentia facit eſſe quicquid aliquo modo eſt, &c. Quapropter ſi Romam & Alexandriam non fabros, ſed Reges habuiſſe dicimus conditores: quantò potiùs

Digitized by Google

tiùs nonniſi Deum debemus Conditorem dicere naturarum. Qui neque ex materia facit aliquid, quam ipſe non fecerit: nec operarios habet niſi quos ipſe creauerit; & ſi potentiam ſuam rebus ſubtrahat, ita non erunt ſicut antequam fierent. *Cap.* 26. [Plato noluit Angelos eſſe Creatores animarum noſtrarum, ſed corporum.] *Lib.* 27. *cap.* 7. [Cùm Deus ſit Author naturarum omnium: cur volunt nos fortiorem reddere rationem, quàm hanc eſſe voluntatem Omnipotentis Dei? *Cap.*8. Quomodo eſt contra naturam quòd Dei ſit voluntate: cùm voluntas tanti vtique Conditoris, conditæ rei cuiuſque natura ſit? *Infra.* Sicut ergo non fuit impoſſibile Deo quas voluit inſtituere: ſic ei non eſt impoſſibile in quicquid voluerit mutare.] *S.Bern.*l.6. De conſideratione. *Tam nihil ſine Deo eſſe poteſt, quàm nec ipſe ſine ſe. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt: ac quodammodo per hoc ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt & omnium eſſe.*

4. Ex varijs conſequentijs Theologicis & neceſſarijs, ab omnibus perfectionibus originalibus Dei, ad earum participationem: & è conuerſo; non tantùm cauſaliter, ſed ſuo modò formaliter & intimè, ſeu exemplariter, vt ſæpè B.Aug. platonicè ſupra, & infra. 1. Ab ente ſimpliciter, ex ſe, per eſſentiam: ad hanc dependentiam omnium entium per participationem. Vt *B. Aug. in Pſal.* 121. *Cuius participatio in idpiſum. Quid eſt idipſum, niſi quod Eſt?* Lib.7. Conf. *Inſpexi cætera infra te, & vidi nec omnino eſſe, nec omnino non eſſe: eſſe quidem, quoniam abs te ſunt; non eſſe autem, quoniam id quod es non ſunt.* 2. Ab vnitate & primitate propria Dei, ad neceſſariam ab eo dependentiam omnis multiplicationis & ſubordinationis. Vt *B. Aug. lib.*1. De ordine Prouid. *Natura vbiq; cogit vnum quærere, & multitudo inuenire non ſinit.* Lib. de vera Relig. cap. 34. *Date mihi qui videat omnis vnius principium non eſſe niſi vnum ſolum, à quo ſit omne vnum, &c.*

*Lib.*2. *De ordine prouid.cap.*18. [Sciat quid ſit vnum in numeris, quantumcumque valeat, &c. *Infra.* [In diſcernendo & connectnendo vnum volo,& vnum amo: ſed cum diſcerno,purgatum; cùm connecto,integrum volo, &c. Lapis vt eſſet lapis, omnes eius partes, omniſque natura in vnum ſolidata eſt, &c. Amici quid aliud quàm vnum eſſe conantur, &c? Quæuis multitudo eò minùs vincitur, quo magis in vnum coit. Quid amor omnis? Nonne vnum vult fieri cum eo quod amat? Voluptas ipſa non ob aliud delectat, niſi quòd amantia corpora in vnum coguntur. Dolor vnde pernicioſus? Quia quod vnum erat diſcindere nititur.] *Lib.*3. *De lib. Arb. cap.*23. [Quid eſt dolor, niſi ſenſus quidam diuiſionis vel corruptionis impatiens? Vnde luce clarius apparet, quàm ſit illa anima in ſui corporis vniuerſitate auida vnitatis & tenax.] *Infra.* [Ex quo apparet omnia ſiue cùm offendunt vel offenduntur, ſiue cùm delectant vel delectantur vnitatem inſinuare Creatoris.] *Lib.*6.*De Muſica cap.* 17. [Numerus & ab vno incipit, & æqualitate & ſimilitudine pulcher eſt, & ordine copulatur.] *Infra.* [Vnde æqualitas partium? Vnde analogia? niſi ab illo ſummo atque æterno principatu numerorum, & ſimilitudinis,& æternitatis?] *Lib. De vera Relig. cap.* 34. [Date mihi qui videat omnis vnius principium non eſſe niſi vnum ſolum. *Cap.* 35.Vnum quærimus quo ſimplicius nihil eſt: ergo in ſimplicitate cordis quæramus illum.] 3. A veritate Dei originali, ad neceſſariam dependentiam & participationem omnis veri. Vt *B. Aug. lib.* De immort. animæ. *Lib.* 8. *Trin. Epiſt.* 151. & ſupra.

4. A Bonitate Dei, ad omnem communicationem & participationem poſſibilem. Vt B. Aug. 8.Trin.4. *Bonum hoc & bonum illud: Tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum ſi potes. Ita Deum videbis: non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni.* Infra. *Cùm audis bonum hoc, & bonum illud, ſi potueris ſine illis quæ participatione boni bona ſunt, perſpicere ipſum bonum, cuius participatione bona ſunt, perſpexeris Deum.* 5. A perfectione intellectuali & forma ideali, ſeu exemplari Dei, ad omnia formabilia. Lib.2. De libero Arb. cap. 17. *Forma incommutabilis per quam commutabilia cuncta ſubſiſtunt, &c.* Q. 46. ex 83. *Ideæ ſunt principales quædam formæ rerum ſtabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ſed æternæ, &c. Singula proprijs ſunt creata rationibus.* Q.78. *Ars illa omnipotentis Dei ipſa etiam operatur per artifices.* Lib. 8. & 9. Trin. ac alibi ſæpè de hac forma nobis impreſſa, vt ſolet ſigillum imprimi ceræ. 6. A perfectione voluntatis Dei, ad omnia volibilia. 7. Ab Omnipotentia Dei, ad omnia poſſibilia. 8. Ab æternitate Dei, ad omnia capacia alicuius durationis. 9. Ab Immenſitate Dei, ad omnia capacia alicuius præſentiæ, ſeu terminationis ad ipſum. 10. A ſupremo Dei dominio: ad omnium ab eo depedentiam in eſſe & poſſe. 11. Ab ipſo nihilo, ſeu nullo eſſe, aut poſſe reali creaturarum ex ſe: ad neceſſariam à Deo dependentiam in fieri, eſſe, & poſſe, &c. De quibus latiùs & diſtinctius in 1. & q. ſeq. Scholaſtica.

5. Ex omnibus miraculis, ſeu operibus Dei ſupernaturalibus: quæ conuincunt hanc neceſſariam dependentiã totius creaturæ à Deo, in fieri, eſſe, & poſſe operari.

6. Ex doctrina expreſſa noſtri Al. ſupra *q.* 9. *m.* 8. *S. Bon. d.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *Scoti in* 4. *d.* 1. *q.* 1. *& omnium Doctorum Chriſtianorum.*

7. Ex ſolo lumine naturali, quo Philoſophi Platonici cenſuerunt hunc mundum à Deo dependere, vt ſolet vmbra à corpore, & lumen à ſole: teſte *Marſilio Fiſcino lib.*2.*Theol. Platonicæ, c.*7.

8. Ex affectu, & inſtinctu naturali ac rationali ad aliquam Religionem ſeu cultum Dei, vt ſupremi Domini, & Authoris totius naturæ, imò & vltimi finis.

Obiectiones.

1. EX *Ioan.* 12. 14. & 16. Princeps huius mundi eijcietur foras. *Ioan.*18. Regnum meum non eſt de hoc modo. 2. *Cor.* 4. *Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium.* Ergo hic mundus quo ad aliqua eſt à diabolo. *Reſp.* 1. Non dicitur Princeps nec Deus huius mundi verus ac legitimus: ſed falſus, & tyrannus. 2. Explicatur ibidem cuius mundi, & ſæculi .i. *tenebrarum harum,*

Digitized by Google

rum, ſeu totius infidelitatis, vanitatis, & maliciæ humanæ. 3. Regnum Chriſti non erat mundatum, externum, &c.

2. Ex *Gen.* 1. Terra autem erat inanis, &c. Tenebræ erant ſuper faciem abiſſi. Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. *Sap.* 10. Feciſti mundum de materia informi. Ergo hæc erant increata. *Reſp.* Erant per ipſam creationem cœli & terræ, ſeu horum vt continentium, & omnium contentorum.

3. Nulla fit ibi mentio creationis Angelorum. *Reſp.* 1. Contineri in cœlo, vt partes totius huius vniuerſi. 2. Hic intelligi poſſe per lucem illam ſpiritualem. 3. Alibi ſæpè exprimi.

4. Ex *Gen.* 2. Inſpirauit Deus in faciem hominis ſpiraculum vitæ .i. animam: ergo ex proprio ſpiritu ſeu ſubſtantia ſpirituali. *Reſp.* Inſpirauit cauſaliter .i. increauit homini animam ſpiritualẽ, ad aliquam ſui imaginem, vel ſimilitudinem, non autem ad æqualitatem, vel partialitatem.

5. *Eccleſ.* 1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. *Sap.* 4. Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona. 1. *Cor.* 7. Præterit figura huius mundi. 1. *Ioan.* 2. Mundus tranſit & concupiſcentia eius. *Pſal.* 38. Subſtantia mea tanquam nihilum ante te. Ergo hic mundus non eſt verus, ſed tantùm apparens. *Reſp.* 1. Hæc non dici de mundo reali, & à Deo creato: ſed de mundo quodam imaginario, ſeu figmentis & abuſu communi hominum inter ſe. 2. Non dici de mundo ſimpliciter, ſed moraliter & comparatiuè ad Deum: vt ſupra ex SS. *Aug. & Bern.* & infra quæſt morali.

6. Omnia creata ſunt ex Deo, & ex quodam eſſe omnium perfectiori in ipſo, quàm extra in ſeipſis; ergo non ex nihilo. *Reſp.* Non ex Deo intrinſecè, ſed cauſaliter & extrinſecè: nec ex aliquo proprio eorum eſſe in Deo, ſed ex ipſo eſſe Dei; non vt termino à quo, ſed vt originali & exemplari omnium; nec ex vlla propria eſſentia in Deo, ad exiſtentiam extra, ſed ex nihilo propriæ eſſentiæ & exiſtentiæ, ad veram & propriam eſſentiam ac exiſtentiam realem. Non contra ſenſum Doctoris noſtri Subtilis *quæſt. ſeq.* De quodam eſſe ſecundùm quid, ſeu obiectiuo creaturarum ab æterno: ſed contra errorem Wicleffi, relatum à *Thoma VValdenſi tom.* 1. *lib.* 1. *art.* 1. *cap.* 16. De creatione ex quodam eſſe in Deo, quo erant & poterãt dici Deus ipſe, ad ſuũ proprium eſſe extra Deũ.

7. Ex *S. Aug. lib.* 3. *De libero arb. cap.* 21. Tantùm adſit fides nihil de ſubſtantia creatoris falsũ indignumque ſentiendi, &c. De creatura vero ſi quid aliter ſe habet quàm ſenſerimus: dummodò non id pro cognito perceptoque teneamus, nullum periculum eſt, &c. Ergo non omnia illa de creaturis ſunt credenda. *Reſp.* 1. *B. Aug.* ibi tantùm agit de origine animarum, & de quadam libertate circa eam opinandi, ſalua fide nihil ſentiendi indignum Deo, quaſi eſſent ex ipſa ſubſtantia Dei. 2. Poteſt extendi ad omnem materiam fidei: vt nulla talis ſit, niſi inuoluat ipſam veritatem & dignitatem Dei.

QVÆSTIO II.

SCHOLASTICA.

An & quid Scholaſticè ſupplendum, vel conciliandum ſit inter noſtros Authores, & B. Aug. *De Deo vt Creatore, Creatione, & Creaturis in genere?*

Reſp. TAnta eſt copia, & perfectio, ac concordia Doctrinæ: vt vix quid deſit ſupplendum, aut perficiendum, vix quid ſubſit conciliandum; ſed tantùm recolligendum, conferendum, & ſuſtinendum.

Præterea autem quæ ſupra in 1. & 2. hùc reuocandæ ſunt ex Doctore Subtili *in* 4. *Diſt.* 1. tres Quæſtiones.

QVÆST. 1. *An creatura poſſit habere aliquam actionem reſpectu termini creationis?*

N. 5. In iſta quæſt. Theologi tenent communiter partem negatiuam. Vt *S. Thomas p.* 1. *q.* 45. *Ægid. quodl.* 1. 5.

1. Quia effectus creationis eſt ipſum eſſe primum & vniuerſaliſſimum: ergo non niſi à cauſa prima & vniuerſaliſſima; quia creatio ſupponit aliquam vim ſaltem tranſeuntem creandi, hæc autem ſupponit eſſe. 2. Quia vt inter Deum & non Deum: ita inter ens & non ens, inter hoc & non hoc eſt diſtantia infinita, vel nulla eſt proportio; ergo ſolus Deus poteſt ex non ente creare ens. 3. Quia vt ars ſupponit pro ſubiecto ſuæ actionis aliquem effectum naturæ: ſic & natura aliquem effectum Dei. 4. Quia agens creatum eſt potentiale in eſſendo: ergo & in agendo per motum ſeu mutationem ſubiecti.

N. 7. Sed iſtæ rationes non videntur concludere. Non 1. Quia ipſum eſſe formæ & compoſiti generatur à cauſa 2. Nec eſſe creatum eſt primum aut vniuerſaliſſimum perfectione, ſed tãtùm prædicatione: ſicque non poteſt eſſe effectus niſi entis primi, & communiſſimi, non autem perfectiſſimi.

N. 9. Poteſt diſtingui in effectu, eſſe ſimpliciter, vt à Deo: & eſſe hoc vel illud, vt à cauſa. 2. Nec ad creandum eſt impoſſibilis cauſa inſtrumentalis, quaſi hæc eſſet tantùm diſpoſitiua ſubiecti: quia poteſt etiam eſſe ad actionẽ principalem. Vt patet ex 4. *col.* 55. 56. 57. 58. 59. 60. 84. 85. 431. 432. De cauſalitate reali & inſtrumentali.

N. 11. Non 2. quia nec eſt infinita, nec æqualis diſtantia inter quodlibet ens, & non ens: ſed ſolùm tanta quantum eſt ipſum ens; nec maior vis requiritur ad eius productionem.

N. 12. Sed poteſt intelligi diſtantia infinita .i. indeterminatã: quia nũquam eſt tam magna aut parua, quin poſſit eſſe maior vel minor. Nec diſtantia inter ens & non ens, eſt maxima poſitiuè, ſed tantùm permiſſiuè.

N. 13. Nec omnia contradictoria diſtant æqualiter inter ſe: ſed æquè repugnant. Nec eſt proportio inter potentiam & non potentiam ad actum: ſed inter potentiam finitã & actum finitũ.

N. 14. Non 3. Quia agens præſupponit qui-

 dem

nihil operatur in anima, mediatè vel immediatè, ad quod ſimpliciter neceſſariò conferatur gratia, &c. Nec *Magiſter* ſenſit poſſe dari miniſtro vt attingat ipſum effectum gratiæ: quia per hanc anima fit formaliter Deo grata,& digna vitâ æternâ, ad quod creatura nullâ poteſt habere vim actiuam. Et gratia ordinat ad finem vltimum: ergo non eſt niſi à cauſa prima, &c. Sed cum gratia poſſit eſſe ratio formalis talis acceptationis: cur non poſſit ipſa cauſari ab agente creato? Cumque poſſit cauſa inferior agere propter finem vltimum: cur non & creare gratiam propter finem vltimum?

N. 32. *Ad Arg. princ.* De virtute aquæ Baptiſmalis: non eſt vis realis, ſed Sacramentalis. *Ad* 2. Ex *B. Aug. q.* 78. Quòd artifices nihil poſſint ex nihilo, quia per corpus operantur: hæc eſt vna cauſa, ſed non ſola. *Ad* 3. Deus nec agit nec creat quantum poteſt, ſed quantum vult: nec poteſt effectus inferior *totus & totaliter* produci niſi à Deo: ob hunc proprium eius modum producendi.

Ad 4. Eſt ſolius Dei annihilare, vt & conſeruare: quia illud non eſt agere, ſed non conſeruare, &c. Vt autem creatio propriè dicta eſt productio de nihilo .i. *Non de aliquo quod ſit pars producti, & receptiuum formæ: ita annihillatio eſt deſtructio in nihil, vtroq; modo.* Nec vlla virtus infuſa poteſt à nobis corrumpi, niſi demeritoriè. *Ad* 5. Quòd cauſa ſecunda plus poſſit in virtute primæ, quàm in propria: nihil poteſt agere niſi in propria virtute intrinſeca,, vt ſupra. Sed agens dependens ab alio, dicitur agere in virtute alterius; quia illius virtus non ſufficit ſine hac. Id tamen potiùs dicitur de inſtrumento, quàm de cauſa 2. quia illud non habet vim actiuam, niſi in actuali motione: hæc autem habet vim actiuam in eſſe quieto; ſed ſubordinatam ſuperiori. *Hinc patet quòd cauſa prima non concurrit cum ſecunda nouâ in eam influentiâ, quæ ſit creatio alicuius ei inhærentis: ſed influentia ibi, eſt determinatus ordo iſtarum cauſarum in agendo effectum communem. Inſtrumentum autem quando agit, recipit propriè influentiam, ſeu motionem actualem, & in motione formam per quam agit in ſuo ordine, ab eo cuius eſt inſtrumentum. Cauſa ergo ſecunda plus poteſt in virtute alterius, quàm propria, ſupple ſola, &c. Non tamen plus quàm ad quod virtus eius propria ſe extendit in ſuo ordine cauſandi.*

QVÆST. 4. *An ſit poſſibile aliquod Sacramentum quantumcumq; perfectum habere cauſalitatem actiuam reſpectu gratiæ conferendæ.*

QVÆST. 5. *An ſit poſſibile in Sacramento eſſe virtutem ſupernaturalem?*

N. 2. *Ad* 1. *Quæſt.* Vna opinio dicit .i. *S. Thom. in* 4. *d.* 1. *q.* 1. quòd omnes cogantur ponere Sacramenta nouæ legis eſſe aliquo modo cauſas gratiæ, &c. Non tantùm ſine quibus non, nihil ad eam efficiendo, vel diſponendo; nec vt cauſæ per accidens, &c. *Qualiter ergo, ponitur ſic, &c.* Sacramentum non agit inſtrumentaliter ad gratiam, ſed diſpoſitiuè: quia non attingit illam, ſed diſpoſitionem præuiam, quæ in quibuſdam Sacramentis eſt character, in quibuſdam eſt aliquis ornatus animæ proportionatus characteri.

N. 2. *Ad* 2. *quæſt.* dicitur quòd in Sacramentis eſt aliqua virtus ſupernaturalis, &c. non principalis, in eſſe completo; ſed inſtrumentalis in fieri, vt ens completum ſeu intentionale, quaſi medium inter potentiam & actum, &c.

N. 4. *Contra* 1. *Opin.* Creatura non poteſt agere inſtrumentaliter ad terminum creationis, ex ipſo *S. Thom. p.* 1. *q.* 45. diſpoſitio autem proxima ad gratiam eſt terminus creationis; quia eſt ſimpliciter forma ſupernaturalis, nulla autem talis eſt educibilis de potentia naturali ſubiecti: ſed quælibet eſt æquè in eius potentia obedientiali, &c. Vt in 4. *col.* 57. 58. 116. Niſi quòd *n.* 7. *In Sacramentis quæ non imprimunt Characterem nulla eſt neceſſitas ponendi illam diſpoſitionem quæ dicitur ab illis ornatus: imò hoc videtur eſſe contra communem doctrinam Theol. In quibuſcumq; enim Sacramentis imprimitur diſpoſitio ad effectum principalem: ſi propter obicem in ſuſcipiente non cauſatur tunc effectus principalis, ceſſante obice, ſufficit diſpoſitio ad illum effectum, &c. Sed in fictè pœnitentè, ceſſante fictione, nihil eſt quod ſufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ: alioquin nõ oporteret talem fictè confeſſum, de eiſdem peccatis aliàs confiteri; ergo in tali Sacramento nulla imprimitur diſpoſitio quaſi neceſſitans ad effectum Sacramenti.* Quæ tamen non excludunt omnem ſpem huius fructus cuiuſuis Sacramenti: vt in 4. col 823. 824.

A n. 8. *Contra* 2. *Opin.* Vt in 4. *col.* 58. niſi quòd hîc reprobentur omnia exempla motus ſpiritualis in inſtrumento corporali.

A n. 12. *Ad* 1. Ergo quæſt. *vt in* 4. *col.* 55. 56.

A. n. 16. *Ad quæſt.* 2. Patet quòd nec manifeſtè poſſibile, nec neceſſarium eſt ponere illam virtutem quæ ſit forma realis in Sacramento. Vt quid enim toties generaretur, & corrumperetur? Nec per illam cauſaretur aliquid in anima, niſi ex pactione diuina, &c. Si tamẽ fiat altercatio de nomine virtutis: poteſt dici eſſe vltimum potentiæ; quod in ſigno practico eſt ipſa ſignificatio ipſa efficax, & veritas ſigni.]

N. 14. Sacramentum non eſt tantùm cauſa per accidens: vt nec Character vel ornatus ille eſſet cauſa per accidens; ſed eſt per ſe diſpoſitio ad gratiam.]

Ex quibus omnibus inter ſe & cum tota doctrina *Alenſis, S. Bon. & Scoti in* 1. *&* 2. collatis, patet 1. Quid ſit Creatio. Vt ex *Al. p.* 2. *q.* 6. 9. S. Bon. *in* 2. *d.* 1. Scoto hîc, & *in* 2. *d.* 1. ſingulariter *q.* 2. Vbi *n.* 3. ex profeſſo definit & explicat, *Creare eſt aliquid de nihilo producere in effectu.* Quod quia *col.* 149. *q.* 2. nimis parcè retulimus, defectum noſtrum hîc ſuppleamus: non tam de nihilo negatiuè priore, ſaltem quaſi ordine naturæ, de quo ibi & alibi ſatis, ſed de illo *in effectu* .i. in eſſe reali actuali, & ſimpliciter; non autem in ſolo eſſe poſſibili, obiectiuo, & ſecundùm quid, Vt ſupra contra Wicleffum. 2. Patet hanc vim creandi & creationem actiuam, ſeu hunc modum producendi eſſe tam proprium Deo eiuſque Omnipotentiæ: vt nequidem inſtrumentaliter poſſit ab vlla creatura participari. Ex *Al. p.* 1. *q.* 3. 19. 20. 21. *p.* 2. *q.* 6. 9. *S. Bon. In* 1. *d.* 7. 42. 43. 44.

Digitized by Google

44. in 2. d. 1. Scoto In 1. d. 37. 42. 43. 44. In 2. & 4. d. 1. vt ſupra.

3. Patet vnde Deus ſit & denominetur Creator. Ex Al. p. 1. q. 53. Ex S. Bon. & Scoto in 1. d. 30.

4. Patet an & quæ potuerint creari ab æterno. Ex Al. p. 1. q. 12. 20. p. 2. q. 14. S. Bon. in 1. d. 8. in 2. d. 1. Scot. in 2. d. 1. q. 3.

5. Patet quid ſit Creatura vt ſic, & vnde dicatur. Ex Al. p. 1. q. 19. 20. 21. 53. p. 2. q. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Ex S. Bon. & Scoto in 1. d. 30. in 2. d. 1. in 3. d. 11.

6. Patet Deum non poſſe referri vlla relatione ad creaturas : ſed eas tantùm realiter, cauſaliter, reali vel ſubſtantialiter terminare. Ex Al. p. 1. q. 20. 53. P. 2. à q. 1. ad 10. P. 3. De vnione hypoſt. S. Bon. & Scot. in 1. d. 30. In 2. d. 1. In 3. De vnione hypoſt.

7. Patet quæ, quanta, & quotuplex ſit cauſalitas Dei in creaturas : & harum ab illo dependentia, in fieri, eſſe, poſſe, & cauſare. Ex Al. p. 1. q. 10. 16. 17. 19. 20. 21. 25. 31. 53. p. 2. q. 1. 2. 3. 4. 5. Ex S. Bon. in 1. d. 3. 30. 42. 43. In 2. d. 1. Ex Scoto in 1. d. 2. 37. 42. 43. 44. in 2. d. 1. 2. in 4. q. 1. 4. 5.

8. Patet an & quid ſit annihilatio. Ex Al. p. 1. q. 4. p. 4. q. 38. m. 3. S. Bon. in 1. d. 8. Art. 2. in 4. d. 11. a. 1. q. 3. Scot. in 4. d. 1. q. 1. d. 11. q. 4. d. 12. 43.

9. Patet quæ, & quomodo ſint communia Deo & creaturis. Ex Al. p. 1 q. 1. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 55. &c. Ex S. Bon. in 1. d. 23. Ex Scoto in 1. d. 3. q. 1. 2. d. 8. q. 3. d. 22.

Obiectio. 1. De Creatione.

SCotus in 1. Diſt. 20. 36. 37. 42. 43. in 2. diſt. 1. quæſt. 2. & alibi ſæpè docet nihil poſſe à Deo produci niſi ex eſſe poſſibili, & obiectiuo, ſeu intelligibili & volibili, imò & cognito ac volito : ergo non ex nihilo, ſed vt Wiclef, & Henr. ſupra. Reſp. 1. Ex ipſo Scoto ibidem, eſſe illud obiectiuum non eſſe ſimpliciter, ſed tantum ſecùdùm quid : ſicque inde produci, non eſſe produci ex aliquo eſſe ſimpliciter, ſed ex nō eſſe ſeu nihilo ſimpliciter. 2. Produci ſaltem remotè ex nihilo illius etiam eſſe obiectiui. 3. Non produci ex illo eſſe obiectiuo, tanquam ex eſſe proprio, totali aut partiali ipſius producti, ſed ſolius producentis. 4. Non produci propriè ex illo eſſe obiectiuo, vt ex termino à quo: ſed ex ſolo nihilo. Quia terminùs à quo neceſſariò deſinit, vt incipiat terminus ad quem : eſſe autem obiectiuum, ſiue poſſibile, ſiue cognitum, ſiue volitum non deſinit, ſed neceſſariò conſiſtit cum termino ad quem, ſeu creatura producta; ergo hæc non producitur ex illo. 5. Produci ex illo eſſe obiectiuo, vt exemplari Dei : ſed ex nihilo ſui proprij eſſe.

2. De Creatis.

EX Sap. 11. & B. Aug. Deus creauit ſolam materiam, & ex illa produxit & producit omnia corporalia: ergo nec creauit nec creat omnia ex nihilo. Reſp. 1. Saltē remotè & mediatè creauit & creat omnia. 2. Concreauit fortè eodem inſtanti omnia. 3. Poſſet etiam nunc dici creare vel concreare, ſeu producere omnia ex ſe independenter à materia, quantumuis ipſa dependeant.

3. De Actione Creandi.

EX Alenſi p. 2. q. 6. m. 2. art. 3. Actio quâ Deus creat eſt ipſe Deus : nec differt à Deo creante, niſi connotatione effectus. Art. 4. Eſt ſoli Deo propria : quia eſt perfectior omni re creabili. Art. 5. Vt eſt actio eſt Deus ipſe, & ab æterno. Contra S. Bon. in 1. d. 31. in 2. d. 1. Scotum in 1. d. 30. in 2. & 4. d. 1. Imo & contra ſeipſum p. 1. q. 5. 3. Quod Deus non ſit creator ab æterno, ſed cum tempore.

Reſp. 1. Alenſis ibi diſtinguit expreſsè creationem actiuam, ſeu actionem creandi, vt eſt in ipſo Deo, à creatione paſſiua à qua tam p. 1. q. 53. quā p. 2. q. 6. 9. vult Deum potiùs dici Creatorem actu. 2. Ipſa vis creandi poteſt dici actio ſeu actus vltimus creandi, ob ſuam perfectiſſimam actualitatē. 3. Ipſa voluntas æterna creandi, ſeu eius determinatio æterna ad creandū dici poteſt actio creandi. 4. S. Bon. in 1. d. 8. 30. & in 2. d. 1. vt Scotus ibidem : ſed hic latiùs & expreſſiùs 2. d. 1. q. 2. Ad 1. Arg. Cauſa poteſt immediatè producere extra ſe aliquem effectum nouum, abſque vllâ ſuipſius mutatione, &c. Agens autem liberum poteſt eadem volitione durante, producere effectum quando vult. Nec ad cauſandum neceſſaria eſt vlla prior relatio cauſæ ad effectum : ſed ſola potentia abſoluta, &c. Fallit autem imaginatio quaſi prior aliqua relatio determinaret cauſam ad cauſādum. Et idem in 4. d. 13. q. 1. Art. 1. Prout nos ibi retulimus col. 431. quamuis ſub dubio hic reſoluendo, aut reſoluto ſupra. Quibus adde ex eadem d. 13. q. 1 n. 12. Ex dictis patet multiplex æquiuocatio huius nominis, actio. 1. Pro operatione, quæ eſt qualitas : vt in 1. d. 3. q. vlt. 2. Pro reſpectu producentis ad productum. 3. Pro reſpectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum. 4. Pro ipſa re acta, vt ab alio. 5. Pro reſpectu tranſmutantis ad tranſmutatum, ſeu agentis ad ſubiectum, &c. N. 17. Non transfertur ad Deum aliqua actio de genere actionis ad intra, nec ad creandum, &c. Quia vbi eſt totalis productio, non eſt propriè actio, & paſſio ſubiecti, &c. N. 23. Ad 2. Arg. Non eſt inconueniens creationem Dei eſſe relationem rationis, &c. Nec ſequitur: ergo Deum velle creaturam eſſe, eſt referri. Quia creare ſignificat relationem paſſionis, cōnotando actum eſſentialem Dei vt tranſit ſuper obiectum extra : Deum autem velle creaturam eſſe, principaliter dicit actum diuinum, licet connotet tranſitum eius ſuper obiectum.]

Itaque nulla eſt inter eos differentia in re : ſed Alenſis vtitur nomine actionis creandi, pro ipſo actu interno abſoluto & efficaci ipſius Dei, vt cōnotat terminum creatum : Scotus autem, pro relatione ſeu actione relatiua Dei ad creaturam, connotando actum illum abſolutum & efficacem. Quæ relatio Dei non poteſt eſſe realis & intrinſeca Deo : ſed eſt ſola terminatio dependentiæ relatiuæ creaturarum ad Deum. Nec obſtat quòd Scot. 4. d. 1. 3. q. 1. videatur ſtudioſè reprobare

actionem

Digitized by Google

actionem vt abſolutam, ſiue nouam, ſiue coæuam agenti: quia ad agendum extra ſe neceſſariò ageret in ſe, vel actio eſſet ſuſpenſa ab omni ſubiecto, termino, paſſione, &c. nec poteſt actio concipi niſi relatiuè. Hæc enim ſunt tantùm contra actionem abſolutam, vt mediam inter vim agendi & effectum. Contra quam ipſe *Al. p.* 2. *q.* 9. non contra vim ipſam actualem agendi.

4. De Conſeruatione.

NEc *Alenſis*, nec *S. Bon.* nec *Scotus* agunt hic vel alibi ex profeſſo de conſeruatione: ergo deeſt eis tota hæc doctrina ſupplenda.

Reſp. ex *Alenſi p.* 1. *q.* 10. De exiſtentia Dei in rebus omnibus etiam per potentiam, ſeu conſeruationem. *Q.* 19. & 20. De potentia & Omnipotentia inuariabili Dei, & poſſibilitate creaturæ. *Q.* 24. 25. De diſpoſitione & prouidentia Dei. *q.* 35. De cauſalitate voluntatis Dei. *P.* 2. *q.* 1. 2. 3. 4. 5. De omni cauſalitate Dei. *q.* 13. De mutabilitate creaturæ in nihilum. *q.* 14. De duratione mundi. 58. De quiete Dei à nouo opere, non ab omnium conſeruatione. Ex *S. Bon. in* 1. *d.* 3. De veſtigijs & imagine Dei creata. *d.* 8. *Art.* 2. De immutabilitate Dei, & defectibilitate cuiuſuis creaturæ in nihilum. *D.* 30. De relatione dependentiæ cuiuſuis creaturæ à Deo. *D.* 37. De exiſtentia Dei in creaturis, continendo, conſeruando, &c. *d.* 42. De Omnipotentia Dei. *d.* 43. De infinita potentia Dei. *d.* 45. De cauſalitate voluntatis Dei. *In* 2. *d.* 15. *Art.* 2. *q.* 3. De quiete Dei à nouo opere: non ab omnium continuatione & conſeruatione. Ex *Scoto in* 1. *d.* 2. De ente infinito, & cauſa prima. *D.* 8. *q.* 5. De ſolius Dei immutabilitate, ac neceſſitate eſſendi. *D.* 30. de neceſſaria relatione ſeu dependentia reali & actuali creaturæ à Deo. *D.* 37. 42. 43. De Omnipotentia Dei, & poſſibilitate creaturæ. *D.* 45. De efficacia voluntatis Dei. *In* 2. *d.* 1. *q.* 1. 2. 3. De prima cauſalitate Dei. *q.* 4. De identitate reali, non formali, relationis ſeu dependentiæ creaturarum à Deo, cum ipſis creaturis. *D.* 2. *q.* 1. De duratione Angelorum: vbi refert, nec improbat ſententiam *S. Bon.* quòd ſit continua conſeruatio Dei. *In* 4. *d.* 1. *q.* 1.

Nec eſt defectus, ſed perfectio doctrinæ, quòd non diſtinguant, aut ex profeſſo moueant quæſtionem expreſſam de diſtinctione creationis à conſeruatione: quia non eſt reuocandum in dubiũ quin ſit realiter eadẽ actio, & depẽdẽtia eſſentialis, aut ſaltem neceſſaria & idẽtica ipſi creaturæ; diſtincta ſolo reſpectu ad cuiuſq; non eſſe, vel eſſe præcedẽs. Ideoq; potiùs ab eis ſupponitur vel breuiter exprimitur: vt à *Scoto in* 2. *d.* 1. *q.* 4. *d.* 2. *q.* 1. & *alibi.* Creatura ſemper in eſſendo pendet à Deo. &c. Licet eius eſſe ſit permanens: tamen reſpectu Dei à quo ſemper pendet, ſemper eſt quaſi in fieri, &c. non tamen nouo & nouo. &c.

Res poteſt dici ſemper creari quamdiu manet quia ſemper accipit à Deo eſſe.] Sed ex profeſſo Quodl. 12. Vt ſupra, *col.* 195. errando tamen in locis ibi citatis, ex aliquo Indice ſeduce.

Confirmatur 1. Ex ſacris ſcript. *q.* 1. *citatis.* 2. Ex SS. Patribus ibidem & alibi profitentibus dependentiam eſſentialem creaturæ à Deo in fieri, & conſeruari: ergo vnam eandemque. 4. Ex conſenſu ipſius *S. Thomæ p.* 1. *q.* 104. *A. r.* 2. & alibi. 5. His rationibus. 1. *Scoti.* Non poteſt idem ab eodem dependere duplici dependentia eſſentiali eiuſdem cauſalitatis, quin altera ſuperfluat.

2. Quod fit ex nihilo, eſt ex nihilo: ergo eadem actione reali.

3. Eſt idem factum, quod fit: ergo eadem actione ſeu dependentia neceſſaria. 3. Æquè eſt ex nihilo, ac fit ex nihilo: ergo eadem actione. 3. Eſt idem eſſe continuò dependens: ergo eadem continua dependentia. 4. Dependentia neceſſaria à cauſa. 1. non poteſt ſuppleri ab vlla 2. Ergo eſt ſemper eadem. 5. Radij ſolis, ſpecies ſenſibiles, eadem actione contina fiunt & conſeruantur: ergo & omnes creaturæ à Deo.

Nec obſtat, quòd quædam creaturæ natura ſua per ſe exiſtant, aliæ nonniſi inhæreant, quædam nunquam deſinant, quædam paulatim, quædam ſint permanentes, quædam ſucceſſiuæ, quædam dependeant à ſolo Deo, quædam etiam à cauſa 2. vel in ſolo fieri, vel etiam in conſeruari.

Reſp. Hanc varietatem exiſtendi, eſſe cauſaliter à ſola voluntate Dei: ſed ex varia rerum natura. Nam quæ ſunt extra ſubiectum, imò ſunt ſubiectum & finis aliarum, nec ſunt inter ſe corruptibiles nec generabiles per cauſas ſecundas: nunquã deſinunt eſſe, quia ſemper conſeruantur à Deo, qui eſt ex ſe cauſa 1. eſſendi, non deſinendi, *Sap.* 12. Quæ fiunt in ſubiecto diſtante à ſuis cauſis ſecundis, ad effectum ab eis independentem, vel ſunt inter ſe generabiles & corruptibiles per cauſas ſecundas: conſeruantur ad ſuum illum finem, donec aliud exigant cauſæ 2. quæ nec tam agunt ad vnius corruptionem, quàm ad alterius generationem. Quæ non habent finem proximum niſi circa ſuam cauſam, vt ſubiectum vel obiectum præſens: non fruſtra conſeruantur eo abſente. Quæ non fiunt vt ſint ex vllis partibus ſimul, ſed tantùm continuò & ſucceſſiuè: nec aliter conſeruantur. Non ergo quòd vllæ creaturæ ſuppleant Dei conſeruationem, aut magis minùſue ab eo dependeant, ſed ab inuicem.

5. De Cauſa 1. & ſecundis.

QVòd cùm B. Aug. tam ſæpè & ſtudioſè de his agat: vt l. 7. Ciu. 3. *Hæc omnia agit idem Deus, vbiq; totus, præſente potentiâ, non abſente naturâ: ſic adminiſtrat omnia, vt etiam ipſa proprios agere motus ſinat, &c.* nec *Alenſis*, nec *S. Bon.* nec *Scotus* doceat ex profeſſo dependentiam harum ab illa in cauſando: an differat à dependentia ipſius cauſæ, potentiæ actiuæ, & effectus in exiſtendo; an illa in has neceſſariò influat ad cauſandum, vel in ſolum effectum communem; An ſit cauſa totalis vel concauſa partialis eorundẽ effectuũ cõmunium; An has neceſſariò prædeterminet, condeterminet, determinet, vel ab his determinetur, ad genus, ſpeciem, vel ſingulares effectus, &c. Ergo eorum doctrina eſt valdè imperfecta, & neceſſariò ſupplenda ac perficienda.

Reſp. Ex *Al. p.* 1. *q.* 3. *m.* 1. De neceſſitate eſſendi ſolius Dei. *q.* 10. De inexiſtentia Dei in

Digitized by Google

omnibus per eſſentiam, potentiam & operationem. *q.* 19. *&* 20. De potentia & Omnipotentia Dei. *q.* 21. De fluxu potentiarum creaturum à diuina. *m.* 2. De Omnipotentia agendi, non niſi à Deo, ex *Rom.* 13. *m.* 3. De poteſtate Dominij Dei, & à Deo: ergo in omnes actiones ſuorum inferiorum. *q.* 23. *De praſcientia omnium futurorum. q.* 24. *&* 25. De diſpoſitione & prouidentia Dei ad omnia: ergo & ad actiones omnium. *q.* 27. De prædeſtinatione ad gratiam & gloriam: ergo & per bona opera. *q.* 34. De voluntate Dei vt cauſa bonorum omnium, etiam operum noſtrorum. *q.* 41. De conformanda noſtra voluntate cum diuina. P. 2. *à q.* 1. *ad* 19. De Cauſa 1. & omni eius cauſalitate omnium poſſibilium; ergo & omnium noſtrorum actuum & effectuum: deque neceſſaria dependentia omnium effectuum à cauſa 1. Ergo & omnium actuum & actionum realium. *q.* 96. De neceſſario auxilio ſupernaturali ad opera ſupernaturalia; ergo & connaturali ad naturalia.

Ex *S. Bon. in* 1. *d.* 3. De cognitione Dei ex omnibus eius creaturis & effectib': ergo & ex cauſis ſecundis & earum cauſalitate. *d.* 37. *Art.* 1. *q.* 1. De omnium dependentia à Deo immediatè: *vt forma ſigilli in aqua pendet à continua eius influentia & impreſſione. Art.* 3. *q.* 1. Deus eſt in omnibus potentialiter. i. influendo cauſaliter. *d.* 38. De præſcientia omnium futurorum. *d.* 42. *&* 43. De Omnipotentia Dei, eiuſque perfectione infinita: ergo ab ea dependet eſſentialiter omnis cauſa. 2. etiam in cauſando. *d.* 45. 46. 47. De efficacia voluntatis Dei ad omnia noſtra opera. *In* 2. *d.* 1. *art.* 2. *q.* 2. De credenda omnium creatione à Deo immediatè per ſe, ex vi omnipotentiæ: ergo & de credenda eius cauſalitate in omnes effect' immediatè. *d.* 24. 26. 27. 28. 29. De neceſſitate gratiæ actualis: ergo & influentiæ Dei ad omnem effectum.

Ex *Scoto in* 1. *d.* 2. *q.* 1. *&* 2. De ente infinito, ex eius prima cauſalitate. *d.* 37. 42. 43. De Omnipotentia Dei, à qua neceſſariò dependet omnis cauſa 2. in cauſando. *Diſt.* 39. De præſcientia omnium futurorum, ex decreto efficaci ſuæ voluntatis. *In* 2. *d.* 1. & aliunde ſæpè de proxima poſſibilitate cuiuſuis actus & effectus, ex vero, & perfecto eius eſſe obiectiuo, cognito, & volito: vtique à ſolo Deo. *d.* 13. 14. De motu, & influenta cœleſti in cauſas inferiores, cum tanta inclinatione ipſorum hominum: quanto magis Dei in omnes? *d.* 25. 26. 27. De neceſſitate gratiæ actualis ad omnia opera ſalutaria: ergo & influentiæ Dei naturalis ad omnia opera naturalia. *In* 3. *à d.* 23. *ad* 37. De habitibus virtutum earumque influentia: quantò magis Dei, ad omnes actus noſtros etiam liberos? *In* 4. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 27. 34. expreſſiſſimè vt ſuprà *à col.* 205. Vbi quod ait de influētia Cauſæ. 1. cum 2. *in eundem effectum, non autem noua in ipſam cauſam ſecundam:* ſaltem non præiudicat influentiæ ſupernaturali in nos, ad noſtros actus ſalutares, ad quos ſumus potius quaſi cauſæ inſtrumentales, quàm principales. Quomodò autem conſtet præſcientia Dei ex ſolo decreto ſuæ voluntatis: conferemus agendo de gratia efficaci.

Neque hæc neceſſaria recollectio Doctrinæ, eſt ex eius defectu vel imperfectione: ſed potiùs ex eius magna copia, & diffuſione, ac communi ſuppoſitione, & ſubintellectione ſub doctrina de Omnipotentia Dei & prima eius cauſalitate, creatione, ac dependentia eſſentiali omnium creaturarum à Deo. Prout ſatis indicat *Scotus* ſupra, fuiſſe tunc vt & nunc tam communem doctrinam Theologorum, imò & idiotarum: vt non liceat eam reuocare in dubium. Nam quòd *Durandus in* 2. *d.* 1. *q.* 5. videtur negare dependentiam neceſſariam à Deo in cauſando: fortè tantum negat eam vt diſtinctam à dependentia cauſæ & effectus in fieri, & conſeruari. Alij cenſent hanc influentiam eſſe diſtinctam minuſque eſſentialem, ac magis minùſue accomodabilem cauſis ſecundis: ſed videtur potiùs eſſe vnicam eandemque dependentiam cuiuſuis creaturæ à Deo, in fieri, eſſe, poſſe, & concauſare. 1. Ex præfatis de identitate reali conſeruationis & creationis. 2. Ex ſacris Script. & PP. *q.* 1. promiſcuè citatis pro omni dependentia creaturarum à Deo, & huius in illas influentia: ſub nulla, aut modica verborum differentia. 3. Non poteſt concipi alia dependentia cauſæ 2. à Prima in cauſando, vel influentia huius in illam ad cauſandum: quàm vel remotè dando ei eſſe & vim cauſandi; vel proximè conſeruando eius eſſe & vim cauſandi, in ipſo actu cauſandi, & influendo tantùm ad communem effectum; vel denique influendo in ipſam cauſam 2. aliquam vim actualem, aut motum cauſandi. Quorum omnium ſimul productio, conſeruatio, & vnio, videtur eſſe tota cauſalitas cauſæ 1. cum 2. vel etiam in ſecundam, ad effectum communem. 4. Cauſalitas cauſæ 1. eſt tam eminens, neceſſaria, eſſentialis cauſæ 2. & effectui communi: vt nulla cauſalitas cauſæ 2. poſſit ei comparari, aut cum ea confundi, vel eam nequidem partialiter ſupplere; ſed hæc ſit tantùm accidentalis effectui, reſpectu illius vt eſſentialis, independentis, & per ſe ſufficientis ad effectum communem. Vt eſſentialia ſufficiunt ſine accidentibus: nec tamen excludunt, ſed etiam conferunt accidentia. 5. Ex Doctore Subtili *in* 4. *d.* 1. *q.* 4. *d.* 16 *q.* 2. cum *Alenſi & S. Bon.* gratia & formæ ſupernaturales quamuis producantur in anima: non minùs tamen quàm creantur; quia producuntur independenter à ſubiecto, licet ipſæ dependeant à ſubiecto. Ergo Deus producit ind pendenter à cauſis ſecundis, quicquid producat dependens ab eis: aſſumendo earum influentiam accidentalem, ad ſuam eſſentialem. 6. Idem *in* 4. *d.* 12. *q.* 4. *n.* 14. probat quòd ſi per rarefactionem ſpecierum conſecratarum noua quantitas tota & totaliter produceretur: crearetur, vel æquiualenter, quamuis ex aliquo termino à quo poſitiuo; quia hic nihil conferret neceſſarium huic productioni. Et ſic de quauis influentia Cauſæ 1. cum 2. 7. Idem & plerique docent Deum poſſe ſe ſolo quicquid cum cauſis ſecundis: non quaſi adhibendo maiorem conatum, ſed eadem influentiâ eſſentiali. 8. Omnes effectus etiam communes Cauſæ 1. cum ſecundis, vt ſunt à Cauſa prima, vocantur & ſunt eius creaturæ: ergo & ab eo creantur æquiualenter. 9. Vt Deus eſt ens eſſentialiter à ſe: ſic & creaturæ ab illo ſolo; ſiue ſint ſimul à cauſa 2. ſiue non.

Nec

Digitized by Google

Nec obſtat 1. quòd actus immanentes videantur eſſentialiter dependere à ſuis potentijs, relationes à ſuis fundamentis & terminis, compoſita à ſuis partibus earumque vnione; &c. Quia ſaltem non ita dependent ab hac potentia, ab hoc fundamento & termino, nec fortè ab hac vnione, quàm effectus omnes dependent à Deo. Nec tam eſt dependentia totius à partibus, quàm identitas ſaltem inadæquata. Nec plus confert Deo materia, vel aliæ cauſæ 2. ad affectum communem, quàm ipſum nihilum. Neque vlla creatura vt creatura poteſt eſſe ens abſolutum ab hac dependentia, & reſpectu tranſcendentali ad Cauſam 1. Nec hæc dependentia à Deo, poteſt variari, vt quælibet alia ab alijs terminis. Nec ideo cauſæ 2. nihil realiter agunt, ſed ſolus Deus ad earum præſentiam: nec agunt duplici actione, nec idem quaſi bis producunt. Quia vt ſupra, influentia Dei eſſentialis confert eis accidentalem: ſicque idem effectus communis dependet eſſentialiter à Deo, & accidentaliter à cauſa 2. duplici dependentiâ, ſaltem terminatiuè; ſed totali eſſentiali à ſolo Deo, non partiali cum creatura. Prout latiùs de efficacia gratiæ in & cum cauſis liberis: quantum licuerit ſecundùm inhibitiones Eccleſiæ.

6. *De vniuocis inter Deum & Creaturas.*

S. *Aug.* lib. contra Adimantum *cap.* 11. Sacra Script. vtitur aliquando verbis indignis Deo, vt ſciant homines quæ cum aliqua dignitate Dei ſe putant dicere, indigna eſſe illius maieſtate, &c. *Cap.* 13. Nihil dignum de Deo dici poteſt, &c. *Lib.* 2. *ad Simpl. q.* 2. Cùm dempſero de humana ſcientia mutabilitatem, & reliquero ſolam viuacitatem certæ atque inconcuſſæ veritatis: imò non reliquero, non enim habet hoc humana ſcientia, ſed pro viribus cogitauero, inſinuatur mihi vtcumq; ſcientia Dei. Quod tamen nomẽ potuit eſſe rei vtrique commune: ſed melius dicitur aliam eſſe ſcientiam Dei, & non eiuſdem generis, &c. Sicut Deus longè aliter dicitur Deus, quàm Dij illi, *Pſal.* 81. *Serm.* 40. 60. *De verbis Domini.* Quid dicamus de Deo? Quod vis dicere, non eſt Deus. *Serm.* 40. *De temp.* Iſta de Deo dicimus, quia non inuenimus melius quod dicamus, &c. Vt in 1. *Alenſis parte* 2. *quæſt.* 48. 49. 51. negat quicquam de Deo & creaturis dici vniuocè; ſed tantùm metaphoricè vel analogicè. *S. Bon. in* 1. *d.* 8. *art.* 3. *q.* 4. *ad* 2. Deus nihil habet vniuocum ad nos. *Scotus in* 1. *d.* 3. *q.* 1. *n.* 5. Non aſſerendo, quia non conſonat opinioni communi, poteſt dici Deum non tantùm cõcipi cõceptu analogo & diuerſo, ſed etiam vniuoco Creatori. *d.* 8. *q.* 3. *n.* 16. Teneo, inquit, opinionem meam mediam, quòd cum ſimplicitate Dei ſtet conceptus communis ipſi & creaturæ, non tamen genericè, &c.] Ergo tota hæc doctrina non eſt concors in ſe, & cum. B. Aug.

Reſp. 1. Ex tom. noſtro 2. in B. Aug. *col.* 106. 116. 161. & alibi, *B. Aug.* negare tantùm cõceptus noſtros formales, imò & obiectiuos eſſe proprios aut dignos Deo, vel communes Deo & nobis: ex nimis imperfecto modo noſtro concipiendi. Quod enim poſſint concipi quædam vniuoca Deo & nobis, patet ex *Aug. l.* 8. *Trin.* 4. præſcindendo verum & bonum ab hoc vel illo. Vt ex Doctore noſtro Subtili ſuprà. Nec obſtat illa ex *l.* 2. *ad Simpl. q.* 2. Quia non comparat quæ de Deo dicuntur metaphoricè; & propriè, ad æqualitatem, ſed tantùm ad aliquam ſimilitudinẽ. Nec ibi negat, ſed potiùs affirmat ſcientiam noſtrã habere aliquid cõmunẽ cum diuina, videlicet *ſciendo aliquid non latere*: ſed negat eam habere illam *viuacitatem certæ atq; inconcuſſæ veritatis, &c.* Negat etiam ſcientiam Dei eſſe eiuſdem generis cum noſtra .i. eiuſdem originis & imperfectionis; vel etiã eiuſdẽ generis prædicamẽtalis, non autem eiuſdẽ conceptus communis & tranſcendentalis. Nec, *ſicut Deus, &c.* eſt cõparatio ad æqualitatem, nec ſub vllo conceptu communi, ſed ſoli Deo proprio.

2. Ex *Al. p.* 1. *q.* 48. Vbi negat tantùm nomina propria Dei vt in ſe eſt, & nomina communia prædicamentalia, non autem tranſcendentalia. Imò *m.* 4. *art.* 3. §. 1. Fatetur nomen ſubſtantiæ à per ſe ſtando ſeu exiſtendo, dici propriè de Deo. §. 6. Tribuit Deo propriè nomina abſtracta ab imperfectionibus creaturarum. *q.* 49. *m.* 1. Tribuit propriè Deo nomen Eſſentiæ. *Art.* 3. Docet hoc nomen vt commune, nec eſſe vniuocum nec æquiuocum, ſed analogum: quia eſt prius eſſentialiter Dei, quàm creaturæ. Ita & *q.* 51. *m.* 1. Quia, inquit, talia nomina dicuntur de Deo & nobis ſecundùm priùs & poſterius, per aliquam comparationem: nec in aliquo genere vel ſpecie, nec quoad magis & minus quaſi intenſiuè, ſed quoad ſimiles effectus & gradus perfectionis. Quæ non ſunt contra vniuocationem Scoti: quia eſſe priùs eſſentialiter Dei, quàm poſſit communicari creaturis, pertinet ad exiſtentiam realem, ſed non eſt contra conceptum communẽ obiectiuum. Nec ſimilitudo effectus vel gradus perfectionis in exiſtendo eſt contra quandam identitatem conceptus communis. Vt nec ratio imaginis & veſtigij in creaturis, quoad eſſentiam & exiſtentiam propriam, eſt contra veram entitatem, ſubſtantiam, & vitam intellectualem: multò minùs contra vnum eundemque conceptum communem.

3. Ex *S. Bon. in* 1. *d.* 8. *art.* 3. *q.* 4. Vbi negat tantùm Deo vniuocum genericè: quatenus eſſet contra ſimplicitatem Dei, de qua ibi ex profeſſo. Nam *d.* 22. fatetur quædam dici de Deo propriè, ſubſtantialiter, abſolutè, & relatiuè. Itaque nulla hîc eſt diſcordia doctrinæ: niſi fortè nominalis.

7. *De impoßibili creatione ab æterno.*

EX *Al. p.* 1. 4. 12. *m.* 8. *&* *q.* 20. *m.* 4. *Ad* 5. Repugnat implicitè, ab æterno creari, ſeu habere eſſe poſt non eſſe. *S. Bon. in* 1. *d.* 44. *a.* 1. *q.* 4. An mundus potuerit fieri antiquior? *Reſp.* Non ab æterno: quia non potuit fieri ſine initio, &c. *In* 2. *d.* 1. *art.* 1. *q.* 2. Implicat manifeſtam contradictionem totum mundum ab æterno productum fuiſſe ex nihilo, &c. *Scotus in* 2. *d.* 1. *q.* 3. refert problematicè opin. affirm. & negat. Sub finem videtur

detur reuocare in dubium, an creatura ſit ex non eſſe ad eſſe. *In* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. Reprobat vt impoſſibile Deum poſſe creare quidlibet per muſcam. *S. Aug.* 6. *Trin.* 1. Si ignis eſſet æternus ſplenderet ab æterno. 10. *Trin.* 31. Si pes fuiſſet ab æterno in puluere, impreſſiſſet veſtigium. Ergo non conſentiunt inter ſe.

Reſp. B. Aug. loquitur tantùm ſub conditione, ſiue poſſibili ſiue non: ſed ad ſuum intentum generationis æternæ à Deo Patre æterno. *Al. p.* 1. *q.* 12. negat tantùm creaturam poſſe eſſe coeternam Deo: non eſſet autem coeterna, ſi quæ eſſet creata ab æterno. *q.* 20. Repugnat implicitè, &c. quia eſſe ab æterno, & poſt non eſſe .i. poſt vllà duratione, repugnant. *S. Bon.* negat totum hunc mundum potuiſſe produci ab æterno; vel quoad entia ſucceſſiua, vel ex nihilo vt priore, vel vt coæternum, vel vt æternum, vel præfert hanc opinionem. Niſi quòd non implicet, vt ait, manifeſtam contradictionem, niſi aliquo ſenſu præfato. *Scotus* reſpondet tantùm problematicè, vel hanc non eſſe definitionem eſſentialem creaturæ, *eſſe ex non eſſe*: vel ſolùm creaturæ vt de facto creata eſt, non vt creabilis eſt.

7. *De creatione inſtrumentali.*

A*L. p.* 1. *q.* 20. *m.* 1. *a.* 4. Nulla creatura poteſt eſſe tota cauſa ſui operis, &c. *m.* 4. *a.* 4. Supponit de trunco fieri poſſe intellectum. *q.* 53. Creator & creatura opponuntur relatiuè. *P.* 2. *q.* 6. *m.* 3. Deum ſe ſolo creare *Membro.* 2. *Art.* 2. 3. 4. Actio creandi eſt ſoli Deo propria, imò eſt ipſe Deus. *Art.* 5. Vis creandi repugnat creaturæ: quia eſt perfectior quàm vt creari poſſit, &c. alioquin creatura poſſet ſe creare. *q.* 9. *m.* 8. Nil cooperatur Deo in creando: quia creatio eſt independens, & creatura incapax creandi. *S. Bon. d.* 43. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. *arg.* Creatura non poteſt in infinitè diſtantia, &c. Ens & non ens non diſtant infinitè vt contradictoria, ſed vt nihil commune habentia. *In.* 2. *d.* 1. *art.* 2. *q.* 2. Eſt contra fidem, & rationem Omnipotentiæ ac creationis, Deum non creaſſe omnia per ſeipſum, ſed quædam per cauſas ſecundas, &c. *Scotus in* 1. *d.* 41. Negat Deum poſſe demonſtrari Omnipotentem immediatè. *In* 2. *d.* 1. docet quidem Deum poſſe creare & creaſſe ex nihilo eſſentiæ & exiſtentiæ; Sed *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. 4. *&* 5. vt ſupra, videtur dubitare an nihil poſſit creare per creaturas. Nam conatur eneruare omnes rationes negatiuas, non tantùm alienas, ſed etiam proprias: nec contendit nihil creari poſſe per creaturam; ſed non quidlibet per quodlibet, vt non Angelum per muſcam. Quæ omnia inter ſe collata, non cohærent.

Reſp. Ad 1. ex *Al.* Non poteſt eſſe tota cauſa ſui operis, ſine Deo: nec ſaltem naturaliter ſine ſubiecto. *Ad* 2. Cùm poſſit à Deo fieri ex nihilo, quid mirum ſi ex trunco, ſiue per creationem, ſiue conuerſionem? *Ad* 3. Creatura non eſſet creatrix, quamuis Deus per eam crearet. *Ad* 4. Deus ſe ſolo creat .i. nec indiget, nec vtitur alio; ſed per hoc non negat quin poſſit vti vt inſtrumento. *Ad* 5. Sat ſupra. *Ad* 6. Vis ipſa creandi & poſſe creare repugnat creaturæ: ſed an quæuis eius etiam motio inſtrumentalis ad creandum? *Ad* 7. Nec inſtrumentum cooperatur, nec eſt capax operandi vel cooperandi Deo vt principali.

Ad 1. ex *S. Bon.* Optimè cùm *Scoto*, contra prætenſam diſtantiam infinitam. *Ad* 2. Eſt contra fidem, Deum non creaſſe primò omnia per ſe: aut quædam eorum tantùm per cauſas 2. ſed quid de poſſe? An ſit contra rationem Omnipotentiæ, hoc ipſum poſſe, vel non poſſe? *Ad* 1. ex *Scoto.* Negat hoc, ob imperfectionem cauſandi quædam immediatè. *Ad* 2. Non dubitat de facto, quod eſt fidei: nec tam de poſſibili, quàm de modo conuincendi ratione. Exemplificat autem impoſſibilitatem creandi per creaturas, ſiue per vim cuiuis impreſſam, ſiue per motionem tranſeuntem: quia ſequeretur Angelum poſſe creari per muſcam.

Obiectiones promiſcuæ.

1. QVo ſenſu S. *Aug.* ſupra *cap.* 8. de immort. animæ. *Nulla res ſeipſam facit: alioquin erat antequam eſſet.* Lib. 9. in Gen. c. 15. *Creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quàm nec ſeipſum.* Cap. 18. *Deus naturas ſubſtituit vt ſint.* Lib. 12 cap. 16. *Omne agens eſt præſtantius ſuo patiente.* 5. l. 12. Ciu. 25. *Naturam quæ gignitur tam mater non facit, quàm nec ipſa ſe fecit.* 6. q. 30. ex 83. *Multa ſunt vtilia: ſed ipſa vtilitas eſt diuina prouidentia.* 7. In Gen. videtur pleraque interpretari impropriè. 8. Videtur nimis confusè, & promiſcuè eadem docere, & ſuperfluè repetere, *p.* 1. *&* 2. de Deo & creaturis. 9. *S. Bon.* nimis parcè. 10. *Scotus* nimis metaphiſicè, nec ſatis concorditer cum B. Aug. ſupra. *Reſp.* Ex Tomo noſtro 2. in B. Aug. *Ad* 1. vt in 1. *Trin.* 1. De impoſſibili fieri à ſeipſo in primo eſſe: imò & in cõſeruari ac reproduci: quia ſunt eiuſdem potentiæ, & eſſentialis à Deo dependentiæ. *Ad* 2. Vel non eſt comparatio ad æqualitatem: vel per conſequentiam ab impoſſibili creatione ſuiipſius, ad impoſſibilem creationem ſuæ propriæ, vel cuiuſuis totius naturæ, in ſuo primo, aut quolibet ſingulari; quia eſt æqualis potentiæ, non euidentiæ. *Ad* 3. Subſtituere .i. intimè ſtatuere, & ſuſtentare in eſſe. *Ad* 4. vt *lib.* 6. *De Muſica, cap.* 4. *&* 9. *l.* 21. *Ciu. cap.* 10. De ordine naturali inter agentia & patientia, vel de agente totali, aut principali; vel etiam reali. *Ad* 5. Vt ſupra *ad* 2. Vel de ſola diſpoſitione alteratiua & naturali materiæ ad animam rationalem, vel etiam ad formam corporis humani. Vbi tamen illud *tam, quam*, &c. videtur tantùm negare Matri omnem actionem voluntariam, qua Angeli applicant actiua paſſiuis, non naturalem. Vel negat tam Angelis quàm matribus omnem vim dandi tam alijs quàm ſibi ipſis talem aut talem naturam, ſeu vim naturalem agendi, quàm ſæpè *B. Aug.* ſumit pro Natura. Vt patet ex toto illo Capite. *Ad* 6. Non negat actiuitatem cauſarum ſecundarum, & vtilitatem mediorum ad finem: ſed cauſaliter, & dependenter à prouidentia Dei. *Ad* 7. Vel vult ſenſum illum eſſe proprium, vel ſupponit alium proprium;

prium: vt ſupra *col.* 202. *l.* 3. Ad 8. Doctrina *Al.* eſt diſtinctiſſima, & integerrima, nec vllatenus ſuperflua: ſed *p.* 1. neceſſariò exponit diuina per ſua oppoſita, & per eorum participationem ac veſtigia in creatura. *P.*2. neceſſariò ſuſpendit creaturas omni dependentiâ eſſentiali à ſuo Creatore, vt à Cauſa 1.efficiente, exemplari, finali; & opponit nihilo, ac omni malo. *Ad* 9. *S. Bon.* ſupponit & abbreuiat in multis doctrinã Magiſtri ſui *Alenſis*. *Ad* 10. *Scotus* ſupponit etiam doctrinam ſuorum maiorum: eamque vſque ad omnia poſſibilia, & impoſſibilia penetrare cõatur; nec à ſenſu *B. Aug.* in vllo diſſentit. Denique ne quid videatur deeſſe doctrinæ noſtrorum Authorum: nec eam, nec eius indicem integrum hîc retulimus; ſed difficiliora exemplificauimus, & ad faciliora ſupra remiſimus.

QVÆSTIO III.
MORALIS.

De praxi, & fructu huius doctrinæ, de Creatione, Creatore, & Creaturis.

Reſp. 1. AD explicandam, tuendam, & propagandam, aut reſtituendam horum omnium fidem Chriſtianam & Catholicã: contra omnes Idolatras, Iudæos, Mahumetanos, hæreticos ab his aberrantes. 2. Ad non fruendum, nec abutẽdum, ſed vtendum creaturis in ſuum finem ſeu gloriam Creatoris. 3. Ad veram noſtrî cognitionem, recognitionem, humiliationem, & tam voluntariam quàm naturalem à Deo dependentiam. 4. Ad veram Religionem, cultum, adorationem, & obedientiam Deo debitam vt primo noſtro Principi ac vltimo Fini, ſoli Creatori, Conſeruatori, Rectori, & ſupremo ac abſolutiſſimo Domino noſtro.

Cuius cultus proprius iure Creationis, ſupremî Domini, ac vltimi finis, eſt ſacrificium internũ, & externum: quo olim quædam creaturæ viuæ, & non, nunc autem ſola Chriſti humanitas continens omnes, Deo mactabantur, cremabantur, immolabantur, libabantur, adolẽbantur, conſumebantur, & quaſi annihilabantur: in proteſtationem totius vitæ & exiſtentiæ creatæ Deo debitæ ad honorem, noſtræque ab eo totalis dependentiæ, in fieri ex nihilo, & in eſſe ac viuere ſeu conſeruarî ac præſeruari à morte & nihilo &c. Vt patet in 4. à *col.* 243. ad 265.

Ad quam praxim & fructus promiſcuè nos monet & mouet tota ſacra ſcript. Vt *q.* 1. Et Pſal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.* Pſal. 38. *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Pſal. 73. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox, &c.* Pſal. 88. *Tui ſunt cæli & tua eſt terra, &c.* Pſal. 118. *Omnia ſeruiunt tibi, &c.* Pſal. 144. *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum, &c.* Sap. 11. *Omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti, &c. Tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.* Iſaiæ 4. *Omnes gentes quaſi non ſint ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. Cui ergo ſimilem feciſtis eum? Nunquid ſculptile conflauit faber, &c.* contra Idolatriam. Heſter. 13. *Rex ſæculorum in cuius ditione cuncta ſunt poſita, &c.* Rom. 1. *Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, &c.* Cap. 8. *Quis es vt reſpondeas, Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe fecit, quid me feciſti ſic?* Gal. 6. *Qui ſe putat aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* 1. Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali & inuiſibili, &c.* Cap. 6. *Deus beatus & ſolus potens Rex regum & Dominus dominantium, &c.* 1. Pet. 5. *Humiliamini ſub potenti manu Dei, &c.* Sed præ omnibus *Exod.* 20. *Deut.* 6. *Matt.* 4. *Luc.* 4. EGO SVM *Dominus Deus tuus, &c. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*

Ex SS. Patribus, ſupra. *Et* ex S. *Dyon.* toto lib. *de Diu. nom.* Inter alia: *Præſtat nos eſſe Dei quàm noſtros, &c. S. Iuſtino* Martyre, in ſuis Apologijs pro Chriſtianis, contra Idololatras. *S. Cypr.* Lib. de vanitate Idolorũ. *SS. Baſil. Ambr. Hier. Greg.* in omnibus ſuis moralibus. Sed præ & pro omnibus S. *Aug.* ex profeſſo *Libris* 22. *de Ciu. Dei.* pro vero cultu antiquo & nouo ſolius veri Dei Creatoris, ac ſupremi Domini, contra omnem Idolatriam Creaturarum. *Libris* omnibus contra Manichæos, vt cultores Idolatras ſuorum phantaſmatum & figmentorum, pro vero Deo Creatore ac Domino noſtro, &c. Ex quibus vltra ea quæ *quæſt.* 1. Lib. 2. De lib. Arb. c. 16. *Væ qui oberrant in veſtigijs tuis: qui nutus tuos pro te amant, & obliuiſcuntur quid innuant, &c. Nutus tui ſunt omne decus creaturarum.* Lib. 3. c. 6. 7. 8. De Anagogia à naturali appetitûs eſſendi, ad ipſum eſſe & æternitatem Dei. *Lib.* 5. *&* 6. De muſica, ab omnibus ſenſibilibus ad eorum exemplaria. Lib. De vera Relig. cap. 38. *Eſt alius deterior & inferior cultus ſimulachrorum, quo phantâſmata ſua colunt.* Lib. 1. Conf. cap. 1. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Lib. 4. c. 3: contra Planetarios. cap. 11. *Quicquid per carnem ſentis, in parte eſt: & ignoras totum cuius hæ partes ſunt, & delectat te tamen, &c. Si placent corpora Deum in illis lauda.* Cap. 12. *Si animæ placent, in Deo amentur, & rape & ad eum quas potes, & dic eis: hunc amemus, hunc amemus, ipſe fecit nos, & non eſt longè: non enim fecit, & abijt, ſed ex illo in illo ſunt.* Lib. 5 cap. 16. *Verſa & reuerſa, in tergum, & in latera, & in ventrem: & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies.* Lib. 10. c. 6. *Interrogaui terram, & dixit non ſum Deus tuus, &c. Interrogatio mea, intentio mea: reſponſio eorum, ſpecies eorum.* Pſal. 38. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum qui Eſt. Hos dies eſſe dicturus ſum, & tam magnum hoc verbum hinc labentium rerum curſui temerè dabo?* Exod. 3. EGO SVM *qui ſum.* EST *illud ſimplex quæro.* EST *verum* EST *germanum. Vt ſciam quid deſit mihi. In comparatione enim illius quod* EST, *attendens iſta quæ non ita ſunt, & plus mihi deeſſe quàm adeſſe: ero humilior ex eo quod deeſt, quam elatior ex eo quod adeſt, &c. Subſtantia mea tanquam nihil ante te. Ante te Domine, qui vides hoc, &c. Quibus verbis oſtendam nihil eſſe quod ſum, in comparatione eius quod eſt.* In Pſal. 101. *Ad illud magnum* EST, *homo quid eſt, quicquid eſt?* In Pſal. 121. *Quod ſemper aliter & aliter eſt, non Eſt: non omnino*

non eſt, ſed non ſummè eſt. Præter ea quæ ex *Lib.* 7. Conf. 10. & *S. Bern.* ſupra *col.* 203.

Quæ quidem ſingula, ſed potiùs inter ſe collata, in ſuo vero & facili ſenſu morali collucent: ſed à Scholaſticis conferũtur, ordinantur, & illuſtrãtur.

Vt ab *Alen.* noſtro *p.* 1. *q.* 2. 3. 10. 18. 20. 21. de Dominio eminentiſſimo, proprietatis, & iuriſdictionis Dei, ex perfectione naturæ, & iure creationis. *q.* 37. De ſupremo iure Dei, præcipiendi, & prohibendi. *q.* 41. De conformanda & ei ſubdenda omni voluntate noſtra. *q.* 53. De ſupremo titulo Creatoris, & Domini. *P.* 2. *q.* 3. De cauſa finali omnium propter Deum. *q.* 8. De veſtigio Dei. *m.* 3. Creatura vt veſtigium, ducit ad Deum: vt res quaſi per ſe delectabilis, abducit. *P.* 3. *q.* 26. 27. 28. 29. 30. De varijs legibus, & adoratione Dei. Ex *S. Bon.* & *Scoto in* 1. *d.* 3. De imagine & veſtigijs Dei in ſuis Creatûris. *In* 3. *d.* 9. De latria ſolius Dei, &c. vt ſupra.

Sed ne moralia ſacræ Script. & SS. PP. de nihilo creaturæ quoad eſſe & poſſe, cum ſcholaſticis confundantur, & à ſuo vero ſenſu morali deprauentur: diſcernendi ſunt varij veri ſenſus à falſis, & ſcholaſtici à moralibus. 1. Falſum eſt in omni ſenſu, creatûras vt tantùm creabiles, eſſe aliquid propriè, realiter, & ſimpliciter: verum autem, eas vt ſic nihil eſſe propriè, realiter, & ſimpliciter, ſed tantùm obiectiuè. 2. Falſum eſt creaturas vt creatas, nihil eſſe, ſeu non eſſe aliquid verè, propriè, & realiter: ſed verum eſt ſic eſſe; quia creatio non eſt ipſius nihili, ſed alicuius, & ad aliquid terminatur. 3. Non eſt falſum, ſed verum moraliter, creaturas quaſi nihil eſſe, comparatiuè ad Deum, ſeu nullius proportionis. 4. Nihil eſſe, ſeu non eſſe ex ſe, ſed ex nihilo, & in nihilum. 5. Nihil eſſe à ſe, ſed à ſolo Deo. 6. Nihil eſſe propter ſe, ſed propter ſolum Deum. 7. Nihil eſſe per ſe, ſubſiſtens, ſeu independens à Deo in eſſe. 8. Nihil eſſe ad ſe abſolutè ab ipſo Deo, ſed relatiuè & repreſentatiuè ad Deum. 9. Nihil eſſe ſuum, ſeu ſibiipſis proprium, ſed ſolius Dei. 10. Nihil eſſe denominatiuè à ſuo nihilo ex quo ſunt. 11. Nihil permanenter, ſed quaſi in continuò fieri, & mutatione ſubſtantiali vel accidentali. 12. Ex *S. Anſel. l.* 2. *Moral.* 31. & *Scoto in* 2. *d.* 8. *q.* 2. Nihil eſſe aut dici poſſe, non tantùm à nihilo quod præfuit: ſed etiam ab infinito nihilo, ex quo toto cum minima entitate, ſingulæ quaſi componũtur. Docet enim *Scotus* ibi nullam creaturam eſſe ſimplicem, non tantùm vt componibilem, ſed etiam vt compoſitam ex minima quadam participatione entis infiniti, & infinita eiuſdem priuatione: à qua potiùs denominari poteſt non eſſe ſimpliciter, ſeu totaliter, quàm eſſe, in ſenſu etiam ſequenti B. Aug. 13. Non eſſe principaliter, ſimpliciter, & totaliter: à quo ſumitur denominatio eſſendi, ſimpliciter; ſed eſſe tantùm hoc vel illud. Ex *B. Aug. l.* 8. *Trin.* 2. & 3. De Vero & Bono, hoc vel illo: non autem vero vel bono ſimpliciter. Ita & de eſſe hoc vel illo, non autem eſſe ſimpliciter. Non quaſi Deus non ſit hoc ens, hoc verum, & bonum, ſed tantùm ens verum, aut bonum in communi: nec quaſi creaturæ non ſint ens, verum, & bonum; ſed quòd Deus ſit hoc ens per totam ſuam eſſentiam, creaturæ non niſi per participationem & reſtrictionem; non tantùm à quodam communi eſſe, ſed à totalitate ſeu infinitate eſſendi, vſque ad minimam, ſeu indiuiſibilem, & impatticipabilem participationem.

Quod de eſſe vel non eſſe: hoc de poſſe, & non poſſe. Nam 1. Creaturæ poſſibiles nihil poſſunt: nec illa earum poſſibilitas eſt vlla earum potentia, nequidem paſſiua; nec illud poſſe eſſe, eſt aliquid poſſe. 2. Creaturæ actuales ſeu actu exiſtentes nihil poſſunt ex ſe, à ſe, per ſe, propter ſe, ad ſe, quaſi nihil ſeu tam parum ac nihil, comparatiuè ad Deum, ad ea quæ poſſunt, ad ea quæ non poſſunt, ſeu ad infinitè plus impotentiæ quàm potentiæ, ad peius quàm nihil, ſeu ad mendacium aut peccatum, & denominatiuè ſimpliciter, à poſſe principali & totali, non autem à minimo partiali, &c. Præcipuè de impotentia omnis creaturæ ad ſalutaria & ſupernaturalia: de qua ſub ſua *quæſt.*

Nec hi ſenſus morales ſunt improprij: ſed proprij in hac materia morali.

Neque ſub hac quæſt. morali, ſunt ſcholaſticè diſcutiendi, aut impugnandi, à vera & reali entitate & cauſalitate creaturarum, nec ab earum diuiſione in permanentes & ſucceſſiuas, abſolutas, & relatiuas: cùm ſatis conſtet eas ſic eſſe realiter inter ſe, non moraliter & comparatiuè ad Deum, & reliqua ſupra; ſed vt quidam fructus huius doctrinæ potiùs animo & affectu quieto paſcendi, guſtandi, & pro captu cuiuſque ruminandi ſunt. Nec denique hic quaſi moraliter contendendum eſt pro quodam dominio creaturæ rationalis, contra ſupremum illud, abſolutum, & totale dominium Dei, tum proprietatis in omnes ſuas creaturas, tum juriſdictionis in ſolas intellectuales: quia vt de eſſe & poſſe creaturæ, ſic & de dominio proprietatis & iuriſdictionis, nonniſi participato, ſubordinato, &c. Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt ordinata ſunt.* Ioan. 18. *Regnũ meum non eſt de hoc mundo, &c.* Quia eſt ordinis ſuperioris. Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquilitate iudicas, & cùm magna reuerentia diſponis nos, &c. Attingis à fine vſq. ad finem, & diſponis omnia ſuauiter.* Non, *cum magna reuerentia* noſtri: ſed ſuiipſius circa nos: moderando & accommodando ſuum illud ſupremum & abſolutum dominium capacitati naturali cuiuſuis creaturæ, ipſique libertati noſtræ, per leges ordinarias, communes, & ſuaues, ac earum obſeruantiam indiſpenſabilem, niſi miraculosè in fauorem noſtrum. Vnde hic nobis naſcitur triplex nouus fructus. 1. Præferendi incomparabiliter hoc Dei Dominium, omnibus alijs: non tantùm inordinatis, ſed & ſubordinatis. 2. Libenter ferendi omnia ſubordinata; vt ab illo participata. 3. Vtendi ſuauiter & moderatè omni dominio illi ſubordinato, & participato: cum magna reuerentia circa ſubditos; nihil præſumendo ſupra leges ordinarias, nec contra ius naturale ſubditorum, prius ac ſuperius omni dominio participato, & ſeruitute voluntaria, aut pœnali. Cùm ipſe Creator nulli creaturæ vllam vim inferat: ſed quãlibet ſecundùm ſuam naturam, propriam aut communem moueat, regat, & dirigat. Vt latiùs q. 11

QVÆST.

QVÆSTIO IV.

DOGMATICA.

Quid de Angelis credendum ſit?

Reſp. 1. **E**Sſe Angelos, ſeu creaturas ſpirituales. Ex tota ſacra Script. Contra hæreſim Sadducæorum inter Iudæos: qui *Act.* 23. *dicebant non eſſe Reſurrectionem, neq; Angelum, neq; ſpiritum*: Imò etiamnum contra quoſdam Athæos. 2. Omnes Angelos eſſe creatos ſeu creaturas Dei. Ex *Pſal.* 103. & *Heb.* 1. Qui facit Angelos ſuos Spiritus, &c. Draco iſte quem formaſti, &c. *Iob* 40. Ecce Behemoth quem feci tecum, &c. Ipſe eſt principiũ viarum Dei. Ex Symb. Nic. & Conſtant. *Credo in Deum Creatorem viſibiliũ & inuiſibilium.* Ex Conc. Later. ſub Innoc. 3. *Creator omnium viſibilium, & inuiſibilium, corporalium & incorporalium, &c.* Contra errorem Auicennæ, de creatione Angelorum ab Angelis. Contra antiquas hæreſes, de quodam malo principio increato: & quandam recentiorem, relatam à *Bernardo de Lutzemburgo* in ſuo Cathalago Hæreticorum, & ex eo à noſtro à *Caſtro*, quod nec boni nec mali Angeli ſint à Deo. 3. Nullos Angelos eſſe colendos cultu diuino. Vt in 4. *à col.* 977. *ad* 990. Contra hæreſim Angelicorum, apud B. Aug. 39. *hæreſi.* 4. Nullos eſſe naturâ ſuâ malos. Ex *Gen.* 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, &c. *Eſa.* 14. Quomodo cecidiſti Lucifer, &c. *Ioan.* 8. In veritate non ſtetit, &c. Contra hæreſes de aliquo primo principio omnium malorum: de quibus ſupra *q.* 1. 5. Angelos malos ſeu dæmones non eſſe vllo cultu, pacto, familiaritate, aut communicatione colendos, conciliandos, placandos, aut vlla eorum ope vel opera vtendum, per vllas artes magicas, aut ſuperſtitiones. *Exod.* 20. *Leuit.* 19. 20. 1. *Reg.* 28. *&c.* Contra Magos, Ariolos, &c. *B. Aug. q.* 79. ex 83. *lib. De diuin. Dæmonum.* 2. *Doct. Chriſt. cap.* 20. 22. 29. *lib.* 10. *Conf. cap.* 40. *l.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Ciu. Dei.* Contra Theurgiam, ſeu purgationem per dæmones vt pſeudomediatores. 6. Angelos bonos eſſe in æternum perfectè Beatos: Malos autem, in æternum damnatos, *Matt.* 25. *Apoc.* 14. Draco ille de cœlo cadens traxit ſecum tertiam partem ſtellarum, &c. Vt in 4. *à col.* 969. *ad* 1002. 7. Angelos differre, & eſſe naturâ perfectiores homine. *Pſal.* 8. Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis. *Luc.* 18. Erunt ſicut Angeli Dei. 2. *Pet.* 3. Angeli virtute & fortitudine cùm ſint maiores, &c.

Sed Difficultas eſt, an ſit de fide Angelos eſſe incorporeos.

Videtur quòd non. 1. Ex Gen. 6. *Ingreſſi ſunt Filij Dei ad filias hominum, illæq; generunt, &c.* .i. Apud 70. *Angeli Dei.* 2. Ex *Gen.* 18. Vbi comederunt, & loti ſunt eis pedes. 3. Ex SS. Patribus, quorum plerique ſuppoſuerunt eſſe corporeos: ipſeque *B. Aug.* ſaltem inde dubitauit. Vt *lib.* 3. in Gen. 10. *Etſi Dæmones aerea ſunt animalia, quoniam corporum aereorum natura vigent, & propterea morte non diſſoluuntur, quia præualet in eis elementum quod ad faciendum quàm patiendum eſt aptius, &c. Si autem cæleſtia corpora gerebant: neq; hoc mirum eſt ſi conuerſa ſunt ex pœna in aereã qualitatem; vt iam poſſint ab igne naturæ ſuperioris aliquid pati.* L. 8. Ciu. 15. *Abſit vt animus veraciter religioſus arbitretur Dæmones ſeipſo meliores, quòd habeant corpora meliora. Alioquin multas ſibi & beſtias prælaturus eſt.* L. 15. Trin. *cap.* 22. 23. Dubitat an, & quomodo Dæmones corpore aëreo potuerint concupiſcere & generare, *Gen.* 6. *l. De diuinatione Dæmonum, cap.* 3. *&* 4. vt 2. Ciu. 17. *Dæmones ex natura ſui corporis aerei, ſubtilitate ſenſus, celeritate motus, &c. excellere.* 4. Ex Synod 7. Act. 5. quæ ſupponit Angelos eſſe corporeos, vt pingantur. 5. Caranza in 7. Syn. Sixtus Sen. L. 5. Biblioth. & plures recentiores, cenſent necdum eſſe de fide, imò fuiſſe ſententiam B. Aug. nec eſſe adhuc improbabilem; quia *Conc. Later.* non intendit hoc definire, ſed tantùm diſtinguere creaturas in ſpiritualem ſine corpore ſenſibili, corporalem ſenſibilem, & hominem vtrimque compoſitum.

Sed videtur probabilius non tantùm eſſe, ſed ſemper fuiſſe de fide, etiam ex mente *B. Aug.* dari creaturam verè ſpiritualem oppoſitam corporali ſeu materiali. 1. Ex perfectione totius mundi à Deo, *Gen.* 1. & 2. cui non poteſt deeſſe perfectiſſimum genus creaturæ. 2. Ex *Ioan.* 4. Deus vt Spiritus vult habere adoratores ſpirituales: ergo creauit ſibi tales. 3. Ex *Luc.* 24. Spiritus carnem & oſſa non habent, ſicut me videtis habere: cùm tamen 1. *Cor.* 15. Corpus reſurgat ſpirituale. Ergo Angeli non habent corpora ſpiritualia: non tantùm humana, ſed nec talia, *ſicut, &c.* 4. Ex *Act.* 23. Saducæi erant inter Iudæos hæretici, quia negabant *Reſurrectionem corporum, & Angelos, & ſpiritus.* 5. Ex Symbolo Apoſt. Credo in Creatorem cœli & terræ: ergo & contentorum intra ipſum cælum ſolidum, quæ non poſſunt eſſe corporalia. 6. Ex Symbolo Nicæno & Conſtantinopolitano: Credo in Deũ factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Ergo ſunt quædam ex natura ſua inuiſibilia ſeu inſenſibilia: non autem tantùm ex illorũ tenuitate, indiuiſibilitate, profunditate, diſtantia, & defectu noſtrorum ſenſuum. 7. Ex Concil. Later. ſub Innoc. 3. De Fide Catholica: vbi inter ea quæ ſunt fidei exprimitur Deum eſſe Creatorem viſibilium & inuiſibilium .i. triplicis creaturæ, ſpiritualis, ſeu Angelicæ, Corporeæ, & Humanæ. 8. Ex fide quod ſint nobis perfectiores naturâ. 9. Ex independentia eorum à corpore in operando. 10. Ex coexiſtentiâ eorum naturali in cœlo, & quouis corpore ſolido: ſine vllâ mole ſeu quantitate corporea. 11. Ex motu incorporeo, per omnia corpora. 12. Ex *B. Aug. infra q.* 5.

Ad 1. è contra. Ipſe B. Aug. ibidem explicat de filijs Seth, monetque non omnes codices 70. habere Angelos; ſed meritò dubitat quomodo Angeli potuiſſent concupiſcere & generare: quamuis haberent corpora aërea, niſi applicando actiua paſſiuis. Nam *lib.* 8. *Trin.* 8. 9. 10. *& l.* 12. *Ciu.* 24. ac alibi ſæpè negat Angelis actionem ſubſtantialem, tribuens ſolùm eis applicationem cauſarum naturalium. *Ad* 2. Reſpondet ipſe Angelus *Raphael* Tob. 12. *Videbar vobiſcum manducare & bibere:*

Digitized by Google

bere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt vtor. Nec eſt fictio aut illuſio, ſed ſignificatio. *Ad* 3. SS. PP. vſi ſunt nomine corporis pro ſubſtantia ſolida, & ſubſiſtente. Nam vt *B. Aug.* 10. *in Gen.* 24. Corporalibus aſſuefacti nolunt animum credere aliud eſſe quàm corpus: ne ſi corpus non fuerit, non ſit. Ac per hæc tanto magis timent etiam de Deo quòd corpus non ſit: quanto magis timent Deum nihil eſſe. Vel vt *B. Aug.* non loquuntur ex propria doctrina, ſed Platonica tunc communi: de qua quæſt. ſeq. Vel vt idem B. Aug. non tribuunt omnibus Angelis corpora, ſed ſolis inferioribus, vel etiam dæmonibus. Vt patet ex 1. Retr. 26. *Quod dixi, ſpiritaliter ſummos Angelos viuere, infimos verò animaliter: audacius dictum eſt de infimis, quàm vt poſſit vel ſcript. ſanctis, vel rebus ipſis oſtendi.* Hinc 3. *Gen.* 10. & alibi ſæpè diſtinguit Angelos in ſuperiores, inferiores, aereos, ſupercœleſtes. Vel vt idem *B. Aug.* Non tribuebant eis corpora informata: ſed tantum aſſumpta, vel à Deo in pœnam annexa. Vt patet ex 9. *Ciu.* 10. Vbi refert ex Plotino Platonico, quod Deus ex miſericordia fecerit animabus vincula ſeu corpora mortalia: ſed dæmonibus æterna, non vtique naturalia, ſed pœnalia in æternum. 3. *in Gen.* 10. *Etſi*, inquit, ſupra .i. quamuis ita eſſet, &c. *Si autem, &c.* non affirmando, *neque hoc mirum eſt ſi conuerſa ſunt ex pœna in aeream qualitatem vt poſſint ab igne pati.* Nec quod ibi ſequitur, *Abſit, &c.* ſupponit habere corpora meliora: ſed etſi haberent. Lib. 21. Ciu. cap. 10. *Siue dæmones habeant corpora, ſiue non: cur non dicamus miris, veris tamen modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna temporalis ignis affligi, &c. Adhærebunt ergo licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes ipſi eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu & corpore; ſed accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* Sed lib. 8. *Trin.* 2. Fatetur ſpiritus incorporeos poſſe quamuis difficulter concipi. Lib. 10. & 12. *in Gen.* lib. 4. *De Anima & eius Orig.* profitetur animas noſtras eſſe incorporeas: vt infra q. propria; ergo id potius de Angelis, vel de aliqua creatura ſpirituali completa, quæ non ſit vllius corporis forma, quàm de incompleta, ſeu forma corporis humani. Quia plus repugnat ſpiritum eſſe formam corporis, quàm eſſe completè ſpiritualem. Denique *lib.* 8. *in Gen. cap.* 20. 21. & alibi ſæpè præfert creaturam ſpiritualem omni corporali, naturâ ſine mole, ſeu quantitate corporea, & motu inextenſo per loca. Vnde ſæpè & merito dubitare videtur de loco & motu locali ſpirituum: vt patebit q. ſequenti.

Obiectiones.

1. SI fuiſſet ab initio de fide: quomodò potuiſſet ſaluâ fide à tot SS. PP. oppoſitum ſupponi: vel inde à *B. Aug.* dubitari? *Reſp.* Non fuiſſe neceſſe de fide quid ſit propriè corpus, prout opponitur ſpiritui: nec quid ſit ſubſtantia ſpiritualis tam completa vt non poſſit vniri corpori. Nam & ipſe *B. Aug.* ſæpè vtitur nomine Animæ pro communi ad omnes ſpiritus creatos: ſed retractat 1. *Retr.* 11. 13. Et ſæpè mouet dubium an non ſint vniti Cœlis & Aſtris quæ mouent, vt q. ſeq. Hinc quid mirum ſi ſalua fide creaturæ ſpiritualis, conceperint Angelos vt animas ſpirituales habentes potius quàm informantes corpora? Nec *B. Aug.* potuit dubitare quin Angeli ſint ſaltem ſpiritus naturâ ſuâ ſeparabiles ab omni corpore: ſed an fortè concreati ſint cum aliquibus proprijs corporibus, ad ordinandum, ſubordinandum, & ſubregendum totum hanc mundum corporeũ. In quo dubio *B. Aug.* ſtandum eſt 1. *Retr.* 11. 13. 26. 2. *Retr.* 30. ſupra.

2. Synodus 7. ſupponit & quaſi definit eſſe corporeos, vt depingi poſſint. *Reſp.* Hanc non eſſe doctrinam Conc. ſed cuiuſdam Chriſtiani Catholici, pro picturis noſtris Angelorum; tum ex eo quod nõ ſint omnino incorporei, ſed tenui corpore præditi; tum quòd ſub forma humana apparuerint. Quam doctrinam S. Synodus approbat quoad picturas Angelorum: non tamen quo ad vtramque rationem pingendi. Vt patet ex definitione finali Synodi: quæ non reſumit illam primam rationem pingendi.

3. Sacra ſcript. non exprimit Angelorum creationem diſtinctam ab hoc toto mundo corporeo: ergo continetur ſub corporeis. *Reſp.* Vel exprimi nomine cœli, *Gen.* 1. ſeu Cœli cœlorum, *Pſal.* 113. vt vult *B. Aug.* 12. *Conf.* 1. Vel propriè nomine primæ illius Lucis *Gen.* 1. vt placet, *B. Aug. l.* 1. *in Gen. & l.* 4. *Cap.* 28. Vel vt contentum in cœlo continente, vel ſub perfectione totius vniuerſi: vel non exprimit diſtinctiùs eorum creationem & naturam; quia ex profeſſo refert creationem huius mundi ad generationes hominum, nec Iudæi erant capaces intelligendi ſpiritualia, &c.

QVÆSTIO V.

An & quid ſupplendum, corrigendum, perficiendum, vel conciliandum ſit inter noſtros authores, & B. Aug. De natura & naturalibus, gratia & gratuitis, meritis & culpis, præmijs & pœnis Angelorum bonorum vel malorum?

RE*ſp.* Nihil poſſe plùs, nec meliùs, ſeu diſtinctiùs, ordinatiùs, probabiliùs, concordiùs, & perfectiùs pro ſtatu huius vitæ & viæ doceri, de hac tota quæſt. quàm quod *Alenſ.* noſter ex profeſſo ſupra, *à q.* 19. *ad* 44. *& q.* 91. 92. *à* 101. *ad* 119. 184. 185. *S. Bon. & Scotus in* 2. *à d* 1. *ad* 12.

Vt patet ex recollectione, & collatione totius Doctrinæ in ſe, & cum promiſcua B. *Aug.* Lib. 3. de lib. arb. 11. *Naturas omnes Deus fecit, &c. Illa eſt ſublimioris Officij, quæ non ſolùm ſi non eſſet, ſed etiam ſi peccaret minueret ordinem vniuerſitatis. Illa eſt inferioris officij, quæ ſi non eſſet, non autem ſi peccaret, aliquid minùs haberet vniuerſitas. Illi data eſt potentia continendi omnia officio proprio, quod rerum ordini deeſſe non poſſit. Nec ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium: ſed ideo accepit, quoniam ab illo qui dedit permanſura præuiſa eſt. Nec tamen ſua maieſtate continet omnia: ſed inhærendo Dei maieſtati, & obtemperando, &c. Hunc autem datum eſt quidem non peccanti potentiſſimum officium*

Digitized by Google

continendi omnia: non tamen proprium, ſed cum illa, tanquam ei quæ peccatura præcognita eſt. Habent ſanè ſpiritualia quæq; inter ſe & coniunctionem ſine cumulo, & ſeiunctionem ſine diminitione: vt neq; adiunaretur illa in actionis ſine facilitate, cùm hæc ſibi coniungeretur; neq; difficilior illi actio fieret ſi hæc officium ſuum peccando deſereret. Non enim locis & mole corporum: ſed parilitate affectuum iungi, & diſparilitate ſeiungi poſſunt ſpirituales creaturæ, quamuis corpora ſua quæq; poſſideant .i. quamuis poſſiderent. Vnde patet vera ſpiritualitas Angelorum, & independentia à ſuis corporibus proprijs ſi quæ habeant: ergo non vt partes aliquas ſui per informationem. *In corporibus autem inferioribus atq; mortalibus poſt peccatum ordinata, regit corpus ſuum: non omnino pro arbitrio, ſed ſicut leges Vniuerſitatis ferunt. Nec ideo tamen talis anima inferior eſt corpore cæleſti, &c.* L. 1. Retr. 11. *Angelorum SS. nomine, omnem ſanctam creaturam ſpiritalem in Dei miniſterio ſecreto conſtitutam nunc appellauerim, &c.* L. Imperfecto in Gen. cap. 3. problematicè: An Angeli facti ſint in tempore, ante tempus, vel initio temporis. *Fortè*, inquit, *non ſic in Principibus, in creaturis ſupereminentibus, &c An cælum ſumatur hîc pro continente, & Angelis contentis: An pro omni & ſola creatura ſpirituali, &c.* Cap. 4. *Per Spiritum Dei ſuper aquas,* Gen. 1. *poſſe intelligi creaturam ſpiritualem Deo circa hunc mundum ſeruientem.* q. 79. ex 83. *Vnaquæq; res viſibilis in hoc mundo habet poteſtatem angelicam ſibi præpoſitam.* Infra. *Sancti Dei ſerui, quando hoc donum habere eos vtile eſt, ſecundùm publicam & quaſi imperialem legem Dei imperant infimis poteſtatibus ad quædam viſibilia miracula facienda. In illis enim Deus imperat, &c. In magicis autem imprecationibus præſtant effectum priuato iure quædam ſecum pacta ſeruantibus, &c. Quando videntur imperare Magi, per ſublimiorum nomina inferiores terrent, &c.* Luc. 11. *Non poteſt Satanas Satanam excludere, &c. Quia hoc modo potiùs in intima ingreditur, &c.* Infra. *Vt pleriq; mali milites, quos imperialis diſciplina condemnat, ſignis Imperatoris ſui poſſeſſores territant, & quod publicè non iubetur extorquent: ita mali Chriſtiani, vel Schyſmatici, vel hæretici, per nomen Chriſti, aut verba, aut Sacramenta Chriſtiana exigunt aliquid à Poteſtatibus, quibus honori Chriſti cedere indictum eſt, &c. Magi faciunt miracula per priuatos contractus: boni Chriſtiani, per publicam Iuſticiam; mali, per ſigna publicæ Iuſticiæ, &c. Cùm dæmones non cedunt his ſignis, Deus ipſe prohibet occultis modis, &c. Nam nullo modo audent hæc ſigna contemnere. Contremiſcunt enim hæc vbicumq; illa proſpexerint.* Lib. 2. Doct. Chriſt. cap. 20. *Superſtitioſum eſt quicquid inſtitutum eſt ad conſultationes & pacta quædam ſignificationũ cum dæmonibus, &c.* Cap. 23. *Omnes artes ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ, penitus fugienda ſunt Chriſtiano.* 1. Cor. 10. *Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum.* Cap. 24. *Tantum valent, quantum præſumptione animorum quaſi communi quadam lingua cum dæmonibus fæderata ſunt.* Lib. 12. Conf. 7. *Duo feciſti, vnum propè te, alterum propè nihil, &c.* Cap. 9. *Cælum cæli quod in principio feciſti, creatura aliqua eſt intellectualis, nequaquam tibi coæterna, particeps tamen æternitatis tuæ, mutabilitatem ſuam præ dulcedine fælicisſimæ contemplationis tuæ cohibet.* Cap. 11. *Nec illa creatura tibi coæterna eſt, cuius voluntas tu ſolus es, &c. Mutabilitatem ſuam nunquam & nuſquam exerit, te ſibi ſemper præſente, ad quem toto affectu ſe tenet, &c. O beata, ſi qua iſta eſt, inhærendo beatitudini tuæ, &c.* Cap. 15. *Tenebreſceret & frigeſceret, niſi amore grandi tibi cohærens, luceret & ferueret ex te.* Eccl. 1. *Prior omnium creata eſt ſapientia.* Lib. 2. Trin. De varijs apparitionibus Dei per Angelos. *Lib. 3. cap.* 1. An per ſolam creaturam ad hoc formatam, vel per ipſam formam ab Angelis aſſumptam: vel ipſum corpus ſuum cui non ſubduntur, ſed ſubditum gerunt, mutabant in ſpecies quas vellent, fateor excedere vires intentionis meæ, &c.] *Cap.* 4. Dei voluntas in ſpiritibus ſumma pace, atque amicitia copulatis, tanquam in excelſa, ſancta, & ſecreta ſede præſidens, vtitur omnibus ad arbitrium ſententiæ ſuæ. Sed vt corpora inferiora per ſuperiora ordine reguntur: ita omnia per ſpiritum vitæ, ſpiritus vitæ irrationalis per rationalem, malus per bonum, & bonus per ipſum Deum; ac per hoc voluntas Dei eſt prima & ſumma Cauſa omnium, &c. Nihil enim fit quòd non de interiore aula ſummi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam Republica.] *Cap.* 8. Nec ideo putandum eſt iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſeruire hanc rerum viſibilium materiam.] *Cap.* 9. Adhibere forinſecùs accidentales cauſas, non ſolùm mali Angeli, ſed & homines poſſunt, &c. *Cap.* 10. Cùm Dei Perſona ſuſcipitur, aliquando in Angelo demonſtratur, aliquando in ea ſpecie quæ non eſt quod Angelus, quamuis per Angelum miniſtretur.] *Cap.* 11. Cur ergo ſcriptum eſt, *Dixit Dominus*, & non Angelus? Quia cùm verba Iudicis Præco pronunciat, non ſcribitur in geſtis, Ille Præco dixit, ſed ille Iudex.] *Lib.* 4. *cap.* 11. Facile eſt ſpiritibus nequiſſimis, per aërea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggrauatæ.] *Cap.* 12. Per magicas conſecrationes animæ non purgantur, nec reconciliantur Deo, ſed per verum Mediatorem, &c.

Lib. 1. in Gen. ad litt. cap. 27. *Spiritalis lux facta eſt,* Gen. 1. Fiat lux, &c. *Non illa Patri coæterna; ſed de qua* Eccl. 1. Sap. 7. *Prior omnium creata eſt Sapientia, &c.* Lib. 2. c. 18. *An aſtra cæli habeant ſpiritus rectores: & an ab eis etiam vitaliter inſpirentur, &c.* Lib. 3. cap. 10. *Etſi dæmones aerea ſunt animalia, &c.* vt ſupra. *Lib.* 8. *c.* 20. De natura & motu incorporeo ſpiritus creati, non *per locum, ſed per tempus.* Cap. 24. *Sublimibus Angelis Deo ſubditè fruentibus, ſubiecta eſt omnis natura corporea, omnis vita, omnis voluntas: vt de, vel cum ſubiectis agant quod naturæ ordo poſcit; nec ita vt à Dei contemplatione reſiliant.* Cap. 25. *Spiritalis creatura, ſi perfecta atq; beata eſt, non niſi intrinſecus incorporaliter adiuuatur, &c. Ipſa autem extrinſecùs adiuuat.* Lib. 9. cap. 15. Angelos non creare, &c. vt ſupra. Lib. 11. cap. 13. *De ipſa natura Diaboli ſcrupuloſiùs quæri ſolet.* Infra. *In*

Digitized by Google

quo bonum eſt hoc ipſum, quod viuit, & viuificat corpus aereum. Cap. 16. *Non fruſtra putari poteſt,* ex Ioan. 8. *Diabolum ab initio temporis ſuperbia cecidiſſe: nec fuiſſe vllum antea tempus quo cum alijs Angelis vixerit beatus.* Cap. 17. Quomodo enim duxiſſe inter eos vitam beatam credi poteſt, qui futuri peccati ſui præſcius non fuit? Neque enim ſancti Angeli æternæ vitæ ſuæ ac beatitudinis incerti ſunt. Nam quomodo beati, ſi incerti?] *Cap.* 19. Quòd in ſuo genere Beati eſſe poſſint, futuræ ſalutis ſuæ incerti, vix ferenda præſumptio eſt, &c. Niſi dicatur ita creatos ſub alijs beatioribus, &c. Sed aſſerant qui poterunt, &c. mihi non occurrit.] *Cap.* 20. Nonnulli Diabolum in hac malitia creatum putant, ex Iob. 40. Pſal. 103. *Cap.* 21. Nullo modo naturam quam Deus creauit pœnâ ignis æterni plectendam eſſe credendum eſt.] *Cap.* 22. *Iob* 40. vel corpus eius aëreum ſignificari, vel ipſam ordinationem Dei vt illudatur à Sanctis. *Cap.* 23. Neque enim cecidit, ſi talis eſt factus: ſed factus, continuò ſe à luce veritatis auertit, &c. Vnde Beatæ atque Angelicæ vitæ dulcedinem non guſtauit: quam non vtique acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit & amiſit.] *Cap.* 20. *&* 25. Ex figura Regis Babil. & Tyri. *Iſa.* 14. *& Ezech.* 28. *Cap.* 26. Aut ab initio creationis ſuæ Diabolum à beatitudine quam ſi voluiſſet percepturus fuerat, impiâ ſuperbia cecidiſſe: aut alios eſſe Angelos inferiores miniſterij in hoc mundo, inter quos ſecundùm eorum quandam non præſciam beatitudinem vixerit, &c. Sed hoc nullo modo aſſeri poteſt: illud mirum ſi poteſt. Aut certè ratio eſt requirenda quemadmodum omnes ſancti Angeli nondum habuerint certam præſcientiam perpetuæ fœlicitatis ſuæ, ſed eam poſt caſum Diaboli acceperint: aut quo merito ante ſuum peccatum Diabolus cum ſocijs ſuis à cæteris Angelis diſcretus fuerit, vt ipſe ſui caſus futurus eſſet ignarus.] *Lib.* 12. *Cap.* 16. Quia ſpiritus omnis eſt omni corpore ſine dubitatione præſtantior: ſequitur vt non loci poſitione, ſed naturæ dignitate præſtantior ſit natura ſpiritalis iſto corporeo cœlo, &c. Præſtantior eſt imago corporis in ſpiritu, quàm ipſum corpus in ſubſtantia ſua, &c. Præſtantior eſt qui facit, ea re de qua facit, &c. Hanc imaginem non corpus in ſpiritu: ſed ipſe ſpiritus in ſeipſo facit celeritate mirabili. *Cap.* 17. Quemadmodum innoteſcant ſpiritibus etiam immundis; vel quid obſtaculi patiatur anima noſtra, vt eas in noſtro ſpiritu videre nequeamus, inuenire & explicare difficile eſt. Si virtutum internam ſpeciem poſſent cernere, non tentarent, &c. Poſſunt hoc non ſolum acrimonia cernendi, etiam corporali: ſed etiam corporum ſubtiliorum mira velocitate.]

Subdit quaſdam prædictiones, *fortè phraeneticas,* quæ putantur dæmoniacæ. *Cap.* 19. De varijs generibus viſionum, naturalium & ſupernaturalium, à malo vel bono ſpiritu.

Lib. De diuinatione Dæmonum, Cap. 5. Dæmones plerumque prædicere quæ ipſi facturi ſunt, aut perſuaſuri, miris modis corpora hominum non ſentientium penetrando, ſeſeque cogitationibus eorũ per quædam imaginaria viſa miſcendo: Aliqua prænoſſe ac prædicere ex ſignis naturalibus tam leuibus in corpore expreſſis, vt nobis imperceptibilia ſint.] *Cap.* 6. Nunquam prædicere ex ſpiritu prophetiæ: ſed aliquando ex aliqua Dei reuelatione & ordinatione. 2. *Retr.* 30 *Rem dixi occultiſſimam audaciore aſſeueratione quàm debui, &c. An ſigna dentur ex corpore illis ſenſibilia, nos autem latentia: an alia vi, & ea ſpiritali omnia cognoſcant, vix poteſt inueniri.*

Lib. 7. Ciu. 3. *Deus agit multa per Angelos, ſed nonniſi ex ſeipſo beatificat Angelos. Lib.* 8. *c.* 14. *Ex Platonicis*: Animal rationale diuidi in Deos, Dæmones, & homines. *Cap.* 15. Abſit vt animus religioſus arbitretur Dæmones ſeipſo eſſe meliores, &c. *Cap.* 16. Dæmones eſſe animalia animo paſſiua, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna.] *Cap.* 19. Quales preces hominum Dijs bonis per Dæmones Appuleus allegari credit? Magicas, an licitas? Si magicas, nolunt tales: ſi licitas, nolunt per tales. *Cap.* 2. At nullus, inquiunt, Deus miſcetur homini. Præclara ſanctitas Dei: qui non miſcetur homini ſupplicanti, & miſcetur Dæmoni arroganti.] *Cap.* 21. Si animo animum noſtrum videre poſſunt, non ad hoc indigent Dæmonibus nuntijs, &c.] *Cap.* 22. Nullo modo credendum eſt, ita eſſe medios Dæmones inter Deos & homines internuncios & interpretes, qui hinc ferant petitiones noſtras inde deferant eorum ſuppetias, ſed eſſe ſpiritus nocendi cupidiſſimos, &c.] *Cap.* 24. Quoniam proaui noſtri, *inquit Hermes*, animas facere non poterant, euacantes animas Dæmonum vel Angelorum, eas indiderunt imaginibus, ſanctis diuiniſque myſterijs, per quas idola & benè faciendi, & malè vires habere potuiſſent.] *Aug.* Neſcio vtrum ſic confiterentur Dæmones adiurati.] Lib. 9. cap. 10. ex Plotino. *Pater miſericors animabus humanis mortalia vincula faciebat. Hac miſericordia indigna indicata eſt iniquitas Dæmonum.* Cap. 10. *Dicit Apuleus, & animas hominum dæmones eſſe, & ex hominibus fieri Lares, ſi meriti boni ſunt: Lemures, ſeu Larnas, ſi mali; Manes autem, cùm incertum eſt, &c.* Cap. 19. *Nos Angelos partim bonos, partim malos, nunquam verò dæmones bonos legimus, &c. Nullus ferè etiam Paganus eſt, qui audeat in laude vel ſerno ſuo dicere, dæmonem habes, &c.* Cap. 23. *Non fruſtra in Script. expreſſiùs homines quàm Angeli nuncupantur Dij, &c.* Contra periculum idolatriæ. *Lib.* 10. *c.* 7. Angeli beati nolunt ſibi ſacrificari, vt in 4. *Cap.* 8. De veris miraculis per Angelos. *Cap.* 9. *&* 10. Contra Theurgiam, ſeu purgationem magicâ animorũ per dæmones. *Cap.* 12. De exauditione noſtrarum precum à Deo per Angelos. *Cap.* 14. Omnia bona eſſe à Deo, quamuis per Angelos & homines. *Lib.* 11. De ortu totius mundi, præcipuè Angelorum. *Cap.* 9. SS. Angeli prætermiſſi non ſunt, *Gen.* 1. Vel cœli nomine, vel potius lucis ſignificati ſunt, &c. Opus autem Dei eſſe Angelos, S. Script. teſtatur. *Iob.* 38. *Pſal.* 148. *Dan.* 3. *Cap.* 10. A Deo vt bono ſimplici creata ſunt omnia bona, ſed non ſimplicia, & ob hoc mutibilia.] *Cap.* 11. Simul vt Angeli facti ſunt, lux facti ſunt, &c. Si æquales in ea fuiſſent, manſiſſent pariter beati, quia pariter certi. *Cap.* 12.

Quis

Digitized by Google

Quis primos homines in Paradiſo neget beatos fuiſſe? Quis ſe perſeueraturum ſciat niſi aliqua reuelatione?] *Cap.* 13. *De perfecta beatitudine ex certa Dei fruitione.* Hanc habere Angelos lucis piâ fide credimus : non habuiſſe Angelos peccatores, ſed aliquam non præſciam beatitudinem, ſi vitam egerunt ante peccatum, credendi ſunt. Aut ſi durum videtur, &c. multò eſt durius nunc putare Angelos ſanctos eſſe incertos, &c. Reſtat vt aut impares fuerint : aut ſi pares, poſt iſtorum ruinam, illis certa ſcientia acceſſerit. Niſi fortè *Ioan.* 8. *&* 1. *Ioan.* 3. Diabolus ab initio peccauerit. *Cap.* 15. Non peccaſſe ab initio, ſed fuiſſe ſine peccato. *Cap.* 16. Ordine naturæ Angeli hominibus præferuntur. *Cap.* 29. De cognitione Angelorum diurna ſeu matutina, in Sapientia, ſeu Verbo Dei : & *veſpertina* cuiuſque rei in ſeipſa ſeu in genere proprio. *Cap.* 32. Non eſſe tam certum de creatione Angelorum per *Fiat Lux*, *Gen.* 1. Sed eos non eſſe Deo coæternos. *Capite.* 34. Aquas ſuper cœlos non eſſe populos Angelorum: ſed veras aquas; quia & nos experimur *pituitam in capite.* Lib. 12. *De vnitate & perfectione naturæ Angelicæ : differentia autem bonæ ac malæ voluntatis. Cap.* 1. Natura cui explendæ non ſufficit niſi Deus : non illi adhærere vitium eſt, &c. Ab illa igitur quæ adhæret Deo, non naturâ differt iſta, ſed vitio.] *Cap.* 6. Cauſa beatitudinis Angelorum bonorum eſt, quòd ei adhærent qui ſummè eſt : cauſa miſeriæ malorum eſt, quod ab illo qui ſummè eſt auerſi, ad ſeipſos conuerſi ſunt. Initium quippe omnis peccati ſuperbia, *Eccl.* 10. Huius porrò malæ voluntatis cauſa efficiens ſi quæratur, nihil inuenitur.] *Cap.* 7. Non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt, ſed defectio.] *Cap.* 9. Si dixerimus nullam eſſe efficientem cauſam etiam voluntatis bonæ : cauendum eſt, ne voluntas bona Angelorum, non facta, ſed Deo coæterna eſſe credatur, &c. Porrò quia facta eſt, an cum ipſis, an ſine illa fuerunt prius ? Si eam in ſeipſis Deo non operante fecerunt : ergo meliores à ſeipſis, quàm ab illo facti ſunt? Abſit, &c. Si nō potuerunt ſeipſos facere meliores : bonam voluntatem quâ meliores eſſent, niſi operante adiutorio Creatoris habere non poſſent, &c. Hinc quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo bono deſiderio remanſuram : niſi ille qui bonā naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando auidiorem, &c. Qui eos cum bona voluntate .i. amore caſto creauit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam. Vnde ſine bona voluntate, hoc eſt ſine Dei amore, nunquam Sanctos Angelos fuiſſe credendum eſt. Iſti autem qui cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt, &c. Aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam : aut ſi vtrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, peruenerūt. *Cap.* 15. infra. 25. ſupra. Lib. 15. cap. 23. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam ardentem*, Pſal. 118. *An hoc de adiuncto corpore : An de igne Charitatis, &c.* Ibidem. Dubium de concupiſcentia & generatione dæmonum : ſed noniſi applicando actiua paſſiuis. Ex 3. *Trin.* 8. 9. *&* 12. *Ciu.* 24.]

L. 18. c. 18. *Quanto in hæc ima poteſtatem dæmoniū maiorem videmus : tanto tenaciùs Mediatori eſt inhærendum, &c. Non ſolùm animum, ſed nec corpus crediderim dæmonum arte in membra vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe conuerti, &c.* Lib. 22. c. 10. De pœna dæmonum per ignem, vt ſæpè ſupra. *Lib.* 22. De libero arbitrio Angelorum & hominum, ad æternam beatitudinem. *Cap.* 1. Vt Deus hinc *ſuppleat partem quæ lapſa eſt Angelorum.* Libro ad Oroſiū contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas, Cap. 11. *Eſſe Sedes, Dominationes, Principatus Poteſtates in Cæleſtibus*, Coloſ. 1. *Firmiſſimè credo: & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo. Sed, quo me contemnas quem magnum putas eſſe doctorem, quænam iſta ſint & quid inter ſe differant, neſcio.* Enchir. 58. *Quæ ibi ſint differentiæ perſonarum : vt cum omnes generali nomine Angeli nuncupentur, tamen ſint & Archangeli, &c. Quid inter ſe diſtent Sedes, Dom. Princ. Poteſt.* Coloſ. 1. *dicant qui poſſunt : ego me ignorare confiteor, &c. Sed nec illud quidem certum habeo, vtrum ad eandem ſocietatem pertineant ſol, & luna, & cuncta ſidera.* Cap. 61. *Non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus : ſed ideò etiam pro Angelis, &c. quoniam homo cum eis redit in gratiam, & ex ipſa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur.* Cap. 62. *Nouerunt ſancti Angeli docti à Deo, quanti numeri ſupplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet.* Ex Eph. 1. Coloſſ. 1. Lib. de Corrept. & gratia, cap. 10. *Deus ſic ordinauit Angelorum & hominum vitam : vt in ea prius oſtenderet quid poſſit eorum liberum Arb. deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, &c. Angeli quidam per liberum arbitrium à Deo refugæ facti ſunt: cæteri per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, &c. Diabolus, & Angeli eius, beati erant antequam caderent, &c.* Lib. de bono perſeuerantiæ cap. 7. *Non eſt omnino in viribus liberi arbitrij quales nunc ſunt* .i. à Deo non recedere : *fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præſtantia, quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum ſuis cadente in veritate ſteterunt.* Cap. 8. *Si duæ naturæ eſſent, quarum vni daretur gratia perſeuerantiæ, alteri non: gratia vlla non eſſet. Nulli enim daretur gratuita liberatio, ſi naturæ debita redderetur.* Lib. 3. contra Max. c. 25. *Natura humanâ ſine peccato ſolus maior eſt Deus.* Heb. 2. *Ieſus minoratus fuit pluſquam Angeli : propter paſſionem, non propter naturam hominis.* Epiſt. 115. Vt libro de diuinatione dæmonum. In Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. Eſſe Angelos nouimus ex fide : Spiritus autem Angeli ſunt. Angelus officij nomen eſt, non naturæ, &c.* Lib. De natura Boni, cap. 32. *Pro iniqua voluntate nocendi Sanctis, redditur Diabolo in fine ſupplicium*, Matt. 25. Quæſt. 3. in Gen. *Credibilius eſt homines iuſtos eſſe appellatos vel Angelos, vel filios Dei*, Gen. 6. *quàm Angelos carnem non habentes, vſq; ad illud peccatum deſcendere potuiſſe. Quamuis de quibuſdam Dæmonibus qui ſunt improbi mulieribus à multis tam multa dicantur, vt facilè non ſit de hac re definienda ſententiam.* Quæſt. 100. *Caſtra Dei quæ vidit Iacob*, Gen. 32. *ſine dubio fuiſſe multitudinem Angelorum.*

COLLATIO, ET ORDINATIO HVIVS
Doctrinæ promiſcuæ: cum illa Alenſis, S. Bon. & Scoti.
1. *De Natura Angelorum.*

EST Subſtantia, Spiritualis, completa, incorporea, à Deo creata, propè Deum participatione & ſimilitudine, ſed infinitè procul à perfectione Dei infinita, æterna, ſimpliciſſima, &c. toto genere tamen diuerſa, perfectior, & ſimplicior omnibus naturis corporeis, ipſaq; anima noſtra rationali; diſtincta in plures Angelorum ſpecies actuales, vel in infinitum poſſibiles; & in plurima eiuſdem ſpeciei ſingularia & perſonas, ex perfectione ac communicatione naturæ.

Ex B. Aug. ſupra. *Alenſ. p.* 2. *q.* 12. 13. 19. 20. 34. 35. 44. 48. 90. 91. 92. *S. Bon. d.* 1. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 1. 2. *d.* 3. 8. & 9. *Scoto Diſt.* 1. *q.* 4. 5. *Diſt.* 2. *q.* 1. 2. 3. 4. *Diſt.* 3. *q.* 7.

CONTRA. S. Aug. *lib.* 3. *de lib. Arb. c.* 11. & 12. *Ciuit.* 7. 9. 11. 12. 15. & alibi docet ex *Eccl.* 1. *Sap.* 1. Priorem omnium creatam eſſe ſapientiam, ſeu mentem ſpiritualem, beatiſſimam: quæ nec deeſſe, nec peccare poſſit ſaluo ordine huius vniuerſi. Sparſim ſupponit aut dubitat an Angeli habeant, viuificent, inſpirent ſua corpora. *Enchir.* 58. & *lib. ad Oroſium.* Fatetur ſe neſcire differentiam eſſentialem aut perſonalem Angelorum inter ſe: cùm extarent *Libri S. Dion.* de Cœleſti Hierarchia.

Alenſ. q. 19. *m.* 1. Angeli non ſunt creati ante. *q.* 44. Omnia ſimul. *q.* 48. Sub nomine cœli. *q.* 20. *m.* 2. *art.* 2. Videtur quod ſint quid compoſitum ex materia & forma. Aut ſi ſunt ens per ſe ſine materia: habent compoſitionem ex *Quo & Quod eſt. M.* 4. *Art.* 2. Sunt diſtincti perſonali qualitate perſpicuæ intelligentiæ & liberæ voluntatis, conſequente ſimplicitatem eſſentiæ. *Art.* 3. *ad* 5. Compoſitio Perſonæ in Angelo eſt maior quàm ex *Quo & Quòd. M.* 5. Angelus naturâ ſua eſt reſolutionis immutabilis. *M.* 6. Differunt ſpecie: quia non eſſet tanta differentia ordinum inter pares. *q.* 90. 91. 92. Quaſi vita non ſit de eſſentia, ſubſtantia, & natura Angeli, vel animæ.

S. Bon. d. 1. *Art.* 3. *q.* 2. Differentia eſſentialis inter Animas & Angelos, non eſt ex perfectione intelligendi. *Diſt.* 3. *Art.* 1. *q.* 1. Sunt compoſiti ex materia & forma. *q.* 2. Non Phyſicè, ſed Metaphyſicè. *q.* 3 Homogeneâ tamen, &c. *Art.* 2. *q.* 1. *ad* 4. Vt homines habent diuerſas facies: ſic & ſuo modo Angeli. *q.* 2. Vt diſcretio indiuidualis eſt exiſtentia formæ naturalis in materia: ſic perſonalis diſcretio eſt exiſtentia naturæ nobilis & ſupereminentis in ſuppoſito. *q.* 3. Indiuidualis eſt ex coniunctione formæ cum materia, vt ſigilli cum cera, &c. Diſcretio autem perſonalis dicit ſingularitatem & dignitatem, &c. *Diſt.* 9. *Art.* 1. *q.* 1. Omnes Angeli ſunt eiuſdem ſpeciei.

Scotus d. 1. *q* 4. Creatio Angeli identificatur ei realiter, non formaliter, nec adæquatè. *q.* 5. Non differt ſpecie ab anima, gradu vel modo intelligendi. *Diſt.* 3. *q.* 1. Subſtantia materialis non eſt ex ſe hæc. *q.* 2. Sed per aliquid poſitiuum intrinſecum. *q.* 3. Non per ſolam exiſtentiam actualem. *q.* 4. Nec per quantitatem vel vllum accidens. *q.* 5. Nec per materiam. *q.* 6. Sed per vltimam differentiam indiuidualem. *q.* 7. Natura Angelica eſt potentialis ad tot quot ſingularitates.] Quæ omnia nec inter ſe, nec noſtra cum illis cohærere videntur.

RESP. Ex Tomo 2. noſtræ Anat. *B. Aug.* ſæpè monet omnes creaturas ſpirituales eſſe æquè immediatè ad Deum, vt obiectum & finem beatificum: vt infra *q.* de Anima rationali; non autem æqualis perfectionis, ne quidem naturalis. Mouet aliquando dubium de poſſibili aut non creatura ſpirituali natura ſua impeccabili: non quaſi non eſſet ex nihilo, ſicque & defectibilis in nihilum peccati, vt ſemper pro certo ſupponit; ſed quòd creari & inſtitui poſſet tam bona ac beata, ſeu in tanta Dei contemplatione & fruitione, vt nullo alio obiecto moueri aut diuerti poſſet. Quæ prima inſtitutio ſeu ſtatus, à *B. Aug.* ſolet dici natura, & naturalis: de quo ſub q. de natura humana. *Lib.* 3. *de lib. Arb. c.* 11. Non vult talem naturam eſſe abſolutè neceſſariam ad ordinem vel regimen huius mundi: ſed fortè ad cõgruam perfectionem. Nam *cap.* 12. ſubdit, Deum poſſe per ſe immediatè omnia regere: vel quolibet etiam tali Angelo deficiente, alium creare & ſubſtituere. *Lib.* 12. *Conf. cap.* 11. *O beata*, inquit, *ſi qua talis eſt*, &c. Ergo non ſupponit eſſe: ſed conjicit ex *Eccl.* 1. *Sap.* 7. *Gen.* 1. Hinc ſupra, libris *de Ciu.* tam dubius hæret an non fuerint aliqui Angeli creati tam beati, vt eſſent certi & ſecuri de ſua perſeuerantia: vtique ex vi ſuæ cognitionis & fruitionis Dei. Nam 4. *contra Iul.* 3. ſcrutans originem peccandi. *Mens*, inquit, *bona, magis ſibi placet, magiſq; ſe ipſa delectat, quàm quæuis alia creatura. Quàm verò periculosè & perniciosè, quamdiu nõ videt ſummum illud bonum in cuius comparatione ſe ſpernat, ſibiq; illius charitate viloſcat, &c. multum eſt diſputando velle monſtrare, &c. Superbiæ malum tunc animum tentare non poterit, quando tanta ſatiabitur viſione, & tanta inflammabitur charitate ſuperioris boni: vt ad ſeipſum, ſibi placendo, deficere ab illius dilectione non poſſit*, &c. Vt in 4. *col.* 993. 994. Non quaſi ad hoc ſit neceſſaria illa perfectiſſima viſio & fruitio beatifica: ſed fortè poſſit etiam aliqua inferior & connaturalior ſufficere. Nec conijcit, ex *Eccl.* 1. *Sap.* 7. hanc ſapientiam ſeu mentem Angelicam ab æterno creatam: nec ante cœlum & terram; ſed ante & ſupra omne tempus, ſeu motum & mutationem. Vt patet ex 12. *Conf.* ſupra, & ex interpretatione primi illius cœli & lucis *Gen.* 1. pro hac creatura ſpirituali. Dubium B. *Aug.* An Angeli habeant, viuificent, inſpirent ſua corpora propria: nõ poteſt eſſe de illis ſupremis Angelis de quibus 12. *Conf.* 11. Duo feciſti vnum

propè

propè te, alterum propè nihil, ſeu materiam primam; ergo illi Angeli ſunt tam procul à materia & corpore proprio, quàm ſunt propè Deum. Imò nec de vllis veris Angelis, an viuificent & inſpirent ſua corpora formaliter: ſed fortè cauſaliter, ad viuificandum inferiora per cœ los & aſtra. Vt infra *q.*8. Fatetur autem ſe ignorare differentias Angelorum: non quin ſint, & quibus nominibus in ſacra Script. diſtinguantur: ſed quid ſint propriè, & quid ſignificetur. Nec plus profitetur aut docet *S.Dion.* cuius doctrinã non fuiſſe ignotam *B. Aug.* collegi Tomo noſtro 2. in *Aug.* ex lib. de quant. Animæ cap. 33. *In contemplatione veritatis quanta ſint gaudia, &c. dixerunt magna quædam ac incomparabiles animæ, &c.*

Nam *cap.* 1. *Cœleſtis Hier.* incipit à metaphoris ſacræ Script. & quadam figurâ noſtræ Hier. Eccleſiaſticæ. *Cap* 2. Præfert diſſimilia ſimilibus, ad repræſentandum ſpiritualia potiùs negatiuè, quàm poſitiuè. *Cap.* 3. Hierarchiam eſſe Dei imitationem perfectiorem. *Cap.* 4. Omnes beatos Spiritus dici Angelos: quia priùs ſunt participes diuinæ illuſtrationis, quàm nobis communicetur. Hinc Iesvm dici magni conſilij Angelum, *Iſa.* 9. quia *Ioan.* 15. quæ audiuit à Patre annunciauit nobis. *Cap.* 5. Propriè tamen Angelos dici infimi ordinis. *Cap.* 6. Omnes diſtingui in tres Hierarchias, & ſingulas in tres Ordines. 1 In Thronos, Cherubim, & Seraphim. 2. In Poteſtates, Dominationes, Virtutes. 3. In Angelos, Archangelos, Principatus: i. gradatim aſcendendo. *Cap.* 7. Seraphim dici ab incendendo, Cherubim à docendo, Thronos ab excipiendo, portando, & adhærendo Deo, &c. *Cap.* 8. Dominationes, à liberando ab omni indigna ſeruitute ad dignam dominationem: Virtutes, à fortitudine ad ſubeunda omnia munia Diuina: Poteſtates, à libera diſpoſitione inferiorum ad diuina; abſque abuſu tyrannico. *Cap.* 9. Principatus, à repræſentatione, & conuerſione inferiorum ad ſupremum Dei principatum: Archangelos, à nuntiatione mediata, ſeu illuſtratione noſtri per Angelos: Angelos, à nũciatione immediata per ſeipſos. *Cap.* 10. Primam Hier. à Deo immediatè illuminari: ſecundam à 1. Tertiam à 2. noſtram à 3. *Cap.* 1. Omnes vocari Virtutes, quia habent eſſentiam, virtutem, & actionem. *Cap.* 12. Chriſtum, *Malach* 3. dici Angelum, à nũciatione: imò viros ſanctos dici deos, ab imitatione Dei. *C.* 13. Seraphim, *Iſ.* 6. dici ab illa purgatione calculo ignito: vel potiùs à miſſione ad hoc, quàm ab executione. *Cap.* 14. Per millia millium aſſiſtentium Deo, & decies centena millia miniſtrantium ei. *Dan.* 7. ſignificari innumerabilem numerum Angelorum. *Cap.* 15. Angelos in ſacra Script. referri ſub varijs formis & figuris, ad varias ſignificationes.] Ex quibus omnibus, quid poſſumus diſcere, niſi cum *B. Aug.* noſtram ignorantiam rerum ſignificatarum: & quandam tantùm notitiam nominum, vel quorundã effectuum?

Alenſ. negat Angelos eſſe creatos ante hunc mundum, vllo tempore: ſed ſimul, extra, & ſupra tempus; ſub nomine cœli, vt continentis; ſed nomine lucis vt gratuitæ illuminationis. Putat eſſe compoſitos ex materia & forma: non corporea; ſed ſpirituali, & ex *Quò*, & *Quod.* Vt patet ex tota eius *q.* 12. & ex *S. Bon.* vt interprete ſui Magiſtri, *d.* 3. *art.* 1. Vbi *q.* 3. eſt ſenſus, eandem eſſe materiam omniũ corporalium inter ſe, & ſpiritualium inter ſe. Nec *Al.* vult eos diſtingui eſſentialiter, aut perſonaliter, potentia, actu, aut modo intelligendi: ſed tantùm conſequenter ad priorem diſtinctionem eſſentialem, aut perſonalem. De reſolutione immutabili, infra. Differentiam autem ſpecificam meritò colligit ex differentia ordinum: imò & ex *B. Aug.* ſupra. Denique non negat vitam radicalem eſſe de eſſentia & ſubſtantia Angeli ac animæ: ſed vitam actualem, vel in potentia proxima.

S. Bon. comparat tantùm metaphoricè differentias perſonales & indiuiduales Angelorum, faciebus hominum, & figuris ceræ impreſſis: ſed propriè has ſtatuit in quadam appropriatione mutua materiæ & formæ, vel potentiæ & actus; illas, in dignitate, ſeu ſuperioritate naturæ in eodem ſuppoſito. De quo in 3. *Sent.* ex profeſſo. Præfert autem opinionem, quòd omnes Angeli ſint eiuſdem ſpeciei, ex motiuis ſuis ibi expreſſis: quæ plus fauent paucitati ſpecierum, quàm vnitati, maximè ſi detur illa ſuprema natura Angelica, de qua ex *B. Aug.* ſupra. Nec eſt contra *Alenſem*, qui tantùm colligit aliquam inæqualitatem naturæ, ex tantâ inæqualitate ordinum.

Scotus ſeipſum ſatis explicat, & cum ſuis maioribus conciliat.

2. *De duratione, & vita Angelorum.*

VT Angelus nõ poteſt eſſe, niſi à Deo factus ſeu creatus: non ab æterno vt coæternus: nec vt ab initio, ſed ſui Principio: nec vt prior omni tempore poſſibili, ſed actu præterito; nec vt ſine termino à quo, aut primo ſui eſſe; ſed neceſſariò à non eſſe ſuiipſius ad ſuum primum eſſe, ſeu fieri. Sic nec poteſt durare, aut viuere, niſi à ſuo primo eſſe ſeu fieri, ad aliquod vltimum eſſe, aut primum non eſſe poſſibile, quamuis nunquam futurum: Nec poteſt coexiſtere, ſeu toto ſuo eſſe ac duratione ſimul adæquate omne tempus poſſibile. Duratio eius, quæ ſolet dici æuũ, ſeu æuiterna, eſt continuatio in eodem eſſe: vita, in eodem primo motu vitali ſuiipſius, ad ſuam perfectionem ex obiecto; nec illa videtur differre realiter ab ipſo eſſe. Singuli habent ſuum æuum proprium: non tam commune, quàm tempus. Nec ſubſunt propriè vlli tempori, ſeu ſucceſſioni continuæ ſuæ ſubſtantiæ, vel vllius actus, niſi forte motus per tempora: ſed cuidam diſcretæ & inſtantaneæ inter plures actus; & quaſi mediæ, intenſionis & remiſſionis eorundem actuum.

Ex *S. Aug.* ſupra ſparſim, & fuſè toto *lib.* 11. *Conf.* de tempore: ſed ad hoc propriè & integrè *lib.* 12. *Ciu.* 15. Cap. 15. *Deum aliquando Dominum non fuiſſe, dicere non audeo, &c.* ſed cùm cogito cuius rei Dominus ſemper fuerit, ſi ſemper creatura non fuit, affirmare aliquid pertimeſco. Infra. *Si dixero ſemper fuiſſe creaturam cuius Dominus eſſet:*

 ſed

Digitized by Google

ſed nunc illam, nunc aliam, ne aliquam Deo coæternam eſſe dicamus, &c. Cauendum eſt ne ſit abſurdum mortalem per vices ſemper fuiſſe, immortalem autem non eſſe cœpiſſe niſi Gen. 1. *Si autem dixero non in tempore creatos eſſe Angelos, ſed ante omnia tempora: quæretur à me vtrum ſemper potuerint eſſe facti. Quomodo non ſemper, cùm omni tempore, & ante omnia tempora: Si hæc à cœlo cœpta ſint, & illi erant ante cœlum? At ſi tempus non à cœlo, ſed ante cœlum fuit in Angelicis motibus: etiam ſic omni tempore fuerunt. Quomodo ergo non coæterni Deo, quomodo creati?* Infra. *Vt dicimus creatum tempus, cùm ſemper fuiſſe dicatur, quia omni tempore fuit, &c. ſic & Angeli etſi ſemper fuerunt, creati ſunt, nec ideo Creatori coæterni. Ille enim ſemper fuit, æternitate immutabili: iſti autem facti ſunt, &c. Ac per hoc etiamſi immortalitas Angelorum non tranſit in tempore, nec præterita eſt quaſi iam non ſit, nec futura quaſi nondum ſit: tamen eorum motus quibus tempora peraguntur ex futuro in præteritum tranſeunt; & ideo Creatori coæterni eſſe non poſſunt. Sed hoc ſi reſpondero, &c. Vereor ne faciliùs iudicer affirmare quod neſcio, quàm docere quod ſcio, &c* Cap. 15. *Promiſit Deus vitam æternam, ante tempora æterna,* Tit. 1. legimus ſæcularia. *Quia prædeſtinatione fixum erat, quod ſuo tempore futurum erat.*

Ex *Alenſi p.* 1. *q.* 12. per. 10. membra *p.* 2. *q.* 13. 14. 19. 90. 91. 92. Ex *S. Bon. in.* 2. *d.* 2. *p.* 1. Scoto *in* 2. *d.* 2. *q.* 1. 2. 3. 4. 5.

Contra. S. Aug. 7. *Gen.* 20. Spiritus creatus mouet ſeipſum per tempus, & per tempus ac locũ corpus: ſpiritus autem Creator, mouet ſeipſum ſine tempore & loco, mouet conditum ſpiritum per tempus ſine loco, mouet corpus per tempus & locum. 12. *Conf.* 11. 13. 15. ſupra, de quadam natura Angelica immutabili. Quæ non conueniunt inter ſe, nec cum creatione Angelorum, *Gen.* 1. ſub nomine cæli ac lucis ſpiritualis.

Alenſis part. 1. *quæſt.* 12. *m.* 9. *art.* 1. *ad* 4. Æuum eſt accidens proprium æuiternorum, vt tempus temporalium. *Art.* 2. *ad* 1. Eſt vnum æuum omnium. Non ſunt plura æua, nec tempora formaliter, ſed materialiter. *Art.* 3. *ad* 2. Æuum eſt propria menſura ſubiectorum & accidentium immutabilium: communis autem mutabiliũ. *Ad* 3. Menſura actus ſpiritualis remiſſioris & intenſioris, eſſet media. *Art.* 4. §. 2. Quod non ſit duratio media inter tempus & æuum propriè, niſi ratione. *Ad* 5. Quibuſdam viſum eſt, inter æuum & tempus ponendum eſſe ſæculum: à ſequela diſcreta inter nunc & nunc, abſque continuatione media temporis, & permanentia æui. *P.* 2. *q.* 13. *m.* 4. Poteſt aliquid à Deo fieri naturæ ex ſe immutabilis actu, non abſolutè. *Infra.* Si quæ habentur ex natura & gratia, eſſent ab initio coniuncta: dicerentur ſecundùm quendam modum naturalia, quæ modò gratuita; & ſic poſſet participari quædam immutabilitas naturalis. *q.* 19. Angeli non ſunt creati ante, ſed ſimul cum primis corporibus, *Gen.* 1. *q.* 44. *m.* 1. Omnia ſimul creata ſunt. *q.* 49. *m.* 1. Creatio naturæ Angelicæ ſignificatur nomine cœli: eius autem illuminatio gratuita, per conuerſionem ad Deum, propriè nomine lucis.

S. Bon. in 2. *d.* 2. *p.* 1. *Art.* 1. *q.* 1. Spiritualia quoad eſſe indefectibilè habent proprium modum ac menſuram durationis æternæ, non autem quoad affectiones variabiles. *q.* 2. Non eſt vnum æuum omnium ſpiritualium, &c. *q.* 3. Spiritualia non habent menſuram ſucceſſiuam quaſi partium ſuccedentium: ſed quandam extenſam & continuatam durationem eiuſdem eſſe continuo dependẽtis à Deo, vt radius à ſole.

Art. 2. *q.* 2. Inter tempus pro menſura ſucceſſionis continuæ ac finitæ, & æuum, eſt medium re: quod dici poteſt ſæculum ſucceſſiuum ſine fine, &c. *d.* 13. *art.* 1. *q.* 1. Lux primæ diei fuit corporalis, &c.

Scotus in 2. *d.* 2. *q.* 1. *n.* 14. Qui vult tenere opinionem *S. Bon.* quæ videtur probabilis: poteſt dicere quòd æuum propriè eſt quantitas diuiſibilis ſucceſſiuè, &c. ibi. *Infra.* Alio modo, quòd idem eſſe abſolutum Angeli manet ſuccedens ſibi ipſi, ſub nouis, & nouis reſpectibus ad ſuam cauſam. *N.* 18. *Contra.* Æuum non eſt quid aliud abſolutũ ab ipſo eſſe Angeli, &c. Poteſt ergo dici quòd nulla eſt neceſſitas ponendi aliquam ſucceſſionem formaliter in Angelo. *q.* 2. Æuum non differt realiter ab ipſo eſſe actuali, nec eſt menſura huius: quia nec poteſt realiter ſeparari, nec eſt quid notius. *q.* 3. Si æuum eſt exiſtentia ipſius Angeli, aut eius menſura intrinſeca: tot ſunt æua Angelica, quot Angeli. Si eſt eius menſura extrinſeca: vel nulla eſt duratiua, ſed tantum quidditatiua; vel æuum ſuperioris, eſt menſura inferiorum, vel ſolius ſupremi omnium. *q.* 4. Actus Angelorum, & quæ non poſſunt habere partes ſuccedentes, menſurantur æuo, non tempore diſcreto: quia plus vel minus durare nõ variat modum ſeu menſurã durandi formaliter. Ad *B. Aug.* 8. *Gen.* 20. Deus mouet Angelum per tempus .i. ad eſſe poſt non eſſe: ſicque omnia alia à Deo, dicuntur temporalia.] Quæ omnia inter ſe, & cum noſtris collata, non conſtant.

Resp. 1. B. Aug. de re ex ſe tam incerta, & dependente à ſola ſecreta Dei voluntate, excogitat multa poſſibilia aut probabilia: non ex ſola fœcũditate ſui ingenij, ſed etiam ex quibuſdam indicijs ſacræ ſcript. *Eccl.* 1. *Sap.* 7. de Sapientia illa primò creata ante omnia ſæcula. Sed videtur ſtare creationi Angelorum cum cœlo & terra, *Gen.* 1. ſub nomine cœli vt continentis Angelos, vel cœli cœlorum, ſeu cœli ſpiritualis vt ſuperioris; & ſub ſua poteſtate continentis totum hunc mundum; & ſub nomine primæ lucis ſpiritualis, vel vt naturæ ex ſe lucidæ, vel vt ex ſe informis, ſed hac luce gratiæ formatæ, & illuminatæ. Motus autem Angeli à Deo per tempus, ſine loco: eſt à non eſſe ad eſſe, vt rectè *Scotus* ſupra. Motus eius à ſeipſo per tempus ſine loco, eſt à non actu, vel ab vno ad alium. Motus corporis ſiue proprij, ſiue aſſumpti, ſiue alterius, eſt per locum & tempus, ideſt ſucceſſiuus tempore & loco. Sed de motu locali infra. Quod autem de poſſibili natura ſpirituali quaſi ex ſe immutabili: optimè reſumit, & explicat noſter *Al. p.* 2. *q.* 13. *m.* 4. nec vllo verbo diſſonat *B. Aug.*

S. Bon. Non vult Angelos habere modum æternitatis Deo proprium, ſed ſibi proprium, & Deo ſimi-

ſimilem in æternum. Nec negat æuum commune contra *Alenſem*: ſed non tam propriè ac tempus, vt ipſe *Al.* Nec tribuit intrinſecè ſucceſſionem ipſi durationi naturæ Angelicæ, nec eius conſeruationi: ſed varijs eorum actibus inter ſe; vel ſolùm extrinſecè, ſeu reſpectiuè ad extrinſeca ſucceſſiua. Nec diſſentit ab *Alenſi* de ſeculo, vt medio inter æuum & tempus: ſed *Al.* refert ſenſum quorundam de ſeculo vt diſcreto poſt æternitatem, non quaſi cum illa continuò; *S.Bon.* ſuum & aliorum ſenſum, de ſeculo ſucceſſiuo ſine fine, nec tamen vt continuo, contra *Al.* Nec denique negat contra *Aug.* & *Al.* luce primæ diei poſſe propriè ſignificari naturam Angelicam: ſed non ſenſu communi.

Nec *Scotus* improbat opinionem *S. Bon.* ſed conijcit duos eius ſenſus, & tandem incidit in ipſum ſenſum *S. Bon.* qui cùm profiteatur continuam & eſſentialem dependentiam creaturæ à Deo in eſſe: non poteſt cenſere eam in eodem eſſe variari, niſi reſpectiuè ad alia coexiſtentia ſucceſſiuè. Hinc ea comparat dependentiæ radiorum à ſole: quæ ſi varietur, erunt alij radij; ſi non, erunt ijdem.

3. *De Intellectu Angelorum.*

QVamuis Angeli habeant plures potentias, inter ſe & ab eſſentia ſua nonniſi formaliter, ſed ab actibus ſuis realiter diſtinctas: dicuntur tamen *Intelligentiæ*; non ab vllo actu eſſentiali, nec à ſola natura intellectuali, aut potentia remota, ſed proxima; imò & à neceſſaria cognitione naturali, actuali, continua, & euidenti naturæ propriæ, ex eius intima præſentia reali & obiectiua; ſed diſcreta & ſucceſſiua omnium ſibi coexiſtentium, plurium vel pauciorum ſimul, ex eorum ſufficienti præſentia vel facili approximatione; abſtractiua autem, omnium poſſibilium, imò & ipſius Dei, per ſpecies diſtinctas, concreatas quaſi connaturales, & acquiſitas ex cauſis, effectibus, & ſimilibus, actu ſimplici collatiuo, vel illatiuo. Quas ſpecies, imò & notitias actuales poſſunt ſibi inuicem dicendo imprimere.

Ex *B. Aug.* 12. *Conf.* 1. & 4. *in Gen.* 11. *Ciu.* & alibi ſæpè, de creatione lucis Angelicæ, eorumque cognitione matutina, diurna, & veſpertina, à 1. inſtanti ſuæ creationis. Vt patet ex 4. *Gen.* 29. Simul habent Angeli & diem, & veſperam & mane. *Cap.* 30. Ibi ſemper eſt dies, in contemplatione incommutabilis veritatis: ſemper veſpera, in cognitione creaturæ in ſeipſa; ſemper manè, ex hac etiam cognitione in laudē Creatoris, &c. ſuprà *Libro* 10. *de Trin.* 3. Non poteſt mens omninò neſcire ſe, &c. *Cap.* 4. Sicut tota mens eſt: ſic totam ſe nouit. *Cap.* 5. Vt quid ei præceptum eſt vt ſeipſam cognoſcat? Credo vt ſeipſam cogitet, & ſecundùm mentem ſuam viuat, &c. *Cap.* 9. Cùm dicitur menti, cognoſce teipſam: eo ictu quo intelligit, *teipſam*, cognoſcit ſeipſam; nec ob aliud quàm eo quo ſibi præſens eſt, &c.] Quæ quidem de potentia proxima mentis humanæ, ad cognitionem ſui ipſius: ſed de cognitione actuali mentis Angelicæ, vt independentis ab omni alia conditione.

Ex *Alenſi* P. 2. *q.* 21. 22. 23. 24. 25. 26. S. Bon. *in* 2. *d.* 3. P. 2. *Art.* 2. P. 4. *Art.* 3. *d.* 7. P. 2. *Art.* 1. Scoto *in* 2. *d.* 3. *q.* 8. 9. 10. 11. *d.* 4. 5. 9.

CONTRA. *B. Aug.* ſupra, cenſet cognitionem matutinam & diurnam eſſe in Verbo ſeu Eſſentia Dei, vt viſâ: Ergo non poteſt eſſe naturalis. Cenſet Angelos bonos ſimul creatos, & formatos ſeu illuminatos conuerſione ad Deum vt lucem æternam: dæmones autem ab ea auerſos fuiſſe, & hinc obtenebratos, ſicque diſtinctam lucem ſpiritualem à tenebris. Vt 11. *Ciu.* 11. Simul vt facti ſunt Angeli, lux facti ſunt, vt ſapienter beateq; viuerent, &c. Ab hac illuminatione quidam auerſi, &c. *Lib.* 12. *Cap.* 9. Deus erat *ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*, illius etiam illuminationis. 4. *in Gen.* 22. 23. 24. Angelos præcognouiſſe creanda, in verbo. *Pius* 5. & *Greg.* cenſurant hanc prop. 9. ex Bayanis: *Dona conceſſa homini & Angelo forſitan poſſunt dici gratia, &c.* quaſi propriè non eſſent.

Alenſis q. 21. *m.* 2. Potentia Angeli non eſt ſemper in actu coæuo. *q.* 22. *m.* 2. Intellectus Angelicus non eſt propriæ rationalis, à ratiocinando, &c. ibi. *m.* 3. Non eſt Agens & Poſſibilis, vt humanus, &c. *m.* 4. Non eſt practicus, à praxi diſcenda. *Q.* 23. *m.* 2. Cognitio matutina Angelorum non eſt naturalis: ſed veſpertina, &c. ibi. *m.* 5. Cognitio matutina eſt etiam ipſius Verbi. *m.* 6. Veſpertina eſt etiam ex quadam illuminatione Dei. *q.* 24. *m.* 1. Angelus cognoſcit Deum ſine medio ex parte Dei, ſed ex parte ſui, &c. *m.* 2. In Angelo eſt natura dandi & recipiendi ab alio formas intelligibiles, &c. Non ſufficit Angeli præſentia, ſed requiritur conuerſio ipſius cognoſcentis ſupra cognitum, accipiendo eius ſimilitudinem. *Ad* 2. Non poteſt agere par in parem, &c. ibi. *q.* 26. *m.* 2. De cognitione Angelica ſingularium quantumuis diſtantium. *m.* 6. Quaſi cognitio humana non poſſit eſſe in inſtanti, ſed Angelica. *Q.* 27. *m.* 3. Locutio Angelica eſt communicatio intelligentiæ, dando alteri eius ſimilitudinem. *m.* 7. Loquens per gratiam poteſt conuertere audientem ad attentionem: non loquens per naturam. *Ad* 2. Diſtantia localis nihil facit ad hanc locutionem extra corpora. *q.* 38. *m.* 3. Reuelant inter ſe, per communicationem ſpeciei intelligibilis. *q.* 40. *m.* 4. Poſſunt excitare intellectum noſtrum per ſpecies impreſſas phantaſiæ, vel proprias viſiones intellectui noſtro immediatè communicatas, &c.

S. Bon. diſt. 3. *p.* 2. *Art.* 2. *q.* 1. Angeli non cognoſcunt ſingularia & contingentia niſi ex ſpeciebus concreatis vniuerſalium & neceſſariorum &c. ibi. *Diſt.* 4. *Art.* 3. *q.* 1. Non habuerunt 1. inſtanti cognitionem matutinam: quia hæc eſt in ipſo Verbo viſo. *Ad B. Aug.* Dicit Angelos cognouiſſe res faciendas in Verbo, per aliquam illuminationem, non per viſionem ipſius Verbi. *Diſt.* 7. *p.* 2. In Dæmones non cadit obliuio quoad habitum, ſed quoad actum. *Diſt.* 10. *Art.* 4. *q.* 1. Locutio Angelica, vltra verbum ſeu cogitationem,

Digitized by Google

nem, dicit reſpectum ad alterum, & directionem propriæ ſpeciei intelligibilis ad alterum, in diſtantia finita. *Ad* 5. Loqui Angeli, non eſt influere in alterum, nec imprimere alteri ſuam ſpeciem: ſed eſt potiùs excitare alterum ad eam in ſeipſo exprimendum.

Scotus in 2. *diſt*. 3. *q*. 8. Angelus poteſt intelligere ſe per ſuam eſſentiam, vt obiectum, &c. ibi. *Quæſt*. 9. Non poteſt Angelus ex puris naturalibus cognoſcere Deum intuitiuè: ſed abſtractiuè, per ſpeciem diſtinctè repræſentantem eſſentiam Dei, ſed concreatam, &c. *Quæſt*. 10. Angelus cognoſcit abſtractiuè omnes quidditates, per earum proprias & diſtinctas ſpecies: ſed intuitiuè, per res ipſas præſentes. *Quæſt*. 11. Angelus poteſt proficere accipiendo notitiam actualem à rebus ſingularibus, per earum ſpecies acquiſitas, &c. *Diſt*. 9. *q*. 1. Angel' ſuperior illuminat inferiorē, loquendo, ſeu exprimēdo ei aliquod verū reuelatū: *Quæſt*. 2. Angelus loquitur alteri, cauſando in eo immediatè conceptum illius obiecti de quo loquitur. 1. Quia poteſt hunc in ſeipſo cauſare: ergo & in altero capaci. 2. Poteſt vnus videre alterum diſtantem: ergo & influere ſui cognitionem alteri. Nec hæc vis eſt limitata ad præſentiam immediatam, nec illimitata ad quantumuis diſtantiam, &c. Angelus loquens poteſt cauſare in audiente vt ſubiecto, vel actum ſolum expreſſum ex memoria ſeu obiecto & intellectione loquentis, vel ſolam ſpeciem, vel actum & ſpeciem ſimul.

Ad 1. *Arg*. Non videtur Angelus ſola ſua voluntate poſſe occultare aut reuelare ſuam intellectionē vel volitionem potiùs quàm eſſentiam, &c. *Ad* 3. Habet & Intellectum Agentem & Poſſibilem, &c. ibi. *Diſt*. 11. *q. vnica* Angelus non poteſt vt cauſa totalis nobis imprimere vllam intellectionem actualem, nec ſpeciem intelligilem: ob dependentiam noſtram à phantaſmatibus, &c.] Quorum multa videntur inter ſe, & à ratione valdè aliena. Vt de ſpecie diſtincta eſſentiæ diuinæ: cùm hæc ſit obiectum voluntarium, & ſupernaturaliſſimum. De productione ipſius actus intelligendi in alieno intellectu: cùm ſit actus immanens ſuo principio, & vitalis.

Resp. Vt *B. Aug. in Pſal*. 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: & in *Ioan*. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c. docet *lib*. 1. *de pecc. meritis & remiſſ. cap*. 25. & alibi, variè intelligi poſſe. 1. De ipſo lumine naturali animæ rationalis. 2. De lumine gratiæ. 3. Gloriæ. Indeq; & ex *Matt*. 13. Vnus eſt Magiſter veſter in cœlo: monet omnem veritatem potiùs diſcendam eſſe ex conuerſione animi ad primam Veritatem nobis prælucentem, quàm ad vllum Magiſtrum docentem, vel ad aliud obiectum: vt patet ex toto *lib. de Magiſtro*, *lib*. 2. *De libero Arb. lib*. 3. *cap*. 25. *lib. De vera Relig. cap*. 34. 35. *lib*. 8. *De Trin. cap*. 2. & 3. *Epiſt*. 72. 73. 218. & *alibi*, &c. Sic & illuminatio Angelorum poteſt intelligi. 1. De creatione lucidæ illius naturæ intellectualis, ſub nomine primæ lucis creatæ. 2. De illuminatione gratiæ, ſaltem actualis, tam præuenientis, quàm comitantis & conſequentis conuerſionem Angelorum Bonorum, a ſtatu ſuo naturali, ad contemplandum Deum vt lucem ſuam originalem, & ſeipſos ac reliqua in Deo: Malorum autem, ad contemplandos potiùs ſeipſos, & omnia in ſeipſis. Vnde boni profecerunt in cognitione & amore Dei præ ſeipſis, & omnium in Deo: Mali autem, defecerunt ab illa luce ac illuminatione gratiæ, ad nimiam ſui complacentiam tandem præ Deo ipſo, & hinc ad tenebras ignorātiæ ac erroris circa ſeipſos, & alia ad ſe. 3. De illuminatione beatifica Bonorum, viſione intuitiua Verbi ſeu eſſentiæ Diuinæ, & matutina ſeu diurna omnium obiectorum ſecundariorum, ex ipſo Verbo viſo. Ex qua diſtinctione facilè cointelligitur tota hæc Doctrina B. *Aug*. Cenſura *Pij* 5. & *Greg*. 13. eſt tantùm contra negantes vlla dona Dei dici propriè gratiam ex vſu ſacræ ſcript. niſi dentur indignis ſeu peccatoribus. Vt infra de prima gratia Adami.

Ad Al. q. 21. *m*. 2. Negat actum coæuum Angelo: vt concreatum, vel vt prorſus inuariabilem; non autem vt neceſſarium & continuum, ſed intenſiorem, aut remiſſiorem. *Quæſt*. 22. *m*. 2. Non negat omnem ratiocinationem Angelorum, ſed moroſam inquiſitionem. *m*. 3. Non negat eis intellectum Agentem & Poſſibilem: ſed vt humanum, dependenter à ſenſibilibus, & phantaſmatibus. *m*. 4. Non negat eis experientiam; ſed praxim, ad faciliùs operandum. *Quæſt*. 23. Non negat omnem matutinam vel diurnam cognitionem Verbi, ſeu Eſſentiæ diuinæ, & omnium creandorum, ex aliqua reuelatione, ante ipſam viſionem beatificam. *Quæſt*. 24. *m*. 1. Non negat ſpeciem diſtinctam Dei ante beatificationem Angelorum, vt medium neceſſarium Angelis ad perfectiorem Dei cognitionem quàm nos: ſed vt medium ipſi Deo neceſſarium ad ſe manifeſtandum: cùm ſit ipſe lux manifeſta, manifeſtans ſe & quicquid vult, mediatè & immediatè.

M. 2. Non exigit ſpeciem vltra præſentiam intimam. *m*. 2. *ad* 2. ſe ſatis explicat. *q*. 26. De cognitione humana naturali. *quæſt*. 24. *m*. 2. & *quæſt*. 27. *M*. 6. Per vim illam loquendi & imprimendi alijs ſpeciem ſui, aut ſuæ cognitionis, vel obiecti: non negat vim imprimendi actum ſuo ſimilem. *m*. 7. Non negat hanc vim loquendi ſeu imprimendi eſſe finitam, & à Deo limitatam ad certam diſtantiam: ſed negat ex ſe dependere à diſtantia vel propinquitate locali. *q*. 38. 39. 40. Non negat Angelos poſſe nobis imprimere viſiones actuales & intellectuales, niſi ob ſtatum noſtrum præſentem. Imò *m*. 4. ſatis indicat poſſe.

Ad S. Bon. diſt. 3. Non negat poſſe, imò nec acquiri ſpecies ſingularium & contingentium, ad horum memoriam: ſed ad primam cognitionem; quia poſſunt cognoſci per eorum præſentiam & experientiam. *Diſt*. 4. Non negat, ſed diſtinguit cognitionem beatam Verbi, & aliorum in Verbo: à præcognitione per aliquam illuminationem; vt nos ſupra. *Diſt*. 7. Non tribuit dæmonibus obliuionem actualem ſui ipſorum, ſed aliorum à ſe. *Diſt*. 10. Negat influentiam ſuæ propriæ ſpeciei aut actus: non autem alicuius ſimilis; ad exprimendam etiam actiuè ſpeciem aut actum proprium ex illo impreſſo.

Ad

Ad Scotum. Cùm viſio beata à nobis etiam actiuè elicita, poſſit nobis Deum clarè repræſentare: cur non diſtinctè, ſpecies aliqua à ſolo Deo creabilis? Curque hæc non fuerit ſaltem Angelis perfectioribus concreata, ad perfectiorem Dei cognitionem quàm nos, vel etiam quàm Angeli inferiores? Nec enim hæc ſpecies aut cognitio elicita fuiſſet purè naturalis, vel non potuiſſet inde elici cognitio ſupernaturalis Sanctæ Trinitatis. Nec fuiſſet perfectior ipſo Angelo in eſſendo: ſed in repræſentando Deum formaliter. Videturque ſupponi à B. Aug. ad illam perfectam contemplationem & amorem Dei ab aliquibus ſaltem Angelis, ante viſionem beatificam.

Vis autem Angelica loquendi per impreſſionem ipſius cognitionis actualis in audiente capaci, eſt participatio & repræſentatio Dictionis Verbi Diuini à Deo Patre. De qua in 1. Quamuis enim hæc ſit intra eandem Eſſentiam ſingularem: eſt tamen inter Perſonas realiter diſtinctas. Nec eſt de eſſentia actus immanentis, vitalis, aut vllius formæ abſolutæ, dependere ab vllo ſubiecto, aut cauſa 2. ſed à ſola 1. immediatè: quantò minùs ab hoc vel illo ſubiecto? Minimè autem ab eodem ſubiecto & principio quo; ſed à ſolo capaci talis actus? Cùm tamẽ hi actus neceſſariò dependeant à Deo, ab obiecto, vel eius ſpecie ſiue coinhærente, ſiue tantùm intimè coexiſtente, à potentia ex ſeipſa vel ſibi ſimili eliciente, & fortè ab alia imperante, & adiuuante. Sed vt habeant ſuum formalem effectum vitalem, afficiendo vitaliter ſubiectum ſuo obiecto: videtur neceſſaria quædam conuerſio, attentio, vel intentio ſubiecti ad obiectum: non tam influendo cauſaliter in actum, quàm ipſo actu formaliter & vitaliter in obiectum. Vt ſupra ex *Alenſi, &c.*

De Voluntate, & Libertate Angelorum.

Libertas vt perfectio ſimpliciter, & à Deo participata, eſt priùs & potiùs in operando circa obiectum, quàm agendo intra vel extra ſe, actum vel effectum. Omnis & ſola voluntas, vt operatiua, volendo aut nolendo actum proprium circa obiectum: eſt æquè formaliter & eſſentialiter libera à coactione, à naturali neceſſitate, imò & ab ipſa Dei determinatione formali. Sed vt eſt actiua & paſſiua: ſola voluntas Dei eſt libera ab omni actione & paſſione intra ſe, & ab omni dependentia ad vllum actum & effectum extra ſe. Quæuis voluntas creata hoc ipſo quo finita & ex nihilo, eſt defectibilis in eſſendo & operando realiter & moraliter: dependetque eſſentialiter à ſola diuina, ad quemuis actum & effectum recipiendum & agendum, ſalua ſua libertate eſſentiali, imò & contingentiæ. Voluntas Angelica eſt perfectior & liberior humanâ: non eſſentialiter, ſed actiuè, ſeu libertate indifferentiæ & contingentiæ ad actus & effectus ſuos naturales, non ad ſupernaturales; quia nec mouetur ab appetitu ſenſitiuo, nec vllo obiecto extra vel intra ſe, nec tam varijs habitibus & paſſionibus quàm noſtra; ſed proprio, promptiori, & firmiori, imò & fortè irreuocabili arbitrio circa ſuum finem, non media, deliberat, reſoluit, & determinat ſe ad ſua obiecta, actus, & effectus; non tantùm quoad eorum ſpeciem & exercitium, ſed fortè ad certum gradum intenſionis & remiſſionis, non vſque ad atomum ſingularitatis.

Ex *B. Aug. lib. 1. De libero arb. cap. 12.* Quid tam in voluntate quàm ipſa voluntas ſita eſt? *Infra.* Nihil aliud ei quàm ipſum velle eſt habere quod vult. *Lib. 3. cap. 3.* Non poſſes aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cùm volumus facimus. Quapropter nihil tam in noſtra poteſtate quàm ipſa voluntas eſt: ea enim prorſus mox vt volumus præſtò eſt. *Infra.* Non negare poſſumus habere nos poteſtatem, niſi cùm nobis quòd volumus deeſt: dum autem volumus, ſi ipſa voluntas deeſt nobis, non vtique volumus. Quod ſi fieri non poteſt, vt dum volumus non velimus: adeſt vtique voluntas volentibus, nec aliud quicquam eſt in poteſtate niſi quod volentibus adeſt. Voluntas igitur noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate: porrò quia eſt in noſtra poteſtate, libera eſt nobis. 1. *Retr. 22.* Cùm hoc ſit in poteſtate quòd cùm volumus facimus: nihil tam in poteſtate quàm ipſa voluntas eſt. *q. 8. ex 83.* Moueri per ſe animam ſentit, qui ſentit in ſe eſſe voluntatem. Nam ſi volumus, non alius de nobis vult: & iſte motus animæ ſpontaneus eſt, &c. 2. *Retr.* 1. Quamuis ſit in cuiuſque poteſtate quid velit: non eſt tamen in cuiuſquam poteſtate quid poſſit. Quia non dicimus eſſe in poteſtate noſtra, niſi quòd cùm volumus fit: vbi priùs & maximè eſt ipſum velle. Sine vllo quippe interuallo temporis præſtò eſt voluntas ipſa cùm volumus, &c. 5. *Ciu. 10.* Si neceſſitas noſtra eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate: manifeſtum eſt voluntates noſtras ſub tali neceſſitate non eſſe, &c. Multa enim facimus quæ ſi nollemus non faceremus. Quòd primitùs pertinet & ipſum velle: nam ſi volumus eſt, ſi nolumus non eſt, non enim vellemus ſi nollemus. Si autem non neceſſitas eſt vt ita ſit vel fiat: cur timeamus ne nobis libertatem auferat. Neque enim vitam Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus neceſſe eſt Deum ſemper viuere, &c. Sic etiam neceſſe eſt vt cùm volumus libero velimus arbitrio, &c. Sunt igitur noſtræ voluntates, & faciunt quicquid volendo facimus, &c. Nam ſi voluntas non poſſet quod vellet: nec ſic niſi voluntas eſſet; nec alterius, ſed eius eſſet qui vellet, &c. Non ergo nihil eſt in noſtra voluntate, quia Deus præſciuit, &c. Non enim nihil præſciuit, &c. vt ſupra. *Lib. De ſpiritu & littera, cap. 31.* Si ſubtiliùs aduertamus, etiam quòd quiſque inuitus facere cogitur, ſi facit, voluntate facit: ſed quia mallet aliud, ideo inuitus, hoc eſt nolens facere dicitur. *Infra.* Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit.] Præter ea quæ latiùs infra Quæſt. De libertate humanâ, ex omnibus libris B. Aug. contra Manichæos & Pelagianos.

Ex Alenſi *p. 1. q. 24. 27. 28. 35. 36. 40. P. 2. q. 13. Sed ex profeſſo q. 29. q. 30. q. 31. Ex profeſſo q. 72. 73. 74. 75. 118. P. 3. q. 1. m. 2. q. 15. De voluntate humana Chriſti. P. 4. q. 55.*

Digitized by Google

Ex S. Bon. in 1. *d.* 8. *art.* 2. *Diſt.* 38. 40. 45. 46. 47. *In* 2. *Diſt.* 3. *p.* 2. *Diſt.* 7. *p.* 1. *Diſt.* 24. *Art.* 1. *Diſt.* 25. *ex profeſſo.*

Ex Scoto in 1. *diſt.* 1. *q.* 4. *diſt.* 8. *q.* 5. *d.* 13. *d.* 39. *ex profeſſo. Diſt.* 44. 45. 46. *In* 2. *diſt.* 7. 23. 25. 37. *q.* 2. *ex profeſſo. d.* 44. *In* 3. *d.* 17. *& alibi ſparſim.*

CONTRA. *B. Aug.* 12. *Conf.* 7. 11. 15. *& alibi.* ſupponit poſſe, aut etiam eſſe aliquos Angelos creatos impeccabiles, ex connaturali contemplatione & amore Dei. *Libris de libero arb. De vera relig. De duabus anim. Ad ſecundinum* & alibi ſæpè proclamat aliam communem libertatem indifferentiæ & contingentiæ. De qua *lib. de duabus anim. cap.* 11. Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſti in Scholis, & Antiſtites in locis ſacris, & in orbe terrarum genus humanum?

Alenſis p. 1. *q.* 46. *m.* 7. *p.* 2. *q.* 30. 31. *p.* 3. *q.* 15. De voluntate vt natura, & vt libera. *P.* 2. *q.* 13. *m.* 4. De poſſibili creatura rationali natura impeccabili. *q.* 20. *m.* 5. *q.* 29. *m.* 1. *P.* 2. *q.* 1. *P.* 4. *q.* 55. De Irreuocabili voluntate Angelorum. *P.* 2. *m.* 1. *Art.* 7. Negat vllum actum poſſe eſſe à creatura 1. ſuo inſtãti *q.* 7. 4. *m.* 1. Libertas nõ eſt vniuoca ſed analoga ad Deum & creaturas: cum ex *q.* 29. *m.* 1. *art.* 5. quæuis voluntas ſit æquè libera à coactione. *q.* 74. Voluntas non poteſt cogi: cùm tamen poſſit ei à Deo infundi actus volendi & nolendi.

S. Bon. in 2. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. Concedit Angelum potuiſſe operari primo inſtanti, ſed non peccare: contra *Al.* ſupra, & *Scotum* infra.

Diſt. 25. *Art.* 1. *q.* 3. *ad* 5. Actus liberi Arbitrij eſt conſenſus, ſeu concordia rationis & voluntatis: & electio, ſeu iudicium rationis, & appetitus voluntatis. *Ad* 6. Libertas eſt rationis & voluntatis coniunctim. *q.* 5. Liberum Arb. non poſſe à Deo cogi, ſtante, ſed ablata libertate.] Vbi videtur poſſe auferri libertatem voluntati: non ſolum quoad vſum vt *q.* 6. ſed etiam quoad potentiam.

Scotus in 1. *d.* 1. *q.* 4. *Art.* 1. Voluntas non neceſſariò fruitur, nec Deo clare viſo. *Diſt.* 8. *q.* 5. *n.* 23. Statuit ipſam libertatem Dei in ſua indeterminatione, & vi actiua determinandi ſe ad diſparata, contraria, & contradictoria, abſq; vlla in ſeipſo mutatione vel contingentia, ſed in ſuis effectibus: ergo & libertas participata debet eſſe ſuo modo ſimilis. *Diſt.* 39. De libertate noſtra, & Diuina: quòd noſtra vt eſt ad obiecta oppoſita, & effectus oppoſitos, ſit perfectionis, ſed vt eſt etiam ad actus noſtros etiam oppoſitos, ſit imperfectionis: libertas autẽ Dei non ſit ad actus ſuos, ſed ad obiecta, & effectus. Ergo videtur ſtatuere noſtram libertatem ad actus proprios, etiam oppoſitos: contra *Aug. Alenſ.* S. *Bon.* & ſeipſum alibi ſæpè, de noſtra libertate quamuis neceſſariò determinata ad vnum. *In* 2. *d.* 23. *q. vnica.* Intellectus & Amor Dei creatus, eſt etiam ex nihilo: nec tamen poteſt deficere ad peccatum. *Infra.* Teneo id magis propter authoritates. *Infra.* Si voluntas poſſet velle primo inſtanti: non video quin & tunc poteſt peccare. *In* 3. *d.* 17. Negat voluntatem poſſe eſſe naturam, aut naturalem: niſi vt opponitur ſupernaturali, vel ſecundùm inclinationem naturalem.

Quæſt. 16. *quodlib Art.* 2. Libertas ſtat cum neceſſitate volendi. *Art.* 3. Voluntas nunquam eſt actiua naturaliter, &c. Non plus poteſt agere naturaliter, quàm natura liberè. Contra *Al.* ſupra.

RESP. *Ad* 1. *B. Aug.* ex ipſo doctore noſtro ſubtili in 2. *Diſt.* 23. Voluntatem non poſſe fieri natura ſua impeccabilem: quia vt *B. Aug.* 3. *contra Max.* 12. Cuicumque rationali creaturæ præſtatur vt peccare non poſſit: non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ.] Quam authoritatem & S. Hier. ac Anſelm. præfert quidem rationi: non tamen hanc improbat in ſenſu *B. Aug.* Qui eſt, quod voluntas hoc ipſo quo creata eſt ex nihilo, & finita, ſubeſt volũtati Dei vt ſuæ primæ, Regulæ, & ab ea infinitè differt perfectione eſſendi & operandi realiter & moraliter: ergo ex ſe ſeu naturâ ſua poteſt deficere in eſſendo, & vtroque modo operando, ad priuationem eſſendi, & vtroque modo operandi. Nec vt conſeruatio in eſſe, & primus motus ac cooperatio ad operãdum realiter, eſt ei connaturalis, quia alioquin fruſtra eſſet: ſic & præmotio & concurſus ad ſemper rectè etiã moraliter operandum, ſeu prouidentia Dei ſpecialis ne vnquam deficiat à ſua regula & perfectione morali operandi, eſt ei connaturalis, ſeu ex ſua natura aut conſequenter à Deo vt authore naturæ debita, ſed gratuita; quia nec ſic fruſtra eſſet aut poſſet operari, nec Deus vt author naturæ debet cauſis ſecundis alium motum aut prouidentiam quam ſecundum ſuam vim agendi. Quæ cum in voluntate humana ſit defectibilis moraliter, & defectibiliter libera: poteſt Deus ordinatè eã relinquere ſuo proprio motui & defectibilitati, ac defectui morali. Cũ ipſa moralis perfectio ſit etiam ordinata ſupra perfectionem naturæ. Nec obſtat quod *Scotus* ait: *Hæ rationes non concludunt, &c. Dico ergo, &c.* Quia hæc tantũ vt ſolet, pro & cõtra, ante reſolutionem *quæſt.* Nec fortè amor Dei habitualis eſt ex ſe indefectibilis in operãdo, ſine gratia actuali: aut defectus moralis non eſt ipſius habitus, ſed ſolius potentiæ liberæ.

Vnde meritò *Scotus* ſubdit: *Dico ergo quod omnis creatura vt eſt ex nihilo, poſſit deficere in nihilum eſſendi, & operandi: ſed non culpabiliter.* Non quaſi corrigens, ſed explicans hanc rationem *B. Aug.* à creatione ex nihilo, ad deficientiam eſſendi & operandi, realiter vel moraliter, pro vt cauſa 2. eſt naturalis, vel moralis. Nec etiam obſtat quòd poſt reſolutionem quæſtionis, & authoritates ac rationes, ſubdat: *Teneo igitur hoc magis propter authoritates.* Quia hæ ipſæ rationes ſunt authoriſatæ à *SS. Aug. Hier. Anſelmo* ibidem: & infra optimè propugnantur ab ipſo Scoto, contra prima Argumenta ad *quæſtionem.*

Ad 2. *B. Aug. Reſp.* ex noſtro comment. in *Librum* 3. *de libero Arbitrio cap.* 3. *& in librũ contra Secundinum cap.* 19. Hæc doctrina *B. Auguſt.* plurimum fauet illi philoſophiæ ac Theologiæ Scholaſticæ, quæ ex ipſo *Ariſt.* diuidit 1. cauſas in naturales ſeu neceſſarias neceſſitate naturali, & à *Propoſito*, ſeu liberas ab illa neceſſitate. Quæ ſit autem

Digitized by Google

autem illa neceſſitas, & hæc ab ea libertas, diſcernendum eſt ex modo quodam operandi proprio & communi omnium cauſarum naturalium; eique oppoſito modo proprio ac communi omnium voluntatum. Quarum prima, ſeu Dinina, à qua omnis voluntas ac libertas participatur, non eſt libera ad producendum in ſeipſa ſuum actum proprium volendi : ſed fortè ad ſpirandum Spirituum Sanctum; ſine dubio autem, ad volendum & agendum extrà ſe. Ergo libertas prima & communis non conſiſtit in producendo actu proprio volendi vel nolendi : imò nec tam in agendo vel non agendo extra ſe actu proprio volendi aut nolendi, quàm in oper.ndo ſeu volendo aut nolendo obiectum, vel ipſum actum proprium & effectum, vt obiectum. Nam & actus ipſe volendi aut nolendi, & effectus eius eſt etiam obiectum directè vel reflexè volitũ. Voluntas enim volens aut nolens aliquod obiectum vel effectum, vult ſe velle aut nolle, ſeu ſuum proprium actum volendi aut nolendi : non actu aliquo priore in infinitum; ſed tandem eodem actu ſupra ſeipſum reflexo. Qui modus operandi, volendo ſuum actum proprium volendi aut nolendi : videtur eſſe proprius, imò & eſſentialis ſoli & omni voluntati, oppoſitus modo naturali omnium agentium, & intentus à B. *Aug.* ſupra. Quid enim aliud eſt *habere in poteſtate quod cùm volumus facimus: quorum primum eſt ipſum velle, &c*? Non quaſi illud producendo, ſed volendo & nolendo : quod ipſum eſt quoddam facere ſeu operari formaliter. Quid eſt aliud voluntatem volendo aut nolendo ſeipſam ita mouere, & per ſe moueri : vt non poſſit aliunde velle, nec alius inde? Niſi formaliter & vitaliter circa obiectũ: cùm cauſaliter & finaliter ab extra moueatur, & extra ſe moueat. Sed, vt optimè *B. Aug. contra Secundinum*, & alibi ſæpe; quamuis voluntas non poſſit ſeipſam mouere niſi circa aliquod obiectum cognitum : non mouetur tamen ab eo niſi metaphoricè & finaliter, quaſi alliciendo ad ſe, vel auertendo à ſe. Nec mouetur in nobis à corpore ſeu appetitu ſenſitiuo, niſi ſympaticè : nec ab vllo habitu aut paſſione, niſi inclinatiuè; ſed ipſa ſola ſeipſam mouet formaliter, volendo aut nolendo obiectum; ſola autem ſub Deo cauſaliter, & moraliter ſeu obiectiuè præ omnibus aliis obiectis, ſeu bonis ſibi extrinſecis, cùm ipſa ſibiipſi & ſuis actibus præ omnibus afficiatur. Hinc non mouetur nec mouet ſe efficaciter ad vllum obiectum vel affectum, niſi vt præcognitum à ſe volibile, volitum, aut volendum : ſicque obiectiuè affectum ſuo proprio actu vt poſſibili, præterito, vel futuro, ſeu quodam ordine ad illum. In quo fundatur libertas eius eſſentialis, ſeu proprius modus operandi, volendo ſe velle, ſeu proprium actum circa obiectum : ideoque meritò ei imputatur velle proprium, non iam quia ab ea elicitum, quàm ab ea volitum. Quòd ſi etiam ex deliberatione, & poteſtate ſeu libertate indifferentiæ & contingentiæ, inter diſparata, contraria, & contradictoria : tantò imputabilius eſt.

Ad Al. Diſtinguit voluntatem vt naturam ante omnem cognitionem obiecti, à ſeipſa vt proximè libera eſt, imò vt & electiuè libera eſt cognito obiecto tali. Vt patet ex ipſis locis citatis. Satis autem explicat loco citato quo ſenſu talis creatura rationalis dici poſſet immutabilis ex ſua natura .i. in ſenſu *B. Aug.* quo natura dicitur à prima rei inſtitutione, non autem vt opponitur ſupernaturali, nec libero. Hinc nec *Alen.* vocat talem naturam ſimpliciter, ſed (inquit) *ſecundùm quendam modum.* De quo ſub *quæſt.* De natura & naturalibus *Adami.* Nec vult Angelorum voluntatem eſſe ex natura ſua irreuocabilem : ſed ex congrua & merita confirmatione in bono per gratiam, vel priuatione gratiæ neceſſariæ ad reuocationem abſolutam; vt patet ex locis citatis. Vel vult Angelos iam deliberatè velle finem : vt non poſſit eis naturaliter occurrere nouum motiuum ſufficiens volendi alium finem, ſed varia media ad illum. Non negat Angelum poſſe operari primo ſuo inſtanti : ſed actum perfici, & eſſe eodem inſtanti. Non quaſi neceſſariò fiat ſucceſſiuè : ſed quia cauſa eſt neceſſariò prior ſuo effectu; non ſolùm natura, ſed etiam proprio æuo, ſeu primo ac permanente inſtanti diſcreto, quamuis ſub eodem inſtanti temporis. Negat libertatem eſſe vniuocam ad Deum & creaturas: vt ſupra Col. 217. Nec fortè hìc vult omnem voluntatem eſſe æquè liberam à coactione, ac eſt ipſa diuina. Non quòd vlla cogi poſſit, etiam à Deo ad volendum aut nolendum, niſi velit aut nolit : ſed quod poſſit ei à Deo infundi *actus* volendi aut nolendi, etiam contra propriam inclinationem.

Ad S. Bon. Concedit Angelum potuiſſe operari primo ſuo inſtanti : non autem *actum* perfici & eſſe eodem inſtanti, contra *Al.* ſupra. Negat autem potuiſſe primo inſtanti peccare : ex *perfecta* deliberatione, & libertate contingentiæ. Non vult liberum Arb. eſſe intellectus & voluntatis, æqualiter, nec formaliter, ſed comitanter. Nec vult conſenſum ipſius voluntatis eſſe neceſſariò cum aliquo iudicio, ſed cognitione rationis. Nec denique cenſet volũtatem priuari poſſe ſua libertate eſſentiali : ſed eius vſu *actuali*; vel etiam ipſa libertate contingentiæ.

Ad Scotum. Beati non neceſſariò fruuntur Deo neceſſitate naturali; ſed libertate eſſentiali. Libertas creata, tam eſſentialis, quàm contingentiæ, eſt ſuo modo ſimilis diuinæ : ſed ab ea deficit infinitè. De qua libertate noſtra indifferentiæ, & contingentiæ, infra ſub quæſt. De Adamo & Anima rationali. *Ad 2. d. 23.* vt ſupra ad *Al.* & *S. Bon.* Niſi quòd *ſi Angelus poſſit primo inſtanti operari*, videatur Scoto *poſſe peccare*, libertate eſſentiali : vel etiam deliberatè, ſi primo inſtanti haberet ſimul obiectiuè omnia deliberanda; ſed non videtur ex ſe poſſe habere illa omnia ſimul. Nec improbat negantes peccari poſſe primo inſtanti, ne redundet in Deum, vt authorem peccati. Vt latiùs *S. Bon. in 2. diſt. 3. art.* 1. Quia vt vt ſit de perfectione Angelica ad ſatis deliberandum primo inſtanti : primi motus effectuum ſolent tribui eorum cauſis. *Ad 3. diſt. 17.* & *Quodl. 16.* vt ad *B. Aug.* ſupra.

Sed ſubeſt grauis difficultas: an omnes etiam primi motus voluntatis ſint liberi, illa libertate eſſentiali?

N 2 RESP.

Reſp. Conſequenter: Si ſint veri actus voluntatis, ſunt liberi libertate eſſentiali: ſed ſi ſunt tantùm actus ſenſualitatis, vel paſſiones voluntatis, ex illius ſympatia, vel ex ſola apprehenſione obiecti reſultantes, non ſunt vllatenus liberi. *Alenſis p. 2. q. 125. m. 1.* docet motus primos eſſe ſenſualitatis: *Scotus in 4. Diſt. 49. q. 8.* nec paſſiones ſpirituales eſſe actus, nec vnire obiecto, ſed eſſe ab illo. De quibus an & quo ſenſu ſint peccata, infra. *q.* De peccatis.

5. *De Alijs potentijs & viribus Angelorum.*

NOn videntur poſſe habere niſi Intellectum, Voluntatē, Vim obiectiuā, & motiuā. Sub eorum intellectu continetur & memoria: ſub voluntate, vis concupiſcibilis & iraſcibilis: neutra tamen habet portionem ſuperiorem, & inferiorem, vt nos relatiuè ad ſenſualitatem. Intellectus eorum non tantùm habet vim formaliter operandi, ſeu intelligendi ſuum obiectum: ſed etiam cauſaliter eliciendi ſpecies intelligibiles, & dicendi ſeu exprimendi verbum in ſeipſo, illudque imprimēdi in quolibet æquè capaci: non tamen generandi habitus niſi per actus proprios in ſe ipſo. Sed voluntas eorum, habet tantùm vim liberam operandi formaliter, & cauſaliter ſpirandi ſeu producendi ſuum actum in ſeipſa: non autem vim naturalem producendi in ſe habitus, niſi mediatè per ſuos proprios actus, nec paſſiones niſi per eoſdem actus; vel obiecta vt cognita, aut per eorum cognitionem. Habent & vim obiectiuam mouendi ſeipſos, & alio capaces, ad ſui & omnium quæ intra ſe ſunt cognitionem: vel immediatè per ſuam intimam præſentiam, vel per ſui ſpecies intelligibiles ad certam ſphæram à Deo determinatam, vel per ſolam ſuam præſentiam intra certam ſphæram determinando intellectum capacem ad ſui cognitionē: deniq; habent perfectiſſimam vim ſpiritualē mouendi, tam ſeipſos ſpiritualiter ab vna præſentia ſpirituali, eiuſque termino ſiue ſpirituali ſiue corporali, ad aliam eiuſque terminum ſiue ſpiritualem ſiue corporalem: quàm omnia corpora ſecum, & ſine ſeipſis. Quæ vis motiua potiùs & plus ſubeſt eorum liberæ voluntati: quàm intellectiua, & obiectiua. Quæ licet omnia eliciantur ex doctrina *S. Aug. Al. S. Bon. & Scoti:* quædam tamen videntur contraria.

CONTRA. *S. Aug. Lib. de lib. Arb. c. 11.* An Angelos non iungi, aut ſeiungi locis, ſed affectu, &c. *col. 229. De Immortalitate Animæ* cap. 13. *Anima ſi caret corpore, in hoc mundo non eſt.* 1. Retr. 8. *Fieri poteſt, vt anima, quia eſt natura intelligibilis, & connectitur non ſolùm intelligibilibus, verùm etiam mutabilibus rebus: eo ordine facta ſit, vt cùm ſe ad eas res mouet quibus connexa eſt, vel ad ſeipſam, in quantum eas videt, in tantum de his vera reſpondeat.* Lib. de quantitate animæ cap. 30. Aug. *Cui non videatur nullo loco animam cōtinere?* Adeod. *Si ita eſt, nonne vbi ſum neſcio?* Aug. *Quanquam videatur abſurdum: non tamen doctiſſimi homines quibus id placuerit defuerunt, neque nunc arbitror deeſſe.* Quæſt. 8. ex 83. *Anima voluntate* .i. *illo motu qui localis non eſt, corpus ſuum tamen localiter mouet, &c. Sicut videmus à cardine moueri aliquid per magnum ſpacium loci, & tamen ipſum cardinem non moueri loco.* Lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 5. *Si quis putat animas cum à corporibus exceſſerint locis corporaliter viſibilibus contineri, cum ſint ſine corpore: aſſerat ſententiam ſuam, &c. Melius eſt dubitare de occultis, quam litigare de incertis.* Cap. 20. *Spiritus creatus mouet ſeipſum per tempus, & per tempus ac locum corpus.* Cap. 21. *Affecta anima carnalium ſenſuum conſuetudine, etiam ſeipſam cum corpore per locum moueri putat, dum id per locum mouet.* Infra. *Nutus ipſe voluntatis, non per locum mouetur, vt corpus per locum moueat, &c.* Cap. 22. *Quod ſi intelligere difficile eſt, vtrumque credatur: Cui enim non facilè occurrat quòd per locum non moueatur, quæ per loci ſpatia non diſtenditur? Sed ſi de anima hoc quiſque non vult credere: non nimis vrgendus eſt.* Lib. 12. cap. 1. *Si neq; ſpiritus ſine corpore ad loca corporalia rapi poteſt, nec corpus ad ſpiritalia, &c.* Cap. 12. *Mirus modus eſt, ſi commixtione alterius ſpiritus fieri poteſt, vt ea quæ ipſe ſcit, ei cui miſcetur oſtendat.* Cap. 13. *Neſcio qua occulta mixtura eiuſdem ſpiritus fit, vt tanquam vnus ſit patientis atque vexantis, &c.* Cap. 22. Dubitat, *An quædam viſa in ſpiritu hominis ab Angelis formentur, an formata ingerantur, & quadam commixtione cernantur: vt ſit hominibus Angeli oſtendant cogitationes ſuas, quēadmodum & ipſi noſtras vident: verùm hoc inter ſit, quòd illi noſtras etiam nobis nolentibus nouerunt, nos autem ipſorum niſi oſtendantur noſſe non poſſumus, quia ſit eas vt opinor habent in poteſtate, occultare ſpiritualibus modis, quemadmodum nos quibuſdam interiectis obſtaculis corporum noſtra ne aliorū oculis videantur abſcondimus.* Cap. 13. *An Angeli viſa ſua facili quadam & præpotenti coniunctione, vel commixtione etiam noſtra eſſe faciant: an ſcilicet neſcio quomodo noſtram in ſpiritu noſtro informare viſionem, difficilis perceptu, & difficilior dictu res eſt, &c.* Cap. 32. *Animam extra corpus non ferri ad loca corporalia, niſi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri, &c. Ad ſpiritalia verò pro meritis ferri, ſeu ad loca ſimilia corporalibus, &c.*

Ex Al. p. 1. q. 8. m. 2. Angeli & ſupremum Cœlum non continentur loco: ſed fine, ſeu termino ſuæ ſubſtantiæ, & virtutis. *q. 9. m. 3.* Deus eſt locus ſpiritualis communis, continens omnes ſpiritus intelligibiliter: ſed ſpecialis, eſt cuiuſque limitatio. *P. 2. q. 15.* De quadam limitatione omnis creaturæ. *q. 19. m. 3.* De creatione Angelorum in cœlo Empyreo: non vt in loco neceſſario, ſed congruo. *q. 27.* De locutione Angelorum, vt ſupra. *q. 29. m. 2.* Non eſt in Angelo ratio ſuperior & inferior. *m. 3.* Ineſt eis vis concupiſcibilis, & iraſcibilis. *q. 32.* De localitate Angeli. *m. 1.* Continetur & definitur loco: non ex natura propria loci aut Angeli, ſed ex determinatione & limitatione Dei. Poſſet tamen dici non eſſe in loco, niſi vt præſens loco. *m. 3.* Non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis diſtantibus: niſi per operationem. *Quæſt. 33.* De motu Angeli. *m. 1.* Non mouetur loco ex ſua imperfectione, ſed perfectione. *m. 2.* Non per medium vt ei commenſuratum,

tum,

Digitized by Google

tum : ſed vt inter terminum à quo, & ad quem. *Ad* 2. Ex *Aug.* Deus non mouet ſpiritus per loca, ſed per tempora : motu interiori, non exteriori. *m.* 3. Mouetur per ſe abſque vlla coextenſione ad loca : per corpora aſſumpta, coextenſiuè ad loca. *Quæſt.* 34. 35. De aſſumptione corporum ex aëre condenſato : ad quoſdam motus & actiones, non tamen vitales. *q.* 36. De miſſione Angelorum. *q.* 37. De præſidentia Angelorum inter ſe. *q.* 38. De reuelatione Angelorum inter ſe. *q.* 39. De præſidentia eorum in ſenſus noſtros. *m.* 3. Imprimendo nobis viſionem ſenſibilem ſimilem ſuæ intellectuali. *q.* 40. De eorum præſidentia in animam intellectualem : vt ſupra Col. 248. *q.* 41. De cuſtodia Angelica. *m.* 4. *art.* 3. † Cuſtodiunt paruulos ab ortu in vtero : quia ex tunc animæ habent actum etiam rationalem, quamuis nobis ignotum. *Quæſt.* 42. De præſidentia Angelorum ad miracula. *Quæſt.* 43. De falſis miraculis. *q.* 117. De tentatione Dæmonum. *m.* 7. *art.* 4. §. 2. Nullæ cogitationes in nobis à Diabolo fiunt, niſi diſpoſitiuè.

Ex S. Bon. *in* 2. *Diſt.* 7. *Art.* 2. *q.* 2. Dæmones inducere poſſunt formas naturales, applicando actiua paſſiuis : ſed artificiales, vi propria intellectuali, & motiua.

Quæſt. 3. Non vtendum vlla opera dæmonis: niſi Deo eum ad hoc cogente. *Diſt.* 8. *P.* 1. De aſſumptione corporum ab Angelis: ad apparendum, & operandum per ſolum motum. *P.* 2. *a.* 1. *q.* 1. Dæmones poſſunt corpora humana penetrare. *q.* 2. Non poſſunt illabi ad intimum ſeu ſupremum animæ. *q.* 3. Non poſſunt ſpecies proprias nobis imprimere : nec noſtras ad ſenſus externos retrahere. *q.* 4. 5. Non poſſunt in nobis cogitationes propriè cauſare. *q.* 6. Vt ſunt quædam velamenta corporalia, ſic & ſpiritualia: ex *Aug.* 12. *in Gen.* 22. *diſt.* 20. De miſſione & locutione Angelorum. *Diſt.* 11. De cuſtodia Angelica.

Ex Doctore Subtili *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 5. *&* 6. Angelus non eſt in loco per ſolam operationem : nec eſt neceſſariò in vllo loco ; ſed poteſt eſſe in aliquo, &c. Nec poteſt eſſe vbique, nec nullibi : nec in quantumuis magno aut paruo, nec in vllo extenſiuè ; ſed fortè in punctuali. *Quæſt* 7. Non poteſt eſſe naturaliter ſimul in pluribus locis adæquatis, nec diſcontinuis : ſed ſupernaturaliter. *Quæſt.* 8. Poſſunt eſſe plures ſimul. *Quæſt.* 9. Poſſunt mouere continuè per medium, &c. ex loco diuiſibili ad diuiſibilem, & ad punctualem : ex punctuali, ad punctualem, & ad diuiſibilem. *Quæſt.* 10. Poſſunt ſeipſos ita mouere. *Quæſt.* 11. Non poſſunt mouere inſtantaneè ad locum diſtantem, per totum medium. *Quæſt.* 12. Non poſſunt tranſire continuè ab extremo ad extremum, niſi per totum medium : nec ab extremo ad extremum diſtans, niſi per medium ; ſed inſtantaneè ad totum extremum immediatum, non tranſeundo per eius partes. *Diſt.* 8. De aſſumptione corporum ab Angelis, ad apparentiam & motum ; non ad vllas operationes vitales. *Diſt.* 9. De illuminatione & locutione inter Angelos. Vt ſupra. *Diſt.* 10. De miſſione Angelorum. *D.* 11. De Cuſtodia Angelorum. Angelus non poteſt vt cauſa totalis nobis imprimere vllam intellectionem actualem, nec ſpeciem intelligibilem.

Resp. *Ad B. Aug.* ex noſtro comm. in ſingula *B. Aug.* Qui diu meritòque dubitauit : quomodo ſpiritus ſine corpore poſſent habere vllum ordinem cum corporibus in hoc modo : quomodo poſſent aliter moueri quàm ad obiecta & obiectiuè : quomodo poſſent ſeipſos mouere à corpore ad corpus, vel corpora ſecum, aut ſine ſe, ad ſe vel à ſe : Denique quomodo poſſent totum mundum regere, & huic per cœlos & aſtra vitam etiam influere, niſi formaliter, vel ſaltem virtualiter ea viuificando, &c. Sed tandem 1. Retr. 5. *Quid ſit* (inquit) *quod dixi, anima ſi caret corpore in hoc mundo non eſt : non potui recordari. Nunquid enim animæ mortuorum aut non carent corpore, aut in hoc mundo non ſunt. Quaſi vero inferri non ſint in hoc mundo. Sed quia carere corpore in bono poſui : fortaſſe nomine corporis peſtes corporeas appellaui.* 2. Retr. 24. *De inferis magis mihi videor docere debuiſſe quòd ſub terris ſint : quàm rationes reddere cur ſub terris eſſe credantur ſiue dicantur, quaſi nõ ita ſit. Lib.* 1. *de lib. arb.* Negat eos iũgi aut ſeiũgi poſſe quãtitatiuè. *Lib. de quant. anim.* Refert illã opinionem vt miram & ſalutarem ad trãſcendendum contemplatione & affectu totum hunc mundum. *q.* 8. *ex* 83. Non negat animam moueri cum ſuo corpore : ſed non illo motu ſeu actu voluntatis, quo licet immota, mouet ſuum corpus. *Lib.* 8. *in Gen. cap.* 20. Loquitur de ſolo motu quo ſpiritus mouet ſe intrinſecè, à non actu ad actum. *Cap.* 21. Negat animam moueri cum corpore, vt ipſum corpus, extenſiuè. Quam falſam imaginationem corrigit exemplo ipſius nutus ſeu imperij quo voluntas immota mouet per aliam potentiam ſuum corpus : ſed non negat quin anima ſimul, ſed aliter moueatur. *Lib.* 12. *cap.* 1. Loquitur præcipuè de raptu obiectiuo, & conditionatè. *Cap.* 12. *&* 13. Per illam mixtionem videtur intelligere intimã præſentiã, exhibẽdo nobis proprias ſpecies æquè præſentes ac ſi inhærerent, vel imprimendo nobis ſimiles, vel mouendo nos ad eliciendas ſimiles. *Cap.* 22. Scrutatio illa noſtrarũ cogitationum nobis inuitis : non eſt intelligenda vt de Deo Scrutatore cordium immediatè vſque ad ſecretiſſimas radices affectuum & intentionum noſtrarum : ſed tantùm de ſagaci coniectura, vel cognitione noſtrarum imaginationum, & conſequentia noſtrarum cogitationum mentalium, affectuum & voluntatum. Occultatio autem illa cogitationum Angelicarum, facilè quidem fit negatiuè, nobis eas non oſtendendo, qui ſpiritualia immediatè percipere nõ poſſumus : ſed quibus eas modis Angeli inter ſe occultare, poſſint : quis conſpiciat? An fortè cõtinendo liberè viſionem illam ſuã obiectiuam ab omni actione intentionali? An mouẽdo ſe extra ſphæram aliorum Angelorum? An per ceſſationem ab actuali cogitatione quam occultare volunt? An per aliarum cogitationum, & obiectorum vel ſpecierum interpoſitionem, ac immiſſionem, quaſi ad alios circa alia occupandos? An per ſolam ſuam nolitionem ; ſeu ſolius nolitionis ſuæ interpoſitionem? An hoc vel illa, ex ſola rei natura, vel potiùs ex tali lege Dei ordinaria, &

congrua libertati? *Cap.* 31. *Vt* 12. *&* 13. Niſi quod hîc, *informare in ſpiritu noſtro noſtram viſionem* .i. formare in nobis obiectiuè, vel imprimere, nobis talem formam; non autem informare per ſeipſos formaliter. *Cap.* 32. Sub illa diſiunctione, *vel non ferri, vel non localiter* .i. extenſiuè: reſoluit totam difficultatem,& exprimit ſuam mentem, quæ eſt quòd ſine corpore non feratur ad loca corporalia .i. extenſa, ſed tantùm ad illa vt ſunt in memoria, quaſi corporalibus ſimilia.

Ad Al. p. 1. *q.* 8. 9. *p.* 2. *q.* 15. Vult omnem creaturam eſſe naturæ & præſentiæ limitatæ: ſed Angelos non limitari ad aliquod corpus, niſi Deo determinante. *q.* 19. Sic vult eos eſſe creatos in cœlo. *Quæſt.* 19. *&* *Quæſt.* 29. vt ſupra *q.* 32. *&* 33. Optimè ſeipſum & B. Aug. explicat. Sic & reliquis vſque ad 41. In quam conieci ſupra, *animas puerorum adhuc in vtero dici habere actum intellectualem:* ſed primum & proximum, vel ſimpliciſſimum ac directum, non autem iudicium, aut vllum reflexum. Quem *S. Aug. lib.* 10. *Trin.* & alibi ſæpè videtur naturaliter tribuere cuiuis Menti ex ſe & de ſeipſa, vt ſibiipſi etiam obiectiuè præſentiſſima. Sed cum *Al.* agat de cuſtodia puerorum in vtero ab Angelis: videtur potiùs velle quòd pueri ex tunc ſint capaces alicuius actus interioris; quodque Angeli Cuſtodes poſſint eis aliquem ſalutarem imprimere, vel excitare; ſed non niſi ex ſpeciali gratia & Prouidentia Dei. Vt *B. Aug. Epiſt.* 57. *ad Dardanum* q. 2. *Exultatio Ioannis in vtero matris,* Luc. 1. *& tanquam matri Domini reddita reſalutatio, facta eſt diuinitus in infante, non humanitùs ab infante. Et ſi eſt in illo puero acceleratus vſus rationis & voluntatis, &c. Hoc in miraculis habendum diuinæ Potentiæ, non ad humanæ trahendum eſt exemplar naturæ. Neſcire autem diuina paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, ſi verbis velimus oſtendere, vereor ne ipſis ſenſibus noſtris facere videamur iniuriam. q.* 117. Non contradicit ſibi. *q.* 40. *De proprijs viſionibus intellectualibus Angelorum, intellectui noſtro immediatè communicatis:* quia plus poſſunt in nos SS. Angeli Cuſtodes ex gratia, imò & ex vi integra naturæ, quàm Dæmones priuati gratiâ, & quadam vi naturali in nos, & reliqua.

Ad S. Bon. Non eſt vlla difficultas, vſque ad *Diſt.* 8. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 1. 2. Quòd *Dæmones poſſint corpora penetrare: ſed non illabi ad intimum animæ.* Non quaſi intimè penetrando corpus, non ſiant intimè præſentes toti ſubſtantiæ indiuiſibili animæ: ſed non illabantur ad intimum ſeu ſupremum animæ .i. nec conſeruatiuè, nec obiectiuè ad ſummum gradum animæ humanæ, vel quatenus eſt rationalis, vel ad eius portionem ſuperiorem, vel ad eius imaginem Dei; ſeu non poſſit ſe & ſuum characterem ſupra Dei in nobis imaginem imprimere. *q.* 3. 4. vt ſupra in *Al. q.* 6. vt ſupra in *B. Aug. Diſt.* 10. vt etiam ſupra *diſt.* 11. per ſe patet.

Ad Scotum. Diſt. 2. vt ſupra in *Aug. Al. Bon.* Sed cur Angelus non poſſit eſſe in loco quantumuis paruo, ſi in punctuali: aut cur *fortè,* ſeu ſub dubio an in punctuali? Niſi quia ſic poſſet tendi quaſi linealiter à cœlo ad terram. Imò cur potiùs Angeli boni non ſint circa Deum, vt radij circa ſolem: numquam ab eo nec ab aula gloriæ eius recedentes, & tamen ad nos quaquauerſum non tantùm virtualiter, ſed & realiter quaſi radiantes? Vnde tot & tales limitationes & determinationes ad ſpatium, ad medium, ad extrema: niſi ex lege Dei congrua potiùs ordini totius mundi, quàm naturæ ſpirituali? Denique vnde tot & tales modi inter Angelos occultandi ſe aut ſecreta ſua, vel reuelandi ſibi inuicem potiùs quàm nobis: niſi ex lege Dei connaturali & congrua libertati, vel etiam dæmonibus & nobis pœnali? Vt ſupra ex *Aug. Al. S. B. & Scoto,* valdè concorditer.

6. *De Gratia & gratuitis, Culpis & Meritis, Pœnis & Præmijs Angelorum.*

Cuiuis creaturæ rationali neceſſaria eſt gratia habitualis, vt ſit Deo grata ad eius viſionem & fruitionem beatificam: neceſſaria eſt & actualis ad omnem diſpoſitionem, meritum, & perſeuerantiam gratiæ habitualis. Nulli Angelo defuit gratia neceſſaria ad ſuum finem ſupernaturalem: non fuit tamen omnibus æqualis. Quidam enim videntur creati fuiſſe in gratia habituali, maiori vel minori: quidam tantùm præuenti gratia actuali; quidam adiuti ſola gratia ſufficienti, quidam etiam ex ſeipſa efficaci. Nullus cum ſola ſufficienti profecit, aut perſeuerauit: ſed omnes ab obligatione & & gratia illa amandi Deum præ ſeipſis, defecerunt ad amorẽ ſui præ Deo, & inde ad pœnam æternã, priuatiuam omnis gratiæ & gloriæ, & varias poſitiuas obiectiuè. Nullus cum gratia efficaci defecit: ſed omnes ex amore Dei præ ſeipſis profecerũt, perſeuerarunt, & peruenerunt ad Dei viſionem & fruitionem æternam, ac Beatificã. De qua in 4.

Ex *B. Aug.* ſupra col. 234. *Al. P.* 1. *q.* 11. De inexiſtentia Dei per gratiam. *q.* 17. *&* 18. De bonitate diuina, & creata. *q.* 10. *De malo.* 21. *&* 22. De conditionibus potentiæ diuinæ & creatæ. *q.* 25. *&* 26. De diſpoſitione, & prouidentia Dei. *q.* 28. 29. 30. 31. 32. 33. De prædeſtinatione, reprobatione, electione, dilectione Dei communi, & ſpeciali ad creaturas rationales. *P.* 2. *q.* 4. De cauſa finali omnium. *q.* 13. *m.* 14. De poſſibili natura & gratia ſimul ab initio. *q.* 19. *m.* 2. Quidam dicunt Angelos fuiſſe priùs tempore vel natura creatos in naturalibus: deinde conditos in gratuitis, &c. Alij ſuſtinent non fuiſſe conditos in gratia gratum faciente: ſed habuiſſe gratiam gratis datam ad illam acquirendam; idemque dici poſſe de primo homine. *Ad vlt.* Videtur melius dictum quod Angelus nunquam habuerit gratiam gratum facientem: quia per eam conuerſus ad Deum, non fuiſſet auertibilis. *m.* 3. *art.* 3. Cœlum repletum fuit Angelis .i. numero integro, &c. *q.* 23. *m.* 2. *&* 5. Cognitio matutina non eſt naturalis, ſed veſpertina, &c. *m.* 5. Cognitio matutina eſt ipſius Verbi, & aliorum in Verbo. *m.* 6. Dæmones non habent amplius cognitionum veſ-

Digitized by Google

pertinam : quia & hæc eſt ex quadam illuminatione Dei, niſi extendatur ad omnem cognitionem naturalem ex ſolis ſpeciebus concreatis. *q.* 25. Angeli boni non fuerunt creati beati ſimpliciter: nec præuiderunt ſuam perſeuerantiam. *m.* 2. Nec mali fuerunt præſcij ſui lapſus. *q.* 30. De dilectione naturali Angelorum. *m.* 7. *Art.* 2. Dilectio naturalis eſt ſuo modo ordinata : non contrariè inordinata. §.2. *Ad* 1. Dilectio Dei naturalis eſt ſūma, vt ſūmi boni concupiſcibilis ipſi diligēti. *Ad* 2. Natura non eſt ſufficiens ad diligendum Deum ex toto corde, niſi ex gratia gratum faciente, & & per gratiam priùs gratis datam. *Ad* 7. Natura poteſt diligere creaturam propter ſe: non tamen Deum propter ſe, niſi ex gratia. *Art.* 3. Dilectio naturalis Dei, non eſt fruitio ſuiipſius : quia non eſt propter ſe vt propter finem, ſed rationem ſubiecti naturaliter inclinantem ad talem actum. *m.* 2. Amor patriæ videtur euacuare omnem naturalem reflexum ad ſe, &c. *Ad* 2. Angelus poteſt nunc adhuc vti cognitione veſpertina, & dilectione naturali circa inferiora. *m.* 3. Non eſt amplius in Dæmonibus actu, ſed habitu. *q.* 31. De dilectione libera. *m.* 2. Soli boni ſic diligunt Deum. *m.* 3. Præ ſeipſis, & propter Deum vt ſummum bonum in ſe : non tamen vt beatificum. *q.* 37. *m.* 2. Vnus alteri præeſt per gratiam ante iudicium. *m.* 3. Mali inter ſe præſunt etiam in pœnis. *q.* 38. Reuelant ſibi inter ſe naturalia, naturaliter : reuelata, per gratiam. *q.* 39. *m.* 2. Angeli beati non poſſunt fallere, nec falli. *q.* 41. Angeli boni ſunt cuſtodes hominum : ex perfectione gratiæ. *q.* 109. De peccato Luciferi. *m.* 1. *Art.* 4. Non fuit creatus malus. *m.* 2. Primum eius peccatum fuit ſuperbia, ſeu appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. *m.* 3. Non æqualitatis in eſſendo, ſed cuiuſdam præſidentiæ ac independentiæ diuinæ. *m.* 4. Non eſt irremiſſibile abſolutè : ſed ex eius obſtinatione & deſperatione. *Ad* 7. & 8. Poſſet ei Deus dare gratiam pœnitendi : ſed non congruit. *Art.* 3. Non potuit peccare venialiter, &c. † *m.* 9. Ex illa ſuperbia ſtatim ſecuta eſt inuidia in homines. *m.* 11. Peccauit ſtatim, vel paulò poſt inſtans ſuæ creationis. *q.* 110. De peccato aliorum. *m.* 1. Eodem per conſenſum. *m.* 2. Ex *Anſ.* Appetierunt perfectionem beatitudinis : vel ſine gratia & meritis, quaſi ex dignitate naturæ; vel plus aut priùs quàm Deus dare vellet. *M.* 4. Plures ſteterunt quàm ceciderunt. *m.* 5. omnes ſimul cum Lucifero, vel ſubitò poſt. *m.* 8. Etſi fuiſſent conditi in gratuitis, & gratia perſeuerandi : non tamen in ſtatu perſeuerantiæ. *Ad* 3. Datio perſeuerantiæ eſt cauſa eā accipiendi & habēdi. *q.* 113. De pœna intellectus. *m.* 1. Dæmones priuati ſunt cognitione Dei lumine ſuperiori, &c. *q.* 114. De pœna vermis, & damni. *m.* 3. Priuatio viſionis Dei eſt maxima pœna damni: gehenna ignis, maxima pœna ſenſus ; ſed Vermis eſt maxima pœna ſpiritualis & inhærens, de omnibus peccatis ſimul cognitis. *q.* 115. De pœna voluntatis. *m.* 1. Poſſunt adhuc habere quaſi gaudium : ſed non niſi valdè amarum, &c. *m.* 3. Patiuntur dolorem & triſtitiam de priuatione boni amiſſi in re, & ſpe. *m.* 4. Patiuntur & timorem mali, *q.* 116. *m.* 2. De pœna locali, &c. *q.* 117. De tentatione Dæmonum. *q.* 118. De demerito præſenti Dæmonum. *m.* 1. Vt Angeli boni poſſunt adhuc mereri accidentaliter : ſic & mali demereri. *m.* 2. Sunt in continuo peccato etiam actuali. *m.* 3. Peccant quouis motu liberi arb. non naturæ.

Art. 9. Demerentur magis magiſque peccando: indeque magis punientur ; quia prima eorum mala voluntas non fuit ex tunc determinata actu ad hæc omnia mala, ſed actu incenditur ad ea.

Ex *S. Bon. in 2. d. 3. p. 2. art. 1. q.* 1. Eſt hæreticum & impoſſibile Deum condidiſſe Angelum malum. *q.* 2. Sapit hæreſim quòd Angelus peccauerit à primo inſtanti ſuæ creationis. *Ad* 3. & 4. Potuerit Angelus primo inſtanti operari, non tamē deliberatè peccare. *Art.* 2. *q.* 2. Non poteſt naturaliter cognoſcere eſſentiam Dei. *Art.* 3. *q.* 1. Tempore naturæ inſtitutæ tam homo quàm Angelus erat habilis ad diligerdum Deum propter ſe, & ſuper omnia : quia Deus eum fecerat rectū. *Ad* 2. Non poteſt naturaliter eleuare ſe ſuprà ſe .i. *ſupra ſuum poſſe:* † *ſed benè ſupra ſuū eſſe vt obiectum.* *Ad* 3. Motus hic naturæ inſtitutæ, differt à motu gratiæ. *Diſt.* 4. *Art.* 1. *q.* 1. Angeli non fuerunt creati in ſtatu perfecto beatitudinis, ſed in ſtatu innocente ac impaſſibili. *q.* 2. Non fuerunt creati in ſtatu gratiæ gratum facientis : quamuis oppoſitum ſit etiam probabile. *Ad Arg.* Dicuntur eis data gratuita .i. naturalia vltra eſſentiam, vel diſponentia ad gratiam: non autem ipſa gratia gratum faciens, &c. *Art.* 2. Non fuit vllis reuelata perſeuerantia. *Art.* 3. Non habuerunt ab initio cognitionem matutinam : ſed boni habent etiam veſpertinam. *Diſt.* 5. *Art.* 1. *q.* 1. De primo peccato luciferi. Lucifer non peccauit primò pluribus ſimul peccatis diuerſi generis : quia nec eius intellectus, nec voluntas id poſſunt ; ſed primo peccato ſuperbiæ, inchoato à præſumptione de ſeipſo, &c. ibi *q.* 2. Non potuit appetere perfectam æqualitatem Dei: ſed ſimilitudinem, cuiuſdam præſidentiæ & independentiæ, ſine meritis & gratia Dei. *Art.* 2. De primo pecc. Angelorū inferiorū. *Art.* 3. De conuerſione bonorum Angelorum. *q.* 1. Inchoatiuè, ex rectitudine naturæ inſtitutæ: ſed perfectè ac meritoriè, non niſi auxilio gratiæ cooperantis ſeu ſubſequentis, non operantis ſeu præuenientis. *q.* 2. Meritum eorum præceſſit præmium: non tempore, ſed natura. *Diſt.* 6. De differentia Angelorum lapſorum. *Art.* 2. *q.* 1. Non omnes ſunt lapſi in infernum ſubterraneum ante diem iudicij : ſed in hunc aërem caliginoſum. *q.* 2. Probabilius videtur eos extra infernū nō puniri pœna ignis: *ex Matt.* 8. *Diſt.* 7. *p.* 1. De obſtinatione malorum, & confirmatione bonorum : ſaluo libero arbitrio quo ad eſſentiam. *Art.* 2. *q.* 2. *ad* 2. Continuatio peccati non excludit, ſed includit vſum liberi arbitrij. *Ad* 3. Neceſſitas coactionis ab extrinſeco, opponitur libertati : non autem ab intrinſeca diſpoſitione voluntatis. *q.* 3. *ad* 1. Neceſſitas immutabilitatis ad bonum, nullatenus repugnat libertati. *Diſt.* 9. De ordinibus Angelorum. *q.* 2. Diſtinctio Angelorum eſt principaliter à gratia, & diſpoſitiuè à naturæ. *q.* 3. Non ſemper, nec

cau-

cauſaliter dantur à Deo maiora dono gratuita perfectionibus naturâ: ſed tantùm diſpoſitiuè de congruo. *Ad* 2. Conuerſio Angelorum toto conatu, fuit diſpoſitio proximior quàm hominum. *Ad* 4. Homo non habet gratiam, quia non accipit: non tamen eam habet quia eam accipit. *Ad* 5. Natura non meretur gratiam, vt gratia gloriam. *Diſt.* 10. De miſſione Angelorum. *Diſt.* 11. De cuſtodia Angelorum. *Diſt.* 24. *Art.* 1. *q.* 2. Adam non potuit reſiſtere tentationi ſine continuatione Diuinæ influẽtiæ in bono:* ſed ſine appoſitione nouæ gratiæ. *Diſt.* 26. De auxilio gratiæ .i. habitualis. *Diſt.* 27. De gratia operante, & cooperante: quaſi etiam habituali. *Diſt.* 28. De neceſſitate gratiæ. *Art.* 1. De gratia gratum faciente. *Art.* 2. De gratia gratis data .i. actuali. *q.* 1. Liberum Arb. non poteſt ſe diſponere ad gratiam gratam facientem, niſi de congruo per gratiam gratis datam naturalibus ſuperadditam, &c.* ſine qua vix aut nunquam adulti reperiuntur. *q.* 2. Liberum Arbitrium non poteſt cuilibet tentationi reſiſtere.

Ex *Scoto Diſt.* 2. *q.* 9. De ſpecie diſtincta eſſentiæ diuinæ, vt gratia naturæ Angelicæ. *Diſt.* 4. *&* 5. De mora merendi & demerendi. *q.* 1. Angeli meruerunt ſuam beatitudinem priuſquam reciperent. *n.* 7. Probabile eſt quòd aliquis Angelus fuerit aliquando in gratia. *q.* 2. Potuerunt creari Beati ſine merito, & fieri tales ex merito in primo inſtanti, &c. *n.* 13. De facto, nec boni, nec mali fuerunt beati in primo inſtanti. *n.* 14. Longior fuit mora viæ quàm in inſtanti. *Diſt.* 6. De peccato Angelorum. *q.* 2. Primus actus inordinatus fuit velle amicitiæ ad ſeipſum, deinde velle concupiſcentiæ propriæ beatitudinis. *n.* 13. Vltra concupiuit ſibi excellentiam præ alijs, nec Deo ſubeſſe, & tandem nec Deum ipſum eſſe.

Art. 2. Ille amor inordinatus amicitiæ non fuit propriè ſuperbia: ſed potiùs reductiuè luxuria ſpiritualis, &c. quæ poteſt dici præſumptio & ſuperbia; non vt eſt appetitus propriæ excellentiæ præ alijs, ſed vt eſt affectatio nimia boni proprij, ex quo ſequitur illa excellentia. *Diſt.* 7. De mala voluntate Diabolica. *n.* 15. In poteſtate Angeli non eſt meritoriè velle: quia non eſt in poteſtate eius habere gratiam, nec per conſequens vti gratia, nec etiam vti ſua voluntate cum gratia iſta.]

Contra inæqualitatem gratiæ, ſufficientis & Efficacis, inter Angelos.

EX B. *Aug.* Enchir. 61. *Non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus, &c.* cùm tamen gratia efficax ſit per Chriſtum. Hinc inſcribit librum *de gratia Chriſti*, vt medicinali & efficaci: & *Lib.* 1. *ad Simplic.* vocat hanc gratiam ex *Rom.* 9. *miſerentis Dei*, ſupponens miſeriam ſeu lapſum hominis, non Angeli. *Lib. de correp. & grat. c.* 10. 11. 12. *De bono perſeuer. c.* 7. ſupra, col. 234. diſtinguit hanc gratiam vt datam homini lapſo per Chriſtum, à gratia data Angelis etiam bonis, & Adamo ante lapſū: tribuens huic vt cauſæ principali effectum perſeuerantiæ; non autem illi, ſed libero arbitrio Angelorum. Ex quo etiam apparet, nec gratiam ſufficientem, nec libertatem creatam eſſe inanem aut inutilem: ſed illam per hanc, & hanc cum illa poſſe eſſe & fuiſſe actu efficacem, ſaltem in natura integra ante lapſum.

Resp. Ex noſtro Comment. in ſingula *B. Aug.* Qui cum 12. *Ciu.* 9. ex profeſſo & ſtudioſiſſimè diſcutiat hanc difficultatem: hinc potiùs eſt reſoluta, quàm occaſionaliter aliunde. Quid autem expreſſius & reſolutius, quàm hæc? *Si Angeli boni bonam voluntatem in ſeipſis Deo non operante fecerunt: ergò meliores à ſeipſis quàm ab illo facti ſunt? Abſit, &c. Si non potuerunt ſeipſos facere meliores: profectò & bonam voluntatem qua meliores eſſent, niſi operante adiutorio creatoris habere non poſſunt.* Vbi non tam agit de cauſa bonæ vel malæ voluntatis potentialis, quàm actualis. Nec illud, Si, eſt conditio dubia: ſed ſuppoſito apud *B. Aug.* vbique contra Pelagianos certiſſima, quòd *nemo poſſit ſeipſum ex ſe facere meliorem quàm à Deo factus ſit.* i. meliorem quàm ſit ex propria natura. In quo ſenſu non poteſt pati calumniam, nec exceptionem. Fundatur enim in illis principijs ſupra, *col.* 199. *Nulla res ſeipſam facit aut gignit: alioquin erat ante, &c. Nec fit ab inferiore ſe.* Infra. *Nulla res ſeipſam formare poteſt.* Col. 201. *Nulla res eſt quæ ſeipſam gignat vt ſit.* Col. 202. *Creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quàm nec ſeipſum.* Infra. *Omne agens eſt præſtantius ſuo patiente*: quantò potiùs ſuo effectu? Infra. *Nec fœminam creatricem ſui Puerperij appellare debemus, &c. Naturā quæ gignitur tam ipſa non facit, quàm nec ipſa ſe fecit.* Infra. *Si Romam aut Alexandriam non fabros, ſed Reges habuiſſe dicimus conditores: quantò potiùs Deum debemus conditorem dicere naturarum, &c.* Quòd ſi Deus eſt cauſa prima omnium naturalium: quantò magis ſupernaturalium? Si nil fit ſaltem principaliter ab inferiore, nil patitur niſi à ſuperiore, etiam inter naturalia eiuſdem generis, ſeu ordinis: quantò magis inter naturalia & ſupernaturalia, inter liberum arbitriū & actum aut ſtatum gratiæ vel gloriæ? Cùm enim Deus ipſe ſit cauſa ſupernaturalis per gratias actuales, non tam vt per cauſas ſecundas, quàm vt per actiones ſuas proprias: non poteſt liberum arbitrium eſſe cauſa principalis reſpectu gratiæ, ad vllum effectum ſupernaturalem, quin ſit etiam principalis reſpectu ipſius Dei. Cùm omnis gratia & gloria ſit ſupernaturalis libero arbitrio, tam vt cauſæ, quàm vt ſubiecto: quomodo poſſet principaliter ſeipſum vllâ gratiâ aut gloriâ perficere, ſupra ſeipſum eleuare, & transferre ab eſſe ſeu ſtatu naturali, ad vllum ſupernaturalem, quantò minùs ad ipſum ſtatum gloriæ? Cùm perſeuerantia finalis ſit maximum Dei donum, nec tam conſiſtat in vllo actu bono, vt noſtro, quàm vt vltimo & finali totius viæ noſtræ: cui poteſt principaliter tribui, niſi Deo, qui non tantum eſt cauſa principalis omnis gratuiti; ſed eſt cauſa totalis terminandi ſeu finiendi tam viam Angelorum quàm noſtram in hoc actu & ſtatu gratiæ. Denique, cùm Angeli nonniſi meritoriè perſeuerando peruenerint ad gloriam:

Digitized by Google

gloriam: quomodo poſſent proprijs naturæ viribus, ſeu liberi arbitrij principaliter meruiſſe, quamuis non ſine gratia, tamen præ ipſa gratia, quæ non poteſt eſſe niſi cauſa principalis merendi? Niſi ad concilianda quædam ex B. Aug. ſupra, liberum arbitrium ſit cauſa principalis ipſius actus, vt eſt, & vitalis eſt: gratia autem, vt Deo gratus eſt, & meritorius. Sed quid ſi actus ipſe ſit etiam entitatiuè ſupernaturalis? De quo aliàs ex profeſſo. Nunc autem proſequendo textum illum B. Aug. per *Deum operantem*, non poteſt intelligi concurſus tantùm naturalis, vel gratiæ adiuuantis aut ſufficientis: ſed præuenientis & efficacis; quia hæc vbique exprimitur ab *Aug.* per gratiam *Operantem* vt diſtinctam à *Cooperante*, prout infra ex profeſſo de gratia hominum ante & poſt lapſum. Subdit. *Cùm id egit eorum voluntas bona, vt non ad ſeipſos, ſed ad illam qui ſummè eſt, conuerterētur, &c. Quid aliud oſtenditur niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio bono remanſuram: niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat ex ſeipſo faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando auidiorem, &c.* Vbi conuerſio illa ad Deum, non tribuitur *voluntati*, niſi vt *bona* eſt per gratiam: nec voluntati bonæ per gratiam, niſi vt *meliori* per gratiam aliquam *excitantem*. Neque hæc dependentia voluntatis à gratia vllatenus reſtringitur ad infirmam: ſed expreſsè extenditur ad *quamlibet bonam*. Imò expreſsè diſcernitur voluntas bona, & eius gratia *ſolius boni deſiderij*, à pleniore, *meliore, auidiore, &c.* Infra. *Si boni Angeli ipſi fecerunt in ſe voluntatem bonam: non nullâ, nec malâ, ſed priore voluntate bonâ.* Vtique potentiali & habituali, non neceſſariò actuali. *Et iſtam quis fecerat niſi illi qui eos cum bona voluntate* .i. *cum amore caſto creauit ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam*: ſiue habitualem, ſiue actualem, ſiue potiùs vtramque ad amorem Dei etiā actualē. *Vnde ſine* habituali & fortè actuali, *nunquam fuiſſe ſanctos Angelos credendum eſt. Iſti autem qui cùm boni creati eſſent, tamē mali ſunt, &c. aut minorem acceperunt amoris diuini gratiam* (potiùs actualem quàm habitualem) *aut ſi vtriq; boni æqualiter creati ſunt*, vtique in gratia habituali, *iſtis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti*, vtique gratia actuali & efficaci, *ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, peruenerunt.* Vbi gratiam efficacem quam priùs vocauerat *operantem*, & *excitantem* ad inchoandum, vocat *ampliùs adiuuantem* ad perſeuerandum & præueniendum. Nec illud, *ampliùs*, poteſt intelligi quaſi intenſiuè in eodem genere gratiæ: Tum quia quæuis ſeu quantauis talis, eſt tantùm ſufficiens, nec ex ſe efficax vllius actus ſaltem perfecti, multo minùs perſeuerantiæ finalis: tum quia huic *ampliori gratiæ adiutorio* tribuitur perſeuerantia Bonorum, & diſcretio à Malis cadentibus; tum quia *magis adiuti* tantùm intenſiuè, potuiſſent & poſſent minùs conari & cooperari, quàm minùs adiuti, & plus quàm magis adiuti: ſicque hi potiùs quàm illi perſeuerarent; ſed *amplius adiuti*, non tantùm extenſiuè ſeu diutiùs, nec tantùm intenſiuè, ſufficienter, & partialiter, ſed *ampliùs* toto genere, principaliter & efficaciter, ex hac ipſa gratia, non tantùm potuerunt perſeuerare, vt Mali; ſed vt oportuit ad perſeuerandum conati, ipſo facto perſeuerarunt & peruenerunt. Nec illud, *ampliùs adiuti*, poteſt intelligi formaliter ipſa beatitudine, nec cauſaliter ipſa beatificatione. * Quia hoc ſenſu, *ampliùs adiuti* .i. beatificati: cùm dicantur *magis adiuti* ad non cadendum vt Mali, ſed ad perſeuerandum, & per hoc ipſum vt medium perueniendum ad ſtatum Beatitudinis. Quid, quòd *B. Aug. lib. De corrept. & gratia, cap.* 11. exemplificet gratiam ex ſe efficacem, in ipſa *Beatitudine quâ quis fit Beatus* formaliter, vel in ipſa beatificatione, ſeu gratia quâ quis beatificatur cauſaliter & actualiter? Vt in Com. noſtro explicui. Ergo ſi Angeli boni *magis adiuti* ſunt ipſa beatitudine, vel gratiâ quâ actu ad beatitudinem peruenerunt, & beatificati ſunt: gratiâ ex ſe efficaciſſima adiuti ſunt.

Hæc Doctrina propria & expreſſa de gratia Angelorum, confirmatur ex Doctrina eiuſdem *B. Aug.* de gratia in communi, vel neceſſaria, ſufficiente, & efficaci in nobis, ante & poſt lapſum. Nam. *lib.* 3. *De lib. Arb. cap.* 11. ſupra *col.* 128. 129. *l.* 12. *Conf.* 7. 11. 15. ſupra *col.* 229. 230. & pluribus alijs libris ſupra *col.* 232. 233. Supponit eſſe quoſdam Angelos præſtantiores, quos Deus præuenerit ab initio creationis ſpeciali gratià contemplationis & amoris Dei, ne vnquam ab ea eiuſque obiecto deficerent: ergo gratia ex ſe efficaci, imò & ſimili gratiæ beatificanti, in qua vt in ſumma *S. Aug. c.* 11. *De corr & gratia* exemplificat ſuam gratiam efficientem. Supponit autem alios Angelos inferiores: non tam naturà, quàm gratiâ habituali, vel actuali; ergo neceſſaria, & ſufficiente, non efficaci.

2. *Retr.* 1. in librum ad *Simpl.* de gratia *congrua* ſeu efficaci, vel non: *Laboratum eſt*, inquit, *pro libero arb. voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia.* Ex occaſione quidem *Quæſt. de Iacob & Eſau*: non tamen reſtringendo victoriam Gratiæ ad ſolum liberum Arb. humanum, ſed ad omne creatum. Vt & *Eph.* 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem vt eſſemus Sancti, &c. qui prædeſtinauit nos ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in LAVDEM GLORIÆ GRATIÆ SVÆ*: vtique ex ſeipſa efficacis, non autem ex libero arbitrio, nec per accidens occaſione lapſus; ſed per ſe ex hac dependentia æquè & potiùs eſſentiali liberi arbitrij à gratia ad omne bonum ſalutare, quàm vllius cauſæ ſecundæ à prima; ad vllum bonum naturale. Quia vt non eſſet magna victoria, nec laus, nec gloria, vincere aliquem potentiorem quidem ſanum, ſed morbo languidum & debilem: ſic nec eſſet laudabilis aut glorioſa victoria gratiæ de libero arbitrio viribus naturalibus per peccatum extenuato, ſed integro & ſano. Nam victoria gratiæ de libero arbitrio, ſupponit aliquā pugnam: non tantùm rationis pro libero arbitrio, contra gratiam; ſed etiam inter ipſum liberum arbitrium & gratiam. Quæ ſi vincit ac euincit ipſum liberum arbitrium repugnans, vſque ad conſenſum & ſeruitutem voluntariam ipſi gratiæ Dei: quanto potiùs vincit, euincit, ſibique deuincit liberum arbitrium ſanum, integrum, &

Digitized by Google

ipſâ Charitate? Quia vt ipſe *Aug.* ibidem: *Opus virtutis eſt ipſe bonus vſus, &c.* Id eſt, non eſt ipſa entitas virtutis, nec eius inclinatio naturalis; ſed eius vſus bonus ſecundùm rectam rationem, ex aliquo auxilio gratiæ. Alioquin quilibet poteſt abuti quâuis propriâ ratione, quâuis entitate, aut inclinatione virtutis, quouis actu bono, ſaltem vt obiecto, ad vanam gloriam. Ex *B. Aug.* 10. *Conf.* à *Cap.* 36. *ad* 40. & alibi ſæpè. Sed elegantiſſimè *lib. De natura & gratia, c.* 28. *Deſerit aliquantulum Deus vnde ſuperbis: vt ſcias non tuum, ſed eius eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.* Cap. 31. *Altius Dei conſilium me fateor ignorare: cur etiam ipſam ſuperbiam, quæ & in rectè factis, animo inſidiatur humano, non cito Deus ſanet; pro qua ſananda illi piæ animæ cùm lachrymis ſupplicant, &c. Vbi enim lætatus homo fuerit, in aliquo bono opere ſe etiam ſuperaſſe ſuperbiam: ex hac ipſa lætitia caput erigit & dicit, Ecce viuo, Quid triumphas? & ideo viuo quia triumphas.* Lib. De gratia Chriſti, à *cap.* 4. *ad* 6. & 14. 25. 47. exigit à Pelagio fidem quòd Deus ſuâ gratiâ non ſolùm adiuuet in nobis *poſſibilitatem*: ſed etiam *voluntatem & actionem* .i. non ſolùm vt *poſſimus*, ſed etiam *velimus, & benè agamus*; non quaſi hæ ſint ſine prima, ſed prima poſſit eſſe ſine his; nec quaſi hæ ſint tantùm gratiæ neceſſariæ poſt lapſum, ſed tam neceſſariæ ad non malè, ſed benè velle & agere *actu*, quàm illa ad poſſe. Probat enim ex illo *Phil.* 2. Deus eſt qui operatur in nobis etiam velle & operari. Et 2. *Cor.* 13. Oramus ne quid mali faciatis, &c. Quæ nec limitat ad nos, nec ad ſtatum naturæ lapſæ: ſed ſupponit hanc eſſe neceſſitatem communem creaturæ rationalis in omni ſtatu, vt ſupra 197. Nec obſtat quòd *cap.* 47. hanc gratiam Dei in nobis tribuat Chriſto: quia ipſe nobis remeruit omnem gratiam per peccatum demeritam.

Lib. De corrept. & gratia, cap. 11. Si Adiutorium *ſine quo non* poteſt perſeuerari, vel Angelo, vel homini cùm primùm facti ſunt defuiſſet: quoniam non talis natura facta erat, vt ſine diuino adiutorio poſſet manere ſi vellet; non vtique ſuâ culpâ cecidiſſent. Vt *lib.* 3. *De lib. Arb.* 16. Ex eo quòd non accepit nemo reus eſt: debet autem ſi accepit & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem. *Conc. Arauſ. c.* 19. Natura humana etiamſi in illa integritate in qua eſt condita permaneret: nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Vnde cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit: quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? *Can.* 22.. Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum, &c.] A qua neceſſitate & defectibilitate, nec Angelus, nec vllus ſtatus excipitur: ſed nobis applicatur, ex illo *Ioan.* 8. de Diabolo: *In veritate non ſtetit; quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, & pater eius* .i. eſt pater mendacij; non tam in nobis, quam in ſeipſo. Ergo etiam antequam primò mentiretur & peccaret: ex ſeipſo ſeu ex proprijs viribus non poterat non mentiri & peccare; ſed æquè dependebat à gratia, ac nos. Nec tantùm à gratia quâ poſſet: ſed & à gratia qua vellet, & faceret. Tam eſt enim neceſſaria ad velle & facere actu, quàm ad poſſe. Nec obſtat quòd *lib. De corrept. & gratia, cap.* 10. Deus ſic ordinauerit Angelorum & hominum vitam, &c. vt ſupra *col.* 234. Et *lib. De dono perſeuerantiæ, cap.* 7. vt ibidem *col.* 234. Quia Deus priùs voluit oſtendere in lapſu Angelorum & hominum, *quid* .i. quàm parum poſſet eorum liberum Arb. Deinde, *quid* .i. quanto plus poſſet gratiæ beneficium, tam in Angelorum bonorum perſeuerantia, quàm in reparatione hominum. Vel, *quid* .i. quantum potuerit & præſtiterit in bonis Angelis liberum Arb. gratia perfectum: per quod & per eius vires, non tantùm naturales, ſed & auxiliares gratiæ, *Boni amplius adiuti quàm mali*, & quàm ipſi primi homines, perſeuerarunt & peruenerunt. Solet enim *B. Aug.* ſub libero Arb. primæ inſtitutionis, ſeu integro & perfecto, continere ipſam perfectionem totius gratiæ pro illo ſtatu. Vt patet ex 1. *Retr.* 10. Vbi naturam primæ inſtitutionis, ſeu gratia perfectam, vult propriè dici naturam. *lib.* 26. *contra Fauſt. lib.* 6. 8. 9. *in Gen. lib.* 12. *Ciu.* 3. & 5. *lib.* 13. *lib.* 21. *cap.* 7. & 8. vult illam eſſe cuiuſque naturam, quàm Deus inſtituit. Et paſſim vocat liberum Arb. ſimpliciter, vt fuit â Deo primò inſtitutum, gratiâ perfectum. Imò videtur negare in nobis liberum Arb. ſimpliciter: quia iam non eſt tam perfectum. Vt patebit ex quæſt. de libero Arb. humano, ante & poſt lapſum. Vel poteſt intelligi Angelos bonos ſtando ſeu non deficiendo, per gratiam *ſine qua non*, ſeu conſeruatiuam: meruiſſe gratiam efficacem proficiendi, perſeuerandi finaliter, & perueniendi: malos autem libero Arb. defeciſſe, & demeruiſſe omnem gratiam & gloriam; ſed gratiam fuiſſe hominibus lapſis per Chriſtum reſtitutam. Prout in noſtro Commentario ad hæc loca variè, non tamen contrariè, coniecimus. Nam omnia poſſunt cointelligi, vel inter diuerſos Angelos, & diuerſas eorum gratias: vel inter Angelos & homines: vel in eiſdem Angelis priùs per gratiam ſine qua non ſtantibus, poſt per efficacem proficientibus & perſeuerantibus. Quod colligi poſſet ex illo De dono perſeuerantiæ, c. 7. *In veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem non cadendi peruenire meruerunt.* Nec obſtant quæ ſequuntur: *poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque vt recedat ab eo.* Quia non negat pertinere etiam ad liberum Arb. ſed nonniſi ex gratia ſpeciali poſt lapſum indignis reſtituta. Vel *vt homo accedat, & non recedat*: quia ante lapſum erat in ſtatu gratiæ, etiam ſufficientis ad non recedendum. Neque hæc confundunt naturam & naturalia, cum gratia, gratuitis, & ſupernaturalibus, contra Cenſuras *Pij* 5. & *Greg.* 13. nec gratiam *ſine qua non*, cum gratia *Quâ*, aut ſufficientem cum efficaci, contra *B. Aug. lib.* 1. *ad Simpl. De gratia Chriſti, De corrept. & gratia, &c.* Sed ſupponunt Prædeſtinationem abſolutam omnium & ſingulorum Beatorum Angelorũ, & hominum, in vnam glorioſam Ciuitatem Dei, nonniſi per gratias ex illa ipſa prædeſtinatione abſoluta efficaces; & plura ex profeſſo infra ſtudioſè ſub proprijs quæſtionibus proſequenda, De natura & naturalibus,

Ad 3. *S. Aug.* procedit paulatim inquirendo, dubitando, diſcutiendo, & ſecernendo erronea, falſa, aut improbabiliora: ad eligendum veriora ac certiora, & tandem in eis ſiſtendum ſupra, 12. *Ciu.* 9. *Al. & Bon.* negant id poſſibile, vt ſupra *col.* 250. Docent ex *B. Aug.* primum peccatum fuiſſe ſuperbiæ: Sed non diſtinguunt tam præciſè quàm *Scotus* ab amore proprio complacentiæ. *Al.* negat Angelum poſſe peccare venialiter, ob excellentiam ſui ſtatus, & malitiam in peccando: *Scotus* cenſet Adamum potuiſſe primò peccare venialiter; quia Deus non obligabat eum ad ſingula tam grauiter quam Angelos. Vt patet ex permiſſione edêdi de omni fructu Paradiſi excepto vnico.

Quorum grauiora recurrent ex profeſſo à q. 7.

QVÆSTIO VI.

MORALIS.

De fructu & praxi doctrinæ de Angelis.

1. AD fidem credendorum ſupra, *col.* 225.

2. Ad timorem Dei ſalutarem. Ex Eſa. 14. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer? qui dicebas in cœlum aſcendam, &c. In infernum detraheris.* Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia & perfectus decore, &c. donec inuenta eſt iniquitas in te, &c.* 2. Petri 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit: ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari, &c. nouit Dominus iniquos in diem iudicij reſeruare, &c. Angeli virtute & fortitudine cùm ſint maiores, non portant aduerſum ſe execrabile iudicium.* Epiſt. Iudæ. *Angelos qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Iob 40. *Ecce Behemoth quem feci tecum, &c. Stringet caudam quaſi cedrum, &c. Ipſe eſt Principium viarum Dei.* Cap. 41. *Sternutatio eius ſplendor ignis, &c. De ore eius tedæ ignis. De naribus eius fumus, &c. Halitus eius prunas ardere facit, &c.* Væ ab eius ſcintillis, & halitu in nobis, ſeu à moribus diaboli, ſtatim excutiẽdis, & extinguendis. *Eph.* 6. *Induite vos armaturam Dei: vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli. Non enim eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, &c.* Apoc. 12. *Factum eſt prælium magnum in cœlo: Michaël & Angeli eius præliabuntur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.*

3. Ad horrorem & odium malitiæ diabolicæ, in ſe, & in nobis per quamlibet ſimilitudinem & participationem. Ex Pſal. 73. *Tu confregiſti capita Draconis, dediſti eum eſcam populis Æthiopum.* B. Aug. *Confregiſti ſuperbiam Diabolicam. Æthiopes nigri acceperunt in eſcam Chriſtum, quo ſe conſummarent: Diabolum, quem conſumerent, &c. Hinc omnes Diabolum mordent, reprehendendo, culpando, accuſando. His morſibus conſumitur Diabolus, &c.* Infra. *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Pſal. 103. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei, &c.* Pſal. 138. *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Sap. 7. *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem.* Ioan. 8. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis implere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia mendax eſt & pater eius* .i. mendacij. Cauendum ne quid in nobis, & nos ipſos ſui ſimiles quaſi generet. In Epiſt. Iudæ. *Cùm Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore: non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit imperet tibi Dominus.* Quaſi in horrorem blaſphemiæ Diabolicæ. *Gen.* 6. Viderunt filij Dei filias hominum, &c. Si de incubis & priùs ſuccubis Dæmonibus, eorumque incentiuis ad ſpurciſſima flagitia: quid horribilius?

4. Ad magnam ſpem & fiduciam in Deum, per ſanctos Angelos, cõtra diabolum. Ex 4. Reg. 6. Reſpondit Eliſeus ſuo puero. *Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis. Cumq; oraſſet, Domine aperi oculos huius vt videat: aperuit Dominus oculos pueri & vidit; & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſei.* Eſa. 62. *Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes: tota die & tota nocte in perpetũ non tacebunt.* Pſal. 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs ſuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Matt. 4. Luc. 4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum, vt tentaretur à diabolo, &c.* Matt. 18. *Ne contemnatis vnũ de puſillis iſtis: quia Angeli eorũ in cælis ſemper vident faciem Patris.* Cap. 22. *In Reſurr. erunt ſicut Angeli Dei in cælo, &c.* Luc. 15. *Maius gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper* 99. *iuſtis, qui non indigent pœnitentiâ, &c.* Ioan. 12. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.* 16. *Iam iudicatus eſſet.* 1. Petri 5. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Apoc. 20. *Angelus apprehendit Draconem antiquum qui eſt Diabolus, & ligauit eum per annos mille, & cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas, &c.*

5. Ad veram Charitatem, Religionem, & cultum Dei, ac Mediatoris noſtri Ieſu Chriſti & Sanctorum Angelorum: contra omnem idolatriã ac cultum ſuperſtitioſum dæmonũ. Ex Coloſ. 2. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens Caput ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.* B. Aug. *Epiſt.* 59. *ad Paulinum quæſt.* 8. Fit enim miris modis in anima hominis, vt de falſa humilitate magis infletur, quàm ſi apertius ſuperbiret. *Et non tenens*, inquit *Caput*: quod vult Chriſtum intelligi. Lib. 10. Cõf. 42. *Quẽ inuenirẽ qui me reconciliaret Deo? An eundum mihi fuit ad Angelos? Qua prece quibus Sacramẽtis, &c.* vt in 4. *col.* 985. Hebr. 2. *Cui aliquando Angelorum dixit Deus: filius meus es tu, ego hodie genui te? Adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelnos quidem dicit: qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis, &c. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dex-*

QVÆSTIO VII.
DOGMATICA.

Quænam ſint credenda, vel cauenda de Natura, Gratia, Meritis, & peccatis Naturæ, vel Animæ humanæ.

RESP. Quæcumque ſupra *col.* 197. 108. de Creaturis in genere: & quod *col.* 225. de differẽtia & inæqualitate naturæ, inter homines eorumque animas & Angelos.

2. Specialiter quòd non ſit duplex anima in homine: altera bona, à Deo & ex propria eius natura, eique coæterna: altera mala, à quodam primo & ſummo malo, & ex eiuſdem natura, eidemque coæterna; ſed ſit vna eademque rationalis in ſingulis, eaque naturâ ſuâ bona, non ab Angelis, ſed à ſolo Deo, ex nihilo creata, non autem ex ipſa Dei natura, ſed tantùm ad aliquam eius imaginem & ſimilitudinem. Contra hæreſim *Gnoſticorum, Manichæorum, Seleucianorum, Priſcillianiſtarum*, apud *B. Aug.* hæreſi 6. 46. 70.

3. Animam humanam non eſſe mortalem, nec corpoream, nec alicuius formæ aut figuræ corporeæ: ſed naturâ ſuâ immortalem, ſpiritualem, incorpoream, & incapacem formæ aut figuræ corporeæ. Contra *Saducæos, Act.* 23. *Athæos*, & hæreſim ſpecialẽ *Tertulliani* ac *Tertullianiſtarum*, apud *Aug. Hæreſi* 86. quòd Anima ſit quidem immortalis, *ſed ſit corpus effigiatum.*

4. Animas humanas eſſe veras formas naturales corporis humani: non ante corpora creatas & ad corpora humana ex priori culpa damnatas, ſed in ſuis corporibus creatas. Contra errorem *Pythagoræorum*, de tranſanimatione corporum, & tranſincorporatione animarum: & hæreſim *Tertully*, ac *Tertulliani* apud *Aug.* hæreſi 78. & 86. quòd animæ peſſimorum hominum poſt mortem vertantur in Dæmones & Beſtias. Quam feruntur *Albigenſes* circa annum 1200. renouaſſe. Imò contra quendam *Petrum Ioannis*, qui negabat Animam humanam vt rationalem eſſe formam corporis humani. Quod condemnatur hæreſeos in *Conc. Vien. ſub. Clem.* 5. inter *Clement. titulo De ſumma Trin. & fide Cathol.* his verbis: *Doctrinam omnem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium quòd ſubſtantia animæ rationalis ſeu intellectiuæ verè ac per ſe humani corporis non ſit forma: velut errorem, ac veritati Catholicæ fidei inimicam, ſacro approbante Concilio reprobamus; definientes quòd quiſquis deinceps id pertinaciter negare præſumpſerit, tanquam hæreticus ſit cenſendus.*] Quia videlicet eſt de fide hominem eſſe rationalem: ergo non niſi ab anima vt forma ſua rationali. Denique, contra errorem *Auicennæ*, quòd intellectus non ſit forma propria & informans, ſed communis & aſſiſtens.

5. Animas humanas non generari per transfuſionem materialem, aut partialem, ex corporibus vel animabus parentum: contra *Luciferianos* apud *Aug. hæreſi* 81. ſed non contra quandam traductionem ſpiritualem, quam multi S. Patres docuerunt, & de qua *S. Aug.* grauiter dubitauit.

6. Corpora humana integra vtriuſque ſexus, eorumque generationem naturalem, per legitima coniugia, eſſe bona, & à Deo inſtituta ad propagationem & conſeruationẽ generis humani. Contra *Gnoſticos, Adamianos, Manichæos, Patricianos, Priſcillianiſtas, Paternianos, Ruſticianos*, apud *Aug. hæreſi.* 6. 31. 46. 61. 70. 85. 87. qui abhorrebant ſexus, nuptias, generationem, & abutebantur ad turpitudines contra naturam.

Contra quas omnes hæreſes ſimul, Concil. *Bracc.* 1. ſub Honorio 1. Can. 5. *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt; Anathema ſit.* Can. 6. *Si quis animas humanas dicit priùs in cœleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc in corpora humana interiectas, ſicut Priſcillianus dixit, Anathema ſit.* Can. 7. *Si quis dicit Diabolum non fuiſſe priùs Angelum bonum à Deo factum, &c. Sed dicit eum è tenebris emerſiſſe, nec aliquem ſui habere authorem, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, Anathema ſit.* Can. 8. *Si quis credit quòd aliquas immundas creaturas Diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempeſtates, & ſiccitates ſuâ authoritate, facit, ſicut Priſcillianus dixit, Anathema ſit.* Can. 9. *Si quis animas & corpora humana fatalibus ſtellis credit aſtringi, ſicut Pagani & Priſcillianus dixerunt. Anathema ſit.* Can 10. *Si quis* 12. *ſigna quæ Mathematici obſeruare ſolent, per ſingula animæ vel corporis membra diſſipata credunt, & nominibus Patriarcharum adſcripta dicunt, ſicut Priſcillianus dixit, Anathema ſit.* Can. 11. *Si quis coniugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, Anathema ſit.* Can. 12. *Si quis plaſmationem humani corporis Diaboli dicit figmentum eſſe, & conceptiones in vteris matrum opere dicit Dæmonum figurari, propter quod reſurrectionem carnis non credit, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, Anathema ſit.* Can. 13. *Si quis dicit creationem vniuerſæ carnis non opificium eſſe Dei, ſed malorum Angelorum, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt. Anathema ſit.* Can. 14. *Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in vſum hominum dedit, & non propter afflictionem ſui corporis, ſed quaſi immundiciam putans, ita abſtineat ab eis vt nec olera cocta cum carnibus prægustet, ſicut Manichæus & Priſcillianus docuerunt, Anathema ſit.*

Præter

Digitized by Google

Præter quæ, inter credenda recenſet 1. *Philaſter* Brixienſis, animam *Adami* non fuiſſe creatam *Gen.* 1. illâ inſpiratione Dei. 2. *S. Hier.* non fuiſſe creatam ante corpus: contra *Ioan. Epiſcopum* Hieroſol. & *Philaſtrum.* 3. Non propagari per Traducem contra pleroſque Antiquos Patres. Sed *Ad* 1. Multi, & Catholici cenſent hac inſpiratione ſignificari increationem Animæ ſpiritualis in corpore Adami. *Ad* 2. *B. Aug.* Videtur totus pròblematicus de creatione animæ Adæ ante & extra, vel intra corpus. Nam 7. *in Gen.* 24. *Credatur,* inquit, *ſi nulla ſcripturæ authoritas, ſeu veritatis ratio contradicit.* Cap: 8. *Sed ſi anima latebat: vbi ei poſſet eſſe meliùs quàm in corpore? An ad corpus adminiſtrandum voluntate propriâ fuit inclinata?* Cap. 26. *Nimis incredibile eſt, eam potuiſſe propria voluntate inclinari ad corporis vitam: ſi ſe ita in quibuſdam peccaturam præſciret, vt iuſtè ſupplicio perpetuo puniretur.* Cap. 27. *Sed ſi ad hoc ſit anima vt mittatur in corpus: quæri poteſt vtrum ſi noluerit compellatur; ſed meliùs creditur hoc naturaliter velle .i. in ea natura creari vt velit.* Cap. 28. *Si autem aliquis non vult eam exiſtimare factam, niſi cum iam formato corpori eſt inſpirata: videat quid reſpondeat, cum quæritur vnde facta ſit.* Infra. *Sed ſi poſſunt hæc meliùs intelligi: non ſolùm non reſiſto, ſed etiam faueo. Nunc tamen de anima nihil confirmo: niſi quia ex Deo ſic eſt, vt non ſit ſubſtantia Dei; & ſic incorporea, vt non ſit corpus, ſed ſpiritus, &c. non de ſubſtântia Dei, ſed factus à Deo; nec ita factus vt in eius naturam natura vlla corporis vel irrationalis animæ verteretur, ac per hoc de nihilo; & quòd ſit immortalis ſecundùm quendam vitæ modum. Cætera quæ in hoc libro diſceptando locutus ſum: ad hoc valeant legenti, vt nouerit quemadmodum ſine affirmandi temeritate quærenda ſint, quæ non apertè Scriptura loquitur.* Lib. 10. *à cap.* 1. *ad* 24. De creatione omnium animarum quaſi ſimul in prima anima *Adami*: non vt in ſuo toto, nec vt in potentia; ſed vt in exemplari externo, ad cuius ſimilitudinem reliquæ creantur, ſine creatione nouæ naturæ. Ex Gen. 2. *Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.* Nec *S. Hier.* contendit eſſe de fide, niſi animas fuiſſe ante corpora in ſtatu & ſpatio peccandi: contra Pythagoreos, Platonicos, & Origeniſtas; non autem quin fuerint, aut ſint priùs naturâ vel inſtãti, incapaces peccãdi.

Ad 3. Idem *B. Aug. lib.* 3. *De libero Arb. c.*20. *&* 21. *lib.* 10. *in Gen. lib.* 1. *ſeu Epiſt.* 28. *ad Hier. Libris* 4. *De origine animæ, & Epiſt.* 157. ex profeſſo negat eſſe de fidè: non in ſenſu nimis materiali *Luciferianorum,* quem *Hæreſi* 81. cenſet eſſe hæreticum; nec in ſenſu ſaltem abſurdo *Tertulliani,* à quo nimis abhorret. *Hæreſi* 86. *lib.* 10. *in Gen. & lib.* 4, *De orig. animæ*; ſed in quodam ſpirituali & exemplari. De quo infra ſub Quæſt. Scholaſtica.

DE LIBERO ARBITRIO,

GRATIA, MERITIS ET PECCATIS.

Credenda ſunt 1. *Ex Epiſtolis inter Innoc. Papam & Patres Conc. Carthag. & Mileuitani.*

EX EPIST. 90. INTER AVGVSTINIANAS, Patrum Concilij Carthaginenſis, ad Innocentium Papam:

De actis contra Pelagium, & Cæleſtium.

CVm ex more ad Carthaginenſem Eccleſiam ſolemniter veniſſemus, &c. Compresbyter noſter Oroſius nobis literas Sanctorum fratrum & Conſacerdotum noſtrorum dedit, Herotis & Lazari: quarum formam his conſtituimus eſſe ſubdendam. His ergo lectis, Pelagium & Cœleſtium Authores nefarij prorſus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris aduertimus. Vnde factum eſt, vt recenſendum peteremus, quid ante fermè quinquennium ſuper Cœleſtij nomine hîc apud Eccleſiam Carthaginenſem fuerit agitatum. *Vide* 2. *Retr. cap.* 33. *&* 50. *&c.* Hoc itaque geſtum Domine frater Sancte, Charitati tuæ intimandum duximus: * vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur authoritas. *Subdit & breuiter reprobat eorum errores, vt ſolet B. Aug.* Veremur ne apud te iſta commemorando, * quæ maiore gratiâ de ſede apoſtolicâ prædicas, inconuenienter facere videamur, &c. Si ergo Pelagius geſtis quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi iuſtè viſus fuerit abſolutus: error tamen ipſe & impietas, quæ tam multos aſſertores habet, * etiam authoritate apoſtolicæ ſedis anathematizanda eſt.

EX 91. EPIST. B. INNOCENTII PAPÆ, ad Patres Concilij Carthaginenſis.

2. Retract. 50.

ANtiquæ traditionis exempla ſeruantes & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe iudicium: ſcientes quid Apoſtolicæ ſedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur: * à quo ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas nominis huius emerſit. Quem ſequentes, tam mala iam damnare nouimus, quam probare laudanda. Patrum inſtituta non cenſetis eſſe calcanda: quod illi non humana, ſed diuina decreuere ſententia; vt quicquid de diſcretis remotiſque prouincijs ageretur, non priùs ducerent finiendum, niſi ad huius ſedis notitiam perueniret:

Digitized by Google

perueniret: vbi tota huius auctoritate, iuſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur; * indeque ſumerēt cæteræ Eccleſiæ, velut, de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, &c. Gratulor igitur, fratres Chariſſimi, quod per fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Iulium litteras ad nos deſtinaſtis, &c. Sanandum ergo celeriùs, ne longiùs execrandus animis morbus inſerpat: vt ſi Medicus ne corpus reliquum ſua tabe corrumpat, ferro amputat quod nocebat, &c. Nam quid nos de his poſt hac rectū exiſtimemus, qui ſibi ſe putant debere quod boni ſunt, &c. * Ergo eris tibi in præuidendo præſtantior, quàm poteſt in te eſſe, qui te vt eſſes effecit? & cui putas debere quòd viuis: quomodo non putes debere quòd quotidianam conſequendo gratiam, taliter viuis, &c. Quid tam mortiferum, ſi Authoris noſtri obliti, eius potentiam abiuremus: quaſi iam ampliùs quod poſſit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit, &c.* Cum pares nos ad reſiſtendum, non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium. *Infra.* Liberum enim arbitrium olim ille perpeſſus, dum ſuis inconſultus vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demerſus, nihil quemadmodum ex inde ſurgere poſſet inuenit, &c. *Lib. de dogmatibus Eccl. cap.* 22. * Neceſſe eſt enim vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur. Cum hoc totum in noſtra profeſſione conſiſtat, quotidianiſque precibus nihil agamus niſi quatenus Dei miſericordiam conſequamur: quomodo ferre poſſimus iſta iactantes, &c.

EX EPIST. 92. B. AVG. ET RELIQVORVM Patrum Concilij Mileuitani, ad B. Innocentium Papam.

QVia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuæ munere in ſede Apoſtolica collocauit, diligentiam qua ſumus adhibere digneris. Noua quippe hæreſis & nimium pernicioſa tentat ſurgere, inimicorū gratiæ Chriſti, qui nobis etiam Dominicam orationem impijs diſp. conantur auferre. *Subdit ac breuiter reprobat eorum errores: vt ſolet Aug.* Non opus habemus tantam impietatem vobis exaggerare, &c. Huius autem pernicioſiſſimi erroris authores eſſe perhibentur, Pelagius & Cæleſtius, &c. Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſis Prouinciæ Coëpiſcopos noſtros: quos ad ſedem Apoſt. quam Beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus, &c,

EX EPIST. 93. B. INNOCENTII PAPÆ ad Patres Concilij Mileuitani.

INter cæteras Romanæ Eccleſiæ curas frater & Coëpiſcopus noſter Iulius, dilectionis veſtræ litteras, ex Mileuitano Concilio mihi inopinanter ingeſſit: Cartaginenſis etiam Synodi querelæ parilis ſcripta ſubiungens. Exultat Eccleſia, tantā ſolicitudinem commiſſis gregibus exhibere paſtores, &c. Diligenter ergo & congruè Apoſtolico conſuluiſtis honori: honori, illius inquam, quem ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum 2. Cor. 11. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coëpiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris Authorem referre debere: velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſijs in commune prodeſſe. *Infra.* Quid acerbius in Deum fingere potuerunt, quàm cùm adiutoria diuina caſſarent, cauſamque quotidianæ precationis auferrent? * Hoc eſt dicere, quid mihi opus Deo? Meritò in hos *Pſal.* 51. Ecce homines qui non poſuerunt Deum adiutorem ſibi, &c. Audi Dauid dicentem *Pſal.* 125. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Et Pſal.* 26. Adiutor meus eſto ne derelinquas me. *Infra.* Quare Pelagium, Cæleſtiumque, id eſt inuentores vocum nouarum, &c. 2. *Tim.* 2. Eccleſiaſticâ communione priuari, Apoſtolici vigoris authoritate cenſemus, donec reſipiſcant de Diaboli laqueis, &c. Simul autem præcipimus, vt quicunque id pertinacia ſimili defenſare nitantur, par eos vindicta conſtringat, &c. Datum 6. Kal. Febr. Honorio & Conſtantio viris clariſſ. Conſulibus.

EX EPIST. 94. B. AVG. AD HILARIVM: Contra Pelagium, duobus Concilijs damnatum.

Apud Poſſidium.

N*Oua quædam hæreſis inimica gratiæ Chriſti contra Eccleſiam Chriſti conatur exurgere: ſed nondum euidenter ab Eccleſia ſeparata eſt.* Subdit grauiores eius errores. *Cum iſta ſcriberem, cognoueramus in Eccleſiâ Carthaginenſi aduerſus eos Epiſcopalis Concilij conditum fuiſſe decretum, per Epiſt. S. & venerabili Papæ Innocentio dirigendam: Et nos de Concilio Numidiæ ad eandem Apoſtolicam ſedem iam ſimiliter ſcripſeramus, &c.*

EX EPIST. 95. B. AVRELII, ALIPII. AVG. Euodij, & Poſsidij, ad B. Innocentium Papam ſtylo & ſpiritu prorſus Auguſtiniano, contra Pelagium.

DE Concilijs duobus, Prouinciæ Carthaginenſis, atque Numidiæ, ad tuam ſanctitatem à non paruo Epiſcoporum numero ſubſcriptas litteras miſimus, contra inimicos gratiæ Chriſti, &c. Familia Chriſti adiutorium Dei etiam per Charitatem tuæ ven. expectat. Audiuimus enim eſſe in vrbe Româ, vbi ille diù vixit, nonnullos qui diuerſis cauſis ei faueant: quidam ſcilicet, quia vos talia perſuaſiſſe perhibent: Plures verò qui eum talia ſentire non credunt. *Subdit eius fallaciam in Synodo Palæſtinâ.* Non agitur de vno Pelagio: ſed de tam multis, &c. Aut ergo à tua veneratione acciendus eſt Romam, & diligenter interrogandus, quā dicit gratiā, &c. aut hoc ipſum cum eo per litteras agendum, &c. Siue enim eam gratiam dixerit eſſe liberum arbitrium, ſiue remiſſionem peccatorum, ſiue legis præceptum: nihil eorum dicit, quod per ſubminiſtrationem Spiritus ſancti pertinet ad tentationes vincendas, &c. Hinc enim oramus, &c. Ne nos inferas in tentationem, &c. * Vnde ſatis apparet quòd ad nō malè faciendum quāuis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis: tamen eius poteſtas non ſufficiat, niſi adiuuetur infirmitas. Ipſa igitur oratio, clariſſima eſt gratiæ teſtificatio, &c. Nec lex iuberet, niſi eſſet voluntas, nec

gratia iuuaret, ſi ſat eſſet voluntas. Miſimus Reuerētiæ tuæ librum quem dederunt quidam Religioſi & honeſti adoleſcentes ſerui Dei Timaſius & Iacobus: qui ipſius Pelagij exhortatione ſpē quam habebant in ſæculo reliquerunt, & nunc continēter Deo ſeruiunt. Qui cum eodem errore tandem per operam noſtrā Domino inſpirante caruiſſent, protulerunt eundem librum, Pelagij eſſe dicētes, vt ei reſponderetur, &c. Vtrumq; miſimus, & cui reſpōſum eſt, & quod reſponſū eſt, &c. Signa fecimus, vbi petimus inſpicere non graueris, &c. Si autem hunc eſſe ſuum librum negat: anathematizet, & illam confiteatur gratiam quam doctrina Chriſtiana prædicat, &c. Etſi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati ſumus, &c. Alia eſt tamen qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, glorificamur, &c. De hac gratia quæſtio vertebatur. Hanc Apoſtolica doctrina gratiam appellat. *Gal.* 2. 5. *Rom.* 4. 11. *&c. Subdit neq; legem fuiſſe aut eſſe illam gratiam ex Gal.* 3. *Rom.* 3. 4. *&c.* Inde eſt quòd ait ipſe Mediator *Ioan.* 8. Abraham Pater veſter cōcupiuit videre diem meū, & vidit & gauiſus eſt. * Inde Melchiſedech. *Gen.* 14. prolato Sacramento menſæ Dominicæ, nouit æternum eius Sacrificium figurare. Cum dicit *Rom.* 3. Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, &c. Oſtendit quia tunc erat: ſed tanquam illa pluuia quam Gedeon impetrauit *Iud.* 6. tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in area manifeſtata, &c. * Sicut confugiunt multi à facie regnantis peccati ad gratiam velut aream nunc patentem: ita pauci ad eam confugiebant velut in vellere tunc latentē, &c. Anathematizet ergo Pelagius ſcripta ſua vbi contra eam diſputat, &c. aut ſi ſua eſſe negat, anathematizet ea tamen & dānet, paterna exhortatione & authoritate ſanctimoniæ tuæ. * Illud vero quod dicunt hominem poſſe eſſe ſine peccato, &c. diligentiùs pertractandum, propter alios quoſdam qui ſenſerunt etiam in hac vita poſſe homines eſſe ſine peccato: non ab initio natiuitatis ſuæ, ſed conuerſione diuinitatis ad iuſtitiam, &c. non quidem negantes imò etiam piè confitentes adiutorium gratiæ Domini noſtri, * non per naturalem ſpiritum hominis ſed per principalem ſpiritum Dei, *Pſal.* 50. Quòd ſi res ita ſe habet, profectò, 1. *Ioan.* 3. Qui natus eſt ex Deo non peccat: ſecundum ipſam Charitatem dictum eſt, quæ ſola non peccat, &c. Sed quoquo modo ſe habet iſta quæſtio, &c. tolerabiliter in id quiſque fallitur: nec diabolica impietas ſed error humanus eſt, elaboranda & optanda affirmare, &c. Nobis autem ſufficit, quòd nullus in Eccleſia Dei reperitur in quolibet profectu, qui ſibi audeat dicere non neceſſariam precationem Orationis Dominicæ, ne ſeipſum decipiat, & veritas in eo non ſit. 1. *Ioan.* 1.

EX EPIST. 96. B. INNOCENTII ad præfatos.

FRaternitati veſtræ lineas plenas fidei, &c. à duobus miſſas Concilijs, per fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Iulium, pergrato ſuſcepimus animo, Sed de his iam ſatis, cum veſtris relationibus reſcripſimus, &c. Nam ſi Pelagius quocumque reſtitit, eorū animos qui facilè crederent decepit, ſeu hac illi in vrbe ſint, ſiue in quouis terrarum loco degāt Dei noſtri miſericordia gratiaque credimus quòd facile corrigantur, audita eius damnatione. Nobis nec perſuaderi poteſt eum eſſe purgatum, &c. Aliqua vt ad tempus poterat videri, purgauit negando, alia falſa interpretatione vertendo: *Sed* vtinam cupiat velitque purgari. Qui ſi confidit, &c. non à nobis accerſiri, ſed ipſe debet potiùs feſtinare vt abſolui poſſit, &c. Librum ſanè qui eius eſſe diceretur, nobis à veſtra charitate tranſmiſſum euoluimus: In quo multa blaſphemia, &c. Anathematizet ergo iſta quæ ſenſit, &c.

Ex Concil. Mileuitano.

ſub INNOCENTIO I.

Ca. 1. PLacuit ergo omnibus Epiſcopis qui fuerūt in hac ſancta ſynodo, cōſtituere hæc quæ in præſenti Cōcilio definita ſunt. Vt quicūq; dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt ſiue peccaret, ſiue nō peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, Anathema ſit.

Ca. 2. Item placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrū baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde fit conſequēs vt in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera ſed falſa intelligatur, Anathema ſit · quoniam non aliter intelligendum eſt quod ait Apoſtolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt: niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbique diffuſa ſemper intellexit: Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Ca. 3. Item placuit, vt quicunque dixerit Gratiam Dei, in qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium vt non committantur, Anathema ſit.

Ca. 4. Item quiſquis dixerit eandem gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus non autem per illam nobis præſtari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, Anathema ſit. Cùm enim dicat Apoſtolus: Scientia inflat, charitas verò ædificat: valde impium eſt vt credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, ad eam quæ ædificat, non habere, cùm ſit vtrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus: vt ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem

autem de eo ſcriptum eſt. Qui docet hominem ſcientiam, ita etiam ſcriptum eſt: Charitas ex Deo eſt.

Ca. 5. Item placuit, vt quicunque dixerit ideo nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquam & ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere diuina mandata, Anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, Sine me difficiliùs poteſtis facere, ſed ait: Sine me nihil poteſtis facere.

*Ca.*6.Item placuit quod ait S.Ioãnes Apoſtolus. Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quiſquis ſic accipiendum putauerit, vt dicat propter humanitatem non oportere dici nos non habere peccatum, non quia veritas eſt, Anathema ſit. Sequitur enim Apoſtolus & adiungit: Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate: Vbi ſatis apparet hoc non tantùm humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere. Si dixerimus quia non habemus peccatum, noſipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt. Sed cùm ait: Noſipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt: ſatis oſtendit eum qui ſe dixerit non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.

Ca. 7. Item placuit, vt quicumque dixerit in oratione Dominica ideò dicere ſanctos, Dimitte nobis debita noſtrâ, vt non pro ſeipſis hoc dicant, quia non eſt eis iam neceſſaria iſta petitio, ſed pro alijs qui ſunt in ſuo populo peccatores & ideo non dicere vnumquemque ſanctorum, Dimitte mihi debitá mea, ſed dimitte nobis debita noſtra, vt hoc pro alijs potiùs quàm pro ſe iuſtus petere intelligatur, anathema ſit. Sanctus enim & iuſtus erat Apoſtolus Iacobus cùm dicebat: In multis enim offendimus omnes. Nam quare additum eſt omnes, niſi vt iſta ſententia conueniret & Pſalmo, vbi legitur. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens? Et in oratione ſapientiſſimi Salomonis: Non eſt homo qui non peccet. Et in libro Iob: In manu omnis hominis ſignat, vt ſciat omnis homo infirmitatem ſuam. Vnde etiam Daniel ſanctus & iuſtus, cùm in oratione pluraliter diceret peccauimus, iniquitatem fecimus, &c. Quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam ſentiunt, hæc non de ſuis, ſed de populi ſui potiùs dixiſſe peccatis, poſtea dixit: Cùm orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo noſtro, noluit dicere peccatá noſtra, ſed populi ſui dixit, & ſua, quia futuros iſtos qui tam malè intelligunt, tanquam Propheta præuidit.

Ca. 8. Item placuit, vt quicumque verba ipſa Dominicæ orationis, vbi dicimus, dimitte nobis debita noſtra, ita volunt a ſanctis dici, vt humiliter, non veraciter hoc dicatur, Anathema ſit. Quis enim ferat orantem & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labijs ſibi dicit, dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur, debita non habere? Hucuſque de fide contra Pelagianos, nunc regulæ tractentur Eccleſiaſticæ.

Ex Concil. Arauſicano.

Sub INNOCENTIO I.

Ca. 1. SI quis per offenſam præuaricationis Adæ, non totum, id eſt, ſecundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus aduerſatur Scripturæ dicenti: Anima quæ peccauerit ipſa, morietur. Et neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis? Et à quo quis ſuperatur, eius & ſeruus addicitur.

Ca. 2. Si quis ſoli Adæ præuaricationem ſuam, non & eius propagini aſſerit nocuiſſe, aut certè mortem tantùm corporis (quæ pæna peccati eſt, non autem & peccatum quod mors eſt animæ) per vnum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccacum, mors in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.

Ca. 3. Si quis per inuocationem humanam gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere vt inuocetur à nobis, contradicit Eſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti. Inuentus ſum a non quærẽtibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.

Ca. 4. Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

Ca. 5. Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iuſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit: Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbatur, Beato Paulo dicente: Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri IESV Chriſti. Et illud: Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini. Et Gratiâ ſalui facti eſtis per fidem, non ex vobis, Dei enim donum eſt. Qui enim fidem quâ in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem: omnes eos qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe definiunt.

Ca. 6. Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpiratio-

nem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens & humillimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti? & Gratiâ Dei ſum id quod ſum.

Ca. 7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare non expedit, aut eligere, ſiue ſalutari, id eſt, Euangelizanti prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritu i ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere. Et illud Apoſtoli: Non quòd idonei ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

Ca. 8. Si quis alius miſericordia, alius verò per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de præuaricatione primi hominis nati ſunt) conſtanti ſæuitia hominem ad gratiam baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum, aut certè ita læſum putat, vt tamen quidam valeant ſine reuelatione Dei myſterium ſalutis æternæ per ſemetipſos poſſe conquirere. Quod quàm ſit contrarium, ipſe Dominus probat, qui non aliquos ſed neminem ad ſe poſſe venire teſtatur, niſi quem Pater attraxerit: ſicut & Petro dicit: Beatus es Simon BarIona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et Apoſtolus: Nemo poteſt dicere Dominum IESVM Chriſtum niſi in Spiritu ſancto.

Ca. 9. Diuini eſt muneris cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, vt operemur, operatur.

Ca. 10. Adiutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono poſſint opere perdurare.

Ca. 11. Nemo quicquam Domino rectè vouerit, niſi ab ipſo acceperit, ſicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.

Ca. 12. Tales nos amat Deus quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.

Ca. 13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari. Quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. Vnde ipſa veritas dicit: Si vos filios liberauerit, tunc verè liberi eritis.

Ca. 14. Nullus miſer de quantacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur, ſicut dicit Pſalmiſta: Citò anticipet nos miſericordia tua Domine. Et illud: Deus meus, miſericordia eius præueniet me.

Ca. 15. Ab eo quod formauit Deus, mutatur Adam, ſed in peius per iniquitatem ſuam. Ab eo quod operata eſt iniquitas, mutatur fidelis, ſed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit præuaricatoris primi, hæc ſecundùm Pſalmiſtam, mutatio dexteræ excelſi.

Ca. 16. Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur tanquam non acceperit, aut ideo ſe putet accepiſſe, quia litera extrinſecus velut legitur, apparuit, vel vt audiretur ſonuit. Nam ſicut Apoſtolus dicit: Si per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicunque habet. Quiſquis autem inde ſe habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.

Ca. 17. Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.

Ca. 18. Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant. Neminem niſi Deo miſerante, ſaluari.

Ca. 19. Natura humana etiam ſi in illa integritate in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Vnde cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

Ca. 20. Multa in homine bona fiunt quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona quæ non Deus præſtet vt faciat homo.

Ca. 21. Sicut eis qui volentes in Lege iuſtificari, & à gratia exciderunt, veriſſimè dicit Apoſtolus: Si ex lege iuſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, iam hic enim erat Lex, & non iuſtificabat, iam hic erat & natura, & non iuſtificabat, ideo Chriſtus non gratis mortuus eſt, vt & Lex per illum impleretur, qui dixit: Non veni Legem ſoluere, ſed adimplere: & natura per Adam perdita, per illum reparetur, qui dixit veniſſe ſe quærere & ſaluare quod perierat.

Ca. 22. Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque iuſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, non deficiamus in via.

Ca. 23. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas eſt, à quo præparatur, & obitur quod volunt.

Ca. 24. Ita ſunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, ſed inde accipiant vnde viuant. Sic quippe vitis eſt in palmitibus, vt vitale ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, Diſcipulis prodeſt, & non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viua radice alius pullulare. Qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice viuere.

Ca. 25. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Diffundit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris & Filij, quem cum Patre amamus & Filio. Ac ſic ſecundùm ſupra ſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis

Digitized by Google

hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus poſtea aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia diuina præuenerit. Vnde Abel iuſto, & Noë, & Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omni antiquorum Sanctorum multitudini, illam præclaram fidem quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam: quia gratiam etiam poſt aduentum Domini omnibus qui baptizari deſiderant, non in libero arbitrio haberi, ſed in Chriſto nouimus ſimul & credimus largitate conferri, ſecundùm illud quod ſupra dictum eſt. & prædicat Paulus Apoſtolus: Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini. Et illud: Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri. Et illud: Gratiâ ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. Et quod de ſeipſo ait Apoſtolus: Miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem. Non dixit, quia eram, ſed vt eſſem. Et illud: Quid habes quod non accepiſti? Et illud: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Innumerabilia ſunt ſanctarum Scripturarum teſtimonia, quæ poſſint ad probandam gratiam proferri, ſed breuitatis ſtudio prætermiſſa ſunt, quia & re vera, cui pauca non ſufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati (Chriſto cooperante & auxiliante) quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere. Aliquos verò ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione in illis, Anathema dicimus. Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur, ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorem ſui priùs inſpirat, vt & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum (cum ipſius adiutorio) ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus. Vnde manifeſtiſſimè credendum eſt, quòd & illius latronis quem Dominus ad Paradiſi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed diuinæ largitatis donum.

Hanc definitionem antiquorum Patrum, non ſolùm Epiſcopi, ſed Laici etiam illuſtres & magnifici viri ſubſcripſerunt.

EX EPIST. CELESTINI PAPÆ ad Epiſcopos Galliæ, pro doctrina B. Auguſt. De gratia Dei, per 11. cap.

CAp. 1. *Filij noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſollicitudo laudanda eſt, tantum neſcio quibus præsbyteris illic licere ſunt apud nos proſecuti: vt indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare aduerſantia veritati. Sed veſtræ dilectioni iuſtiùs imputamus, quando illi ſupra vos habent copiam diſputandi. Legimus* Luc. 6. *ſupra Magiſtrum non eſſe Diſcipulum, &c. Timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui, &c. Ergo corripiantur huiuſmodi, &c. Habetote fratres chariſſimi pro Catholicæ plebis pace tractatum. Sciant ſe, ſi tamen cenſentur, præsbyteri dignitate vobis eſſe ſubiectos. Nam quid in Eccleſiis vos agitis, ſi illi teneant ſumma in prædicandi? * Auguſtinũ ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atq; meritis, in noſtra ſemper communione habuimus, nec vnquã hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper deceſſoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune ſenſerunt: vt pote qui vbiq; cunctis & amori fuerit, & honori, &c.*

Cap. 2. *Quia nonnulli qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum ſenſibus, ſiue prauitate, ſiue imperitiâ demorantes, pijſſimis diſputatoribus obuiare præſumunt: & cùm Pelagium atq; Cæleſtium anathematizare non dubitent,* Magiſtris tamen noſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur; eaque tantummodo ſequi & probare profitentur, quæ ſacratiſſima B. Apoſtoli Petri Sedes contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit & docuit: Neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi quæ eorum temporibus exorta fuerat, indicarint: & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores, quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint; ita vt etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas vtique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, dum illas comprobarunt. Vt ergo pleniùs qui in aliquo dubitant inſtruantur, Conſtitutiones SS. PP. cõpendioſo manifeſtamus indiculo, &c.*

Cap. 3. *In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe, & neminem, de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei erexerit, &c.* Ex Epiſt. 91. B. Innoc. Papæ ad Conc. Carthag. ſupra.

Cap. 4. *Neminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participatione ſui ille donet, qui ſolus eſt bonus.* Ex eadem Epiſt.

Can. 5. *Neminem etiam baptiſmatis gratia renouatum idoneum eſſe ad ſuperandas Diaboli inſidias, & ad euincendas carnis concupiſcentias: niſi per quotidianum adiutorium Dei, perſeuerantiam bonæ conuerſationis acceperit.* Ex eadem Epiſt.

Can. 6. *Quod nemo niſi per Chriſtum libero bene vtatur arbitrio.* Ex Epiſt. 93. quæ eſt B. Innoc. ad Concil. Mileuitanum.

Can. 7. *Quod omnia ſtudia & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemq; referenda ſint quia nemo aliunde ei placeat, niſi ex eo quod ipſe donauerit, &c.* Ex quadam Epiſt. Zoſimi Papæ ad totius orbis Epiſcopos, & reſponſoriâ Epiſcoporũ Afrorum: quarum neutra ampliùs extat.

8. *Quod ita Deus in cordibus hominum, atq; in ipſo libero operetur arbitrio: vt ſancta cogitatio, pium*

ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur, & ſentit: quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & vtiliter per Chriſti Iesv gratiam repugnantibus non valet: quinimo, qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, cum aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè, & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, Anathema ſit.

Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones fœlicis recordationis Xyſti Papæ quarti, ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innouat.

Seſſ. 6. *Cap.* 1.

PRimùm, Declarat ſancta Synodus ad iuſtificationis Doctrinam probè, & ſincerè intelligendam, oportere, vt vnuſquiſque agnoſcat, & fateatur, quòd cùm omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti immundi, &, vt Apoſtolus inquit, naturâ filij iræ, quemadmodum in Decreto de peccato originali expoſuit, vſqueadeo ſerui erant peccati, & ſub poteſtate Diaboli ac mortis, vt non modò gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam litteram Legis Moyſi, inde liberari, aut ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum, & inclinatum.

Cap. 2. Quo factum eſt, vt cœleſtis Pater, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Iesvm, Filium ſuum, & ante legem, & legis tempore, multis ſanctis Patribus declaratum, ac promiſſum, cùm venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miſerit; vt & Iudæos qui ſub lege erant, redimeret; & gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, iuſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.

Cap. 3. Verùm, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed ij dumtaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur. Nam, ſicut reuera homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti; cùm ea propagatione, per ipſum dum concipiuntur, propriā iniuſtitiam contrahant: ita, niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam iuſtificarentur; cùm ea renaſcentia per meritum Paſſionis eius gratia, quâ iuſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apoſtolus gratias nos ſemper agere hortatur Patri, qui dignos noſ fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarum; tranſtulitque in regnum filij dilectionis ſuæ; in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.

Cap. 4. Quibus verbis iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, vt ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum, ſaluatorem noſtrum, quæ quidem tranſlatio poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt: ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Cap. 5. Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordiū in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; vt, qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur: ita vt, tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. vnde in ſacris litteris, cum dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri confitemur.

Cap. 6. Diſponūtur autem ad ipſam iuſtitiam dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt; atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, diuinæ iuſtitiæ timore quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandum Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam quam ante Bapti ſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare nouam vitam, & ſeruare diuina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Et, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et, Timor Domini expellit peccatum. Et, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum & accipietis donum Spiritus ſancti. Et, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare quæcumque mandaui vobis. Denique, Preparate corda veſtra Domino.

Cap. 7. Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur; quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem

tes proficere poſſunt per Chriſtum Iesvm, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namque ſuâ gratiâ ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. Itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſolâ ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatemque conſecuturum, etiamſi Chriſto non compatiatur, vt & conglorificetur. Nam & Chriſtus ipſe, vt inquit Apoſtolus, cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam; & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Propterea Apoſtolus ipſe monet iuſtificatos, dicens: Neſcitis, quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; ne fortè, cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Item Princeps Apoſtolorũ Petrus: Satagite, inquit, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Vnde conſtat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduerſari, qui dicunt iuſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare, aut quod intolerabilius eſt, pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus; mercedem quoque intuentur æternam. Cùm ſcriptum ſit: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem: & de Moyſe dicat Apoſtolus, quòd reſpiciebat in remunerationem.

Cap. 12. Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſque adeo præſumere debet, vt certò ſtatuat ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quòd iuſtificatus aut ampliùs peccare non poſſit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.

Cap. 13. Similiter de perſeuerantiæ munere, de quo ſcriptum eſt, Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt eum qui ſtat ſtatuere, vt perſeueranter ſtet, & eum qui cadit, reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſolutâ certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Veruntamen, qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigilijs, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiunijs, in caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes quòd in ſpem gloriæ, & nondum in gloria renati ſunt, de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum Diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent, dicenti, Debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Cap. 14. Qui verò ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cùm excitante Deo, per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iuſtificationis modus eſt lapſi reparatio: quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti Patres aptè nuncuparunt. Etenim pro his, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Iesvs Sacramentum inſtituit Pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Vnde dicendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali: eamque continere non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum; verùm etiam eorundem ſacramentalem confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionem; itemque Satisfactionem per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vna cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, vt ſacræ Litteræ docent, non tota ſemper, vt in Baptiſmo fit, dimittitur illis qui gratiæ Dei quam acceperunt ingrati, Spiritum ſanctum contriſtauerunt, & templum Dei violare non ſunt veriti. De qua pœnitentia ſcriptum eſt: Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum: Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Et rurſus: Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.

Cap. 15. Aduerſus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium, aſſerendum eſt: non modo infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iuſtificationis gratiam amitti; diuinæ legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei non ſolùm infideles excludit, ſed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, auaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, ceteroſque omnes qui lethalia committunt peccata; à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparantur.

Cap. 16. Hac igitur ratione iuſtificatis hominibus, ſiue acceptam gratiam perpetuè conſeruarint, ſiue amiſſã recuperauerint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius: Et, Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo benè operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericordi-

Digitized by Google

ter promiſſa; & tanquam merces, ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter redděda. Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus à iuſto iudice ſibi reddendam: non ſolum autem ſibi, ſed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tanquam Caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur; & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent: nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, vere promeruiſſe cenſeantur. Cùm Chriſtus, ſaluator noſter, dicat: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Itaq; neque propria noſtra iuſtitia, tanquam ex nobis propria ſtatuitur: neque ignoratur, aut repudiatur iuſtitia Dei. Quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iuſtificamur: illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum. Neque vero illud omittendum eſt, quod licet bonis operibus in ſacris litteris vſque adeo tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſua mercede cariturum; & Apoſtolus teſtetur id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: abſit tamē, vt Chriſtianus homo in ſeipſo vel cōfidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Et quia in multis offendimus omnes, vnuſquiſque ſicut miſericordiam, & bonitatem, ita ſeueritatem, & iudicium ante oculos habere debet, neque ſe ipſum aliquis etiam ſi nihil ſibi conſcius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda, & iudicanda eſt, ſed Dei, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui, vt ſcriptum eſt, reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

Poſt hanc Catholicam de iuſtificatione doctrinam, quam niſi quiſque fideliter firmiterque receperit, iuſtificari non poterit: placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubiungere, vt omnes ſciāt, non ſolum quid tenere, & ſequi, ſed etiam quid vitare, & fugere debeant.

CANONES.

Can. 1. Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiāt, abſque diuina per Ieſum Chriſtū gratia poſſe iuſtificari corā Deo, anathema ſit.

Can. 2. Si quis dixerit, ad hoc ſolum diuinam gratiam per Chriſtum Ieſum dari, vt faciliùs homo iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri poſſit: quaſi per liberum arbitrium ſine gratia vtrumque, ſed ægre tamen, & difficulter poſſit; anathema ſit.

Can. 3. Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.

Can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet: neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanimè quoddam nihil omnino agere, mèrèque paſſiuè ſe habere; anathema ſit.

Can. 5. Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit: aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmentum denique à Satana inuectum in Eccleſiam; anathema ſit.

Can. 6. Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere: ſed mala opera ita vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeo vt ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quam vocatio Pauli; anathema ſit.

Can. 7. Si quis dixerit, opera omnia quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum grauius peccare; anathema ſit.

Can. 8. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit.

Can. 9. Si quis dixerit, ſola fide impium iuſtificari: ita vt intelligat nihil aliud requiri quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi; anathema ſit.

Can. 10. Si quis dixerit, homines ſine Chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit, iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe; anathema ſit.

Can. 11. Si quis dixerit, homines iuſtificari vel ſola imputatione iuſtiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione: excluſa gratia, & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam quâ iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit.

Can. 12. Si quis dixerit, fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam diuinæ miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe quâ iuſtificamur; anathema ſit.

Can. 13. Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, vt credat certò & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa; anathema ſit.

Can. 14. Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolui, ac iuſtificari, ex eo quòd ſe abſolui, ac iuſtificari certò credat: aut neminem verè eſſe iuſtificatum

Digitized by Google

ficatum, niſi qui credat ſe eſſe iuſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici; anathema ſit.

Can. 15. Si quis dixerit, hominem renatum, & iuſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum; Anathema ſit.

Can. 16. Si quis magnum illud vſque in finem perſeuerantiæ donum ſe certo habiturum, abſoluta,& infallibili certitudine dixerit: niſi hoc ſpeciali reuelatione didicerit; anathema ſit.

Can. 17. Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit: reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vtpote diuinâ poteſtate prædeſtinatos ad malum; anathema ſit.

Can. 18. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſſibilia; anathema ſit.

Can. 19. Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Euangelio præter fidem: cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit.

Can. 20. Si quis hominem iuſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſeruantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum: quaſi verò Euangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ ſine conditione obſeruationis mandatorum; anathema ſit.

Can. 21. Si quis dixerit, Chriſtum Iesvm à Deo hominibus datum fuiſſe vt Redemptorem, cui fidant, non etiam vt Legiſlatorem, cui obediant; anathema ſit.

Can. 22. Si quis dixerit, iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe; anathema ſit.

Can. 23. Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuiſſe iuſtificatum; aut contra, poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia; Anathema ſit.

Can. 24. Si quis dixerit, iuſtitiam acceptam non conſeruari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; ſed opera ipſa fructus ſolummodo, & ſigna eſſe iuſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam; anathema ſit.

Can. 25. Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut quòd intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantùmque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema ſit.

Can. 26. Si quis dixerit, iuſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo, per eius miſericordiam, & Iesv Chriſti meritum, ſi bene agendo, & diuina mandata cuſtodiendo vſque in finem perſeuerauerint; anathema ſit.

Can. 27. Si quis dixerit, nullum eſſe mortalem peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio, quantumuis graui, & enormi, præterquam infidelitatis peccato, ſemel acceptam gratiam amitti; anathema ſit.

Can. 28. Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratiâ, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licèt non ſit viua; aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.

Can. 29. Si quis dixerit, eum qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere; aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare ſine Sacramento pœnitentiæ, prout ſancta Romana, & vniuerſalis Eccleſia, à Chriſto Domino, & eius Apoſtolis edocta huc uſque profeſſa eſt, ſeruauit, & docuit; anathema ſit.

Can. 30. Si quis poſt acceptam iuſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit; anathema ſit.

Can. 31. Si quis dixerit, iuſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema ſit.

Can. 32. Si quis dixerit, hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita; aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesv Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.

Can. 33. Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de iuſtificatione à ſancta Synodo hoc præſenti Decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesv Chriſti Domini noſtri derogari, & non potiùs veritatem fidei noſtræ, Dei denique ac Chriſti Iesv gloriam illuſtrari; anathema ſit.

Cauenda ſunt in hac materia, quæ à Pio V. & eius ſucceſſoribus inhibentur.

PIVS EPISCOPVS *Seruus Seruorum Dei,*

Ad futuram rei memoriam.

Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino conſtituti tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Chriſtiana tantis iam pridem turbinibus agitata, nouis quotidie propoſitis opinionibus conflictetur, Chriſtique populus antiqui Hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim, & promiſcuè deferatur. Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur,

Digitized by Google

rum, quæ in Baptiſmi lauacro demum percipitur.

33. Diſtinctio illa duplicis amoris: naturalis, videlicet, quo Deus amatur vt auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur vt beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis veterum teſtimonijs excogitata.

34. Omne quod agit peccator, vel ſeruus peccati, peccatum eſt.

35. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.

36. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.

37. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffuſâ Deus amatur.

38. Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.

39. In omnibus ſuis actibus peccator ſeruit dominanti cupiditati.

40. Is libertatis modus qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato.

41. Iuſtitia quâ iuſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum iuſtitia: non autem in gratia aliqua animæ infuſa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renouatur, ac Diuinæ naturæ conſors efficitur; vt ſic per Spiritum ſanctum renouatus, deinceps benè viuere, & Dei mandatis obedire poſſit.

42. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum Abſolutionis, & in Catechumenis ante Baptiſmum eſt vera iuſtificatio, ſeparata tamen à remiſſione peccatorum.

43. Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt ſolùm vt Dei mandatis pareant, cuiuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere: iuſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & verè legis iuſtitia; non tamen ijs obtinent incrementa virtutum.

44. Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quàm generali illa, quâ omne opus quod fit vt Sancta ſocietate Deo homo inhæreat.

45. Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ & originis: Vtrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium. Vnde peccatum originis verè habet rationem peccati, ſine vlla relatione & reſpectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

46. Peccatum originis eſt habituali paruuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur paruulo, eò quod non gerit contrarium volitionis arbitrium.

47. Ex habituali voluntate dominante fit, vt paruulus diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quando vſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.

48. Praua deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo inuitus patitur, ſunt prohibita præcepto, Non concupiſces.

49. Concupiſcentia ſiue lex membrorum, & praua eius deſideria, quæ inuiti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.

50. Omne ſcelus eſt eius conditionis, vt ſuum auctorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.

51. Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus naſcuntur vitijs, quàm qui cum maioribus.

52. Definitiua hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cùm Pelagij ſit.

53. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.

54. In peccato duo ſunt, actus & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus, ſiue obligatio ad pœnam. Vnde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolùm liberat à reatu.

55. Peccator pœnitens non viuificatur miniſterio Sacerdotis abſoluentis, ſed à ſolo Deo: qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, viuificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolùm reatus tollitur.

56. Quando per eleemoſynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant: nam alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte redemptores; ſed aliquid facimus, cuius intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur.

57. Per paſſiones Sanctorum in Indulgentijs communicatas, non propriè redimuntur noſtra delicta: ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur; vt digni ſimus qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

58. Illa Doctorum diſtinctio: Diuinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm; altero quantum ad certum quendam modum; videlicet ſecundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc eſt ad modum meritorium: commentitia eſt, & explodenda.

59. Illa quoque diſtinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum: vel quia ex obiecto & omnibus circumſtantijs rectum eſt & bonum, quod moraliter bonum appellare conſueuerunt; vel quia eſt meritorium regni æterni, eò quod fit à viuo Chriſti membro per Spiritum charitatis: reijcienda eſt.

60. Sed & illa diſtinctio duplicis Iuſtitiæ: alterius, quæ fit per Spiritum Charitatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus ſancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua diuinæ legis iuſtificatio impleatur: ſimiliter reijcitur.

61. Item, & illa diſtinctio duplicis viuificatio-

Digitized by Google

1569. *Pontificatus noſtri 4.*

Cùm autem graues illæ controuerſiæ inter Doctores Catholicos coram *S. D. N. Clem.* 8. de Auxilijs, ſeu de Concordia liberi arbitrij cum neceſſitate & efficacia gratiæ, in ſcandaloſas etiam animorum diſſenſiones & rixas crepuiſſent: S. D. N. *Paul.* 5. ab anno 1607. prouidè decreuit & inhibuit, *Ne quid imprimatur in materia de Auxilijs, etiam ſub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo; & qui volunt de hac materia ſcribere & imprimere, priùs mittant tractatus & compoſitiones ad S. Inquiſitionem.* Quod ab anno 1612. die 4. Ianuarij Ill. *Guido Archiepiſcopus Rhodienſis*, tunc Nuntius Apoſtolicus, Bruxellis ſic publicauit Vniuerſitati Louanienſi. *Mandauit S. D. N. anno 1607. eas terminari diſputationes, quæ Romæ coram ſua S. habebantur, ſimulq́; ſua S. præcepit, ne quis in poſterum oblata de prædictis rebus tractandi occaſione, contrariam ſententiam ſuſtinentes in cenſuram vocare, vel dictis perſtringere vllo pacto auderet, &c. Nunc autem pro munere quod ſuſtineo, certiores vos hiſce litteris facere volui, ſuam S. nuper ſtrictè præcipiſſe, ne quis præſumat typis euulgare opus vllum, ſeu quodcumq́; ſcriptum, quod ad prænominatam quæſtionem directè vel indirectè reſpiciat, ne quidem ſub prætextu commenmentandi in S. Thomam, &c.*

Quod Decretum, S. D. N. Vrbanus 8. annó 1625. die 22. Maij ſic renouauit. *Inpoſterum*, inquit, *non audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compoſitiones ex profeſſo vel incidenter, aut prætextu commentandi S. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quauis occaſione, prætextu, vel modo de materia auxiliorum diuinorum tractantes, ſine expreſſa & ſpeciali licentia à ſua S. in Congregatione S. Officij obtinenda: donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum; ſub pœnis, &c. Libros autem quos in futurum contra præſentis decreti tenorem edi contigerit, abſq́; aliâ declaratione tanquam expreſsè prohibitos haberi voluit.*

Idem anno 1641. 1. Auguſti. *Mandauit omnibus & ſingulis, &c. ne impoſterum audeant imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, tractatatus, compoſitiones, ex profeſſo vel incidenter, etiam ſub prætextu commentandi S. Thomam, ſeu in Philoſophicis agendi de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda, & præſertim defendendi aut impugnandi librum Cornelij Ianſenij, cui titulus Auguſtinus, vel theſes PP. Societatis Ieſu, aliaſq́; ſcripturas vt infra prohibitas, aut alia quauis occaſione vel modo, de materia auxiliorum diuinorum, ſeu de gratia & libero arbitrio tractantes: ſine expreſſa, & ſpeciali licentiâ à ſua S. in Congregatione S. Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum.*

An & quàm certa ſit Doctrina B. Aug. in hac materia.

R*Eſp.* Tota eſt omnibus alijs non Canonicis præferenda, & quæuis ab aliena, cauenda: non tamen de fide, niſi ſit expreſſa in ſacra ſcript. vel ab Eccleſia expreſsè definita, vel à B. Aug. relata & tradita vt contraria hæreſi Pelagianæ, & ad fidem Catholicam neceſſaria.

Vt *Hæreſi* 88. Quæ eſt Pelagianorum, hoc tépore omnium recentiſſima, à Pelagio Monacho exorta: Quem magiſtrum Cœleſtius ſic ſecutus eſt, vt ſectatores eorum Cœleſtiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiæ, qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per IESVM Chriſtum in ipſum, & quâ eruimur de poteſtate tenebrarum, vt in eum credamus, atque in regnum ipſius transferamur, propter quod ait, Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo; Et quâ diffunditur charitas in cordibus noſtris, vt fides per dilectionem operetur: in tantum inimici ſunt, vt ſine hac poſſe hominem credant facere omnia diuina mandata. Cùm ſi hoc verum eſſet, fruſtra Dominus dixiſſe videretur: Sine me nihil poteſtis facere. Denique, Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda: correptioni eorum hactenus ceſſit, vt non eam libero Arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret; dicens, ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam. Dicendo vtique, vt faciliùs poſſint, voluit credi, etiam ſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſine gratia diuina facere iuſſa diuina. Illam verò gratiam Dei ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quòd nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura: ad hoc tantùm exiſtimantes ipſum adiuuantem per ſuam legem atque doctrinam, vt diſcamus quæ facere, & quæ ſperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritus ſancti, vt quæ didicerimus eſſe facienda, faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur: Charitatem autem dari negant quâ piè viuitur; vt ſcilicet cùm ſit Dei donum ſcientia quæ ſine charitate inflat, non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ vt ſcientia non inflet, ædificat. Deſtruunt etiam orationes quas facit Eccleſia, ſiue pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, vt conuertantur ad Deum: ſiue prò fidelibus, vt augeatur in eis fides; & perſeuerent in ea. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſeipſis homines habere contendunt: gratiam Dei quâ liberamur ab impietate dicentes ſecundùm meritâ noſtra dari. Quod quidem Pelagius in Epiſcopali judicio Palæſtino damnari metuens, damnare compulſus eſt: ſed in poſterioribus ſuis ſcriptis hoc inuenitur docere. In id etiam progrediuntur, vt dicant vitam iuſtorum in hoc ſæculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, vt ſit omnino ſine macula & ruga: quaſi non ſit Chriſti Eccleſia quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum, Dimitte nobis debita noſtra. Paruulos etiam negant ſecundùm Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ primâ natiuitate contrahere. Sic enim eos ſine vllo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci, vt prorſus non ſit quod eis oporteat ſecunda natiuitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non

iſta

iſta renouatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiam ſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam. Ipſum quoque Adam dicunt etiamſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum: neque mortuum meritò culpæ, ſed conditione naturæ. Obijciuntur eis & alia nonnulla: ſed iſta ſunt maximè ex quibus intelligũtur etiam illa vel cũcta, vel penè cuncta pẽdere. *Epiſt.* 107. Quoniã ergo propitio Chriſto Chriſtiani Catholici ſumus. 1. Scimus nondũ natos nihil egiſſe in vita propria, ſeu boni ſeu mali, &c. ſed ſecundùm Adam carnaliter natos contagium contrahere, nec liberari niſi per gratiã renaſcantur in Chriſto. 2. Scimus gratiam Dei nec paruulis, nec maioribus ſecundùm merita noſtra dari. 3. Scimus maioribus ad ſingulos actus dari. 4. Scimus non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non ſecundùm merita dari, &c. 5. Scimus eis quibus datur, miſericordiâ Dei gratuitâ dari. 6. Scimus eis quibus non datur, iuſto Dei iudicio non dari. 7. Scimus quòd referet vnuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, non quæ geſturus fuit, &c. 8. Scimus etiam paruulos ſecundùm ea quæ per corpus geſſerunt recepturos, &c. geſſerunt autem non per ſeipſos, ſed per eos quibus pro illis reſpondentibus, & renuntiare diabolo dicuntur, & credere in Deum: non ſecundùm ea quæ ſi diutiùs hîc viuerent, geſturi fuerant. 9. Scimus fœlices eſſe mortuos qui in Domino moriuntur: nec ad eos pertinere quicquid acturi fuerant, ſi tempore diuturniore vixiſſent. 10. Scimus eos qui corde proprio credunt, ſuâ id facere voluntate ac libero arbitrio. 11. Scimus pro eis qui nolunt credere, nos rectâ fide agere, cùm Deum oramus vt velint. 12. Scimus pro eis qui ex illis crediderunt, & debere nos Deo agere gratias, & ſolere, &c. Si ergo iſtas 12. ſententias, etiam tu frater nobiſcum tenes: ago Deo gratias, &c.

Lib. 3. *De origine animæ cap.* 3. Quæ in fide tua emendari cupiam, non tacebo. 1. Quòd animam non vis à Deo eſſe factam ex nihilo, ſed ex ſemetipſo, &c. 2. *cap.* 6. Noli dicere, nec credere, nec docere, per infinitum tempus, atque ita ſemper Deum animas dare, ſicut ſemper eſt ipſe qui dat, ſi vis eſſe Catholicus. 3. *cap.* 7. Noli credere, nec dicere, nec docere, animam meritum aliquod perdidiſſe per carnem, tanquam boni meriti fuerit ante carnem, ſi vis eſſe Catholicus. 4. Noli dicere, noli credere, noli docere, animam per carnem reparare habitudinem priſcam, & per illam renaſci per quam meruerat inquinari, ſi vis eſſe Catholicus. 5. *cap.* 8. Noli credere, nec dicere, nec docere, quòd anima meruerit eſſe peccatrix ante omne peccatum, ſi vis eſſe Catholicus. 6. *cap.* 9. Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire poſſe ad originaliũ indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus. 7. *Cap.* 10. Noli credere, nec dicere, nec docere, quos Dominus prædeſtinauit ad baptiſmum, prædeſtinationi eius eripi poſſe, & ante defungi quàm in eis fuerit quod Omnipotens prædeſtinauit impletum, ſi vis eſſe Catholicus. 8. Noli credere, nec dicere, nec docere, de infantibus, qui priuſquam renaſcantur in Chriſto, præueniuntur occiduo, ſcriptum eſſe: *Raptus eſt ne, &c. Sap.* 4. ſi vis eſſe Catholicus. 9. *Cap.* 11. Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquas manſiones eſſe extra Regnum Dei, quas eſſe Dominus dixit in domo Patris ſui, *Ioan.* 14. ſi vis eſſe Catholicus. 10. *Cap.* 12. Noli credere, nec dicere, nec docere, ſacrificium Chriſtianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, ſi vis eſſe Catholicus. 11. *cap.* 13. Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquos eorum qui ſine Baptiſmo Chriſti ex hac vita emigrauerint, interim non ire in regnum cœlorum, ſed in paradiſum: poſtea verò in Reſurr. etiam ad beatitudinem Regni Cœlorum peruenire, ſi vis eſſe Catholicus. Hoc enim eis dare nec Pelagiana hæreſis auſa eſt: quæ opinatur paruulos non trahere originale peccatum, &c.

Cap. 15. Hæc xi. nihil cunctetis extirpare ab animo, à verbo, à ſtylo tuo: ſi vis vt te non ſolum ad altaria tranſiſſe Catholica, ſed verè Catholicum eſſe gaudeamus. Nam ſi pertinaciter ſingula defendantur, tot hæreſes facere poſſunt, quot opiniones, &c. Abſit autem vt te arbitreris hæc opinando à fide Catholica receſſiſſe, quamuis ea fidei ſint aduerſa Catholicæ: ſi coram Deo veraciter te dixiſſe reſipiſcis .i. *iterum ſapis*, non te tibi ipſi eſſe credulum, &c.

Sed præſtat vt ex ſingulis libris *B. Aug.* contra Pelagianos, ad fidem pertinentiora colligamus.

Ex *lib.* 1. *De Pecc. Meritis & Remiſſ. Cap.* 9. Vt Chriſtus præter exemplum ad iuſtitiam, dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis: ſic & Adam occulta etiam tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ, tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes. *Cap.* 21. Valde paruum ſenſum habemus ad diſcutiendam gratiã nullis præcedentibus meritis non iniquam: quæ non tam mouet cùm præſtatur indignis, quàm cùm æquè indignis aliis denegatur, &c. *Infra.* Tales ergo prædeſtinari, & creari arbitror: vt qui poſſunt intelligant Dei gratiam, &c. *Cap.* 39. Vt non iuſtificetur in conſpectu Dei omnis viuens: fit vt per ignorantiam vel infirmitatem, non exertis aduerſus concupiſcentiam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus.

Lib. 2. *cap.* 3. Acutè ſibi videntur dicere, quaſi noſtrum hoc vllus ignoret: quòd ſi nolimus, non peccamus, nec præciperet Deus homini quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati. Sed hoc non videt, quòd magnis aliquando, & totis viribus opus eſt voluntatis: quas nos non perfectè in omnibus adhibituros Deus præuidit. *Cap.* 5. Nec ideo de hac re ſolis votis agendum eſt: vt non ſubinferatur adnitendo etiam noſtræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noſter Deus dicitur: nec adiuuari poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur; quia non ſicut in lapidibus ſalutem noſtram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adiuuet, illum nõ: illum tantùm; illum non tantum; iſtum illo, illum iſto modo: penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis.] Vbi *ſubinferre*, non præferre: *adniti*, non præniti, nec quaſi ex æquo conniti. *Cap.* 6. Si à me quæratur

vtrum

Digitized by Google

vtrum homo in hac vita poſſit eſſe ſine peccato : confitebor poſſe per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium. *Cap.* 7. Si autem quæratur an ſit : eſſe non credo, ex 1. *Ioan.* 1. *Cap.* 8. Qui natus eſt ex Deo, non peccat, 1. *Ioan.* 3. in quantum ex Deo natus eſt, ſed in quantum adhuc ex carne natus eſt, &c. *Cap.* 15. Non quæritur vtrum fieri poſſit, &c. ſed vtrum quis faciat, &c. Neminem autem eſſe qui tantum velit, quantum res exigit, ante præcognitum eſt, *cap.* 3. & *lib.* 1. *cap.* 39. *Cap.* 16. Cur ergo iubet Deus quòd ſcit nullum hominem facturum? *Reſp.* Vt ipſe faciat quod iuſtum, & bonum eſt, &c.] i. *Vt*, conſequenter, non cauſaliter, nec finaliter. *Cap.* 17. Nolunt homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat, &c. Vt autem innoteſcat, & delectet, gratiæ Dei eſt : quâ vt homines non adiuuentur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, &c. Ideo quiſque opus bonum ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit nunc neſcit, nunc delectatur nunc non delectatur : vt nouerit non ſuæ facultatis, ſed diuini muneris eſſe, &c. Tantò autem magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus ſummum bonum. *Cap.* 18. Sed laborant homines inuenire in noſtra voluntate quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo : & quomodo inueniri poſſit ignoro. Quid enim habes quod non accepiſti? 1. *Cor.* 4. Ratio vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, vt liberum Arb. auferre videamur : Rurſus, ne liberum ſic aſſeramus Arb. vt ſuperbâ impietate Dei gratiæ ingrati iudicemur, &c. *Infra.* Si nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, bona vero ex nobis : melius eſt quod à nobis, quàm quod ab illo eſt, &c. Quanquam voluntas mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, vt nec bona, nec mala ſit : aut enim iuſtitiam diligimus, & bona eſt; aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt, &c.] i. affectu ſaltem habituali. *Cap.* 19. Nec ideo in vitijs nobis permanendum exiſtimemus : ſed aduerſus ipſam maximè ſuperbiam, propter quàm in eis humiliamur, & nos vigilanter conemur, & ipſum deprecemur ardenter; ſimul intelligentes, & quòd ſic conamur, & quòd ſic deprecamur, dono illius nos habere. *Cap.* 24. Solus homo Chriſtus peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati. Quod enim carnis inde ſuſcepit : id profectò aut ſuſcipiendum mundauit, aut ſuſcipiendo mundauit. *Cap.* 35. Teneamus ergo indeclinabilem fidei confeſſionem. Solus vnus eſt qui ſine peccato natus eſt, in ſimilitudinem carnis peccati: ſine peccato vixit, ſine peccato mortuus eſt propter peccata noſtra.] De qua diff. in 3. *Sent.* *Cap.* 36. De anima verò vtrum & ipſa eodem modo propagata, reatu qui ei dimittatur obſtricta ſit, &c. an etiam non propagata, eo ipſo quo carni peccati aggrauanda miſcetur, iam ipſius peccati remiſſione & ſua redemptione opus habeat, magna quæſt. eſt, &c. Illud tamen credo, quòd etiam hinc diuinorum eloquiorum clariſſima authoritas eſſet : ſi homo illud ſine diſpendio promiſſæ ſalutis ignorare non poſſet.

Lib. 3. *cap.* 1. Iam duos abſolueram libros, &c. Verùm poſt pauciſſimos dies legi Pelagij quædam ſcripta, viri vt audio Sancti & non paruo profectu Chriſtiani, in Pauli Apoſt. Epiſtolas, &c. Atque ibi comperi quandam argumentationem, quam fateor nō refelli, &c.] Sed hanc laudem Pelagij retractat, 2. *Retr.* 33. *Cap.* 2. Pel. *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit : ergo & Chriſti iuſtitia etiam non credentibus prodeſt.* B. Aug. *Vt eorum per quos renaſcuntur iuſtitiæ ſpiritus reſponſione ſua traijcit in eos fidem : ſic eorum per quos naſcuntur caro peccati, traijcit in eos noxam.* Cap. 4. *Etſi refellere argumenta non valeam : video tamen inhærendum ijs quæ in ſcript. ſunt apertiſſima,* Rom. 5. *Niſi quod ait, Adam formam futuri, &c.* Cap. 8. Pel. *Nullâ, inquiunt, ratione conceditur, vt Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.* B. Aug. *Aliena erant quando hi nondum erant : nunc verò carnali generatione eorum ſunt, &c.* Pel. *Sed ſi, inquiunt, baptiſmus mundat antiquum illud delictum : qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato.* B. Aug. *Quomodo præputium manet in eis quos genuerint circumciſi? Quomodo palea manet in fructu qui de purgato tritico naſcitur?* Cap. 9. *Non facit generatio, ſed regeneratio Chriſtianos.* Pel. *Si anima non eſt ex traduce, ſed ſola caro: ipſa tantùm habet Traducem peccati.* B. Aug. *Si anima non eſt ex traduce, quæ iſta iuſtitia eſt, vt recens creata etiam dæmonum incurſus in paruulis ſuſtinere cogatur?* Cap. 12. *Sanctificatus eſt vir infidelis in vxore, & mulier infidelis in fratre: alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem Sancti ſunt,* 1. Cor. 7. *Aut quòd exempla iam præceſſerant, & virorum quos vxores, & fœminarum quas mariti lucrifecerant Chriſto, & paruulorum ad quos faciendos Chriſtianos voluntas Chriſtiana etiam vnius parentis euicerat. Aut ſi aliqua illic intelligenda eſt ſanctificatio, non valet ad Chriſtianos faciendos & dimittenda peccata, niſi Chriſtianâ & Eccleſiaſticâ inſtitutione & Sacramentis efficiātur fideles.* Cap. 13. *Si pupillis opem ferre præcipimur: quanto magis pro iſtis laborare debemus, qui miſeriores pupillis remanebunt ſi eis Chriſti gratia denegabitur quā per ſe ipſi flagitare non poſſunt? &c. Quod autem dicunt ſine vllo peccato aliquos in hoc ſæculo vixiſſe, vel viuere : optandum eſt vt fiat, conandum eſt vt fiat, ſupplicandum vt fiat; non tamen quaſi factum fuerit confitendum.*

Lib. De ſpiritu & littera ad eundem Marcellinum. *Cap.* 1. Abſurdum tibi videtur aliquid fieri poſſe cuius deſit exemplum : cùm nunquam per foramen acus camelus tranſierit, &c. *Cap.* 2. Sed quamuis vt homo ſit ſine peccato, ad hominem pertineat : hoc quoque munus & opus eſt diuinum, *Phil.* 2. Non multum erratur nec perniciosè, cùm quis quâdam beneuolentiâ fallitur : ſi tamen ſeipſum talem eſſe non putet, niſi reuera ac liquidò talem ſe eſſe perſpexerit. Sed illis acerrimè reſiſtendum eſt, qui putant ſine adiutorio Dei, per ſeipſam vim voluntatis humanæ vel iuſtitiam poſſe perficere, vel ad eam tendendo proficere, &c. Sed aiunt iſta ſine ope diuina non fieri : quia Deus creauit hominem cum libero Arb. & dando præcepta aufert ignorantiam, &c. *Cap.* 3. Nos autem dicimus humanam voluntatem ſic diuinitùs adiuuari, &c. vt etiam accipiat Spiritum ſanctum, quo fiat in animo delectatio dilectioque

Digitized by Google

ſummi boni,&c. Nam neque liberum Arb. quicquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via: & quod agendum, niſi etiam delectet & ametur, non agitur, &c. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, *Rom.* 5. *Cap.* 4. Doctrina quâ mandatum accipimus, eſt littera occidens, niſi adſit ſpiritus viuificãs, 2. *Cor.* 3. *Cap.* 5. Deus per Spiritum ſanctum diffundit charitatem in cordibus eorum quos præſciuit, vt prædeſtinaret: prædeſtinauit, vt vocaret; vocauit, vt iuſtificaret; iuſtificauit, vt glorificaret. *Cap.* 7. Contra ſuperbiam *quâ quis ſibi præſidit, ſeq; ſibi ad viuendum caput facit.* Non veniat mihi pes ſuperbiæ, &c. *Pſal.* 35. *Cap.* 8. Deus videt, etiamſi aliud faciat qui legem timet, quid tamen mallet facere ſi liceret. *Cap.* 9. De iuſtitia Dei, *Rom.* 3. *non hominis*, vel, *propriæ voluntatis*; *non qua Deus iuſtus eſt, ſed quâ induit hominem cùm iuſtificat impium, &c. ſicut fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus.* Cap. 12. Sicut illis per creaturam cognitoribus Creatoris, ea ipſa cognitio nihil profuit ad ſalutem; quia cognoſcentes Deum non ſicut Deum glorificauerunt, *Rom.* 1. ita eos qui per legem Dei cognoſcunt quemadmodum ſit homini viuendum, non iuſtificat ipſa cognitio, &c. *Cap.* 13. Quòd lex operum minando imperat: hoc lex fidei credendo impetrat, &c. Lege operum dicit Deus, fac quod impero: lege fidei dicitur Deo, da quod iubes, &c. Hinc colligimus non iuſtificari hominem niſi per fidem Iesv Chriſti, *Rom.* 3. 4. hoc eſt non lege operum, ſed lege fidei; non littera, ſed ſpiritu; non factorum meritis, ſed gratuitâ gratiâ. *Cap.* 15. Hæc gratia in veteri Teſt. latitabat ſub præcepto Sanctificandi Sabbatum, &c. quia non peccare ſanctificationis eſt, hoc eſt muneris Dei per Spiritum Sanctum. *Cap.* 16. Tabulæ Decalogi digito Dei conſcriptæ ſunt, & digitus Dei eſt Spiritus Dei, *Luc.* 11. per quem ſanctificamur, vt ex fide viuentes benè operemur. *Cap.* 19. Dabo leges meas in cor illorum, *Ier.* 31. Si data eſſet lex quæ poſſet viuificare, ex lege eſſet iuſtitia, &c. *Gal.* 3. Lex ergo data eſt, vt gratia quæreretur: gratia data eſt, vt lex impleretur. *Cap.* 21. Quid ſunt leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus: niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti qui eſt digitus Dei? *Cap.* 26. Non videtur alios ſignificari, *Rom.* 2. per *Gentes quæ habent opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, quo naturaliter quæ legis ſunt faciunt*: quàm Chriſtianos conuerſos ex Gentibus. *Factores legis iuſtificabuntur, Rom.* 2. Vt ſciamus eos aliter non eſſe factores legis, niſi iuſtificarentur; vt non iuſtificatio factoribus accedat, ſed iuſtificatio præcedat, &c. *Factores legis iuſtificabuntur*, quid eſt niſi iuſti iuſtificabuntur? Ac ſi diceretur, factores legis creabuntur: non quia erant, ſed vt ſint. Aut certè ac ſi diceretur, iuſti habebuntur, &c. Sic ergo habere legem Dei in cordibus ſcriptam, hoc eſt, in intimo affectu iuſtitiam legis amplecti, vbi fides per dilectionem operatur, *Gal.* 5. *Cap.* 27. Naturaliter quæ legis ſunt faciunt, *Rom.* 2. Non quòd per naturam negata ſit gratia; ſed potiùs per gratiam reparata natura, &c. Si autem qui naturaliter quæ legis ſunt faciunt, nondum ſunt in numero eorum quos Chriſti iuſtificat gratiâ: ſed quorum etiam impiorum quædam facta ſecundùm iuſtitiæ regulam, non ſolùm vituperare non poſſumus, verum etiam meritò rectèque laudamus: (quanquam ſi diſcutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iuſtitiæ debitam laudem, defenſionemque mereantur.) *Cap.* 28. Si habent opus legis ſcriptum in cordibus ſuis .i. non omnino deletum, quod cùm crearetur impreſſum eſt, &c. hoc illic ſcribitur per renouationem, quod non omnino deletum eſt per vetuſtatem. *Infra.* Si à Chriſti gratia alieni ſunt qui naturaliter quæ legis ſunt faciunt: quid eis proderunt excuſantes cogitationes, *Rom.* 2. niſi fortè vt mitiùs puniantur? Sicut enim non impediunt iuſtum à vita æterna quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuſlibet peſſimi hominis inuenitur. *Cap.* 29. Non iuſtificatur homo ex operibus: ſi ea tanquam ſua crediderit, ſine adiutorio & dono Dei, quod eſt ex fide Iesv Chriſti. *Infra.* Sub timore anima laborans, per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, vt det quod iubet, atque inſpirata gratiæ ſuauitate per Spiritum S. faciat plus delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit. *Cap.* 30. Liberum ergo Arb. euacuamus per gratiam? Abſit, ſed magis ſtatuimus, &c. Vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas, 2. *Cor.* 3. Si ergo ſerui ſunt peccati, quid ſe iactant de libero Arbitrio? Si autem liberati ſunt, quid ſe iactant velut de opere proprio? An ita ſunt liberi, vt nec vllum velint habere Dominium, qui eis dicit *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere? *Cap.* 31. Si ſubtiliùs aduertamus, etiam quod quiſque inuitùs facere cogitur, ſi facit, voluntate facit: ſed quia mallet aliud, ideo inuitus, hoc eſt nolens facere dicitur. Nam ſi tanta voluntas ſit, vt malit hoc non facere, quam illud non pati, cogenti procul dubio reſiſtit, nec facit: ac per hoc ſi facit, non quidem plenâ & liberâ voluntate, ſed tamen non facit niſi voluntate; quam quia effectus conſequitur, non poſſumus dicere poteſtatem defuiſſe facienti, &c. Hanc enim dicimus poteſtatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit, &c. Quid eſt credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? Conſenſio autem vtique volentis eſt. Hinc fides eſt in poteſtate: ſed non eſt poteſtas niſi à Deo, *Rom.* 13. *Cap.* 23. Cùm ergo fides in poteſtate ſit: cùm vult quiſque credit; & cùm credit, volens credit. *Infra.* Charitas omnia credit, 1. *Cor.* 13. non omni ſpiritui. 1. *Cor.* 4. ſed Deo, &c. Et qui ſub lege ſunt, credunt Deo: ſed non hanc fidem commendat Apoſtolus, *Rom.* 8. Hæc eſt fides quæ per dilectionem operatur, non per timorem, &c. Charitas Dei diffuſa eſt, &c. *Rom.* 8. non quâ nos ipſe diligit, ſed quâ nos facit dilectores ſuos, &c. *Cap.* 33. Liberum Arb. illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt: ideo nec iſtam voluntatem quâ credit Deo dici poteſt homo habere quàm non acceperit; quandoquidem vocante Deo ſurgit de libero

Arb. quod naturaliter cùm crearetur accepit. *Cap.* 34. Non ideo tantùm iſta voluntas diuino muneri tribuenda eſt, quia ex libero Arb. eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt: verùm etiam quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus vt veliſmus, & vt credamus, ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mẽtem, ſed conſentire vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt, &c. Quæ res non infirmat, ſed confirmat illud 1. *Cor.* 4. Quid habes quod non accepiſti? Accipere autem & habere, vtique accipientis & habentis eſt. Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur vt perſuadeatur, illi autem non: duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum; *Rom.* 11. Nunquid iniquitas apud Deum? *Rom.* 9. Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat præſumptores. *Cap.* 35. Contra inimicos gratiæ Dei, parum mihi dixiſſe videor: nihilque me tam multùm dicere delectat. *Infra.* Sine exemplo eſt in hominibus perfecta iuſtitia; & tamen impoſſibilis non eſt: fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei; eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad iuſtitiam nos lateret, & ea ſic delectarent animum, vt quicquid aliud voluptas ſiue dolor impedit, delectatio illa ſuperaret. *Cap.* 36. Vnde autem minùs nouimus quid Deo placeat: niſi quia & ipſe minùs notus eſt nobis? Porrò ſi quantò maior notitia, tantò erit maior dilectio: profectò nunc quantum deeſt dilectioni, tantum perficiendæ iuſtitiæ deeſſe credendum eſt, &c. Ac per hoc multùm in hac vita profecit, qui quàm longè ſit à perfectione iuſtitiæ proficiendo cognouit. Sed ſi dici poteſt quædam iuſtitia minor huic vitæ competens, quâ iuſtus ex fide viuit, &c. non abſurdè dicitur etiam ad iſtam pertinere ne peccet. Neque enim ſi eſſe nondùm poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, iam culpæ deputandum eſt. Aliud eſt enim totam nondũ aſſequi charitatẽ, aliud nullã ſequi cupiditatem. *Infra.* His conſtitutis, peccatum erit hominis ex fide viuentis, aliquando alicui delectationi illicitæ conſentire, etiam in leuioribus: vt vel aurem alicui voci, vel linguam accommodet; vel in ipſo corde ita cogitet, vt mallet licitum quod malè delectat, & per præceptum ſcitur illicitum. Etiam quippe iſta conſenſio eſt ad peccatum, quæ vtique fieret niſi pæna terreret, &c.

Ex Lib. de natura & gratia, contra dicta hæretica *Pelagij*. *Cap.* 1. Pel. *Falsò queritur de natura ſua genus humanum.* *Cap.* 2. Pel. *Quid fecit humana natura ante fidem Chriſti: niſi credendo in Deum à quo ſe factam naturaliter ſentit, & rectè viuendo eius impleat voluntatem?* B. Aug. *Quodſi fieri potuit, aut poteſt: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Gal. 2. *Cap.* 26. Pel. *Homini poſt peccatum ita ſubueniri neceſſum eſt.* B. Aug. *Sicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adiutus, non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æternâ luce iuſtitiæ adiuuetur, non poteſt rectè viuere. Cap.* 28. 31. *vt col.* 255. Adde. *Spera in Deum & ipſe faciet*, *Pſal.* 36. Contra eos qui dicũt, Nos facimus. Operamur quidem & nos: ſed illo operante cooperamur; quia miſericordia eius præuenit nos, &c. *Cap.* 42. Pel. *Non tam quid homines ſint, quàm quid poſſint eſſe defendimus.* B. Aug. *Neque illud nimis curo, vtrum hîc fuerint, vel ſint, vel eſſe poſſint. Quoniam quod voluntate hominis adiuta per gratiam fieri poſſe confiteor: quando, vel vbi, vel in quo fiat nimium certare non debeo. Neque de ipſa poſſibilitate contendo: cùm ſanata & adiuta hominis voluntate, poſſibilitas ipſa ſimul cùm effectu in Sanctis proueniat, dum charitas Dei pleniſſimè, quantùm natura ſana capere poteſt, diffunditur in cordibus noſtris, &c.* Rom. 8. i. De *poſſibilitate* proxima: *ſimul cum effectu* .i. vel ſimultate inſtantaneâ, cum effectu formali; vel cum actu aliquo inſtantaneo, ex gratia actualiter efficaci; vel ſimul .i. æquè, aut ſicut & ipſe effectus. Cap. 49. *Deus impoſſibilia non iubet: ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. Cap.* 45. Pel. *Dicimus cuiuſq; rei poſſibilitatem non tam in arbitrij humani poteſtate, quàm in naturæ neceſſitate conſiſtere.* B. Aug. *Multa dici poſſent, quibus homo ſi velit adimat ſibi poſſibilitatem; &c.* Cap. 46. Pel. *voluntatis arbitrio ac deliberatione priuatur, quidquid naturali neceſſitate conſtringitur.* B. Aug. *Abſurdum eſt non pertinere ad voluntatem noſtram, quod beati eſſe volumus, &c. Nec dicere audemus Deum non voluntatem, ſed neceſſitatem habere iuſtitiæ: quia nõ poteſt velle peccare. Cap.* 47. Pel. *Audire, videre, &c. poteſtatis noſtræ eſt: poſſe verò, in naturali neceſſitate conſiſtit.* B. Aug. *Nec volentes videre poſſumus in tenebris, &c. Cap.* 48. Pel. *Non peccare noſtrum eſt: poſſe verò non peccare, non noſtrum.* B. Aug. *Nec de integra & ſana hominis natura rectè diceret, quod non peccare noſtrum tantùm ſit: nam & ibi eſſet adiutorium Dei tanquam lumen ſanis oculis. Cap.* 51. Pel. *Ipſa non peccandi poſſibilitas non tam in arbitrij poteſtate, quàm in naturæ neceſſitate eſt. Quicquid in naturæ neceſſitate poſitum eſt, ad naturæ pertinere non dubitatur Authorem.* B. Aug. *Expreſſa eſt ſententia quæ latebat, &c. Si ita eſt: vnde* Rom. 7. *velle adiacet, perficere autem bonum non adiacet? Si de illa hominis natura loqueretur quæ primò inculpata & ſalua condita eſt, vtcumque acceptaretur hoc dictum, &c.* .i. De potentia naturali: non tamẽ ſufficiente ad bonum, vel contra malum, ſine gratia. Vt ſupra, *cap.* 26. & 48. *Cap.* 53. B. Aug. *Fateamur gratiam neceſſariam, &c. Non de illa gratia quæſtio eſt, quâ eſt homo conditus: ſed quâ ſit ſaluus per Ieſum Chriſtum. Cap.* 61. B. Aug. *Quæ de quibuſdam Catholicorum opuſculis poſuit, ita ſunt media, vt neque contra noſtram ſententiam ſint, neque contra ipſius. Cap.* 47. B. Aug. *Poteſt cuicumque cauſæ peccandi reſiſti, &c. poteſt peccatũ caueri: ſed operãte Deo qui non poteſt falli. Cap.* 69. *Eo ipſo quo firmiſſimè creditur, Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere: hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati &c. Cap.* 70. *Charitas ergo inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt; charitas magna, magna iuſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt, &c.*

Ex Lib. 5. *Ciu.* 9. Cicero tollit præſcientiã futurorũ. Dũ vult homines facere liberos, fecit ſacrilegos. Quomodò ordo cauſarũ Deo certus, facit vt nil ſit

cui Deus adiutor eſt eligenti bona, homo verò peccans in culpa eſt, &c. Illud tamen in libro eius poſitum eſt, tanquam Deus neminem regat, &c.* Nã procul dubio plus eſt agi, quàm regi: qui enim regitur aliquid agit, & ideò regitur vt rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur. Et tamen tantùm præſtat voluntatibus noſtris gratia Saluatoris: vt nõ dubitet Apoſtolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quàm vt illi ſe agendam commendet, qui malè agere non poteſt: & hoc cùm fecerit, ab illo ſe vt faceret adiutam non dubitet, cui dicitur *Pſal.* 58. Deus meus miſericordia eius præueniet me. *Infra.* Abſit vt qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſuo vt pereant deſiderio dimittãtur. Hoc enim patiuntur vaſa iræ, *Rom.* 1. 9. *Infra.* Item recitatum eſt quòd in libro ſuo *Pelagius poſuit: in die iudicij peccatoribus non eſſe parcendum, ſed eos æternis ignibus exurendos.* Contra 1. *Cor.* 3. De ſaluandis per ignem. Reſpondit *Pelagius ſe hoc dixiſſe vt Matt.* 25. *&c.* Addidit, *Si quis aliter credit, Origeniſta eſt. Cap.* 4. Obiectum eſt & *Pelagio*, tanquam in ſuo libro ſcripſerit, *Malùm nec in cogitationem venire.* Reſpondit: *hoc non ita poſuimus; ſed debere ſtudere Chriſtianum ne malè cogitet, &c.* Potuit ergo fieri vt mendoſum codicem legerent, qui hoc ita obijciendum arbitrati ſunt. *Cap.* 5. Recitatum eſt aliud, *Regnum cœlorum etiam in veteri teſtamento promiſſum.* Ad quod *Pelagius: Hoc per ſcripturas probari poteſt.* Infra. Vt veteri Teſt. ſi eſſe ex Deo Bono, & ſũmo negetur: ſic & nouo fit iniuria, ſi veteri æquetur. *Cap.* 6. Poſt hæc obiectum eſt, quòd in eodẽ libro ſcripſerit, *poſſe hominẽ ſi velit eſſe ſine peccato*: & ad Viduam adulatoriè dixerit, *Inueniat apud te pietas quæ nuſquam inuenit locum, &c.* Ad hoc *Pelagius* ait: *diximus quòd hanc poſſibilitatem Deus dedit, non autem quod quis ab infantia vſq; ad ſenectam nunquam peccauerit; ſed proprio labore & gratia Dei poſſit eſſe ſine peccato. Reliqua nunquam dixi.* Synodus dixit: *Anathematizas illos qui ſic tenent?* Pel. *Anathematizo quaſi ſtultos, non quaſi hæreticos: ſi quidem non eſt dogma. Infra.* In his verbis quam dicat Dei gratiam, prorſus latet, &c. *Cap.* 7. Hæc gratia non eſt natura: ſed qua ſubuenitur fragili vitiatæque naturæ. Hæc gratia non eſt legis ſcientia, &c. *Cap.* 8. Non ergo natura Redemptorem deſiderat, nec legis ſcientia liberat: ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum. *Cap.* 9. Iſta non eſt natura moriens, nec litera occidens: ſed ſpiritus viuificans. *Cap.* 9. Hanc gratiam in Eccleſia Catholica notiſſimam, crediderunt Epiſcopi *Pelagium* confiteri, &c. *Cap.* 11, Sequuntur obiecta *Pelagio* ex doctrina Celeſtij. 1. *Adam mortalem factũ: qui ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moriturus eſſet.* 2. *Quòd peccatũ Adæ ipſum ſolũ læſerit, & non genus humanũ.* 3. *Quòd lex mittit ad regnum, vt ipſum Euangelium.* 4. *Quòd ante aduentum Chriſti fuerint homines ſine peccato.* 5. *Quòd infantes nuper nati, in illo ſtatu ſunt, in quo Adã fuit ante præuaricationem.* 6. *Quòd nec per præuaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, nec per reſurrectionem Chriſti reſurgat.* Deinde obiecta ſunt alia. 1. *Poſſe hominem eſſe ſine peccato ſi velit.* 2. *Infantes etſi non baptizentur habere vitam æternam.* 3. *Diuites baptizatos, niſi omnibus renuntient, ſi quid boni viſi fuerint facere non reputari illis, nec eos poſſe regnum Dei habere.* Ad hæc reſpondit Pelagius, *poſſe hominem eſſe ſine peccato*, vt ſupra. *Quoſdam autem ante aduentum Chriſti ſanctè & iuſtè vixiſſe: reliqua non eſſe ſua; ſed ad ſatisfactionem ſanctæ Synodi anathematizo*, inquit, *illos qui ſic tenent aut tenuerunt, &c.* Ecce 14. Antiſtites orientalis Eccleſiæ, in ea terra cui Dominus præſentiam ſuæ carnis exhibuit, Pelagium non abſoluerunt, niſi ea tanquam fidei Catholicæ aduerſa damnaret. *Cap.* 12. Obiectum eſt *Pelagio*, quòd diceret, *Eccleſiam hîc eſſe ſine macula & ruga.* Reſpondit: *quoniam lauacro ab omni macula & ruga purgatur Eccleſia, quam velit ita Dominus permanere. Cap.* 13. Deinde obiecta ſunt de libro *Celeſtij* cap. 1. *Plus facimus quàm in lege & Euangelio iuſſum eſt.* Ad quod Pelag. *Hoc dictum eſt de virginitate, vt* 1. *Cor.* 7. *&c.* Legi ego quo ſenſu id Celeſtius poſuerit: tantam nos habere per naturam liberi Arb. non peccandi poſſibilitatem, vt plus etiam quàm præceptum eſt faciamus, &c. *Cap.* 14. Obijcitur *Pelagio* ex *cap.* 3. Celeſtij. 1. *Gratiam Dei & adiutorium non ad ſingulos actus dari; ſed in libero Arb. eſſe, vel in lege ac doctrina.* 2. *Dei gratiam ſecundùm merita noſtra dari: propterea & ipſam gratiam eſſe in hominis poteſtate, vt eâ dignus fiat vel indignus. Si enim per gratiam omnia facimus: quando vincimur à peccato, non nos vincimur, ſed Dei gratia, quæ voluit nos adiuuare, & non potuit, aut noluit.* Ad hæc Pelagius: *Ego nunquam ſic tenui, ſed anathematizo qui ſic tenent.* Nunc certè poſt hoc iudicium, quando contra has ſententias diſputamus, aduerſus damnatam hæreſim diſputamus, &c. Cùmque anathematizat eos qui gratiam Dei non ad ſingulos actus dicunt dari, ſed in libero Arb. eſſe, vel in lege atque doctrina: ſatis apparet illum eam dicere gratiam quæ in Chriſti Eccleſia prædicatur, &c. Sed cùm obiectum fuiſſet ex *cap.* 5. *Celeſtij*, quòd affirment *quemlibet omnes virtutes poſſe habere & gratias, auferantq; diuerſitatem gratiarum:* Reſpondit Pelagius, *Non auferimus, ſed dicimus donare Deum ei qui fuerit dignus, ſicut Apoſt. Infrà.* Non potui cùm legerem, non eſſe *ſuſpectus* .i. ſuſpicari. Ipſum quippe gratiæ nomen & eius intellectus aufertur, ſi non gratis datur, ſed eam qui dignus eſt accipit. *Rom.* 4. 11. Hîc fortè dicet: *Non ex operibus ſed ex fide dixi Apoſtolum dignũ fuiſſe, &c.* Quid, putamus quòd fides non operetur? Imo per dilectionem operatur, *Gal.* 5. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *Rom.* 14. Infra. Non ſum, inquit, dignus vocari Apoſtolus: quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratiâ autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum, 1. *Cor.* 15. Dixit Pelagius: *Et ego ſic credo. Anathema ſit, qui dicit abſq; adiutorio gratiæ Dei poſſe hominem ad profectum omnium venire virtutum. Cap.* 16. Sunt quædam expoſitiones Epiſtolæ Pauli ad Rom. quæ ipſius Pelagij eſſe dicuntur: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei;* non ex perſona Pauli aſſerit dictum, ſed voce interrogantis &

Digitized by Google

1. *Petri* 2. Si hoc & mihi cum Chriſto commune eſt: quid ille habuit proprium?

Cap. 4. Aſſeris, poſſe hominem eſſe ſine peccato, ſi velit: & fruſtra conaris adiungere, *non abſq; Dei gratia.* Si enim poteſt eſſe ſine peccato: quid neceſſaria eſt gratia? ſin autem non poteſt ſine gratia; quid neceſſe fuit dicere, poſſe quod non poteſt? Omnes ergo ſine peccato erunt: quia cupiunt eſſe ſine peccato, &c. *Poſſibilia*, inquit, *mandata dedit Deus.* Ecquis hoc negat? Sed quod erat impoſſibile legi: Deus filium ſuum mittens, &c. R*om.* 8. Quod ne de lege Veteri tantùm dictum putes: *Rom.*7. *Conſentio legi Dei: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Reclamabis, Manichæorum dogma nos ſequi, &c. Interroga Apoſt. quare dixerit, *Non quod volo, hoc operor; ſed quod odi malum, illud facio.* Quæ neceſſitas impediat voluntatem, quæ tanta vis, &c. Reſpondebit tibi: *O homo tu quis es, &c. Rom.* 9. Dignare & tu neſcire: Concede Deo potentiam ſui, &c. Fruſtra blaſphemas nos liberum Arb. condemnare. Damnetur ille, qui damnat, &c. Sed ipſum liberum Arb. Dei nititur auxilio, illiuſque per ſingula ope indiget, quod vos non vultis, &c. Tu ipſe reſponde mihi: velis, an nolis carere peccato? Si vis, quare non imples? ſi non vis: contemptor es & peccator, &c. Dicitis, *aliud eſt eſſe, aliud eſt eſſe poſſe, &c.* Quæ eſt iſta argumentatio: poſſe eſſe quod numquam fuerit, & dare neſcio cui quod in Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis fuiſſe nequeas approbare? &c. Eccleſiæ victoria eſt, vos apertè dicere quod ſentitis, &c. Sententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Minamini nobis reſponſionem, &c. Vnde noſtis quid dicturi ſumus, vt reſponſionem paretis? &c. Sola hæc hæreſis eſt, quæ publicè erubeſcit loqui, quod ſecretò docere non metuit, &c. Nullius in hoc opuſculo nomen propriè tangitur: aduerſus Magiſtrum peruerſi dogmatis locuti ſumus. Qui ſi iratus fuerit atque reſponderit: ſuo quaſi mus prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera ſuſcepturus, &c. *Cap.* 5. Prouoco aduerſarios, vt omnes chartulas diſcutiant: & ſi quid in meo ingeniolo vitij reperierint, proferant in medium, &c. Et tu ergo, aut defende quod locutus es, &c. aut ſi erraſti, liberè confitere, &c. In mentem tibi veniat, Tunicam Saluatoris, nec à militibus fuiſſe conciſſam, &c. Quod autem in ſcript. Sanctis multi iuſti appellentur, &c. non quod omni vitio careant, ſed maiori parte virtutum commendentur.

Ex proemio S. Hier. in ſuos Dialogos. Aduerſus eos qui dicunt me hoc opus inflammatum inuidiæ facibus ſcribere, breuiter *Reſp.* nunquam me hæreticis pepercisse, &c. Vnde vt omnibus probarem me non odiſſe homines, ſed errores: nec aliquorum infamiam quærere, &c. Attici, & Critobvli nomina poſui. i. Catholici & Pelagiani.

Ex libro 1. *Dialogorum cap.* 1. *vt in Epiſt. ſupra.* Atticvs. Dormitat Deus in operibus noſtris, ſemel data liberi Arb. poteſtate: nec orandus eſt vt in ſingulis operibus nos iuuet? Critobvlvs. Quomodo in cæteris creaturis conditionis ordo ſeruatur: ſic conceſſa ſemel liberi Arb. poteſtate, noſtræ voluntati omnia derelicta ſunt, &c. Si in omnibus ille cooperatur: non eſt meum, ſed eius qui adiuuat. *Cap.* 2. Att. Non eſt volentis, &c. *Rom.* 9. Ex quibus intelligimus, noſtrum quidem eſſe velle, & currere: ſed vt voluntas noſtra compleatur & curſus, ad Dei miſericordiam pertinere; atque ita fieri, vt & in voluntate noſtra & curſu liberum ſeruetur arbitrium; & in conſummatione, cuncta Dei potentiæ relinquantur. *Infra.* Dic mihi, ſi cum Dei auditorio poteſt homo non peccare ſi velit: an in perpetuum, an ad tempus, & breue? Crit. Qui poteſt vno die abſtinere à peccato, poteſt & altero, & quamdiu voluerit. Att. Quomodo ergo cùm cupiam non peccare, delinquo? Crit. Si verè velles, non peccares. Att. Tu vere cupis? Crit. Quaſi ego de me dicam. Att. Quomodo quod vterque volumus, non poſſumus? Crit. Quia plenè non volumus. Att. Da ergo qui plenè voluerint, & potuerint. Crit. Aliud eſt eſſe poſſe, aliud eſſe. Att. Sine peccato eſſe perpetuò, diuinæ ſolius eſt poteſtatis, &c. Itaque aut da exemplum, aut confitere imbecillitatem tuam, &c. *Eccli.* 1. Nil ſub cœlo nouum, &c. *Cap.* 3. Crit. Poteſt Camelus per foramen acus tranſire, *Matt.* 19. quòd tamen nunquam factum eſt. Att. Ibi impoſſibile impoſſibili comparatur. *Infra.* Crit. *Iob, Zacharias, & Elizabeth* laudantur. Att. *Eccli.* 7. Non eſt homo qui non peccet, &c. Crit. 1. *Ioan.* 5. Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat. Att. 1. *Ioan.* 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, &c. Si confiteamur peccata noſtra, &c. Fidelis & iuſtus eſt Deus vt dimittat, &c.* Tunc ergo iuſti ſumus, quando nos peccatores fatemur, &c. *Qui natus eſt ex Deo non peccat, &c.* quamdiu ſemen Dei manet in eo. *Cap.* 4. Crit. *Deut* 18. & *Matt.* 5. perfecti eſtote, &c: Att. Et tamen Apoſtoli non fuerunt perfecti. Crit. Non fuit culpa imperantis, ſed eorum qui audierunt. Att. Dicas ergo poſſe hominem eſſe quòd Apoſtoli non fuerunt. Crit. Hæc argumentatio tortuoſa eſt, &c. *Cap.* 5. Att. Phil. 3. *Non quia iam accepi, aut iam perfectus ſum, &c. Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus, &c.* Hæc eſt hominis vera ſapientia, imperfectum eſſe ſe noſſe, &c. Ex quo perſpicuum eſt duas in Script. eſſe perfectiones. 1. Eſt Dei. 2. Eſt noſtræ fragilitatis. Crit. Non comparo hominem Deo, ſed alijs hominibus. Att. Quid mirum inter Sanctos alios alijs eſſe meliores: cùm id intelligi poſſit inter ipſos peccatores? &c. Ex quibus approbatur, non ſolùm ad comparationem diuinæ Maieſtatis homines nequaquam eſſe perfectos: ſed ne Angelorum quidem, & hominum qui virtutum culmina conſcenderunt, &c. *Cap.* 7. Crit. Nullus ergo Sanctorum poteſt hìc habere omnes virtutes? Att. Nullus. Crit. Qui vnam habuerit, omnes videtur habere. Att. Participatione, non proprietate. Crit. *Iac.* 2. Qui in vno offenderit, eſt reus omnium. Att. Leuia cum leuibus, grauia cum grauibus comparat. Crit. Qui fecerit quod poteſt, eſt perfectus. Att. Eſt perfectus in eo quod fecit: ſed imperfectus in eo quod facere non potuit. Crit. Quaſi
non

Digitized by Google

non potuerit Deus præſtare ſuæ imagini, vt in omnibus reſpondeat ſuo Creatori. Att. Non intelligis aliud eſſe ſimilitudinem, aliud æqualitatem. *Cap.* 8. Crit. Si Deus dedit mandata poſſibilia, poſſumus ea facere, ſi velimus: Si impoſſibilia, non ſumus rei ſi non facimus. Att. Quis noſtrûm poteſt omnes artes comprehendere? Vides ergo quòd poſſibile eſt per naturam, nullum poſſe complere? Dedit itaque præcepta diuerſa, virtuteſque varias, quas omnes ſimul habere non poſſumus. *Infra.* Non omnia poſſumus omnes. Poſſibilia præcepit Deus, fateor: Sed hæc cuncta ſinguli habere non poſſumus; non imbecillitate naturæ, ne calumniam facias Deo; ſed animi laſſitudine, qui cunctas ſimul & ſemper non poteſt habere virtutes. Quòd ſi in eo arguis Creatorem, &c. maior erit reprehenſio, ſi eum volueris accuſare quare te Deum non fecerit. Sed dices: *Si non poſſum, ergo peccatum non habeo.* Habes peccatum, quare non feceris quod alius potuit facere: rurſumque ille cuius tu comparatione deterior es, vel tui in alia virtute, vel alterius erit collatione peccator. *Cap.* 9. Crit. Ex *Epiſt. Iudæ.* Deus poteſt vos conſeruare ſine peccato. Att. Non homo poteſt: ſed Deus, ſi velit; cui cuncta poſſibilia ſunt, non homini. *Infra.* Dicis, *Sine peccato eſſe non poſſe, niſi qui ſcientiam legis habuerit:* per quod magnam partem Chriſtianorum excludis. Verùm vt fauorem tibi apud Amazones tuas concilies, ſcribis *ſcientiam legis etiam fœminas habere debere*: cùm 1. *Tim.* 2. tacendum ſit mulieribus in Eccleſia, &c. Nec ſufficit tibi, niſi earum voce & canticis delecteris. *Infra.* Quod in alio ponis loco, *Omnes voluntate propriâ regi*: quis Chriſtianorum poteſt audire? Vbi enim erit auxilium Dei? *Pſal.* 36. A Domino greſſus hominis diriguntur. 1. *Cor.* 4. Quid habes quod non accepiſti. *Matt.* 6. Fiat voluntas tua, &c. Quod in ſequenti ponis cap. *In die iudicij iniquis & peccatoribus non parcendum, ſed æternis ignibus eos exurendos*: ferre quis poteſt te ante diem iudicij iudicare? &c. Non omnis peccator & iniquus, eſt impius: impietas enim propriè ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, &c. *Infra.* De Zenonis ſupercilio nobis tonas, *Chriſtianum illius debere eſſe patientiæ, vt ſi quis ſua auferre voluerit, gratanter admittat.* Nonne ſatis eſt patienter perdere? &c. Adiungis, *Gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrariam, &c.* Cauete Clerici, Monachi, Viduæ, & Virgines: niſi ſordidas vos atque pannoſas vulgus aſpexerit, &c. Audiamus & cætera: *Inimicos & proximos diligendos*: ſtatimque dicis, *Inimico nunquam eſſe credendum, &c.* Addis: *Regnum Cœlorum etiam in veteri Teſt. repromitti, &c.* Tu autem nos Manichæos vocas: nec intelligis ſtultitiam tuam. Aliud eſt damnare legem, quod Manichæus facit: aliud legi præferre Euangelium, &c. Aſſeris *Hominem poſſe ſine peccato eſſe, & Dei mandata facilè cuſtodire ſi velit, &c. Nec leuiter quidem eſſe peccandum, &c. Nec malum cogitandum.* Neque recordaris *Pſal.* 18. Delicta quis intelligit? &c.

Cap. 10. Crit. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, *Matt.* 5. Si vitare non poſſumus, non reputatur in peccatum quod caueri non poteſt. Att. Sacræ ſcript. volunt etiam ignorantiam habere peccatum. Crit. Quæ eſt iſta iuſtitia? Att. Altiora te ne quæſieris, *Eccli.* 3. O altitudo, &c. *Rom.* 11. O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? *Rom.* 9. Reliquo Capite 10. 11. 12. De varijs peccatis ignorantiæ, ex *Gen.* 8. 17. 18. 19. 29. 37. *Exod.* 2. *Leuit.* 4. 5. 8. 9. 12. 13. 15. 16. 22. *Num.* 6. 14. 15. 28. 29. 35. *Deut.* 9. 18. 19. 22. 23. *Ioſ.* 7. 11. 1. *Reg.* 14. 15. 16. 2. *Reg.* 4. 6. 13. 24. 3. *Reg.* 8. 14. 4. *Reg.* 4. *Ezech.* 43. 45. 46. *Ier.* 10. *Prou.* 14. 19. 20. 21. 31. &c.

Ex Lib. 2. *cap.* 1. Crit. Si Deus tales homines condidit, vt obliuione, & ignorantiæ peccato carere non poſſint, &c. nemo in eo condemnatur quod facere non potuit, &c. Att. *Leu.* 4. Pro obliuione, errore, & ignorantia quaſi pro peccato offeruntur ſacrificia. Crit. Da teſtimonium noui inſtrumenti: vbi error & ignorantia & impoſſibilitas mandati teneatur in crimine. Att. *Rom.* 7. Video aliam legem, &c. Crit. Nunc autem liberati per gratiam Chriſti. Att. Liberati quidem ſumus baptiſmo: ſed, inquit Apoſt. quod operor non cognoſco, &c. Crit. Non ex ſua perſonna, ſed generis humani. Att. Et Apoſtolus homo eſt. Crit. Non ex perſona generis humani, ſed peccatorum. Att. Non ait, miſer ego peccator: ſed miſer ego homo. *Cap.* 2. Crit. Saltem concede iuſtos plurimos in Scripturis appellari. Att. Iuſtos eſſe concedo: non ſine peccato. Id enim ſoli Deo competit: omniſque creatura peccato ſubiacet. *Pſal.* 31. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus* .i. pro iniquitate. Prou. 24. *Septies cadit iuſtus, &c.* Iob. 4. & 9. *Numquid mundus erit homo coram Deo?* 25. *Quis erit mundus à ſorde? Ne vnus quidem, etiamſi vnius diei fuerit vita eius ſuper terram.* Si dixeris accipi pro difficili: vbi eſt quod temerè protuliſti *facilia eſſe Dei mandata*? Ridiculam illam expoſitionem Demoſthenis veſtri, prætereo: quaſi de ſordibus pannorum, non peccatorum, in infantia, &c. 1. Ioan. 5. *Mandata eius non ſunt grauia.* Matt. 11. *Iugum meum ſuaue eſt, &c.* Comparatione ſuperſtitionis Iudaicæ. *Act.* 15. Iac. 1. *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur.* Quis noſtrorum carere poteſt ira? Pſal. 4. *Iraſcimini & nolite peccare* .i. Eph. 4. *Sol nõ occidat ſuper iracũdia veſtra.* Mat. 12. *Pro verbo otioſo reddituri ſumus rationem.* Matt. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* 1. Petri 4. *Si iuſtus vix ſaluabitur, &c. Cap.* 3. Sunt 4. perturbationes, quibus genus vexatur humanum, &c. Quibus ad perfectum carere, iuxta Stoicos poſſibile: iuxta Peripateticos, diffile & impoſſibile eſt. Quibus omnis ſacra Script. conſentit *Rom.* 7. *Gal.* 5. 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*: non tam præteritorum, quàm præſentium. Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Ioan. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Matt. 5. *Vos eſtis lux mundi*: non tamen in qua nullæ ſint tenebræ. Ioan. 1. *Non erat ille lux, &c.* 1. Tim. 6. *Deus ſolus habitat lucem inacceſſibilem.* 2. Tim. 1. *Soli ſapienti Deo.* 1. Ioan. 1. Aliud eſt mundari Sanguine Chriſti: aliud, per ſe eſſe ſine vitio. *Rom.* 3. *Omnes*

peccaue-

Digitized by Google

peccauerunt, & indigent gloriâ Dei. 1. Cor. 4. *In nullo mihi conſcius ſum: ſed nec in hoc iuſtificatus ſum.* 2. Cor. 3. *Non ſumus ex nobis ſufficientes, &c. Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Phil. 2. *Deus operatur in nobis & velle, & perficere, &c.* *Cap.* 4. Tranſeamus ad Euãgelia. Matt. 5. *Qui dixerit Raka, &c. Si offers munus tuum ad altare, &c. Sit ſermo veſter eſt eſt, non non, &c. Diligite inimicos veſtros, &c.* Matt. 6. *Nolite eſſe ſoliciti in craſtinum, &c.* Vos de craſtino non cogitatis, & inſtar auium præſentibus contenti eſtis? Quorum Epiſtolæ Biblinæ volitant transflumina: vt inter ſimias & pauos, noua de Ophir Salomoni dona mittantur. *Cap.* 5. Matth. 7. *Quam arcta via eſt & anguſta, quæ ducit ad vitam &c. Nolite poſſidere, &c.* Matt. 10. *Qui amant Patrem aut Matrem ſuper me, non eſt me dignus. Qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus,* Matt. 10. Hæc ſunt facilia mandata? Matth. 26. *Sic non potuiſtis vnâ horâ vigilare mecũ?* Nõ *dixit, noluiſtis.* Marc. 10. *Quæ apud homines impoſſibilia, apud Deum poſſibilia ſunt.* 14. *Pater ſi poſſibile eſt, &c. Cap.* 6. Ex Luc. 1. 9. 14. 16. 17. 18. 22. *Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c. Apparuit Chriſto Angelus de Cælo confortans eum.* Et Crit. meus non indiget auxilio Dei? *Quid dormitis? Surgite & orate, &c.* Ioan. 5. *Non poſſum facere aliquid à memetipſo.* Ioan. 6. in multis & græcis, & latinis codicibus, de muliere adultera: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus mittat ſuper eam lapidem, &c.* Cap. 7. Ex Act. 17. *Tempora ignorantiæ reſpiciens Deus, &c.* Iac. 2. *Si quis offenderit in vno, reus eſt omnium.* Iac. 3. *Linguam nullus hominum poteſt domare. Cap.* 8. 9. 10. 11. Exemplificat in pleriſque Sanctis & iuſtis antiquæ legis, nullum fuiſſe ſine peccato. Sub finem: Quæris, inquit, *vbi Abel, vbi Enoch, vbi Ieſus filius Naue, vbi Helizeus peccauerint, &c.* 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum: nec tamen in hoc iuſtificatus ſum.* Homo videt in facie, Deus in corde.

Ex lib. 3. *cap.* 1. Crit. Qui Chriſti baptiſma conſecuti ſunt, cum ſemel iuſti fuerint poſſunt ſemper iuſtitiam cuſtodire, ac per hoc omne vitare peccatum. Att. Non erubeſcis damnatam Iouiniani ſententiam ſequi? Scito, baptiſmum præterita donare peccata, non futuram ſeruare iuſtitiam, &c. vt noſtrum ſit rogare, Dei tribuere · noſtrum incipere, illius perficere: noſtrum offerre quod poſſumus, illius implere quod non poſſumus .i. *Noſtrum*, ex gratia, ſed illi⁹ ſolius *tribuere, perficere, implere.* Si fieri poſſet vt ſemper aquæ baptiſmatis merſos tenerent: volitantia nos deſuper peccata non tangerent, Spiritus S. tueretur, &c. In Euangelio iuxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque ſermone, ſed hebraicis litteris ſcriptum eſt, quo vtuntur vſque hodie Nazareni ſecundum Apoſtolos, ſiue iuxta Matthæum, quod & in Cæſarienſi habetur bibliotheca, narrat hiſtoria: *Ecce Mater Domini & fratres eius dicebant ei, Ioannes Baptiſtá baptizat in remiſſionem peccatorum, eamus & baptizemur ab eo.* Dixit autem eis: quid peccaui? Niſi fortè hoc ipſum ignorantia eſt, &c. Fac aliquem baptizatum ſtatim morte ſubſtractum, &c. num ideo ſine peccato erit, quia videtur non ſuperaſſe, ſed fugiſſe peccatum: ac non potiùs quia Dei miſericordia de peccatorum carcere liberatus migrauit ad Dominum? Crit. Ne hoc quidem mihi das, vt egreſſus aquas baptiſmatis ſine peccato ſit. Att. Tolle poſſe eſſe ſine peccato: & ego eſſe cõcedam. Quomodo enim poteſt, qui per ſe non poteſt? Aut quæ eſt illa impeccantia, quæ ſi vitam protraxerit, delicti & ignorantiæ periculo ſubiacet? Crit. Fruſtra ergo dantur præcepta, ſi ea implere non poſſumus. Att. Deus poſſibilia mãdauit, hoc nulli dubium eſt: ſed quia homines poſſibilia non faciunt, omnis mundus indiget miſericordia eius. Crit. Nunquam mihi liberum Arb. extorquebis. Att. Et nos dicimus poſſe hominem non peccare ſi velit: pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus eſt animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cythara: quod ſi paululum ſe remiſerit; quomodo qui aduerſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus ſtatim retro labitur, ſic humana conditio, &c. *Cap.* 2. Crit. Diſputatio tua illuc labitur, vt naturam accuſes, & culpam referas ad Deum. Att. Reprehendis Deum quare hominem fecerit: quare ſolus Deus ſit Deus, & non omnia Deos fecerit. Crit. Quomodo ſeruas liberum Arb. qui dicis hominem nihil poſſe facere, niſi Deus ſemper adiuuerit? Att. Ergo ille laudetur, qui tollit Dei auxilium? Crit. Non tollo, &c. Sed vt ſit gratiæ Dei quod dedit liberi Arb. poteſtatem; & noſtræ voluntatis, facere quid, vel non facere, &c. Att. Videris per eaſdem lineas reuerti. Crit. Quid ergo iuuat, coronat, & laudat in nobis, quod ipſe operatus eſt? Att. Voluntatem noſtram, quæ obtulit quod potuit, & ſemper reſpexit ad auxiliũ Dei. Crit. Si Deus voluit & adiuuit, nec fecimus: non nos, ſed ille ſuperatus eſt. Si autem noluit adiuuare: non eſt culpa eius qui voluit facere, ſed qui potuit & noluit. Att. Non intelligis dilemma tuum in grande blaſphemiarum decidiſſe baratrũ? Interroga eum cur Iudam elegerit proditorem? Cur ei loculos commiſerit, quem furem eſſe non ignorabat? Vis audire rationem? Deus præſentia iudicat, non futura: Nec condemnat ex præſcientia; ſed tantæ bonitatis eſt; vt eligat quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis & pœnitentiæ, &c. Neque enim ideo peccauit Adam, quia Deus hoc futurum nouerat: ſed præſciuit Deus, quod ille erat propriâ voluntate facturus. Crit. Argumentatio tua eo tendit: vt liberum Arb. vocabulo tribuas, re auferas. Att. Iuxta te Deus eſſet author malorum: quia potuit & non prohibuit. *Cap.* 3. Crit. Diſputatio tua non ex fontibus veritatis, & Chriſtiana ſimplicitate: ſed ex Philoſophorum minutijs, & arte deſcendit, &c. Doce me de Scripturis SS. Att. Ex varijs Sacris Script, Vt 2. *Cor.* 3. *Non ſumus ſufficientes ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, &c.* 2. Cor. 4. *Abundantia fortitudinis noſtræ, eſt ex Deo, non ex nobis.* 2. Cor. 10. *Qui gloriatur in Domino glorietur.* 2. Cor. 12. *Nihil mihi defuit, &c. licet nihil ſum.* Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater traxerit eum.* Ioan. 15. *Ego ſum vitis, & vos rami, &c. quia ſine me nihil poteſtis facere.* Crit. Plerique noſtrum dicunt, omnia quæ agimus fieri præſidio Dei. Att. Et tu dicito, vt

eſſe incipias. Crit. Sana corpora confiteris, & animæ denegas ſanitatem. *Cap.* 4. Att. Da mihi corpus quod nunquam languerit, aut de perpetua ſanitate ſecurum ſit:& dabo tibi animam quæ nunquam peccauerit, nec peccatura ſit &c. Crit. Nũquid negare potes, plurimos iuſtos, poſt vitia, ſe ad virtutes contuliſſe, & per has caruiſſe peccato? Att. In noſtra eſt poſitum poteſtate, vel peccare, vel non peccare; & vel ad bonum vel ad malum extendere manum, vt liberum ſeruetur Arbitrium, &c. Sed quia ad breue poſſum, coges me vt poſſim iugiter? Poſſum ieiunare, vigilare, &c. nunquid in perpetuum? Crit. Et cur in Script. ſanctis ad perfectionem prouocamur? *Cap.* 5. Att. Ex parte cognoſcimus, &c. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, &c. id quod ex parte fuerat deſtruetur, &c. 1. *Cor.* 13. Si immaculatus eſt atque perfectus, qui adhuc ambulat in via: quid plus habebit qui ad terminum viæ legiſque peruenerit? &c. De ſuperbiæ tumore ſcribens ad Viduã, quomodo ſancti debeant orare, pronuntias: *Tu noſti Domine quã puræ ſint quas ad te expando manus, quam iuſta labia, quibus tibi vt mihi miſeriaris preces fundo.* Chriſtiani eſt hæc, an Phariſæi ſuperbientis oratio? *Luc.* 18. Si Sanctus es, &c. quomodo miſericordiã deprecaris? E contra, Chriſtus docuit Apoſtolos ſuos, *Pater noſter, &c.* De baptiſmatis fonte ſurgentes, ſtatim in prima communione Corporis Chriſti dicunt: Dimitte nobis, &c. Et tu de puritate manuum gloriaris? *Infra.* Eidem adulans viduæ, non erubeſcis dicere: *Pietatem & veritatem in illa potiſſimùm commorari.* *Cap.* 6. Crit. Quid infantuli peccauerunt? Concede ſaltem eos eſſe ſine peccato. Att. Iſti nec poſſunt, nec volunt: ſed ſine vllo peccato per Dei gratiam ſunt, quam in baptiſmo ſuſceperunt. Crit. Quid enim peccauerunt?. Dic quæſo quare infantuli baptizentur? Att. Vt eis peccata dimittantur Crit. Quid commeruere peccati? Att. Ex *Rom.* 5. Regnauit mors ab Adam, &c. Qui paruulus eſt, parentis in baptiſmo vinculo ſoluitur, &c. Hæc fuit in Concilio noſtra ſententia, &c. Scripſit dudum vir S. & eloquens Epiſcopus *Aug.* ad *Marcellinum*, qui poſtea ſub inuidia Tyrannidis Heraclianæ, ab hæreticis innocens cæſus eſt, duos libros de infantibus baptizandis, contra hæreſim veſtram, per quam vultis aſſerere non baptizari infantes in remiſſionem peccatorum, ſed in regnum Cœlorum, *Ioan.* 3. Tertium quoque ad eundem *Marcellinum*, contra eos qui dicunt quòd vos, poſſe hominem ſine peccato eſſe, ſi velit, abſque Dei gratia; & quartum nuper ad *Hilarium*, contra doctrinam tuam multa peruerſa fingentem. Alios quoque ſpecialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in noſtras venere manus. Vnde ſuperſedendum huic labori cenſeo: ne dicatur mihi, *In ſiluam ne ligna feras.* Aut enim eadem diceremus: aut ſi noua, à clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora. *Epiſt.* 79. *ad Alipium & Aug.* Quicquid in illa miſerabili Synodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hoc opere confitetur.

Ex lib. Aug. *De gratia Chriſti*, contra varias latebras hæreſis Pelagianæ. *A cap.* 1 *ad* 4. Pelagiũ reprobaſſe quidem verbotenus, dicentes aut ſentientes gratiam Chriſti non eſſe nobis per ſingulos actus neceſſariam: ſed quia gratiam in ſola peccatorum remiſſione conſtituebat, potuiſſe ſubintelligere ſolam illius memoriam continuam, vel etiam vitæ ac mortis Chriſti, nobis eſſe neceſſariam ad cauendum peccata. *A cap.* 4. *ad* 6. In ſuo quodam libro 3. pro libero Arb. tribuiſſe ſoli Deo poſſe ipſius naturæ, ſeu voluntatis: velle autem & actionem, ſeu eſſe ipſius effectus, ſoli voluntati ſeu libero Arb. Contra *Phil.* 2. Deus operatur in nobis & velle & perficere, vel operari. Quod enim addit verbo, *Imò & hominis eſt & Dei, qui ipſius voluntatis & operis poſſibilitatem dedit, quiq; ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ ſemper adiuuat auxilio:* ſtatim deſtruit exemplo, *quòd poſſumus videre oculis, noſtrum non eſt; quod verò benè vel malè videmus, noſtrum eſt.* A *cap.* 6. *ad* 10. Approbaſſe quidem aliquam gratiam: *vt quòd per liberum homines facere iubentur Arbitrium, faciliùs implere poſſint per gratiam*; ſed tantùm per gratiam legis & doctrinæ, contra *Rom.* 3. 4. 7. 2. *Cor.* 3. *Gal.* 3. A *cap.* 10. *ad* 15. Confeſſum fuiſſe gratiam doctrinæ, ſeu illuminationis etiam internæ: quia *cap.* 10. ſic reſpondet ad Phil. 2. *Deus operatur in nobis velle quòd bonum eſt: dum nos futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit; dum reuelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt.* Sed contrà, inquit *B. Aug.* Volumus vt etiam fateatur gratiam, quã creditur, ſperatur, amatur, & perſuadetur bonum. *Cap.* 11. Quid dicam de reuelatione ſapientiæ? Cùm 2. *Cor.* 11. ne Apoſtolus inde extolleretur, datus ſit ei ſtimulus carnis, &c. *Cap.* 12. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur, 2. *Cor.* 12. i. in infirmitate carnis & animæ, &c. Quocirca quiſquis ſe non fatetur infirmum, non perficitur, &c. *Cap.* 13. Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt: certè ſic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere, etiam per ſeipſum, &c. Ita vt non tantùm oſtendat veritatem, verum etiam impertiat charitatem. Sic enim docet eos qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt: ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. *Cap.* 14. De iſto docendi modo, *Ioan.* 6. Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me, &c. Iſto diuino docendi modo, etiam ipſa voluntas & operatio, non ſola volendi & operandi naturalis poſſibilitas adiuuatur, &c. Non enim ſolùm ait, poteſt venire, ſed *venit.* Vbi iam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effect' eſt. A Cap. 15. Cõtra exempla benè vel malè viuendi, loquendi, &c. *Pſal.* 18. Auerte oculos meos. *Cap.* 16. *Pel. Quod loqui poſſumus, &c. Dei eſt, &c. quod verè benè vel malè agimus, loquimur, cogitamus, noſtrum eſt.* Cap. 17. *Quia hæc omnia vertere etiam in malum poſſumus.* B. Aug. Timuit dicere, & noſtrum eſt & Dei: ne & malum noſtrum ſit & Dei; quia illud poſſe ad vtrumque donauit. *Cap.* 18. Pel. lib. 1. pro lib. Arb. *Habemus poſſibilitatem vtrinſq; partis à Deo inſitam, velut quandam, vt ita dicam, radicem fructiferam omnium bonorum & malorum.* B. Aug. *Non poteſt arbor bona fructus malos facere, nec mala bonos.*

Matt,

Matt. 7. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*, 1. Tim. 6. *Radix autem omnium bonorum Charitas*. *Cap.* 19. Facit homo arborem bonam, quando Dei accipit gratiam, &c. ipſeque Deus cooperatur ad fructum bonum, &c. *Cap.* 20. Illa ergo poſſibilitas nōn eſt radix bonorum & malorum; ſed vtriuſque radicis capax. *Cap.* 21. Qui natus eſt ex Deo non peccat, & non poteſt peccare. 1. *Ioan.* 3. .i. non ſecundùm charitatem, ſed ſecundùm cupiditatem. *Cap.* 22. *Pel.* in libro ad Sacram Virginem. *Si ſubditi ſimus Deo, eiuſq; faciendo voluntatem diuinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam Spiritui auxilio S. Spiritus reſiſtamus. Qui currit ad Deū, & à Deo ſe regi cupit .i. voluntatē ſuam ex eius voluntate ſuſpendit, qui ei adhærendo vnus cùm eo fit ſpiritus*, 1. Cor. 6. *non hoc niſi de Arbitrij efficit libertate.* Cap. 23. *Qua qui benè vtitur, ita ſe totum tradit Deo, omnemq; ſuam mortificat voluntatem: vt poſſit dicere, Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, Gal. 4. *Ponitq; cor ſuum in manu Dei, vt illud quò voluerit Deus ipſe declinet.* B. Aug. Quid homini maius, quidue tale poterit gratia ipſa præſtare? *Cap.* 24. An Aſſuerus, *Eſther* 15. ſe totum Deo tradiderat, & cor ſuum in manu Dei poſuerat? Tamen Deus conuertit eum, &c. Legant ergo & intelligant: non lege atque doctrinâ, ſed internâ atque occultâ mirabili & ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates. *Cap.* 25. Deus non ſolùm poſſe donauit & adiuuat, ſed etiam velle & operari operatur in nobis, *Phil.* 2. Non quia nos non volumus, aut non agimus: ſed quia nihil boni ſine eius adiutorio. *Cap.* 26. Deus ipſe prior dilexit nos, 1. *Ioan.* 4. Quid autem boni faceremus, niſi diligeremus? Etſi enim Dei mandata videantur aliquando non à diligentibus, ſed à timentibus fieri: tamen vbi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur. *Cap.* 27. Contra illud, *faciliùs*: quaſi ſine gratia minùs facilè reſiſtatur. *Cap.* 28. Pel. *Cùm tam forte ad nō peccandum liberum in nobis habeamus Arbitrium; rurſus quotidiano ipſius munimur auxilijs.* Cap. 29. *Vt quod per liberum homines facere iubentur auxilium, faciliùs poſſint implere per gratiam.* B. Aug. Tolle *faciliùs*, & ſanus eſt ſenſus. *Cap.* 30. Gratiâ quâ iuſtificamur .i. quâ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, &c. *Rom.* 5. in Pelagij ſcriptis nuſquam inueni, &c. *Cap.* 31. Pel. Epiſt. ad Innoc. Papam. *Ecce apud B. tuam Epiſtola me purget: in qua purè atque ſimpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum Arb. habere nos dicimus; quod in omnibus bonis operibus diuino ſemper adiuuatur auxilio. Quam liberi Arb. poteſtatem dicimus in omnibus eſſe generaliter: ſed in ſolis Chriſtianis iuuatur gratia.* B. Aug. Quâ gratiâ? Et adhuc poterit reſpondere: *lege atq; doctrina.* Deinde quamlibet ſentiat gratiam: dicit ipſis Chriſtianis ſecundùm merita dari. *Cap.* 32. Sed ab his litteris *Pelagius* ad fidei ſuæ librum vult tranſire lectorem. In quo cum ab vnitate Trin. vſque ad Reſur. carnis diſputationē quantam voluit terminaſſet: & *Baptiſma*, inquit, *vnum tenemus, quod iiſdem Sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in maioribus dicimus eſſe celebrandum.* *Aug.* Plus eſt quod vobis reſpondit, *infantes in remiſſionem peccatorum percipere baptiſmum.* *Cap.* 33. Quis crederet ſub hac confeſſione ſenſum latere contrarium: niſi eum *Celeſtius* aperuiſſet? *Paruulos baptizari in remiſſionem peccatum: ſed nullum habere originale peccatum.* Sed de adiutorio gratiæ, in libello ſuæ fidei: *Liberum*, inquit, *ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos indigere Dei ſemper auxilio.* Aug. *Quo auxilio, &c.*

Sed cum hæc dicto, ſuperueniūt mihi Louanio *Exceptiones* cuiuſdā *Pro-Rannij*, contra correctionem nōſtram *Rannij*: quibus inter alia exprobatur mihi Anatomia ſermonis 191. De tempore, tanquam *B. Aug.* cùm ſit illa ipſa confeſſio Pelagij ſupra; vt videtur *Baronio* ad annum Chriſti 417. & *Bellarm.* de Script. Eccl. ad Tomum 9. *S. Hier.* ex deſcriptione illius confeſſionis, & duabus inde ſententijs à B. *Aug.* ſupra relatis, quæ verbatim exſtant in illo ſermone 191. tanquam in quodam ſymbolo fidei. Ex quo opprobrio, in ipſum exprobrantem reſiliente: de reliquis conijci poteſt. Nam idem *Sermo* 191. à Cenſoribus Louanienſibus refertur eodē ordine inter ſermones Auguſtinianos de tempore: ſed ſub hac expreſſa diſtinctione; quòd qui ſine dubio ſunt ipſius *B. Aug.* inſcribantur expreſsè, *Sermones B. Aug.* qui ſine dubio non ſunt *Auguſtini*, relegantur in Appendicem: dubij tolerantur ſuo ordine inter Auguſtinianos, ne videantur pro libitu reprobari. Quo exemplo, & ego hunc ſermonem inter Auguſtinianos retuli: nō vt *Beati Auguſtini*, nec vt moralem, ſed vt dogmaticum contra omnes hæreticos; in nullo tamen alienum à doctrina *B. Aug.* Nam ſiue hic ſermo totus, ſiue quoad ſolam & totam confeſſionē fidei fuerit ipſius *Pelagij*, ſiue tantùm quod aliquas annexas & quaſi concretas periodos: cùm ipſe Aug. eam totam hic tam accuratè examinauerit, nec quicquam inde reprobauerit, cenſetur eam approbaſſe. Vt patet ex his verbis c. 33. *Quis crederet ſub hac quaſi manifeſta confeſſione ſenſum latere contrarium?* Idemque fatetur *Baronius* ſuprà. Nec *Bellarm.* eam reprobat vt erroneam: ſed vt Pelagij ad Innoc. Papam, non *B. Hier. ad Damaſum.* Quâ ergo præſumptione correxiſſem totam facultatem Theologicam Louanienſem eiuſque Cenſores, imò & ipſum B. Aug. qui nihil inde correxit? Quis ſcit vtrum tota hæc confeſſio fuerit ab ipſo Pelagio concepta & compoſita: vel potiùs ad ſui excuſationem aliunde accommodata? An ideo reprobanda eſt vera publica & expreſſa fidei confeſſio: quia ab aliquo Hæretico prolata, vel ſecreto ac priuato ſenſu deprauata? Quid, quòd non tantùm nihil contineat alienum à doctrina B. Auguſt. ſed niſi quod alibi ad eodem exprimitur? Nam hoc ipſum breue ſpecimen illius *Sermonis* 191. quòd mihi *Exceptor* ille exprobrat: *Nos dicimus ſemper hominem & peccare, & non peccare poſſe, vt nos liberi confiteamur Arbitrij*: ſatis exprimitur à B. Aug. & Concilijs dogmaticè ſupra, lib. De geſtis Pelagij cap. 14. 35. & alibi ſæpè, *Gratiam neceſſariam ad non peccandum, ad ſingulos actus dari.* Et ſupra *Lib. de gratia Chriſti cap.* 49. 60. Deus impoſſibilia nō iubet: ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. Confirmat Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. addendo, *& adiuuat vt poſſis.* .i. ſaltem

petere.

petere. *Can.* 18. Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit. Imò 1. *Retr.* 15. Quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate: niſi fortè ſi pia eſt, vt oret auxilium? .i. Si ſit ſaltem fidelis. Nam Epiſt. 106. Inexcuſabilis eſt omni peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis. *De correpṫ & gratia c.* 5. Quibus deeſt gratia neceſſaria, pœna peccati eſt, &c. Diſcat ergo *Exceptor* præmonitionem ſuorum Maiorum ad Tom. 10. *B. Aug.* & erubeſcat ſe hactenus ignoraſſe modum legendi & diſcernendi Sermones ipſius *B. Aug.* ab alijs admixtis; caueatque ne ſuâ temerariâ cenſurâ in illud ſpecimen *Sermonis* 191. ipſemet incidat in cenſuras 38. 62. 64. & Anathema *Trid.* Nec inſultet Minoribus correctoribus ſui *Ranutij*, & excipiat ab eorum vt Fraterculorũ correctione: ſed ſciat ſuos etiam Maiores fuiſſe ab ijſdem Minoribus ſine exceptione, Eccleſia approbante correctos. Non enim fruſtra ſunt Eccleſiæ Catholicæ Miſſionarij: ſed fideles Fidei præcones, exploratores, & excubitores; nec in tuendis Eccleſiæ Cenſuris à ſuis prædeceſſoribus qui eas procurarunt, degeneres. Ne tamen videamur tranſgreſſi regulam Chriſtianam correctionis fraternæ, *Matt.* 18. Correctio *Ranutij* fuit quidem publica contra eius publicatos errores in fide & moribus: ſed ſecreta & priuata in Perſonam, vt eſt illa S. Hier. in proœmio ſuorum Dialogorum contra Pelagium. Cùm autem in ſuum Correctorem cumulatis iniurijs vlciſcatur: offero ei duos vel tres non tantum teſtes, ſed etiam Arbitros huius correctionis. Quòd ſi his ſtare nolit: quid ſupereſt ad perfectam obſeruantiam correctionis fraternæ, niſi *Dic Eccleſiæ, &c.* Quis enim ferat negari palam à *Ranutio*, eiuſque *Pro-Ranutio*, omnem libertatem Viatorum ad non peccandum in vllo actu: ſed ſolam eis tribui libertatem damnatorum? Et in huius erroris patrocinium S. Bernardum deprauari? Sed proſequamur intentum.

Cap. 35. Pel. *Legant Epiſt. quam ad S. Paulinum ſcripſimus, &c.* B. Aug. *Hanc legi, &c.* Cap. 36. Pel. *Legant etiam ad S. Conſtantinum Epiſcopum.* *B. Aug.* Hanc non legi, &c. *Cap.* 37. Pel. *Legant etiam quam ad S. Virginem Demetriadem in Oriente conſcripſimus.* B. Aug: *Iſtam ſanè legi, mihiq́; penè perſuaſerat, &c. Sed vidi ſub ambigua generalitate quid ſentiret, &c.* Nam ait: *Si etiam ſine Deo homines oſtendunt quales à Deo facti ſunt: vide quid Chriſtiani facere poſſunt, quorum in melius inſtaurata natura eſt, & qui diuinæ quoque gratiæ iuuantur auxilio?* Cap. 98. *Si ante legem iuſtè quidam & Sanctè vixiſſe referuntur: quanto magis nos id poſſe credendum eſt?* Cap. 40. *Facilius nequam Spiritui, Spritus S. auxilio reſiſtamus &c.* Cap. 41. *Legant etiam*, inquit, *recens opus meum pro libero Arb.* B. Aug. *Sunt 4. libri, & hos legi: ſed in his nullo modo à verborum ambiguitate diſcedit.* Cap. 44. *Aug.* Audiat S. *Ambroſ. Lib. 2. in Luc.* 12. Nemo poteſt quicquam incipere ſine Domino, &c. Contra id quod ſolent homines dicere: *Nos incipimus, & Deus perficit.*

Cap. 46. Ex eodem *lib. 6. cap.* 9. Deus quos dignatur vocat, & quem vult Religioſum facit.] O ſenſum hominis Dei, ex ipſo hauſtum fonte gratiæ! *Cap.* 47. Iſta quæſtio ita eſt ad diſcernẽdum difficilis: vt quando defenditur liberum Arb. negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia, liberũ Arb. putetur auferri, &c. Si ergo *Pel.* nobis conſenſerit non ſolùm poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit nec agat benè: ſed ipſam quoque voluntatẽ & actionẽ diuinitus adiuuari, & ſic adiuuari vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus, eamque eſſe gratiã Dei per Ieſum Chriſtum, in qua nos ſuâ non noſtrâ iuſtitiâ iuſtos facit, vt ea ſit vera iuſtitia quæ nobis ab illo eſt: nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror inter nos controuerſiæ relinquetur, &c.

Ex Lib. de peccato originali contra Celeſt. A c. 1. ad 8. Contra hæreſim liberiorem Celeſtij, quàm Pelagij: ex Actis *Concil. Carthag.* contra quendam librum Celeſtij. *Cap.* 3. Aurelius Epiſcopus Carthag. dixit: Recitentur ſequentia. *Peccatum Adæ ipſi ſoli obfuit, & non generi humano.* Celeſtius dixit: *Dixi de traduce peccati me dubium eſſe, &c. Audiui Sanctum Presbyterum Ruffinum dicentem, quia tradux peccati non eſt, &c.* Aurelius dixit: Reliqua legantur. *Infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt in quo fuit Adam ante tranſgreſſionem. Cap.* 4. Celeſtius dixit: *Iam de traduce peccati dixi, &c. Licet quæſtionis res ſit iſta, non hæreſis. Infantes ſemper dixi egere baptiſmo, ac debere baptizari.* Cap. 2. In libello quem Romæ edidit, ita loquitur: *Infantes debere baptizari in remiſſionem peccatorum, confitemur: quia Dominus ſtatuit regnum cælorum nonniſi baptizatis poſſe conferri.* Cap. 6. Adiunxit: *Non vt peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à Catholico ſenſu alienum eſt; quia peccatum non cum homine naſcitur, nec eſt naturæ delictum, ſed voluntatis.* Cap. 7. B. *Innocentij* Papæ litteris non eſt auſus obſiſtere: imò ſe omnia quæ Sedes illa damnaret damnaturum eſſe promiſit, &c. ſed poſtea quàm ex Africano Epiſcoporum Concilio reſcripta directa ſunt: quid fuerit conſecutum, vt iuſtiſſimè in eum ſententia proferetur, legite. *A c.* 8. *ad* 23. contra eandem hæreſim, ſed ſecretiorem Pelagij. *Cap.* 8. Pelagius fefellit Conc. Paleſtinum: Romanam verò Eccleſiam fallere vſquequaque non potuit. *Cap.* 17. In litteris quas miſit ad B. memoriæ Innocentium, & S. Papæ Zozimo datæ ſunt: dicit ſe ab hominibus infamari quod neget paruulis Baptiſmi ſacramentum, &c. *Cap.* 21. De iſta quæſtione ita perhibetur ſolitus reſpondere: *Sine baptiſmo paruuli morientes, quò non eant ſcio, quò eant neſcio, &c.* In eodem lib. fidei ſuæ ad Innoc. ſeipſum tegendo nudauit, dicens: *Baptiſma vnum tenemus, &c.* vt ſupra *col.* 325.

Non dixit, eodem Sacramento, ſed *ijſdem verbis*: tanquam infantibus remiſſio peccatorum verborum ſonitu diceretur, non rerum ageretur effectu. Viſus eſt tamen ad tempus aliquid dicere, quod fidei Catholicæ conueniret: ſed illam Sedem vſque in finem fallere non præualuit, &c. A *cap.* 22. *ad* 33. De diſtinctione & neceſſitate fidei præ alijs quæſt. *Cap.* 23. Quis non ſentiat multa ignorari ſalua Chriſtianâ fide, & alicubi errari ſine aliquo hæretici dogmatis crimine? *Cap.* 24. Sed in cauſa duorum hominum, quorum per vnum venundati

nundati

nudati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Chriſtiana conſiſtit, &c. Sine iſta fide Chriſti, nec antiquos iuſtos à peccatis potuiſſe Dei gratiâ iuſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat. *Cap.* 25. Erant & legis tempore homines Dei, non ſub lege terrente, ſed ſub gratia ſanante. *Cap.* 26. Non igitur, vt *Pelagius*, tempora diuidamus, dicentes primùm vixiſſe iuſtos homines ex natura, deinde ſub lege, tertiò ſub gratia. *Cap.* 29. Quiſquis contendit humanam in quacumque ætate naturam non indigere medico ſecundo Adam, quia non eſt vitiata in primo Adam: non eſt in aliqua quæſtione in qua dubitari vel errari ſaluâ fide poteſt; ſed in ipſa regula fidei, quâ Chriſtiani ſumus, &c.

A Cap. 33. *ad.* 41. Nec ideo malas eſſe nuptias; ſed ſolam concupiſcentiam ſeu libidinem; quâ etiã ex regeneratis, non regenerati, ſed regenerádi generatur. *Cap.* 40. Non ſolũ peccata quæ reos faciunt dum deſiderijs vitioſis conſentitur: † Verùm etiam deſideria vitioſa, quibus ſi non conſentimus nullus peccati reatus contrahitur, eodem lauacro baptiſmatis vniuerſa purgantur, &c. Vt in 4. *col.* 61. 62. 65. 156. 157. 199. 203. 204. 205.

Ex *lib.* 1. *De nuptijs & concupiſcentia*, ſeu de neceſſaria gratia pudicitiæ coniugalis, contra vitium concupiſcentiæ. *Cap.* 23. Concupiſcentia quæ ſolo Sacramento regenerationis expiatur, peccati vinculum traijcit in poſteros, &c. Ipſa quidem non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita non conſentitur, &c. Sed modo quodam loquendi vocatur peccatum: quod & peccato facta eſt, & ſi vicerit peccatum facit, &c. *Cap.* 25. Dimittitur concupiſcentia carnis in Baptiſmo: non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Non enim ſubſtantialiter manet, vt aliquod corpus, aut ſpiritus: ſed affectio eſt malæ qualitatis, vt languor. Non ergo aliquid remanet quod non remittatur. *Cap.* 26. Vt peccatorum quæ cùm fiunt prætereunt, reatus manet: ſic concupiſcentæ quando remittitur, reatus auſertur. Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati. *Cap.* 27. Itaque fieri poteſt, vt maneat actu, prætereat reatu, &c. *Cap.* 33. Eodem lauacro mundantur † etiam quæ poſterius humanâ ignorantiâ vel infirmitate contrahuntur. Quid enim prodeſt ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſt niſi præcedat?

Lib. 2. Pro illo primo, contra quædam excerpta ex libris 4. Iuliani. *Cap.* 3. Iul. *Ne vocentur haretici fiunt Manichai.* B. Aug. Non negamus liberum Arb. ſed *Ioan.* 8. ſi Filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis. *Cap.* 4. Iul. *Quis ambigat fœcunditatem Deo iure reputari?* Aug. Quæ veraciter & Catholicè dicta ſunt, non ab illo Catholicè dicta ſunt: quia non intentione Catholici pectoris. *Cap.* 11. Quid peccaſſet Iſaac, *Gen.* 18. ſi circumciſus non fuiſſet die 8. ſi nullum eſſet originale peccatum? *Cap.* 27. Quid quærit per quid peccatum inueniatur in paruulo: vtrum per voluntatem, an per nuptias, an per parentes? *Rom.* 5. Per vnum hominem mors intrauit, &c. Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen .i. vſque ad legem incluſiuè, etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Cuius futuri, niſi Chriſti? Et qualis forma, niſi à contrario? *Cap.* 28. Iulianus. *Non peccat qui naſcitur, non peccat qui genuit, non peccat qui condidit: per quas ergo rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fingis ingreſſum?* Aug. Quid quærit latentem rimam, cùm habeat apertiſſimam ianuam? *Rom.* 5. Per vnum hominem, per vnius delictum, & inobedientiam. *Cap.* 33. Iul. *Iſtos pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ab exordio reos definis?* Aug. Cur ergo pro illis Chriſtus mortuus eſt, ſi non ſunt rei? *Cap.* 34. Illo magno primi hominis peccato, natura noſtra in deterius commutata, non ſolùm facta eſt peccatrix, verùm etiam genuit peccatores: & tamen languor ipſe non eſt natura, ſed vitium. *Cap.* 35. Concedat Iesvm etiam paruulis eſſe Iesvm, *Matt.* 1.

Lib. 1. *ex* 4. *contra duas Epiſt.* & varias calumnias Iuliani, & Pelagianorum, ad *Bonifacium* Papam. *Cap.* 2. Iul. *Dicunt illi Manichæi, quia primo peccato Adæ liberum Arb. perierit, &c.* Aug. Quis noſtrum dicat quòd primo hominis peccato perierit liberum Arb. de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum: ſed illa quæ in paradiſo fuit, &c. Nam liberum Arb. vſque adeo in peccatore non perijt: vt per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, &c. *Cap.* 3. Dedit illis poteſtatem Filios Dei fieri, *Ioan.* 1. Quæ poteſtas niſi detur à Deo, nulla eſſe poteſt ex libero Arb. quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberauerit, ſed in malo, &c. *Cap.* 9. Aliud eſt voluntate benè faciendi benè-facere: aliud ad male-faciendum ſic voluntate inclinari, vt etiam faceret ſi hoc poſſet impunè. Nam ſic profectò in ipſa intus voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat. *Cap.* 10. Perficere, *Rom.* 7. eſt non conſentire. *Captiuantem me in lege peccati, &c.* Poteſt intelligi, carne non mente, motione non conſenſione. Nulla ergo damnatio eſt nunc his qui ſunt in Chriſto Iesv, *Rom.* 8. Non enim damnatur, niſi qui concupiſcentiæ carnis conſentit ad malum. *Cap.* 11. Quod enim operor, ignoro, &c. *Rom.* 7. quid eſt aliud quàm nolo, non approbo, non conſentio, non facio? His conſideratis rectè intelligitur Apoſtolus, non ſe ſolùm, verùm etiam alios ſub gratia conſtitutos ſignificaſſe. *Cap.* 13. Iul. *Dicunt Baptiſma non dare omnium Indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere: vt omnium radices in mala carne teneantur.* Aug. quis hoc niſi Infidelis affirmet? *Cap.* 18. Iul. *Defendimus, hominem nec in bonum, nec in malum cogi, &c. in bono à Dei gratia ſemper adiuuari, in malum vero Diaboli ſuggeſtionibus incitari.* Aug. Sed deſerente Deo pro meritis ire in malũ, & Deo adiuuante, ſine meritjs conuerti ad bonum. *Cap.* 19. Vos autem in excitanda ad bonum voluntate nihil creditis gratiam operari.

Ex *Lib.* 2. *cap.* 3. Etiam Romanos Clericos arguunt iuſſionis terrore perculſos, vt pronunciarent malum hominum eſſe naturam. Imò vero Pelagiani ſpe falsâ putauerunt ſuum dogma quibuſdam Romanorum Catholicorum mentibus

perſuaderi poſſe, &c. *Infra.* Sed ſi quod abſit, ita tunc fuiſſet de Pelagio vel Celeſtio in Eccleſia Romana iudicatum, vt illa eorum dogmata quæ in ipſis & cum ipſis Papa Innoc. damnauerat, approbanda & tenenda pronunciarentur: ex hoc potiùs eſſet præuaricationis nota Romanis Clericis inurenda. *Cap.* 4. Sed quid opus eſt immorari: cùm extent hinc inde geſta & acta directa, &c. *Epiſt.* 91. 92. *Cap.* 5. Peccato Adæ liberum Arb. de hominum natura perijſſe non dicimus: ſed valere ad peccandum in hominibus ſubditis Diabolo; ad benè autem pièque viuendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adiuta. *Cap.* 6. Paruuli baptizati qui de corpore exierunt, quibus præcedentibus meritis hoc tam ſublime donum acceperunt? Si dixeritis hoc parentes meruiſſe: cur aliquando piorum filijs negatur, & filijs tribuitur impiorum? *Cap.* 8. Nulla eſt acceptio perſonarum in duobus debitoribus æqualiter reis, ſi alteri dimittitur, ab altero exigitur, quod pariter ab vtroque debetur. 1. *Cor.* 4. Quis enim te diſcernit? i. à vaſis iræ, &c. Dicitis ex futuris operibus quæ Deus illum facturum eſſe præſciuit, Iacob fuiſſe dilectum, *Rom.* 9. Quaſi non poſſet dicere, *Non ex operibus* præſentibus, ſed futuris. *Cap.* 8. Nobis obijciendum putant, quod inuito & reluctanti homini Deum dicamus inſpirare ipſius imperfecti boni cupiditatem, &c. Si ſine gratia Dei per nos incipit cupiditas boni: ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur. Contra. *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere. *Phil.* 1. Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet. 2. *Cor.* 3. Non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis, &c. *Cap.* 9. Hominis eſt præparare cor, *Prou.* 16. non tamen ſine adiutorio Dei. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo quæ non facit Deus vt faciat homo. Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas? Nec initium eius ex nobis, & perfectio ex Deo: ſed tota nobis ex Deo eſt, 1. *Ioan.* 4. Tunc enim bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere cœperit. Quando autem timore pœnæ, non amore iuſtitiæ fit bonum, nondum benè fit: nec fit in corde quòd fieri videtur in opere, quando homo mallet non facere, ſi poſſet impunè.

Cap. 10. Dicunt *gratiam adiuuare cuiuſq; bonum propoſitum: non tamen reluctanti ſtudium virtutis immittere.* Velut homo à ſeipſo habeat propoſitũ bonum: quo merito præcedente, dignus ſit adiuuari, à gratia ſubſequente, &c. Ignorantes propoſitum Dei non hominis, quo eos quos præſciuit & prædeſtinauit, elegit ante mundi conſtitutionem, *Rom.* 8. *Eph.* 1. Hominis autem propoſitum bonum adiuuat quidem ſubſequens gratia; ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia, &c. *Pſal.* 76. Dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi. Non ait, hæc mutatio arbitrij mei.

Ex *lib.* 3. *cap.* 3. Iul. *Baptiſma inquiunt non plenam dare remiſſionem peccatorum.* Aug. Mentiuntur, inſidiantur, tergiuerſantur, &c. Peccant & filij Dei, quà ſunt filij adhuc huius ſæculi: non quà per gratiam ſunt filij Dei, &c. Filios autem Diaboli infidelitas facit, &c. quia non habent in interiori homine cur eis dimittatur, &c. Illi autem filij Dei, cùm confitentur peccata ſua, (quod filij Diaboli non faciunt, vel non ſecundùm fidem filiorum Dei:) fidelis eſt & iuſtus, qui dimittat eis peccata. *Cap.* 4. Quis Catholicus dicat quod nos dicere iactitant: *Spiritum S. adiutorem virtutis in veteri Teſt. non fuiſſe?* Niſi cùm vetus Teſt. intelligimus vt *Gal.* 4. Ad hoc pertinent qui putant ſibi litteram legis ſufficere. Neque enim in eis fides per dilectionum operabatur: ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio inuitus facit, ac per hoc in animo non facit: mauult enim omnino non facere, ſi ſecundùm ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè; ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, vbi ipſe qui præcipit inſpicit Deus. *Cap.* 5. Noſtra fides iuſtos ab iniuſtis, non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit, &c. Per quam fit vt homo cum ſuis velut laudabilibus mor... ſi non in Deum fidem rectam & Catholicam ... neat, de hac vita damnandus abſcedat, &c. Alius autem non ita benè moratus, à Deo ſumens indulgentiam peccatorum, & dilectionem rectè factorum, de hac vita liberandus emigrat. Quare, niſi propter fidem? Quæ licet ſine operibus neminem ſaluat, &c. tamen per ipſam etiam peccata ſoluuntur; ſine ipſa verò etiam quæ videntur bona opera in peccata vertuntur, *Rom.* 14. *Cap.* 7. Si in hac vita quantò ampliùs diligimus Deum, tantò ſumus vtique iuſtiores: quis dubitet piam veramque iuſtitiam, cùm fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici? *Cap.* 8. Cùm Pelagiani vrgentur: immittunt aliarum nebulas quæſtionum, de laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi Arb. laude Sanctorum, &c. Liberum Arb. captiuatum, non niſi ad peccandum valet: ad iuſtitiam verò niſi diuinitus liberatum, adiutumque, non valet. *Cap.* 10. Addunt de Origine animæ non neceſſariam quæſtionem, &c.

Ex Lib. 4. Contra illas ſex nebulas, & latebras Pelagianorum. *Cap.* 4. Volunt intelligi non peccatum pertranſiſſe in omnes, *Rom.* 5. ſed mortem. Quid eſt ergo quod ſequitur: *in quo omnes peccauerunt? Cap.* 6. Quod in laude liberi Arb. dicunt, *gratiam adiuuare cuiuſq; bonum propoſitum*: ſine ſcrupulo acciperetur Catholicè, ſi non in bono propoſito meritum ponerent, & confiterentur, ipſum non poſſe eſſe in homine, ſi non præcederet gratia, &c. *Non reluctanti ſtudium virtutis immittere*: poſſet benè intelligi, ſi non ab iſtis diceretur, &c. *Ezech.* 36. Ego faciam vt faciatis: ſed propter nomen meum, non propter vos. *Cap.* 8. Ex *S. Cypr. lib.* 3. *Epiſt.* 8. *ad Fidum.* In oſculo infantis baptizandi, quiſque debet cogitare adhuc recentes Dei manus, quas in homine modò formato quodammodò exoſculamur. *Cap.* 9. Ex eodem de oratione Dominica. Fiat voluntas tua: vt fiant ex nolentibus volentes. Præcedit humilis confeſſio, & datur totum Deo: quicquid ſuppliciter petitur, ipſius pietate præſtatur. *Epiſt ad Quirinum.* In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt, 1. *Cor.* 4.

Cap. 10.

Digitized by Google

Cap. 10. Ex eodem, *Epiſt. De immortalitate.* Obſeſſa mens hominis, & vndique Diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis; vix reſiſtit. *Cap.* 11. Ex S. Ambr. in *Pſal.* 118. Non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum. *Cap.* 12. Iactant, *Toto Occidente non minus ſtultum, quàm impium dogma ſuſceptum, &c. De ſimplicibus Epiſcopis ſine Congregatione Synodi extorta ſubſcriptio eſt.* Nunquid Cypriano & Ambroſio extorta eſt? Aut congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? Quaſi nulla hæreſis niſi Synodi Congregatione damnata ſit, &c. Verùm iſtorum ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur: vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur, &c. Cùm potiùs poſt factum illis competens ſufficienſque iudicium, vbicumque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint.

Ex *libris 6. B. Aug.* Contra Iulianum. *Lib.* 1. *Cap.* 1. Contumelias & verba maledica, Iuliane, libris 4. anhelaſti, &c. *Cap.* 3. Tu qui tam crebro nobis Manichæorum nomen opponis: quos & quales viros appetere audeas, intuere. Subdit Sanctos Patres Latinos. *Cap.* 4. Introduxi te ſedandum in Sanctorum Patrum pacificum, honorandumque Conuentum. Cui addit S. *Innocentium* Papam. Non eſt cur prouoces ad Orientis Antiſtites: quia & ipſi vtique Chriſtiani ſunt, & vtriuſque partis terrarum, fides iſta vna eſt. *Cap.* 5. Sedeat cum iſtis Patribus S. Gregorius Nazian. S. Baſil, & 14. illi Epiſcopi ex Synodo Paleſtina. *Cap.* 6. Sed quid muſſites noui: *S. Chryſ. Hom.* ad Neophytos, *Etiam infantes baptizamus, cùm non ſint coinquinati peccato: vt eis detur vel addatur ſanctitas, iuſtia, &c.* Peccata dixit paruulos non habere: ſed propria, &c. non ſicut verba eius poſuiſti, &c. Ingredere *S. Ioannes*; & conſide cum fratribus tuis: opus eſt & tuâ maximè ſententiâ. *Tomo 5. ad Olimpiam.* Quando Adam peccauit, omne genus hominum in commune damnauit, &c. vt alibi ſæpè. *Cap.* 7. Non tibi vt calumniaris, ſolum populi murmur opponimus, &c. Vide etiam Matres quotidiè ad Chriſtum IESVM .i. Saluatorem cum paruulis currunt, &c. Nec S. Hieronimum contemnendum arbitreris, &c.

Ex *lib.* 2. *contra varias calumnias Iuliani*: Ex S. Ambr. Hilario, Chryſ. Baſil, Cypr. *Cap.* 10. Sine peccato ſemper eſſemus, ſi nunquam conſentiremus ad malum: Sed, quibus etſi non læthaliter, ſed venialiter vincimur, contrahimus vnde quotidie dicamus, dimitte nobis, &c. Sicut coniuges quando modum excedunt: continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur; non quidem decernentes flagitium, ſed intentionem mentis, non ſicut oportet ne illò incidat inde auertentes, aut ſi inciderit rapientes.

Ex lib. 3. *cap.* 1. Dicis quòd *Iudices prius cœperant odiſſe cauſam veſtram, quàm noſſe, &c.* Veſtra apud competens iudicium communium Epiſcoporum modò cauſa finita eſt: nec ampliùs vobiſcum agendum eſt quantùm ad ſuis examinis pertinet, niſi vt prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini. *Cap.* 3. Non dicitis paruulos non debere baptizari: ſed non inde ſaluari, &c. *Ioan* 3. Niſi quis, &c. Quâ iuſtitiâ pœna iſta infligenda ſit paruulo, quem originali obnoxium negatis eſſe peccato? *Cap.* 4. Quis ferat imaginem Dei fatuam naſci: ſi nulla ex parentibus mala merita in paruulos tranſeunt? *Cap.* 5. Quare infans vexatur à Diabolo, &c. Reſponde ſi potes? *Cap.* 6. Vt peccati actione Maiores: ita Minores Maiorum contagione ſunt rei, &c. Si nullum malum ex origine traherent, nunquam cum vitijs naſcerentur: Deus enim humanæ in ipſa conditione naturæ, vitia non infligit immeritæ. Neque enim dici poteſt quod *Ioan.* 9. de cœco nato, &c. Paruulis etiam renatis accidunt mala: abſit vt dicamus indignè, ſed potiùs ad alterum ſæculum prodeſſe quòd renaſcantur. *Cap.* 12. Quâ iuſtitiâ à regno & vitâ Dei alienabitur imago Dei, in nullo tranſgreſſa legem Dei? *Cap.* 17. Contra vetuſtam pulchritudinem Saræ .i. Eccleſiæ, non inuenit quid nouitia deformitas Pelagiana mentiatur: niſi vt tot Epiſcoporum Catholicorum conſenſum, Manichæorum blaſphemia criminetur. *Cap.* 18. Cur Iſaac tantâ pœnâ meritò plecteretur: niſi ab hac illo ſacramento Circumciſionis liberaretur? *Cap.* 21. Quamdiu pugnas aduerſus concupiſcentiam, cernis quod non eſt à Patre, 1. *Ioan.* 2. Ego dico me malum frænare: tu autem te bonum frænare. *Cap.* 24. Vt creanti Deô non imputatur quòd rationales naturæ à bono deficiant: ſic parentibus non eſt imputandum, quòd cum malo concupiſcentiæ filij naſcantur. 25. Chriſtus etiam pro paruulis mortuus eſt.

Ex Lib. 4. *cap.* 3. Soletis, negantes Dei dona eſſe virtutes quibus rectè viuitur, hoc vti arg. quòd eas nonnunquam habeant infideles, &c. Quantò ſatius hæc ipſa in eis dona Dei fatereris? Quantò tolerabiliùs diuino muneri potiùs quàm eorum tribueres voluntati? Licet ipſi hoc neſciant, &c. Sed abſit vt in eo ſit vera virtus, niſi fuerit iuſtus. Abſit vt ſit verè iuſtus, niſi viuat ex fide, &c. Porrò ſi veram iuſtitiam non habent impij: nec alias virtutes comites eius & ſocias. Quia cùm non ad ſuū referuntur authorem dona Dei: hoc ipſo mali his vtentes efficiuntur iniuſti, &c. An placet tibi vt veras virtutes auarorū eſſe dicamus: cùm pro acquirenda pecuniâ fortiter tolerant, abſtinent? Noueris non officijs, ſed finibus à vitijs diſcernendas eſſe virtutes, &c. Quicquid autem boni fit ab homine, non propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit: etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt, &c. *Rom.* 14. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt: peccati ſpeciem de qua agebat, generali voluit probare ſententiâ. *Hebr.* 11. Sine fide impoſſibile eſt Deo placere. Qui ergo naturali lege ſunt iuſti, *Rom.* 2. Aut placent Deo ex fide Chriſti, &c. Aut nec iuſti ſunt, nec Deo placent: ſed tolerabiliùs punientur. Quia naturaliter quæ legis ſunt vtcumque fecerunt: hoc tamen peccantes, quod homines ſine fide non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minus enim *Fabricius*, quàm *Catilina* punietur. IVL. *Si caſtitas infidelium caſtitas non eſt: eadem fronte dicetur quia corpus paganorum corpus non ſit.* AVG. Abſit vt non ſit verum corpus quod operatur Deus, &c. IVL. *Si vincuntur peccata peccatis, quantò magis virtutibus?* AVG. Quaſi negemus, adiutorium Dei tantùm valere, ſi velit, &c.

Cur

Digitized by Google

Cur autem non fiat, quis cognouit ſenſum Domini? Mens bona magis ſibi placet quàm quælibet alia creatura. Quàm verò pernicioſè, quamdiu non videt ſummum Bonum, cuius comparatione ſe ſpernat, &c. multùm eſt diſputando velle monſtare, &c. Vnde itaque ſcimus, ne fortè quia hoc ſuperbiæ malum tunc animum tentare non poterit, quando tantâ ſatiabitur viſione & charitate ſummi Boni, vt ad ſeipſum ſibi placendo deficere ab illius dilectione non poſſit: ideo factum ſit, ne ſuperbè viueremus, vt ſub quotidiana peccatorum remiſſione viuamus. Ivl. *Si Gentilis nudum operit: nunquid quia non ex fide, peccatum eſt?* Avg. Prorſus, &c. Non quia per ſeipſum factum peccatum ſit: ſed in tali opere non in Domino gloriari, &c. Si vitium eſt malè miſereri: & infideliter miſereri, &c. Ex quo colligitur etiam ipſa bona opera quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius qui bene vtitur malis: ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona male faciunt; quia ea non fideli, ſed infideli faciunt voluntate, &c. Omne enim, velis nolis, quod non ex fide, peccatum eſt. Ivl. *Ego ſteriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciunt.* Avg. Iuſtus ergo Deus & bonus, bonos eſt miſſurus in mortem? Sed ne fortè tecum videar certare verbis: aut intellige quod ait Dominus, *Matt. 6.* Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit, &c. & per hoc diſce eum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ quæ per dilectionem operatur, totum eſſe plenum nigredine peccatorum: aut ſcito nos illud bonum dicere per quod ſolùm homo poteſt ad æternum Dei donum perduci. Omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine vllo facta peccato: hoc ſcio, quia non ea facit voluntas bona, &c. Illud velis nolis obtineam, quòd amor mundi, &c. ſine amore Creatoris, non eſt à Deo: Amor autem Dei quo peruenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo per Iesvm Chriſtum. Per hunc amorem Creatoris, benè quiſque vtitur etiam creaturis: Sine hoc amore nullus benè vtitur creaturis. *Cap. 5.* Libido ideo malum non eſt in belluis: quoniam non repugnat rationi, quâ caret. *Cap. 8.* Ponis teſtimonium Apoſt. 1. *Tim. 2.* Deus omnes homines vult ſaluos fieri, &c. *Ideo autem non omnes ſaluos fieri, quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare.* Sed hunc ſenſum veſtrum infantes ſua taciturnitate conuincunt. Cur ergo non ſic accipiamus, vt *Rom. 5.* In omnes homines ad iuſtificationem? Cùm nec non baptizentur Paruuli quia noluerunt, nec baptizentur quia volunt. Cur Deus qui vult omnes homines ſaluos fieri, tam multos in regnum ſuum patitur non venire? Niſi fortè dicas paruulos non in eo numero deputandos, quos Deus vult ſaluos fieri: quia eâ ſalute ſalui ſunt, nihil habentes peccati, &c. Iſto modo beneuolentiorem facis Deum omnibus impijſſimis, quàm innocentiſſimis, &c. *Cap. 16.* Subiungis, ex 1. *Cor. 12.* Quæ verecunda ſunt noſtra, maiorem honeſtatem habent, &c. Honeſtas ergo adhibetur inhoneſtis: cùm rationalis naturæ ſenſu ipſo verecundante, velantur, &c.

Lib. 5. Cap. 2. A pictoribus me didiciſſe derides, quod Adam & mulier eius pudenda contexerint. Ego verò non à pictore inanium figurarum, ſed à ſcriptore diuinarum didici litterarum. *Cap. 3.* Conaris oſtendere hanc inobedientiam carnis potiùs eſſe laudandam, ſi pœna peccati eſt, &c. Nec cogitas poſſe te iſto modo laudare Angelos malos, *Pſal. 77.* Valde diſertus es contra gratiam Chriſti, & idoneus dicere panegyricum Satanæ. Ais, *Si libido pœna peccati eſt, abijciendam eſſe pudicitiam, ne rebellis in Deum caſtitas illatam ab eo dicatur eneruare ſententiam, &c.* Pœnam quæ nec error eſt, nec libido, debet tollerare patientia. Quando Deo donante ex vera viuitur fide, ipſe Deus adeſt, & menti illuminandæ, & concupiſcentiæ ſuperandæ, & moleſtiæ perferendæ. Hoc enim totum rectè fit, quando fit propter ipſum .i. quando gratis amatur ipſe, qualis amor nobis eſſe non poteſt, niſi ex ipſo. Alioquin quando homo ſibi placet, & de ſua virtute confidit, ſi traditur in deſideria ſuperbiæ ſuæ, tantò ampliùs augetur hoc malum, quanto magis cupiditates cæteræ ceſſerint, &c. Cùm dicitur homo tradi deſiderijs ſuis, *Rom. 1.* inde fit reus, quia deſertus à Deo cedit eis atque conſentit, & fit ei peccatum conſequens, præcedentis pœna peccati. Quid eſt quod dicis: *Cùm deſiderijs ſuis traditi dicuntur, intelligendi ſunt relicti per diuinam patientiam, non per potentiam in peccata compulſi?* Quaſi non ſimul poſuerit hæc duo Apoſt. *Rom. 9.* & patientiam, & potentiam. *Cap. 4.* At, inquis, *bonitas Dei ad pœnitentiam adducit, Rom. 2.* Sed quem prædeſtinauit adducit, &c. cæteri autem ex eadem quidem maſſa, ſed vaſa iræ facti, ad vtilitatem naſcuntur iſtorum. Nō enim quenquam eorū Deus temerè creat: cùm ex eis mundum exornet. † Iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam ſalubrem & ſalutarem, &c. Quid eſt, *Matt. 6.* Ne nos inferas in tentationem: niſi vt tradamur concupiſcentijs noſtris? Tradit ergo Deus: ſed conueniuntur, & fiunt eadem peccata peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorum. Facit hæc miris modis, qui nouit iuſta iuſta iudicia ſua & in ipſis cordibus operari: qui non facit voluntates malas, ſed vtitur eis vt voluerit, &c. Quid fugis ad obſcuriſſimam de Anima quæſtionem? Vt anima & caro pariter puniatur: aut vtrumque vitiatum ex homine trahitur; aut alterum in altero tanquam in vaſe vitiato corrumpitur. *Cap. 7.* Sed, inquit, *Paterniani, ijdemque Venuſtiniani hæretici, ſimiles Manichæis, dicunt Diabolum à lumbis vſq; ad pedes feciſſe corpus hominis, &c.* In tota anima, & toto corpore Conditorem habeo Deum pacis: Quis in me ſeminauit hoc bellum? *Poſſunt homines,* inquis, *omne vitare peccatum, cùm poſſint concupiſcentiæ vincere malum* Vt taceam de corporis ſenſibus, &c. In ipſis noſtræ cogitationis motibus & effectibus, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, 1. *Ioan.* 1. *Cap. 9.* Dicis, qui poteſt capere capiat, *Matt. 19.* & taces, *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* *Cap. 10.* Religioſus animus malo concupiſcentiæ benè vtens, hoc cogitat vt libidinem concumbēdo patiatur, quod non poteſt cogitare cùm patitur. Sicut ſalutem homo cogitat, vt ſomno ſe impertiat: quod

quod vtique non poteſt cogitare cum dormit. Sed ſomnus non facit membra inobedientia voluntati. *Cap.* 11. Non dico paruulos ſineChriſti baptiſmate morientes, tantâ pœna eſſe plectendos, vt eis non naſci potiùs expediret, *Matt.* 26. Quis dubitauerit eos in damnatione omnium mitiſſima futuros? Quæ qualis, & quanta erit, quamuis definire non poſſim: non tamen audeo dicere, quod eis vt nulli eſſent, quàm vt ibi eſſent potiùs expediret. Nec credendum eſt, & ante Circumciſionem, famulos Dei, quamdoquidem eis inerat Mediatoris fides, nullo Sacramento opitulatos fuiſſe paruulis ſuis. *Cap.* 14. Vt Ethiopes quia nigri ſunt, nigros gignunt, &c. Quomodo autem ſpecies de corpore ad ſpiritum, eo modo tranſeunt de ſpiritu ad corpus, vt *Gen.* 30. Sic & vitia ex parentibus in filios affectione & contagione pertranſeunt. *Cap.* 15. Quid eſt ſimilitudo carnis peccati, *Rom.* 8. ſi nulla caro peccati? Ivl. *Etſi naſcentes aliquid mali ex parentibus trahere poſſent, expiarentur manibus Dei, &c.* Noli de animæ origine temerè aliquid definire: ſed potiùs ſæpe vt Mater illa, 2. *Machab.* 7. *Neſcio qualiter in vtero meo paruiſtis.* Non attendis hoc dici etiam poſſe de manifeſtis corporum vitijs, &c. Abſit autem vt ſicut calumniaris, regeneratos redigamus ſub neceſſitate criminum, &c. Illud verum dixiſti, ſufficere ad oſtendendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum: quia, 1. *Petri* 2. dixit nullum eum feciſſe, peccatum. Profectò enim peccatum etiam maior feciſſet, ſi Paruulus habuiſſet. †Nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu: quia nullus eſt hominum præter ipſum qui peccatũ non habuerit infantilis ætatis exortu. *Cap.* 16. Vos continentiam animi viribus tribuitis: ego adiutæ per Dei gratiam voluntati. Sed quid comprimitur, niſi malum quo vincente peccatur? Quod ne dicamus cum Manichæis ex mali natura nobis eſſe commixtum: reſtat vt in noſtra natura tanquam vulnus aliquod fateamur eſſe ſanandum, cuius reatum iam fatemur regeneratione ſanatum.

Lib. 6. *cap.* 1. De peccato originali etiam paruulorum: & pœnis ac miſerijs naturæ humanæ. *Cap.* 2. Ex reconciliatione mundi, ad quem pertinent & paruuli. *Cap.* 3. Ex neceſſitate baptiſmi, & fidei, ad ſalutem. *Cap.* 4. Ex morte Chriſti pro omnibus, & nonniſi pro peccatoribus, *Rom.* 5. 2. *Cor.* 5. *Cap.* 5. Ex antiqua traditione & more Eccleſiæ, exorcizandi paruulos baptizandos. [Tunc vera eſt Dei gratia, ſi hoc rebus exibet, quod verbis facit, &c. Vt reatus ille non ſentiebatur: ſic eius ablutio fide creditur, non ſentitur. *Cap.* 6. A ſimili oleæ degenerantis in oleaſtrum, & vitiorum naturalium ex parentibus. *Cap.* 7. Ex figura præputij & Circumciſionis. [Vtrum ſint etiam alia cõtagia peccatorum: liberum eſt quærere. *Cap.* 10. Parentum peccata ſunt aliena proprietate actionis: ſunt noſtra contagione propaginis. *Cap.* 12. B. memoriæ Zozimum præuaricationis accuſas: qui non receſſit à ſuo prædeceſſore Innocentio, &c. Dicis me initio conuerſionis ſenſiſſe quod tu: ſed fallis aut falleris. *Cap.* 14. Deus aliquando adoptat in filium, quem format in vtero immundiſſimæ fœminæ: & aliquando non vult eſſe filium ſuum, quem format in vtero filiæ ſuæ. *Cap.* 15. Dimittũtur in baptiſmate cuncta peccata, & originaliter tracta, & ignoranter vel ſcienter adiecta. Concupiſcentia, *Iac.* 1. non parit peccatum, niſi conceperit: non concipit niſi illexerit .i. ad malum perpetrandum obſtinuerit voluntatis aſſenſum. *Cap.* 16. Concupiſcentia peior eſt quam ignorantia: quia hæc ſine illa minùs peccat; illa ſine hac, grauiùs peccat. *Cap.* 18. Senſus non eſt ipſa concupiſcentia: ſed ille potiùs quo nos eam maiorem minoremue habere ſentimus. Sicut ſenſus non eſt dolor, ſed quo ſentitur dolor. *Cap.* 19. Concupiſcentia, tranſacto reatu, manet actu, &c. Ipſe quippe motus, actus eſt eius: quamuis mente non conſentiente, deſit effectus. Ineſt enim homini malum, vnde ſurgit hic motus, quem dicimus deſiderium. *Infra.* Cùm ipſe concedas peccati tranſacti reatum manere: dic mihi quis ſit, & vbi maneat? Dicturus es, in illius cõſcientia qui deliquit, donec remittatur. Quid ſi obliuiſcatur? Vbi ergo manet? In occultis legibus Dei, quæ conſcriptæ ſunt quodammodo in mentibus Angelorum: vt nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſanguis Mediatoris expiauerit, cuius ſigno crucis conſecratur vnda Baptiſmatis. *Cap.* 21. Vos cogimini dicere Deum vel inualidum, vel iniuſtum: ſub cuius poteſtate imago eius in paruulis ſine vllo vel proprij, vel originalis peccati merito, tantis affligitur malis. *Cap.* 23. Ego priùs aliter intellexeram, *Rom.* 7. ſed poſtea ceſſi veritati, vt viderem in illis vocibus gemitum eſſe Sanctorũ, &c. *Cap.* 24. Fruſtra ſenſum diſtortùm moliris excuſpere, *Rom.* 5. In quo omnes peccauerunt .i. *propter quòd, &c.* Nam propter quod peccauit Adam, non peccauit Cain. *Infra.* Ipſi ſunt *multi*, qui & *omnes*, &c. Vt in aliquam domum per aliquam ianuam intrant omnes: quia nemo intrat niſi per illam. *Cap.* 25. Non intelligis hanc eſſe promiſſionem Teſt. noui, *Ezech.* 18. Non morietur filius in peccato Patris, &c. Sed anima quæ peccat, ipſa morietur. Incipit ergo homo paternis debitis non eſſe obnoxius renaſcendo quibus naſcẽdo fuerat obligatus. *C.* 26. Epilogus & recapitulatio totius operis.

Ex alio *Opere imperfecto*, contra alios libros, 8. eiuſdem Ivl. *Lib.* 1. *n.* 32. Ivl. dixit: *Doce iniuſtum eſſe imputare cuiquam naturale peccatum.* Avg. Vos potiùs iniquum cogimini confiteri graue ſuper paruulos iugum, ſi nullum trahunt originale peccatum. 33. Ivl. *Agnoſce te nouum antiquo Manichæo eſſe peiorem, qui talem Deum habeas.* Avg. Vos peiùs quàm Manichæi ſæuitis in paruulos, &c. Sic prædicatis Ieſum, vt eum negetis paruulorum eſſe Ieſum. 36. 39. Ivl. *Iuſtitia eſt virtus reſtituens ſua vnicuique, ſine fraude, ſine gratia.* Avg. Dic ergo quâ iuſtitiâ ille paruulus adoptetur in baptiſmo: ille ſine hac adoptione moriatur? Quomodo, *Matt.* 18. tantundem dedit eis qui in illo opere vnâ horâ fuerunt? An amiſerat iuſtitiam? 40. Ivl. *Hoc ipſum, vt Deus ſit clemens ſuo operi, pars magna iuſtitiæ eſt.* Avg. Sub Deo iuſto, miſer eſſe quiſquam niſi mereatur non poteſt. Ecce duo paruuli iacent, &c. Neutri dicere poteſt Deus, *Mat.* 23. Volui & noluiſti. 46. Ivl. Deus dimiſit hominem in manibus conſilij ſui, *Eccli.* 15. Si volueritis, ſi nolueritis, &c. *Eſa.* 1. Avg. Hæc dicta ſunt: vt ſi

Digitized by Google

illa voluntas non habetur, ab eo poſcatur qui in nobis operatur & velle; ſi habetur, fiant opera iuſtitiæ, &c. 48. IVL. *Nihil eſt aliud peccatum, præter voluntatem excedentem, & vnde liberum eſt non deflectere.* AVG. Multa ſunt quæ agunt homines mala, à quibus eſt eis liberum abſtinere : ſed nulli tam liberum eſt quàm primò fuit Adæ. 49. IVL. *Quo monſtro peccatum in infantibus inuenitur?* AVG. Indignaris quòd paruuli non renati, propter aliena dicantur peccata damnari, &c. Aliena ſunt, ſed paterna : ac per hoc iure ſeminationis noſtra ſunt. 54. IVL. *Chriſtus quos fecerat condendo bonos, facit meliorando adoptandoq; meliores.* AVG. Cur ergo multi paruuli ſine hac gratia moriuntur? Sinite Chriſtum paruulis eſſe Ieſum. 58. IVL. *Deus qui confitenti peccata propria condonat : non eſt tam crudelis vt innocenti impingat aliena.* AVG. Tu potiùs facis iniuſtum Deum : qui reddit peccata Patrum in filios, &c. 59. IVL. *Horrorem de obſcœnitatis tuæ impugnatione perpetior.* AVG. Si emeres iſta conuitia, prodigum te dicerem : gratis tibi adiacent, cur non eis fruaris, quibus maledicum animum paſcis? 61. IVL. *Paruuli non deferuntur ad Eccleſiam vt infamentur, imò vt infament Deum, ſed vt laudent.* AVG. Non infamantur cùm exſufflantur, &c. nec infamant Deum; ſed quo Creatore nati ſunt, hoc indigent Saluatore. 64. IVL. *Naturam Diabolicam definis.* AVG. Vitiata eſt natura, non vitium. 65. IVL. *Fronte ſycophantæ mentitus es.* 67. IVL. *Sciat lector te fidelem diſcipulum Manichæorum, & Traducianæ Nationis Primatem.* AVG. In quem crudo pectore euomas iſtas quibus paſceris contumelias, pauliſper attende. En adeſt *Ambroſius, &c* n. 68. IVL. *Tibi vindica poſſeſſionem mendacij, vt* Ioan. 8. n. 69. *Quod ais negotium nuptiarum nunc eſſe morbum, &c. conſcius fortè eſſe potes matris tuæ, morbi alicuius occulti : quàm, 7. Conf. 8. Meribibulam vocatam eſſe ſignaſti.* AVG. Quod etiam matrem meam, quæ te nihil læſit, conuitio lacerandam putaſti, victus es maledicendi libidine, &c. Ego verò parentes tuos tanquam Catholicos Chriſtianos honorabiles habeo, eiſque gratulor, quod ante defuncti ſunt, quã hæreticum te viderent. 72. IVL. *Naturalem eſſe omnium ſenſuum voluptatem, teſtimonio vniuerſitatis docemur : Hanc autem fuiſſe ante peccatum; quia ad delictum via per concupiſcentiam fuit, &c. Si lex & neceſſitas peccati inſerta eſt naturaliter : quid prodeſt non ei præbere conſenſum? Aut ſi non peccat quando ei non conſentio : ineſtimabilis potentia voluntatis humanæ cogit ipſum non peccare peccatum.* AVG. Præceſſit mala voluntas qua ſerpenti ſubdolo crederetur : & ſecuta eſt mala concupiſcentia, quâ cibo inhiaretur illicito, &c. Lex peccati dicitur peccatum : quia peccato facta eſt, & appetitione peccat, &c. Si ei conſentis, malam agnoſce peccando: ſi ei reſiſtis, malam agnoſce pugnando. 79. IVL. *Libertas arbitrij quâ Deo emancipatus eſt homo*, &c. AVG. Emancipatum hominem dicis à Deo, &c. vt in familia Patris nõ ſit. 83. IVL. *Libertas Arbitrij, poſſibilitas eſt vel admittendi, vel vitandi peccatum, expers cogentis neceſſitatis.* AVG. Homo quamdiu ſtetit, non opus habebat gratiâ, quâ leuaretur: nũc verò in ruina ſua, liber eſt iuſtitiæ, ſeruuſque peccati. 8. IVL. *Teſtatur fortitudo in contemptu dolorum, per Gentiles, & Chriſtianos.* AVG. Fortitudinem gentium mundana cupiditas, fortitudinem autem Chriſtianorum, Dei charitas facit. 87. IVL. *Liberum & non liberum .i. liberum & captiuum, conuenire non poſſunt.* AVG. Liberos dicimus ad ad opera pietatis: qui *Rom. 6.* Liberati à peccato ſerui facti ſunt Deo. 89. IVL. Ioan. 8. *Non eſt ſeruus peccati, niſi qui fecerit peccatum.* AVG. Audis, *qui facit* : & ſuppore vis, *qui fecit, &c.* Sunt ſerui peccati originalis, qui peccatum non faciũt. Non enim omnis qui ſeruus eſt peccati, facit peccatum : ſed omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. 92. IVL. *Liberum Arb. & poſt peccata tam plenum eſt, quàm fuit ante.* AVG. Audi, *Rom.* 7. Non quod volo ago, ſed quod odi hoc facio. 94. IVL. *Audi*, Matt. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Aug. *Certum eſt, Deum etiam ipſa nolente, quoſcumq; eorum voluit, collegiſſe.* 95. IVL. *Gratiam Chriſti confitemur.* 1. *Quòd facti ſumus ex nihilo.* 2. *Quòd ratione & libertate præſtamus.* 3. *Augmenta beneficiorum gratiæ reputamus.* 4. *Ipſa gratia legem in adiutorium miſit.* 5. *Ad ipſius gratiæ .i. diuinæ beneuolentiæ plenitudinem ſpectauit, vt Verbum caro fieret, &c. vt vel ſerò redamaremus eum.* AVG. Homo Pelagiane, charitas vult bonum : non per legis litteram, ſed per Spiritum gratiæ. 96. IVL. *Gratia meritum mutat reorum, non liberum condit Arbitrium, &c.* AVG. Si non præuenit vt operetur : quomodo, *Phil.* 2. Deus in nobis operatur & velle? Quomodo res minor ex Deo nobis eſt, & maior ex nobis? 98. IVL. *Definis genus humanum per liberum Arbitrium nihil aliud quàm peccare poſſe.* AVG Ex *Ioan.* 15. Sine me nihil poteſtis facere, &c. 99. IVL. *Iouinianus dicit, Baptizatum hominem non poſſe peccare : ante baptiſma autem & peccare, & non peccare poſſe.* AVG. Ex quo homo incipit vti volũtatis arbitrio, & peccare, & nõ peccare poteſt: ſed alterum nõniſi adiutus à Deo, alterum propria voluntate. 101. IVL. *Liberum dicis quod niſi vnum velle poteſt.* AVG. Liber Deus non eſt, qui malum non poteſt velle? 102. IVL. *Quomodo poteſt eſſe voluntas libera, ſi bonum ſemper velle cogatur?* AVG. Abſit vt à nobis dicatur cogi. Si enim cogitur, non vult, &c. Nunquid Deus cogitur velle bonum, quia velle non poteſt malum? 106. IVL. *Voluntas ipſâ neceſſitate mali defenditur.* AVG. Si neceſſitas nulla peccandi eſt, vt omittam vim mali orig. quid *Rom.* 7. Quod nolo malum hoc ago? *Infra.* Cur non creditis tantum ſaltem valuiſſe primi hominis ineffabiliter grande peccatum : quantum valet nunc ſecunda natura, ſeu conſuetudo? 107. IVL. *Totum ergo figmentum neceſſitatis euanuit.* AVG. De neceſſitatibus meis erue me, *Pſal.* 24. 109. IVL. *Liberi fuiſtis iuſtitiæ,* Rom. 6. i. *non ſeruiſtis ei : liberati eſtis .i. peccatorum veniam ſuſcepiſtis, manente Arbitrij libertate.* AVG. Ex iſto hæretico ſenſu, contradicitis orationi, *Matt.* 6. Ne nos inferas in tentationem. 2. *Cor.* 13. Oramus ad Deum ne quid faciatis mali. 120. IVL. *Deum iuras creare quod damnet, nec ob aliud condere.* AVG. Hoc & de præſcientia Dei dici poteſt. *Infra.* 131. AVG. Si tibi diſpli-

cet

Digitized by Google

cet Deum creare quos damnet : contradic ei ſi potes, ne creet quos damnandos eſſe præſciuit. Aut ei ſuggere, vt tot millia paruulorum rapiat ex hac vita, dum ſunt innocentes. 134. IVL. *Cùm de Deo dico, facit quod vult : nihil aliud dico, quàm facit quod debet*. AVG. Gratiam nemini debet. *Infra*. Debetur merces bonis operibus, ſi fiant : ſed gratia quæ non debetur præcedit, vt fiant. Dic quibus meritis paruulorum debeat regnum Cœlorum ? Dicturus es fortè debere hac gratiæ ſuæ : ſed ipſam gratiam nullis eorum meritis debet.

Lib. 2. n. 47. IVL. *Audio Apoſt.* Rom. 5. *Per vnum hominem, &c. Quod tu non propter exemplum peccati, ſed propter generationem dictum eſſe confirmas*. AVG. Exemplum peccati, non intrauit in mundum, niſi per Diabolum. 56. IVL. *Fœcunditas niſi per duos agi non poteſt : peccatum autem Apoſtolus intraſſe pronuntiat, ſed per vnum*. AVG. Nunquid Euam non imitantur peccantes? Cur ergo non vis attendere Apoſtolum dixiſſe per vnum hominem, &c. quia non imitationem, ſed generationem volebat intelligi ? Sicut enim à muliere initium peccati fuit : ſic initium generationis à viro eſt. 57. *Iul. Ineptis, qui dicis generationem ab vno homine cœpiſſe*. AVG. Ex *Gen.* 2. Erunt duo in carne vna, &c. 59. IVL. *Non dictum eſt, erunt duo homines in vno homine, &c.* AVG. *Eph.* 5. De Chriſto & Eccleſia : Erunt duo in carne vna. *Matt.* 19. Non ſunt duo ſed vna caro. 61. IVL. *Apoſtolus dixiſſet peccatum intraſſe per vnam carnem, non per vnum hominem*. AVG. Per vnum hominem : etiamſi ad propaginem ſola caro pertineat. 63. IVL. *Non dixit peccatum tranſiſſe, ſed mortem*. AVG. In quo omnes peccauerunt : niſi in Adam, in quo eos dicit & mori ? Quia non erat iuſtum, ſine crimine tranſire ſupplicium. 68. IVL. *Omnes .i. multitudo, non vniuerſitas*. AVG. In eo peccauerunt omnes, in quo moriuntur omnes, &c. 70. IVL. *Vſq; ad legem peccatum fuit in mundo*, Rom. 5. *Quæro ergo cur deſierit poſt legem ? Neq; enim vſq; ad finem eius*. AVG. O intellectum hæreticum ! Si lex abſtulit peccatum : ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. 71. IVL. *Si vſq; ad Chriſtum: ergo non poſt*. AVG. Agnus Dei tollit peccatum mundi : quod lex auferre non potuit. 72. IVL. *Cauſa promulgandæ legis fuit, vt peccatum proderetur, & caueretur*. AVG. Vt caueretur, non lex ſed gratia fecit. 83. IVL. *Multò conſequentiùs vnum aſſero*, Rom. 5. AVG. Cur per vnum hominem dictum eſt : niſi quia non à fœmina concipiente atque pariente; ſed à viro ſeminante eſt generationis exordium ? Aut quia iam non ſunt duo, quando per coitum fit vna caro. 84. IVL. *Vſq; ad legem*, Rom. 5. AVG. Quia nec lex potuit auferre peccatum : & vt iam legem includeret. Vt *Matt.* 1. Vſque ad Dauid 14. generationes, ipſum includunt. 85. 96. IVL. *Multò magis gratia Dei in plures abundauit*, Rom. 5. AVG. Non in magis multos, ſeu in plures quàm peccatum. 105. IVL. *Conſequentius dicitur* Rom. 5. *ex vno delicto, quàm ex multis, gratiam liberare*. AVG. Regeneratio quæ multiplicatum per vſum voluntatis malum tollit, plura præſtat quàm generatio. 108. IVL. *Gratia Chriſti diuerſas ſpecies reatum vnius vi conſecrationis abſtergit*. AVG. Quoad delicta voluntaria, ſicut ex multis in condemnationem, ſic ex multis in iuſtificationem. 114. 115. IVL. *Doce paruulos multis abnoxios eſſe criminibus*. AVG. IESVS qui ex multis delictis ſaluat, nec præterit originalia ſingula paruulorum : quia in eiſdem multis & ipſa ſunt. 135. IVL. *Omnes*, Rom. 5. i. *multi*. AVG. Nullus niſi per Adam trahitur ad Damnationem : & nullus niſi per Chriſtum liberatur. 143. IVL. *Sic multò magis nocuiſſent peccata, quàm profuiſſet gratia*. AVG. Non dixit, *Rom.* 5. In multò plures, &c. 145. IVL. *Quos priùs omnes, poſt dicit multos*. AVG. Vbi ſunt *Omnes*, rectè dicuntur *multi* : ne ipſi *Omnes*, pauci intelligantur. 148. IVL. *Dicis omnes naſci criminoſos per Adam : ſed tantùm aliquos inde per Chriſtum liberari*. AVG. Non ait Apoſt. *plures*, ſed *multos*, græcè. 166. IVL. *Ipſum non peccare, præmium cenſeamus*. AVG. Si Deus hoc dat : donum potiùs eſt quàm præmium ; ne aliqua merita præceſſiſſe videantur. 185. IVL. Rom. 5. *Aliud oſtendit eſſe peccatum, aliud præuaricationem*. AVG. In ſimilitudinem præuaricationis Adæ .i. non propter ſua propria peccata; ſed quoniam ſui ſimiles genuit præuaricator Adam. 200. IVL. Rom. 5. *Peccatum non imputabatur, cùm lex non eſſet*. AVG. Non ab hominibus, ſed à Deo. 225. IVL. *Chriſtus peccato mortuus eſt ſemel*, Rom. 6. i. *propter peccata noſtra*. AVG. Ergo ſic & vos mortui eſſetis peccato. i. propter peccata veſtra. 236. IVL. *Conſtat Apoſt. nihil de naturali ſenſiſſe peccato*. AVG. Velitis, nolitis, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſijt, *Rom.* 5. Neque enim pertranſiret mors, niſi ducente peccato.

Ex Enchiridio, cap. 30. Libero Arb. malè vtens homo, & ſe perdidit & ipſum. Vt qui ſe occidit, vtique viuendo ſe occidit : ſed ſe occidendo non viuit, nec ſeipſum poteſt reſuſcitare cùm occiderit, &c. A quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt, 2. *Petri* 2. Qualis quæſo poteſt eſſe ſerui addicti libertas : niſi quando eum peccare delectat ? Liberaliter enim ſeruit, qui ſui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſeruus eſt. Vnde ad iuſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus, cœperit eſſe in iuſtitiæ ſeruus. Sed iſta libertas vnde erit ? Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. *Cap.* 31. Ne ipſam ſaltem fidem ſibi homines arrogarent, Apoſt. dicit 1. *Cor.* 7. Se miſericordiam conſecutum, vt fidelis eſſet. *Eph.* 2. Gratiâ ſalui facti eſtis per fidem : & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, &c. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto IESV in operibus bonis, &c. *Cap.* 32. Ne quis de ipſo glorietur libero Arb. *Phil.* 2. Deus eſt qui operatur in vobis & velle, &c. *Rom.* 9. Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Alioquin ſi quia ex vtroque fit, &c. Cur non & dicitur, Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis ? Reſtat vt totum Deo detur : qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia.

Nolentem præuenit, vt velit: volentem ſubſequitur ne fruſtra velit. *Cap.* 36. De iuſtificatione & gratia ex gratuita vnione hipoſtatica. *Intelligant homines, per eandem gratiam ſe iuſtificari à peccatis: perquam factum eſt, vt homo Chriſtus nullum habere poſſet peccatum.* *Cap.* 47. An omnium parentum delictis originalibus quis implicetur: an Deus in 3. & 4. generationem comminetur; quia itam ſuam non extendit vlteriùs moderatione miſerationis ſuæ, &c. An quid aliud de re tanta valeat reperiri, temerè non audeo affirmare. *Cap.* 97. Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti? *Matt.* 23. Vbi eſt illa Omnipotentia? An potiùs ea quoque nolente, filios eius collegit ipſe quos voluit? *Cap.* 98. Quis dicat Deum malas hominum voluntates in bonum non poſſe conuertere? *Cap.* 100. Non fit præter eius voluntatem, quod fit etiam contra eius voluntatem. Quia non fieret, ſi non fineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens; nec ſineret Bonus fieri malè, niſi Omnipotens etiam de malo facere poſſet benè. *Cap.* 101. Aliquando bonâ voluntate homo vult, quod Deus non vult, &c. Rurſus vult malâ voluntate, quod Deus vult bonâ, &c. Tantùm intereſt quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem. *Cap.* 102. Omnipotentis voluntas Dei ſemper inuicta eſt. *Cap.* 103. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, 1. *Tim.* 2. Quòd nullus ſaluus fiat niſi quem velit: aut certè omnes per quaſcumque differentias, &c. *Cap.* 104. † Deus primum hominem in ea ſalute in qua conditus erat cuſtodire voluiſſet: ſi ad permanendum ſine peccato perpetuam voluntatem habiturum eſſe præſciſſet. Quia verò eum malè vſurum libero Arb. præſciebat: ad hoc præparauit voluntatem ſuam, vt benè ipſe faceret etiam de malè faciente. *Cap.* 105. Sic oportebat priùs hominem fieri: vt benè velle poſſet, & malè; nec gratis ſi benè, nec impune ſi malè: poſtea verò ſic erit, vt malè velle non poſſit. Nec ideo libero carebit Arb. multò quippe liberius erit, &c. Neque enim culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, quâ beati eſſe ſic volumus, vt eſſe miſeri non ſolùm nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus. 106. Etſi peccatum in ſolo libero Arb. erat conſtitutum: non tamen iuſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum Arb. niſi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur. *Cap.* 117. Sine Spiritu S. per quē diffunditur Charitas, *Rom.* 5. iubere lex poterit, non iuuare. † Regnat enim carnalis cupiditas, vbi non eſt Dei Charitas. *Cap.* 118. De quadruplici ſtatu hominis. 1. Ante cognitionem legis. 2. Sub conditione legis, ſine gratia præualente concupiſcentiæ. 3. Sub gratia præualente. 4. In pace perfecta. *Cap.* 121. Quòd ita fit vel timore pœnæ, vel aliquâ intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, *Rom.* 5. nondum fit vt fieri oportet, quamuis fieri videatur, &c. Minuetur autem cupiditas, charitate creſcēte, &c.

Ex lib. De gratia & libero Arb. ad Valentinum & eius Monachos Adrumetinos. *Cap.* 1. Quoniam ſunt quidam qui ſic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum Arb. aut quando gratia defenditur negari exiſtimant liberum Arb. Hinc aliquid ſcribere ad veſtram charitatem curaui, &c. Vt *Epiſt.* 46. 47. & 2. *Retr.* 66. *Cap.* 2. Reuelauit autem nobis Deus per ſacras Script. eſſe in homine liberum Arb. quia præcepta Diuina non prodeſſent, niſi haberent liberum Arb. *Eccli.* 15. Reliquit illum in manu conſilij ſui, &c. *Cap.* 3. Sed nec ſine pœna erunt, qui legem Dei neſciunt, *Rom.* 2. *Luc.* 12. Aliud eſt enim neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe, *Pſal.* 35. † Sed & ignorantia eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat vt ſempiterno igne non ardeat, ſi non credidit quia non audiuit, ſed fortaſſis vt mitiùs ardeat, *Pſal.* 31. 1. *Cor.* 14. *Cap.* 4. Sed ne diuina teſtimonia in defenſione liberi Arb. ſic intelligantur, vt ad vitam piam cui merces æterna debetur, gratiæ Dei locus non relinquatur, &c. Talis eſt hæreſis Pelagiana, &c. Proinde etiam de gratia Dei ſine quâ nil boni agere poſſumus, diuina teſtimonia videamus. *Matt.* 19. Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, &c. 1. *Cor.* 7. Vnuſquiſque proprium donum habet à Deo. *Sap.* 8. Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det. *Matt.* 26. Vigilate & orate, &c. *Cap.* 5. Niſi donum Dei eſſet ipſa ad Deum conuerſio, non diceretur, *Pſ.* 79. 84. Conuerte nos Deus, &c. 1. *Cor.* 15. Gratiâ Dei ſum id quod ſum, &c. Vt autē de Cœlo vocaretur, & tam magnâ & efficaciſſima vocatione conuerteretur: gratia Dei erat ſola; quia merita eius erant magna, ſed mala. *Cap.* 6. Cùm data fuerit gratia, incipiunt eſſe merita noſtra bona, per illam tamen, &c. *Ioan.* 15. 2. *Tim.* 4. Cui redderet coronam iuſtus Iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? Sed ſi Pelagiani merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet reprobanda ſententia, &c. † Dona ſua coronat Deus, non merita tua: ſi tibi à teipſo, non ab illo ſunt, &c. *Cap.* 7. Si ergo Dei dona ſunt bona merita tua: non Deus coronat merita tua vt tua, ſed tanquam dona ſua. *Cap.* 8. Non ex operibus tanquā tuis, ex teipſo tibi inexiſtentibus: ſed tanquam in quibus te Deus creauit, *Epheſ.* 2. *Pſal.* 50. *Cap.* 9. Quando iubetur vt operemur; *Phil.* 2. liberum conuenitur Arb. ſed cum timore & tremore, &c. *Cap.* 13. Quis ita inſaniat, vt audeat dicere, legem eſſe gratiam? Si autem lex non eſt gratia: nunquid natura erit gratia? Nam & hoc Pelagiani auſi ſunt dicere, &c. *Cap.* 14. Sed cùm fuerint conuicti, quia neque ſcientia legis, neque natura, neque ſola remiſſio peccatorum, eſt illa gratia per Iesvm Chriſtum: conantur oſtendere gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; quia bona voluntas præcedit credentis, orantis, &c. *Rom.* 10. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? *Ezech.* 11. Auferam ab eis cor lapideum. *Cap.* 15. Dat quod iubet, cùm adiuuat vt faciat cui iubet. *Cap.* 16. Certum eſt nos mandata ſeruare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas â Domino, ab illo petendum eſt, vt tantùm velimus, quantùm ſufficit vt volendo faciamus. Certum eſt nos velle, cùm volumus: ſed ille facit vt velimus. Certum eſt nos facere, cùm facimus: ſed ille facit vt faciamus, prebendo vires efficaciſſimas voluntatis

Digitized by Google

tati. *Cap.* 17. Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt: iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc paruam & inualidam, &c. Quæ bona voluntas ſeu charitas, non deerat Petro, *Ioan.* 13. Et quis iſtam, etſi paruam, dare coeperat charitatem: niſi ille qui præparat voluntatem; & cooperando perficit, quod operando incipit? *C.* 18. Diligamus inuicem, 1. *Ioan.* 4. Sine fructu admoneremur, niſi priùs acciperemus aliquid dilectionis, &c. *Cap.* 19. Deus dilectio eſt, 1. *Ioan.* 4. Et Pelagiani etiam ipſum Deum ex ſemetipſis ſe habere dicunt! &c. Quid eſt amentius quàm confiteri ex Deo eſſe ſcientiam, quæ ſine charitate inflat, 1. *Cor.* 8. & ex nobis eſſe charitatem? *Cap.* 20. Script. diuina oſtendit omnes voluntates ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quò voluerit faciat inclinari. *Cap.* 22. Agit Omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum: vt per eos agat quod per eos agere voluerit, &c. Si autem potens eſt operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, &c. quid mirum ſi per Spiritum ſanctũ operatur in cordibus Electorum ſuorum bona, qui operatus eſt vt ipſa corda eſſent ex malis bona? *Cap.* 23. Deus indurauit Pharaonem per iuſtum iudicium, & ipſe Pharao per liberum Arb.

Ex Lib. De correptione & gratia ad eoſdem. Cap. 1. Deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt, *Pſal.* 76. Liberum itaque Arb. & ad malum & ad bonum faciendum confitendum eſt nos habere: ſed in malo faciendo quiſque ſeruus eſt peccati; in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus, *Ioan.* 8. nec ita vt non indigeat ſui liberatoris auxilio. *Cap.* 2. Intelligant, ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi: vt quod agendum eſt, agant; & cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant. Agũtur enim vt agant, nõ vt ipſi nihil agãt. *Cap.* 3. Ergo, inquiunt, qui nobis præſunt orent pro nobis, vt faciamus: non autem nos arguant. *Cap.* 4. Quomodò meo vitio non habetur quod non accepi? *Cap.* 6. Cur corripimur qui non accepimus? Corripiatur origo damnabilis: vt ex dolore correptionis, voluntas regenerationis oriatur, &c. Si autem iam regeneratus in malam vitam relabitur: non poteſt dicere, non accepi, &c. Qui ſi correptione compunctus ſalubriter ingemit: vtilitas corcorreptionis apparet, vt tamen correptio proſit, nonniſi per Deum fit, &c. Nec eſt eius qui non perſeuerauerit negligenda correptio: ne fortè det illi Deus pœnitentiam, &c. 2. *Tim.* 2. *Cap.* 7. Fides Electorum quæ per dilectionem operatur, aut omninò nõ deficit: aut reparatur antequã vita iſta finiatur. Qui verò perſeueraturi non ſunt, non ſont à maſſa perditionis diſcreti, &c. *Cap.* 8. Cur Deus perſeuerantiam non dederit eis quibus dilectionem qua Chriſtianè viuerent dedit: me ignorare reſpondeo. O Altitudo! *Rom.* 11. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, *Luc.* 22. An audebis dicere etiam rogante Chriſto, defecturam fuiſſe, ſi Petrus deficere voluiſſet? Quaſi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet vt vellet, &c. Quid ergo aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem? *Cap.* 9. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, 1. *Ioan.* 2. Non quia iuſtitiã ſimulauerunt: ſed quia in ea non permanſerunt. Non erant ex numero filiorum, & quando erant ex fide filiorum. *Cap.* 10. Credimus Deum ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam: vt in ea priùs oſtenderet quid poſſet liberum Arb. deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium, iuſtitiæque iudicium, &c. *col.* 234. *Cap.* 11. Iſtam gratiam non habuit Homo primus, quâ nunquam vellet eſſe malus: ſed in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine qua bonus eſſe non poſſet, ſed eam per liberum Arb. deſerere poſſet. Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in eius libero Arb. quod ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab Omnipotente bono. Quod adiutorium ſi homo ille per liberum Arb. non deſeruiſſet, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat quod deſereret cùm vellet: & in quo permaneret ſi vellet; non quo fieret vt vellet. Hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam: ſed potentior eſt in ſecundo Adam. Prima enim eſt quâ fit vt homo habeat iuſtitiam ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit vt velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parua erat, quâ demonſtrata eſt etiam potentia liberi Arb. quoniam ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret, ſed hoc adiutorium ſi vellet deſereret. Hæc autem tanto maior eſt, &c. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, &c. Dederat & adiutorium ſine quo in eâ non poſſet permanere ſi vellet; vt autem vellet in eius libero reliquit Arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet: quia non deerat adiutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet, &c. Sed quia noluit permanere, profecto eius culpa eſt. Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cùm primum facti ſunt defuiſſet: quoniam non talis natura facta erat vt ſine Diuino adiutorio poſſet manere ſi vellet, non vtique ſua culpa cecidiſſent, &c. Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundùm debitum; & tantò ampliùs datur per Ieſum Chriſtum, vt non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus etiamſi velimus, verùm etiam tantum ac tale ſit vt velimus. Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam non ſolùm poſſe quod velimus, verùm etiam velle quod poſſumus, &c. Quid autem liberius libero Arb. quando non poterit ſeruire peccato? *Cap.* 12. Prima ergo libertas erat poſſe non peccare: nouiſſima erit, non poſſe peccare, &c. *Ipſa adiutoria diſtinguenda ſunt: aliud eſt ſine quo aliquid non fit; aliud quo aliquid fit. Adiutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit vt viuamus: at verò beatitudo eſt adiutorium non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiam quò fit quis Beatus, &c.* Primo itaque homini datum eſt adiutorium perſeuerantiæ: non quo fieret vt perſeueraret; ſed ſine quo per liberum Arb. perſeuerare non poſſet. Nunc verò prædeſtinatis non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur: ſed tale vt eis perſeuerantia ipſa donetur, non ſolùm vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm etiam vt per hoc

Digitized by Google

donum nonniſi perſeuerantes ſint. *Infra*. Tantum quippe Spiritu S. accenditur voluntas eorum: vt ideo poſſint quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur vt velint. Nam ſi in tanta infirmitate huius vitæ ipſis relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio Dei manerent ſi vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeuerare non poſſent, &c. Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ: vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, &c. Fortiſſimo quippe permiſit facere quod vellet: infirmis ſeruauit vt ipſo donante inuictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inuictiſſimè nollent. *Cap.* 13. De his loquor, qui prædeſtinati ſunt: quorum ita certus eſt numerus, vt nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis; non de his qui *Pſal.* 59. *Multiplicati ſunt ſuper numerum, &c.* Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, &c.* Quis enim in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? Quia hic occultari opus eſt, &c. Hinc *Eſa.* 1. Si volueritis, &c. *Ioan.* 15. Si manſeritis in me, &c. Nam propter huius vtilitatem ſecreti, credendum eſt quoſdam de filijs perditionis aliquãdiu fideliter ac iuſtè viuere, & poſtea cadere, &c. Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam prædeſtinatus, donatâ ſibi vſque finem perſeuerantiâ, illuc integer perducetur: & illic integerimus ſine fine Beatiſſimus ſeruabitur, adhærente ſibi miſericordiâ Saluatoris; *Pſal.* 102. *Qui coronat te in miſericordia, &c.* Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Ioan. 1. *Gratia pro gratia.* *Cap.* 14. Patiantur ergo homines ſe corripi quando peccant, &c. vt ſi qui corripitur ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum: ſi autem non pertinet, ſit pœnale tormẽtum. Sub iſto ergo incerto, ex charitate adhibenda eſt, & pro illo cui adhibetur orãdum eſt vt ſanetur, &c. Quis enim operatur in cordibus ſalutem: niſi ille cui volenti: ſaluum facere nullum hominis reſiſtit Arbitrium? Quod enim *vult omnes homines ſaluos fieri*, 1. *Tim.* 2. multis quidem modis intelligi poteſt: ſed hic vnum dicam, vt intelligantur omnes prædeſtinati; quia omne genus humanum in eis eſt, &c. Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei non poſſe reſiſti: quandoquidem de ipſis etiam hominum voluntatibus quod vult, cùm vult facit, ſine dubio habens *humanorum cordium quò placet inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem*. 1. *Reg.* 10. 1. *Par.* 11. 12. Magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas. *Cap.* 15. Corripiantur itaque à præpoſitis ſuis ſubditi fratres, &c. Neſcientes enim quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non: ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri, &c. Poteſt enim etiam ſic intelligi, *quòd Deus omnes homines vult ſaluos fieri; quoniam nos facit velle, &c.* vt *Rom.* 8. *Cap.* 16. Si aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat: cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? 1. *Theſ.* 2. Corripite inquietos, 1. *Tim.* 5. Peccantes coram omnibus corripe: de peccatis quæ non latent. *Matt.* 18. Si peccauerit in te frater tuus: corripe eum inter te & ipſum. Hæc verò cum charitate fiant.

Ex Libris duobus Retract.

IN varios Libros contra alios Hæreticos, præcipuè Manichæos: quibus & contra Pelagianos cõfirmantur, quæ non retractantur. Vt 1. *Retr.* 1. *& lib.* 3. *contra Acad. cap.* 5. 6. tribuit victoriam contra Academicos, & omnem certam veritatem auxilio & fauori diuino. Ita & toto libro *De Magiſtro: & lib.* 2. *Ciu. cap.* 6. Philoſophi, quantùm diuinitùs adiuti ſunt, magna quædam inuenerunt.

Lib. 1. *Retr.* 3. *in duos libros De ordine Prouidentiæ*, circa omnia bona & mala. 1. *Retr.* 8. *In lib. De quantitate animæ*, tacitè approbat illud *cap.* 36. Datum eſt Animæ liberum Arb. quod qui labefactare conantur, adeò cœci ſunt, vt ne iſta quidem propria voluntate ſe dicere intelligant. Nec tamen ita liberum Arb. datum eſt: vt vllam partem diuini ordinis legiſquè perturbet. Datum eſt enim à Sapientiſſimo, atque inuictiſſimo totius creaturæ Domino. Sed iſta videre, paucorum eſt.

Lib. 1. *Retract.* 9. In tres libros De libero Arb. *De gratia Dei quâ ſuos Electos ſic prædeſtinauit, vt eorum qui vtuntur libero Arb. ipſe etiam voluntates præparet: nihil in his libris diſputatum eſt. Vbi autem incidit locus, tranſeunter commemorata eſt, non quaſi inde ageretur, &c. Quapropter noui hæretici Pelagiani, qui liberum ſic aſſerunt voluntatis Arb. vt gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam ſecundùm merita noſtra dari aſſerunt: non ſe extollant, quaſi eorum egerim cauſam: quia multa in his libris dixi pro libero Arb. quæ cauſa poſcebat. Dixi quippe* lib. 1. cap. 12. *Quid tam in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt?* Cap. 13. *Quiſquis vult rectè viuere, &c. aſſequitur tantam rem tantâ facilitate: vt nihil aliud ei quàm ipſum velle, ſit habere quod vult.* In lib. 2. cap. 1. *Homo poteſt rectè viuere cùm vult.* Lib. 3. cap. 3. *Non poſſum aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quòd cùm volumus facimus. Quapropter nihil tam in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt: ea enim mox vt volumus præſto eſt.* Cap. 16. *Deus velle præcepit, & poſſe præbuit, & non impunè nolle permiſit.* Infra. *Si hoc debet quiſq́, quod accepit, & ſic homo factus eſt vt neceſſariò peccet: hoc debet vt peccet, &c. Quòd ſi ſcelus eſt dicere: Neminem cogit natura ſua vt peccet.* Cap. 17. *Quæ eſſe poterit ante voluntatem cauſa voluntatis?* Cap. 18. *Quis peccat in eo quòd nullo modo caueri poteſt? Peccatur autem: caueri igitur poteſt, &c. In his atq́ huiuſmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur: putant Pelagiani, vel putare poſſunt, ſuam nos tenuiſſe ſententiam. Sed fruſtra hoc putant, &c. Diximus quippe* lib. 2. cap. 19. *Nec minima bona eſſe poſſe niſi à Deo, &c.* Cap. 20. *Pietatem inconcuſſam tene: vt nullum tibi bonum vel cogitanti occurrat, quòd non ſit ex Deo.* Infra. *Quia non ſicut ſponte homo cecidit, ita etiam ſponte ſurgere poteſt: porrectam nobis deſuper dexteram Dei .i. D. N.* IESVM *Chriſtum, firma fide teneamus.* Lib. 3. cap. 18. Adiunxi: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, &c.* Vt 1. Tim. 1. Pſal. 24. *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda: vbi vult homo rectè facere, & non poteſt.* Rom. 7. Gal. 5.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc omnia ſunt hominum ex illa mortis damnatione venientium. Nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura: nulla iſta peccata ſunt, &c. Infra. *Sed approbare falſa pro veris vt erret inuitus, & reſiſtente atq; torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe à libidinoſis operibus temperare: non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Cùm autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur: de illa ſcilicet in qua homo factus eſt loquimur.* Ecce tam longè antequam Pelagiana hæreſis exſtitiſſet, ſic diſputauimus velut iam contra illos, &c. *Infra.* Deinde dictum eſt. *Ex qua miſeria peccantibus iuſtiſſimè inflicta, liberet Dei gratia; quia ſponte homo .i. libero Arb. cadere potuit, non etiam reſurgere. Ad quam miſeriam pertinet ignorantia & difficultas, &c. Quam Pelagiani nolunt ex iuſtâ damnatione deſcendere, negantes originale peccatum. Quamuis ignorantia & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet.* Quæ diſputatio contra Manichæos habenda eſt: *Qui non accipiunt Script. veteris Teſt. in quibus originale peccatum narratur, &c. Contra Pelagianos autem defendendum eſt quod vtraq; Scriptura commendat.* Hinc cùm exceptio firmet regulam, ſeu confirmet non excepta, videtur B. Aug. approbaſſe reliqua illorum librorum de natura, libero Arb. gratia, peccato, &c. Vt *Lib.* 1. *cap.* 4. Conuenit inter nos, omnia malefacta non ob aliud mala eſſe, niſi quod libidine .i. improbanda cupiditate fiant. *Cap.* 16. *& lib.* 2. *cap.* 19. *&* 20. *Lib.* 3. *cap.* 1. Quod voluntas noſtra ſit defectibilis, quia eſt ex nihilo: & peccatum ſit quidam motus auerſionis ſeu defectus voluntarius à Deo ad creaturam. *Cap.* 19. Dicunt, Si Adam & Eua peccauerunt, quid nos miſeri fecimus? *Rectè fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm verò vbiq; ſit præſens qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, exaudiat deprecantẽ: non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras; Nec quod vulnerata membra non colligis, ſed quòd volẽtem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim homini ablatum eſt ſcire vtiliter quærere quod ignorat, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, vt quærenti & confitenti Deus ſubueniat.* Nam quod ignorans quiſque non rectè facit, & rectè volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata quia de peccato illo liberæ voluntatis òriginem ducunt. Nam vt linguam dicimus etiam quòd huius membri motum conſequitur: ſic non ſolùm peccatum quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate, & à ſciente committitur: ſed etiam quod iam de huius ſupplicio conſequatur neceſſe eſt. Sic etiam ipſam naturam hominis aliter dicimus propriè, in qua primùm in ſuo genere inculpabilis factus eſt: aliter iſtam in qua naſcimur. *Epheſ.* 2. Fuimus & nos naturaliter filij iræ. *Cap.* 20. Vt Adam meliores gigneret quàm ipſe eſſet, non erat æquitatis: ſed vt ex conuerſione ad Deum vinceret quiſque ſupplicium quod origo eius ex auerſione meruerat, non ſolùm volentem non prohiberi, ſed etiam adiuuari oportebat. Sic enim Deus rerum Creator oſtendit, quantâ facilitate potuiſſet homo, ſi voluiſſet, retinere quod factus eſt: cùm proles eius potuit etiam ſuperare quod nata eſt. *Cap.* 25. Volũtatem nõ allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum: quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat, eſt in poteſtate; ſed quo viſo tãgatur, nulla poteſtas eſt, &c. Quæri autem poteſt, ſi homini præſtò fuerint ex vtraque parte viſa: vnum ex præcepto Dei; alterum ex ſuggeſtione ſerpentis, &c. Diſcernenda igitur ſunt genera viſorum: quorum vnum eſt à voluntate ſuadentis; alterum à ſubiacentibus intentioni animi, vel ſenſibus corporis, &c. Vt autem in contemplatione ſummæ ſapientiæ etiam ſeipſum animus intueatur, non fit niſi differentiâ qua non eſt quod Deus, & tamen aliquid eſt quod poſſit placere poſt Deum. Melior eſt autem cùm obliuiſcitur ſui præ charitate Dei, vel ſeipſum pœnitus in illius comparatione contemnit. Si autem tanquam obuius placet ſibi, ad peruersè imitandum Deum, vt poteſtate ſua frui velit: tanto fit minor, quantò ſe cupit eſſe maiorem. Et hoc eſt initium omnis peccati, &c. Superbiæ autem acceſſit inuidia, &c. Vnde factum eſt vt pœna hominem ſuſciperet emendatoria: vt prærogato nobis Chriſti ſanguine, poſt labores miſeriaſque ineffabiles, tanta charitate Liberatori noſtro inhæreamus, & tanta in eum claritate rapiamur, vt nulla nos viſa ex inferioribus à conſpectu ſuperiore detorqueant. Quanquam etſi quid ſuggereretur ab appetitu inferiorum: ſempiterna Diaboli nos damnatio cruciatuſque reuocarent. Tanta eſt autem pulchritudo iuſtitiæ: tanta iucunditas lucis æternæ; vt etiamſi non liceret amplius in ea manere quàm vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ meritò contemnerentur.

1. *Retr.* 13. in lib. de vera Relig. c. 10. *Intende diligenter & piè quantum potes: tales enim adiuuat Deus.* Non quaſi tantùm tales: cùm adiuuet etiã non tales, vt ſint tales. Tales autem adiuuat, vt inueniant. *Cap.* 14. *Adeò peccatum eſt voluntarium malum: vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Poteſt videri falſa hoc definitio: ſed ſi diligenter diſcutiatur, inuenietur eſſe veriſſima. Peccatum quippe illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati. Quamuis & illa quæ non immeritò non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à neſcientibus, vel à coactis perpetrantur, non omnino poſſunt ſine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate vtique facit quod cùm faciendum non ſit, putat eſſe faciendum: & ille qui cõcupiſcente aduerſus ſpiritum carne, *Gal.* 5. non ea quæ vult facit, concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit quod vult; ſed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in eo non facit niſi quod vult: & in paruulis originale peccatum, non abſurdè vocatur etiam voluntarium; quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum eſt quodammodò hæreditarium. Ideò gratiâ Dei non ſolùm reatus omnium præteritorum ſoluitur, ſpiritu regenerationis: verùm etiam in grandibus voluntas ipſa ſanatur, & præparatur à Domino, ſpiritu fidei & charitatis. *Cap.* 46. *Non tales neceſſitudines haberemus, quæ naſcendo & moriendo contin-*

gunt

Digitized by Google

gunt, &c. Hunc ſenſum prorſus improbo. Nondum enim videram fieri potuiſſe, vt non morituri de non morituris naſcerentur, ſi peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura: ac per hoc ſi & in parentibus & in filijs fæcunditas fœlicitaſque manſiſſet, [vſque ad certum Sanctorum numerum quem prædeſtinauit Deus, naſcerentur homines, non parentibus ſucceſſuri morientibus, ſed cum viuentibus regnaturi.] Hinc etiam tacitè approbat illud *cap.* 47. Ille veriſſimè atque certiſſimè inuictus homo eſt, qui cohæret Deo: non vt aliquid ab eo boni extra mereatur; ſed cui nil aliud quàm ipſũ hærere Deo bonũ eſt.

Lib. 1. *Retr.* 15. *in lib. De* 2. *Animabus.* Quod dixi *c.* 10. *Nunquam niſi in voluntate eſſe peccatum:* poſſunt Pelagiani pro ſe dictum putare, propter paruulos, &c. Quaſi verò peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, vſquam eſſe potuerit niſi in voluntate qua commiſſum eſt, quando Diuini præcepti eſt facta tranſgreſſio. Poteſt etiam putari contra *Rom.* 7. *Quod nolo, hoc facio.* Sed hoc ideò peccatum vocatur, quia peccato factum, & pœna peccati eſt .i. ipſa concupiſcentia carnis. Peccatum autem quod nuſquam eſt niſi in voluntate, illud præcipuè intelligendum eſt, quòd iuſta damnatio conſecuta eſt, &c. Quamuis peccatum quo conſentitur concupiſcentiæ peccati, non niſi voluntate cõmittitur. Alio loco voluntatẽ definimus, dicẽs: *Eſt animæ motus, cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiſcendum.* Vt ſic volens à nolente diſcerneretur, & ad illos referretur qui primi fuerunt origo mali, nullo cogante peccando .i. libera voluntate: quia & ſcientes contra præceptum fecerunt, & tentator ſuaſit, non coëgit. Nam & qui neſciens peccauit, non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt: quamuis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit; ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum, &c. Quod enim niſi voluiſſet non feciſſet, non coactus eſt facere. Quia voluit ergo fecit, etiamſi non quia voluit peccauit, neſciens peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, *ſed voluntate facti, non voluntate peccati.* Quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum eſt quod fieri non debuit. Quiſquis autem ſciens peccat: ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, vtiq; volens peccat: quoniã qui poteſt reſiſtere, nõ cogitur cedere. Qui verò cogenti cupiditati reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta iuſtitiæ: iam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati. Item, *cap.* 11. *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quòd iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere.* Id definitum eſt, quòd tantum eſt peccatum, non quod eſt etiam pœna peccati. Nam quando eſt & pœna peccati: *quantùm eſt quòd voluntas valet ſub dominante cupiditate; niſi fortè ſi pia eſt, vt oret auxilium?* In tantum enim libera eſt, quia in tantum liberata eſt, & in tantum appellatur voluntas: alioquin tutiùs cupiditas quàm voluntas propriè nuncupanda eſt. Quòd ſi quis dicit, etiam ipſam cupiditatem nihil eſſe aliud quàm voluntatem, ſed vitioſum: non reſiſtendum eſt, nec de verbo cùm res conſtet controuerſia facienda eſt. *Infra.* Quod dixi *c.* 12. *Naturâ eſſe malæ animæ nullo modo queunt.* Naturam intelligi volui quæ propriè dicitur natura, in qua ſine vitio creati ſumus: nam iſta propter originem natura appellatur, *Epheſ.* 2. quæ origo habet vitium contra naturam, &c. Quod dixi *c.* 12. *Si animæ libero ad faciendum, & non faciendum motu carent: Si abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri dicere non poſſumus:* Non perturbat quæſtio de paruulis; quia illius origine rei tenemur qui ſic voluntate peccauit, &c. *Infra. c.* 13. *Corpora diligendo peccamus: quia ſpiritualia diligere & iuſtitia iubemur, & naturâ poſſumus.* Vbi quæri poteſt, cur natura, & non gratia potiùs dixerim? Sed contra Manichæos de natura quæſtio verſabatur: & ad agitur gratia, vt poſſit natura ſanata, quod non poteſt vitiata, &c. Quam tamen gratiam etiam tunc recolens, oraui pro familiariſſimis meis qui mortifero illo adhuc tenebantur errore.

Hinc tacite approbat illud *c.* 6. 7. De neceſſario recurſu ad Deum in dubijs, contra periculum errandi. *Cap.* 10. Quàm facilè conuinci poterant Manichæi, de voluntate & libertate peccandi. *Quid mihi reſponderent roganti vtrum is peccaſſe videretur, de cuius dormientis manu ſcripſiſſet alius aliquid flagitioſum?* Infra. *Tunc quærerem: ſi non dormientis, ſed ſcientis manu, qui tamen membris cæteris vinctus eſſet, quiſquam valenter aliquid ſimiliter feciſſet mali: vtrum quia id noſſet quamuis noluiſſet, vllo peccati nomine teneretur?* Infra. *Quid ſi dormiens ille ſciret quid alius de manu eius facturus eſſet, & de induſtria, plus potus etiam ne expergiſceretur, ſe ſomno dederet,* vt aliquem iurando falleret: num ei quicquam ſomnus ad innocentiã ſuffragaretur? Quòd ſi & ille volens vinctus eſt, vt aliquem ſimiliter prætenta defenſione deciperet: quid ei tandem vt peccato careat illa vincula profuerunt? *Infra.* Quibus conceſſis colligerem, nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum, &c. Non igitur niſi voluntate peccatur. Nobis autem voluntas noſtra notiſſima eſt: neque enim ſcirem me velle, ſi quid ſit voluntas ipſa, neſcirem. *Eſt animi motus, cogente nullo, &c.* An erat difficile videre inuitum volenti eſſe contrarium, vt contrarium ſiniſtrum dextero dicimus, non vt nigrum albo? Ita inuitus & volens ſimul eſſe quidem vnus animus poteſt: ſed vnum atque idem ſimul velle & nolle non poteſt, &c. Inuitum ad faciendum, ad non faciendum autem volentem reperies, &c. Omnis inuitus faciens cogitur: & omnis qui cogitur, ſi facit, non niſi inuitus facit. Reſtat vt volens à cogente ſit liber, etiamſi ſe quiſquam cogi putet: & hoc enim modo omnis qui volens facit, non cogitur; & omnis qui non cogitur, aut volens facit, aut non facit. Hæc à puero vſque ad ſenem, à ludo litterario vſque ad ſolium, ſapientis natura ipſa proclamat. *Cap.* 11. *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere.* Quanquam ſi liberum non ſit, non eſt voluntas, &c. Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in locis ſa-

Cap.

Digitized by Google

cris, & in orbe terrarum genus humanum? *Cap.* 13. Quod in deliberando nunc in malam partem, nunc in bonam nutat aſſenſio: cur non hoc ſignum eſt vnius animæ, quæ libera voluntate huc & illuc ferri, hinc atque hinc referri poteſt? Nam cùm mihi hoc accidit, vnum me eſſe ſentio.

1. *Retract.* 16. *in lib. contra Fortunatum*, tacitè approbat hæc *diſp.* 2. Liberum Arb. in illo homine fuiſſe dico, qui primus formatus eſt. Ille ſic factus eſt, vt nihil omnino voluntati eius reſiſteret, ſi vellet Dei præcepta ſeruare. Poſtquam autem libera ipſe voluntate peccauit: nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, &c. * Videmus multos iurare nolle: ſed quia iam conſuetudinem lingua tenuit, non poſſe refrænare, &c. Hoc eſt quod aduerſus animam pugnat, conſuetudo facta in carne, &c.

Lib. 1. *Retr.* 19. *in librum* 2. *de ſerm. Domini in monte.* Tacitè approbat illa rationem peccati, *c.* 20. Sanctum eſt quod violare nefas eſt: cuius vtique ſceleris & conatus voluntas tenetur rea, quamuis illud ſanctum natura inuiolabile maneat.

Lib. 1. *Retr.* 22. *in lib. contra Adimantum.* Cùm hoc ſit in poteſtate quod cùm volumus facimus: nihil tam in poteſtate quàm ipſa voluntas eſt; ſed præparatur voluntas à Domino. *Cap.* 27. Deus malum facit, quod non ipſi Deo malum eſt .i. peccatum.

Lib. 1. *Retr.* 23. *In expoſitionem Epiſt. ad Rom.* Prop. 42. in *Rom.* 7. *Dixi hominem deſcribi adhuc ſub lege, nondum ſub gratia, &c.* Sed in libris contra Pelagianos, hæc vt ſpiritalis hominis, iã q; ſub gratia cõſtituti meliùs intelligi mõſtrauimus; propter concupiſcentiam eiuſque motus; quibus ita reſiſtitur, vt tamen ſint in nobis, &c. Item. *Prop.* 60. Dixi: *Non ergo eligit Deus opera cuiuſquam in præſcientia quæ ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia: vt quem ſibi crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegerit, cui ſpiritum ſanctum daret; vt bona operando etiam vitam æternam conſequeretur.* Infra. Dixi, *Deus operatur omnia in omnibus* 1. Cor. 12. *Non autem credit omnia in omnibus.* Subiunxi. *Quod ergo credimus noſtrum eſt: quod autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus dat Spiritum S.* Quæ profectò non dicerem, ſi iam ſcirẽ ipſam fidem inter Dei munera reperiri quæ dantur in eodem ſpiritu. Vtrumque ergo noſtrum eſt, propter arbitrium voluntatis: & vtrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei & charitatis. *Eph.* 6. Charitas cum Fide à Deo, &c. Quod dixi *Prop.* 61. *Noſtrum eſt credere, & velle: illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi:* verum eſt quidem, ſed eadem regulâ, &c. Dixi Prop. 62. *In his quos elegit Deus non opera, ſed fides inchoat meritum:* ſed fidei meritum eſſe etiam Dei donum, non dixi. 1. *Tim.* 1. Miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem: Non ait, quia fidelis eram.] Hinc tacitè approbat illud *Prop.* 18. *in Rom.* 8. [Liberum ergo Arb. perfectè fuit in primo homine: in nobis autem ante gratiam non eſt liberum Arb. vt non peccemus; ſed tantùm vt peccare nolimus: gratia verò efficit vt non tantùm velimus rectè facere, ſed etiam poſſimus non viribus noſtris, ſed Liberatoris auxilio. *Prop.* 62. *in Rom.* 9. Non tollit liberum arb. ſed non ſufficere dicit velle noſtrum, niſi adiuuet Deus, miſericordes nos efficiendo ad benè operandum. *Infra.* Obduratum eſt cor Pharaonis, *Exod.* 10. Non hoc illi imputabatur quòd tunc nõ obtemperauit: quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; ſed quia dignum ſe præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate.

Lib. 1. *Retract. cap.* 26. *in lib.* 83. *quæſt.* Dixi in Q. 68. *Parum eſt velle, niſi Deus miſereatur: ſed Deus non miſeretur, niſi voluntas præceſſerit ad pacem.* Hoc eſt poſt pœnitentiam: nam eſt miſericordia etiam præueniens voluntatem.] Hinc tacitè approbat illud *Quæſt.* 8. [Moueri per ſe animam ſentit, qui ſentit in ſe eſſe voluntatẽ. Nam ſi volumus non alius de nobis vult. Et iſte motus animæ ſpõtaneus eſt: hoc enim ei tributum eſt à Deo. *Q.* 82. Si Deus gratia perpeti iuſtos fineret, quia contra ordinem rerum à ſe diſpoſitum nollet venire: nec ipſe iuſtus eſſet; non quia diſpoſitionem ſuam ſeruare vult, ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerũ, vt immeritis pœnis iuſti affligantur. *Quæſt.* 68. Deus cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. *Rom.* 9. Sed hæc voluntas Dei iniuſta eſſe non poteſt; venit enim de occultiſſimis meritis; quia & ipſi peccatores cùm propter generale peccatum vnam maſſam fecerint, non tamen nulla eſt inter illos diuerſitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis non ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione: & præcedit in alijs peccatoribus, quo digni ſint obtuſione, &c. ſupra *Lib. de geſtis Pelagij cap.* 17. 35. *& infra* 2. *Retr.* 31. *Quæſt.* 26. Alia ſunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ, &c. Quiſquis nouit quid ſit virtus & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare quæ ſint peccata venialia: & quiſquis nouit quid ſit bonitas Dei, poteſt exiſtimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hîc & in futuro, &c.

Lib. 2. *Retract. cap.* 1. *in Librum* 1. *ad Simplicianum.* Quæſt. 2. *in Rom.* 9. In cuius quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro libero Arb. voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia, &c. Ex 1. *Cor.* 4. Quis enim te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? *S. Cypr.* In nullo gloriandum quando noſtrum nihil eſt. *Lib.* 2. dixi: *Quamuis ſit in cuiuſq; poteſtate quid velit: non tamen quid poſſit.* Quia non dicimus eſſe in poteſtate noſtra niſi quod cùm volumus fit: vbi prius & maximè eſt ipſum velle. Quippe præſto eſt voluntas ipſa cum volumus: ſed hanc quoque ad benè viuendum deſuper accipimus poteſtatem, cùm præparatur voluntas à Domino.] Hinc non ſolùm hîc tacitè, ſed & infra expreſsè *Lib. de dono perſeu. Cap.* 21. approbat totam doctrinam reſolutam horum librorum. Vt *Quæſt.* 2. In quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum: ſicut in Catechumenis, &c. In quibuſdam verò tanta eſt, vt iam Corpori Chriſti deputentur. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles: non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam. Nihil horum tamen ſine gratia præcedente.] Reliqua per dubias interrogationes, conditiones, & coniecturas: De Iacob dilecto, & Eſau odio habito, *Rom.* 9. ſuſpenduntur vſque ad

innitet animum, moueri nullo modo poteſt. Hoc autem vt occurrat non eſt in hominis poteſtate. Quid volebat Saulus, Act. 8. *Quare huic ita, & huic non: homo tu quis es?* Rom. 11. *Debitum ſi non reddis, habes quod gratuleris: ſi reddis, non habes quod queraris. Credamus tantùm: & ſi capere non valeamus, dicamus Helleluya.*

Lib. 2. Retr. cap. 6. in libros Confeſſ. De quibus ſic B. *Aug.* infra, *lib. De bono Perſeuer. cap.* 20. *In eis* ſæpè dixi, vt lib. 10. cap. 19. *Da quod iubes, & iube quod vis.* Quæ mea verba Pelagius Romæ ferre non potuit. Quid verò primitùs iubet, niſi vt credamus in eum? Ergo & hoc ipſe dat. Et quod *lib.* 3. 8. 9. narraui. De mea conuerſione, fidelibus & quotidianis matris meæ lachrymis.] Quibus non tantùm cenſenda eſt ei impetraſſe ſubitam illam ac peſectam conuerſionem, *Lib.* 8. *cap.* 12. ſed & omnes præuias diſpoſitiones ac motus ſalutares, quamuis necdum tam efficaces & perfectos. Vt *lib.* 8. *cap.* 5. *Suſpirabam ligatus non ferro alieno: ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſſitas: quibus quaſi anſulis ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obſtrictum dura ſeruitus. Voluntas autem noua, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem. Vt de prima bona voluntate,* S. Petri ſupra. *Cap.* 7. *Tu Domine retorquebas me ad me, &c. Quibus ſententiarum verberibus flagellaui animam meam, vt ſequeretur me conantem ire poſt te, &c. Cap.* 8. *Inuado Alipium & exclamo, quid patimur? Quid eſt hoc? Surgunt indocti, & cælum rapiunt: & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce volutamur in carne & ſanguine. An quia præceſſerunt pudet ſequi, & non pudet non ſaltem ſequi?* Cap. 9. *Vnde hoc monſtrum? Imperat Animus corpori, & paretur ſtatim: imperat ſibi, & reſiſtitur, &c. Sed non ex toto vult: non ergo ex toto imperat, &c. Non igitur monſtrum, partim velle, partim nolle: ſed ægritudo animi eſt, &c.* Cap. 10. *Ego eram qui volebam, ego qui nolebam: nec plenè volebam, nec plenè nolebam, &c. Nonne diuerſæ voluntates diſtendunt cor hominis cùm deliberatur: donec eligatur vnum quò feratur tota voluntas vna, quæ in plures diuidebatur?* Cap. 12. *Vbi verò à fundo arcano alta conſideratio contraxit, & congeſſit totam miſeriam meam in conſpectum cordis mei: oborta eſt procella ingens, ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et vt totum effunderem cum vocibus, ſurrexi ab Alipio. Apparebat ſonus vocis meæ iam fletu grauidus. Sub quadam fici arbore ſtraui me, & dimiſi habenas lachrimis: vſq; quo Domine, quamdiu cras & cras, quare non modo finis turpitudinis meæ? Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu, &c. Tolle, lege; tolle, lege, &c. Arripui codicem, & legi: Non in commeſſationibus, &c.* Rom 3. *Statimq; quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt, &c.* Lib. 9. cap. 1. *De quàm imo altoq; ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitrium meum: quo ſubderem ceruicē meam leui iugo tuo Chriſte* IESV. *Lib.* 12. *cap.* 11. Hoc ſolum Deus à te non eſt quod non eſt: motuſque voluntatis à te qui es, ad id quod minùs eſt; quia talis motus delictum atque peccatum eſt.] Quæ tota experientia propriæ infirmitatis liberæ, & libertatis infirmæ, ac neceſſariæ gratiæ, paulatim diſponens ad illam perfectam & ſubitò efficacem: ex tunc præparabat *B. Aug.* in expertiſſimum gratiæ præconē.

Lib. 2. *Retr.* 7. *In libros* 33. *contra Fauſtum*: ſaltem tacitè approbat illud *lib.* 2. *cap.* 5. Liberum Arb. voluntatis quo vel benè vel malè viuitur, propter iuſtum iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vendicemus. *Cap.* 28. An ſit aliqua creatura rationalis, quam nihil illicitum poſſit delectare: magna quæſtio eſt, &c. Homo per eam poſſibilitatem inſtauratur, per quam ſi voluiſſet non cecidiſſet. *Lib.* 22. *Cap.* 27. Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum contra æternam legem, &c.

Lib. 2. *Retr. cap.* 8. In duos libros contra Fœlicem. *Lib.* 2. *cap.* 8. Iam probauimus eſſe liberum arbitrium: Deum autem eſſe liberi Arbitrij iuſtum iudicem, &c.

Lib. 2. *Retr. cap.* 9. In librum De natura boni. *Cap.* 32. Pro iniqua nocendi voluntate quæ ipſius Diaboli fuit, ei reddetur in finem ſupplicium, &c. Vt *Matt.* 25.

Lib. 2. *Retr. cap.* 10. In librum contra Secundinum. *Quod opus*, inquit, *mea ſententia omnibus quæ aduerſus peſtem Manichæorum ſcribere potui facilè præpono.* Cap. 8. Quia de nihilo facta eſt: ideò poteſt vergere ad nihilum quando peccat creatura quæ peccare poteſt; non vt nihil ſit, ſed vt minùs vigeat, minùſque firma ſit. Nam minùs vigere, minùſque valere ſi omnino perducas ad vltimum, remanet nihil. *Cap.* 11. Deficere autem iam non nihil eſt, ſed ad nihilum tendere, &c. Non enim cùm animus ad corpus declinet, corpus efficitur: ſed tamen defectiuo appetitū quodammodò corporaſcit. Ita & Angeli, &c. Quantò enim quæque res minus eſt, tantò vicinior nihilo eſt. Cùm autem iſti defectus voluntariè fiunt, rectè reprehenduntur, & peccata nominantur. *Cap.* 12. Ponis in Epiſtola, quòd anima carnis permixtione ducatur ad peccatum, non propria voluntate: at ſi conſentiat malo, voluntate ſua peccat, &c. *Cap.* 13. Tria quædam video. 1. Eſt anima conſentiens malo. 2. Ipſum malum cui conſentitur. 3. Ipſa conſenſio. Anima eſt ſubſtantia: malum etiam illud, ex veſtra opinione, ſubſtantia eſt. Quæro igitur quid ſit ipſa conſenſio: malane, an bona ſit? *Infra.* Hîc fortaſſe conaberis conſenſionem culpabilem non animæ tribuere, quæ conſentit malo: ſed ipſi malo cui conſentit, &c. Quis abſurdiùs delirauerit? Non enim conſentit, ſi non eſt eius conſenſio: ipſa autem conſentit; eius eſt igitur. Porrò ſi eius eſt conſenſio, & mala eſt iſta conſenſio, eius eſt hoc malum. *Cap.* 14. Reſtat vt illam conſenſionem, quam conſtat eſſe malam atque culpabilem, fateamur non eſſe ſubſtantiam, ſed in aliqua ſubſtanſtantia. *Cap.* 15. Non ex profectu, ſed ex defectu habet hanc conſenſionem. Deficit quippe cùm conſentit malo, minuſque iam eſſe, ac propterea minùs valere incipit, quàm valebat dum nulli conſentiens in virtute conſiſteret: tantò vti-

ſum vitium quo claudicat homo, nec pes eſt, nec ipſa claudicatio: quæ vtique non eſt quando non ambulat. Quærat ergo ei nomen: an rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus exiſtit. Sic & in homine interiore, animus res eſt, rapina actus eſt, auaritia vitiũ eſt .i. qualitas qua malus eſt animus etiam quando nihil agit. *Cap.* 4. CEL: *Per quid efficitur homo cum peccato: per naturæ neceſſitatem, an per arbitrij libertatem?* B. AVG. Quia peccauit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec ſanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas; vt ſit etiam bene viuendi, & nunquam peccandi voluntaria fœlixque neceſſitas. *Cap.* 6. CEL. *Quomodo eſt culpa hominis, ſi hoc non eſt, quod eſſe non poteſt?* B. AVG. Quia ſola hominis voluntate factum eſt, vt ad iſtam neceſſitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poſſit. CEL. *Quomodo Deus iuſtus dicitur, ſi imputare cuiquam creditur quod vitari non poſſit?* B. AVG. Peccatũ eſt cùm vel non eſt charitas quæ eſſe debet, vel minor quàm eſſe debet, ſiue hoc voluntate vitari poſſit, ſiue non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adiuuatur. *Cap.* 8. CEL. *Præceptum eſt homini vt abſq; peccato ſit.* B. AVG. Cur non præciperetur iſta perfectio charitatis: quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, ſi quò currendum eſt neſciatur. *Cap.* 10. Quis neſciat non eſſe graue quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere: ſed perfecta charitas foras mittit timorem. 1. *Ioan.* 4. Quæ vt habeatur tanta quanta poteſt: parum eſt noſtræ voluntatis arbitrium, niſi adiuuet gratia, &c. Cui ergo grauia ſunt, intelligat ſe nondum accepiſſe donum quo grauia non ſint, nec arbitretur ſe ea perficere, quando ita facit vt grauia ſint. *Cap.* 11. Quod ait, *Iob* 27. Non reprehendit mè cor meum in vita mea .i. in fide eius. *Cap.* 13. Non eſt qui faciat bonum, *Pſal.* 13. in eo genere hominum quod prædeſtinatum eſt ad interitum. *Cap.* 19. Quod vult faciat, non peccat ſi nubat, 1. *Cor.* 7. Quaſi pro magno habendum ſit velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ miſericordiæ operoſiùs diſputatur: aut etiam ibi prodeſt aliquid velle, niſi prouidentia qua gubernat omnia marem fœminamque coniungat. *Cap.* 29. CEL. *Poteſt fieri vt homo non peccet, ſi Deus vult: vult autem, ergo poteſt.* B. AVG. Noluit dicere ſi Deus adiuuet, &c. nec adiuuatur niſi qui & ipſe aliquid agit: adiuuatur autèm ſi inuocat, ſi credit, ſi ſecundùm Propoſitum vocatus eſt. *Cap.* 21. Quiſquis fuiſſe vel eſſe in hac vita hominem putat, excepto vno Mediatore, cui neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum: contrarius eſt diuinæ ſcript. *Rom.* 5. Quiſquis autem dixerit, poſt remiſſionem peccatorum ita quenquam hominem iuſtè vixiſſe, vel viuere, vt nullum habeat peccatum: contradicit, 1. *Ioan.* 1. Quod ſi quis aſſerit hoc eſſe dictum de vitio, & non autem peccare qui ei non conſentit: ſubtiliter quidem iſta diſcernit; ſed quid de oratione, *Dimitte nobis, &c.* Quod non eſſet opus dicere, ſi nunquam aliquantulũ conſentiremus. Nec *S. Iac. cap.* 3. diceret: *In multis offendimus omnes, &c.* Poſtremò, ſi aſſeruntur fuiſſe, vel eſſe aliqui in hac vita ſine peccato, ſiue nunquam conſentiendo, ſiue pietati non imputet Deus, &c. non nimis exiſtimo reluctandum. Scio enim quibuſdam eſſe viſum. Sed qui negat nos orare debere, Ne intremus in tentationem: negat autem qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non eſſe homini neceſſarium: ore omnium anathematizandum eſſe non dubito, &c.

Libro De Continentia, ex Indice *Poſsidij*, & *V. Beda* in *Rom.* 7. *&* 8. *Cap.* 1. Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det, *Sap.* 8. *Cap.* 2. Ne declines cor meum, &c. *Pſal.* 140. Declinatio cordis quid eſt, niſi conſenſio? *Matt.* 15. De corde exeunt cogitationes malæ, &c. Sat eſt nobis non conſentire malis quæ ſentimus in nobis. *Cap.* 4. Non poteſt veraciter dicere ſe ſpem non ponere in homine, qui eam ponit in ſe, &c. Ab eo qui fecit te, noli deficere nec ad te. *Cap.* 5. Cùm audis, *Rom.* 8. Peccatum vobis non dominabitur: noli de te fidere, ſed de Deo, &c. *Cap.* 7. Continentia nobis opus eſt vt declinemus à malo: vt autem faciamus bonum, videtur ad iuſtitiam pertinere. *Cap.* 8. Deſideria carnis ne perfeceritis, *Gal.* 5. Non dicit, Ne habueritis. *Cap.* 12. Quidam per incontinentiam ſe continent, quidam per iniuſtitiam, quidam decepti falſa fide. *Cap.* 13. Abſit vt continentiam, *Sap.* 8. eos habere dicamus: qui continendo erroribus ſeruiunt, vel aliquas minores cupiditates vincunt vt alias expleãt.

Lib. De Patientia, cap. 1. Deum eſſe patientem credimus & confitemur. *Cap.* 5. Patientia comes eſt Sapientiæ, non famula concupiſcentiæ. *Cap.* 15. Sunt qui eam tribuant viribus voluntatis humanæ, &c. Non eſt iſta patientia pauperum, *Pſal.* 9. Tu es patientia mea, *Pſal.* 70. *Cap.* 17. Quilibet iniquorum tantò eſt ad perferenda mala durior, quantò eſt in eo maior cupiditas mundi, &c. *Cap.* 18. Quiſquis contendit haberi poſſe charitatem Dei ſine adiutorio Dei: quid aliud contendit, niſi habere poſſe Deum ſine Deo? *Cap.* 20. Pro nihilo ſaluos facies eos, *Pſal.* 55. Cùm gratia videtur meritis reddi, nec ſic deſinit eſſe gratia: quoniam id adiuuat quod ipſa largita eſt. *Cap.* 26. Vt charitas ſanctæ amantium, ſic & patientia piè tolerantium Dei donum eſt, &c. Si quis non habens charitatem, ne Chriſtum neget patitur ipſam crucem timore gehennæ: laudanda patientia eſt; ſed exiſtimandum fortaſſe tolerabilius ei futurum iudicium, quàm ſi Chriſtum negando cuncta illa vitaret, &c. 1. *Cor.* 13. *Cap.* 23. Vt negandum non eſt hoc etiam eſſe donum Dei: ita intelligendum eſt alia eſſe Dei dona filiorum.

Ex lib. De bono ſeu perfectione viduitatis. Cap. 17. Arbitrium voluntatis humanæ nequaquam deſtruimus: quando Dei gratiam quâ adiuuatur non ſuperbia negamus ingrata: ſed grata potiùs pietate prædicamus.

Epiſt. 52. *ad Maced.* Quædam excellentiſſima ingenia tantò in maiores errores inciderunt: quantò præfidentiùs tanquã ſuis viribus cucurrerũt, &c. Nec mentem poteſt quis vendicare ab erroribus,

Digitized by Google

niſi Deus adſit lux mentium. *Epiſt.* 56. ad *Dioſcorum.* Primum peccatum, ſeu voluntarius defectus, eſt gaudere ad propriam poteſtatem. Ad minus enim gaudet, quàm ad poteſtatem Dei,&c. *Epiſt.* 59. Ad *S.Paulinum,q.7.* Sed ex profeſſo.

Epiſt. 89. *B.Aug.* ad 6.Quæſt. Hilarij, de qua *S.Hier.* ſupra. *Ad* 1. Vtcumque tolerandi ſunt, quando dicunt eſſe vel fuiſſe hic aliquem præter vnum Sanctum ſanctorum, qui nullũ habeat omnino peccatum. *Ad* 2. Valet liberum Arb. ad bona opera, ſi diuinitùs adiuuetur, quod fit humiliter petendo, & faciendo: deſertum verò diuino adiutorio, qualibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit iuſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem ſuperbiæ, &c. Non itaque de ſuis viribus præſumat ægrotus: ne vires iſtæ non ſint quales ſolent eſſe ſanorum, ſed phræneticorum. Voluntas tantò erit liberior, quantò ſanior: tantò ſanior, quantò gratiæ ſubiectior, &c. *Non concupiſces, &c.* Animus quippe amore velut pondere fertur: iubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, &c. Satiùs eſt quemque minùs habere quod à Deo petat, quàm plus quod ſibi tribuat: quia expedit ab imo ſurgere, quàm ab alto cadere, &c. Liberum Arb. ideo iuuatur quia non tollitur. Niſi petiſſet continentiam, *Sap.* 8.quantùm poſſet voluntas? Quia etſi poſſit antequam petat,quid ei prodeſt? *Ad* 3. Quem fortè inuenerint infantem non ex illius vnici hominis concupiſcentia procreatum, *Rom.*5. Ipſum dicant illi damnationi non eſſe obnoxium,&c. Libertas ſine gratia non eſt libertas, ſed contumacia.

Ex *Epiſt.* 105. *B. Aug.* ad *Sixtum* tunc Præsbyterum, poſtea Papam: contra Pelagium: Ad quam ſe refert *lib. De bono perſeuer. Cap.*21. Triſtes eramus nimis,cùm fama iactaret te inimicis Chriſtianæ gratiæ fauere: ſed te priorem anathema eis pronuntiaſſe eadem fama non tacuit, &c. Putant auferri ſibi liberum Arb. &c. Non intelligũt non ſe illud firmare: ſed impellere vt per inania feratur, ſi non in Domino tanquam in petra ſtabili collocetur, &c. Parum attendunt, acceptionem nullam fieri perſonarum, vbi omnes vna eademque maſſa damnationis inuoluit. *Infra.* Reſpondent, gratiam ſine vllis meritis,eſſe ipſam humanam naturam. Abijciatur à Chriſtianorum cordibus iſta fallacia: nam non iſtam gratiam commendat Apoſtolus quâ creati ſumus; ſed quâ iuſtificati. Iſta enim eſt gratia per Iesvm Chriſtum, *Rom.* 7. Etenim Chriſtus non pro nullis vt homines conderentur: ſed pro impijs mortuus eſt vt iuſtificarentur, &c. *Infra.* Inexcuſabilis eſt omnis peccator: vel reatu originis,vel additamento propriæ voluntatis: ſiue qui nouit; ſiue qui ignorat; quia ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt,ſine dubitatione peccatum eſt;in eis autem qui non potuerunt pœna peccati eſt. Nam ſi excuſatio illa iuſta eſſet non inde gratia,ſed iuſtitia liberaret. Cùm verò non liberat niſi gratia: nihil iuſtum inuenit in eo quem liberat; non voluntatem, non operationem, non ſaltem ipſam excuſationem. Verùm iſti totas vires argumentationis humanæ in paruulis perdunt. Quam quæſo allaturi ſunt cauſam, quod alius baptizatus hinc exeat, alius prius expiret? An hoc fato, vel fortunæ daturi ſunt? Nunquid ſibi ipſe ſibi parentes infideles, vel negligentes elegit? O altitudo! &c. *Rom.* 11. Quia Deus diligebat in Iacob, antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Quid oderat in Eſau antequã feciſſet aliquid mali: niſi originale peccatum? *Futura*, inquiunt, *opera prauidebat*. Quis illum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hic erat locus vt diceret quod iſti ſentiunt: non autem hoc dixit; ſed *non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Vbi nunc merita vel præterita, vel futura? Nonne apertam protulit ſententiam? Nonne ſtultam fecit Deus hæreticorum ſapientiam? *Sed*, inquiunt, *Deus in eis quos hinc aufert, præuidet quemadmodum victurus eſſet quiſq; ſi viueret: & ideo quem nequiter nouit fuiſſe victurum, ſine Baptiſmo facit mori, &c.* Si quæ commiſſa non ſunt mala puniantur falsò pollicemur paruulos qui ſine baptiſmo moriuntur in damnationem non ituros, &c. Cur eorum qui baptizantur quidam diu peſſimè viuunt? Quid præſtatur ei qui *Sap.* 4. Rapitur ne malitia mutet intellectum eius: ſi iuſtè etiam puniantur, quæ fuerat viuendo facturus? Poſtremò quis neget per baptiſmum poſſe dimitti, quæ ſine baptiſmo dicit poſſe puniri? Videntur ſibi acutiſſimè dicere: *Quomodò peccatum tranſit in filios fidelium?* Quaſi poſſit non habere generatio carnalis, quod ſola tollit regeneratio ſpiritalis, &c. Quia fidelis eſt Deus in verbis ſuis, eius Eccleſia nullo modo fallaciter paruulos in remiſſionem peccatorum baptizat: ſed vt fide agatur quod agitur, fit vtique quod dicitur, &c. Dicunt, *veraciter reſpondere paruulos per ora geſtantium, &c. quia credunt quod in Eccleſia, vel in baptiſmo peccata remittantur in quibus inueniuntur, &c.* Fieri quidem poteſt quod hæc verſipellis aſtutia ſubtiliùs, & acutiùs ex ocio refellatur: verùm non inueniunt quid ad hoc reſpondeant, quod infantes exorcizantur, & exſufflantur.

Epiſt. 106. *B. Aug. & Alipij, ad Bonifacium*, vel ad Paulinum Coëpiſcopum: Contra Pelagium. Ad quam etiã *B. Aug.* ſe refert. *cap.* 21. *de dono perſeuer.* Pelagium quem credimus, vt ab eo diſtingueretur qui Tarenti diceretur, Britonem fuiſſe cognominatum: quod vt ſeruum Dei dilexeris, nouimus,&c. Litteris ad tuam venerationem datis, dicit ſe non ſine gratia Dei defendere liberum Arb. cùm poſſibilitatem volendi atque operandi à Creatore nobis inſitam doceret, &c. Si per naturam iuſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, *Gal.* 2. Miſſæ ſunt de hac re ex duobus Concilijs, Carthaginenſi, & Mileuitano, relationes ad Apoſtolicam ſedem: antequam geſta Eccleſiaſtica quibus apud Epiſcopos Paleſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus,vel in noſtras manus, vel in Africam perueniſſent. Scripſimus etiam ad B. memoriæ Papam Innocentiũ, litteras familiares,ſupra *Epiſt.*95. Ad omnia nobis ille reſcripſit, eo modo quo fas erat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, ſupra *Epiſt.* 96. Fides vera,& Catholica tenet ſemper Eccleſia, quod gratia Dei per Ieſum Chriſtum puſillos cum magnis à morte primi hominis transfert ad vitam

ſecundi,

Digitized by Google

ſecundi: non ſolùm peccata delendo, verùm etiam ad non peccandum rectèque viuendum ſic adiuuando; vt niſi adiuuet, nihil pietatis atque iuſtitiæ ſiue in opere, ſiue in ipſa voluntate habere poſſimus. Ex *Phil.* 2. 1. *Cor.* 4. *Pſal.* 58. *Luc.* 15. Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur: gratiſſimè confitemur, &c. Nec dicant ſibi: ſi ex fide, quomodo gratis? 1. *Cor.* 4. Quid habes quod non accepiſti? Cùm ergo fides impetrat iuſtificationem: non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani; ſed ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pediſſequa non præuia volũtate, &c.] De maiori gratia infantium abſque vlla eorum voluntate. [Nouit ille quid agat, & quantus numerus debeat eſſe primitùs omnium hominum, deinde ſanctorum: ſicut ſyderum, ſicut Angelorum, ſicut denique foliorum, capillorumque noſtrorum, &c. Cæteri autem homines, quorum quicquid natura eſt præter vitium, Dei bonitas operata eſt: à Deo præſciente creati ſunt, vt in his oſtenderet, liberum deſertoris Arb. ſine gratia ſua quid valeret, & vaſa miſericordiæ quid ſibi collatum eſſet, addiſcerent, &c. Quod ad Hieruſalem nolentem colligi filios ſuos Chriſtus clamabat, *Matt.* 23. Hoc nos clamamus aduerſus eos qui volentes filios Eccleſiæ colligi nolunt, &c.] Contra omnia obiecta à Pelagio, & anathematizata in Synodo Palæſtina. [Nec in libris recẽtioribus quos *Pelagius* dicitur edidiſſe: quid de hac re ſentiat ſatis euidenter apparet. Aliquando enim ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit: vt aliquàtùm etiam ad non peccandum valere definiat. Quòd ſi ita eſt, nullus locus adiutorio gratiæ reſeruatur: ſine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis Arbitrium valere. Aliquando autem quotidiano gratiæ Dei muniri nos confitetur auxilio: quamuis habeamus ad non peccandũ fortè ac firmum liberum Arb. quod vtique inualidum ac infirmum debuit confiteri, &c. Alio loco, ait, *Dei gratiam ab hominibus dari: vt quod facere per liberum iubentur Arb. faciliùs poſſint implere per gratiam, &c.* Vbi eſt ergo, *Pſal.* 8. Quid eſt homo? 1. *Cor.* 15. Non ego, ſed gratia Dei mecum. *Rom.* 9. Non volentis, &c. *Pſal.* 126. Niſi Dominus, &c. Quomodo quod Deus iubet, ſine adiutorio ipſius vel difficilè impletur? Quanquam illa poſſibilitas liberi Arb. tam in bonum, quàm in malum, ex æqua lance perpenſione, huic facilitati locum relinquit, quam ſaltem videtur eſſe confeſſus dicendo, *faciliùs poſſunt implere per gratiam.* Faciliùs impletur per gratiam bonum, facillimè autem ſine gratia fit malũ: profectò iſta poſſibilitas non æqua lance perpenditur. Sed quid plura? Plus eis præſtamus ſi vt corrigantur oremus, ne cum tantis ingenijs pereant, vel alios perdant. Caueant ergo ne per ſapientiam verbi euacuent crucem Chriſti. Natura enim humana etiamſi in illa integritate in qua cõdita eſt permaneret: nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret. Cùm igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire quàm accepit: quomodo ſine Dei gratia poteſt reparare quam perdidit?

Epiſt. 107. B. Aug. ad Vitalem: ex V. Beda in *Gal.* 1. & 3. *Epheſ.* 1. 2. *Phil.* 1. Quomodo dicis, vt rectè credamus in Deum, non eſſe donum Dei? Cùm *Phil.* 2. Deus operetur in nobis & velle, & perficere. Reſpondes, *Per Legem ſuam, per Scripturas ſuas Deum operari vt velimus, &c. ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere. Operatur quippe,* vt dicis, *quantum in ipſo eſt, &c.* Exerce cõtra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, &c. *Infra.* Si ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantùm legem ſuam atque doctrinam libero eius adhiberet Arb. nec vocatione illa alta atque ſecreta ſic eius ageret ſenſum, vt eidem legi atque doctrinæ accommodaret aſſenſum: procul dubio eam legere, vel intelligere ſufficeret, nec opus eſſet orare, &c. Orationem Dominicam noſti, &c. Lege Expoſitorem eius *B. Cypr.* docebit te orare pro infidelibus, &c. Mendaciter igitur agimus gratiam Patri, *Coloſſ.* 1. tanquam ipſe faciat, quod ipſe non facit, &c. Si fateris orandum pro infidelibus, vt eius gratiâ fideles fiant, &c. ſic & Dei gratia non negatur, & liberum ita defenditur Arb. vt humilitate ſolidetur, non elatione præcipitetur, &c. De poteſtate tenebrarm eruuntur & paruuli, cùm regenerantur: neque hoc apparet in eorum arbitrio liberato, niſi cùm ad annos peruenerint ratione vtentis ætatis, habentes conſentientem doctrinæ ſalutari in qua nutriti ſunt voluntatem, & in ea finientes vitam iſtam, ſi Electi ſunt, &c.] De tentatione Diaboli, præcipuè contra fidem: & de gratia Chriſti ad credendum. [Deus vt omnia futura opera ſua in prædeſtinatione præſciuerit, ſic illa diſpoſuit, vt quoſdam non credentes ad fidem ſuam orationes credentium pro eis exaudiendo conuertat, &c. Non enim oramus pro infidelibus vt fiat eorum natura .i. vt homines ſint, aut vt doctrina eis prædicetur: ſed vt voluntas corrigatur, doctrinæ conſentiatur, natura ſanetur. Vt verò perſeuerent, etiam pro ſeipſis orant fideles, &c. Quidam non perſeueraturi, perſeueraturis Dei prouiſione vel permiſſione miſcentur: quibus cadentibus territi, cum timore & tremore gradiamur viam iuſtam, &c. Sed de hac re .i. cur quidam non permanſuri dimittantur hic viuere donec cadant, &c. quærat quiſque vt potuerit; & ſi inuenerit aliam probabilem rationem, à recta fidei regula non recedens; teneat eam, & ego cum illo, ſi me non latuerit, &c.] De duodecim credendis contra Pelagium, vt ſupra.

[Quòd omnes homines vult Deus ſaluos fieri, 1. *Tim.* 2. cùm tam multi ſalui non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus nõ vult: ſine vlla caligine manifeſtatur in paruulis, &c. Vt omnes in Chriſto viuificabuntur, 1. *Cor.* 15. cùm tam multi æterna morte puniantur: ita Deus vult omnes homines ſaluos fieri, 1. *Tim.* 2. quia non niſi ipſo volente ſalui fiunt. Et ſi quo alio modo illa verba intelligi poſſunt: vt tamen huic veritati in qua videmus tam multos volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſaluos non fieri, contraria eſſe non poſſint.

Epiſt. 142. Non eſt *B. Aug.* nec *S. Hier.* ſed ipſius *Pelagij* ad *Demetriadem* Virginem. Vt patet ex *B. Aug. lib. De gratia Chriſti* ſupra, à *Cap.* 36. ad 41.

ad 43. & *Epiſt.* ſequenti 143. *B. Aug. & Alipij ad Iulianam* viduam, Matrem *Demetriadis*, contra illam *Pelagij*. [Non ſanè paruus eſt error illorum, qui putant ex nobiſipſis nos habere ſi quid iuſtitiæ, continentiæ, pietatis, caſtitatis in nobis eſt, &c. naturam atque doctrinam definientes tantùm eſſe gratiam Dei, &c. Quomodo ergo à vobis admonendis diſſimulare poſſemus: cùm legiſſemus librum ad S. Demetriadem? PEL. *Cap.* 11. *Spirituales diuitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his iure laudanda es, quæ niſi ex te, & in te eſſe non poſſunt, &c.* AVG. Hæc Dei dona ſunt, & veſtra quidem ſunt: ſed non ex vobis, 2. *Cor.* 4. Nam & panem quotidianum dicimus noſtrum: ſed addimus, *Da nobis*, ne putetur eſſe ex nobis. *Sap.* 8. Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det. Vnde precabatur continentiam, vt eſſet in illo, quod ſciebat non eſſe ex illo: * aut ſi propter liberum Arb. proprium, aliquantùm & ex illo; non tamen niſi ex illo. Iſte autem non ait; *In te, & ex te eſſe poſſunt*: ſed, *niſi ex te & in te eſſe non poſſunt, &c.* Qui bonum quod ex Deo eſt, negat eſſe ex Deo: neſcimus cui faciat iniuriâ niſi Deo.

Epiſt. 144. *S. Aug. ad Anaſtaſium*, pro amore iuſtitiæ, contra timorem pœnæ. *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quis coram Deo innocens inuenitur: qui vult fieri quod vetatur ſi ſubtrahis quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt: nam quantum eſt in ipſo, mallet non eſſe iuſtitiam peccata prohibentem, atq; punientem; & ſi poſſet, auferret. Inimicus ergo iuſtitiæ eſt qui pœnæ timore non peccat: amicus autem, ſi eius amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit: non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit. Tantum quippe quiſque peccatum odit, quantum iuſtitiam diligit, &c. Tunc fit quòd* Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra iniquitati: ſic nunc iuſtitiæ. Vt ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido voluptaſq; peccati: ſic ad iuſtè viuendum non vos ſupplicij metus vrgeat, ſed ducat delectatio charitaſq; iuſtitiæ. Et hæc quidem nondum eſt perfecta iuſtitia. Plus quippe ſeruituris debetur iuſtitiæ, quàm peccato ſoleant homines exhibere. Nam pœna corporis etſi non à voluntate, tamen reuocat ab opere peccandi: iuſtitia verò ſic amanda eſt, vt ab eius operibus nec pœnæ corporis cohibeant,* Rom. 8. *Quis nos ſeparabit?*

In Pſalmos pauca occurrunt contra Pelagianos: quia illud opus fuit priùs his. Vt patet ex *Epiſt.* 14. *S. Hier. ad B. Aug. cap.* 3. In *Pſal.* 31. Beati quorum, &c. *Præfatio.* Pſalmus fidei, & iuſtificationis noſtræ, nullis præcedentibus meritis noſtris, ſed præueniente nos miſericordia Dei, &c. Quæ fiunt ante fidem, quamuis videantur laudabilia, inania ſunt, &c. vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. *Enar.* 2. *Confitebor, &c.* Tolle excuſationes in peccatis, *Pſal.* 140. Cùm libero Arbitrio me creauit Deus: ſi peccaui, ego peccaui. In *Pſal.* 32. *Omnia opera eius in fide.* Ne quis ſe meritis operum perueniſſe ad fidem putet: cùm in ipſa fide ſint omnia opera quæ diligit Deus. *Conc.* 1. *Iuſtus ex fide viuit, Rom.* 1. Fides tua, iuſtitia eſt tua. Quia vtique ſi credis, caues: ſi autem caues, conaris; & † conatum tuum nouit Deus, &c. *Omnia opera eius in fide, &c.* * Teneamus fideliſſimum debitorem: quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem. *Conc.* 2. *Conſilium Domini manet in æternum.* Quis tollit prædeſtinationem Dei? Ante mundi conſtitutionem vidit nos, fecit nos, miſit nos, redemit nos. In *Pſal.* 118. *Conc.* 3. Quomodo agat homo quod ipſe non agit, *Rom.* 7. quando nequaquam voluntas noſtra conſentit. Mouetur quidem nonnullus affectus: ſed nullus ei relaxatur effectus, &c. Quæ petamus nobis dimitti, *Matt.* 6. Quantum ſapere poſſum, languoris quòd peccatum appellat Apoſt. vniuerſus reatus Sacramento Baptiſmatis eſt ſolutus. Sed non deeſt vbi deſiderijs peccati vel facto, vel dicto, vel cogitatione obediamus: * quando aduerſus maiora vigilantibus quædam incautis minuta ſubrepunt, &c. In vijs Domini, quas omnes fides vna complectitur, *Ioan.* 14. Ego ſum via: nemo peccatum operatur, ſed confitetur. Deuiat ergo cùm peccat, & ideo peccatum viæ non tribuitur, &c. *Conc.* 23 *Inclinaui cor meum, &c.* Vt diuini muneris, & propriæ voluntatis. *Conc.* 11. *Inclina cor meum, &c.* Inclinatum cor habere, eſt velle. *In Pſal.* 134. *Iacob elegit ſibi Dominus, &c.* Non ergo ſe extollat, non ſuis meritis tribuat: ante eſt præcognitus, ante prædeſtinatus, ante electus. Sic & omnes gentes, *Omnia quæ voluit Domin⁹ fecit.* Neceſſitas coegit te facere domum, non libera voluntas: Deus bonitate fecit, & nullo quod fecit, eguit. Inuenimus quòd libera voluntate faciamus: cùm ipſum Deum amando laudamus. Hoc eſt gratis amare: non quaſi propoſita acceptione mercedis, &c. *Pſal.* 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Tu in teipſo non facis quod vis: Deus dat gratiam. *Rom.* 7. Quis me liberabit? Gratia Dei, per IESVM Chriſtum.

Ex Tractatibus B. Aug. in Ioannem. Tract. 5. *Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur*, Ioan. 8. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum: ſi quid autem homo habet veritatis atq; iuſtitiæ: ab illo fonte eſt, quem debet homo ſitire in hac eremo.* Tract. 53. *Non poterant credere: quia*, vt Eſa. 6. *excæcauit oculos, & indurauit cor eorum.* Non poterant, &c. quia nolebant. *Excæcauit, indurauit, &c.* * Hoc etiam eorum voluntas meruit. Sic enim obcæcat, obdurat Deus, &c. deſerendo, & non adiuuando; occultò iudicio, non iniquo. Non mirum eſt quia non poterant credere: quorum voluntas ſic ſuperba erat. Non poterant .i. Nolebant. Sicut quòd Deus negare ſeipſum non poteſt, 2. *Tim.* 2. laus eſt voluntatis diuinæ: ita quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ: *Tract.* 81. Quid dicitis præcipitatores liberi Arb? *Sine me nihil poteſtis facere.* Non ait parum, ſed nihil. Siue ergo parum, ſiue multum: ſine eo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. *Tract.* 41. Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati, *Rom.* 8. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum: ſed vtere ad non peccandum. Erit enim voluntas tua libera, ſi fuerit pia. Eris liber, ſi fueris liber peccati, ſeruus iuſtitiæ. *Tract.* 55. Intereſt quibuſnam mens humana conſentiat: diuino auxilio vel deſerta per meritum, vel adiuta

per

per gratiam. *Tract.* 68. Vt Deus elegit prædeſtinando ante mundi conſtitutionem, elegit vocando ante mundi conſummationem : ſic & manſiones præparauit prædeſtinando, & præparat operando. *Tract.* 86. *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi*, 1. Ioan. 15. Hæc eſt illa ineffabilis gratia : nam ſi iam credentes elegit, electos elegit. Quid ergo ? Niſi quia mali eramus, electi ſumus vt boni per gratiam eſſemus. *Tract.* 89. *Si non veniſſem, &c. peccatum non haberent : nunc autem excuſationem non habent.* Siue non acceptaretur iſta excuſatio, ſiue acceptaretur : etſi non vt ab omni damnatione liberarentur, certò aliquantò leuiùs damnarentur. *Tract. De Cantico nouo cap.* 8. Quid valeat liberum Arb. non adiutum : in ipſo Adam demonſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi : ad bonum non niſi adiuuetur à Deo.

Ex Sermonibus De verbis Domini. Serm. 29. *B. Aug. in Lucam, cap.* 8. Non vobis dicatur *Matt.* 33. Quoties volui, & noluiſti. *Serm.* 43. *B. Aug. in Ioan.* cap. 7. *Quotquot ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei Rom.* 8. Agis, ſi agaris: & benè agis, ſi à bono agaris. *Serm.* 55. *B. Aug.* Meliùs eſt in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare.

Ex Serm. De verbis Apoſt. Serm. 2. *B. Aug. contra Pelagianos cap.* 6. Sunt homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi ſauciæque naturæ. Verum eſt, magnas liberi Arb. vires homo cùm conderetur, accepit ; ſed peccando amiſit. *Cap.* 8. Diſcute bona merita tua & videbis, quia dona ſunt Dei. *Serm.* 3. *B. Aug. contra Pelagianos. Cap.* 10. Non ſufficit vt velis, adiuuandus es, vt plenè velis, vt impleas quod velis. *Cap.* 11. Cancellos tibi fecit lex : vt non inueniendo quà exires, ad gratiam conuolares. *Serm.* 4. *B. Aug. contra Pelagianos cap.* 5. Minor erat concupiſcentia ante legem : nunc autem oppoſitis tibi obicibus legis, creſcente impetu obruit te obicibus ruptis. *Cap.* 7. Spiritus tuus non ſe continet, ſi non continetur, &c. *Serm.* 5. *B. Aug.* Quod nolo facio, *Rom.* 7. Ipſum enim agere, concupiſcere eſt, non conſentire. *Serm.* 10. *B. Aug.* contra eoſdem *cap.* 5. Si te Deus fecit hominem, & tu te feciſti bonum: quod tu feciſti, melius eſt. Subde te Deo. *Serm.* 8. *B. Aug.* Quid te committis tibi ? Meliùs te poteſt ſeruare, qui te potuit creare. *Serm.* 11. *B. Aug.* contra eoſdem. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos, vt iuſti eſſemus.* Primus homo creatus erat rectus, non ſe fecit rectùm ; cadēs à manu figuli fractus eſt. Seruare ſe non potuit bonus bonum : & facturus eſt ſe malus bonum ? Natura non putetur gratia, niſi vt gratis data, &c. Hæc eſt maior gratia, quòd fideles facti ſumus, &c. Non, inquit, *contra gratiam Dei diſputo ſed liberum Arb. defendo, &c.* Eſt liberum Arb. ſed nihil valet ſine gratia. *Serm.* 12. *B. Aug.* contra eoſdem *cap.* 3. Quòd caro concupiſcit, meum eſt : & quòd ei non conſentio tuum eſt. *Pars aliquantùm libera*, deſiſtit reliquijs ſeruitutis. Totum ſanum ſit volo, quia totus ſum. *Serm.* 13. *B. Aug.* cap. 10. *Quotquot ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei, Rom.* 8. Tu te vis agere, à teipſo vis agi ; quid tibi prodeſt quia non eris Epicureus, & eris Stoicus? Siue Epicureus, ſiue Stoicus, inter filios Dei non eris. *C.* 11. Ergo agimur, non agimus, & tunc benè agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, adiutor eſt, &c. *Omnia cooperātur in bonum. Rom.* 8. Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator. Nequis dicat ſi ſubtrahatur ſe cooperatio Dei, ſpiritus meus cũ labore poteſt implere, &c. Non ſic : ſi defuerit, nihil boni agere poteris, &c. Agis quidem illo non adiuuante libera voluntate, ſed malè : nam ad malè agendum habes ſine adiutorio Dei liberam voluntatem: *Cap.* 12. Deus non ædificat templum ſuum de nobis quaſi de lapidibus qui non habent motum ſuũ. *Cap.* 13. Fortè dicturi eratis lex ſufficit nobis, &c. Fac, fac, vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore iuſtitiæ, veniet Domina, & ſeruus abſcedet. *Ser.* 14. *B. Aug.* Cõtra eoſdē pro baptiſmo paruulorũ vt ſæpe ſup. *Serm.* 15. contra eoſdē *Cap.* 6. Qui timore pœnæ nō concupiſcit puto quia cõcupiſcit, &c. Quid magnum eſt pœnam timere ? quis enim non timet : ſed latro timet leges hominum; tu autem leges eius quem fallere non potes. Ergo concupiſcentiam tuam malam : non amor tollit, ſed timor premit, &c. *Cap.* 9. Tolle te à te, impedis te, &c. *Cap.* 11. Totum ex Deo : non tamen quaſi dormientes, nō quaſi vt nō conemur, nō quaſi vt nō velimus, ſine voluntate tua, non erit in te iuſtitia Dei, &c. Si hominem te fecit Deus, & tu te iuſtũ facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus, &c. *Qui ergo te fecit ſine te, non te iuſtificat ſine te, fecit te neſcientem, iuſtificat volentem. Serm.* 16. *B. Aug. cap.* 2. Deus debitor factus eſt : non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo, &c. *Serm.* 18. *B. Aug.* contra eoſdem. *Cap.* 8. Timor gehennæ continet te : & volentem peccare animum interiorem non ſinit, &c. Cuſtodiat te dum non facis timendo, & veniat charitas, &c. Timor id agebat, ne faceres : charitas id agit, ne velis facere, etiãſi impunè poſſis. *Serm.* 31. *B. Aug. c.* 8. Quid dicis Pelagianiſta? Videtur confiteri Chriſt. in carne veniſſe: ſed diſcuſſ' inuenitur negare. tu dicis Chriſtũ Saluatorē maiorũ, non minorũ. Non eſt ipſe. Si non eſt ipſe, negas & tu Chriſtũ in carne veniſſe. *Hom.* 23. *ex* 50. Dicit tibi Deus, regebā te mihi, ſeruabam te mihi : vt adulterium non committeres, ſuaſor defuit, vt ſuaſor deeſſet, ego feci, locus & tempus defuit, vt hæc deeſſent ego feci, affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, vt non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam eius cui debes, & quod non admiſiſti. Nullũ eſt enim peccatum quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit Rector à quo factus eſt homo. Vt 2. *Conf.* 7. Gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala, &c.

Serm. 124. *B. Aug.* De Tempore. Quid homo ſine gratia Dei poſſit, timor B. Petri Apoſt. euidenter oſtendit. Per ſolum enim liberum Arbit. non addito Dei adiutorio, promiſerat pro Domino moriturum. Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cùm negaret Chriſtum. Ideo eum Dominus ſubdeſeruit : vt in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere nihil ſe ſine Dei gratia præualere. *Serm.* 191. inter Auguſtinianos. *Baptiſmum vnum tenemus ; quod iiſdem Sacramenti verbis infantibus, quibus etiam maioribus dicimus eſſe celebrandum, &c. Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum,*

X A

Digitized by Google

ceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſeruari, &c. Liberum ſic confitemur Arb. vt dicamus nos Dei ſemper indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatũ vitare non poſſe, quàm qui cũ Ioniniano aſſerunt hominẽ non poſſe peccare; vterq; enim tollit arbitrij libertatem. Nos verò dicimus hominem ſemper peccare, & non peccare poſſe: vt nos liberi confiteamur eſſe arbitrij. Quarum duæ priores ſententiæ, à *B. Aug. ſup. lib. de gratia Chriſti cap.* 31. 32. 33. ex quadam confeſſione Pelagij relatæ, reddunt hunc ſermonem valdè ſuſpectum: eſſe Pelagij, non Pelagianiſmi, vt ſupra. Quibus adde poſtremam ſententiam non eſſe de potentia proxima non peccandi, vel non continua, vel non ſine gratia: nec de quouis homine, ſed de ſolis Chriſtianis niſi ex proprio demerito. Vt patet ex *Cap.* 31. *De gratia Chriſti*: vbi hoc expreſsè approbatur à *B. Aug.*

Ex Serm. 48. *B. Aug. De diuerſis. Cap.* 5. *Fiat voluntas tua.* Si Omnipotens eſt: cur oras vt fiat? Fiat in me: vt non reſiſtam voluntati tuæ. Ergo & hic pro te oras, non prò Deo, &c. Nunquam fit à te, quod non faciat in te: ſed aliquando facit in te, quod non fit à te.

Ex libris poſtremis B. Auguſt. contra Semi-Pelagianos ſeu Maßilienſes.

Ad Conſultationem *B. Proſperi & Hilarij,* Epiſcoporum. Vt patet ex hac *Epiſtola B. Proſperi* ad *S. Aug.*

MVlti ſeruorum Chriſti qui in Maſſilienſi vrbe conſiſtunt, in S. tuæ Scriptis aduerſus *Pelagianos* hæreticos contrarium putant Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui quicquid in eis de vocatione Electorum ſecundùm propoſitum, diſputaſti, &c. Euenit vt cùm quoſdam intra *Africam* ſimilia mouiſſent: Librum de correptione & gratia emitteres. Quo vt qui ſanctam doctrinæ tuæ authoritatem ſequebantur, intelligentiores ſunt facti: ita qui ſuæ perſuaſionis impediebantur obſcuro, auerſiores quàm fuerant, receſſerunt. Quorum tam abrupta diſſenſio metuenda eſt: ne tam claris in omnium virtutum ſtudio viris ſpiritus Pelagianæ impietatis illudat; & ne ſimpliciores tutiſſimum ſibi eſtiment quod audiunt eos aſſerere. Hæc enim eorum definitio ac profeſſio eſt: *Omnem quidem hominem Adam peccante peccaſſe, & neminem per opera ſua ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari; vniuerſis tamen propitiationem Chriſti ſine exceptione eſſe propoſitam, vt quicumq; ad fidem & baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poßint, &c. præſciſſe autem Deum, & prædeſtinaſſe quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit, &c. Hoc autem Propoſitum, quo eligendorum & reijciendorum dicitur facta diſcretio, vt alij vaſa honoris, alij contumeliæ ſint creati; & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre, &c. Et ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceßitatem, &c. Quæ de Epiſt. ad Romanos proferuntur à nullo vnquam ita eſſe intellecta.* Cumque vt ipſi ea exponant depoſcimus: de his taceri exigunt, &c. *Fidem noſtram ædificationi audientium contrariam eſſe definiunt: ac ſic etiamſi vera ſit, non eſſe promendam, &c.* Quidam verò in tantùm à Pelagij ſemitis non declinant: *vt gratiam Chriſti ad conditionem velint hominis cuiuſq; pertinere, & ad gratiam qua renaſcimur peruenire per naturalem facultatem, quærendo, petendo, pulſando, &c.* Propoſitum autem vocantis gratiæ in hoc definiunt: *quòd Deus conſtituerit nullum in regnum ſuum niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere: & ad hoc omnes homines vocari vt qui voluerint, fiant filij Dei.* Cumque eis multitudo obijcitur paruulorum: *Tales aiunt perdi taleſq; ſaluari, quales futuros ſi ad actiuam ſeruarentur ætatem, ſcientia diuina præuiderit.* Nec conſiderant ſe gratiam Dei, *quam comitem non præuiam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præuentas.* Sed intantùm. *quibuſcumq; commentitijs meritis electionem Dei ſubijciunt: vt quia præterita exſtant, futura quæ non ſint futura confingant; nouoq; apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint, &c.* Quorum aliquando non miſertus Deus miſeretur: *præuiſos,* inquiunt, *nunc credituros, & ad quamq; gentem ita diſpenſata tempora vt exoritura erat bonarum credulitas voluntatum.* Nec vacillare, quòd Deus omnes homines, velit ſaluos fieri. 1. *Tim.* 2. *Quandoquidem inexcuſabiles ſint, & qui ad vnius veri Dei cultum potuerint inſtrui intelligentia naturali; & euangelium non audierint, quia nec fuerint recepturi. Pro vniuerſo autem genere mortuum eſſe D. N. I. C. & neminem prorſus exceptũ, &c. Itaq; quo ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad Arb. libertatem, ab his eam apprehendi qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint, &c.* Nec acquieſcunt, *prædeſtinatum electorum numerũ hominũ nec augeri poſſe, nec minui, &c. Priorẽ volunt obedientiam eſſe, quàm gratiam vt initium ſalutis ſit ex eo qui ſaluatur, &c.* Vnde quia in iſtis Pelagianæ prauitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur, &c. Obſecro vt obſcuriora, & difficiliora digneris aperire. 1. Quantum periculi ſit patefacias. 2. Quomodo per præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur Arb. 3. Vtrum ea ipſa quæ ſunt Propoſita, ſint accipienda præſcita: an in his qui nihil operaturi ſaluantur, quaſi ſolum Dei Propoſitum videatur exiſtere, in his autem qui aliquid boni acturi ſunt per præſcientiam poſſit ſtare Propoſitum; an verò vniformiter Præſcientia quodam ordine ſit ſubnixa Propoſito. 4. Quemadmodum per hanc prædicationem Propoſiti Dei, nemo impediatur, &c. 5. Qualiter diluatur quod pœnæ omnium priorum ſit ſententia, qua Propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt.

Ex Epiſt B. Hilarij Epiſc. Arelat. ad B. Aug. Hæc ſunt quæ Maſſiliæ, vel alijs etiam locis in Gallia ventilantur, &c. Vt ſupra præter hæc. *Ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quenquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt, &c. Nullam*

ita

ita deprauatam naturam putant, vt non poßit velle ſanari: nec negari gratiam, ſi praecedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quicquàm ipſa iam valeat, &c. Ad hoc tantùm liberam aſſerunt Arb. vt velit vel nolit admittere medicinam, &c. Nolunt autem ita perſeuerantiam prædicari, vt non vel ſupplicìter emereri, vel admitti contumaciter poſsit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci volunt. Illud Sap. 4. *Raptus eſt, &c. tanquam non canonicum definiunt omittendum, &c. Moleſtè ferunt ita diuidi gratiam quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, &c.* Vt ſupra de corrept. & gratia. *Cap.* 11. 12. *In hoc ſolo volunt à primo homine omnium diſtare naturam: vt illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, ſine qua perſeuerare non poterat; nos autem amißis & perditis viribus credentes tantùm, non ſolùm erigat proſtratos, verùm etiam ſuffulciat ambulantes. Cæterùm quicquid donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe & amittere, & retinere propria voluntate contendunt, &c. Expoſitionem tuam in* 1. Tim. 2. *Deus vult omnes ſaluos fieri: non ſuſcipiunt; ſed vt nullus habeatur exceptus. Quomodo, aiunt, Deus non vult à quoquam peccari, & tamen iugiter peccatur: ita & vult omnes ſaluari, nec tamen omnes ſaluantur, &c. Paruulorum cauſam ad exemplum maiorum non patiuntur afferri, &c. Quid opus fuit,* inquiunt, *huius diſputationis incerto tot minùs intelligentium corda turbari? Neq; enim minùs ſine hac definitione tot annis contra Pelagianos catholicam fidem fuiſſe defenſam, &c.* Dicũt ſe tuam ſent. hoc excepto in factis & dictis omnibus admirari. Tuum erit diſcernere quomodo ſit in hoc eorum contradictio toleranda, &c. A præſẽtiæ tuæ delicijs exulatus, vbi ſalubribus tuis vberibus nutriebar: abſentia tua crucior, &c.

Lib. B. Aug. de Prædeſtinatione Sanctorum: ex *B. Proſpero* in ſuis Opuſc. *V. Beda* in Epiſt. *S. Pauli*, & ex varijs Eccleſiæ Canonibus. *Cap.* 1. Peruenerunt iſti Fratres noſtri, pro quibus ſollicita eſt pia charitas veſtra, vt credant cum Eccleſia Chriſti, peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, &c. Peruenerunt etiam vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur: atque vt ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quemque ſufficere poſſe conſentiant. Retenta ergo iſta in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore diſcernunt. Proinde ſi in eis ambulent, & orent eum qui dat intellectum: ſi quid de Prædeſtinatione aliter ſapiũt, ipſe illis hoc quoque reuelabit. Tamen nos etiam impendamus eis dilectionis affectum: ne fortè Deus id per hãc noſtram velit efficere ſeruitutem. *Cap.* 2. Priùs itaque, fidem qua Chriſtiani ſumus donum Dei eſſe debemus oſtendere. Neceſſe eſt vt omnia quæ creduntur, præueniente cogitatione credãtur: quanquam ipſum credere nihil eſt aliud quàm cum aſſenſione cogitare. Si ergo, quod pertinet ad Religionẽ atque pietatem, non ſumus ſufficiẽtes cogitare aliquid quaſi ex nobis, ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt, 1. *Cor.* 3. profectò non ſumus idonei credere aliquid. Porrò ſi operatur Deus fidem noſtram, miro modo agens in cordibus noſtris vt credamus: nunquid metuendum eſt ne totum facere non poſſit; & ideo homo ſibi primas vẽdicat partes vt nouiſſimas ab eo accipere mereatur. Quaſi cõponit homo cũ Deo, vt partẽ fidei ſibi vẽdicet, atq; illi partẽ relinquat; & quod eſt elatius, primã tollit ipſe, ſequẽtẽ dat illi. *C.* 3 *S. Cyp.* In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. Quo præcipuè conuictus ſum cùm errarem, putans fidem eſſe à nobis, & per illam nos impetrare Dei dona. Quem errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta, &c. Vt ſupra 1. *Retr.* 23. *Cap.* 4. In qua ſententia iſtos Fratres noſtros nunc eſſe video: quia non ſicut legere libros meos, ita etiam in eis curauerunt proficere mecum. Nam ſi curaſſent, inueniſſent iſtã Quæſt. ſolutam, *Lib.* 1. *ad Simpl. Cap.* 5. Quis enim te diſcernis? 1. *Cor.* 4. Dona Dei naturalia ſuſpicari, ſiue ipſam naturam perfectam: quantum exiſtimo, abſurdum eſt. Nunquid enim per hæc diſcernuntur homines ab hominibus? Poſſet dicere homo inflatus: *Diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, &c.* Quid habes, inquit, quod non accepiſti? A quo, niſi ab illo qui te diſcernit? Nihil huic ſententiæ tam contrarium, quàm de ſuis meritis gloriari. Sit ergo gratia naturæ attributa, qua diſcernitur à pecoribus, qua ingenioſi à tardis, &c. Sed, 1. *Cor.* 4. nõ ſe ille aduersùs pec⁹, nec aduersùs hominẽ alterũ inflabat de aliquo naturali munere, quod ineſſe poſſet & peſſimo: ſed de aliquo pertinente ad vitã æternam, vt enim ſit naturæ, fidẽ habere poſſe: nũquid & habere? Non ait Apoſt. Quid potes habere? Sed quid habes? Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum: habere autem fidem, vt habere charitatem, gratiæ eſt fidelium. *Cap.* 6. *Sed alÿ credunt, alÿ contradicunt: volunt ergo iſti credere nolunt iſti.* Quis hoc neget? Sed alijs præparatur voluntas à Domino, alijs non præparatur: ex miſericordia, vel iudicio, *Rom.* 11. *Cap.* 7. Ex fide dicit Apoſt. iuſtificari hominem non ex operibus, *Eph.* 7. Quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cætera, &c. Solet enim dici: *ideo credere meruit quia vir bonus erat, &c.* vt de *Cornelio* dici poteſt *Act.* 10. Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat, *Rom.* 10. Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus; non ad eum mitteretur Petrus, &c. Quicquid igitur benẽ operatus eſt ante, totum Deo dandum eſt. *Cap.* 8. Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me, *Ioan.* 6. Hæc itaque gratia à nullo corde duro reſpuitur: ideo quippè tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur: *Cap.* 9. Quod dixi *Epiſt.* 49. *q.* 2. *Tunc voluiſſe hominibus Chriſtum apparere, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando & vbi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri, &c.* Cernitis me ſine præiudicio latentis Conſilij Dei, aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, &c. Poſſet etiam dici tunc voluiſſe prædicari quando & vbi ſciebat futuros Electos, &c. *C.* 10. Quod dixi, *Salutem Religionis huius nulli vnquam defuiſſe qui dignus fuit, & dignum non fuiſſe cui defuit:* ſi quæratur vnde quis ſit dignus; non deſunt qui dicant, voluntate humana, nos autem dicimus, gratiã vel prædeſtinatione diuina. Inter gratiam porrò, & prædeſtinationem, hoc tantùm intereſt: quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia verò iam ipſa donatio, &c. *Non ex operibus, &c.*

Eph. 2. gratia eſt: *Quæ præparauit Deus, &c.* Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autẽ eſſe ſine prædeſtinatione præſciẽtia. Prædeſtinatione quippe Deus præſciuit quæ fuerat ipſe facturus, &c. Præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit: vt peccata, &c. Quocirca prædeſtinatio Dei quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio: gratia vero eſt ipſius prædeſtinationis effectus. *Cap.* 11. Miror homines infirmitatis ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis Dei. Sed *incerta eſt mihi*, inquis, *de meipſo voluntas Dei.* Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipſo certa eſt, nec times? Cùm igitur vtraque incerta ſit: cur non homo firmiori, quam infirmiori, fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit? *Infra.* Hæc & nobis præcipiuntur: & dona Dei eſſe monſtrantur; vt intelligatur quòd & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus. *Ezech.* 36. Ego faciam vt faciatis. *Cap.* 12. Vnde talibus viris in mentem venerit neſcio: vt futura quæ non ſunt futura puniantur, aut honorentur merita paruulorum, &c. Quicumque enim dicit puniri tantùm poſſe futura peccata, dimitti autem non poſſe: cogitare debet quantam Deo faciat, eiuſque gratiæ iniuriam. *Cap.* 13. Si forſitan dicunt, *ideo iſtos non baptizari quia præſciti ſunt pœnitentiam ſi vixerint non acturi: eos autem qui baptizantur, Deum præſciſſe acturos pœnitentiam fuiſſe ſi viuerent*: attendant non iam in paruulis peccata originalia vindicari, aut dilui: ſed ſua futura ſi viuerent, &c. Hoc ſi auderent *Pelagiani*, non laborarent negando originale peccatum, &c. *Cap.* 14. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, *Sap.* 4. Dictum eſt, ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum præſcientiam Dei, qui præſciuit quod futurum erat, nõ quod fut. non erat. *C.* 15. Eſt etiam præclariſſimũ lumẽ prædeſtinationis, & gratiæ, ipſe Saluator: qui hoc vt eſſet, quibus tandẽ ſuis, vel operũ, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo eſt comparauit? Nunquid metuendum fuit ne accedente ætate, homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſeruire non poterat? Cur diuerſa eſt gratia vbi natura communis eſt? Appareat itaque nobis in noſtro Capite ipſe fons gratiæ, &c. Ea gratiâ fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus: quâ gratia ab initio homo ille factus eſt Chriſtus, &c. Ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit, &c. Prædeſtinatus eſt ergo Iesvs, *Rom.* 1. vt qui futurus erat ſecundùm carnem filius Dauid, eſſet tamen in virtute filius Dei, &c. Ipſa eſt illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo ſuſceptio ſingularis: vt filius Dei, & hominis propriè diceretur, &c. Prædeſtinata eſt iſta naturæ humanæ tanta ſubuectio: vt quo attolleretur altiùs non haberet, &c. Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille vnus, vt Caput noſtrum eſſet: ita multi prædeſtinati ſumus vt membra eius eſſemus. Humana hîc merita conticeſcant, quæ perierunt in *Adam*: & regnet Dei gratia per Iesvm Chriſtum. *Cap.* 16. Vocat Deus prædeſtinatos multos filios ſuos: vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui; nõ ea vocatione qua *Luc.* 14. ſed *Rom.* 9. Eſt in malorum poteſtate peccare: vt autem peccando hoc vel hoc illâ malitia faciant, non eſt in eorum poteſtate, ſed Dei, &c. Vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntate Dei. *Cap.* 17. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, *Ioan.* 15. Quia non elegerunt eum vt eligeret eos: ſed vt eligerent eum elegit eos, &c. Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem, ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit: electi ſunt autem de mundo, ea vocatione qua Deus id quod prædeſtinauit impleuit, *Rom.* 8. *Eph.* 1. Elegit Deus fideles: ſed vt ſint, non quia iam erant. *Cap.* 18. Elegit Deus in Chriſto ante conſtitutionem mundi mẽbra eius. Quomodo eligeret eos qui nondum erãt, niſi prædeſtinando? Elegit ergo prædeſtinans nos. Nunquid eligeret impios? *Præſciebat*, ait Pelagianus, *qui futuri eſſent ſancti per liberæ voluntatis arbitrium, &c.* Elegit nos, vt eſſemus ſancti, *Eph.* 1. Non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus. Secundum placitum, inquit, voluntatis ſuæ, &c. *Cap.* 19. *Nos dicimus*, inquiunt, *noſtram Deum non præſciſſe niſi fidem, qua credere incipimus: & ideo nos elegiſſe, vt etiam ſancti gratiâ, atq; opere eius eſſemus.* Sed audiant, *Eph.* 1. Prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur, &c. Ipſe ergo vt credere incipiamus operatur, qui vniuerſa operatur, &c. Non enim quia credidimus, ſed vt credamus elegit nos: ne priores eum elegiſſe dicamur, &c. Nec quia credidimus, ſed vt credamus vocamur: atque illa vocatione quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur, & peragitur, &c. *Cap.* 20. Orationi inſtate, vt nobis Deus aperiat oſtium verbi ſui, *Coloſſ.* 4. 1. *Cor.* 6. 2. *Cor.* 1. Quomodo aperitur oſtium verbi, niſi eum ſenſus aperitur audientis vt credat? *Infra.* Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando: vt etiam per eos impleatur quod manus eius, & conſilium prædeſtinauit fieri, &c. Quale eſt, vt credamus, ad conſtituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, 1. *Reg.* 10. & 1. *Paral.* 2. & ad capeſcendum regnum Cœlorum, homines voluntates operari ſuas? *Cap.* 21. Inſtitimus quantum potuimus, vt etiam ipſum initium fidei, donum Dei eſſe oſtenderemus.

Lib. De Dono Perſeuerantiæ, cap. 1. Non contendo de verbis, &c. ſed hanc, de qua nunc agimus perſeuerantiam, nullo modo habuiſſe dicendus eſt, qui non perſeuerauerit vſque in finem: potiùſque hanc habuit vnius anni fidelis, & quantum infra cogitari poteſt, ſi donec moreretur fideliter vixit; quam multorum annorum, ſi ante mortem à fide defecit. Quo conſtituto, videamus vtrum hæc perſeuerantia, de qua, *Matt.* 10. Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit: donum Dei ſit. *Phil.* 3. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non tantùm vt credatis in eum, verùm etiam vt patiamini pro eo, &c. Aut vt expreſſiùs loquar, mori pro Chriſto, &c. Quis dicat iſtis non dari perſeuerantiam, qui ægritudine corporis, vel quocumque caſu moriuntur in Chriſto: cùm longè difficilior donetur illis, à quibus ſuſcipitur & mors ipſa pro Chriſto? Cui nihil difficile eſt, facilè eſt vtramque donari, &c. Cur autem perſe-

Digitized by Google

perſeuerantia iſta poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? An iſta irriſoria petitio eſt, ſicut & gratiarum actio? An ab illo perſeuerantia iſta non poſcitur? Legitè expoſitionem *B. Cyp.* De Oratione Dominica: & videte ante quot annos contra futura Pelagianorum venena, quale ſit antidotum præparatum, &c. *Sanctificetur nomen tuum*, Matt. 6: *Petimus vt qui in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus, perſeueremus, &c. Adueniat regnum tuum, &c. Quòd non alijs, ſed his qui perſeuerant vſq; in finem, certum eſt eſſe venturum.* Cap. 3. *Fiat voluntas tua, in Cœlo & in terra*, vel, *ſicut in Cœlo & in terra* .i. Vt *in Angelis, & in nobis, &c. vt in ſpiritu, & in carne, &c.* Vidit & *S. Cypr.* alium ſenſum: *vt pro infidelibus orent fideles, &c.* Sed cur poſt adhuc petunt vt fiat: niſi vt perſeuerent? *Cap.* 4. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* S. Cypr. *Ne; qui in Chriſto ſumus, &c. à Chriſti Corpore ſeparemur.* Cap. 5. *Dimitte nobis, &c.* S. Cypr. *Salubriter admonemur quòd peccatores ſumus, ne quis ſibi quaſi innocens placeat, &c. Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Quid aliud quàm vt in ſanctitate perſeuerent, precantur. *Cap.* 6. Sed nolunt, vt ſcribitis, hanc perſeuerantiam prædicari: vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit, &c. Emereri poteſt: ſed amitti non poteſt, &c. Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit vt non amittatur, etiam quod poſſet amitti? Sed ne fortè dicatur, non amitti quidem cùm data fuerit: ſed quando agit homo vt ad eam peruenire non poſſit, &c. Verborum controuerſias auferamus, &c. Dicat mihi quiſquis audet: vtrum Deus dare non poſſit, quod à ſe poſci imperauit? *Ne inferas nos in tentationem.* Quiſquis igitur exauditur hoc poſcens: non infertur in contumaciæ tentationem, &c. *Tutiores igitur viuimus, ſi totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Cap. 7. Hæc Dominica Oratio nobis ad cauſam gratiæ ſola ſufficeret: quia nihil nobis relinquit in quo gloriemur. Si quidem vt non diſcedamus à Deo, poſcendum oſtendit à Deo, &c. *Non eſt hoc omnino in viribus liberi Arbitrij quales nunc ſunt: fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis: qui Diabolo cum ſuis cadente in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi peruenire meruerunt. Poſt caſum autem Hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt Homo accedat ad eum, neq; vt non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in Chriſto, &c. Cap.* 8. Cur quibuſdam qui Deum coluerunt bona fide, perſeuerare vſque in finem non dedit? Niſi quia *1. Ioan.* 2. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, &c. Nunquid ergo hominum naturæ duæ ſunt? Abſit. Si duæ naturæ eſſent, gratia vlla non eſſet: nulli enim daretur gratuita liberatio, ſi naturæ debita redderetur, &c. Deus melius eſſe iudicauit, miſcere quoſdam non perſeueraturos certo numero Sanctorum ſuorum: vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. *Cap.* 9. Ex duobus Paruulis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur: & ex duobus grandibus Impijs, cur ille vocetur, ille autem non, aut non ita; Inſcrutabilia ſunt Iudicia Dei. Ex duobus autem Pijs, cur huic donetur perſeuerantia, illi autem non: Inſcrutabiliora ſunt Iudicia Dei. Illud tamen Fidelibus debet eſſe certiſſimum: hunc eſſe ex Prædeſtinatis, illum non, *1. Ioan.* 2. *Cap.* 10. Quidam Diſputator Catholicus non ignobilis expoſuit, *Luc.* 10. præſciſſe Dominum Tyrios, & Sidonios à fide poſtea fuiſſe receſſuros: & ideò ex miſericordia potiùs non cum illic ſigna feciſſe, quoniam grauiori pœnæ obnoxij fierēt, &c. *Cap.* 11. Cur cauſam Paruulorum, ad exemplar Maiorum non patiuntur afferri, &c? vt 1. *Retr. c.* 9. *Cap.* 12. Gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, in Paruulis euidentiore veritate cernamus. Neque enim Fato cogitur Deus illis Infantibus ſubuenire, illis autem non, cùm ſit vtriſque cauſa communis: aut res humanas in Paruulis non diuina Prouidentia, ſed fortuitis agi Caſibus opinabimur; aut Parentum negligentiæ ſic tribuendum eſt, vt nihil agant ibi ſuperna Iudicia, tanquam ipſi qui malè moriuntur Parentes ſibi negligentes voluntate propria elegerint. Quid dicam, quòd Paruulus aliquando antequam illi ſuccurri poſſit, expirat? Plerumque enim feſtinantibus Parentibus, & paratis Miniſtris vt Baptiſmus Paruulo detur: Deo tamen nolente non datur, qui eum paululùm in hac vita non tenuit vt daretur. Quid eſt, quòd aliquando Paruulis Infidelium filijs potuit, & filijs fidelium non potuit Baptiſmate ſubueniri? *Cap.* 13. Quid eſt quod morituro non baptizato ſubuenitur, & baptizato caſuro non ſubuenitur? Vnde ſatis oſtenditur, & inchoandi; & vſque in finem perſeuerandi gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari: ſed ſecundùm ipſius ſecretiſſimam, Iuſtiſſimam, Beneficentiſſimam, Sapientiſſimam voluntatem; quoniam quos prædeſtinauit, & vocauit, vt *Rom.* 11. vocatione ſine pœnitentia, &c. Ad quam pertinere nullus eſt dicendus, niſi cùm de hoc ſæculo exierit. Ideo quippe non perſeueraturi, perſeueraturis miſcentur: vt cum timore, & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur. *Phil.* 2. Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle, & operari pro bonâ voluntate. Nos ergo volumus: ſed Deus operatur in nobis, & velle: Nos operamur; ſed Deus in nobis operatur & operari, &c. De quo ipſi *Dominò Deo noſtro gratias agere* à Sacerdote admonentur Fideles: & *Dignum, & iuſtum eſſe*, reſpondent. Cum enim non ſit in noſtra poteſtate cor noſtrum, ſed diuino ſubleuetur auxilio: cui de tantâ re agendæ ſunt gratiæ, niſi hoc facienti Domino Deo noſtro? *Cap.* 14. Sed, aiunt, prædeſtinationis definitionem vtilitati prædicationis aduerſam. Quaſi verò, &c. Hæc prædeſtinatio nihil aliud eſt quam præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei: quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri vero in maſsâ perditionis iuſto Dei iudicio reliquuntur: vbi Tyrij & Sydonij relicti ſunt, *Luc.* 10. Ex quo apparet, habere quoſdam in ingenio, diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel verba audiant, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi Dei altiore Conſilio à

 perditionis

perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti; nec ipſa eis adhibentur vel dicta, vel facta, per quæ poſſent credere, &c. In eadem maſſa relicti ſunt Iudæi, qui non potuerunt credere: quia excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Non ergo erant ſic excœcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum: ſed nec illis profuit quòd poterant credere; quia prædeſtinati non erant. Verùm de Tyrijs, & Sidonijs alio modo fortaſſis poteſt intelligi, &c. Nec Prædeſtinationis igitur prædicatione impedienda eſt prædicatio Fidei perſeuerantis, & proficientis: nec prædicatione Fidei impedienda eſt prædicatio Prædeſtinationis, &c.

Cap. 15. Sed aiunt, ſic *neminem poſſe correctionis ſtimulis excitari, &c.* Si quis dicat, *Siue nunc rectè viuatis, ſiue non: tales eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſciuit*: Nunquid ſi hoc audito nonnulli in torporem vertantur, propterea de præſcientia Dei falſum eſt? *Cap.* 16. Sunt qui vel non orant, vel frigidiùs orant, quoniam didicerunt ſcire Deum quid nobis neceſſarium ſit: num propter tales veritas deſerenda, aut ex Euangelio delenda putabitur? Dicatur ergo verum, maximè vbi aliqua Quæſtio vt dicatur impellit, & capiant qui poſſunt: ne fortè cùm tacetur propter eos qui capere non poſſunt; non ſolùm veritate fraudentur, verùm etiam falſitate capiantur qui verum capere poſſunt. *Cap.* 17. Videte à veritate quàm ſit alienum, negare donum Dei eſſe perſeuerantiam vſque in finem huius vitæ: cùm vitæ huic quando voluerit ipſe det finem: quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeuerare vſque in finem. Sed euidentior largitas Bonitatis Dei eſt, quòd etiam paruulis datur hæc gratia. Iſta igitur ſua dona quibuſcumque Deus dat, procul dubiò donaturum ſe eſſe præſciuit, & in ſua præſcientia præparauit. Quos ergo prædeſtinauit, ipſos & vocauit, *Rom.* 8. Nam in ſua quæ falli mutarique non poteſt præſcientiâ, opera ſua futura diſponere: id omnino, nec aliud quicquam eſt prædeſtinare. Sicut autem ille quem caſtum futurum eſſe præſciuit, agit vt caſtus ſit: ita ille quem caſtum futurum prædeſtinauit, &c. Sic & de Fide, Pietate, Perſeuerantiâ, &c. *Prædicatione prædeſtinationis, plus deſperationis, quam exhortionis afferri,* hoc eſt dicere: Tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſeipſo, ſed in Deo didicerit ponere, &c. *Cap.* 18. Aliquando Prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine Præſcientiæ: quod circumſtantia locutionis oſtendit, &c. vt *Rom.* 11. Non repulit Deus Plebem ſuam, quam præſciuit. *Cap.* 19. Quid ergo nos prohibet quando apud aliquos Verbi Dei tractatores legimus Dei Præſcientiam, & agitur de vocatione Electorum: eandem Prædeſtinationem intelligere? *Cap.* 20. Vt prædicanda eſt Pietas, Pudicitia, Charitas, &c. Ita & Prædeſtinatio: vt qui habet aures audiendi, non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur, &c. *De ſuis libris ante Pelagianos, ad Simpl. Confeſſ.* contra futuram eorum Hæreſim, vt adhuc ſupra. *Cap.* 21. Hæc vt ingrata Deo deſtruatur, gratuitis Dei beneficijs: & initium Fidei, & perſeuerantiam dona Dei eſſe defendimus, &c. Si autem Deus hæc ſua dona daturum eſſe præſciuit: prædeſtinatio prædicanda eſt, &c. *Ex ſuo etiam lib. De Prædeſt. & Gratia, lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. *Epiſt.* 105. 106. Quamuis neminem velim ſic amplecti omnia mea, vt me ſequatur: niſi in ijs in quibus me errare non perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, &c. Si hominibus qui me dilexerunt nolo exiſtere ingratus: quantò magis Deo, quem non diligeremus niſi priùs dilexiſſet nos, & feciſſet dilectores ſuos? Quid eſt autem ingratius, quam negare ipſam gratiam Dei, dicendo eam ſecundùm merita noſtra dari? *Infra.* Inter initium Fidei, & perfectionem Perſeuerantiæ, media ſunt quibus rectè viuimus, &c. Hæc autem omnia Deum largiturum ſe vocatis ſuis eſſe præſciuit. *Cap.* 22. Quamuis ergo ita ſe habeat de Prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei: non tamen iſto modo dicenda ſunt audientibus multis, vt ſermo etiam ad ipſos conuertatur, &c. Quid opus eſt dici, *Alij ex vobis, &c.* Item. *Si qui eſtis, accipietis eandem gratiam, &c. Si non eſtis prædeſtinati, ſubtrahentur obediendi vires.* Hoc enim quid aliud videtur quàm maledicere, aut mala prophetare? Cur non potiùs ſic? *Si qui ſunt nondum vocati, pro eis vt vocentur oremus. Fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, vt noſtris orationibus concedantur. Si qui obediunt, &c.* per tertiam perſonam, &c. Illum etiam modum non exiſtimo ſufficere, niſi addat: *Vos etiam ipſam obediendi perſeuerantiam à Patre luminum ſperare debetis, & quotidianis Orationibus poſcere: atq; hoc faciendo confidere, non vos eſſe à Prædeſtinatione alienos, &c. Abſit autem à vobis ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui ſpem habet in homine,* Ier. 17. *An verò timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo: non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus, ac infœliciſſimus poneret? Cap.* 23. Quis Sacerdotem ſuper fideles Dominum inuocantem, *Da illis Domine in te perſeuerare vſq; in finem*: non ſolùm voce auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere; ac non potiùs reſpondit, *Amen*? Nam ſi hæc à Deo poſcit Eccleſia, ſed à ſeipſa ſibi dari putat: non veras, ſed perfunctorias Orationes habet, &c. Hæc igitur ita Deus ſe daturum eſſe præſciuit: vt in ipſa prædeſtinatione iam dederit. 2. *Tim.* 1. Secundùm gratiam quæ data eſt nobis ante tempora æterna: manifeſtata autem nunc. *Cap.* 24. Satis docuiſſe me exiſtimo, dona Dei eſſe, & incipere credere, & vſque in finem permanere, &c. Quòd donum qui non habet, quæcumque habet, inaniter habet. Non itaque ſimus in diſputationibus prompti, & in orationibus pigri. Nullum autem eſt illuſtrius Prædeſtinationis exemplũ, quàm ipſe Iesvs, &c. Et illum ergo, & nos prædeſtinauit: quia & in illo, vt eſſet Caput noſtrum, & in nobis vt eius Corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſciuit. Qui legunt hæc: ſi intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent, &c. Qui verò errare me exiſtimant: etiam atque etiam diligenter quæ ſunt

dicta

dicta conſiderant, ne fortaſſis ipſi errent, &c.

Supplementum Memoriæ.

EX 2. *Retract.* 31. In librum de ſex Quæſt. contra Pelagianos. *Quod dixi*, Quæſt. 2. *Salus Religionis huius, per quam ſolã vera ſalus, veraciterq; promittitur, nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit*: Non ita dixi tanquam ex meritis ſuis Quiſquam dignus fuerit; ſed vt, Rom. 8. 9. Mal. 1. *ex vocante, &c. De quâ vocatione.* 2. Tim. 1. *Vt dignos vos habeat vocatione ſuâ ſanctâ, &c.* vt ſupra. *Lib. de Prædeſt. cap.* 9. 10. Vbi etiam ſe refert ad hæc illius q. 2. *Quid reſpondebunt, ſi exceptâ illâ Altitudine Sapientiæ, & Scientiæ Dei, vbi fortaſſis aliud diuinum Conſilium longè ſecretius latet, ſine præiudicio etiam aliarum fortè cauſarum, quæ à Prudentibus inueſtigari queunt: hoc ſolum eis breuitatis gratiâ dicamus; Tunc voluiſſe Hominibus apparere Chriſtum, &c.*

Ex 2. *Retrac.* 36. In librum, ſeu *Epiſt.* 120. De gratia noui Teſt. *Eo tempore quo & contra Pelagianos exerceri iam cæperamus, Amicus quidam miſit mihi?* Quæſt. 1. *Quid ſit*, Matt. 27. *Deus meus vt quid me dereliquiſti? Ego autem ſextam mihi propoſui de gratia noui Teſt. De quâ*, Cap. 19. *Non omnia quæ Deus prædicit, promittit, &c. Prædicit enim & peccata, &c. Promittit autem quæ ipſe facturus eſt: nec ea mala, ſed bona, &c. Filij ergo promiſſionis filij ſunt beneficij. Hæc eſt gratia quæ gratis datur.* Cap. 21. *Charitas foras mittit timorem: non illum quo timet anima ne amittat ipſam gratiam, ne eam Deus deſerat, &c.* Cap. 30. *Iuſtitiæ Dei contraria eſt ſuperbia, qua fiditur de operibus proprijs. Non veniat mihi per ſuperbiæ, &c.* Cap. 35. *Neſcio vos*, Matt. 25. *nihil aliud eſt quam neſcitis me, quando de vobis potius eligitis confidere, quam de me.*

Ex 2. *Retrac.* 55. in 7. primos libros ſac. ſcript. Vbi tacitè approbat quod ait, q. 18. in Exod. *Vtitur Deus bene cordibus malis, ad id quod vult oſtendere bonis, vel quod facturus eſt bonis. Dicitur induratum cor Pharaonis: quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat, &c. Et quamuis, quale cor quis habeat ad malum ſuo fiat vitio, quod inoleuit ex Arbitrio voluntatis. Vt tamen huc vel illuc moueatur, cauſis fit quibus Animus propellitur. Quæ cauſæ vt exiſtant, vel non exiſtant, non eſt in hominis poteſtate: ſed veniunt ex occulta Prouidentia, iuſtiſſima planè, & ſapientiſſima.* Quæſt. 8. in Caput 7. Ioſue. *Non eſt credendum alium pro alio poſſe damnari ſed puniri tantùm pœnis temporalibus. Simul etiam oſtenditur quantò connexa ſit in populi ſocietate ipſa vniuerſitas: vt non in ſeipſis ſinguli, ſed etiam tanquam partes in toto exiſtimentur, &c.*

Confirmatio Doctrinæ Auguſtinianæ.

1. A 12. Summis Pontificibus: *Innoc.* 1. *Zoſimo, Bonifacio* 1. *Sixto* 3. Coæuis *B. Aug.* Vt patet ex Scriptis reciprocis, velut Oraculis. 2. *Retract.* 58. & 61. *Epiſt.* 90. 91. 92. 93. 95. 96. 97. 104. 105. 106. *Et ex B. Proſpero contra Collatorem Cap.* 21. *A Cæleſtino* 1. ex eius Epiſtola ſupra & ex *B. Proſpero* eodem *Cap.* 21. contra *Coll. A Gelaſio* 1. in Conc. 70. Epiſcoporum Ab *Hormiſda* Papa Epiſtola ad *Poſſeſſorem* Epiſc. *De Arbitrio libero, & gratia Dei quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeueret Eccleſia: licet in varijs libris B. Auguſtini, & maxime. Ad Hilarium, & Proſperam poſſet cognoſci, tamen in Scrinijs Eccleſiaſticis expreſſa Capitula continentur.* A *Felice* 4. & *Bonifacio* 2. Vt patet ex *Conc. Arauſicano*, ab illo inchoato, ab hoc Confirmato. A *Ioan.* 2. Epiſtola ad quoſdam Senatores. *S. Auguſtini Doctrinam ſecundùm Prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana ſequitur, & ſeruat Eccleſia. A S. Gregorio Magno Epiſt.* 37. Lib. 8. Regiſt. *Si delicioſo pabulo cupitis ſaginari: B. Auguſtini Opuſcula legite; & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem non quæratis.* A *Clemente* 8. Viuæ vocis oraculo in publica Congregatione de Auxilijs gratiæ. Imo & *Pio* 5. *Gregorio* 13. *Vrbano* 8. *Innoc.* 10. Vt patet ex eorum Cenſuris, & cura, & Prouidentia ne Doctrina B. Auguſtini truncis indicibus, aut propoſitionibus, à ſuo vero, ac integro ſenſu deprauetur.

2. A Varijs Concilijs Generalibus, & Prouincialibus. Vt A *Conc. Carthaginenſi* 286. Epiſcoporum contra 279. Pſeudo-Epiſcopos Donatiſtas; & alio *Numidiæ* contra eoſdem; ſub directione, & Doctrina *B. Aug.* Ab alio *Concil. Carthaginenſi*, & *Mileuitano* contra Pelagianos. Vt patet ex Epiſtolis illorum *Conc.* ſupra & ex aſſumptis verbatim ſententijs *B. Aug.* in Canones Fidei. Illud autem *B. Aug.* Epiſt. 110. *Curam Scripturarum mihi Patres & Fratres Coëpiſcopi duobus Concilijs Numidiæ & Carthaginis imponere dignati ſunt*: Poteſt referri vel ad illa duo contra Donatiſtas, vel ad hæc contra Pelagianos. De quo *B. Proſper* contra ingratos gratiæ Dei. *Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumq; Auguſtinus erat.* Ab *Arauſicano* 2. contra ſemi-Pelagianos, ex Doctrina *B. Aug.* verbatim in Canones Fidei aſſumpta. A *Conc. Romano* 70. Epiſcoporum, ſub *Gelaſio* Papa. A 5. *Synodo* Generali ſub his verbis: *Sequimur per omnia Auguſtinum, & ſuſcipimus omnia quæ de recta fide, & condemnatione Hæreticorum expoſuit.* A *Conc. Florentino* Generali & Oecumenico *Seſſ.* 7. his verbis. *Auguſtinum Illuſtriſſimum Latinorum Doctorum* 5. *Synodus conſecrauit*. .i. quo ad Doctrinam, vt ſupra. A Sacro *Conc. Trid. Seſſ.* 4. referendo totum Canonem ſacræ Scripturæ ex *B. Auguſt.* Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana Cap. 8. *Seſſ.* 5. & 6. reſumendo etiam verbatim Doctrinam & Canones fidei de peccato originali & iuſtificatione, ex *Conc. Mileuitano & Arauſicano*, ac *B. Aug.* Et concludendo hæc præclara coronide Auguſtiniana ex Epiſt. *Cæleſt.* Papæ cap. 11. *Abſit tamen vt Chriſtianus Homo in ſeipſo confidat, vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta eſt erga omnes Homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

3. Ab omnibus Sanctis Patribus, & Doctoribus Coæuis, vel poſterioribus *B. Aug.* Vt à *S. Hier. Epiſt.* 25. ad *B. Aug. Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atq; ſufficiunt & quod ſignum maioris gloriæ eſt, omnes Hæretici deteſtantur* A *S. Paulino* Epiſt. 31. Ad B. Aug. *O verè*

ſal

ſal terræ: quo præcordia noſtra condiuntur! O lucerna dignè ſuper Candelabrum Eccleſiæ poſita! A *Seuero* Abbate *Epiſt.* 37. Ad B. Aug. *O verè artificioſa Apis Dei, conſtruens fauos diuini Nectaris plenos.* A *Voluſiano* Epiſt. 2. ad B. Aug. *In alijs Sacerdotibus toleratur inſcitia: at cùm ad Antiſtitem Auguſtinum venitur, legi deeſt quicquid contigerit ignorari.* A *Poſſidio* de vita *B. Aug. Cap.* 18. *& Epiſt. Ad Macedonium.* Auguſtinus Pater Patrum, Doctor Doctorum, Abyſſus Sapientiæ. A *B. Proſpero* Epiſt. ad *B. Aug.* ſupra, & libro 388. Sententiarum ex *B. Aug.* Libris 4. pro eius Doctrina contra Semi-Pelagianos, ſub hac præfatione. *Doctrinam quam S. memoriæ Aug.* contra Pelagianos Inimicos gratiæ Dei, & liberi Arb. decomptores, per multos annos Apoſtolicè aſſeruit, litteriſque mandauit: quibuſdã viſum eſt reprehendere, &c. *Lib.* 4. *cap.* 1. Gratiam Dei quidam dicere audent à *S. Aug.* non rectè eſſe defenſam, &c. Quorum domeſtica malignitas non minùs ſpernenda eſt, quàm hæretica loquacitas. *Infra.* Viginti amplius annis contra Inimicos gratiæ Dei Catholica Acies huius viri ductu pugnat, & vincit, &c. Cur de his armis quibus fides eſt defenſata, cauſantur? An victores diſplicent, & victi placent. *Cap.* 11. En cuius dogmatis ſunt Magiſtri, qui hanc Paſtoralis ſpeculæ validiſſimam turrim,, crebrâ Pelagiani arietis illiſione pulſauerint, &c. Tunc iſtorum machinæ fractæ ſunt, quando *B. memoriæ Innoc.* nefandi erroris Capita Apoſtolico mucrone percuſſit, &c. Quando Africanorum Conc. Decretis B. recordationis Papa *Zoſimus* ſententiæ ſuæ robur annexuit, &c. Quando S. memoriæ Papa *Innoc.* contra inimicos gratiæ Dei Regijs etiam vtebatur Edictis: & cùm eſſet doctiſſimus, *B. Auguſtini* reſponſa poſcebat. Vnde & Ven. memoriæ Pontifex *Cæleſtinus*, *Cæleſtium* totius Italiæ finibus iuſſit extrudi, &c. Ab hoc eodem morbo *Britannias* liberauit, &c. Per hunc Virum etiam Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt, &c. Per hũc Virum intra Gallias iſtis ipſis qui S. memoriæ *Aug*: ſcripta reprehendunt, maleuolentiæ eſt adempta libertas.] Subdit quæ ſupra ex Epiſtola *Cæleſtini. Infra.* Apoſtolica Sedes quod à præcognitis ſibi non diſcrepat cum præcognitis probat. *Epiſt. ad Ruſinum.* Non ſolùm Romana Africanaque Eccleſia, ſed vniuerſi promiſſionis Filij, cum Doctrina *S. Aug.* vt in tota fide, ita in confeſſione gratiæ congruunt. A *S. Fulgentio* lib. 2. De Prædeſt. & Gratia, *B. Aug. non ſolùm de Pelagianis victoriam referens triumphauit*: ſed poſteris certandi, & vincendi ordinem oſtendit, ſi quando victa prauitas recidiuo auſu infandum caput erigere niteretur. A Card. Baron. in Appendice *Tom.* 10. *pag.* 965. *edit. Plant.* Sedes Apoſtolica profeſſa eſt ſe probare Sententiam *B. Aug.* de gratia & lib. Arb. *Card. Perronio* contra Regem Brittanniæ, vbi vocat *B. Aug.* maximum poſt Apoſtolos Doctorem Prædeſtinationis, & Gratiæ, ac linguam veteris Eccleſiæ. A *Card. Bellar. lib.* 2. *De gratia & lib. Arb. cap.* 12. Gelaſius in Conc. 70. Epiſcoporum non ſolùm probauit omnia ſcripta *S. Aug.* & *S. Proſperi*: ſed etiam conſtãt damnauit libellos *Ioannis Caſſiani*, *& Fauſti Regienſis*, *&c.* Itaque Sedes Apoſtolica non tantùm ſemel, ſed & ſecundò, & tertiò aduerſus Pelagianorum reliquias pro defenſoribus gratiæ, & Prædeſt. ſententiam tulit: vt iam hæc Sententia non Doctorum Opinio, ſed Fides Eccleſiæ Catholicæ dici debeat. A P. *Suarez Prol.* 6. *cap.* 6. De gratia. *Apoſtolica Sedes* S. Aug. *Doctrinam de gratia, in his quæ ad Dogmata pertinent, ſuam effecit, &c. Hinc quicquid* Aug. *de gratia docet, quod cum illis Eccleſiæ definitionibus eſt neceſſariò connexum omnino ſequendum, & tanquam certum tenendum eſt; quia totùm illud licet non expreſſè, virtute eſt ab Eccleſia probatum. Addimus quicquid in hac materia* Aug. *vt certum affirmat, & ad dogmata Fidei pertinens, à quolibet prudente, & erudito Theologo eſſe tenendum, ac defendendum; etiamſi non certò conſtet eſſe ab Eccleſia definitum. Tum quia, cum Eccleſia in hac materia, tantum detulerit* Auguſtino, *magna eſſet temeritas priuati Doctoris ei contradicere, &c. Tum quia nihil tam admirandum, & ſuſpiciendum Eccleſiæ reddit* Auguſtinum, *quàm Doctrina de gratia. At ſi in ea explicanda aliquando fuiſſet in errorem lapſus: immeritò Eccleſia tam fidenter Iudicium eius in hac doctrina fuiſſet ſecuta. Quod impium eſſet cogitare. Vnde concludo non tantùm in rebus quas* Aug. *certas exiſtimat: ſed etiam in omnibus, quæ tanquam ſtabiliora conſtanter, & vbiq; amplectitur, ſententiam eius eſſe præferendam, niſi communis Patrum, & Eccleſiæ Authoritas obſtare videatur. Quod rarò, vel nunquam continget.* A. P. *Vaſquez in* 1. *p. diſp.* 89. *c.* 1. *multo melius eſt cum* Aug. *quàm cum alijs ſentire: qui in materia de gratia, & Prædeſt. inter cæteros Patres, non aliter quàm ſol inter minora ſydera præfulget.* Cap. 4. *In hac materia vnus pro multis mihi erit ſemper* Aug. Diſp. 91. c. 9. *Quid mirũ ſi Patres Græci qui cũ Pelagio parum diſputarãt non tã exactè ſenſerint de gratia ſicut* Aug.

4. Ab ipſorum hoſtium ſeu hæreticorum extorta Confeſſione. Vt patet ex *Poſſidio* de vita S. *Cap.* 7. Proſpero, & Hilario ſupra, imò ex *Melanchtone* Lutheranorum Moderatore. *In Scholâ noſtra gratam* Aug. *mentionem eſſe decet: cuius doctrina neceſſaria eſt Eccleſiæ.* Et ex ipſo *Cal.* lib. 3. Inſtit. c. 3. l. 4. c. 14. *Vnus Auguſtinus ſufficere poteſt: Ex illo igitur ſumant Lectores, ſi quid de ſenſu Antiquitatis habere certi voluerint.*

QVÆSTIO VIII.

An, & quomodo conciliari poſſint Doctores noſtri & omnes Catholici, tam inter ſe, quàm cum B. Aug. & hic ſecum ipſo, ac Conc. Trid. & Cenſuris Pij 5. diſcernią; ab omni praua Doctrina, De Natura, Anima, Libero Arb. Gratia, Peccatis, & Meritis? Sub qua forma, & ad quem finem neceſſarium non poteſt hæc Quæſtio pati vllam cenſuram aut calumniam.

Reſp. 1. *De Natura & Naturalibus.*

Ex *B. Aug. lib.* 1. *De lib. Arb. cap.* 19. Naturam hominis aliter dicimus propriè; in qua primùm in ſuo genere inculpabilis factus eſt;

eſt: aliter iſtam in qua naſcimur. 1. *Retr.* 10. Quod dixi, *Nullum eſſe malum naturale, &c.* ad naturam talem refertur, qualis ſine vitio primitùs condita eſt. Ipſa enim verè ac propriè natura hominis dicitur: tranſlato autem verbo vtimur, vt naturam dicamus etiam quali naſcitur homo. *Ephe*ſ.2. Fuimus & nos naturâ filij iræ. 1.*Retr.*15. Quod dixi, Cap. 12. *Naturâ eſſe malæ animæ nullo modo queunt, &c.* Naturam intelligi volui quæ propriè dicitur Natura, in qua ſine vitio creati ſumus. Nam iſta propter originem Natura appellatur: quæ origo vtique habet vitium contra naturam.] Quæ monitio *B. Aug.* applicanda eſt ad multas difficultates ab ea pendentes. *Lib. 26. contra Fauſt. cap.* 3. Quid ſit ſecundùm naturam, quid contra: qui vt vos errant, noſſe non poſſint. Dici autem humano more contra naturam eſſe, quod eſt contra notum naturæ vſum: nec nos negamus, vt *Rom.* 11. Deus autem Creator omnium Naturarum, nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique naturale, quod ille fecerit: à quo eſt omnis Modus, Numerus, Ordo Naturæ. Sed nec ipſe homo contra naturam quicquam facit, niſi cùm peccat: qui tamen ſupplicio redigitur ad naturam .i. ad ordinem naturalem Iuſtitiæ, &c. Sed contra Naturam non incongruè dicimus Deum facere: cùm facit contra id quod nouimus in Natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis curſum, ſolitumque Naturæ: contra quem Deus cùm facit, magnalia, vel mirabilia, nominantur. Contra illam verò ſummam Naturæ legem, tam Deus nullo modo facit, quàm contra ſeipſum non facit, &c. Vt & *lib.* 3. *Trin.* 4. ſupra, *col.*201. *lib.*6. *in Gen. cap.*13. Nec iſta cùm fiunt contra Naturam fiunt: niſi nobis quibus aliter Naturæ curſus innotuit; non autem Deo. cui eſt hoc natura, quod fecerit. *Cap.* 14. Dei voluntas rerum neceſſitas eſt. *Lib.* 9. vt ſupra *Col.* 202. 364. ſpecialiter. *Cap.* 18. Habet Deus in ſeipſo abſconditas quorundam cauſas, quas rebus conditis non inſeruit: eaſque implet, non illo opere Prouidentiæ quo Naturas ſubſtituit vt ſint; ſed illo quo eas adminiſtrat vt voluerit, qui ipſas vt voluit condidit. *Ibi eſt & gratia per quam ſalui ſunt peccatores. Nam quod attinet ad Naturam, iniqua ſua voluntate deprauatam: recurſum per ſemetipſam non habet, ſed per Dei gratiam, quâ adiuuatur, & reſtauratur* .i. Non poteſt, vt aliæ rerum Naturæ, per ſe reſtitui in ſuum ſtatum integrum, ſiue in eodem, ſiue in ſingularibus eiuſdem Naturæ. *Lib.* 12. *Ciu. c.* 2. Deus naturas eſſentiarum gradibus ordinauit, &c. *c.* 3. Natura igitur non eſt contraria Deo, ſed vitium. *c.* 5. Naturæ omnes habent ſuum modum, ſpeciem, & quandam ſecum pacem. *C.* 25. 26. & *lib.* 21. *c.* 7. & 8. vt ſupra, *Col.* 202. 203. *lib.* 3. contra Max. *Cap.* 15. *Nos*, inquis, *in Deo Patre Naturam non accipimus, &c.* Putatis quòd à naſcendo Natura ſit dicta? Scitote quòd quæque res eſſe dicitur per ſubſtantiam, hoc eſſe per naturam. Si non putatis filium eſſe dicendum eiuſdem naturæ cuius eſt Pater: dicite eiuſdem cuius Pater eſt ſubſtantiæ. *In Pſal.* 78. *Enar.* 1. Naturæ ipſæ ſubſtantiæ dicuntur. *Lib.* 15. *Trin. cap.* 5. Quæ vita dicitur in Deo, ipſa eſt Eſſentia eius, atque Natura.] Ex his & plurimis alijs, patet Naturam ſumi ab *Aug.* 1. Pro ipſa eſſentia rei. 2. A naſcendo, ſeu ab ortu naturali, prout opponitur voluntario. Hinc 5. *Trin.* 15. Spiritus S. procedit, *non quomodo natus, ſed quomodo datus.* 3. Propriè, pro Natura creata, vt à Deo eſt inſtituta, quoad vim agendi, & patiendi. Quæ propriè Natura dicitur, prout opponitur vitio, ſeu defectui naturæ ab illa prima ſua Inſtitutione. Ex qua inaduertentia *D. Michael Baius* in tanta Doctrinæ copia, à vero ſenſu *B. Aug.* aberrauit, *Prop.* 1. 7. 9. 21. 23. 26. 58. & pluribus alijs: imò & à vero ſenſu ſacræ Script. Suppoſuit enim pro certo in ſua Apologia ad *Prop.* 9. nomen gratiæ in tota ſacra Script. non vſurpari niſi pro dono collato indignis, non tantùm negatiuè, ſed etiam priuatiuè aut contrariè, ſeu peccatoribus, quatenus tales ſunt, aut fuerunt. Cùm tamen ſacra Script. tam expreſsè reclamet. *Luc.* 1. Aue gratiâ plena. Imò *Ioan.* 1. de Chriſto: *Plenum gratiæ & veritatis, &c.* Et *B. Aug.* 12. *Ciu.* 9. Deus ſimul in Angelis condens naturam, & largiens gratiam. *De Corrept. & Gratia cap.* 11. Nec ipſum *Adam* voluit eſſe ſine ſua gratia. *Epiſt.* 95. 105. Diſtinguat gratiam naturalem qua creati ſumus, à gratia ſupernaturali, quâ Iuſti, ſeu recti creati ſumus. Et *Conc. Arauſ. Can.* 19. profiteatur Naturam humanam non potuiſſe in ſua prima integritate ſine gratia Dei permanere. Hinc quia peccato *Adæ* Natura humana in ipſo priuata fuit gratiâ primæ conditionis: *vt ipſe meliores ſe gigneret, non erat æquitatis.* 3. *De lib. Arb.* 20. ſed potiùs lege naturali ſibi ſimiles, ſeu *in ſimilitudinem Præuaricationis Adæ*, *Rom.* 5. i. ſimiles in culpa Originali, & Concupiſcentia; de qua infra. Porro, lege ordinaria, ex *B. Aug.* 7. *Ciu.* 30. Deus ſic adminiſtrat omnia: vt etiam ipſa proprios agere motus ſinat. *Et* 9. *in Gen.* 18. Natura ſua voluntate deprauata recurſum ſeu reſtitutionem in integrum per ſemetipſam non habet; ſed per Dei gratiam. Ergo Deus non præbet Naturæ vitiatæ vllum auxilium contra, & ſupra eius vitium, ſeu concupiſcentiam: niſi ex aliqua gratia ſupernaturali, per Chriſtum reſtituta, ſeu ſupra omne meritum, dignitatem, diſpoſitionem, aut exigentiam actiuam, vel paſſiuam talis Naturæ vitioſæ. Nec tamen omnia dona primæ conditionis erant naturalia, aut connaturalia Naturæ humanæ necdum vitiatæ: vt prætendebat *D. Baius* varijs *Prop.* ſupra. Sed quæ erant ſupra neceſſariam perfectionem eſſendi, & operandi, corpore, & animo, ad finem naturalem, ſeu conſeruationem & exercitationem talis Naturæ: erant ei gratuita, & ſupernaturalia, vt primo ſubiecto, omnique eius actiuitati, & diſpoſitioni; non autem primo eius ſtatui habituali, gratuito, & ſupernaturali, qui exigebat gratias actuales tali ſtatui connaturales, vel potiùs conſupernaturales. Hinc *B. Aug. lib.* 1. *De Peccatorum meritis, & Remiſſ. cap.* 11. Regnauit mors ab *Adam*, in eos qui peccauerunt originaliter *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*: vel non peccauerunt actualiter, *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ* .i. *vt ei ſimiles crearentur, ſicut ex Homine homines; ita ex Peccatore peccatores, ex mori-*

niſi Deus adſit lux mentium. *Epiſt.* 56. ad *Dioſcorum.* Primum peccatum, ſeu voluntarius defectus, eſt gaudere ad propriam poteſtatem. Ad minus enim gaudet, quàm ad poteſtatem Dei, &c. *Epiſt.* 59. Ad *S. Paulinum*, q. 7. Sed ex profeſſo.

Epiſt. 89. *B. Aug.* ad 6. Quæſt. Hilarij, de qua *S. Hier.* ſupra. *Ad* 1. Vtcumque tolerandi ſunt, quando dicunt eſſe vel fuiſſe hîc aliquem præter vnum Sanctum ſanctorum, qui nullũ habeat omnino peccatum. *Ad* 2. Valet liberum Arb. ad bona opera, ſi diuinitùs adiuuetur, quod fit humiliter petendo, & faciendo: deſertum verò diuino adiutorio, qualibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit iuſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem ſuperbiæ, &c. Non itaque de ſuis viribus præſumat ægrotus: ne vires iſtæ non ſint quales ſolent eſſe ſanorum, ſed phræneticorum. Voluntas tantò erit liberior, quantò ſanior: tantò ſanior, quantò gratiæ ſubiectior, &c. *Non concupiſces, &c.* Animus quippe amore velut pondere fertur: iubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, &c. Satiùs eſt quemque minùs habere quod à Deo petat, quàm plus quod ſibi tribuat: quia expedit ab imo ſurgere, quàm ab alto cadere, &c. Liberum Arb. ideo iuuatur quia non tollitur. Niſi petiſſet continentiam, *Sap.* 8. quantùm poſſet voluntas? Quia etſi poſſit antequam petat, quid ei prodeſt? *Ad* 3. Quem fortè inuenerint infantem non ex illius vnici hominis concupiſcentia procreatum, *Rom.* 5. Ipſum dicant illi damnationi non eſſe obnoxium, &c. Libertas ſine gratia non eſt libertas, ſed contumacia.

Ex *Epiſt.* 105. *B. Aug.* ad *Sixtum* tunc Præsbyterum, poſtea Papam: contra Pelagium. Ad quam ſe refert *lib. De bono perſeuer. Cap.* 21. Triſtes eramus nimis, cùm fama iactaret te inimicis Chriſtianæ gratiæ fauere: ſed te priorem anathema eis pronuntiaſſe eadem fama non tacuit, &c. Putant auferri ſibi liberum Arb. &c. Non intelligũt non ſe illud firmare: ſed impellere vt per inania feratur, ſi non in Domino tanquam in petra ſtabili collocetur, &c. Parum attendunt, acceptionem nullam fieri perſonarum, vbi omnes vna eademque maſſa damnationis inuoluit. *Infra.* Reſpondent, gratiam ſine vllis meritis, eſſe ipſam humanam naturam. Abijciatur à Chriſtianorum cordibus iſta fallacia: nam non iſtam gratiam commendat Apoſtolus quâ creati ſumus; ſed quâ iuſtificati. Iſta enim eſt gratia per IESVM Chriſtum, *Rom.* 7. Etenim Chriſtus non pro nullis vt homines conderentur: ſed pro impijs mortuus eſt vt iuſtificarentur, &c. *Infra.* Inexcuſabilis eſt omnis peccator: vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis: ſiue qui nouit; ſiue qui ignorat; quia ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem qui non potuerunt pœna peccati eſt. Nam ſi excuſatio illa iuſta eſſet non inde gratia, ſed iuſtitia liberaret. Cùm verò non liberat niſi gratia: nihil iuſtum inuenit in eo quem liberat; non voluntatem, non operationem, non ſaltem ipſam excuſationem. Verùm iſti totas vires argumentationis humanæ in paruulis perdunt. Quam quæſo allaturi ſunt cauſam, quod alius baptizatus hinc exeat, alius prius expiret? An hoc fato, vel fortunæ daturi ſunt? Nunquid ſibi ipſe ſibi parentes infideles, vel negligentes elegit? O altitudo! &c. *Rom.* 11. Quid Deus diligebat in Iacob, antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Quid oderat in Eſau antequã feciſſet aliquid mali: niſi originale peccatum? *Futura*, inquiunt, *opera præuidebat.* Quis illum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hîc erat locus vt diceret quod iſti ſentiunt: non autem hoc dixit; ſed *non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Vbi nunc merita vel præterita, vel futura? Nonne apertam protulit ſententiam? Nonne ſtultam fecit Deus hæreticorum ſapientiam? *Sed*, inquiunt, *Deus in eis quos hinc aufert, præuidet quemadmodum victurus eſſet quiſq; ſi viueret: & ideo quem nequiter nouit fuiſſe victurum, ſine Baptiſmo facit mori, &c.* Si quæ commiſſa non ſunt mala puniantur falsò pollicentur paruulos qui ſine baptiſmo moriuntur in damnationem non ituros, &c. Cur eorum qui baptizantur quidam diu peſſimè viuunt? Quid præſtatur ei qui *Sap.* 4. Rapitur ne malitia mutet intellectum eius: ſi iuſtè etiam puniantur, quæ fuerat viuendo facturus? Poſtremò quis neget per baptiſmum poſſe dimitti, quæ ſine baptiſmo dicit poſſe puniri? Videntur ſibi acutiſſimè dicere: *Quomodò peccatum tranſit in filios fidelium?* Quaſi poſſit non habere generatio carnalis, quod ſola tollit regeneratio ſpiritalis, &c. Quia fidelis eſt Deus in verbis ſuis, eius Eccleſia nullo modo fallaciter paruulos in remiſſionem peccatorum baptizat: ſed vt fide agatur quod agitur, fit vtique quod dicitur, &c. Dicunt, *veraciter reſpondere paruulos per ora geſtantium, &c. quia credunt quod in Eccleſia, vel in baptiſmo peccata remittantur in quibus inueniuntur, &c.* Fieri quidem poteſt quod hæc verſipellis aſtutia ſubtiliùs, & acutiùs ex ocio refellatur: verùm non inueniunt quid ad hoc reſpondeant, quod infantes exorcizantur, & exſufflantur.

Epiſt. 106. *B. Aug. & Alipij, ad Bonifacium*, vel ad Paulinum Coëpiſcopum: Contra Pelagium. Ad quam etiã *B. Aug.* ſe refert. *cap.* 21. *de dono perſeuer.* Pelagium quem credimus, vt ab eo diſtingueretur qui Tarenti diceretur, Britonem fuiſſe cognominatum: quod vt ſeruum Dei dilexeris, nouimus, &c. Literis ad tuam venerationem datis, dicit ſe non ſine gratia Dei defendere liberum Arb. cùm poſſibilitatem volendi atque operandi à Creatore nobis inſitam doceret, &c. Si per naturam iuſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, *Gal.* 2. Miſſæ ſunt de hac re ex duobus Concilijs, Carthaginenſi, & Mileuitano, relationes ad Apoſtolicam ſedem: antequam geſta Eccleſiaſtica quibus apud Epiſcopos Paleſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in noſtras manus, vel in Africam perueniſſent. Scripſimus etiam ad B. memoriæ Papam Innocentiũ, litteras familiares, ſupra *Epiſt.* 95. Ad omnia nobis ille reſcripſit, eo modo quo fas erat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem, ſupra *Epiſt.* 96. Fides vera, & Catholica tenet ſemper Eccleſia, quod gratia Dei per Ieſum Chriſtum puſillos cum magnis à morte primi hominis tranſfert ad vitam

ſecundi,

Digitized by Google

ſecundi: non ſolùm peccata delendo, verùm etiam ad non peccandum rectéque viuendum ſic adiuuando; vt niſi adiuuet, nihil pietatis atque iuſtitiæ ſiue in opere, ſiue in ipſa voluntate habere poſſimus. Ex *Phil.* 2. 1. *Cor.* 4. *Pſal.* 58. *Luc.* 15. Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur: gratiſſimè confitemur, &c. Nec dicant ſibi: ſi ex fide, quomodo gratis? 1. *Cor.* 4. Quid habes quod non accepiſti? Cùm ergo fides impetrat iuſtificationem: non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani; ſed ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pediſſequa non præuia volũtate, &c.] De maiori gratia infantium abſque vlla eorum voluntate. [Nouit ille quid agat, & quantus numerus debeat eſſe primitùs omnium hominum, deinde ſanctorum: ſicut ſyderum, ſicut Angelorum, ſicut denique foliorum, capillorumque noſtrorum, &c. Cæteri autem homines, quorum quicquid natura eſt præter vitium. Dei bonitas operata eſt: à Deo præſciente creati ſunt, vt in his oſtenderet, liberum deſertoris Arb. ſine gratia ſua quid valeret, & vaſa miſericordiæ quid ſibi collatum eſſet, addiſcerent, &c. Quod ad Hieruſalem nolentem colligi filios ſuos Chriſtus clamabat, *Matt.* 23. Hoc nos clamamus aduerſus eos qui volentes filios Eccleſiæ colligi nolunt, &c.] Contra omnia obiecta à Pelagio, & anathematizata in Synodo Palæſtina. [Nec in libris recẽtioribus quos *Pelagius* dicitur edidiſſe: quid de hac re ſentiat ſatis euidenter apparet. Aliquando enim ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit: vt aliquàtùm etiam ad non peccandum valere definiat. Quòd ſi ita eſt, nullus locus adiutorio gratiæ reſeruatur: ſine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis Arbitrium valere. Aliquando autem quotidiano gratiæ Dei muniri nos confitetur auxilio: quamuis habeamus ad non peccandũ fortè ac firmum liberum Arb. quod vtique inualidum ac infirmum debuit confiteri, &c. Alio loco, ait, *Dei gratiam ab hominibus dari: vt quod facere per liberum iubentur Arb. faciliùs poſſint implere per gratiam, &c.* Vbi eſt ergo, *Pſal.* 8. Quid eſt homo? 1. *Cor.* 15. Non ego, ſed gratia Dei mecum. *Rom.* 9. Non volentis, &c. *Pſal.* 126. Niſi Dominus, &c. Quomodo quod Deus iubet, ſine adiutorio ipſius vel difficilè impletur? Quanquam illa poſſibilitas liberi Arb. tam in bonum, quàm in malum, ex æqua lance perpenſione, huic facilitati locum relinquit, quam ſaltem videtur eſſe confeſſus dicendo, *faciliùs poſſunt implere per gratiam.* Faciliùs impletur per gratiam bonum, facillimè autem ſine gratia fit malũ: profectò iſta poſſibilitas non æqua lance perpenditur. Sed quid plura? Plus eis præſtamus ſi vt corrigantur oremus, ne cum tantis ingenijs pereant, vel alios perdant. Caueant ergo ne per ſapientiam verbi euacuent crucem Chriſti. Natura enim humana etiamſi in illa integritate in qua cõdita eſt permaneret: nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret. Cùm igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire quàm accepit: quomodo ſine Dei gratia poteſt reparare quam perdidit?

Epiſt. 107. B. Aug. ad Vitalem: ex V. Beda in *Gal.* 1. & 3. *Epheſ.* 1. 2. *Phil.* 1. Quomodo dicis, vt rectè credamus in Deum, non eſſe donum Dei? Cùm *Phil.* 2. Deus operetur in nobis & velle, & perficere. Reſpondes, *Per Legem ſuam, per Scripturas ſuas Deum operari vt velimus, &c. ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere. Operatur quippe*, vt dicis, *quantum in ipſo eſt, &c.* Exerce cõtra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, &c. *Infra.* Si ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantùm legem ſuam atque doctrinam libero eius adhiberet Arb. nec vocatione illa alta atque ſecreta ſic eius ageret ſenſum, vt eidem legi atque doctrinæ accommodaret aſſenſum: procul dubio eam legere, vel intelligere ſufficeret, nec opus eſſet orare, &c. Orationem Dominicam noſti, &c. Lege Expoſitorem eius *B. Cypr.* docebit te orare pro infidelibus, &c. Mendaciter igitur agimus gratiam Patri, *Coloſſ.* 1. tanquam ipſe faciat, quod ipſe non facit, &c. Si fateris orandum pro infidelibus, vt eius gratiâ fideles fiant, &c. ſic & Dei gratia non negatur, & liberum ita defenditur Arb. vt humilitate ſolidetur, non elatione præcipitetur, &c. De poteſtate tenebrarm eruuntur & paruuli, cùm regenerantur: neque hoc apparet in eorum arbitrio liberato, niſi cùm ad annos peruenerint ratione vtentis ætatis, habentes conſentientem doctrinæ ſalutari in qua nutriti ſunt voluntatem, & in ea finientes vitam iſtam, ſi Electi ſunt, &c.] De tentatione Diaboli, præcipuè contra fidem: & de gratia Chriſti ad credendum. [Deus vt omnia futura opera ſua in prædeſtinatione præſciuerit, ſic illa diſpoſuit, vt quoſdam non credentes ad fidem ſuam orationes credentium pro eis exaudiendo conuertat, &c. Non enim oramus pro infidelibus vt fiat eorum natura .i. vt homines ſint, aut vt doctrina eis prædicetur: ſed vt voluntas corrigatur, doctrinæ conſentiatur, natura ſanetur. Vt verò perſeuerent, etiam pro ſeipſis orant fideles, &c. Quidam non perſeueraturi, perſeueraturis Dei prouiſione vel permiſſione miſcentur: quibus cadentibus territi, cum timore & tremore gradiamur viam iuſtam, &c. Sed de hac re .i. cur quidam non permanſuri dimittantur hic viuere donec cadant, &c. quærat quiſque vt potuerit; & ſi inuenerit aliam probabilem rationem, à recta fidei regula non recedens; teneat eam, & ego cum illo, ſi me non latuerit, &c.] De duodecim credendis contra Pelagium, vt ſupra.

[Quòd omnes homines vult Deus ſaluos fieri, 1. *Tim.* 2. cùm tam multi ſalui non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus nõ vult: ſine vlla caligine manifeſtatur in paruulis, &c. Vt omnes in Chriſto viuificabuntur, 1. *Cor.* 15. cùm tam multi æterna morte puniantur: ita Deus vult omnes homines ſaluos fieri, 1. *Tim.* 2. quia non niſi ipſo volente ſalui fiunt. Et ſi quo alio modo illa verba intelligi poſſunt: vt tamen huic veritati in qua videmus tam multos volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſaluos non fieri, contraria eſſe non poſſint.

Epiſt. 142. Non eſt *B. Aug.* nec *S. Hier.* ſed ipſius *Pelagij* ad *Demetriadem* Virginem. Vt patet ex *B. Aug. lib. De gratia Chriſti* ſupra, à *Cap.* 36. ad 43.

ad 43. & *Epiſt.* ſequenti 143. *B. Aug. & Alipij ad Iulianam* viduam, Matrem *Demetriadis*, contra illam *Pelagij.* [Non ſanè paruus eſt error illorum, qui putant ex nobiſipſis nos habere ſi quid iuſtitiæ, continentiæ, pietatis, caſtitatis in nobis eſt, &c. naturam atque doctrinam definientes tantùm eſſe gratiam Dei, &c. Quomodo ergo à vobis admonendis diſſimulare poſſemus: cùm legiſſemus librum ad S. Demetriadem? Pel. *Cap.* 11. *Spirituales diuitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his iure laudanda es, quæ niſi ex te, & in te eſſe non poſſunt, &c.* Avg. Hæc Dei dona ſunt, & veſtra quidem ſunt: ſed non ex vobis, 2. *Cor.* 4. Nam & panem quotidianum dicimus noſtrum: ſed addimus, *Da nobis*, ne putetur eſſe ex nobis. *Sap.* 8. Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det. Vnde precabatur continentiam, vt eſſet in illo, quod ſciebat non eſſe ex illo: * aut ſi propter liberum Arb. proprium, aliquantùm & ex illo; non tamen niſi ex illo. Iſte autem non ait; *In te, & ex te eſſe poſſunt*: ſed, *niſi ex te & in te eſſe non poſſunt, &c.* Qui bonum quod ex Deo eſt, negat eſſe ex Deo: neſcimus cui faciat iniuriã niſi Deo. *Epiſt.* 144. *S. Aug. ad Anaſtaſium*, pro amore iuſtitiæ, contra timorem pœnæ. *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quis coram Deo innocens inuenitur: qui vult fieri quod vetatur ſi ſubtrahis quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt: nam quantum eſt in ipſo, mallet non eſſe iuſtitiam peccata prohibentem, atq; punientem; & ſi poſſet, auferret. Inimicus ergo iuſtitiæ eſt qui pœnæ timore non peccat: amicus autem, ſi eius amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit: non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit. Tantum quippe quiſque peccatum odit, quantum iuſtitiam diligit, &c. Tunc fit quòd* Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra iniquitati: ſic nunc iuſtitiæ. Vt ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido voluptaſq; peccati: ſic ad iuſtè viuendum non vos ſupplicij metus vrgeat, ſed ducat delectatio charitaſq; iuſtitiæ. Et hæc quidem nondum eſt perfecta iuſtitia. Plus quippe ſeruitutis debetur iuſtitiæ, quàm peccato ſoleant homines exhibere. Nam pœna corporis etſi non à voluntate, tamen reuocat ab opere peccandi: iuſtitia verò ſic amanda eſt, vt ab eius operibus nec pœnæ corporis cohibeant*, Rom. 8. *Quis nos ſeparabit?*

In Pſalmos pauca occurrunt contra Pelagianos: quia illud opus fuit priùs his. Vt patet ex *Epiſt.* 14. *S. Hier. ad B. Aug. cap.* 3. In *Pſal.* 31. Beati quorum, &c. *Præfatio.* Pſalmus fidei, & iuſtificationis noſtræ, nullis præcedentibus meritis noſtris, ſed præueniente nos miſericordia Dei, &c. Quæ fiunt ante fidem, quamuis videantur laudabilia, inania ſunt, &c. vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. *Enar.* 2. *Confitebor, &c.* Tolle excuſationes in peccatis, *Pſal.* 140. Cùm libero Arbitrio me creauit Deus: ſi peccaui, ego peccaui. In *Pſal.* 32. *Omnia opera eius in fide.* Ne quis ſe meritis operum perueniſſe ad fidem putet: cùm in ipſa fide ſint omnia opera quæ diligit Deus. *Conc.* 1. *Iuſtus ex fide viuit, Rom.* 1. Fides tua, iuſtitia eſt tua. Quia vtique ſi credis, caues: ſi autem caues, conaris; & † conatum tuum nouit Deus, &c. *Omnia opera eius in fide, &c.* * Teneamus fideliſſimum debitorem: quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem. *Conc.* 2. *Conſilium Domini manet in æternum.* Quis tollit prædeſtinationem Dei? Ante mundi conſtitutionem vidit nos, fecit nos, miſit nos, redemit nos. In *Pſal.* 118. *Conc.* 3. Quomodo agat homo quod ipſe non agit, *Rom.* 7. quando nequaquam voluntas noſtra conſentit. Mouetur quidem nonnullus affectus: ſed nullus ei relaxatur effectus, &c. Quæ petamus nobis dimitti, *Matt.* 6. Quantum ſapere poſſum, languoris quòd peccatum appellat Apoſt. vniuerſus reatus Sacramento Baptiſmatis eſt ſolutus. Sed non deeſt vbi deſiderijs peccati vel facto, vel dicto, vel cogitatione obediamus: * quando aduerſus maiora vigilantibus quædam incautis minuta ſubrepunt, &c. In vijs Domini, quas omnes fides vna complectitur, *Ioan.* 14. Ego ſum via; nemo peccatum operatur, ſed confitetur. Deuiat ergo cùm peccat, & ideo peccatum viæ non tribuitur, &c. *Conc.* 23 *Inclinaui cor meum, &c.* Vt diuini muneris, & propriæ voluntatis. *Conc.* 11. *Inclina cor meum, &c.* Inclinatum cor habere, eſt velle. *In Pſal.* 134. *Iacob elegit ſibi Dominus, &c.* Non ergo ſe extollat, non ſuis meritis tribuat: ante eſt præcognitus, ante prædeſtinatus, ante electus. Sic & omnes gentes, *Omnia quæ voluit Domin⁹ fecit.* Neceſſitas coegit te facere domum, non libera voluntas: Deus bonitate fecit, & nullo quod fecit, eguit. Inuenimus quòd libera voluntate faciamus: cùm ipſum Deum amando laudamus. Hoc eſt gratis amare: non quaſi propoſita acceptione mercedis, &c. *Pſal.* 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Tu in teipſo non facis quod vis: Deus dat gratiam. *Rom.* 7. Quis me liberabit? Gratia Dei, per Iesvm Chriſtum.

Ex Tractatibus B. Aug. in Ioannem. Tract. 5. *Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur*, Ioan. 8. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum: ſi quid autem homo habet veritatis atq; iuſtitiæ: ab illo fonte eſt, quem debet homo ſitire in hac eremo.* Tract. 53. *Non poterant credere: quia,* vt Eſa. 6. *excæcauit oculos, & indurauit cor eorum.* Non poterant, &c. quia nolebant. *Excæcauit, indurauit, &c.* * Hoc etiam eorum voluntas meruit. Sic enim obcœcat, obdurat Deus, &c. deſerendo, & non adiuuando; occultó iudicio, non iniquo. Non mirum eſt quia non poterant credere: quorum voluntas ſic ſuperba erat. Non poterant .i. Nolebant. Sicut quòd Deus negare ſeipſum non poteſt, 2. *Tim.* 2. laus eſt voluntatis diuinæ: ita quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ. *Tract.* 81. Quid dicitis præcipitatores liberi Arb? *Sine me nihil poteſtis facere.* Non ait parum, ſed nihil. Siue ergo parum, ſiue multum: ſine eo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. *Tract.* 41. Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati, *Rom.* 8. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum; ſed vtere ad non peccandum. Erit enim voluntas tua libera, ſi fuerit pia. Eris liber, ſi fueris liber peccati, ſeruus iuſtitiæ. *Tract.* 55. Intereſt quibuſnam mens humana conſentiat: diuino auxilio vel deſerta per meritum, vel adiuta

per

per gratiam. *Tract.* 68. Vt Deus elegit prædeſtinando ante mundi conſtitutionem, elegit vocando ante mundi conſummationem: ſie & manſiones præparauit prædeſtinando, & præparat operando. *Tract.* 86. *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi,* 1. Ioan. 15. Hæc eſt illa ineffabilis gratia: nam ſi iam credentes elegit, electos elegit. Quid ergo? Niſi quia mali eramus, electi ſumus vt boni per gratiam eſſemus. *Tract.* 89. *Si non veniſſem, &c. peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent.* Siue non acceptaretur iſta excuſatio, ſiue acceptaretur: etſi non vt ab omni damnatione liberarentur, certò aliquantò leuiùs damnarentur. *Tract. De Cantico nouo cap.* 8. Quid valeat liberum Arb. non adiutum: in ipſo Adam demonſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi: ad bonum non niſi adiuuetur à Deo.

Ex Sermonibus De verbis Domini. Serm. 29. *B. Aug. in Lucam, cap.* 8. Non vobis dicatur *Matt.* 33. Quoties volui, & noluiſti. *Serm.* 43. *B. Aug, in Ioan.* cap. 7. *Quotquot ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei* Rom. 8. Agis, ſi agaris: & benè agis, ſi à bono agaris. *Serm.* 55. *B. Aug.* Meliùs eſt in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare.

Ex Serm. De verbis Apoſt. Serm. 2. *B. Aug. contra Pelagianos cap.* 6. Sunt homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi ſauciæque naturæ. Verum eſt, magnas liberi Arb. vires homo cùm conderetur, accepit; ſed peccando amiſit. *Cap.* 8. Diſcute bona merita tua & videbis, quia dona ſunt Dei. *Serm.* 3. *B. Aug. contra Pelagianos. Cap.* 10. Non ſufficit vt velis, adiuuandus es, vt plenè velis, vt impleas quod velis. *Cap.* 11. Cancellos tibi fecit lex: vt non inueniendo quà exires, ad gratiam conuolares. *Serm.* 4. *B. Aug. contra Pelagianos cap.* 5. Minor erat concupiſcentia ante legem: nunc autem oppoſitis tibi obicibus legis, creſcente impetu obruit te obicibus ruptis. *Cap.* 7. Spiritus tuus non ſe continet, ſi non continetur, &c. *Serm.* 5. *B. Aug.* Quod nolo facio, *Rom.* 7. Ipſum enim agere, concupiſcere eſt, non conſentire. *Serm.* 10. *B. Aug.* contra eoſdem *cap.* 5. Si te Deus fecit hominem, & tu te feciſti bonum: quod tu feciſti, melius eſt. Subde te Deo. *Serm.* 8. *B. Aug.* Quid te committis tibi? Meliùs te poteſt ſeruare, qui te potuit creare. *Serm.* 11. *B. Aug.* contra eoſdem. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos, vt iuſti eſſemus.* Primus homo creatus erat rectus, non ſe fecit rectum; cadēs à manu figuli fractus eſt. Seruare ſe non potuit bonus bonum: & facturus eſt ſe malus bonum? Natura non putetur gratia, niſi vt gratis data, &c. Hæc eſt maior gratia, quòd fideles facti ſumus, &c. *Non*, inquit, *contra gratiam Dei diſputo ſed liberum Arb. defendo, &c.* Eſt liberum Arb. ſed nihil valet ſine gratia. *Serm.* 12. *B. Aug.* contra eoſdem *cap.* 3. Quòd caro concupiſcit, meum eſt: & quòd ei non conſentio tuum eſt. *Pars aliquantùm libera*, deſiſtit reliquijs ſeruitutis. Totum ſanum ſit volo, quia totus ſum. *Serm.* 13. *B. Aug.* cap. 10. *Quotquot ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei*, *Rom.* 8. Tu te vis agere, à teipſo vis agi: quid tibi prodeſt quia non eris Epicureus, & eris Stoicus? Siue Epicureus, ſiue Stoicus, inter filios Dei non eris. *C.* 11. Ergo agimur, non agimus, & tunc benè agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, adiutor eſt, &c. *Omnia cooperãtur in bonum. Rom.* 8. Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator. Nequis dicat ſi ſubtraxerit ſe cooperatio Dei, ſpiritus meus cũ labore poteſt implere, &c. Non ſic: ſi defuerit, nihil boni agere poteris, &c. Agis quidem illo non adiuuante libera voluntate, ſed malè: nam ad malè agendum habes ſine adiutorio Dei liberam voluntatem: *Cap.* 12. Deus non ædificat templum ſuum de nobis quaſi de lapidibus qui non habent motum ſuũ. *Cap.* 13. Fortè dicturi eratis lex ſufficit nobis, &c. Fac, fac, vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore iuſtitiæ, veniet Domina, & ſeruus abſcedet. *Ser.* 14. *B. Aug.* Cõtra eoſdē pro baptiſmo paruulorũ vt ſæpe ſup. *Serm.* 15. contra eoſdē *Cap.* 6. Qui timore pœnæ nõ concupiſcit puto quia cõcupiſcit, &c. Quid magnum eſt pœnam timere? quis enim non timet: ſed latro timet leges hominum: tu autem leges eius quem fallere non potes. Ergo concupiſcentiam tuam malam: non amor tollit, ſed timor premit, &c. *Cap.* 9. Tolle te à te, impedis te, &c. *Cap.* 11. Totum ex Deo: non tamen quaſi dormientes, nõ quaſi vt nõ conemur, nõ quaſi vt nõ velimus, ſine voluntate tua, non erit in te iuſtitia Dei, &c. Si hominem te fecit Deus, & tu te iuſtũ facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus, &c. *Qui ergo te fecit ſine te, non te iuſtificat ſine te, fecit te neſcientem, iuſtificat volentem. Serm.* 16. *B. Aug. cap.* 2. Deus debitor factus eſt: non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo, &c. *Serm.* 18. *B. Aug.* contra eoſdem. *Cap.* 8. Timor gehennæ continet te: & volentem peccare animum interiorem non ſinit, &c. Cuſtodiat te dum non facis timendo, & veniat charitas, &c. Timor id agebat, ne faceres: charitas id agit, ne velis facere, etiãſi impunè poſſis. *Serm.* 31. *B. Aug. c.* 8. Quid dicis Pelagianiſta? Videtur confiteri Chriſt. in carne veniſſe: ſed diſcuſſꝰ inuenitur negare. Tu dicis Chriſtũ Saluatorẽ maiorũ, non minorũ. Non eſt ipſe. Si non eſt ipſe, negas & tu Chriſtũ in carne veniſſe. *Hom.* 23. *ex* 50. Dicit tibi Deus, regebã te mihi, ſeruabam te mihi: vt adulterium non committeres, ſuaſor defuit, vt ſuaſor deeſſet, ego feci, locus & tempus defuit, vt hæc deeſſent ego feci, affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, vt non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam eius cui debes, & quod non admiſiſti. Nullũ eſt enim peccatum quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit Rector à quo factus eſt homo. Vt 2. *Conf.* 7. Gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala, &c.

Serm. 124. *B. Aug.* De Tempore. Quid homo ſine gratia Dei poſſit, timor B. Petri Apoſt. euidenter oſtendit. Per ſolum enim liberum Arbit. non addito Dei adiutorio, promiſerat pro Domino moriturum. Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cùm negaret Chriſtum. Ideo eum Dominus ſubdeſeruit: vt in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere nihil ſe ſine Dei gratia præualere. *Serm.* 191. inter Auguſtinianos. *Baptiſmum vnum tenemus: quod iiſdem Sacramenti verbis infantibus, quibus etiam maioribus dicimus eſſe celebrandum, &c. Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præ-*

ceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſeruari, &c. Liberum ſic confiteamur Arb. vt dicamus nos Dei ſemper indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatū vitare non poſſe, quàm qui cū Ioniniano aſſerunt hominē non poſſe peccare; vterq; enim tollit arbitrij libertatem. Nos verò dicimus hominem ſemper peccare, & non peccare poſſe: vt nos liberi confiteamur eſſe arbitrij. Quarum duæ priores ſententiæ, à *B. Aug. ſup. lib. de gratia Chriſti cap.* 31. 32. 33. ex quadam confeſſione Pelagij relatæ, reddunt hunc ſermonem valdè ſuſpectum: eſſe Pelagij, non Pelagianiſmi, vt ſupra. Quibus adde poſtremam ſententiam non eſſe de potentia proxima non peccandi, vel non continua, vel non ſine gratia: nec de quouis homine, ſed de ſolis Chriſtianis niſi ex proprio demerito. Vt patet ex *Cap.* 31. *De gratia Chriſti*: vbi hoc expreſsè approbatur à *B. Aug.*

Ex Serm. 48. *B. Aug. De diuerſis. Cap.* 5. *Fiat voluntas tua.* Si Omnipotens eſt: cur oras vt fiat? Fiat in me: vt non reſiſtam voluntati tuæ. Ergo & hic pro te oras, non prò Deo, &c. Nunquam fit à te, quod non faciat in te: ſed aliquando facit in te, quod non fit à te.

Ex libris poſtremis B. Auguſt. contra Semi-Pelagianos ſeu Maſſilienſes.

Ad Conſultationem *B. Proſperi & Hilarij,* Epiſcoporum. Vt patet ex hac *Epiſtola B. Proſperi* ad *S. Aug.*

MVlti ſeruorum Chriſti qui in Maſſilienſi vrbe conſiſtunt, in S. tuæ Scriptis aduerſus *Pelagianos* hæreticos contrarium putant Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui quicquid in eis de vocatione Electorum ſecundùm propoſitum, diſputaſti, &c. Euenit vt cùm quoſdam intra *Africam* ſimilia mouiſſent: Librum de correptione & gratia emitteres. Quo vt qui ſanctam doctrinæ tuæ authoritatem ſequebantur, intelligentiores ſunt facti: ita qui ſuæ perſuaſionis impediebantur obſcuro, auerſiores quàm fuerant, receſſerunt. Quorum tam abrupta diſſenſio metuenda eſt: ne tam claris in omnium virtutum ſtudio viris ſpiritus Pelagianæ impietatis illudat; & ne ſimpliciores tutiſſimum ſibi eſtiment quod audiunt eos aſſerere. Hæc enim eorum definitio ac profeſſio eſt: *Omnem quidem hominem Adam peccante peccaſſe, & neminem per opera ſua ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari; vniuerſis tamen propitiationem Chriſti ſine exceptione eſſe propoſitam, vt quicumq; ad fidem & baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poßint, &c. præſciſſe autem Deum, & prædeſtinaſſe quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit, &c. Hoc autem Propoſitum, quo eligendorum & reijciendorum dicitur facta diſcretio, vt alij vaſa honoris, alij contumeliæ ſint creati; & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre, &c. Et ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceßitatem, &c. Quæ de Epiſt. ad Romanos proferuntur à nullo vnquam ita eſſe intellecta.* Cumque vt ipſi ea exponant depoſcimus: de his taceri exigunt, &c. *Fidem noſtram ædificationi audientium contrariam eſſe definiunt: ac ſic etiamſi vera ſit, non eſſe promendam, &c.* Quidam verò in tantùm à Pelagij ſemitis non declinant: *vt gratiam Chriſti ad conditionem velint hominis cuiuſq; pertinere, & ad gratiam qua renaſcimur peruenire per naturalem facultatem, quærendo, petendo, pulſando, &c.* Propoſitum autem vocantis gratiæ in hoc definiunt: *quòd Deus conſtituerit nullum in regnum ſuum niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere: & ad hoc omnes homines vocari vt qui voluerint, fiant filij Dei.* Cumque eis multitudo obijcitur paruulorum: *Tales aiunt perdi taleſq; ſaluari, quales futuros ſi ad actiuam ſeruarentur ætatem, ſcientia diuina præuiderit.* Nec conſiderant ſe gratiam Dei, *quam comitem non præuiam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præuentas.* Sed intantùm. *quibuſcumq; commentitijs meritis electionem Dei ſubijciunt: vt quia præterita exſtant, futura quæ non ſint futura confingant; nouoq; apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint, &c.* Quorum aliquando non miſertus Deus miſeretur: *præuiſos,* inquiunt, *nunc credituros, & ad quamq; gentem ita diſpenſata tempora vt exoritura erat bonarum credulitas voluntatum.* Nec vacillare, quòd Deus omnes homines, velit ſaluos fieri. 1. *Tim.* 2. *Quandoquidem inexcuſabiles ſint, & qui ad vnius veri Dei cultum potuerint inſtrui intelligentia naturali; & euangelium non audierint, quia nec fuerint recepturi. Pro vniuerſo autem genere mortuum eſſe D. N. I. C. & neminem prorſus exceptū, &c. Itaq; quo ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad Arb. libertatem, ab his eam apprehendi qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint, &c.* Nec acquieſcunt, *prædeſtinatum electorum numerū hominū nec augeri poſſe, nec minui, &c. Priorē volunt obedientiam eſſe, quàm gratiam vt initium ſalutis ſit ex eo qui ſaluatur, &c.* Vnde quia in iſtis Pelagianæ prauitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur, &c. Obſecro vt obſcuriora, & difficiliora digneris aperire. 1. Quantum periculi ſit patefacias. 2. Quomodo per præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur Arb. 3. Vtrum ea ipſa quæ ſunt Propoſita, ſint accipienda præſcita: an in his qui nihil operaturi ſaluantur, quaſi ſolum Dei Propoſitum videatur exiſtere, in his autem qui aliquid boni acturi ſunt per præſcientiam poſſit ſtare Propoſitum; an verò vniformiter Præſcientia quodam ordine ſit ſubnixa Propoſito. 4. Quemadmodum per hanc prædicationem Propoſiti Dei, nemo impediatur, &c. 5. Qualiter diluatur quod pœnæ omnium priorum ſit ſententia, qua Propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt.

Ex Epiſt B. Hilarij Epiſc. Arelat. ad B. Aug. Hæc ſunt quæ Maſſiliæ, vel alijs etiam locis in Gallia ventilantur, &c. Vt ſupra præter hæc. *Ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quenquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt, &c. Nullam*

ita

Digitized by Google

ita deprauatam naturam putant, vt non poßit velle ſanari: nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quicquàm ipſa iam valeat, &c. Ad hoc tantùm liberum aſſerunt Arb. vt velit vel nolit admittere medicinam, &c. Nolunt autem ita perſeuerantiam prædicari, vt non vel ſuppliciter emereri, vel admitti contumaciter poßit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci volunt. Illud Sap. 4. *Raptus eſt, &c. tanquam non canonicum definiunt omittendum, &c. Moleſtè ferunt ita diuidi gratiam quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, &c.* Vt ſupra de corrept. & gratia. *Cap.* 11. 12. *In hoc ſolo volunt à primo homine omnium diſtare naturam: vt illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, ſine qua perſeuerare non poterat; nos autem amißis & perditis viribus credentes tantùm, non ſolùm erigat proſtratos, verùm etiam ſuffulciat ambulantes. Cæterùm quicquid donatum ſit prædeſtinatis, id poſſe & amittere, & retinere propria voluntate contendunt, &c. Expoſitionem tuam in* 1. Tim. 2. *Deus vult omnes ſaluos fieri: non ſuſcipiunt; ſed vt nullus habeatur exceptus. Quomodo, aiunt, Deus non vult à quoquam peccari, & tamen iugiter peccatur: ita & vult omnes ſaluari, nec tamen omnes ſaluantur, &c. Paruulorum cauſam ad exemplum maiorum non patiuntur afferri, &c. Quid opus fuit,* inquiunt, *huius diſputationis incerto tot minùs intelligentium corda turbari? Neq; enim minùs ſine hac definitione tot annis contra Pelagianos catholicam fidem fuiſſe defenſam, &c.* Dicũt ſe tuam ſent. hoc excepto in factis & dictis omnibus admirari. Tuum erit diſcernere quomodo ſit in hoc eorum contradictio toleranda, &c. A præſẽtiæ tuæ delicijs exulatus, vbi ſalubribus tuis vberibus nutriebar: abſentia tua crucior, &c.

Lib. B. Aug. de Prædeſtinatione Sanctorum: ex *B. Proſpero* in ſuis Opuſc. *V. Beda* in Epiſt. *S. Pauli*, & ex varijs Eccleſiæ Canonibus. *Cap.* 1. Peruenerunt iſti Fratres noſtri, pro quibus ſollicita eſt pia charitas veſtra, vt credant cum Eccleſia Chriſti, peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, &c. Peruenerunt etiam vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur: atque vt ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quemque ſufficere poſſe conſentiant. Retenta ergo iſta in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore diſcernunt. Proinde ſi in eis ambulent, & orent eum qui dat intellectum: ſi quid de Prædeſtinatione aliter ſapiũt, ipſe illis hoc quoque reuelabit. Tamen nos etiam impendamus eis dilectionis affectum: ne fortè Deus id per hanc noſtram velit efficere ſeruitutem. *Cap.* 2. Priùs itaque, fidem qua Chriſtiani ſumus donum Dei eſſe debemus oſtendere. Neceſſe eſt vt omnia quæ creduntur, præueniente cogitatione credãtur: quanquam ipſum credere nihil eſt aliud quàm cum aſſenſione cogitare. Si ergo, quod pertinet ad Religionẽ atque pietatem, non ſumus ſufficiẽtes cogitare aliquid quaſi ex nobis, ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt, 1. *Cor.* 3. profectò non ſumus idonei credere aliquid. Porrò ſi operatur Deus fidem noſtram, miro modo agens in cordibus noſtris vt credamus: nunquid metuendum eſt ne totum facere non poſſit; & ideo homo ſibi primas vẽdicat partes vt nouiſſimas ab eo accipere mereatur. Quaſi cõponit homo cũ Deo, vt partẽ fidei ſibi vẽdicet, atq; illi partẽ relinquat; & quod eſt elatius, primã tollit ipſe, ſequẽtẽ dat illi. *C.* 3. *S. Cyp.* In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. Quo præcipuè conuictus ſum cùm errarem, putans fidem eſſe à nobis, & per illam nos impetrare Dei dona. Quem errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta, &c. Vt ſupra 1. *Retr.* 23. *Cap.* 4. In qua ſententia iſtos Fratres noſtros nunc eſſe video: quia non ſicut legere libros meos, ita etiam in eis curauerunt proficere mecum. Nam ſi curaſſent, inueniſſent iſtã Quæſt. ſolutam, *Lib.* 1. *ad Simpl. Cap.* 5. Quis enim te diſcernis? 1. *Cor.* 4. Dona Dei naturalia ſuſpicari, ſiue ipſam naturam perfectam: quantum exiſtimo, abſurdum eſt. Nunquid enim per hæc diſcernuntur homines ab hominibus? Poſſet dicere homo inflatus: *Diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, &c.* Quid habes, inquit, quod non accepiſti? A quo, niſi ab illo qui te diſcernit? Nihil huic ſententiæ tam contrarium, quàm de ſuis meritis gloriari. Sit ergo gratia naturæ attributa, qua diſcernitur à pecoribus, qua ingenioſi à tardis, &c. Sed, 1. *Cor.* 4. nõ ſe ille aduersùs pec', nec aduersùs hominẽ alterũ inflabat de aliquo naturali munere, quod ineſſe poſſet & peſſimo: ſed de aliquo pertinente ad vitã æternam, vt enim ſit naturæ, fidẽ habere poſſe: nũquid & habere? Non ait Apoſt. Quid potes habere? Sed quid habes? Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum; habere autem fidem, vt habere charitatem, gratiæ eſt fidelium. *Cap.* 6. *Sed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo iſti credere nolunt iſti.* Quis hoc neget? Sed alijs præparatur voluntas à Domino, alijs non præparatur: ex miſericordia, vel iudicio, *Rom.* 11. *Cap.* 7. Ex fide dicit Apoſt. iuſtificari hominem non ex operibus, *Eph.* 7. Quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cætera, &c. Solet enim dici: *ideo credere meruit quia vir bonus erat, &c.* vt de *Cornelio* dici poteſt *Act.* 10. Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat, *Rom.* 10. Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus; non ad eum mitteretur Petrus, &c. Quicquid igitur benè operatus eſt ante, totum Deo dandum eſt. *Cap.* 8. Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me, *Ioan.* 6. Hæc itaque gratia à nullo corde duro reſpuitur: ideo quippè tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur: *Cap.* 9. Quod dixi *Epiſt.* 49. *q.* 2. *Tunc voluiſſe hominibus Chriſtum apparere, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando & vbi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri, &c.* Cernitis me ſine præiudicio latentis Conſilij Dei, aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, &c. Poſſet etiam dici tunc voluiſſe prædicari quando & vbi ſciebat futuros Electos, &c. *C.* 10. Quod dixi, *Salutem Religionis huius nulli vnquam defuiſſe qui dignus fuit, & dignum non fuiſſe cui defuit*: ſi quæratur vnde quis ſit dignus; non deſunt qui dicant, voluntate humana, nos autem dicimus, gratiã vel prædeſtinatione diuina. Inter gratiam porrò, & prædeſtinationem, hoc tantùm intereſt: quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio: gratia verò iam ipſa donatio, &c. *Non ex operibus, &c.*

Digitized by Google

Eph. 2. gratia eſt: *Quæ præparauit Deus, &c.* Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autẽ eſſe ſine prædeſtinatione præſciẽtia. Prædeſtinatione quippe Deus præſciuit quæ fuerat ipſe facturus, &c. Præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit: vt peccata, &c. Quocirca prædeſtinatio Dei quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio: gratia vero eſt ipſius prædeſtinationis effectus. *Cap.* 11. Miror homines infirmitatis ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis Dei. Sed *incerta eſt mihi*, inquis, *de me-ipſo voluntas Dei.* Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipſo certa eſt, nec times? Cùm igitur vtraque incerta ſit: cur non homo firmiori, quam infirmiori, fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit? *Infra.* Hæc & nobis præcipiuntur: & dona Dei eſſe monſtrantur: vt intelligatur quòd & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus. *Ezech.* 36. Ego faciam vt faciatis. *Cap.* 12. Vnde talibus viris in mentem venerit neſcio: vt futura quæ non ſunt futura puniantur, aut honorentur merita paruulorum, &c. Quicumque enim dicit puniri tantùm poſſe futura peccata, dimitti autem non poſſe: cogitare debet quantam Deo faciat, eiuſque gratiæ iniuriam. *Cap.* 13. Si forſitan dicunt, *ideo iſtos non baptizari, quia præſciti ſunt pœnitentiam ſi viuerent non acturi: eos autem qui baptizantur, Deum præſciſſe acturos pœnitentiam fuiſſe ſi viuerent*: attendant non iam in paruulis peccata originalia vindicari, aut dilui ſed ſua futura ſi viuerent, &c. Hoc ſi auderent *Pelagiani*, non laborarent negando originale peccatum, &c. *Cap.* 14. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, *Sap.* 4. Dictum eſt, ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum præſcientiam Dei, qui præſciuit quod futurum erat, nõ quod fut. non erat. *C.* 15. Eſt etiam præclariſſimũ lumẽ prædeſtinationis, & gratiæ, ipſe Saluator: qui hoc vt eſſet, quibus tandẽ ſuis, vel operũ, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo eſt comparauit? Nunquid metuendum fuit ne accedente ætate, homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſeruire non poterat? Cur diuerſa eſt gratia vbi natura communis eſt? Appareat itaque nobis in noſtro Capite ipſe fons gratiæ, &c. Ea gratiâ fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus: quâ gratia ab initio homo ille factus eſt Chriſtus, &c. Ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit, &c. Prædeſtinatus eſt ergo Iesvs, *Rom.* 1. vt qui futurus erat ſecundùm carnem filius Dauid, eſſet tamen in virtute filius Dei, &c. Ipſa eſt illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo ſuſceptio ſingularis: vt filius Dei, & hominis propriè diceretur, &c. Prædeſtinata eſt iſta naturæ humanæ tanta ſubuectio: vt quo attolleretur altiùs non haberet, &c. Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille vnus, vt Caput noſtrum eſſet: ita multi prædeſtinati ſumus vt membra eius eſſemus. Humana hîc merita conticeſcant, quæ perierunt in *Adam*: & regnet Dei gratia per Iesvm Chriſtum. *Cap.* 16. Vocat Deus prædeſtinatos multos filios ſuos: vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui; nõ ea vocatione qua *Luc.* 14. ſed *Rom.* 9. Eſt in malorum poteſtate peccare: vt autem peccando hoc vel hoc illâ malitia faciant, non eſt in eorum poteſtate, ſed Dei, &c. Vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntate Dei. *Cap.* 17. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, *Ioan.* 15. Quia non elegerunt eum vt eligeret eos: ſed vt eligerent eum elegit eos, &c. Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem, ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit: electi ſunt autem de mundo, ea vocatione qua Deus id quod prædeſtinauit impleuit, *Rom.* 8. *Eph.* 1. Elegit Deus fideles: ſed vt ſint, non quia iam erant. *Cap.* 18. Elegit Deus in Chriſto ante conſtitutionem mundi mẽbra eius. Quomodo eligeret eos qui nondum erãt, niſi prædeſtinando? Elegit ergo prædeſtinans nos. Nunquid eligeret impios? *Præſciebat*, ait Pelagianus, *qui futuri eſſent ſancti per liberæ voluntatis arbitrium, &c.* Elegit nos, vt eſſemus ſancti, *Eph.* 1. Non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus. Secundum placitum, inquit, voluntatis ſuæ, &c. *Cap.* 19. *Nos dicimus*, inquiunt, *noſtram Deum non præſciſſe niſi fidem, qua credere incipimus: & ideo nos elegiſſe, vt etiam ſancti gratiâ, atq; opere eius eſſemus.* Sed audiant, *Eph.* 1. Prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur, &c. Ipſe ergo vt credere incipiamus operatur, qui vniuerſa operatur, &c. Non enim quia credidimus, ſed vt credamus elegit nos: ne priores eum elegiſſe dicamur, &c. Nec quia credidimus, ſed vt credamus vocamur: atque illa vocatione quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur, & peragitur, &c. *Cap.* 20. Orationi inſtate, vt nobis Deus aperiat oſtium verbi ſui, *Coloſſ.* 4. 1. *Cor.* 6. 2. *Cor.* 1. Quomodo aperitur oſtium verbi, niſi cum ſenſus aperitur audientis vt credat? *Infra.* Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando: vt etiam per eos impleatur quod manus eius, & conſilium prædeſtinauit fieri, &c. Quale eſt, vt credamus, ad conſtituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, 1. *Reg.* 10. & 1. *Paral.* 2. & ad capeſcendum regnum Cœlorum, homines voluntates operari ſuas? *Cap.* 21. Inſtitimus quantum potuimus, vt etiam ipſum initium fidei, donum Dei eſſe oſtenderemus.

Lib. De Dono Perſeuerantiæ, cap. 1. Non contendo de verbis, &c. ſed hanc, de qua nunc agimus perſeuerantiam, nullo modo habuiſſe dicendus eſt, qui non perſeuerauerit vſque in finem: potiùſque hanc habuit vnius anni fidelis, & quantum infra cogitari poteſt, ſi donec moreretur fideliter vixit; quam multorum annorum, ſi ante mortem à fide defecit. Quo conſtituto, videamus vtrum hæc perſeuerantia, de qua, *Matt.* 10. Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit: donum Dei ſit. *Phil.* 3. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non tantùm vt credatis in eum, verùm etiam vt patiamini pro eo, &c. Aut vt expreſſiùs loquar, mori pro Chriſto, &c. Quis dicat iſtis non dari perſeuerantiam, qui ægritudine corporis, vel quocumque caſu moriuntur in Chriſto: cùm longè difficilior donetur illis, à quibus ſuſcipitur & mors ipſa pro Chriſto? Cui nihil difficile eſt, facilè eſt vtramque donari, &c. Cur autem perſe-

perſeuerantia iſta poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? An iſta irriſoria petitio eſt, ſicut & gratiarum actio? An ab illo perſeuerantia iſta non poſcitur? Legite expoſitionem B. *Cyp.* De Oratione Dominica: & videte ante quot annos contra futura Pelagianorum venena, quale ſit antidotum præparatum, &c. *Sanctificetur nomen tuum*, Matt. 6: *Petimus vt qui in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus, perſeueremus, &c. Adueniat regnum tuum, &c. Quòd non alijs, ſed his qui perſeuerant vſq; in finem, certum eſt eſſe venturum.* Cap. 3. *Fiat voluntas tua, in Cœlo & in terra*, vel, *ſicut in Cœlo & in terra* .i. Vt *in Angelis, & in nobis, &c. vt in ſpiritu, & in carne, &c.* Vidit & S. *Cypr.* alium ſenſum: *vt pro infidelibus orent fideles, &c.* Sed cur poſt adhuc petunt vt fiat: niſi vt perſeuerent? *Cap.* 4. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* S. Cypr. *Ne, qui in Chriſto ſumus, &c. à Chriſti Corpore ſeparemur.* Cap. 5. *Dimitte nobis, &c.* S. Cypr. *Salubriter admonemur quòd peccatores ſumus, ne quis ſibi quaſi innocens placeat, &c. Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Quid aliud quàm vt in ſanctitate perſeuerent, precantur. *Cap.* 6. Sed nolunt, vt ſcribitis, hanc perſeuerantiam prædicari: vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit, &c. Emereri poteſt: ſed amitti non poteſt, &c. Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit vt non amittatur, etiam quod poſſet amitti? Sed ne fortè dicatur, non amitti quidem cùm data fuerit: ſed quando agit homo vt ad eam peruenire non poſſit, &c. Verborum controuerſias auferamus, &c. Dicat mihi quiſquis audet: vtrum Deus dare non poſſit, quod à ſe poſci imperauit? *Ne inferas nos in tentationem.* Quiſquis igitur exauditur hoc poſcens: non infertur in contumaciæ tentationem, &c. *Tutiores igitur viuimus, ſi totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Cap. 7. Hæc Dominica Oratio nobis ad cauſam gratiæ ſola ſufficeret: quia nihil nobis relinquit in quo gloriemur. Si quidem vt non diſcedamus à Deo, poſcendum oſtendit à Deo, &c. *Non eſt hoc omnino in viribus liberi Arbitrij quales nunc ſunt: fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis: qui Diabolo cum ſuis cadente in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi peruenire meruerunt. Poſt caſum autem Hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt Homo accedat ad eum, neq; vt non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in Chriſto, &c. Cap.* 8. Cur quibuſdam qui Deum coluerunt bona fide, perſeuerare vſque in finem non dedit? Niſi quia 1. *Ioan.* 2. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, &c. Nunquid ergo hominum naturæ duæ ſunt? Abſit. Si duæ naturæ eſſent, gratia vlla non eſſet: nulli enim daretur gratuita liberatio, ſi naturæ debita redderetur, &c. Deus melius eſſe iudicauit, miſcere quoſdam non perſeueraturos certo numero Sanctorum ſuorum: vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. *Cap.* 9. Ex duobus Paruulis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur: & ex duobus grandibus Impijs, cur ille vocetur, ille autem non, aut non ita; Inſcrutabilia ſunt Iudicia Dei. Ex duobus autem Pijs, cur huic donetur perſeuerantia, illi autem non: Inſcrutabiliora ſunt Iudicia Dei. Illud tamen Fidelibus debet eſſe certiſſimum: hunc eſſe ex Prædeſtinatis, illum non, 1. *Ioan.* 2. *Cap.* 10. Quidam Diſputator Catholicus non ignobilis expoſuit, *Luc.* 10. præſciſſe Dominum Tyrios, & Sidonios à fide poſtea fuiſſe receſſuros: & ideò ex miſericordia potiùs non eum illic ſigna feciſſe, quoniam grauiori pœnæ obnoxij fierent, &c. *Cap.* 11. Cur cauſam Paruulorum, ad exemplar Maiorum non patiuntur afferri, &c? vt 1. *Retr. c.* 9. *Cap.* 12. Gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, in Paruulis euidentiore veritate cernamus. Neque enim Fato cogitur Deus illis Infantibus ſubuenire, illis autem non, cùm ſit vtriſque cauſa communis: aut res humanas in Paruulis non diuina Prouidentia, ſed fortuitis agi Caſibus opinabimur; aut Parentum negligentiæ ſic tribuendum eſt, vt nihil agant ibi ſuperna Iudicia, tanquam ipſi qui malè moriuntur Parentes ſibi negligentes voluntate propria elegerint. Quid dicam, quòd Paruulus aliquando antequam illi ſuccurri poſſit, expirat? Plerumque enim feſtinantibus Parentibus, & paratis Miniſtris vt Baptiſmus Paruulo detur: Deo tamen nolente non datur, qui eum paululùm in hac vita non tenuit vt daretur. Quid eſt, quòd aliquando Paruulis Infidelium filijs potuit, & filijs fidelium non potuit Baptiſmate ſubueniri? *Cap.* 13. Quid eſt quod morituro non baptizato ſubuenitur, & baptizato caſuro non ſubuenitur? Vnde ſatis oſtenditur, & inchoandi, & vſque in finem perſeuerandi gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari: ſed ſecundùm ipſius ſecretiſſimam, Iuſtiſſimam, Beneficentiſſimam, Sapientiſſimam voluntatem; quoniam quos prædeſtinauit, & vocauit, vt *Rom.* 11. vocatione ſine pœnitentia, &c. Ad quam pertinere nullus eſt dicendus, niſi cùm de hoc ſæculo exierit. Ideo quippe non perſeueraturi, perſeueraturis miſcentur: vt cum timore, & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur. *Phil.* 2. Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle, & operari pro bonâ voluntate. Nos ergo volumus: ſed Deus operatur in nobis, & velle: Nos operamur; ſed Deus in nobis operatur & operari, &c. De quo ipſi *Domino Deo noſtro gratias agere* à Sacerdote admonentur Fideles: & *Dignum, & iuſtum eſſe*, reſpondent. Cum enim non ſit in noſtra poteſtate cor noſtrum, ſed diuino ſubleuetur auxilio: cui de tantâ re agendæ ſunt gratiæ, niſi hoc facienti Domino Deo noſtro? *Cap.* 14. Sed, aiunt, prædeſtinationis definitionem vtilitati prædicationis aduerſam. Quaſi verò, &c. Hæc prædeſtinatio nihil aliud eſt quàm præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei: quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri vero in maſſâ perditionis iuſto Dei iudicio relinquuntur: vbi Tyrij, & Sydonij relicti ſunt, *Luc.* 10. Ex quo apparet, habere quoſdam in ingenio, diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel verba audiant, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi Dei altiore Conſilio à

Digitized by Google

perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti; nec ipſa eis adhibentur vel dicta, vel facta, per quæ poſſent credere, &c. In eadem maſſa relicti ſunt Iudæi, qui non potuerunt credere: quia excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Non ergo erant ſic excœcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum: ſed nec illis profuit quòd poterant credere; quia prædeſtinati non erant. Verùm de Tyrijs, & Sidonijs alio modo fortaſſis poteſt intelligi, &c. Nec Prædeſtinationis igitur prædicatione impedienda eſt prædicatio Fidei perſeuerantis, & proficientis: nec prædicatione Fidei impedienda eſt prædicatio Prædeſtinationis, &c.

Cap. 15. Sed aiunt; ſic *neminem poſſe correctionis ſtimulis excitari, &c.* Si quis dicat, *Siue nunc rectè viuatis, ſiue non: tales eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſciuit*: Nunquid ſi hoc audito nonnulli in torporem vertantur, propterea de præſcientia Dei falſum eſt? *Cap.* 16. Sunt qui vel non orant, vel frigidiùs orant, quoniam didicerunt ſcire Deum quid nobis neceſſarium ſit: num propter tales veritas deferenda, aut ex Euangelio delenda putabitur? Dicatur ergo verum, maximè vbi aliquã Quæſtio vt dicatur impellit, & capiant qui poſſunt: ne fortè cùm tacetur propter eos qui capere non poſſunt; non ſolùm veritate fraudentur, verùm etiam falſitate capiantur qui verum capere poſſunt. *Cap.* 17. Videte à veritate quàm ſit alienum, negare donum Dei eſſe perſeuerantiam vſque in finem huius vitæ: cùm vitæ huic quando voluerit ipſe det finem: quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeuerare vſque in finem. Sed euidentior largitas Bonitatis Dei eſt, quòd etiam paruulis datur hæc gratia. Iſta igitur ſua dona quibuſcumque Deus dat, procul dubiò donaturum ſe eſſe præſciuit, & in ſua præſcientia præparauit. Quos ergo prædeſtinauit, ipſos & vocauit, *Rom.* 8. Nam in ſua quæ falli mutarique non poteſt præſcientiâ, opera ſua futura diſponere: id omnino, nec aliud quicquam eſt prædeſtinare. Sicut autem ille quem caſtum futurum eſſe præſciuit, agit vt caſtus ſit: ita ille quem caſtum futurum prædeſtinauit, &c. Sic & de Fide, Pietate, Perſeuerantiâ, &c. *Prædicatione prædeſtinationis, plus deſperationis, quam exhortionis afferri*, hoc eſt dicere: Tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſeipſo, ſed in Deo didicerit ponere, &c. *Cap.* 18. Aliquando Prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine Præſcientiæ: quod circumſtantia locutionis oſtendit, &c. vt *Rom.* 11. Non repulit Deus Plebem ſuam, quam præſciuit. *Cap.* 19. Quid ergo nos prohibet quando apud aliquos Verbi Dei tractatores legimus Dei Præſcientiam, & agitur de vocatione Electorum: eandem Prædeſtinationem intelligere? *Cap.* 20. Vt prædicanda eſt Pietas, Pudicitia, Charitas, &c. Ita & Prædeſtinatio: vt qui habet aures audiendi, non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur, &c. *De ſuis libris ante Pelagianos, ad Simpl. Confeſſ.* contra futuram eorum Hæreſim, vt adhuc ſupra. *Cap.* 21. Hæc vt ingrata Deo deſtruatur, gratuitis Dei beneficijs: & initium Fidei, & perſeuerantiam dona Dei eſſe defendimus, &c. Si autem Deus hæc ſua dona daturum eſſe præſciuit: prædeſtinatio prædicanda eſt, &c. *Ex ſuo etiam lib. De Prædeſt. & Gratia, lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. *Epiſt.* 105. 106. Quamuis neminem velim ſic amplecti omnia mea, vt me ſequatur: niſi in ijs in quibus me errare non perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, &c. Si hominibus qui me dilexerunt nolo exiſtere ingratus: quantò magis Deo, quem non diligeremus niſi priùs dilexiſſet nos, & feciſſet dilectores ſuos? Quid eſt autem ingratius, quam negare ipſam gratiam Dei, dicendo eam ſecundùm merita noſtra dari? *Infra.* Inter initium Fidei, & perfectionem Perſeuerantiæ, media ſunt quibus rectè viuimus, &c. Hæc autem omnia Deum largiturum ſe vocatis ſuis eſſe præſciuit. *Cap.* 22. Quamuis ergo ita ſe habeat de Prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei: non tamen iſto modo dicenda ſunt audientibus multis, vt ſermo etiam ad ipſos conuertatur, &c. Quid opus eſt dici, *Alij ex vobis, &c.* Item. *Si qui eſtis, accipietis eandem gratiam, &c. Si non eſtis prædeſtinati, ſubtrahentur obediendi vires.* Hoc enim quid aliud videtur quàm maledicere, aut mala prophetare? Cur non potiùs ſic? *Si qui ſunt nondum vocati, pro eis vt vocentur oremus. Fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, vt noſtris orationibus concedantur. Si qui obediunt, &c.* per tertiam perſonam, &c. Illum etiam modum non exiſtimo ſufficere, niſi addat; *Vos etiam ipſam obediendi perſeuerantiam à Patre luminum ſperare debetis, & quotidianis Orationibus poſcere: atq; hoc faciendo confidere, non vos eſſe à Prædeſtinatione alienos, &c. Abſit autem à vobis ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtràm in ipſo habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui ſpem habet in homine*, Ier. 17. *An verò timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo: non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus, ac infælicißimus poneret?* *Cap.* 23. Quis Sacerdotem ſuper fideles Dominum inuocantem, *Da illis Domine in te perſeuerare vſq; in finem*: non ſolum voce auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere; ac non potiùs reſpondit, *Amen*? Nam ſi hæc à Deo poſcit Eccleſia, ſed à ſeipſa ſibi dari putat: non veras, ſed perfunctorias Orationes habet, &c. Hæc igitur ita Deus ſe daturum eſſe præſciuit: vt in ipſa prædeſtinatione iam dederit. 2. *Tim.* 1. Secundùm gratiam quæ data eſt nobis ante tempora æterna: manifeſtata autem nunc. *Cap.* 24. Satis docuiſſe me exiſtimo, dona Dei eſſe, & incipere credere, & vſque in finem permanere, &c. Quòd donum qui non habet, quæcumque habet, inaniter habet. Non itaque ſimus in diſputationibus prompti, & in orationibus pigri. Nullum autem eſt illuſtrius Prædeſtinationis exemplũ, quàm ipſe IESVS, &c. Et illum ergo, & nos prædeſtinauit: quia & in illo, vt eſſet Caput noſtrùm, & in nobis vt eius Corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſciuit. Qui legunt hæc: ſi intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent, &c. Qui verò errare me exiſtimant: etiam atque etiam diligenter quæ ſunt

dicta

dicta conſiderant, ne fortaſſis ipſi errent, &c.

Supplementum Memoriæ.

EX 2. *Retract.* 31. In librum de ſex Quæſt. contra Pelagianos. *Quod dixi*, Quæſt. 2. *Salus Religionis huius, per quam ſolā vera ſalus, veraciterq; promittitur, nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit*: Non ita dixi tanquam ex meritis ſuis Quiſquam dignus fuerit; ſed vt, Rom. 8. 9. Mal. 1. *ex vocante, &c. De quâ vocatione.* 2. Tim. 1. *Vt dignos vos habeat vocatione ſuâ ſanctâ, &c.* vt ſupra. *Lib. de Prædeſt. cap.* 9. 10. Vbi etiam ſe refert ad hæc illius q. 2. *Quid reſpondebunt, ſi exceptâ illâ Altitudine Sapientiæ, & Scientiæ Dei, vbi fortaſſis aliud diuinum Conſilium longè ſecretius latet, ſine præiudicio etiam aliarum fortè cauſarum, quæ à Prudentibus inueſtigari queunt: hoc ſolum eis breuitatis gratiâ dicamus; Tunc voluiſſe Hominibus apparere Chriſtum, &c.*

Ex 2. *Retrac.* 36. In librum, ſeu *Epiſt.* 120. De gratia noui Teſt. *Eo tempore quo & contra Pelagianos exerceri iam cæperamus, Amicus quidam miſit mihi?* Quæſt. 1. *Quid ſit*, Matt. 27. *Deus meus vt quid me dereliquiſti? Ego autem ſextam mihi propoſui de gratia noui Teſt. De quâ*, Cap. 19. *Non omnia quæ Deus prædicit, promittit, &c. Prædicit enim & peccata, &c. Promittit autem quæ ipſe facturus eſt: nec ea mala, ſed bona, &c. Filij ergo promiſſionis filij ſunt beneficij. Hæc eſt gratia quæ gratis datur*, Cap. 21. *Charitas foras mittit timorem: non illum quo timet anima ne amittat ipſam gratiam, ne eam Deus deſerat, &c.* Cap. 30. *Iuſtitiæ Dei contraria eſt ſuperbia, qua fiditur de operibus proprijs. Non veniat mihi per ſuperbiæ, &c.* Cap. 35. *Neſcio vos*, Matt. 25. *nihil aliud eſt quam neſcitis me, quando de vobis potius eligitis confidere, quam de me.*

Ex 2. *Retrac.* 55. in 7. primos libros ſac. ſcript. Vbi tacitè approbat quod ait, q. 18. in Exod. *Vtitur Deus bene cordibus malis, ad id quod vult oſtendere bonis, vel quod facturus eſt bonis. Dicitur induratum cor Pharaonis: quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat, &c. Et quamuis, quale cor quis habeat ad malum ſuo fiat vitio, quod inoleuit ex Arbitrio voluntatis. Vt tamen huc vel illuc moueatur, cauſis fit quibus Animus propellitur. Quæ cauſæ vt exiſtant, vel non exiſtant, non eſt in hominis poteſtate: ſed veniunt ex occulta Prouidentia, iuſtiſſima planè, & ſapientiſſima.* Quæſt. 8. in Caput 7. Ioſue. *Non eſt credendum alium pro alio poſſe damnari ſed puniri tantùm pœnis temporalibus. Simul etiam oſtenditur quantò connexa ſit in populi ſocietate ipſa vniuerſitas: vt non in ſeipſis ſinguli, ſed etiam tanquam partes in toto exiſtimentur, &c.*

Confirmatio Doctrinæ Auguſtinianæ.

1. A 12. Summis Pontificibus: *Innoc.* 1. *Zoſimo, Bonifacio* 1. *Sixto* 3. Coæuis *B. Aug.* Vt patet ex Scriptis reciprocis, velut Oraculis. 2. *Retract.* 58. & 61. *Epiſt.* 90. 91. 92. 93. 95. 96. 97. 104. 105. 106. *Et ex B. Proſpero contra Collatorem Cap.* 21. *A Cæleſtino* 1. ex eius Epiſtola ſupra & ex *B. Proſpero* eodem *Cap.* 21. contra *Coll. A Gelaſio* 1. in Conc. 70. Epiſcoporum Ab *Hormiſda* Papa Epiſtola ad *Poſſeſſorem* Epiſc. *De Arbitrio libero, & gratia Dei quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeueret Eccleſia: licet in varijs libris B. Auguſtini, & maxime. Ad Hilarium, & Proſperam poſſet cognoſci, tamen in Scrinijs Eccleſiaſticis expreſſa Capitula continentur.* A *Felice* 4. & *Bonifacio* 2. Vt patet ex *Conc. Arauſicano*, ab illo inchoato, ab hoc Confirmato. A *Ioan.* 2. Epiſtola ad quoſdam Senatores. *S. Auguſtini Doctrinam ſecundùm Prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana ſequitur, & ſeruat Eccleſia. A S. Gregorio Magno Epiſt.* 37. Lib. 8. Regiſt. *Si delicioſo pabulo cupitis ſaginari: B. Auguſtini Opuſcula legite; & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem non quæratis.* A *Clemente* 8. Viuæ vocis oraculo in publica Congregatione de Auxilijs gratiæ. Imo & *Pio* 5. *Gregorio* 13. *Vrbano* 8. *Innoc.* 10. Vt patet ex eorum Cenſuris, & cura, & Prouidentia nè Doctrina B. Auguſtini truncis indicibus, aut propoſitionibus, à ſuo vero, ac integro ſenſu deprauetur.

2. A Varijs Concilijs Generalibus, & Prouincialibus. Vt A *Conc. Carthaginenſi* 286. Epiſcoporum contra 279. Pſeudo-Epiſcopos Donatiſtas; & alio *Numidiæ* contra eoſdem; ſub directione, & Doctrina *B. Aug.* Ab alio *Concil. Carthaginenſi*, & *Mileuitano* contra Pelagianos. Vt patet ex Epiſtolis illorum *Conc.* ſupra & ex aſſumptis verbatim ſententijs *B. Aug.* in Canones Fidei. Illud autem *B. Aug.* Epiſt. 110. *Curam Scripturarum mihi Patres & Fratres Coëpiſcopi duobus Concilijs Numidiæ & Carthaginis imponere dignati ſunt*: Poteſt referri vel ad illa duo contra Donatiſtas, vel ad hæc contra Pelagianos. De quo *B. Proſper* contra ingratos gratiæ Dei. *Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumq; Auguſtinus erat.* Ab *Arauſicano* 2. contra ſemi-Pelagianos, ex Doctrina *B. Aug.* verbatim in Canones Fidei aſſumpta. A *Conc. Romano* 70. Epiſcoporum, ſub *Gelaſio* Papa. A 5. *Synodo* Generali ſub his verbis: *Sequimur per omnia Auguſtinum, & ſuſcipimus omnia quæ de recta fide, & condemnatione Hæreticorum expoſuit.* A *Conc. Florentino* Generali & Oecumenico *Seſſ.* 7. his verbis. *Auguſtinum Illuſtriſſimum Latinorum Doctorum* 5. *Synodus conſecrauit*. i. quo ad Doctrinam, vt ſupra. A Sacro *Conc. Trid. Seſſ.* 4. referendo totum Canonem ſacræ Scripturæ ex *B. Auguſt.* Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana Cap. 8. *Seſſ.* 5. & 6. reſumendo etiam verbatim Doctrinam & Canones fidei de peccato originali & iuſtificatione, ex *Conc. Mileuitano & Arauſicano*, ac *B. Aug.* Et concludendo hæc præclara coronide Auguſtiniana ex Epiſt. *Cœleſt.* Papæ cap. 11. *Abſit tamen vt Chriſtianus Homo in ſeipſo confidat, vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta eſt erga omnes Homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

3. Ab omnibus Sanctis Patribus, & Doctoribus Coæuis, vel poſterioribus *B. Aug.* Vt à *S. Hier. Epiſt.* 25. ad *B. Aug. Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atq; ſuſpiciunt & quod ſignum maioris gloriæ eſt, omnes Hæretici deteſtantur* A *S. Paulino* Epiſt. 31. Ad B. Aug. *O verè*

ſal

Digitized by Google

ſal terræ: quo præcordia noſtra condiuntur! O lucerna dignè ſuper Candelabrum Eccleſiæ poſita! A *Seuero* Abbate *Epiſt.* 37. Ad B. Aug. *O verè artificioſa Apis Dei, conſtruens ſauos diuini Nectaris plenos.* A *Voluſiano* Epiſt. 2. ad B. Aug. *In alijs Sacerdotibus toleratur inſcitia: at cùm ad Antiſtitem Auguſtinum venitur, legi deeſt quicquid contigerit ignorari.* A *Poſſidio* de vita *B. Aug. Cap.* 18. *& Epiſt. Ad Macedonium.* Auguſtinus Pater Patrum, Doctor Doctorum, Abyſſus Sapientiæ. A *B. Proſpero* Epiſt. ad *B. Aug.* ſupra, & libro 388. Sententiarum ex *B. Aug.* Libris 4. pro eius Doctrina contra Semi-Pelagianos, ſub hac præfatione. *Doctrinam quam S. memoriæ Aug.* contra Pelagianos Inimicos gratiæ Dei, & liberi Arb. decomptores, per multos annos Apoſtolicè aſſeruit, litteriſque mandauit: quibuſdā viſum eſt reprehendere, &c. *Lib.* 4. *cap.* 1. Gratiam Dei quidam dicere audent à *S. Aug.* non rectè eſſe defenſam, &c. Quorum domeſtica malignitas non minùs ſpernenda eſt, quàm hæretica loquacitas. *Infra.* Viginti ampliùs annis contra Inimicos gratiæ Dei Catholica Acies huius viri ductu pugnat, & vincit, &c. Cur de his armis quibus fides eſt defenſata, cauſantur? An victores diſplicent, & victi placent. *Cap.* 11. En cuius dogmatis ſunt Magiſtri, qui hanc Paſtoralis ſpeculæ validiſſimam turrim,, crebrâ Pelagiani arietis illiſione pulſauerint, &c. Tunc iſtorum machinæ fractæ ſunt, quando *B. memoriæ Innoc.* nefandi erroris Capita Apoſtolico mucrone percuſſit, &c. Quando Africanorum Conc. Decretis B. recordationis Papa *Zoſimus* ſententiæ ſuæ robur annexuit, &c. Quando S. memoriæ Papa *Innoc.* contra inimicos gratiæ Dei Regijs etiam vtebatur Edictis: & cùm eſſet doctiſſimus, *B. Auguſtini* reſponſa poſcebat. Vnde & Ven. memoriæ Pontifex *Cæleſtinus, Cæleſtium* totius Italiæ finibus iuſſit extrudi, &c. Ab hoc eodem morbo *Britannias* liberauit, &c. Per hunc Virum etiam Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt, &c. Per hūc Virum intra Gallias iſtis ipſis qui S. memoriæ *Aug:* ſcripta reprehendunt, maleuolentiæ eſt adempta libertas.] Subdit quæ ſupra ex Epiſtola *Cæleſtini. Infra.* Apoſtolica Sedes quod à præcognitis ſibi non diſcrepat cum præcognitis probat. *Epiſt. ad Ruſinum.* Non ſolùm Romana Africanaque Eccleſia, ſed vniuerſi promiſſionis Filij, cum Doctrina *S. Aug.* vt in tota fide, ita in confeſſione gratiæ congruunt. A *S. Fulgentio* lib. 2. De Prædeſt. & Gratia, *B. Aug. non ſolùm de Pelagianis victoriam referens triumphauit:* ſed poſteris certandi, & vincendi ordinem oſtendit, ſi quando victa prauitas recidiuo auſu infandum caput erigere niteretur. A Card. Baron. in Appendice *Tom.* 10. *pag.* 965. *edit. Plant.* Sedes Apoſtolica profeſſa eſt ſe probare Sententiam *B. Aug.* de gratia & lib. Arb. *Card. Perronio* contra Regem Brittanniæ, vbi vocat *B. Aug.* maximum poſt Apoſtolos Doctorem Prædeſtinationis, & Gratiæ, ac linguam veteris Eccleſiæ. A *Card. Bellar. lib.* 2. *De gratia & lib. Arb. cap.* 12. Gelaſius in Conc. 70. Epiſcoporum non ſolùm probauit omnia ſcripta *S. Aug.* & *S. Proſperi*: ſed etiam contra damnauit libellos *Ioannis Caſſiani, & Fauſti Regienſis, &c.* Itaque Sedes Apoſtolica non tantùm ſemel, ſed & ſecundò, & tertiò aduerſus Pelagianorum reliquias pro defenſoribus gratiæ, & Prædeſt. ſententiam tulit: vt iam hæc Sententia non Doctorum Opinio, ſed Fides Eccleſiæ Catholicæ dici debeat. A *P. Suarez Prol.* 6. *cap.* 6. De gratia. *Apoſtolica Sedes* S. Aug. *Doctrinam de gratia, in his quæ ad Dogmata pertinent, ſuam effecit, &c. Hinc quicquid* Aug. *de gratia docet, quod cum illis Eccleſiæ definitionibus eſt neceſſariò connexum omnino ſequendum, & tanquam certum tenendum eſt; quia totùm illud licet non expreſſè, virtute eſt ab Eccleſia probatum. Addimus quicquid in hac materia* Aug. *vt certum affirmat, & ad dogmata Fidei pertinens, à quolibet prudente, & erudito Theologo eſſe tenendum, ac defendendum; etiamſi non certò conſtet eſſe ab Eccleſia definitum. Tum quia, cum Eccleſia in hac materia, tantum detulerit* Auguſtino, *magna eſſet temeritas priuati Doctoris ei contradicere, &c. Tum quia nihil tam admirandum, & ſuſpiciendum Eccleſiæ reddit* Auguſtinum, *quàm Doctrina de gratia. At ſi in ea explicanda aliquando fuiſſet in errorem lapſus: immeritò Eccleſia tam fidenter Iudicium eius in hac doctrina fuiſſet ſecuta. Quod impium eſſet cogitare. Vnde concludo non tantùm in rebus quas* Aug. *certas exiſtimat: ſed etiam in omnibus, quæ tanquam ſtabiliora conſtanter, & vbiq; amplectitur, ſententiam eius eſſe præferendam, niſi communis Patrum, & Eccleſiæ Authoritas obſtare videatur. Quod rarò, vel nunquam continget.* A. P. *Vaſquez in* 1. *p. diſp.* 89. *c.* 1. *multo melius eſt cum* Aug. *quàm cum alijs ſentire: qui in materia de gratia, & Prædeſt. inter cæteros Patres, non aliter quàm ſol inter minora ſydera præfulget.* Cap. 4. *In hac materia vnus pro multis mihi erit ſemper* Aug. Diſp. 91. c. 9. *Quid mirū ſi Patres Græci qui cū Pelagio parum diſputarāt non tā exactè ſenſerint de gratia ſicut* Aug.

4. Ab ipſorum hoſtium ſeu hæreticorum extorta Confeſſione. Vt patet ex *Poſſidio* de vita S. *Cap.* 7. Proſpero, & Hilario ſupra, imò ex *Melanchtone* Lutheranorum Moderatore. *In Scholâ noſtra gratam* Aug. *mentionem eſſe decet: cuius doctrina neceſſaria eſt Eccleſiæ.* Et ex ipſo *Cal.* lib. 3. Inſtit. c. 3. l. 4. c. 14. *Vnus Auguſtinus ſufficere poteſt: Ex illo igitur ſumant Lectores, ſi quid de ſenſu Antiquitatis habere certi voluerint.*

QVÆSTIO VIII.

An, & quomodo conciliari poſſint Doctores noſtri & omnes Catholici, tam inter ſe, quàm cum B. Aug. & hic ſecum ipſo, ac Conc. Trid. & Cenſuris Pij 5. diſcernię; ab omni praua Doctrina, De Natura, Anima, Libero Arb. Gratia, Peccatis, & Meritis? Sub qua forma, & ad quem finem neceſſarium non poteſt hæc Quæſtio pati vllam cenſuram aut calumniam.

Reſp. 1. *De Natura & Naturalibus.*

EX *B. Aug. lib.* 1. *De lib. Arb. cap.* 19. Naturam hominis aliter dicimus propriè; in qua primùm in ſuo genere inculpabilis factus eſt;

eſt : aliter illam in qua naſcimur. 1. *Retr.* 10. Quod dixi, *Nullum eſſe malum naturale, &c.* ad naturam talem refertur, qualis ſine vitio primitùs condita eſt. Ipſa enim verè ac propriè natura hominis dicitur : tranſlato autem verbo vtimur, vt naturam dicamus etiam quali naſcitur homo. *Epheſ.*2. Fuimus & nos naturâ filij iræ. 1.*Retr.*15. Quod dixi, Cap. 12. *Naturâ eſſe malæ animæ nullo modo queunt, &c.* Naturam intelligi volui quæ propriè dicitur Natura, in qua ſine vitio creati ſumus. Nam iſta propter originem Natura appellatur : quæ origo vtique habet vitium contra naturam.] Quæ monitio B. *Aug.* applicanda eſt ad multas difficultates ab ea pendentes. *Lib. 26.contra Fauſt. cap.* 3. Quid ſit ſecundùm naturam, quid contra : qui vt vos errant, noſſe non poſſint. Dici autem humano more contra naturam eſſe, quod eſt contra notum naturæ vſum: nec nos negamus, vt *Rom.* 11. Deus autem Creator omnium Naturarum, nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique naturale, quod ille fecerit : à quo eſt omnis Modus, Numerus, Ordo Naturæ. Sed nec ipſe homo contra naturam quicquam facit, niſi cùm peccat : qui tamen ſupplicio redigitur ad naturam .i. ad ordinem naturalem Iuſtitiæ, &c. Sed contra Naturam non incongruè dicimus Deum facere : cùm facit contra id quod nouimus in Natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis curſum, ſolitumque Naturæ : contra quem Deus cùm facit, magnalia, vel mirabilia, nominantur. Contra illam verò ſummam Naturæ legem, tam Deus nullo modo facit, quàm contra ſeipſum non facit, &c. Vt & *lib.* 3. *Trin.* 4. ſupra, *col.*201. *lib.6. in Gen.cap.*13. Nec iſta cùm fiunt contra Naturam fiunt : niſi nobis quibus aliter Naturæ curſus innotuit ; non autem Deo. cui eſt hoc natura, quod fecerit. *Cap.* 14. Dei voluntas rerum neceſſitas eſt. *Lib.* 9. vt ſupra *Col.* 202. 364. ſpecialiter. *Cap.* 18. Habet Deus in ſeipſo abſconditas quorundam cauſas, quas rebus conditis non inſeruit : eaſque implet, non illo opere Prouidentiæ quo Naturas ſubſtituit vt ſint ; ſed illo quo eas adminiſtrat vt voluerit, qui ipſas vt voluit condidit. *Ibi eſt & gratia per quam ſalui ſunt peccatores. Nam quod attinet ad Naturam, iniqua ſua voluntate deprauatam : recurſum per ſemetipſam non habet, ſed per Dei gratiam, quâ adiuuatur, & reſtauratur* .i. Non poteſt, vt aliæ rerum Naturæ, per ſe reſtitui in ſuum ſtatum integrum, ſiue in eodem, ſiue in ſingularibus eiuſdem Naturæ. *Lib.* 12. *Ciu. c.* 2. Deus naturas eſſentiarum gradibus ordinauit, &c. *c.* 3. Natura igitur non eſt contraria Deo, ſed vitium. *c.* 5. Naturæ omnes habent ſuum modum, ſpeciem, & quandam ſecum pacem. *C.* 25. 26. & *lib.* 21. *c.* 7. & 8. vt ſupra, *Col.* 202. 203. *lib.* 3. contra Max. *Cap.* 15. *Nos*, inquis, *in Deo Patre Naturam non accipimus, &c.* Putatis quòd à naſcendo Natura ſit dicta? Scitote quòd quæque res eſſe dicitur per ſubſtantiam, hoc eſſe per naturam. Si non putatis filium eſſe dicendum eiuſdem naturæ cuius eſt Pater : dicite eiuſdem cuius Pater eſt ſubſtantiæ. *In Pſal.* 78. *Enar.* 1. Naturæ ipſæ ſubſtantiæ dicuntur. *Lib.* 15. *Trin. cap.* 5. Quæ vita dicitur in Deo, ipſa eſt Eſſentia eius, atque Natura.] Ex his & plurimis alijs, patet Naturam ſumi ab *Aug.* 1. Pro ipſa eſſentia rei. 2. A naſcendo, ſeu ab ortu naturali, prout opponitur voluntario. Hinc 5. *Trin.* 15. Spiritus S. procedit, *non quomodo natus, ſed quomodo datus.* 3. Propriè, pro Natura creata, vt à Deo eſt inſtituta, quoad vim agendi, & patiendi. Quæ propriè Natura dicitur, prout opponitur vitio, ſeu defectui naturæ ab illa prima ſua Inſtitutione. Ex qua inaduertentia *D. Michael Baius* in tanta Doctrinæ copia, à vero ſenſu *B. Aug.* aberrauit, *Prop.* 1. 7. 9. 21. 23. 26. 58. & pluribus alijs : imò & à vero ſenſu ſacræ Script. Suppoſuit enim pro certo in ſua Apologia ad *Prop.* 9. nomen gratiæ in tota ſacra Script. non vſurpari niſi pro dono collato indignis, non tantùm negatiuè, ſed etiam priuatiuè aut contrariè, ſeu peccatoribus, quatenus tales ſunt, aut fuerunt. Cùm tamen ſacra Script. tam expreſsè reclamet. *Luc.* 1. Aue gratiâ plena. Imò *Ioan.* 1. de Chriſto: *Plenum gratiæ & veritatis, &c.* Et *B. Aug.* 12. *Ciu.* 9. Deus ſimul in Angelis condens naturam, & largiens gratiam. *De Corrept. & Gratia cap.* 11. Nec ipſum *Adam* voluit eſſe ſine ſua gratia. *Epiſt.* 95. 105. Diſtinguat gratiam naturalem qua creati ſumus, à gratia ſupernaturali, quâ Iuſti, ſeu recti creati ſumus. Et *Conc. Arauſ. Can.* 19. profiteatur Naturam humanam non potuiſſe in ſua prima integritate ſine gratia Dei permanere. Hinc quia peccato *Adæ* Natura humana in ipſo priuata fuit gratiâ primæ conditionis : *vt ipſe meliores ſe gigneret, non erat æquitatis.* 3. *De lib. Arb.* 20. ſed potiùs lege naturali ſibi ſimiles, ſeu *in ſimilitudinem Præuaricationis Adæ*, *Rom.* 5. i. ſimiles in culpa Originali, & Concupiſcentia ; de quâ infra. Porro, lege ordinaria, ex *B. Aug.* 7. *Ciu.* 30. Deus ſic adminiſtrat omnia : vt etiam ipſa proprios agere motus ſinat. *Et* 9. *in Gen.* 18. Natura ſua voluntate deprauata recurſum ſeu reſtitutionem in integrum per ſemetipſam non habet ; ſed per Dei gratiam. Ergo Deus non præbet Naturæ vitiatæ vllum auxilium contra, & ſupra eius vitium, ſeu concupiſcentiam : niſi ex aliqua gratia ſupernaturali, per Chriſtum reſtituta, ſeu ſupra omne meritum, dignitatem, diſpoſitionem, aut exigentiam actiuam, vel paſſiuam talis Naturæ vitioſæ. Nec tamen omnia dona primæ conditionis erant naturalia, aut connaturalia Naturæ humanæ necdum vitiatæ : vt prætendebat *D. Baius* varijs *Prop.* ſupra. Sed quæ erant ſupra neceſſariam perfectionem eſſendi, & operandi, corpore, & animo, ad finem naturalem, ſeu conſeruationem & exercitationem talis Naturæ : erant ei gratuita, & ſupernaturalia, vt primo ſubiecto, omnique eius actiuitati, & diſpoſitioni ; non autem primo eius ſtatui habituali, gratuito, & ſupernaturali, qui exigebat gratias actuales tali ſtatui connaturales, vel potiùs conſupernaturales. Hinc *B. Aug. lib.* 1. *De Peccatorum meritis, & Remiſſ. cap.* 11. Regnauit mors ab *Adam*, in eos qui peccauerunt originaliter *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ* : vel non peccauerunt actualiter, *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ* .i. *vt ei ſimiles crearentur, ſicut ex Homine homines ; ita ex Peccatore peccatores, ex mori-*

turo morituri, damnatoq; damnati.

Lib. 13. *Civ. cap.* 3. Fatendum eſt primos quidem homines ita fuiſſe inſtitutos: vt ſi non peccaſſent nullum mortis genus experirentur; ſed eoſdem primos peccatores ita fuiſſe morte mulctatos, vt etiã quicquid eorum Stirpe eſſet exortum, eadẽ pœna teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis quam quod ipſi fuerant naſceretur. Pro magnitudine quippe culpæ illius, Naturam damnatio mutauit in peius: vt quod pœnaliter præceſſit in primis peccantibus, etiam naturaliter ſequeretur in naſcẽtibus cæteris. Neque enim homo, ita eſt ex homine, ſicut ex puluere, &c. Sed quod factus eſt, non cùm crearetur, ſed cùm peccaret, & puniretur, hoc genuit.] Sic & *Lib.* 2. *de Nupt. & Concup. Cap.* 27. *Epiſt.* 89. & alibi ſæpè. Vnde quibuſdam videtur tam primum illum ſtatum, quàm hunc noſtrum non eſſe ex natura rei, ſed ex ſolo decreto Dei: Alijs è contra, eſſe ex ipſa rei natura. Sed eſt potiùs vtrimque ſimul: quia & eſt naturale generare ſibi ſimile, & hoc ipſum eſt ex decreto Dei, ſeu inſtitutione connaturali, vt ſimile generet ſibi ſimile; nõ ſecundum quaſlibet perfectiones, aut defectus perſonales, & accidentales, ſiue naturales, ſiue acquiſitos, cùm nec cæci generent cæcos, nec docti doctos; ſed ſaltem ſecundùm ipſam vim naturalem generandi. Quæ cum in primis parentibus degenerauerit in concupiſcentiam: eſt etiam connaturale vt poſteri generentur in ſimili ſtatu concupiſcentiæ. Si autem generaſſent in ſtatu innocentiæ, & ſecundùm vim illius ſtatus: connaturaliter genuiſſet ſibi ſimiles in illo ſtatu. Non quod ille ſtatus gratiæ futurus fuiſſet propriè naturalis, ſiue ex ſola cauſa naturali, ſiue ex iure, ac debito naturæ: ſed ex prima Dei inſtitutione valdè conueniente tali naturæ. Quo ſenſu verborum conciliari poſſunt plurima *B. Aug.* cum varijs Cenſuris Pij 5. & hæ cum illis: Sed ſingulariter in hanc *Prop.* 53. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem qualis nunc naſcitur.* Non quoad ſtatum culpæ aut pœnæ originalis: in quo nimis certum eſt hominem non potuiſſe ſic primò creari; ſed quoad ſtatum ſolius miſeriæ præſentis, excepta priuatione gratiæ actualis neceſſariæ non ad peccandum, aut certè excepta ipſa peccabilitate, vel imputatione, quæ videtur eſſe pœna peccati. Sic enim facilè cointelligi poteſt *B. Aug.* 1. *Retr.* 9. Etſi ignorantia & difficultas eſſent hominis primordia naturalia: nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus. *Quæſt.* 82. *ex* 83. Si Deus grauia perpeti iuſtos ſineret, quia contra ordinem rerum à ſe diſpoſitum nollet venire: nec ipſe iuſtus eſſet; non quia diſpoſitionem ſuam ſeruaret, ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinẽ rerum, vt immeritis pœnis iuſti affligantur. *Lib.* 1. *de Pec. Mer. & Rem. à cap.* 35. *ad* 39. De peccato originali infantium: ab ipſa experientia miſeriæ in quã naſcuntur. *Lib.* 3. *Cap.* 10. Quæ iuſtitia eſt: vt anima recens creata, & ab omni delicto immunis, paſſiones carnis, & quod horribilius etiam Dæmonum incurſus in paruulis ſuſtinere cogatur? *Lib.* 4. *contra Iul. cap.* 16. Euidentia miſeriæ, Gentium Philoſophos compulit dicere, ob aliqua ſcelera in vitã priore, nos eſſe natos. *Lib.* 2. *Imperf. in Iul. num.* 36. Dic quã iuſtitiã retributum ſit paruulis graue iugum tam magnæ miſeriæ. *Num.* 55. Cur tanta corruptibilitas corporis? Cur tanta mentis obtuſio? &c. ſupra. Quæ cùm toties à *B. Aug.* inculcentur, de tantâ & tam communi miſeria totius naturæ humanæ præ omni alia animali, etiam in pueris innocentibus ab omni culpâ actuali: ad probandam ſingulorum culpam originalem, quæ ſola Fide creditur ſupra omnem rationem, & experientiam naturalem: non poſſunt intelligi de impoſſibilitate abſolutâ miſeriæ humanæ ſine culpa Originali; nec de tali quali miſeria, ſed de tantâ tamque communi corporis, & animi, in ſignum probabile alicuius culpæ originalis. Cùm enim Deus ſit omnium Creator ex nihilo, & Dominus abſolutiſſimus ab omni lege, obligatione, & iure creaturæ ad beneficia creationis, conſeruationis, præſeruationis, & cuiuſuis prouidentiæ: & ex *B. Aug.* toties ſupra, *id ſit cuiuſq; natura, & naturale, agere vel pati quod Deus vult*: cur non poſſit, etiam ſapienter, ad maiorem gloriam ſuæ libertatis, & Dominij, exponere aliquam creaturam rationalem miſerijs proprijs ſuæ naturæ, abſque vllo auxilio gratiæ? Exceptâ ſaltẽ neceſſitate peccandi, vel priuatione gratiæ neceſſariæ ad nõ peccandum, vel imputatione peccati. Nã nec vllam creat neceſſariò, nec neceſſariò ad finem ſupernaturalẽ: & finis diſtinguendi naturam ab omni gratiâ, ad maiorem gloriam gratiæ, & omnipotentiæ, ac liberrimæ voluntatis Dei, excedit omnem alium finem propriũ creaturæ rationalis. Sed *B. Aug.* vrget Pelagianos ab æquitate Dei: vel comparatiuè ad alias creaturas; vel quia ipſi non diſcernebant naturam à gratia, ſed hanc cum illa confundebant, vel illi neceſſariò annectebant quaſi ex æquitate Dei.

Cui doctrinæ, & modo loquendi *B. Aug.* de Naturalibus, conſonat *noſter Alenſis*. Vt patet ex 2. *q.* 41. *mem.* 3. *ſupra col.* 18. *q.* 78. *m.* 3. Vbi citat ad ſum intentum, quod nos ſupra, ex *Lib.* 23. *contra Fauſt.* Id erit cuique naturale quod Deus fecerit. *q.* 83. *m.* 1. Vbi ad 6. diſtinguit tres ſtatus naturæ humanæ: conditæ, lapſæ, reparatæ; & natale, à veritate naturæ, vel ab actione naturæ. *In* 1. *q.* 37. *m.* 3. Deus non poteſt contra ius naturæ ad ſeipſum: ſed contra omnem ordinem Creaturæ ad finem proprium. Nec obſtat quòd in 2. *q.* 72. *Ad vlt. Videtur vniuerſum non futurum perfectum, ſi naturæ rationali non conferretur gratia.* Quia id ait tantùm obiter; nec abſolute, ſed *forſitan*; nec de gratia habituali, ſed de aliqua ad bonum; nec de aliqua ſingulari natura aut ſpecie, ſed de omni. Nec denique vult eſſe impoſſibile abſolutè ipſum vniuerſum creari ſine hac perfectione gratiæ.

S. Bon. in 2. *diſt.* 33. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 1. Natura dupliciter accipitur. 1. Pro vi inſita ſimilia procreandi? 2. Pro communicabili ipſi ſuppoſito. *Diſt.* 37. *Dub.* 1. Natura dicitur tripliciter. 1. pro re quæ naturaliter eſt, vel ineſt. 2. Pro omni conſeruante Naturam. 3. Pro quouis ente. Cùm ergo dicit *Aug.* quod natura eſt omne quod fecit. i. creando, concreando, vel cooperando. *Ad* 1. *&* 2. Eſſentia non dicit principium, vt natura.

Scot. in 4. *d.* 1. *q.* 6. *n.* 4. Si natura non poſſet fieri recta ſine gratia: Hæc eſſet illi naturalis. Et alibi ſæpè. *In* 1. *q.* 1. Prologi ſupra *col.* 117. *In* 2. *d.* 18.

Digitized by Google

d. 18. in 4. diſt. 43 q. 4. & alibi ſæpè explicat naturam & naturale, potiùs paſſiuè quàm actiuè, diſtinguitque à ſupernaturali, libero, violento, & neutro : quibus addi poteſt etiam artificiali, & acquiſito. Hinc patet, naturam, & naturalia ſumi poſſe. 1. Pro vniuerſitate cauſarum naturalium, ſeu ex neceſſitate naturæ agentium : prout opponuntur agentibus liberis, & artificioſis, ſeu ſuo modo proprio ab illis diſtincto, vt ſupra *col.* 245. 246. 249. 250. 2. Pro ipſa eſſentia, ſeu ratione formali eſſendi cuiuſuis rei. 3. Pro principio per ſe, & intrinſeco motus, & quietis eius in quo eſt : vt ab Ariſt. deſcribitur 2. & 8. *Phyſ.* Pro principio, inquam, vel partim actiuo, partim paſſiuo : vel potiùs paſſiuo ; vt docet *Scotus* noſter, *In* 2. *d.* 18. ex *Ariſt.* 2. *Phyſ.* Quia medicus non ſanatur per ſe vt medicus, ſed vt infirmus. Vnde infert naturam eſſe principium intrinſecum per ſe paſſiuum motus : licet interdum habeat per accidens adiunctum principium intrinſecum actiuum eiuſdem motus. 4. Pro inclinatione naturali ordinata, ſpecialiter naturæ humanæ vt rationalis eſt, ad omnia rationi conuenientia. 5. Pro inclinatione, & motibus inordinatis naturæ ſpecialiter humanæ vt eſt vegetatiua, ſenſitiua, imo & intellectu, & voluntate ad ſeipſam & ad propria bona apparentia incuruata, ac deprauata. Prout eam piè, & eleganter deſcribit *B. Cypr. Præf. Ad Opera Chriſti* Cardinalia, & *B. Aug.* ſæpe, infra Quæſtione morali. 6. Pro natura à naſcendo, ſeu qualis naturaliter naſcitur, non liberè fit : & pro naturalibus, quæ eã naturaliter comitantur aut ſequuntur. 7. Pro tota vi reali, & morali, actiua, paſſiua, formali, & finali, naturali, & connaturali, ſeu propria creaturæ ſpeciliter rationali, & ſingulariter humanæ, ex ſeipſa : ſeu ex tota ſua perfectione eſſentiali, & accidentali à ſeipſa quouis conatu naturali aut libero, vel à Deo vt authore naturæ, & alijs cauſis ſecundis ſibi conſequenter debitâ. Quo ſenſu vtendum eſt hîc præcipuè nomine naturæ, & naturalium : prout ſupponuntur, & opponuntur gratiæ, gratuitis, & ſupernaturalibus, .i. Pro principio intrinſeco actiuo ad effectus ſuis viribus proportionatos : & pro ſubiecto non tantùm remoto, ſed etiam diſpoſito, & exigente aliquam formam ad ſuum finem naturalem, ſeu ad ſui, ſuæque ſpeciei conſeruationem, ſtatum, ac operationem ſibi conuenientẽ. Prout opponitur potius ſupernaturali, quàm libero: quia & ipſum *lib. Arb.* hîc ſub natura & naturalibus continetur. Vtemur autem nomine naturaliũ, pro actionibus, effectibus, & formis tali principio, ac ſubiecto poſſibilibus, ſeu proportionatis, & conuenientibus.

Reſp. 2. De Anima Humana, eiuſque Naturalibus.

EX *B. Aug.* 1. *Retr.* 11. 13. *& alibi.* Vbi retractat ſe fuiſſe vſum nomine Animæ pro quouis ſpiritu, ſeu creatura ſpirituali. *Lib.* 1. *Solil.* Per varias rationes pro immortalitate animæ. Quas *Epiſt.* 151. ad ſuum Nebridiũ ſic recolligit. *Illa ratiocinatio cui tanquam vnicæ meæ blandiri ſoleo, & eâ me nimis oblectare. Vnde conſtamus? Ex animo & corpore. Quid horum melius? Animus. Quid laudatur in corpore? Pulchritudo. Quid eſt corporis pulchritudo? Congruentia partium, cum quodam coloris ſuauitate. Hæc forma vbi vera melior, an vbi falſa? Vbi vera. Vbi ergo vera eſt? In animo. Animus igitur magis amandus eſt quàm corpus. Sed in quâ parte animi eſt iſta veritas? In mente, atque intelligentia. Quid huic aduerſatur? Senſus. Reſiſtendum eſt ergo ſenſui totis animi viribus, &c. Quid ſi ſenſibilia nimium delectant? Fiat vt non delectent. Vnde fit? Conſuetudine ijs carendi, appetendiq; meliora. Quid ſi moritur animus? Ergo moritur veritas, aut nõ eſt in intelligẽtiâ veritas, aut intelligentia nõ eſt in animo, aut poteſt mori aliquid in quo aliquid immortale eſt? Nihil autem horum fieri poſſe Soliloquia noſtra iam continent.*

Lib. de Immortalitate Animæ, videtur proſequi illas rationes Sophiſticè : ab immortalitate veritatis, & eius inexiſtentia naturali in anima; ad immortalitatẽ animæ. Sed ratio *B. Aug.* non eſt intelligenda de veritate tantùm entitatiua : nec tamen de veritate formali, ſiue habituali, ſiue actuali ; ſed de virtuali, ſeu ipſa vi, & lumine intellectuali. Quod cum identificetur animæ rationali, nec ſit ei vllum contrarium à quo corrumpi poſſit, habeatque ipſam veritatem æternam pro obiecto : conſequenter naturâ ſuâ nec in anima, nec cum anima extingui poteſt. Ex 1. *Retr.* 4. Præſens eſt eis lumen rationis internæ : vbi hæc immutabilia vera conſpiciunt *Cap.* 8. Anima eſt natura intellectualis, & connectitur non ſolùm intelligibilibus, ſed etiam immutabilibus rebus. Sic & 12. *Trin.* 15.

Lib. De quantitate Animæ cap. 13. Anima eſt quædam ſubſtantia rationis particeps, regendo corpori accommodata. *Cap.* 28. Anima Belluarum magis corpori affixa eſt : humana verò, ſuſpendit ſe à corpore quantùm poteſt, &c. Inde eſt quod etiam pueri vagientes, quantò à ratione alieniores ſunt : tantò facilius diſcernunt ſuas nutrices, &c. Vnde patet intelligi de affixione, aut ſuſpenſione, obiectiuè, non ſubiectiuè. *Cap.* 30. Ex vi animæ videndi ſubitò obiecta tam diſtantia : infert, *Cui non videatur nullo loco animam contineri?*

Iſta conſideratio ad noſmetipſos nos inuitat, & quantum licet auehit à corpore, &c. Non defuerunt doctiſſimi homines, quibus id placuerit, neq; nunc arbitror deeſſe. Quæ opinio vel retractatur, vt 1. *Retr.* 5. Vel intelligitur de non extenſione locali, ſed ſolum virtuali, & vitali animæ in corpore, & extra. Vt *Lib.* 6. *De Muſica cap.* 8. Radios viſuales procul in obiecto ab anima vegetari. *Lib.* 8. *in Gen.* 21. Anima miris modis ipſo incorporeo nutu commixta eſt viuificando corpori. *Epiſt.* 28. Anima per totum corpus quod animat, non locali diffuſione, ſed quadam vitali intenſione porrigitur, &c. Sed difficilius eſt, quod *Cap.* 31. tribuat cuiuis animæ etiam vermium, indiuiſibilitatem in corpore: contra experientiam ſenſuum; plus deferens rationi quàm vlli experientiæ, neganſque potiùs animas diuiſibiles eſſe animas, quam hanc diſtinctionem inter animas, & corpora, quod hæc ſint diuiſibilia, illæ non ſint.

Lib. 3. *De libero Arb. cap.* 20. refert 4. Opiniones de origine animæ humanæ. *Cap.* 21. Sic eas

Digitized by Google

breuiter recolligit. *Harum 4. de Anima Sententiarum. 1. Vtrum de Propagine veniant. 2. An in ſingulis naſcentibus nouæ fiant. 3. An in corpora naſcentium iam alicubi exiſtentes mittantur diuinitus. 4. vel inde ſua ſponte labantur : nullam temerè affirmare oportebit. Aut enim nondum illa Quæſt. pro merito ſuæ obſcuritatis euoluta, atq; illuſtrata eſt : aut nondum in manus noſtras litteræ peruenerunt, &c.*

Lib. 7. in Gen. à *Cap.* 24. vt ſupra, *Col.* 276. *Lib.* 8. vt ſupra *col.* 252.

Lib. 10. *cap.* 1. Dicunt, *Tacitum eſt quod in* Euæ *faciem flauerit Deus : quia & Anima ex homine propagata eſt, &c.* Quantò chariùs diceret *Adam*, *Gen.* 2. Et Anima de anima mea? *Cap.* 3. Nouas animas fieri, ſi dixerimus : cauendum eſt ne fruſtra Script. commendet ſex diebus Deum conſummaſſe Opera ſua, &c. Sed quia non alterius generis creatura eſt anima, quàm illius, *Gen.* 2. non rectè dicimus Deum ea facere nunc quæ tunc non conſummauit. *Cap.* 4. Firmiſſimè teneamus animæ naturam, nec in naturam corporis conuerti, nec in naturam animæ irrationalis, nec in naturam Dei, nec è contra, &c. Reſtat vt aut de nihilo fiat, aut de aliqua ſpiritali, tamen rationali creatura. Sed de nihilo fieri conſummatis Operibus : violentum eſt velle monſtrare, &c. *Cap.* 5. Quod ex Angelis : nulla mihi de libris Can. occurrit authoritas : multò minùs ex elementis. *Cap.* 17. Puer eram ingenioſus & ſortitus ſum animam bonam, & veni ad corpus incoinquinatum, *Sap.* 8. Quid ſi maternum intelligatur? *Cap.* 18. Poſſunt etiam iſta Domino coaptari. Quid ingenioſius illo puero? Quid illa anima melius? Quid incoinquinatius illo vtero Virginis? Si à me quæratur vnde acceperit animam, &c. Libentiùs reſponderem non de *Adam*, quàm de *Adam*, &c. Ideò fortaſsè ait, *Sortitus ſum, &c.* *Cap.* 20. Nec *Leui*, nec Chriſtus in lumbis Abrahæ ſecundùm animam : ſecundùm carnem verò, & *Leui*, & Chriſtus; ſed *Leui* ſecundùm concupiſcentiam carnalem, Chriſtus autem ſecundùm ſolam ſubſtantiam corporalem, *Heb.* 7. *Cap.* 21. In corporis ſemine poteſt eſſe vis inuiſibilis, &c. Vincant qui poterunt; &c. *Cap.* 22. Quod natum eſt ex carne caro eſt : quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt. *Ioan.* 3. Contra : *Sentimus carnem venire de carne operantis, ſpiritum de ſpiritu concupiſcentis.* *Cap.* 23. Omnia pœnè paria pronunciarem : niſi eorum ſententia qui animas ex Parentibus creari putant, de Baptiſmo paruulorum præponderaret, &c. *Cap.* 24. Corporalibus aſſuefacti, & affecti ſenſibus, nolunt animam credere aliud eſſe, quàm corpus : ne ſi corpus non fuerit, nihil ſit. Ac per hoc tantò magis timent etiam de Deo credere quòd corpus non ſit : quantò magis timent Deum credere nihil eſſe, &c. Ita neceſſe eſt vt & Iuſtitiam, & Sapientiam pingant in cordibus ſuis, cum formis & coloribus, &c. *Cap.* 25. *Tertull.* quia corpus eſſe animam credidit : nec de Deo valuit aliter ſapere, &c. *Cap.* 26. Noluit tamen animam creſcere ſubſtantia, ſicut corpus : ne etiam decreſcere, & defectura credatur. Et tamen quia per corpus eam localiter tendit : non inuenit exitum incrementorum eius, &c. *Conſtitue*, inquit, *certum pondus auri, vel argenti, rudem adhuc maſſam, &c. Cùm in laminam maſſa laxatur, maior efficitur per dilatationem, non per adiectionem, &c. Tunc & ſplendor ipſe perhibetur, qui priùs fuerat obſcurior, &c. Ita & animæ incrementa reputanda, non ſubſtantiua, ſed prouocatiua.* Quis hunc crederet cum iſto corde tam diſertum eſſe potuiſſe? Sed tremenda iſta ſunt, non ridenda.

Lib. 12, *cap.* 16. Omnis ſpiritus eſt omni corpore præſtantior, &c. Nec putandum facere aliquid corpus in ſpiritum, &c. Imaginem ſui non corpus in ſpiritu, ſed ipſe ſpiritus in ſeipſo facit celeritate mirabili. *Cap.* 32. Vtrum anima habeat aliquod corpus, cùm de hoc corpore exierit, oſtendat qui poteſt : ego autem non puto. Spiritalem enim eſſe arbitror, non corporalem. *Cap.* 33. Animam non eſſe corpoream, non me putare, ſed planè ſcire audeo profiteri : tamen habere poſſe ſimilitudinem corporis.

Epiſt. 28. *ad S. Hier.* vt ſupra *Col.* 315. 316. *Libris De origine animæ*, vt ſupra 307. 308. exceptis ſequentibus. *Lib.* 1. *Cap.* 5. Quòd Animā non ſpiritum, ſed corpus eſſe contendit : quid aliud vult efficere, quàm nos non ex anima, & corpore; ſed ex duobus, vel tribus corporibus conſtare? *Cap.* 6. *Cur*, inquiunt, *Deus animam in corpus peccati relegare voluit?* In huius Quæſt. ſcopuloſo gurgite debuit cauere naufragium. *Cap.* 14. Sanctarum Script. Teſt. probare ſe exiſtimat, *Animas à Deo, non ex propagine fieri, ſed nouas ſingulis inſufflari.* Eſa. 52. *Dominus dat flatum populo, &c. Spiritus à me exiet, & omnem flatum ego feci.* Zach. 12. *Qui fingit ſpiritum hominis in ipſo.* 2. Mach. 7. *Filij neſcio quomodo apparuiſtis in ventre meo : neq; enim ego ſpiritum & animam donaui vobis, ſed Deus, &c.* Cap. 15. Vtinam imitaretur matrem Mach. *Neſcio, &c.* Cap. 16. *Deus dat omnibus vitam, & ſpiritum.* Act. 17. Cap. 18. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, Gen. 2. *non anima ex anima mea, &c. Sed cùm ſcriptum ſit Deum ædificaſſe coſtam in mulierem : non eſt additum, quòd in eius faciem ſufflauerit flatum vitæ, quia iam de viro fuerat animata, &c.* Cap. 19. Dicit, *Animas eſſe genus Dei, non naturâ, ſed munere, &c.*

Lib. 2. *cap.* 5. Incorporeum Deum eſſe quod credit : gratulor eum hinc ſaltem à *Tertulliani* deliramentis eſſe diſcretum. *Lib.* 3. *cap.* 3. Quid eſt quod dicis, *Animam eſſe quandam particulam halitus naturæ Dei?* Sed dicis, *Cùm de ſeipſo halitum, vel flatum facit, ipſe integer manet.* Quaſi non & ignis lucernæ integer maneat, cùm de illa, altera accenditur. *Cap.* 4. Sed inquis, *Nunquid Animæ noſtræ eſt portio, vteris inflatio?* Vt nos non de natura noſtra, ſed de iſto aëre flatum facimus : ita Deus non de ſua natura, ſed de nihilo flatum facere poteſt viuentem, &c. *Cap.* 5. Itane Tu flatum Elizæi, 4. *Reg.* 4. fuiſſe putas animam pueri?

Lib. 4. *Cap.* 2. Hæc ſunt quæ in me reprehendiſti. *1.* Quod de origine animarum, non ſum aliquid auſus definire. 2. Quod animum ſpiritum eſſe ſcire me dixi, non corpus, &c. Dixiſti : *Quid differt homo à pecore, ſi neſcit de ſua qualitate, naturaq; diſſerere?* *Cap.* 6. Non poſſumus capere nos, & certè non

non ſumus extra nos: nec ideo comparandi pecoribus. *Cap.* 8. Mirificata eſt ſcientia tua ex me, *Pſal.* 138. quandoquidem ſeipſum comprehendere non valebat. *Cap.* 11. Deus prædeſtinauit ad mortem æternam, etiam propter originale peccatum. *Cap.* 14. *Corpus intra corpus, &c. hominem interiorem velut in forma vaginæ corporalis incluſum ad ſimilitudinem ſui delineauit exterior, &c.* Interiorem hominem vis eſſe animam: intimum, ſpiritum, ſicut illa eſt corpori, &c. Sed Deus non eſt corpus: quomodo ergo capiat eius imaginem corpus? *Cap.* 15. Sed, inquis: *Si anima caret corpore, quid eſt quod apud inferos diues ille cognoſcit?* Vt noueris te ipſum credo quod aſſiduè ſpeculum attendis. Quis poteſt cognoſcere Deum, ſi ſola corpora poſſunt cognoſci? *Cap.* 16. *Membra animæ deſcribuntur*, Luc. 16. Cur nomina membrorum in Deo tibi corpus non faciunt, in anima faciunt? *Cap.* 17. Si anima corpus eſſet, tam multas & magnas corporum Imagines capere non poſſet. *Cap.* 18. S. Perpetuæ ſibi viſa eſt in ſomnis, cum quodam Ægyptio, in virum conuerſa, luctari. Si corpus erat: cur non ſeruabat vaginæ ſuæ formam? Si non erat corpus, ſed aliquid ſimile corpori: vides fieri poſſe vt ſit in anima ſimilitudo quædam corporis, nec ipſa ſit corpus? Quomodo anima ſecundùm tuam opinionem, *quando membra corporis præciduntur, ab ictu ſe ſubtrahit, & in alias partes denſando ſe colligit?* Nec attendis quod ſi ſe anima inde ſubduceret: nec illa percuſſio ſentiretur. *Cap.* 20. Animã dicis, *per cuncta membra diffuſam gelando riguiſſe, & totam totius accepiſſe formã corporis.* Cur obſecro te omnia ſunt membra fœminea, aut maſculina: & non eſt fœmina, non eſt maſculus? &c. *Cap.* 21. Non omnis ſimilitudo corporis, corpus eſt: dormi & videbis in ſomnis, &c. *Cap.* 22. Multis modis Scripturæ diuinæ ſpiritum nominant: ſed de quo nunc agimus, quo ratiocinamur, intelligimus, ſapimus, conſtat inter nos propriè nuncupari, vt non ſit vniuerſa anima, ſed aliquid eius. *Cap.* 23. i. Rationale noſtrum, &c.

Epiſt. 157. *B. Aug.* Ad *Optatum* Coëpiſcopum. Vtrum animæ vt corpora propagatione naſcantur, ſintque ex illa vna quæ primo Homini creata eſt, an Creator omnipotens, qui vtique vſque nunc operatur, ſine vlla propagatione nouas faciat ſingulis proprias: nunquam auſus fui definitam proferre ſententiam, &c. Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non eſt, &c. Non tamen eam partem Dei eſſe credamus, ſed creaturam: nec eſſe corpus, ſed ſpiritum: nec veniſſe in hoc corpus ob vitæ antea malè geſtæ merita &c. Meritò autem videretur iniuſtum, quòd fiunt vaſa iræ, *Rom.* 9. ſi non eſſet vniuerſa ex Adam maſſa damnata. Si ſoli crearentur ex Adam, qui eſſent per gratiam recreandi: lateret beneficium quod donaretur indignis. Tam multos autem creando naſci voluit, quos ad ſuam gratiam non pertinere præſciuit, vt in multitudine incomparabili plures ſint illis quos prædeſtinare dignatus eſt: vt etiam ipſa reiectorum multitudine oſtenderetur, quàm nullius momenti ſit apud Deum iuſtum quantalibet numeroſitas iuſtiſſimè damnatorum. *Infra.* Qui animas ex vna propagari aſſerunt, ſi *Tertuliani* opinionem ſequuntur, profectò eas non ſpiritus, ſed corpora eſſe contendunt. Quo peruerſius quid dici poteſt? Neque hoc *Tertul.* ſomniaſſe mirandum eſt: qui etiam Deum nihil eſſe niſi corpus opinatur. Quâ dementiâ repulsâ, quiſquis animam non eſſe corpus, ſed ſpiritum confitetur, & tamen in filios ex parentibus duci: in eo quidẽ nullis coarctatur anguſtijs, quòd omnes animas vera fides prædicat trahere originale peccatum, &c. Sed cùm conſiderari cœperit quid dicatur: mirum ſi vllus ſenſus comprehẽdit humanus, quonam modo tanquam lucerna de lucerna accenditur; ſic anima, de anima parentis fiat, vel traducatur in prolem. Vtrum incorporeum ſemen animæ ex Patre currat in Matrem: An quod eſt incredibilius, in ſemine corporis lateat. Cùm autem fluũt irrita ſemina, vtrum ſemen animæ non ſimul exeat, an ſumma celeritate vnde exierat recurrat, an pereat. Etſi perit, quomodo ipſa cuius mortale ſemẽ eſt, immortalis eſt anima? An immortalitatem tũc accipit, quando formatur vt viuat: ſicut iuſtitia quando formatur vt ſapiat? Et quo pacto eam Deus fingat in homine, *Zach.* 12. *Pſal.* 32. Vtrum ex vna anima hominis primi, *ſicut fingit ſigillatim facies hominum, ex vno tamen corpore primi hominis:* Non eſt erubeſcendum homini confiteri ſe neſcire quod neſcit, &c. Aliquid certum de animæ origine nondum in ſcripturis Can. reperi. Mihi videtur eſſe præcipuum, *Eccl.* 12. *Reuertetur puluis in terram, ſicut erat, & ſpiritus ad Deum qui dedit eum.* Sed facillimè reſpondetur, ſiue ex illo vno, ſiue ex nullo alio, Deus vtique dedit eum. *Item.* Qui propaginem animarum temerè defendunt, nihil expreſſius putant quàm *Gen.* 46. *Omnes animæ quæ exierunt de femoribus Iacob, &c.* Sed hoc non ſufficeret, nec ſi legeretur, *Quæ exierunt*: quoniam & animæ nomine corpus ſolum poteſt ſignificari, vt continens per contentum, Baſilica per Eccleſiam. Nunc verò cùm ſit poſitum, *qui exierunt*: quis non intelligere malit, *Omnes animæ hominum qui exierunt, &c. Infra.* Si potes animas ſic alienas à propagatione defendere, vt tamen chyrographo quod ſola Chriſti morte rumpendum eſt, carnis debito iuſtè appareant obligatæ: non ſolùm nomine prohibente defende, verùm etiam id nobis oſtende.]

Hinc noſter *Alphonſus à Caſtro*, inter Hæreſes de anima, excuſat traducem animarum ab Hæreſi. 1. Quia non reprobatur vllã expreſſa Script. ſacra, vel definitione Eccleſiæ. 2. Quia *B. Aug.* non tantùm fuit dubius, ſed ſub hæreſi 81. *Luciferianorum*, & 86. *Tertullianiſtarum*, negat eos ideo fuiſſe Hæreticos. 3. Quia non tantùm Patres priores *B. Aug.* ſed etiam poſteriores fuerunt in illa opinione, vel dubio. 4. Quia *S. Tho. lib.* 2. *contra Gentiles, cap.* 86. non dicit eſſe hæreſim, ſed errorem: nec reprobat ex ſacra Script. aut ſacris Conc. ſed ſolis rationibus naturalibus. Verùm ſenſus *Luciferianorum*, & *Tertullianiſtarum* videtur eſſe hæreticus: quod videlicet animæ traducantur, ſeu generentur per *transfuſionem, vt ipſum corpus*, ſeu ex ſemine materiali; quia hoc eſt animam eſſe materialem, non ſpiritualem. Sed ſenſus *B. Aug.* nec eſt hæreticus, nec erroneus, imò veriſſimus: quòd ſingulæ animæ rationales

Digitized by Google

rationales creentur quidem ex nihilo materiæ intrinſecæ, aut ſubſtantiæ propriæ vel alienæ, non tamen ex nihilo corporis humani; ſed ex natura & anima primi hominis .i. ad eius ſimilitudinem, & ad exigentiam & informationem corporis humani; ſicque dici poſſint traduci naturaliter, & exemplariter. 1. Quia *B. Aug: hæreſi* 81. 86. & *Lib.* 10. *In Gen. Epiſt.* 157. & alibi ſæpè reprobat traductionem in ſenſu *Luciferiano*, & *Tertulliano*, vt peruerſiſſimam: ergo ipſe habet longè alium ſenſum ſpiritualem. 2. Quia *Epiſt.* 28. *ad S. Hier.* ſupra, expreſsè ſupponit animam eſſe incorporeã, indiuiſibilem, & totam in ſingulis partibus corporis: ergo non dubitat ibidem, quin tota ſimul producatur ex nihilo materiæ, & ex nihilo animæ propriæ vel alienæ; ſed tantùm an non ex natura, & exemplari animæ primæ. 3. *Lib.* 10. *in Gen.* hunc ſuum ſenſum ſatis indicat *Cap.* 3. ſupra: *Quia non alterius generis creatura eſt anima, quàm illius primæ: non rectè dicimus Deum ea facere quæ tunc non conſummauit. Iam enim tunc animam fecerat, quales & nunc facit: & ideo non aliquod nouum creaturæ genus iam facit, &c. Nec contra cauſales rationes rerum futurarum hæc eius operatio eſt, ſed potius ſecundùm ipſas: quandoquidem corporibus humanis, quorum ex illis primis operibus propagatio continuata ſucceſſione protenditur, tales congruit animas inſeri, quales nunc facit atq; inſerit.* 4. Quia *Epiſt.* 157. præfert omnibus alijs coniecturis, hanc ſuam vltimam: *Vtrum ex vna anima hominis primi, ſicut Deus fingit ſingillatim facies hominum, ex vno tamen corpore primi hominis.* Non materialiter, nec cauſaliter, ſed exemplariter. 5. Quia *B. Aug.* vbique profitetur ſe non probare traductionem animarum, niſi in ſenſu neceſſario ad contrahendum peccatum originale: hic autem ſenſus eſt ad hoc neceſſarius & ſufficiens, ab ipſo *B. Aug.* ſæpè expreſſus, & applicatus. Vt patebit infra de peccato originali. Non poteſt enim concipi quâ æquitate animæ contrahant peccatum originale: niſi aliquo ex illis modis oriantur ex primo parente. 6. Ex illo *Rom.* 5. *In ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri*: quo *B. Aug.* tam ſæpè vtitur ad probandam æquitatem Dei in creandis hominibus corpore, & animo ſimilibus Adamo.

De Anima vt eſt Imago Dei, & Immortalis.

Ex *B. Aug.* paſſim: ſed ex profeſſo & cõſequenter, *Lib.* 9. *Trin.* De Imagine Dei, & SS. Trin. in anima noſtra, ſecundùm mentem, notitiam, & amorem ſuiipſius. *Lib.* 10. De reductone huius imaginis ad memoriam, intelligentiam, & voluntatem. *Lib.* 11. De veſtigio, ſeu quadam imperfectiori ſimilitudine SS. Trin. in ſenſibus internis, ac externis. *Lib.* 12. De ſimilitudine SS. Trin. in nobis ſecundùm portionem inferiorem: non autem propriè ſecundùm figuram externam: nec ſecundùm vtrumque ſexum & prolem; nec ſecundũ ſexum virilem potiùs quàm fœmineum, niſi in quadam figura rationis ſuperioris, & inferioris. *Lib.* 13. De ſimilitudine, necdum tamen verâ imagine SS. Trin. in ſcientia actiua, aut fide, & pietate circa myſteria temporalia. *Lib.* 14. De vera Imagine Dei ac SS. Trin. in mente noſtra, ſecundùm rationem ſuperiorem & ſapientiam: deque eius formatione, deformatione, ac perfecta reformatione. *Cap.* 2. 3. 4. Imaginem Dei ſecundùm gradum intellectualem animæ ad videndum, & amandum Deum, eſſe eſſentialem, ac indelebilem. *Cap.* 7. Imaginem actualem Dei, conſiſtere in memoria, intelligentia, & voluntate actuali Dei. *Mens eo ipſo imago Dei eſt, quo eius capax eſt, eiuſq; particeps eſſe poteſt.* *Cap.* 12. Mentem noſtram eſſe imaginem Dei, non quatenus eſt capax ſui ipſius, ſed Dei; quia vt capax ſui, eſt potius imago ſui. Sed hoc ipſo quo poteſt ſui ipſius imaginem, & amorem producere, repræſentat myſterium SS. Trin. *Cap.* 15. *Quando Mens benè recordatur Dei, ſpiritu eius accepto; ſentit omnino; quia hoc diſcit intimo Magiſterio, non niſi eius gratuito affectu poſſe ſe ſurgere, non niſi ſuo voluntario defectu cadere potuiſſe.* Lib. 15. cap. 24. *Qui vident ſuam mentem, & in ea Trinitatem iſtam, nec credunt vel intelligunt eſſe Imaginem Dei: ſpeculum quidem vident, ſed vſq; adeo non vident per ſpeculum, vt nec ipſum ſpeculum quod vident ſciant eſſe ſpeculum* .i. *imaginem.*

Lib. 3. *De Gen. ad litt. Cap.* 19. 20. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & habeat poteſtatem piſcium maris, &c. *Gen.* 1. Vt intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit. Id autem eſt ipſa ratio, vel Mens.

Ex *Alenſi* noſtro *p.* 1. *q.* 61. De nomine & re Imaginis, in Verbo Dei, & in creaturis rationalibus: ſed abundè de omnibus naturalibus Animæ, hac *P.* 2. *q.* 8. 13. *ad Arg. q.* 20. *m.* 5. *q.* 55. *à q.* 59. *ad* 73. *q.* 90. 91. 92.

Ex *S. Bon.* in 1. tota *Diſt.* 3. De veſtigijs & Imagine Dei. *In* 2. *d.* 1. *p.* 2. *a.* 3. De differentia eſſentiali & accidentali Animæ, ab Angelo. *Diſt.* 15. *à* 1. *q.* 1. De origine Animarum irrationalium. *Diſt.* 16. De naturali Imagine Dei in Angelo, & Anima. *Diſt.* 16. *a.* 1. De 1. origine Animæ humanæ. *Diſt.* 18. *a.* 2. De ſingulis ſingulorum Animabus, eorumque ſucceſſiua creatione ac infuſione, non autem traductione cauſali aut materiali. *D.* 19. *à* 1. De immortalite Animæ.

Ex *Doctore noſtro Subtili*, in 1. *d.* 3. *q.* 5. De veſtigio SS. Trin. in omnibus. *q.* 9. De eius Imagine in ſola creatura rationali: *In* 2. *d.* 1. *q.* 5. De differentia Animæ ab Angelo. *Diſt.* 16. De differentia inter potentias animæ, & ipſam Animam. *Diſt.* 17. De creatione Animæ, actuali vel poſſibili, in corpore vel extra. *In* 4. *Diſt.* 43. *q.* 2. De immortalitate Animæ: vt ineuidenti, lumine naturali. Quæ omnia inter ſe, & cum *B. Aug.* facilè conciliari poſſunt, & ad integram doctrinam de natura, & naturalibus omnibus animæ abundè ſufficiunt.

Difficultates.

1. Quomodo Animæ ſint imago, & ad imaginẽ Dei, ac *SS. Trin.* cũ creentur ex nihilo: vel quomodo traducantur, ſeu oriantur naturaliter, & exemplariter ex Adamo, cùm creentur ex Idæa, & ad imaginem Dei? *Reſp.* Animas non creari

ex

Digitized by Google

ex Idæa Dei, nec ex ſuo eſſe cognito, volito, obiectiuo, & poſſibili, vt ex ſubiecto, termino, vel aliquo ſui ipſius priore ſe: Vt ſupra *q. 2. col. 210. 211. 212. De Creatione*; ſed ex anima Adæ, vt ex ſua natura, forma exemplari, imò & ſuo modo ex corpore humano, non vt ſubiecto ſuæ dependentiæ in fieri, eſſe vel operari; ſed ſuæ informationis, ſeu effectus formalis, & finis proprij. Aliæ autem animæ & formæ etiam ſubſtantiales non creantur ex nihilo: ſed generantur ex ſubiecto, non tantùm ſui effectus formalis, & finis; ſed etiam ſuæ propriæ exiſtentiæ, operationis, & dependentiæ in exiſtendo, & operando.

2. Quòd *S. Aug. Lib. 3. in Gen cap. 5.* neget animam ſenſitiuam eſſe corpoream. *Ib. de quantitate Animæ Cap. 30.* neget eſſe diuiſibilem. Et ſic *Alenſis P. 2. q. 13. mem. 3.* Contra ſenſum cōmunem, imò & eorundem proprium alibi, de ratione, & differentia ſpiritualium, & corporaliū; deque ſola anima rationali ſpirituali. *Reſp.* Negari eſſe corpoream & diuiſibilem quantitatiuè, vel fortè etiam entitatiuè: non tamen negari eſſe materialem, in fieri, eſſe, & agere dependenter à materia. Nec eſt proprium ſpiritus eſſe indiuiſibilem: cùm ſint indiuiſibilia quantitatis, & qualitatis, imò & fortè cuiuſuis ſubſtantiæ corporeæ; ſed eſt proprium corporis tam ſubſtantialis, quàm quantitatiui eſſe ex partibus, & diuiſibile in partes. Nec eſt alienum à ſenſu communi, animas ſenſitiuas, ſaltē perfectiores, eſſe indiuiſibiles, & indiuiſibiliter in corpore: ſi quæ autem ſint tam imperfectæ, vt ſint diuiſibiles, mauult eas *B. Aug.* ſupra, cenſere corporales, imò & corpora, quàm animas. Sed eſt contra ſenſum communem, animas ſenſitiuas dici incorporeas, & ſpirituales, vt eſt & dicitur anima rationalis: non tamen vt incorporeum & ſpiritale diſtinguit à corpore, materia, compoſitione, quātitate molis, groſſitie, &c. diciturque à ſubtilitate, ſimplicitate, indiuiſibilitate, &c. Vt patet ex Sacra Script. & communi modo loquendi de ſpiritibus vitalibus, animalibus, imò & de corpore glorioſo, vt ſpirituali: ſed frequentiùs de anima ſenſitiua, eiuſque ſenſu interno, & imaginatiuo, qui ſolet dici ſpiritus, & ſpiritualis, quia format & recipit plurimas ſimul formas ſeu ſpecies indiuiſibiles, & indiuiſibiliter inhærentes, non tantùm animæ humanæ, ſed etiam aliorum animalium. Vnde meritò tales animæ cenſētur etiam incorporeæ, indiuiſibiles, & hoc ſuo modo ſpirituales.

3. Quòd Natura humana ſeu eius anima ſit tam deprauata in ſuis proprijs motibus, vt minus repræſentet Deum quàm vlla creatura, ſed potius eius oppoſitum: quomodo ergo non tantum eſt creata ad imaginem Dei, ſed eſt adhuc eius imago? Quod enim ſit capax Dei, vel cognitionis, & amoris ac imitationis eius, non eſt eſſe imaginem: ſed tantùm ſubiectum capax imaginis Dei. *Reſp.* Imaginem naturalem Dei in nobis vocari hæbraicè *tzelem* .i. vmbram: hanc tamen quaſi vmbram ſeu repræſentationem imperfectam Dei præſentis, eſſe indelebilē, quia eſt ipſa natura creaturæ rationalis; ſed poſſe inuolui, & confundi quaſi lineamentis contrarijs; non niſi tranſparentibus, imò & Deum ipſum ac SS. Trin. etiam à contrario repræſentantibus. Vt ſæpè monet *B. Aug. Lib. De vera Relig.* Cap. 39. *Vnde non poſſit anima recordari primam pulchritudinem, quando de ipſis ſuis vitijs poteſt?* Cap. 42. *Vbi homo cecidit, ibi incumbere debet vt reſurgat.* Cap. 45. *Si ipſa ruina libidinis monet quaſi aurigam ſubuerſum reſurgere ad Deum: quantò magis ipſa ſuperbia? Quid enim aliud in ea homo appetit: niſi ſolus eſſe ſi fieri poſſit, cui cuncta ſubiecta ſint, peruerſa imitatione Omnipotentis Dei? Inuicti eſſe volumus, & rectè: habet enim hoc animi noſtri natura poſt Deum, à quo ad eius imaginem factus eſt.* Cap. 47. *Ille inuictus eſt, qui cohæret Deo.* Cap. 48. *Si & ipſa ſuperbia veræ libertatis, & regni vmbra eſt: etiā per ipſam nos commemorat diuina Prouidentia quid ſignificemus vitioſi; & quò debeamus redire correcti.* Lib. 2. Conf. cap. 6. *Superbia celſitudinem imitatur: cùm tu ſis vnus ſuper omnia Deus excelſus. Ambitio quid niſi honores quærit? Cùm tu ſis præ cunctis honorandus? Sæuitia timeri vult: quis timendus niſi Deus? Blanditiæ amari volunt: nil blandius tuā charitate, & veritate. Curioſitas affectare videtur ſtudium ſcientiæ: cùm tu omnia ſummè noueris. Ignorantia ſimplicitatis & Innocentiæ nomine tegitur: quid te ſimplicius, & innocentius? Ignauia quaſi quietem appetit: quæ quies certa præter te? Luxuria cupit vocari abundantia: tu es plenitudo indeficiens. Effuſio liberalitatis obtendit vmbram: ſed largitor affluentiſſimus tu es. Auaritia multa poſſidere vult: Tu poſſides omnia. Inuidia de excellentia litigat: quid te excellentius? Ira vindictam quærit: te iuſtius quis vindicat? Timor præcauet ſecuritati: vbi eſt niſi apud te? Triſtitia rebus amiſſis contabeſcit: quia nollet ſibi, ſicut tibi auferri nihil poteſt. Peruerſè imitantur omnes qui longè ſe à te faciunt: ſed etiam ſic te imitando indicant Creatorem, &c.* Lib. 14. Trin. cap. 4. *Si anima humana, vt intellectualis, eſt facta ad imaginem Dei: ſiue ita obſoleta ſit hæc imago, vt penè nulla ſit, ſiue deformis, ſiue pulchra, ſemper eſt imago, &c.*

Præter quæ: Vt Deus eſt totus intimè præſens huic mūdo, & ſingulis eius partibus, primuſq; motor omnium: ſic ſuo modo Anima humana ad ſuum corpus, & eius partes. *Item.* Vt Deus præeſt huic toti mundo: ſic homo vice Dei creaturis inferioribus.

4. Ex *Al. p. 2. q. 8. m. 2.* Veſtigium eſt propriè pedis. *S. Bon. in. 1. d. 3. p. 1. a. 1. q. 2. Ad 5.* Veſtigium non differt ab Imagine, quòd illud ſit partis, &c. Veſtigium Dei eſt vt cauſæ efficientis, exemplaris, & finalis. *Scot. in 1. diſt. 3. q. 5.* Veſtigium eſt expreſſa ſimilitudo partis, non totius, niſi mediatè & arguitiuè à parte ad totum. Non videtur veſtigium Dei conſiſtere in illa triplici relatione. *Quæſt. 9.* Imago eſt repræſentatiua totius, ad eius imitationem. Inde differt à veſtigio: hinc, à conſimilibus. *Ad 1. Arg.* Quaſi ſingulæ creaturæ ſint creatæ ad Imaginē Dei, vt vnius, &c. Quæ non videntur inter ſe, & cum *B. Aug.* cohærere. *Reſp.* Ex *S. Bon. in 2. diſt. 16. a. 1. q. 1. ad 5.* Imago perfectiſſima, inquit, eſt totius ſimpliciter: ſed creatura rationalis eſt Imago Dei quoad aliquam totalitatem intellectualem, quâ eſt capax omnia repræſentandi.] Non ergo negat in *1. diſt. 3.* Imaginem differre à veſtigio: quòd illa ſit totius, hoc autem partis; ſed aliter ibi diſtinguit

diſtinguit inter vmbram, veſtigium, & Imaginem. Vel negat hanc eſſe primam, & communem differentiam: cùm veſtigium Dei non poſſit eſſe partis, ſed totius. Nec *S. Bon.* vult relationem veſtigij ad ſuam cauſam, nec Imaginis ad ſuum obiectum eſſe realem vel eſſentialem ſuis fundamentis abſolutis: nec *Scotus* negat hos reſpectus niſi vt reales, vel eſſentiales, vel ſufficientes ad veſtigiū & imaginē. Vt in 2. *d.* 1. *q.* 4. De relatione creaturæ ad Deū denique vult ſingulas creaturas repræſentare Deum, vt vnum: ſed nonniſi plures ſimul in mente, eum expreſſè repræſentare vt vnum & Trinum.

5. *De Immortalitate. Animæ.*

EX Sacra Script. *Gen.* 46. Animæ egreſſæ de femore Iacob. *Leuit.* 25. Anima in ſanguine eſt. *Eccleſ.* 3. Vnus interitus eſt hominis, & iumētorum. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcēdat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum? 1. *Tim.* 1. 6. Solus Deus eſt immortalis.

B. Aug. Lib. De immortalitate animæ, probat eam 16. rationibus. 1. Ab inexiſtentia ſcientiæ immutabilis, obiectiuè: & ab auerſione animæ à corpore quando vult intelligere. 2. Ab identitate animæ, cum ratione immutabili, & inſeparabilitate ab ea. 3. A virtute conſtantiæ, & immobilitate animi, ac intentionis, etiam in mouendo corpore. Quæ ratio perfici poſſet, à non defectu, ſed profectu animæ per ætatem, in intelligendo & volendo. Vnde patet vim intelligendi, & volendi non eſſe defectibilem, vt eſt vis ſentiendi per organa, ſed indefectibilem. 4. Supplet primam, & 2. ab immutabilitate ſcientiæ habitualis, & virtualis in animo, per vllam obliuionem, aut ignorantiam. 5. Ab incorruptibilitate ſubſtantiæ ipſius animæ, per vllam mutationem. 6. Supplet 2. ex inſeparabilitate rationis ab anima, per vllam vim poſſibilē. 7. Ab indefectibilitate corporum in nihilum molis: ad indefectibilitatem animæ in nihilum rationis, & ſubſtantiæ. 8. Ab indefectibilitate corporū vſque in nihilum formæ, ſeu alicuius ſpeciei corporalis: ad indefectibilitatē animæ in nihilum ſui, ex conſeruatione potiùs animæ à Deo, quàm corporis. 9. Ab identitate, ac inſeparabilitate animæ, & vitæ. 10. Supplet 9. ex eo quòd nec vita, nec anima ſit quædam qualitas, aut complexio corporis: ſed anima ſit ipſa vita, & quidem auerſa ab obiectis corporeis ad æterna. 11. Ab indefectibili ac inuincibili cauſa animæ. 12. A nullo contrario veritati, & animæ, in eſſendo. 13. Ex incorruptibilitate animæ in corpus: ab vllo corpore, aut ſpiritu. 14. Ab indefectibili operatione animæ in ſomno, ſeu quiete operationum defectibilium. 15. A priore, & rationibus æternis propinquiore natura animæ, quàm corporis: huiuſque ab illa formatione. Quo ſenſu hæc ratio non retractatur à *B. Aug.* 1. *Retr.* 5. ſed quaſi corpus non haberet eſſe niſi à ſua anima. 16. Ab incorruptibilitate animæ rationalis, in irrationalem. *Lib.* 13. *Trin.* 9. Vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisque ſubtiliſſimis eruditi, ad indagandam animæ immortalitatem peruenire potuerunt. *Lib.* 12. *in Gen.* 33. Animam non eſſe corpoream, nō me dubitare, ſed planè ſcire audeo profiteri. *Lib.* 13. *Ciu.* De Immortalitate naturali animæ: ſed mortalitate corporis, & hominis. *Epiſt.* 157. An immortalitatem tunc accipit, quādo formatur vt viuat: ſicut iuſtitia, quando formatur vt ſapiat? Et vbicumque dubitat an animæ ſint ex Traduce: videtur dubitare an ſint naturâ ſuâ immortales.

Ex Alenſi P. 2. *q.* 12. De compoſitione omnis creaturæ ex Quo, & Quod: ſicque & naturâ ſuâ reſolubili. *q.* 13. De mutabilitate cuiuſuis creaturæ ab eſſe ad non eſſe, vt à non eſſe, ad eſſe. *m.* 3. *Ad arg.* Animæ irrationales ſunt etiam formæ ſpirituales, nec habent principia in quæ reſoluantur, ſed deſinunt in non eſſe.] Ergo idem videtur naturaliter de anima rationali. *q.* 65. *m.* 1. *Ad arg.* Anima eſt reſolubilis in ſuam materiam, & formam .i. in ſuum *Quod eſt, & Quo eſt. q.* 90. 91. 92. quòd vita animæ ſit continuus eius motus vitalis, differens realiter ab ipſa anima. Ergo hæc poteſt mori, ſeu priuari ſua vita.

Ex *S. Bon. in* 2. *diſt.* 19. *a.* 1. *q.* 1. Id *Quo* anima, eſt tantæ dignitatis: vt eius *Quod*, vel quaſi materia non poſſit aliam formam appetere.] Ergo non eſt plus immortalis, quàm Cœlum incorruptibile.

Ex *Scoto in* 4. *diſt.* 43. *q.* 2. Vbi reuocat in dubium omnes rationes naturales pro immortalitate animæ.

R E S P. Ad ſacram Script. ex eadem. *Sap.* 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, &c. *Sap.* 5. Spes illorum immortalitate plena eſt. *Sap.* 11. Deus creauit hominem inexterminabilem: ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. *Matt.* 10. Animam non poſſunt occidere. *Matt.* 11. Ego ſum Deus Abraham, &c. Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium, &c. Quæ non tantùm probant immortalitatem animæ ex gratia: ſed etiam ex natura ſua; quia opponitur mortalitati, & corruptibilitati, corporum; imò *Matt.* 18. comparatur immortalitati Angelorum. *Ad Gen.* 46. vt ſupra, à parte totum: vel animæ eorum qui egreſſi ſunt. *Ad Leuit.* 17. Anima dicitur in ſanguine, aut ſanguis ipſe: non propriè, ſed ſignificatiuè; nec anima humana, ſed aliorum animalium. *Ad Eccleſ.* 3. Vt *S. Bon. in* 2. *diſt.* 19. *q.* 2. Vnus eſt, &c. .i. apparenter, quoad corpora. Quia idem eodem *Lib. cap.* 12. Ibit homo in domum æternitatis ſuæ, &c. Reuertetur puluis in terram ſuam, & ſpiritus ad Deum qui dedit illum. *Ad* 1. *Tim.* 1. *&* 6. Vt *B. Aug. Epiſt.* 28. *ad S. Hier.* Anima hominis immortalis eſt, ſecundùm quendam modum ſuum: non enim omni modo, ſicut Deus; quia ſolus habet immortalitatem, 1. *Tim.* 1. 6. Et vt *S. Bon. d.* 19. *a.* 1. *q.* 1. Deus ſolus eſt immortalis ex ſe, & per eſſentiam: Angelus & anima non niſi à Deo per participationem, ſed ſecundùm ſuam naturam. Ad *S. Aug.* Ex eodem 1. *Retr.* 5. Liber de immortalitate Animæ ratiocinationum contorſione atque breuitate ſic obſcurus eſt: vt fatiget etiam cùm legitur intentionem meam, vixque intelligatur à meipſo. Hinc 13. *Trin.* 9. De neceſſitate fidei ad certitudinem vitæ immortalis. *Vix pauci, &c.* Nec illi ſola

ratione

naturali, ſed ex aliquo auxilio Dei gratuito, 2. *Ciu.* 7. & 19. *Ciu.* 14. Quo etiam ſenſu, 12. *in Gen.* 33. profitetur ſe ſcire animam eſſe incorpoream, & immortalem. Nec obſtat *Lib.* 7. *in Gen.* 21. Deſinat anima ſuſpicari ſe eſſe corpus: quia ſi aliquid tale eſſet, talem ſe noſſet. Et toto *Lib.* 10. Trin. *Non poteſt mens neſcire ſe.* Quia illud vt impoſſibile, ex impoſſibili: hoc de ſola potentia proxima cognoſcendi ſeipſam vt ſibi præſentiſſimam, niſi ſubeſſet aliquod impedimentum, non autem de notitia actuali. Sed *Lib.* illo 7. *in Gen. cap.* 12. & 20. cenſet etiam de fide, nec corpus in Animã, nec animã in corpus mutari poſſe. Nec *Epiſt.* 157. dubitat de immortalitate etiam naturali animæ: ſed ex eius certitudine, improbat traductionem animarum per aliquod ſemen. *Quomodò*, inquit, *ipſa cuius mortale ſemen eſt, immortalis eſt anima? An immortalitatem tunc accipit quando formatur vt viuat: ſicut iuſtitia quando formatur vt ſapiat?* .i. vel quando ipſa anima informatur gratia, vt viuat vita gratiæ; vel quando prætenſum ſemen animæ formatur in animam viuam: ſicut iuſtitia, quando formatur, ſeu informatur charitate, vel ratione, vt ſit prudens & ſapiens.

Ad Alenſ. ex eodem, eadem *q.* 13. *m.* 4. *Ad Arg.* Angeli, & animæ rationales non habent finem: non quod non poſſint habere; ſed quod non habebunt, nec habeant à quo corrumpantur.] Vnde patet cur ſint natura ſua immortales, & ſine fine conſeruentur. De quo adhuc infra. *q.* 90. 91. 92. Per vitam intelligit primum motum vitalem: ſed vita radicalis eſt de eſſentia animæ. *q.* 91. *m.* 2. Vt appetitus inter materiam, & formam, eſt principium vnionis: ſic appetitus vigens inter actum, & potentiam, ſeu inter *Quo* & *Quod* animæ, eſt principium viuendi.] Vbi exprimit vnum modum compoſitionis, & reſolutionis animæ .i. ex potentia, & actu. Præter quandam compoſitionem, & reſolutionem mentalem, & alias de quibus idem *q.* 12. 20. & *S. Bon. in* 2. *diſt.* 3. *a.* 1. *q.* 1. & 2. De quadam compoſitione omnium creaturarum ſpiritualium ex eadem materia ſpirituali, & omnium corporalium & corporali. Niſi fortè ſit de identitate potentiali omnium poſſibilium ad exiſtendũ.

Ad S. Bon. diſt. 19. *a.* 1. Studioſè probat, & ſuſtinet immortalitatem ſolius animæ rationalis: non tamen quaſi euidenter, vt patet ex hac ipſa eius ratione: Id *quo* animæ, eſt tantæ dignitatis, vt eius *Quod*, vel quaſi materia, non poſſit aliam formam appetere. Quæ videtur obſcurior ipſa immortalitate animæ, indigetq; explicatione: vel de Anima vt Imagine Dei, cuius *Quod* ſeu quaſi materia .i. ſubſtantia, habet tam perfectum *Quo*, ſeu formam exemplarem, & exemplatam, vt non poſſit aliam formam appetere: vel de anima vt paſſiua, & actiua, cuius *Quod* ſeu ſubiectum habet tam perfectum *Quo*, ſeu actum, & ordinem ad obiectũ, & finem, vt nihil poſſit perfectius appeti.

Ad Scotum noſtrum, In 4. *diſt.* 43. Negat tantùm rationes pro immortalitate animæ eſſe ſatis euidentes, ſaltem hominibus pro hoc ſtatu, ſine doctrina fidei, imò ſine gratia actuali. Sed *d.* 45. per tres priores quæſt. tam euidenter, aut efficaciter probat animæ humanæ immortalitatem: quàm eiuſdem extra corpus cognitionem, & conſequenter volitionem poſſibilẽ. Niſi enim anima humana haberet vim cognoſcendi, & volendi etiam extra corpus: non eſſet naturâ ſuâ immortalis, ſeu ſeparabilis à corpore, ſine morte propria ab eſſe ad non eſſe. Vt docet Alenſis ſupra *q.* 13. *m.* 3. De animabus irrationalibus, & quibuſuis accidentibus. Quod enim animæ rationales præ alijs dignæ ſint conſeruatione extra corpora: eſt quidem partim quia non habent contrarium à quo corrumpantur ad generandum ſibi ſimile; ſed æquè videntur habere directè cõtraria ſuis corporibus, ſibi autem indirectè, ac animæ irrationales; niſi quòd hæ dependeant in omni ſua actione ab organis corporis, illæ non. Cùm autem creaturæ non ſint niſi ad ſuum finem intrinſecum: non conſeruantur naturaliter niſi ad illũ. Hinc B. *Aug.* reddens cauſam finalem moriendi, *Lib.* 7. *in Gen. cap.* 19. Anima dum eius miniſteria omni modo deficiunt: tanquam non habens cur adſit, abcedit. Si autem non ita deficiunt vt in morte aſſolet: turbatur eius intentio, tanquam conantis redintegrare labentia, nec valentis. *Cap.* 20. Aliud ipſam eſſe, aliud eius miniſteria, vel organa, hinc euidenter elucet: quòd plerumque ſe vehementi cogitationis intenſione ita auertit ab omnibus, vt præ oculis poſita neſciat. *Lib. de quantitate animæ cap.* 28. Anima belluarum corpori magis affixa eſt: humana vero ſuſpendit ſe à corpore quantum poteſt] .i. obiectiuè, vel etiã ſubiectiuè quo ad potẽtias magis minùſue organicas. *Lib.* 6. *de Muſica cap.* 5. Ego ab anima hoc corpus animari non puto, niſi intentione facientis: nec ab iſto illam quicquam pati arbitror, ſed facere, de illo & in illo. Quæ vel de animatione in actu primo, vel ſecundo: vel de intentione reali cuiuſuis potentiæ ad ſuum actum, vel de attentione cognitionis ad proprium corpus vt obiectum præſẽtiſſimum; vel de intentione voluntatis in hunc finem proximum, vel denique his tribus modis ſimul. Quod videtur ex illa *intentione facientis*, & ex *facere de illo, & in illo, &c.* Vnde patet finem animæ in corpore eſſe animare, & operari de illo, & in illo. Cùm ergo corpus patitur: anima ſentit, ex illa attentione & intentione. Quod ſi patiatur vſq; ad corruptionem, & incapacitatem animationis, & omnis operationis animæ *de illo, & in illo*: anima irrationalis nec in illo, nec extra conſeruatur, quia fruſtra eſſet ad animandum & operandum. Sed anima rationalis non intra, ſed extra corpus conſeruatur: ad finem operationis intellectualis, & tandem reunionis cum corpore. Non præſeruatur autem, nec conſeruatur, aut reſtituitur corpus animæ contra eius corruptionem, & alterius generationem: nec reſeruantur animæ ad aliorum corporum animationem; quia Deus coagit cauſis præualentibus, non ad corruptionem, ſed potiùs ad generationem nouorum, quàm ad reparationem veterum; vt tantò plura ſingularia ſimul & ſucceſſiuè exiſtant, ad maiorem Dei gloriam, & ordinem exiſtendi in hoc vniuerſo. Lib. 2. de Ordine Prouid. cap. 18. *Dolor vnde perniciosus eſt? Quia id quod vnum erat diſcindere nititur.* Lib. 3. de libro Arb. cap. 23. *Quid eſt dolor, niſi quidam ſenſus diuiſionis, vel corruptionis im-*

Digitized by Google

patiens? Vnde luce clariùs apparet, quàm ſit anima in ſui corporis vniuerſitate auida vnitatis, & tenax: quæ nec libenter, nec indifferenter; ſed potius renitenter, & reluctanter intenditur in eam paſſionem corporis ſui, per quam eius vnitatem, atq; integritatem labefactari moleſtè accipit, &c.

Lib. 21. Ciu. cap. 10. *Cur non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi: ſi ſpiritus hominum, etiã ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo ſpiritus Dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes ipſi eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant; ſed miris, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt.* Lib. 21. cap. 3. *Nullum eſt*, inquiunt, *corpus, quod dolere poſſit, nec poſſit mori, &c.* Contra. *Cuius rationis eſt dolorem facere mortis argumentum: cùm vitæ potius ſit indicium? Vt autem dolor aliquis poſſit occidere illa cauſa eſt: quoniam ſic eſt anima connexa huic corpori, vt ſummis doloribus cedat, atq; diſcedat; & ipſa compago membrorum atq; vitalium, ſic infirma eſt, vt eam vim quæ magnum, vel ſummum dolorem facit, non valeat ſuſtinere. Tunc autem tali corpori anima, & eo connectetur modo: vt illud vinculum ſicut nulla temporis longitudine ſoluitur, ita nullo dolore rumpatur.* Infra. *Quapropter ſi anima quæ vel ſola, vel maximè dolet, habet tamen quandam pro ſuo modo immortalitatem ſuam: non ideo mori poterunt illa corpora, quia dolebunt.* Epiſt. 28. *ad* S. Hier. *Anima hominis immortalis eſt, &c.* vt ſupra. *Per totum corpus quod animat, non locali diffuſione, ſed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes eius particulas tota ſimul adeſt: nec minor in minoribus, nec in maioribus maior; ſed alicubi intenſiùs, alicubi remiſſiùs, & in omnibus tota, & in ſingulis tota eſt.* Non quaſi animæ virtualiter & vitaliter attentæ, & intentæ ad agendum in eis & per ea, non ſint formaliter præunitæ ſuis corporibus: ſed quòd hæc vnio non ſit extenſa, nec coextendat animas ſuis corporibus, nec eas afficiat vlla proprietate aut differentia locali; quia non eſt vnio ſecundùm locum aut ſpatium, ſed ſecundùm ſubſtantias partiales inter ſe naturaliter proportionatas, & ordinatas. Vt patet ex vnione hypoſtatica naturæ humanæ ad Verbum: quæ non ſupponit ſpecialem præſentiam illius ad Verbum, vel Verbi ad illam; nec ex vi illius vnionis Verbum habet aut terminat vllum reſpectum ad ſpatium corporis ſui, ſed ad ſolam ſubſtantiam. Nec quaſi anima *alicubi* animet formaliter *intenſiùs* ſuum corpus, *alicubi remiſſiùs*: ſed virtualiter, ſeu cauſaliter ad plus vel minus agendum, ſentiendum, &c. per varia organa corporis ſui. *Epiſt.* 100. ad *Euodium*: De ſtatu, motu, loco, operatione animæ ſine corpore: vt *lib. 12. in Gen. & De cura pro mortuis.* Quo toto ſupponit, & *cap.* 16. exprimit, *Animas defunctorum per naturam propriam rebus viuorum intereſſe non poſſe.* Cuius ratio etiam à fine reddi poteſt: quia ex natura ſua non ſunt ad regenda corpora exteriora, vt Angeli: ſed ad ſua ſola propria; ergo his corruptis non habent quod in eis vel circa ea, vel alia agant. *Epiſt.* 101. *ad eundem*, De eiſdem. *De viſis quæ tibi nuperrimè ſcripſi recenſe: & inde fortaſſe conÿcies quomodo ſit anima præſens vel abſens. In ÿs quippe viſis demoratur in ſomnis, cùm abeſt à ſenſu, &c. Hanc autem ab oculis corporis animæ abſentiam, quæ ſit cùm dormimus, ſi vis maior augeat, vt totum quod eſt inde ſubtrahatur, mors eſt, &c.* Non quaſi anima ſit tantùm præſens intentionaliter: ſed quod hinc cognoſcatur præſens formaliter. Nec quòd poſſit partialiter abſtrahi ab ipſa informatione corporis: ſed ab operationibus in corpore, & per corpus; vel corruptione partiali corporis, vel tota intentione animi ad obiecta ſpiritualia. Quâ poteſt quidem anima rapi obiectiuè extra corpus: vt de raptu *S. Pauli*, 1. *Cor.* 12. ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio: de quo *B. Aug.* 12. *in Gen.* non tamen formaliter, & ſubiectiuè, niſi ex corruptione ipſius ſubiecti.

Ex his ergo *B. Aug.* & Doctorum noſtrorum veſtigijs, indagari & recolligi poſſunt plurimæ rationes ſcorſim aut ſaltem ſimul ſufficientes, cum aliquo Dei auxilio gratuito, ad aliquam euidentiam, vel certitudinem moralem de immortalitate naturali animæ rationalis.

1. Ex *B. Aug.* ſupra *Col.* 192. 201. 202. Deus ex ſe eſt cauſa eſſendi, non autem deſinendi: ſeu non reuocat ſuam conſeruationem, niſi ad exigentiam cauſarum ſecundarum inter ſe præualentium, & tandem ad generationem alicuius perfectioris, ex corruptione imperfectioris. Atqui nulla cauſa exigit corruptionem Animæ humanæ, ſed ſolius corporis imperfectioris, ad generationem perfectioris, mediatè vel immediatè: ergo Deus nunquam priuat animam humanam ſua conſeruatione. Eſſet enim contra legem ordinariam, & perfectionem Sapientiæ, priora opera ſua deſtruere vel mutare, niſi in perfectiora: non datur autem forma perfectior anima rationali; ergo nec vlla cauſa ſecunda exigit eius deſitionem, nec Deus reuocat vnquam eius conſeruationem.

2. Animæ humanæ dependent à ſolo Deo in fieri & conſeruari: quia non habent cauſam ſecundam perfectiorem, aut æquè perfectam, quæ habeat vim ſpiritualem & ſubſtantialem agendi, & producendi animas rationales; ergo ſemper à Deo conſeruantur. Quia eſſet potiùs contra legem ordinariam, & perfectionem bonitatis, proprio motu reuocare dona ſua naturalia, quàm gratuita. Cùm ergo, *Rom.* 11. Sine pœnitentia ſint dona Dei, & vocatio: & *Sap.* 11. Diligat Deus omnia quæ ſunt, & nihil oderit eorum quæ fecit: nunquam priuat animam donis naturalibus exiſtentiæ, & connaturalis conſeruationis. Nec vt anima poteſt liberè demereri dona gratuita, ſic & naturalia: tum quia non poteſt etiam hæc mereri, vt poteſt illa per gratiam; tum quia demeritum exigit pœnam, quæ ſupponit naturam & naturalia ipſius demerentis, & patientis.

3. Ex *S. Bon.* ſupra, & ex principijs Philoſophiæ naturalis, nihil corrumpitur, & generatur naturaliter, niſi ex appetitu, ſeu inclinatione materiæ ad

perfe-

Digitized by Google

perfectiorem formam: atqui non poteſt eſſe perfectior animâ humanâ, quæ eminenter, & virtualiter continet omnes formas inferiores; ergo hæc Anima non eſt naturaliter corruptibilis ſeu mortalis. Nec obſtat quòd eius corpus, & homo corrumpatur, indeque imperfectiora generentur: quia non niſi ad perfectiora corpora ſub ratione corporis, vel etiam tandem ad perfectiora corpora humana.

3. Nihil poteſt propriè naturaliter annihilari, vt patet ex omni generatione, & corruptione naturali: atqui ſi anima quæ eſſentialiter viuit, moreretur, annihilaretur; ergo non poteſt mori. Nec obſtat quòd omnes formæ materiales, & præcipuè ſpirituales, accidentales, & ſubſtantiales, quales cenſet *B. Aug.* & *Alen.* eſſe omnes animas irrationales, videatur æquè annihilari, ac ipſa anima rationalis, ſi moreretur ſeu deſineret eſſe, & viuere. Quia formæ materiales non dicuntur tales, quaſi ſint ex materia compoſitæ: ſed quia ſunt naturaliter genitæ, vt termini formales generationis, ex appetitu naturali materiæ ad tales formas à cauſis connaturalibus. Quo ſenſu omnes formæ naturales ſunt etiam materiales, & generantur ac corrumpuntur quoad totum ſuum eſſe proprium & intrinſecum, ſine vlla tamen creatione aut annihilatione propriè dicta: quia vt generantur, ſeu incipiunt ex ſolis cauſis nataralibus; ſic corrumpuntur, ſeu deſinunt, & redeunt in potentiam paſſiuam, ac actiuam cauſarum naturalium; imò & in propriam potentiam obiectiuam, ſeu poſſibilem à talibus cauſis naturalibus. Non ſic formæ ſupernaturales, quamuis inhæreant, & dependeant à ſubiecto in exiſtendo: quia non oriuntur ex potentia naturali obiectiua, ſubiectiua, actiua, finali, nec in illam deſinunt, ſeu redeunt. Nec ſic animæ rationales: quia nec ipſæ oriuntur ex vlla potentia propriè naturali, & connaturali; ſed ſupernaturali, ex reſpectu cuiuſuis potentiæ obiectiuæ, ſubiectiuæ, actiuæ; imò & finalis talium animarum, ad ſolum Deum Creatorem, & conſeruatorem. Sed animæ irrationales oriuntur ex potentia naturali, obiectiua ſeu poſſibili, paſſiua ſeu ſubiectiuâ, actiua, & finali: ideoque dum in eam deſinunt, ſeu redeunt, non annihilantur. Nec obſtat quòd animæ rationales videantur æquè naturales, & connaturales ſuis corporibus, ac irrationales: & æquè naturaliter oriri ex naturali potentia obiectiua, ſubiectiua, actiua, & finali; quia Deus æquè producit has, ac illas vt Author naturæ in ſubiectis diſpoſitis, defectu cauſæ 2. præſentis, aut ſufficientis. Nam animæ irrationales habent vim naturalem, & ſubſtantialem generandi ſibi ſimiles: ſed animæ rationales non habent vim ſubſtantialem generandi vt rationales ſunt, ſed vt ſunt ſenſitiuæ, vel vegetatiuæ; quia vt rationales non agunt niſi accidentaliter, ſuntque nimis perfectæ, quàm vt ab inuicem generari poſſint, vt *q.* 1. & 2. de Creatione. Si quæ ergo & quando formæ materiales, aut animæ irrationales producantur à ſolo Deo vt Authore Naturæ, in ſubiecto proximè diſpoſito: non eſt ex defectu cauſæ naturalis, ſed præſentis; ſicque connaturaliter, vt vice cauſæ naturalis. Deus autem non producit animas rationales vice vllius cauſæ ſecundæ exiſtentis, aut poſſibilis: ſed ex officio proprio Authoris Naturæ, vt ſupplentis defectum totius Naturæ ad hoc ſupremum opus.

4. Ex fine animarum rationalium: non tantùm extrinſeco, ſupernaturali, & æterno; ſed etiam proprio, intrinſeco, connaturali; & in æternum etiam extra corpora poſſibili, &c. Nam etſi poſſet Deus creare animas rationales ad nullum finem ſupernaturalem, & æternum: non tamen ad nullum finem proprium, & intrinſecum .i. ad non intelligendum, & non volendum; aut ſi & hoc per potentiam abſolutam, non tamen per ordinariam, & connaturalem. Cùm ergo Anima poſſit ex ſe naturaliter in æternum habere finem ſuum proprium naturalem, & intrinſecum, intelligendi & volendi æterna: eſt naturâ ſuâ immortalis; quia non ſubeſt vlli cauſæ 2. ad ſuum proprium finem & conſeruationem. Nec obſtat, quòd animatio corporis videatur eius potior finis: ideoque eſſe ſupra eius naturam conſeruari & reſeruari ad reſurrectionem ſupernaturalem corporum. Quia finis animandi corpus, & componendi hominem eſt magis extrinſecus, quàm finis intelligendi & volendi. Nec conſeruatur aut reſeruatur naturaliter ad futuram Reſurrectionem: ſed ad intelligendum & volendum, quod naturaliter poteſt.

5. Ab appetitu noſtro naturali, & rationali, etiam elicito, vitæ immortalis: ad certitudinem & euidentiam naturalem huius vitæ, vt naturalis animæ rationali; quia non poteſt naturaliter, rationabiliter, & ordinatè appeti quod non eſt naturaliter poſſibile & conueniens. Hinc 2. *Cor.* 5. *Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita.* Vtique ex appetitu illo naturali alicuius vitæ immortalis. Et *B. Aug. lib.* 3. *De lib. Arb.* cap. 6. *Si quis dixerit, non eſſe, quàm miſerum me eſſe mallem: Reſpondebo, mentiris, &c.* Cap. 7. *Si dixeris, &c. eligerem non eſſe potius, quàm vt eſſem miſer, &c. caue potiùs ne hic erres, &c. Conſidera quàm magnum bonum ſit ipſum eſſe: videbis te in tantùm eſſe miſerum, in quantùm non propinquas ei quod ſummè eſt. Si vis itaque miſeriam fugere: ama in te hoc ipſum quia eſſe vis. Si enim magis, magiſq́, eſſe volueris, ei quod ſummè eſt propinquabis.* Infra. *Non tibi diſpliceat, imò maximè placeat, quod mauis eſſe vel miſer, quàm propterea miſer non eſſe; quia nihil eris. Huic enim exordio quo eſſe vis, ſi addicias magis magiſq́, eſſe: conſurgis in id quod ſummè eſt.* Cap. 8. *Non eſſe, nihil eſt: & ideo nullo pacto eligi poteſt.* Infra. *Non eſſe non eſt melius: non ergo illud velle debuiſti, &c. Deinde quod quis rectè eligit, inde melior fit: melior autem eſſe non poterit qui non erit; nemo igitur rectè poteſt eligere vt non ſit, &c.* Nec obſtat quòd ſtatus animæ extra corpus non videatur naturalis, nec naturaliter eſſe aut appeti poſſe in æternum. Quia non eſt quidem naturalis animæ, vt eſt vegetatiua, & ſenſitiua: ſed poteſt dici ei naturalis vt eſt rationalis; non quidem ante vnionem cum corpore, ſed poſt, acquiſitis in corpore ſpeciebus neceſſarijs. Nec inclinatio naturalis ad animandum corpus, & conſtituendum totum hominem eſt naturalior, imò nec æquè naturalis, ac inclinatio ad proprium eſſe,

& opera intellectualia : pluſque & naturaliùs inclinatur anima rationalis ad ſuum obiectum,& finem proprium, quam ad ſubiectum, & ſuum totum. Nec obſtat *Scotus in* 4. *diſt.* 43. *q.* 2. Quia non negat poſſe : ſed ait debere probari ; hunc appetitum naturalem eſſe rectum & ordinatum ad finem cõuenientem; vel tantùm negat nos poſſe naturaliter aſſentiri his rationibus quamuis ex ſe euidentibus. Nec *in* 4. *diſt.* 50. *q.* 1.2. Quia licet ei videatur malendum non eſſe, quàm tam miſerum eſſe, &c. *col.* 949. poteſt & debet intelligi de miſeria , & malitia ſpirituali damnatorum, contraria fini etiam naturali cognoſcendi, & volendi veritates æternas.

6. Ex Prouidentia & æquitate Dei naturali lumine nota : ne innocentes fruſtra patiantur, & rectè agant in hac vita mortali; nec peccatores ſint impunes. Ergo eodem lumine naturali notum eſt dari vitam immortalem,in qua cuique pro meritis, aut demeritis retribuatur. Quo lumine naturali *Pſal.* 72. *Zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns, &c. Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, &c.* *Rom*.2. De hac lege naturali conſcientiæ. 1.*Cor*.15. *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus : miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet primò credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. B. Aug. q. 82. ex 83. *Iſta iuſtitia non imprimeretur Animæ, niſi eſſet in Deo. Si Deus grauia perpeti iuſtos ſineret, quia contra ordinem rerum à ſe diſpoſitum nollet venire, nec ipſe iuſtus eſſet : non quia diſpoſitionem ſuam ſeruare vult ; ſed quia ita diſpoſuit, &c.* Ibidemque refert; ſed non approbat poſſe ſufficere ſolum gaudium præſens patiendi innocenter pro veritate. *Lib.* 8. *Trin.* 6. De notitia & amore naturali huius iuſtitiæ : vt & Lib. 14. cap. 15. *Etiam impij cogitant æternitatem, & multa rectè iudicant. Quibus regulis? Vbi ſcriptæ ſunt: niſi in libro lucis quæ veritas dicitur? Vnde omnis lex iuſta deſcribitur, & in cor hominis non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur : ſicut imago ex annulo & in ceram tranſit, & annulum non relinquit*. Lib. 3. Ciu. De Imperio Romano, ex prouidentia, & æquitate Dei, in mercedem temporalem quorundam bonorum morum:ergo eſt de naturali lumine, quòd quibus deeſt merces temporalis,nõ deſit æterna. Nec his obſtat *Scot. in* 4.*d*.43. *q*.2. De poſſibili actu bono, vel malo,ſine alia illius mercede,aut huius pœna,quám ipſius ordinati vel inordinati animi : quia id tantũ de poſſibili abſolutè,non autem ordinatè & congruè ſecundùm ipſũ lumen naturale. Nec ratio humana acquieſcit illi ſtoicæ opinioni,quòd quiuis actus virtutis ſit merces ſufficiens ſuiipſius. Neque hæc ratio, ſed eius certus aſſenſus cenſendus eſt ex fide, vel gratia aliqua actuali.

7. Ex perfectione hominis, & animæ humanæ, præ omnibus corporibus & corporalibus : quorum tamen aliqua ſunt naturaliter incorruptibilia, & indefectibilia, vt cœli, ſtellæ, materia prima, &c. Alia durant per ſæcula : vt lapides , quercus , corui, &c. Ergo ſaltem animæ humanæ ſunt natura ſua immortales:cùm reliqua omnia ſint ad tandem earum vſum.

8. Ex perfectione accidentium ſpiritualium in anima, vt ſpecierum intelligibilium, ſcientiarum, & virtutum:cùm enim quædam accidentia corporum ſint naturaliter incorruptibilia , vt lux cæleſtis, &c. quantò magis ſciẽtiæ & virtutes in anima? Nec obſtat 1.*Cor*.13. Sciẽtia deſtruetur, &c. quia hoc ex reuelatione fidei, & nonniſi ex maiori perfectione ; nec fortè quo ad habitum, aut vſum, niſi vt imperfectum. Nec ſufficeret animas humanas, earumque ſcientias,& virtutes perpetua ſucceſſione conſeruari : tum quia hoc eſt commune viliſſimis creaturis; tum quia poſſet tandem hæc ſucceſſio deficere, vt ſolent quædam familiæ deficere, imo & quædam artes defecerunt ; tum quia ſingulæ ſunt perfectiores omnibus corporalibus, & digniores conſeruatione; tum quia ſunt finis naturalis reliquorum omnium; ergo ſunt præ omnibus ſtabiles, ac permanentes. Quam enim eſſet indignum , animas ſcientijs, & virtutibus perfectas cum corpore deficere : quando priùs incipiunt ſapere; nec vlterius frui, aut vti ſuis ſcientijs, & virtutibus acquiſitis.

9. Ex ſenſu communi, & connaturali hominũ, de immortalitate animarum humanarum. Vt patet ex inſtinctu naturali colendi Deum,curam habendi de animabus defunctorum , eaſque diligendi & timendi etiam poſt mortem. Nec obſtat quorundam incredulitas, & dubitatio : quia hæc non tam oritur ex defectu rationis naturalis , quàm ex aliquo errore acquiſito, vel vitio morali ; nec eſt vnquam ſine timore oppoſiti, ſeu ne animæ ſint immortales,& vitioſæ poſt hanc vitam pro demeritis puniantur.

10. Ex obiectis æternæ veritatis : quibus anima humana,vt rationalis, naturaliùs adhæret,quàm ſubiectis ſeu corporibus proprijs; malletq; ab his quàm ab illis in æternum ſeparari. Nec obſtat quòd quidam videantur malle ſua corpora, quàm talia obiecta : tum quia non niſi ex aliquo errore, aut vitio perſonali;tum quia non ex appetitu rationali, ſed ſenſitiuo ; tum quia mallent, vt Apoſt. 2. *Cor*.5. non exui corpore,ſed ſuperueſtiri, & frui ſimul hac vita corporali, & ſpirituali, ac immortali. Hinc *B. Aug. Lib. de Magiſtro cap.* 11. Omnis anima rationalis conſulit in ſeipſa ſapiẽtiam æternam: ſed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam ſiue malam,ſiue bonam voluntatem poteſt. *Lib.* 1. *Conf. cap.* 1. Feciſti nos Domine ad te,& inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.] Vtique ex vi creationis à Deo,& ad Deũ, vt ad finem. Sic poſſet etiam exponi *B. Aug. Lib.* 2. *Solil. & Lib. de immort. Animæ*, de quo ſupra. Nec ſufficit quòd veritates æternæ ſint in Deo obiectiuè , & formaliter : quia hinc quidem patet veritates æternas non dependere ab vllis creaturis rationalibus, nec in eſſe , nec in cognoſci, ſicque nec animas ad hoc neceſſariò creari ; ſed creatas, connaturaliter ad illa obiecta in æternum conſeruari; quia habent cum eis naturaliorem,& eſſentialiorem connexionem, quàm cum proprijs ſubiectis, ac corporibus. Patet etiam ex prædictis, errorem, & ignorantiam de vita immortali, non eſſe pœnam ſolius peccati originalis : ſed alicuius vitij acquiſiti, ex quo quis mallet mori etiam animo, quàm poſt mortem puniri, aut ſaltem ex negligentia culpabili cognoſcendi ſeipſum. Denique patet quantùm

quantum debeamus fidei Chriſtianæ, quæ nos à Pueris ſapientiores facit omnibus philoſophis infidelibus.

De cognitione naturali Animæ humanæ.

EX ſacra Script. *Gen.* 2. De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas,&c. *Cap.* 3. Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum. *Gen.* 6. Cuncta cogitatio cordis humani intenta eſt ad malum,omni tempore. Pſal. 48. *Homo cùm in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal. 72. *Vt iumentum factus ſum apud te, &c.* Pſal. 93. *Cogitationes hominum vanæ ſunt.* *Eccleſ.* 1. Qui addit ſcientiam, addit & dolorem. *Eccleſ.* 3. Deus tradidit mundum diſputationi hominum: vt non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem. *Sap.* 4. Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia. *Cap.* 9. Cogitationes mortalium timidæ,& incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Difficile æſtimamus quæ in terris ſunt: quæ autem in cœlis ſunt quis inueſtigabit? *Ioan.* 8. Cùm diabolus loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, & Pater eius .i. mendacij. *Rom.* 1. Cùm cognouiſſent Deum,non ſicut Deum glorificauerunt, &c. ſed obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. *Act.* 17. Inueni Aram, in qua ſcriptum erat, *Ignoto Deo, &c.* Tempora huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat. *Rom.* 14. Omne quod nõ ex Fide peccatum eſt. 2. *Cor.* 3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 1. *Tim.* 2. Adam non eſt ſeductus: mulier autem ſeducta fuit. 1. *Cor.* 8. Scientia inflat,charitas vero ædificat: ſi quis autem exiſtimat ſe aliquid ſcire, nondum cognouit quomodo oporteat eum ſcire, &c.

Ex *B. Aug.* tribus lib. contra Academicos. *Lib.* 3. *cap.* 5. *Alip.* Fortè aliquãdo contra hoc à quopiã reperiri poterit quod acutè probabiliterque dicatur,&c. Si Numen adſit,& illam nobis veritatem quæ nobis tantum curæ eſt,demonſtrare dignetur: ego quoque vel ipſis inuitis Academicos ſuperatos eſſe confitebor. *Cap.* 6. *Aug.* Mecum familiariſſimus Amicus meus, non ſolùm de probabilitate humanæ vitæ: verùm etiam de ipſa Religione concordat. 1. *Retr.* 1. Contra, vel de Academicis primùm ſcripſi: vt argumenta eorum quæ multis ingerunt veri inueniendi deſperationem,ab animo meo amouerem, &c.

Lib. 3. *de lib. Arb. cap.* 19. Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras: ſed quod negligis quærere quod ignoras. *Cap.* 12. Si ignorantia, & difficultas naturalis eſt: inde incipit anima proficere, &c. *Cap.* 24. Si autem ignorantia,& difficultas non ſunt animis naturales: reſtat vt aut officio ſuſceptæ ſint, aut irrogatæ ſupplicio. *Cap.* 24. Superbia auertit à ſapientia: auerſionem autem ſtultitia conſequitur. *Infra.* Ex Arce ſapientiæ, vt ad ſtultitiam primus homo tranſiret, nec ſtultus, nec ſapiens tranſitus ille fuit. *Cap.* 35. Quo viſo quis tangatur nulla poteſtas eſt, &c. Diſcernenda ſunt ergo genera viſorum: quorum vnum proficiſcitur à voluntate ſuadentis, quale eſt illud diaboli, cui homo conſentiendo peccauit; alterum, à rebus ſubiacentibus vel intentioni animi, vel ſenſibus corporis. *Lib.* 6. *de Muſica cap.* 4. Mirare quomodo facere aliquid in anima corpus poteſt: hoc enim fortaſſe non poſſet, ſi non peccato primo corpus illud corruptioni ſubijceretur, & morti. *Cap.* 5. Videtur mihi Anima cùm ſentit in corpore, non ab illo aliquid pati, ſed in eius paſſionibus attentiùs agere. *Cap.* 1. Attentio animæ ad corporis partem inquieta negotia contrahit, &c. *Lib. de Magiſtro cap.* 11. De ijs quæ intelligimus, non loquentẽ qui perſonat foris, ſed intus præſidentem conſulimus veritatem, verbis fortaſſis vt conſulamus admoniti, &c. Sed tantum cuique panditur, quantùm capere propter propriam ſiue malam,ſiue bonam voluntatem poteſt. *Lib.* 10. *Conf.* 26. Vbique veritas præſides omnibus conſulentibus te: liquidè tu reſpondes, ſed non liquidè omnes audiunt. *Lib. de vera Relig. cap.* 3. Date mihi qui videat ſine vlla imaginatione viſorum carnaliũ,&c. Date qui reſiſtat ſenſibus carnis, & plagis quibus per illos in anima vapulauit. *Cap.* 35. Quòd ſi hæc intueri palpitat mentis aſpectus: quieſcite, nolite certare niſi cum conſuetudine corporum, &c. Agite otium, ſeu vacate, *Pſal.* 45. Non otium deſidiæ, ſed otium cogitationis; vt à locis, & temporibus vacetis. Hæc enim phantaſmata tumoris & volubilitatis, conſtantem vnitatem videre non ſinunt. Loca offerunt quod amemus, tempora ſurripiunt quod amamus: & relinquũt in anima turbas phantaſmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. *Cap.* 49. Redeuntibus nobis ad inueſtigandam veritatem, ipſa phantaſmata in itinere occurrunt: nullis viribus, ſed magnis inſidijs latrocinantia, non intelligentibus quàm latè pateat. 1. *Ioan.* 5. Cauete à ſimulacris. *Cap.* 5. Diuina Prouidentia cum infantia noſtra parabolis, ac ſimilitudinibus quodammodo ludere, & interiores oculos noſtros luto huiuſcemodi curare non eſt aſpernata. 1. *Retr.* 14. *Lib.* 12. *in Gen.* 35. de impedimẽto perfectæ viſionis Dei,ex inclinatione animæ ad corpus abſens: Cur non & omnis perfectæ cognitionis, ex nimia inclinatione, attentione, intentione,& ſollicitudine circa corpus præſens tã paſſibile, & corruptibile?

Lib. de duabus Animabus cap. 9. Ad obiectionem de vitijs animarum: reſponderem, ſi aut ſtatim, vt bonis Dei cultoribus ſolet, diuinitùs infulſiſſet huius ſolutio quæſtionis, aut fuiſſet antea præparata. Quorũ ſi neutrum meruiſſem, atque potuiſſem: recurrerem in me, proſternerer Deo, altè ingemiſcerem, &c, *Cap.* 7. Et nos fortaſsè, implorato in auxilium Deo, facilè videre poſſemus, aliud eſſe viuere, aliud peccare. *Quæſt.* 40. ex 83. Ex diuerſis viſis, diuerſus appetitus animarum eſt, &c. Diuerſa autem viſa ordo rerum facit; occultus quidem, ſed ſub diuina Prouidentia certus. *Lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. Quis habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? *Lib.* 1. *Conf.* 6. 7. De peccatis infantiæ.

Digitized by Google

Lib. 10. *Conf.* 30. Adhuc viuunt in memoria taliũ rerum imagines: & occurſant mihi vigilanti quidem carentes viribus; in ſomnis autẽ vſque ad delectationem, & conſenſionem, factumque ſimillimum, &c. Vbi eſt tunc ratio? Et vnde ſæpè in ſomnis reſiſtimus? Et tamen cùm aliter accidit, euigilantes ad conſcientiæ requiem redimus. Sic & 12. *in Gen.* 14. 15. De talibus ſomnijs, & illuſionibus Dæmonum. *Lib.* 8. *Trin.* 2. Vide ſi potes anima prægrauata corpore quod corrumpitur, *Sap.* 9. Deus veritas eſt, 1. *Ioan.* 1. Noli quærere quid ſit veritas: ſtatim enim ſe opponunt caligines imaginum corporalium, & nubila phantaſmatum, & perturbant ſerenitatem, quæ primo ictu illuxit, cum dicerem tibi, Veritas. Ecce in ipſo primo ictu, quo velut coruſcatione perſtringeris cum dicitur, Veritas: mane ſi potes, ſed non potes, &c. *Cap.* 4. Cauendum eſt ne credens animus quod non vider: fingat ſibi aliquid quod non eſt, in lineamentis formiſque corporum, ſicut occurrerit cogitanti, &c. *Lib.* 10. *cap.* 3. Mens non poteſt omnino neſcire ſe, &c. *Cap.* 4. Vt mens tota mens eſt, ſic tota viuit: nouit autem ſe viuere; totam ergo ſe nouit. *Cap.* 5. Vt quid ergo ei præceptum eſt, vt ſeipſam cognoſcat? Credo vt ſeipſam cogitet, & ſecundùm naturam ſuam viuat, &c. Tanta eſt vis amoris, vt quæ cum amore diu cogitauerit, attrahat ſecum etiam cùm ad ſe cogitandum redit. *Cap.* 6. Errat autem mens, cùm ſe iſtis imaginibus tanto amore coniungit: vt etiam ſe eſſe talẽ putet. *Cap.* 8. Cùm ei præcipitur vt ſeipſam cognoſcat: non ſe tanquam ſibi detracta ſit, quærat; ſed id quod ſibi addidit detrahat. Interior eſt enim ipſa, &c. *Cap.* 9. Cùm dicitur menti, cognoſce teipſam: eo ictu quo intelligit, teipſam, cognoſcit ſeipſam; nec ob aliud, quàm eo quo ſibi præſens eſt, &c. *Cap.* 10. Secernat mens quod ſe putat, cernat quod ſcit: hoc ei remaneat, &c. Certa ſit non ſe eſſe aliquid eorum de quibus incerta eſt: idque ſolum ſe eſſe certa ſit, quod ſolum ſe eſſe certa eſt. *Lib.* 14. *cap.* 5. Quid de infantis mente? An etiam ipſa ſe noſſe credenda eſt: ſed intenta nimis in eas res quas per corporis ſenſus tantò maiore, quantò nouiore cœpit delectatione ſentire, non ignorare ſe poteſt, ſed cogitare ſe non poteſt? Sed hanc ætatem omittamus, &c. *Cap.* 6. Cùm mens non ſe cogitat nouit ſe, tanquam ipſa ſit ſibi memoria ſui, &c. non tanquam ſibi ante incognita fuerit; ſed ita ſibi nota erat, ſicut res quæ memoria continentur, etiamſi non cogitentur. *Lib.* 7. *in Gen. cap.* 21. Deſinat anima ſuſpicari ſe eſſe corpus: quia ſi quid tale eſſet, noſſet. *Lib.* 8. *cap.* 21. Anima affecta carnalium ſenſuum conſuetudine, etiam ſeipſam cum corpore per locum moueri putat, dum id per locum mouet. *Lib.* 9. *cap.* 14. Omnis anima etiam irrationalis viſis mouetur, &c. Vt *col.* 363. 364. *Lib.* 11. *cap.* 3. Eritis ſicut dij, &c. Quando his verbis crederet mulier: niſi ineſſet menti quædam de ſe ſuperba præſumptio, conuincenda, & humilianda? *Cap.* 42. Si iam ſpiritalis erat Adam, quomodo id credere potuit? An mulier addita eſt *quæ parui intellectus eſſet*? 1. *Tim. cap.* 2. Adam non eſt ſeductus: mulier autem ſeducta eſt, &c. Vt Salomon tantæ ſapientiæ, faciens quod ſciebat non eſſe faciendum, ne ſuas quibus deperibat mortiferas delicias contriſtaret: ita & Adam noluit Euam contriſtare, amicabili quadam beneuolentia; quâ plerumque fit vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus. *Lib.* 12. *cap.* 2. Cùm vel in ſomnis vel extaſi corporum exprimuntur imagines, non diſcernuntur omninò à corporibus: in extaſi vnum audire potui, & eum ruſticanum, qui & vigilare ſe ſciret, & videre quiddam non oculis corporeis, &c. *Cap.* 6. Tria genera viſionum occurunt, 1. Per oculos. 2. per ſpiritum. 3. per contuitum mentis. *Cap.* 7. Primum appellemus corporale. 2. Spiritale. 3. Intellectuale: quia mentale nimis abſurdũ eſt vt dicamus. Spiritale dicitur 1. *Cor.* 15. ipſum corpus beatorum. 2. Aer iſte, vel flatus. 3. Anima. 4. Mens rationalis. 5. Ipſe Deus. *Cap.* 8. Hic traximus ſpiritale ex 1. *Cor.* 14. Spiritus meus orat: mens autem infructuoſa eſt. *Cap.* 9. Vocatur ſpiritus vis animæ quædam mẽte inferior, vbi rerum corporalium ſimilitudines exprimuntur. *Cap.* 10. Siue intellectuale dicamus, ſiue intelligibile hoc idem ſignificamus, &c. Sed eſſe aliquam rem, quæ ſolo intellectu cerni poſſit, ac non etiam intelligat, magna quæſtio eſt: eſſe autẽ rem quæ intellectu percipiat, nec percipi poſſit, non arbitror quenquã vel putare, vel dicere. Mens ergo quia videri poteſt, intelligibilis: quia & videre, intellectualis eſt. *Cap.* 12. Vigilantes diſcernimus viſionem ſpiritalem à corporali, &c. Nimia autem cogitationis intentione, vel aliqua vi morbi, vel commixtione alterius ſpiritus, ſeu boni, ſeu mali, &c. ſic videntur quæ in ſpiritu fiunt imagines corporum, quemadmodum corpora ipſa per corpus, &c. Quando autem penitus auertitur, atque abripitur animi intentio à ſenſibus corporis: tunc magis extaſis dici ſolet. Tunc præſentia corpora non videntur, nec vllæ voces audiuntur: Totus animi contuitus aut in corporum imaginibus eſt, per ſpiritualem; aut in rebus incorporeis, nulla corporis imagine figuratis, per intellectualem viſionem, &c. Vt ſupra *col.* 252. *Cap.* 18. Nonnulli volunt animam humanam habere vim quandam diuinationis in ſeipſa: ſed ſi ita eſt, cur non ſemper poteſt, cum ſemper velit? *Infra.* Cùm ſpiritus bonus in hæc viſa ſpiritum humanum aſſumit, aut rapit: nullo modo illas imagines ſigna rerum aliarum eſſe dubitandum eſt, & earum quas noſſe vtile eſt. Diſcretio ſanè difficilis eſt, cùm ſpiritus malignus quaſi tranquillus agit: quando etiam vera dicit, & vtilia, &c. Hunc diſcerni non arbitror, niſi dono illo 1. *Cor.* 12. *Alij diiudicatio ſpirituum, &c.* *Cap.* 14. Non enim magnum eſt tunc eum dignoſcere, cùm ad aliqua peruenit quæ ſunt contra bonos mores, vel regulam fidei, &c. Per corporalem viſionem, & imagines corporalium, boni inſtruunt, & mali fallunt. Intellectualis autem viſio non fallitur: aut enim non intelligit qui aliud opinatur quàm eſt; aut ſi intelligit, continuò verùm eſt, &c. De illuſionibus Dæmonum. *Cap.* 15. De ſomnijs. *Cap.* 16. De perfectione cuiuſuis ſpiritus præ omni corpore. Vt ſupra *col.* 231. *Cap.* 17. An & quomodo noſtræ imaginationes innoteſcant ſpiritibus: non autem nobis inuicem, &c. Vt ſupra *col.* 281. *Cap.* 20. Sed cùm à corpore cauſa eſt, vt talia viſa

cernantur,

Digitized by Google

cernantur, non ea corpus exhibet: neque enim habet vim, vt formet aliquid ſpiritale; ſed ſopito, perturbato, aut intercluſo itinere intentionis à cerebro, anima quæ per corpus non ſinitur, ſpiritu corporalium ſimilitudines agit, aut intuetur obiectas. *Cap.* 22. Quomodo hæ viſiones in ſpiritu hominis formentur, vel Angeli eas oſtendant, aut occultent, &c. vt ſupra *col.* 252. *Cap.* 25. Illuditur anima ſimilitudinibus rerum: non earum vitio, ſed opinionis ſuæ.&c. At in illis intellectualibus viſis non fallitur: aut enim intelligit, & verum eſt; aut ſi verum non eſt, non intelligit. *Cap.* 26. Si raptus à ſenſibus corporis, rapiatur & ab ipſis ſimilitudinibus corporum, vt in illam quaſi regionem intellectualium ſubuehatur: ibi perſpicua veritas cernitur, &c. *Cap.* 27. Sic *Exod.* 19. & 33. Oſtende mihi teipſum, &c. *cap.* 28. Cur non credamus quòd tanto Apoſtolo rapto ad iſtam viſionem, 1. *Cor.* 12. voluerit Deus demonſtrare vitam æternam? *Cap.* 30. *vt* 22. *ſupra col.* 252. *Cap.* 31. Alia ſunt quæ in ipſa anima videntur, &c. aliud ipſum lumen quo illuſtratur anima, vt omnia veraciter intellecta inſpiciat. Nam illud ipſe Deus eſt, hoc creatura rationalis: quæ cùm conatur lumen illud intueri, palpitat & minùs valet. *Cap.* 32. 33. De loco, vt & ſubſtantia ſpirituali animæ extra corpus, ſupra *col.* 252. 396. *Cap.* 34. De Paradiſo & tertio Cœlo, quò raptus fuit Apoſt. 1. *Cor.* 12. *Lib. De ſpiritu & littera, cap.* 12. Per viſibilia creaturæ illos *Rom.* 1. perueniſſe ad intelligentiam Creatoris: quia reuera ſicut magna ingenia quærere perſtiterunt, ſic inuenire potuerunt. *Infra.* Sicut illis per creaturam cognitoribus Creatoris, *Rom.* 1. ea ipſa cognitio nihil profuit ad ſalutem, &c. ita eos qui per legem Dei cognoſcunt, non iuſtificat ipſa cognitio. *Cap.* 34. Viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, &c. *Lib. de Natura & Gratia, cap.* 26. Vt oculus ſanus, niſi candore lucis adiutus non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æternâ Iuſtitiæ luce iuuetur, non poteſt rectè viuere. *Lib.* 2. *Ciu.* 7. Quidam Philoſophi quædam magna, quantum diuinitùs adiuti ſunt, inuenerunt: quantum autem humanitùs impediti ſunt, errauerunt. *Lib.* 9. *cap.* 30. Vix pauci magno ingenio prædití, &c. vt *col.* 403. 404. *Lib.* 19. *c.* 14. Ne quis ipſo ſtudio cognitionis, propter humanæ mentis infirmitatem, in peſtem alicuius erroris incurrat: opus habet homo magiſterio diuino, cui certus obtemperet; & adiutorio, vt liber obtemperet. *Lib.* 22. *cap.* 22. De ignorantia pœnali infantium, & difficultate diſcendi. *Cap.* 24. De bonis adhuc naturalibus corporis & animi. *Tract.* 5. *in Ioan.* 8. Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum, &c. vt ſupra *col.* 284. *can.* 22.

Epiſt. 52. *ad* Macedonium. *Excellentiſſima ingenia tantò in maiores errores ierunt, quantò præſidentiùs tanquam ſuis viribus cucurrerunt. Epiſt.* 56. ad Dioſcorum: contra curioſitatem, & vanitatem totius Doctrinæ, & Philoſophiæ humanæ. Vt & 1. *Conf.* 18. *Epiſt.* 57. ad Dardanum. *Si adhuc ignorant paruuli Deum: quomodo* Ioannes *in vtero,* Luc. 1. *potuit exultare? Potuit eſſe ſignificatio rei à Paruulo non cognitæ. Hæc exultatio facta eſt diuinitùs in infante. Etſi eſt in illo puero acceleratus vſus rationis, & voluntatis, vt intra viſcera materna iam poſſet agnoſcere, credere, conſentire, &c. in miraculis habendum eſt, &c. Neſcire autem diuina paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, ſi verbis velimus oſtendere: vereor ne ipſis ſenſibus noſtris facere videamur iniuriam, &c. Si iam vterentur rationis, & voluntatis arbitrio: quantum malum eſſet reſiſtere tantæ gratiæ baptiſmi? Epiſt.* 72. ad Nebridium. *Memoria tibi nulla videtur eſſe poſſe ſine imaginibus, vel imaginarijs viſis: ego aliud exiſtimo, &c. Nihil eſt aliud iſta imaginatio, mi* Nebridi, *quàm plaga inflicta per ſenſus: quibus non vt tu ſcribis, commemoratio fit vt talia formentur in anima; ſed ipſa huius falſitatis illatio, ſiue impreſſio, &c. Omnes has imagines, quas phantaſias vocas, in tria genera diſtribui video.* 1. *A rebus ſenſis.* 2. *A putatis.* 3. *A ratis.* Infra. *Vnde euenit, vt quæ nunquam ſentimus cogitemus? Quid putas, niſi eſſe vim quandam minuendi, & augendi animæ inſitam?* Infra. *Pro noſtra familiaritate, & ipſius diuini Iuris fide, ſedulò monuerim: vt nullam cum iſtis infernis vmbris copules amicitiã. Epiſt.* 115. ad eundem. An, & quomodo Dæmones imprimant nobis cogitationes: vt *col.* 231. 252. *Epiſt.* 116. De ſtudio, & experientia propriæ vitæ contemplatiuæ: ſed pluſquam naturalis. *Deificari in otio licebat, &c. Niſi proueniat quædam ſecura ceſſatio, ſincerum illud bonum guſtare non poſſum. Magna receſſione à tumultu rerum labentium opus eſt, &c.* Epiſt. 117. *Deo in auxilium deprecato, in ipſum, & in ea quæ veriſſima ſunt attolli, &c. Epiſt.* 151. vt ſupra *col.* 20. De immortalitate animæ. *Epiſt.* 218. Cur non nobis ad hanc quæſtiunculam de quodam velut corpore perpetuo animæ, indicimus ferias: & nos totos, *imprecato Deo,* in ſerenitatem naturæ ſummè viuentis, attollimus? Veniat in mentem, intelligere in nobis duobus modis fieri: aut ipſa per ſe mente, aut admonitione à ſenſibus. *Epiſt.* 100. ad Euodium. De ſtatu animæ ſine corpore, & de viſis prodigioſis. vt *Lib. De cura pro mortuis, & lib.* 12. *de Gen. Epiſt.* 101. ad eundem, de ijſdem. *Si recoleres librum de vera Relig. nunquam tibi videretur ratione cogi Deum eſſe, vel ratiocinando effici Deum eſſe debere, &c. Homo ſapiens eſſe debet: ſi eſt, vt maneat; ſi nondum eſt, vt fiat. Deus autem, non ſapiens eſſe debet, ſed eſt. Vtrum viſa ſomniorum fiant in animo, vt in membrana ex atramento litteræ, an ſicut ſigillum in cera, an vtroq; modo, &c.* Epiſt. 102. *Sunt viſiones quæ diſcerni omninò non poſſunt: niſi diuino adiutorio plenius reuelentur, & mentis intelligentia diiudicentur; vix aliquando cùm fiunt, ſed plerumq; cùm tranſierint.* Epiſt. 222. ad Conſentium. *Abſit ne ideo credamus, vt rationem accipiamus, ſiue quæramus: cùm etiam credere non poſſemus, niſi rationales animas haberemus. Ideo rationabiliter dictum eſt,* Eſa. 7. *Niſi credideritis non intelligetis, &c. Si igitur hoc rationabile eſt: proculdubiò quantulacumq; ratio quæ hoc perſuadet, etiam ipſa antecedit fidem.* 1. Pet. 3. *Parati eſſe debemus ad reſponſionem omni nos poſcenti rationem de fide, & ſpe noſtra, &c. Sunt de quibus ratio reddi non poteſt: non tamen non eſt. Hæc dixerim, vt fidem tuam ad amorem intelligentiæ cohorter, ad quam ratio vera*

perducit,

Digitized by Google

perducit, & cui fides animum præparat, &c. Vt non debes omnem vitare ſermonem, quia eſt & ſermo falſus: ita non debes omnem vitare rationem, quia eſt & falſa ratio. Hoc & de ſapientia dixerim. Cui autem niſi veræ rationi fidelis pietas erubeſcit: vt quandam idololatriam in corde noſtro ex conſuetudine viſibilium non dubitemus euertere? &c. Iſtud figmentum vbi vera ratio labefactare incipit: continuò, illo intus adiuuante atq; illuminante qui cum talibus idolis in corde noſtro habitare non vult, ita confringere, atq; à fide noſtra excutere feſtinamus; vt ne puluerem quidem vllum talium phantaſmatum illic manere patiamur. Infra. *Si mentem mente potuerimus apprehendere: nõ erit abſurdum, vt eam quoq; ad ſuum Creatorem intelligendum, ipſo adiuuante meditemur attollere. Si autem in ſeipſa deficit, ſibiq; ſuccumbit: pia fide contenta ſit, &c.*

Epiſt. 121. ad Probam, *Cap.* 14. Quid oremus ſicut oportet neſcimus, *Rom.* 8. Vnam petij. *Pſal.* 26. Quia ipſa eſt pax quæ præcellit omnẽ intellectum, *Phil.* 4. Etiam ipſam in oratione poſcendo, quid oremus ſicut oportet, neſcimus. Quod enim ſicuti eſt cogitare non poſſumus, vtique neſcimus: ſed quicquid cogitanti occurrerit, improbamus. *C.* 15. Eſt ergo quædã in nobis, vt ita dicam, docta ignorantia. De qua & alibi ſæpè. Vt *Lib.* 2. *De ordine Prouidentiæ cap.* 16. & 18. Deus melius ſcitur neſciendo: imò non ſcitur niſi neſciendo. *Lib.* 1. *Solil. cap.* 1. Deus quem amat omne quod amare poteſt, ſiue ſciens, ſiue neſciens. *Cap.* 14. Quando placet ſeſe oſtendat, &c. *Cap.* 15. Conſtanter Deo crede, eique te totum committe, &c. ita enim te ad ſe ſubleuare non deſinet. *Lib. De Moribus Eccleſiæ cap.* 21. Curioſi eſſe prohibemur, 1. *Ioan.* 2. Cauendum eſt à ſimulacris. *Lib. de quant. Animæ cap.* 28. Actione reformationis animæ nihil videtur operoſius: & nihil eſt ceſſationi ſimilius. *C.* 31. Ne à contemplatione Dei ſtudijs faciliùs, & laboribus, quàm inertia, deſidiaque auertaris. *Cap.* 33. In contemplatione veritatis quæ ſint gaudia, &c. quid ego dicam? Dixerunt hæc quædam incomparabiles animæ. *Cap.* 35. Fieri poteſt vt anima hæc omnia ſimul agat: ſed id ſolùm ſibi agere videatur, quod agit cum difficultate, aut certè cum timore; agit enim hoc multò quàm cætera attentior. *Lib.* 2. *De lib. Arb. cap.* 13. Mentibus noſtris, ſine ſtrepitu, canorum, & facundum Silentium veritatis illabitur. *Lib.* 3. *cap.* 2. Melior eſt animus cùm obliuiſcitur ſui præ charitate Dei. *Lib.* 6. *De Muſica cap.* 11. Sequuntur aliqui phantaſmata ſua præcipites: vt nulla ſit alia materia falſarum opinionum. *Lib. De vera Relig. cap.* 35. Agite otium: non deſidiæ, ſed cogitationis, &c. vt ſupra. *Lib. contra Adimantum cap.* 11. Quæ cum aliqua dignitate Dei ſe putant homines dicere, indigna ſunt illius Maieſtate, cui honorificum potius ſilentium, quàm vox humana competeret. *Infra.* Humani conditionem ſermonis feramus: vt ad diuinum perueniamus ſilentium. *Cap.* 13. Illa ſublimitas ineffabilis vt hominibus congruat, humanis ſonis ſignificanda eſt: vt autem Deos homines faciat, diuino eſt intelligenda ſilentio. *Epiſt.* 116. *ad Nebrid.* Deificari in otio licebat, &c. *Lib.* 1. *Doct. Chriſt.* 6. *Serm.* 63. *De verbis Domini. Serm.* 40. *De tempore. In Pſal.* 26. 96. 102. 121. & alibi ſæpè, de incomprehenſibilitate, ineffabilitate, & incomparabilitate Dei à nobis naturaliter. *Lib. contra Epiſt. fund. cap.* 19. Deum tantò minùs eloquitur anima, quantò ſincerius videre potuerit. 1. *Conf.* 4. Væ tacẽtibus de te, quoniã & loquaces muti ſunt. *Cap.* 6. Tu autem idem ipſe es, *Pſal.* 102. Quid ad me ſi quis non intelligat? Gaudeat & ipſe, nõ inueniendo, potius inuenire, quàm inueniẽdo nõ inuenire te. *Cap.* 18. Quàm ſecretus es, habitans in excelſis, in ſilentio Deus? *Lib.* 9. *cap.* 9. Dum loquimur, & inhiamus vitæ æternæ, attigimus eam modicè toto ictu cordis, & ſuſpirauimus, &c. Dicebamus ergo: ſi cui ſileant phantaſiæ, & ipſa ſibi anima ſileat non ſe cogitando, ſileat omne ſignũ, &c. quoniam erexerunt aures in eum qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus per ſeipſum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per ænigma, ſed ipſum quem in his amamus ſine his audiamus, &c. nõne hoc eſt *Matt.* 25. Intra in gaudium Domini tui? *Quæſt.* 29. *in Ioſue* 24. Auferte Deos alienos qui ſunt in vobis, &c. *Propheta in cordibus eorum eſſe cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo: & ipſas admonebat auferri. Quiſquis enim talem cogitat Deum, qualis non eſt Deus: alienum Deum vtiq;, & falſum in cogitatione portat. Quis eſt autem qui ſic cogitet Deum, quemadmodum ille eſt? Ac per hoc relinquitur fidelibus, quamdiu peregrinantur à Domino, auferre à corde ſuo irruentia vana phantaſmata, quæ ſe cogitationibus ingerunt, velut talis aut talis ſit Deus, qualis vtiq; non eſt: & dirigere cor ad illum fideliter, vt quemadmodum, & quantum expedire nouit, ipſe ſe inſinuet per ſpiritum ſuum, donec abſumatur omne mendacium.* Præter ea quæ ſæpè ſupra, de ignorantia & errore pœnali ab infantia.

Ex *Alenſi P.* 1. *q.* 1. De Doctrina Theologica, & 2. de noſtra cognitione Dei. *A q.* 20. *ad* 43. De Potentia, Scientia, Prouidentia Dei, Fato, Prædeſtinatione, &c. *Parte* 2. *q.* 8. De Veſtigio Dei, *q.* 27. 39. 40. 41. De actionibus Angelorum in animas noſtras. Sed ex profeſſo, & conſequenter *à q.* 65. *ad* 72. De vi ſenſitiua, & rationali animarum noſtrarum. *q.* 98. De cognitione Adæ in ſtatu Innocentiæ *q.* 102. 122. 129. De pœna & culpa ignorantiæ.

Ex *S. Bon. In* 1. *q.* 1. 2. 3. 4. Procemiali. *In d.* 3. De cognoſcibilitate Dei à nobis, per ſuã veſtigia & imaginem. *In diſt.* 38. 39. 40. 41. De Scientia, Præſcientia, Prædeſtinatione Dei, &c. *In* 2. *d.* 3. *P.* 2. *a.* 2. De cognitione naturali Angelorum. *diſt.* 7. *Parte* 2. De cognitione Dæmonum. Sed ex profeſſo *diſt.* 22. 23. 24. De culpa, & pœna ignorantiæ: & cognitione Adæ ante lapſum.

Ex Doctore Subtili *In* 1. *q.* 1. 2. 3. 4. Procemiali. *In diſt.* 3. per 9. Quæſtiones de cognitione Dei, & cuiuſuis veritatis à nobis pro hoc ſtatu, per veſtigia & imaginem Dei. *Diſt.* 22. De nominatione, & conceptu Dei à nobis. *In* 2. *diſt.* 1. *q.* 4. De differentia Angeli ab anima: non tamen in intellectualitate, nec in modo intelligendi. *In d.* 9. & 11. De potentia Angeli loquendi etiam nobis, & mouendi noſtrum intellectum. Sed expreſſiùs *Diſt.* 20. *q.* 3. *A.* 22. *d.* 42. De ignorantia naturali, pœnali,

Digitized by Google

pœnali, & culpabili. *In 4. diſt.* 43. De cognitione animæ ſeparatæ.

Quæ omnia inter ſe collata, coaleſcunt in eandē doctrinam *B. Aug.* De triplici cognitione naturali animæ rationalis. 1. Ex ſenſibus, & ſenſibilibus. 2. Ex phantaſmatibus. 3. Immediatè ex ipſis obiectis ſpiritualibus, per ſimplicem intelligentiam, vel diſcurſum: Deque ignorantia & errore pœnali, vel etiam culpabili, ex pluſquam naturali dependentia ab organis, ſenſibus, & phantaſmatibus, ipſoque appetitu vitioſo.

1. *Difficultas.*

QVòd *B. Aug.* & reliqui Doctores noſtri ſupponant quidem nos ex peccato originali cōtraxiſſe quandam ignorantiam, & erroneitatem pœnalem, per nimiam dependentiam à ſenſibus, phantaſmatibus, & affectu vitioſo: ſed non videntur ſatis explicare, an, & quæ ſit naturalis, vel pœnalis dependentia animæ rationalis in corpore à ſenſibus, phantaſmatibus, & affectu naturali, vel libero. Itaq; poteſt ſic reſponderi, ſuppleri, vel recolligi. 1. Ex *Lib. 1. De libero Arb. cap. 6.* Lex æterna nobis impreſſa eſt: quâ iuſtum eſt vt omnia ſint ordinatiſſima. *Cap. 7. & 8.* Talem eſſe hominem ex natura ſua. 2. Cùm anima rationalis ſit etiam ſenſitiua, & vegetatiua, poteſt naturaliter etiam à ſuis obiectis ſenſibilibus moueri, ad ea ſenſibus externis, & internis percipienda. 3. Eadē anima ſentiens obiectum vt ſenſibile, naturaliter mouetur, & mouet ſeipſam ad intelligendum idem vt eſt intelligibile: ex ſubordinatione naturali potentiarum eiuſdem animæ. 4. Videtur anima rationalis habuiſſe connaturales ſpecies, & habitus neceſſarios ad ſuum finem naturalem ſciendi, & volendi vera & bona ſibi conuenientia, eaque diſcernendi à contrarijs. 5. Non videtur dependere naturaliter à ſenſibus, & phātaſmatibus, ad ſpecificationem intelligētiæ; ſed fortè ad primam motionem, ſeu monitionem intelligendi. 6. Non videtur naturaliter ita dependiſſe in corpore ab hac motione ſenſuum ad intelligendum, quin immediatè potuerit moueri à ſuis proprijs obiectis, & immediatè intelligere ſeipſam, ac omnia ſibi intelligibiliter præſentia. 7. Nec naturaliter ſubfuiſſe ſenſibus ad intelligendum ſenſibilia: ſed eis præfuiſſe, ad perficiendum iudicium ſenſuum, relatum ad ſuum iudicium intellectuale circa idem. 8. Nec ſubfuiſſe, vel fortè adhuc ſubeſſe actioni etiam intentionali ſenſibilium, ſenſuum, aut phantaſmatum: ſed ſine vlla ab eis paſſione naturaliter moueri à ſeipſa ad operandum, & cooperandum ſuis potentijs ſubordinatis circa idem obiectum afficiens ſenſibiliter organum. 9. Non habuiſſe naturaliter corpus ineptum, aut contrarium fini naturali, & proprio animæ rationalis: quia ipſa ſibi ac ſuo obiecto, & fini proprio naturalior eſt, quā ſuo corpori, vel toti. Si quæ autē neſcientia fuit ei naturalis: nonniſi cum facilitate, & promptitudine diſcendi omnia ad finem proprium neceſſaria. 10. Sed quia primus homo liberè ſubmiſit rationem & voluntatem ſenſui: Deus hac ipſa ſeruitute videtur puniſſe totam naturam humanam, à qua ſolus Chriſtus liberaret. Hinc vt voluntas ſine gratia eſt quaſi captiua concupiſcentiæ, & appetitus ſenſitiui: ſic & ratio ſenſuum, naturâ ſuâ inferiorum. A quibus, vt loquitur *B. Aug.* varijs phantaſmatibus velut plagis, aut ſtigmatibus inuſtis, vel tortura mulcebri cogitur ad eis ſuffragandum: & vt cæcus à cane duce, ſeducitur ad venationem ſenſibilium per præcipitia errorum, & vitiorum. Quorum omnium ratio eſſe poteſt: quia cùm nihil poſſit eſſe naturaliter à ſolo Deo inordinatum: quicquid in natura noſtra communi inordinatum eſt, non poteſt eſſe naturale, ſed vitioſum, & pœnale, ex aliqua culpa originali, & communi omnium. Non dico quicquid eſt imperfectum, ſed inordinatum, & cōtra finem ac media perficiendi naturam: quæ naturaliter ab imperfectiori ordinatur ad perfectiorem. Sed quanta ſit perfectio aut imperfectio naturalis animæ rationalis in corpore: quanta perfectio ex gratia originali, quanta imperfectio ex culpa originali, quanta perfectio præſens ex gratia, futura ex gloria, difficile eſt diſcernere. Cauendum eſt à confuſione naturalium cum vitioſis, gratuitis, & glorioſis. Vt enim *B. Aug.* paſſim diſtinguit immortalitatem innocentiæ, ab immortalitate gloriæ: ſic & omnes perfectiones naturales à gratuitis, & glorioſis; & imperfectiones naturales à vitioſis. Sint ergo imperfectiones illæ naturales, à quibus natura, & eius Author ſolet incipere ad perficiendum opus ſuum, per media naturalia, non per impedimenta. Cùm ergo finis, & perfectio naturalis animæ rationalis ſit intelligere, & velle vera, & bona ſibi conuenientia: eius imperfectio naturalis, eſt huius perfectionis inchoatio, & media naturalia ad illam perfectionem; ſed ei contraria non ſunt imperfectiones naturales, ſed vitia eaque pœnalia. Perfectiones autem gratuitæ pro ſtatu innocentiæ, fuerunt quædam ſupplementa imperfectionum naturalium, & diſpoſitiones facilitantes potentias ad finem ſupernaturalem: nunc autem non ſunt tam facilitantes ipſas potentias, quàm per ſe efficaces; ſed perfectiones gloriæ attingunt ipsū finem ſupernaturalem, vt præſentem, & æternum. Poſſumus ergo aliquid conijcere de inchoata perfectione naturæ & gratiæ originalis: tam ex futura perfectione gloriæ; quàm ex vitijs contrarijs naturæ. Nec obſtat *1. Cor. 15.* Factus eſt Adam in animam viuentem: Chriſtus in ſpiritum viuificantem. Priùs quod animale, deinde quod ſpiritale. Quia vt mouet *Aug. 1. Retract. 10.* Non quaſi Adam priùs fuerit factus animalis, ſed corpus eius. Nec obſtat *B. Aug. 1. Retract. 9.* Quamuis ignorantia, & difficultas eſſent hominis primordia naturalia: nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus, &c. Quia vt ait *Lib. 3. De lib. Arb. c. 22.* Inde incipit anima proficere, & ad cognitionem, & requiem, donec in ea perficiatur vita æterna, promoueri. Ergo non loquitur de hac pœnali, & cōtraria profectui, ac fini naturali, & ſupernaturali; ſed de quauis alia poſſibili. Nec denique obſtat quòd anima rationalis ſit forma corporis humani, eademque vegetatiua, & ſenſitiua: quia cùm ſit naturâ ſuâ rationalis, non ordinatur naturaliter ad corpus in quo non poſſit vti ratione; cumque ratio ſit naturâ ſuâ ſupra ſenſus, non poteſt natura-

liter ſubordinari ſenſibus, ſed ei ſenſus. Quòd ergo nunc anima rationalis non poſſit vti ratione in aliquo corpore, vel ſit tam credula ſenſibus, ſeu tam facilè eis aſſentiatur, & tam difficulter attingat veritatē, eiq; adhæreat: non eſt naturale, ſed vitioſũ & pœnale; ſicut nō naturale, ſed vitioſũ eſt voluntati, quòd tam libenter conſentiat apperitui ſenſitiuo. Eſt quidem ſympatia naturalis intellectus cum ſenſu, & voluntatis cum appetitu ſenſitiuo: non tamen ad declinationem ſuperiorum ad inferiora; ſed ad cooperationem eiuſdem animæ ſimul per omnes potentias ſubordinatas circa idem obiectum. Ad quod ſi quo dono Dei opus fuit: videtur fuiſſe potiùs connaturale, quàm ſupernaturale, quia nonniſi ad ſubordinationem naturalem. Quæ non ſunt contra Cenſuras *Pij* 5. ſupra *col.* 299. 300. in *Prop.* 9. 21. 22. 26. 75. 76. *Bay*: quia hæ cenſurantur, vt negant fuiſſe vlla Dei dona propriè gratuita in Angelis & Adamo ante lapſum; ſed immortalitatem & omnia alia fuiſſe eis naturalia, & à primo ſtatu naturali inſeparabilia. Nos autem diſtinguimus naturalia vt neceſſaria ad finem naturalem animæ rationalis, à gratuitis ad finem ſupernaturalem: inter quæ cenſemus illam immortalitatem fuiſſe gratuitam; quia non erat neceſſaria ad finem naturalem animæ, ſed ad ſupernaturalem totius hominis. Ex illius Doni priuatione pœnali, anima noſtra eſt inordinata in ſuis potentijs naturalibus: ex priuatione autem gratiæ, eſt Deo ingrata; nec poteſt ſe naturaliter ad illum ordinem, quamuis naturalem, reducere, vt nec ab alijs priuationibus naturalium. Adde, quòd quia Anima vt rationalis ſubmiſit ſe ſenſitiuæ: & ipſum corpus degenerauerit ad complexionem animaliorem, & ineptiorem ad vſum rationis. Præter vim concupiſcentiæ, ad abuſum rationis. Quam totam inuerſionem ordinis naturalis *B. Aug.* ſæpè figurat in *Adamo* vt figura rationis, & in *Eua* vt figura ſenſualitatis: quam ideò cenſet fuiſſe *parui intellectus* comparatione *Adami*.

2. *Difficultas.*

AN *B. Aug.* cenſeat rationem poſſe viribus naturæ præualere ſenſibus, & phantaſiæ, & ſine eis aliquam veritatem percipere? *Reſp.* Eum quidem ſæpè ad hoc monere: non tanquam ad aliquid ex ſe ſupernaturale, nec tamen vt ſine omni gratia poſſibile; ſed vt quid ex ſe naturale, ſolâ gratiâ recuperabile. Quia vt peccatis actualibus priuamur bonis habitibus acquiſitis, & generamus prauos: ſic & primo peccato originali tota natura potuit priuari bono habitu aliquo connaturali, & infici malo; ſicque vulnerari in naturalibus, à quo non poteſt naturaliter ſanari. Nec obſtat quod Philoſophi infideles, vt Platonici, docuerint, & exercuerint illam contemplationem veritatum ſupra phantaſmata. Quia vel non verè, vel ſolo conceptu non aſſenſu, vel nonniſi ex aliqua gratia actuali. Nec eſt ſenſus *B. Aug.* quòd poſſunt, aut debeant deleri omnia phantaſmata: ſed ne eis fides & aſſenſus adhibeatur; ſicque fide, & intellectu ſuperentur, aſſentiendo, & adhærendo firmiter veritati ſuperiori. Quo ſenſu monitiones illæ *B. Aug.* non ſunt tam difficiles captu & praxi. Non enim agitur de pugna, lucta, & victoria contra ſenſus & phantaſmata, ad eorum deletionem: ſed per ſolam eorum ſubiectionem, & correctionem, ad vſum neceſſarium; præferendo eis incomparabiliter rationem & veritatē.

3. *Difficultas.*

AN, & quo ſenſu *B. Aug.* conſulat quietem animi ab omnibus cogitationibus? *Reſp.* 1. Conſulere quietem poſſibilem à varijs phantaſmatibus. 2. A varijs etiam rationibus, & cogitationibus inquietis, & inquietantibus. 3. A nimio conatu potiùs offuſcante & perturbante, quàm perficiente vſum rationis. 4. Aliquando etiam ab omni cognitione actuali: donec animus hac quiete diſponatur, & ſerenetur ad cognitionem perfectiorem. 6. Ab omni præſumptione naturali cognoſcendi ea quæ ſunt ſupra captum noſtrum naturalem. Quo ſenſu Deus potiùs cognoſcitur *neſciendo*, quàm *ſciendo*; potiùs *ſilentio etiam mentali*, quàm verbo; potiùs *otio, & quiete ſpirituali*, quàm vllo ſtudio vel conatu. Quia cùm ſit à nobis incomprehenſibilis, inconceptibilis, & ineffabilis: vt ſic potiùs cognoſcitur negatiuè, quàm poſitiuè; non tantùm negando eius à nobis conceptibilitatem; ſed etiam deficiendo coram obiecto ab omni cognitione actuali huius inconceptibilitatis, quia nec ipſa à nobis concipi poteſt. Vt pijſſimè, & elegantiſſimè *B. Aug. lib.* 1. *Doct. Chriſt. cap.* 6. De ineffabilitate, idemque de inconceptibilitate Dei. *Si illud eſt ineffabile quod dici non poteſt: non eſt ineffabile, quod vel ineffabile dici poteſt. Quæ pugna verborum ſilentio cauenda potiùs quàm voce pacanda eſt, &c.* Quæ doctrina non tantùm pertinet ad obiectum, quod eſt ineffabile, ac inconceptibile: ſed etiam ad intellectum creatum, & præcipuè noſtrum humanum, à quo tam indignè concipitur; non ſolùm ex imperfectione naturali, ſed ex vitio pœnali. Quis enim credat, Animam rationalem ex natura ſua non potuiſſe faciliùs, & perfectiùs concipere Deum, & ſpiritualia, quàm nunc: cùm hæc ſit ipſius perfectio & finis etiam naturalis? Reliqua de cognitione humana, eiuſque perfectione, & imperfectione naturali: ex quadam proportione cum Angelica, ſupra *col.* 241. 242. 243. 244. 245. Quamuis enim anima ſit eſſentialiter imperfectior Angelo: non tamen intellectu, nec obiecto, nec omni modo intelligendi; ſed tantùm intenſiuè. Quia hæc imperfectio ſuppleri poteſt per gratiam, & ſupplebitur per gloriam vſq; ad æqualitatem Angelorum.

DE VOLVNTATE ET *Libertate humana.*

VT ſupra, de Angelica, à *col.* 245. *ad* 251. ex *S. Aug. Alenſi, S. Bon. & Scoto*, tam de humana quàm Angelica, ſaltem eſſentiali. Libertas autem alicuius indifferentiæ, & contingentiæ, ſeu poteſtas etiam propinqua flexibilis inter ſola bona, eſt propria Beatorum: inter ſola mala, eſt propria

Digitized by Google

pria damnatorum, & aliquando quorundam Viatorum ex graui demerito originali vel perſonali: ſed libertas contradictionis & contrarietatis, ſeu poteſtas etiam propinqua flexibilis ad volendum vel non volendum, aut nolendum, magis minuſuè, inter bona & mala, maiora & minora, naturalia, moralia, & meritoria, aut ſaltem inter mala & non mala, inter magis & minus mala, eſt libertas ordinaria Viatorum, ſaltem Chriſtianorum & fidelium, ad merendum vel demerendum; non tamen ſemper, nec in omnibus, nec inter omnia æqualis, & æqualiter, ſed ordinariè magis ad malum quàm ad bonum; nec ſemper à quouis malo ad quoduis bonum immediatè, ſed mediatè & ordinatè per piam credulitatem, orationem, &c.

Vt patet 1. ex ſacra Script. *Gen.* 3. 4. *Num.* 31. *Ioſ.* 24. 2. *Reg.* 24. 3. *Reg.* 3. *Eſa.* 1. Imò & ex omnibus præceptis, conſilijs, monitis, promiſſis, minis, laudibus, vel reprehenſionibus communibus, & particularibus vnius præ alio. Sed expreſſiſſimè Eccli. 15. *Non dixeris; per Deum abeſt: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas ille me implanauit: non enim ei neceſſarij ſunt homines impij. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, &c. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi.* Eccli. 31. *Qui potuit transgredi & non eſt transgreſſus: facere mala; & non fecit.* Quod de primis Parentibus ante lapſum nullatenus dici poteſt: qui potuerunt non tranſgredi, & tranſgreſſi ſunt; ergo de hominibus per gratiam poſt lapſum.

2. Ex *Conc. Arauſ.* ſupra, *col.* 282. 283. *Can.* 1. 8. & 13. De libero Arb. per primum peccatum *læſo; & infirmato*: non autem prorſus extincto. Quod enim *Can.* 13. ſubdit *amiſſum* .i. quoad illam primam perfectionem. Ex Epiſt. Cœleſtini Papæ ſupra: vbi *Can.* 2. 3. 6. 8. expreſsè ſupponit hoc liberum Arbitrium; ſed vt ex ſe inſufficiens ad bonum. *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 1. Declarat liberum Arb. minimè *extinctum eſſe, viribus licet attenuatum, & inclinatum.* Quæ non poſſunt dici de ſola libertate eſſentiali: cùm hæc non poſſit minui, nec augeri; ſed de libertate contingentiæ inter bonum, & malum, quæ ſola poteſt minui, vel augeri, priuatione, aut collatione gratiæ. *Cap.* 5. Declarat adultos diſponi ad iuſtificationem per gratiam, eidem *liberè aſſentiendo, & cooperando: ita vt homo inſpirationem illam recipiens, poſſit & eam abijcere.* Can. 6. Docet *adultos gratiâ excitatos, & adiutos liberè moueri in Deum.* Cap. 11. De obligatione, & poſſibilitate mandatorum Dei. *Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub Anathemate prohibita voce vtatur: Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non iubet: ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adiuuat vt poſſis, &c. Deus namq; ſuâ gratiâ ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Cap. 4. *Si quis dixerit liberum hominis Arb. à Deo motum, nihil cooperari aſſentiendo, &c. neq; poſſe diſſentire ſi velit. Anathema ſit.* Can. 5. *Si quis liberum hominis Arb. poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit; Anathema ſit.* Can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato eſſe impoſſibilia, &c. Anathema ſit.*

Ex Cenſuris *Pij* 5. *Greg.* 13. *Vrb.* 8. in has Propoſitiones *Baij.* 38. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* 63. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* 64. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.*

Ex *S. Hier.* ſupra *col.* 321. Damnetur qui damnat liberum Arb. ſed Dei innititur auxilio.

4. Ex *B. Aug.* ſupra, à *col.* 306. *ad* 388. Vt 308. ex lib. 1. De Pec. Mer. & Rem. c. 39. *Peccatur, non exertis aduerſus concupiſcentiam totis viribus voluntatis. l.* 2. *c.* 3. *Non præciperet Deus homini quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati. Sed hoc non vident quòd magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis: quas nos non perfectè in omnibus adhibituros Deus prævidit.* Cap. 5. *Nec de hac re ſolis votis agendum eſt: vt non ſubinferatur adnitendo, etiam noſtræ efficacia voluntatis.* Col. 312. Ex *lib.* De ſpiritu & litt. cap. 33. *Liberum Arb. illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt, &c. Voluntas credendi, vocante Deo ſurgit de libero Arb. quod homo naturaliter cùm crearetur accepit.* Cap. 34. col. 313. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, &c. Sed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Vtique per gratiam ad bonum. Infra. *Perfecta, Iuſtitia impoſſibilis non eſt: fieret enim ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei, &c.* Col. 314. Ex lib. De Natura & Gratia cap. 43. *Deus impoſſibilia non iubet: ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Cap. 47. *Poteſt cuicumq; cauſæ peccandi reſiſti: ſed operante Deo.* Cap. 69. *Eo ipſo quo firmiſſimè creditur Deum iuſtum, & bonum, impoſſibilia non potuiſſe præcipere: hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Col. 315. Ex 12. *Ciu.* 6. *Si ex duobus æqualiter affectis, vnus moueatur ad illicita, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeueret: quid putamus eſſe cauſæ, niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe?* *Col.* 334. Ex *Lib* 1. *ad Boniſ. cap.* 2. Quis noſtrûm dicat quòd primo hominis peccato perierit liberum Arb. de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum: ſed illa quæ in Paradiſo fuit, habendi plenâ cum immortalitate Iuſtitiam, &c. Vbi erat dicendum periſſe libertatem flexibilem inter bonum & malum, ſi periſſet. *Col.* 335. *c.* 5. Peccato Adæ liberum Arb. de hominum natura periſſe non dicimus, &c. *Col.* 345. *ex lib.* 1. *Operis imperf. in Iul. num.* 48. Multa ſunt quæ agunt homines mala, à quibus eſt eis liberum abſtinere: ſed nulli tam liberum eſt, quàm primò fuit *Adæ.* *Col.* 349. *Ex lib. de Corrupt. & Grat. cap.* 1. Liberum Arb. & ad bonum, & ad malum confitendum eſt nos habere, &c. *Col.* 352. Ex 1. Retr. 8. in *cap.* 36. *De Quant. animæ.* Datum eſt animæ liberum Arb. &c. 1. *Retr.* 9. Non retractat hoc ex lib. 3. de lib. Arb. cap. 25. *col.* 354. Voluntatem non allicit, niſi aliquod viſum: quid autem quiſque vel ſumat, vel reſpuat, eſt in poteſtate; ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt. *Col.* 355. 356. Ex 1. Retr. 15. *Quid poteſt voluntas ſub dominante*

Digitized by Google

ni imputetur quod liberè facere, aut cauere non potuit. Hinc quoque ſupra paſſim profitetur Deũ ex æquitate nihil præcepiſſe homini, niſi ſit poſſibile humanæ voluntati; imò 1. *Retract.* 10. & 22. Omnes homines poſſe ſe conuertere ad implenda Dei præcepta, ſi velint. Quia tam eſt alienum à forma illa Iuſtitiæ nobis impreſſa, præcipi hominibus impoſſibilia, & de eis iudicari: vt meritò ſacrum *Conc. Trid. Seſſ. 6. cap.* 11. inhibeat hanc ipſam *vocem vt temerariam, & à Patribus ſub Anathemate prohibitam.* Nec excuſat, quòd Deus dederit primo homini pro tota natura humana poteſtatem obſeruandi mandata ſua: ideoque debeant ipſi eſſe poſſibilia. Tum quia mandata propriè ſunt perſonalia, & non diriguntur niſi ad capaces intelligendi, & obediendi. Tum quia pleraque mandata Dei facta ſunt, aut renouata, & intimata poſt lapſum: ergo non niſi vt ei etiam poſſibilia poſt lapſum. Tum quia vt debitum habendi iuſtitiam originalem remittitur per gratiam baptiſmalem: ſic & debitum habendi primum illam poteſtatem Adami obſeruandi mandata Dei; nec impoſſibilitas, nec quæ inde neceſſariò ſequuntur vllatenus imputari poſſunt. Neque excuſat apud illam impreſſam formam, iuſtitiæ, illa conditio *B. Aug.* 1. *Retr.* 10. Omnes homines poſſunt ſe conuertere, &c. *ſi velint.* Quia hæc non eſt conditio incerta, ad ipſam libertatem potentialem: ſed eſt ipſe vſus huius libertatis in bonum, ſupponens libertatem faciliorem ad malum oppoſitum. Non enim eſt ſenſus, *Poſſunt, ſi velint*: quaſi ipſum poſſe pẽdeat à velle, vel velle ſit ipſum poſſe; ſed quod poteſtas illa ſit voluntatis, & eius primus actus ſit velle vel nolle. Nec excuſat, quòd mandata Dei ſint poſſibilia homini in communi, aut quibuſdam ex omni genere hominum: quia cum obligent omnes, & ſingulos perſonaliter, debent omnibus, & ſingulis eſſe poſſibilia. Quamuis enim hoc videatur ex Confeſſione *Pelagij* ad *Innocent.* 1. *Serm.* 191. De tempore, inter Auguſtinianos: *Execramur blaſphemiam eorum qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſeruari. Nos dicimus ſemper hominem & peccare, & non peccare poſſe: vt nos liberi confiteamur Arbitrij.* Sed tantum abeſt vt ſit Pelagianum: quin potiùs ab ipſo *Innoc. Papa, & B. Aug.* in examine huius confeſſionis approbatum, & ſæpè verbis proprijs expreſſum. Vt Lib. 1. Operis Imperf. num. 99. *Ex quo homo vti incipit voluntatis arbitrio, & peccare, & non peccare poteſt: Sed alterum non niſi adiutus à Deo, alterum propria voluntate.* Imò ab ipſo *Conc. Trid.* confirmatum, *Seſſ. 6. cap.* 11. vt dogma Patrum: quo fortè *Pelagius* ſuam Confeſſionem reddidit credibiliorem. Neque excuſat, quod mãdata Dei ſint etiam ſingulis poſſibilia, per gratiam quam poteſt Deus ſingulis dare: quia niſi Deus hanc illis dederit, aut det, vel illi demereantur, mãdata non erunt illis inde poſſibilia, ſed ſoli Deo, vel à ſolo Deo poſſunt illis fieri poſſibilia. Nemini enim dicitur moraliter poſſibile: niſi à poteſtate libera, intrinſeca, & ordinaria. Nec aliud intendit *B. Aug.* 1. *Retract.* 22. In poteſtate hominis eſt mutare voluntatem in melius: ſed ea poteſtas nulla eſt niſi detur à Deo. Ex Ioan. 1. *Dedit eis poteſtat. in filios Dei fieri.* Quia ſupponit, imò ſatis exprimit illam poteſtatem eſſe à Deo datam, non autem tantùm dari poſſe. Nec ſufficit quod mandata ſint poſſibilia ijs qui non habent voluntatem oppoſitã: quia ſi eſt eis impoſſibile non habere illam oppoſitionem, nec ipſa, nec quæ ex ipſâ ſequuntur ſunt imputabilia, ijs ſaltem quibus remiſſa eſt omnis culpa originalis, & actualis, ex qua hæc impoſſibilitas poſſet eſſe culpabilis, aut imputabilis. Nec ſatisfacit quòd ſint poſſibilia per gratias ad hoc poſſibiles, & ſufficientes: ſed quæ ſi darentur equidem eſſent inefficaces; quia eis præualeret, vel etiam actu præualet oppoſitio habitualis, & actualis voluntatis. Hoc enim non eſt eſſe poſſibilia, vel poſſe abſolutè: ſed ſub conditione non futura; nec poteſt imputari quod quis nullatenus vult aut facit, ſed tantum vellet, aut fieret, ſubcõditione nec futura, nec volita. Nam vt *B. Aug.* ſupra *à col.* 375. *ad* 384. & alibi ſæpe reprobat, & obſtruit illud effugium ſemi-Pelagianorum ad reddendam rationem cur quidam paruuli, etiam fidelium, moriantur ſine baptiſmo, ex præuiſione peccatorum, quæ eſſent facturi ſi ſuperuiuerent: quia Deus nec præmiat talia futura, quæ nequidem ſunt futura; ſic & reprobari poteſt hæc imputatio futuræ poteſtatis, ſed inefficacis gratiæ ſi daretur. Niſi præſens oppoſitio habitualis, vel actualis ſit culpabilis ex poteſtate non opponendi ſe: ſicque actu demereatur gratiam dandam, æquè ac datam. Nec denique hæc forma nobis impreſſa iuſtitiæ poteſt reſtringi ad ſtatum innocentiæ. Tum quia *B. Aug.* ea vtitur etiam ad hunc ſtatũ. Tum quia nõ eſt deleta pro hoc ſtatu. Tum quia non eſt vt memoriale præteriti, ſed exemplar præſentis & futuri.

4. *B. Aug.* Sæpè conqueritur liberum Arb. naturæ lapſæ, in pœnam peccati originalis non tãtùm eſſe ſpoliatum gratuitis, ſed etiam læſum in naturalibus, attenuatum, infirmatum, aggrauatum incuruatum, ſeu priuatum aliqua vi propria naturali: ergo ſupponit eſſe idem non tantum eſſentialiter, ſed etiam quò ad aliquam vim agendi, aut reſiſtendi; quia eſſentia non poteſt minui. Quæ autem vis naturalis liberi Arb. potuit lædi, attenuari, infirmari, aggrauari, incuruari: niſi perfectio, ſeu inclinatio naturalis intellectus, & voluntatis ad ſuum proprium obiectum, & finem etiam naturalem, ſeu ad verum, & bonum ſibi conueniens, pluſquam ad ſuum ſubiectum & ad ſeipſum? Quid eſt enim illa ſpoliatio gratuitorum: niſi priuatio donorum quibus natura perficiebatur ad finem ſupernaturalem? Quid læſio naturalium: niſi quædam diuiſio, confuſio, & perturbatio inter corpus, & animam, vel inter eandem animam, vt vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, inter intellectum, & voluntatem, inter inclinationes, & actus oppoſitos eiuſdem intellectus, & eiuſdem voluntatis? Quid attenuatio: niſi deſtitutio alicuius virtutis inhærentis, adhærentis, vel adſtantis, ad fulciendũ, & ſtabiliendum? Inter quæ cenſeri poteſt ipſa conſeruatio, & concurſus Dei connaturalis primo noſtro ſtatui naturali. Quid infirmitas: niſi diminutio virium naturalium, & auxiliarium gratiæ ad agendum, & reſiſtendum? Quid grauitas, vel aggrauatio

Digitized by Google

flexibilem in diuerſis *Viſis*, ſeu obiectis cognitis, & motiuis quaſi inter ſe ſuſpendentibus, aut diſtrahentibus voluntatem. Vt 1. *Retract.* 9. *in librum* 3. *De libero Arb.* 25. Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod *Viſum, &c.* 1. *Retract.* 15. In librum De 2. animabus. In deliberando nunc in bonam, nunc in malam partem nutat aſſenſio, &c. Quod infra refert in duo genera motiuorum: ſenſibilium, & intelligibilium. *Quæſt.* 40. *ex* 83. Ex diuerſis viſis diuerſus appetitus animarum, &c. *Lib.* 9. *Conf. cap.* 11. Retinebant me nugæ nugarum, &c. Audiebam eas iam longè minùs quàm dimidius: aperiebatur ab ea parte qua intenderam faciem caſta dignitas continentiæ, &c. *à cap.* 5. *ad* 12. De ſua paulatim, & tandem ſubita conuerſione poſt longam voluntatis inter obiecta motiua agitationem. *Lib.* 9. *in Gen.* 14. Omnis anima viſis mouetur, &c. vt ſupra. Fundat autem ſtabilitatem perfectæ libertatis, in perfecta, & continua cognitione, ac affectu obiecti ſeu motiui præualentis. Vt *Lib.* 1. *Solil. cap.* 7. Anima cùm veram illam pulchritudem viderit, plus amabit: & niſi ingenti amore oculum infixerit, manere in illa beatiſſima viſione non poterit. *Cap.* 14. Non puto hæc in ſummum mihi poſſe venire cõtemptum: niſi videro illud in cuius comparatione ſordeſcant. *Lib.* 3. *De libero Arb. cap.* 25. Non allicit voluntatem niſi aliquod viſum, &c. Vt autem in contemplatione ſummæ ſapientiæ etiam animus ſeipſum intueatur: non fit niſi differentiâ quâ non eſt quod Deus, & tamen aliquid eſt quod poſſit placere poſt Deum: melior eſt autem cùm obliuiſcitur ſui præ charitate Dei. *Lib.* 14. *Conf. cap.* 9. Creatura aliqua intellectualis mutabilitatem ſuam præ dulcedine fœliciſſimæ contemplationis ſuæ cohibet. *Lib.* 22. *contra Fauſtum, cap.* 28. Angelica ſublimis natura non peccat: quia ita eſt particeps legis æternæ, vt ſolus eam delectet Deus. *Lib.* 4. *contra Iul. cap.* 3. Quam periculosè anima ſibi placeat, quamdiu non videt ſummum illud bonum, in cuius comparatione ſe ſpernat, &c. Superbiæ malum tunc animum tentare non poterit, quando tanta ſatiabitur viſione & inflammabitur charitate ſuperioris boni, vt ad ſeipſum ſibi placendo deficere ab illius dilectione non poſſit, &c. vt ſæpè ſupra. Atqui nos in hoc ſtatu verſamur inter obiecta diuerſiſſima, ſucceſſiuè, & ſimul occurrentia: quæ inter ſe quaſi contendunt, & voluntatem ad ſe huc illuc ſollicitant; non tamen ei vllam vim aut neceſſitatem inferunt, ſed vt merces venales expoſitæ, ſeſe voluntatis optioni, ac electioni offerunt. Ergo voluntas noſtra nec ab vllis obiectis, nec ab vlla eorum cognitione ſenſitiua, vel intellectuali, vllam vim aut neceſſitatem determinatam patitur: ſed vt ab obiectis non neceſſariò mouetur, ſic nec ipſa neceſſariò, ſed flexibiliter, & contingenter ſeipſam mouet.

7. *B. Aug.* Tribuit præcipuè & proximè motionem volũtatis alicui delectationi ab obiecto. Vt patet ex Lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Quis habet in poteſtate tali viſo tangi quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectet? Aut quis habet in poteſtate, vt occurrat quod eam delectare poſſit, vel delectet cum occurrerit?* Infra. *Voluntas niſi aliquid occurrerit quod delectet atq; inuitet animum, moueri nullo modo poteſt.* Lib. 2. De Pecc. Mer. & Rem. c. 17. *Nolunt homines facere quod iuſtum eſt: ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat, &c. Vt autem innoteſcat, & delectet, gratiæ Dei eſt.* Infra. *Ideo quiſq; opus bonum agere nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur nunc non: vt nouerit diuini muneris eſſe vel quod ſcit, vel quod delectatur. Tantò autem magis delectat opus bonum: quantò magis diligitur Deus ſummum bonum.* Lib. De gratia Chriſti c. 13. *Hæc gratia ſi doctrina dicẽda eſt: ſic dicatur, vt altius & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere.*] Et alibi ſæpè videtur tribuere efficaciam gratiæ cuidam *victrici delectationi*: de qua ſuo ordine ſub Gratia efficaci. Atqui delectatio non neceſſitat, ſed ſuauiter afficit & allicit voluntatem: ergo noſtra voluntas non patitur neceſſitatem contrariam libertati flexibili. Si quæ enim delectatio neceſſitet, eſt ſola illa ſumma de Deo clarè viſo; *Pſal.* 35. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Pſal.* 36. Delectare in Domino, &c. Nam vt *B. Aug.* in *Pſal* 36. Quis ſic delectat, quàm ille qui fecit omnia quæ delectant? Cùm ergo voluntas noſtra ſit capax huius delectationis: quænam inferior poſſet eam neceſſitare, ſeu inflexibilem reddere ad aliam quæ poſſet eſſe maior?

8. *B. Aug.* Sæpè negat animam noſtram poſſe pati à corpore, vel ab vllo agente inferiore ſe, ſaltem actione reali: ab Angelis autem non niſi actione intentionali in phantaſiam, vel intellectum. Vt *Lib.* 12. *in Gen.* ſupra *col.* 231. 252. Ergo non poteſt neceſſitari contra ſuam libertatem flexibilem: quia actio intentionalis non mouet niſi obiectiuè, finaliter, & delectabiliter, vt ſupra. Nec obſtat quòd *B. Aug. Lib.* 6. *De Muſica cap.* 4. Videatur ſupponere animam ex primo peccato poſſe pati à corpore: non enim niſi ſub dubio, *Fortaſſe, &c.* Nec de actione reali; ſed per quandam ſympatiam, & compaſſionem. Vt patet ex *cap.* 5. *Ego non puto animam à corpore quicquam pati, ſed facere de illo, & in illo, &c. Videtur mihi anima cum ſentit in corpore, non ab illo aliquid pati, ſed in eius paſſionibus attentiùs agere.* Lib. contra Secund. cap. 19. *Si voluntas habet in poteſtate conſentire, vel non; non ergo conſentit victa delectatione, vel paſſione mali.*

9. *B. Aug.* Sæpe comparat neceſſitatem quàm pati poteſt voluntas ad malum, conſuetudini, ſeruituti, & coactioni morali, ex timore, dolore, &c. Vt *Lib.* 3. *De libero Arb. cap.* 13. *Torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* 1. *Retract.* 15. *Qui cogenti cupiditati nõ poteſt reſiſtere, &c. ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati.* Cum tamen conſtet voluntatem non poſſe cogi niſi moraliter. *Lib. contra Fortunatum;* vt ſupra col. 357. Et contra Fœlicem *Cap.* 8. *Probauimus eſſe lib. Arb. Deum autem eſſe eius iuſtum iudicem, &c. Sed libera voluntate faciunt homines conſuetudinem quam facilè ſuperare non poſſunt.* Libro 8. Conf. cap. 5. *Dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſſitas; qua catena tenebat me obſtrictum dura ſeruitus, &c.* vt ſupra col. 377. *Epiſt.* 151.

ad

Digitized by Google

ad Nebrid. Reſiſtendum eſt ſenſibus totis animi viribus, &c. Quid ſi ſenſibilia nimium delectant? Fiat vt non delectent. Vnde fit? conſuetudine iis carendi, appetendiq; meliora, &c. vt columna 394. Atqui nec vlla conſuetudo ſeu habitus, nec vllus timor dolor, aut triſtitia huius vitæ poteſt inferre voluntati neceſſitatem contrariam ſuæ libertati flexibili: quia habitus ſunt ad facilitandum, & inclinandum potentias, non autem ad determinandum, & neceſſitandum. Siue ergo ſint naturales, ſiue acquiſiti, ſiue infuſi, non poſſunt eſſe pluſquam facilitantes, & inclinantes: quantominùs qui ſunt ab ipſa voluntate liberè geniti, poſſunt & inferre neceſſitatem agendi, contrariam ipſi libertati flexibili: qua geniti ſunt, vt ſint tantùm diſpoſitiones, vel concauſæ auxiliares ad agendum? Timor autem, & dolor cùm ſint tantùm paſſiones, non ſunt actiuæ: multo minùs ſi ſint tantùm paſſiones ſenſitiuæ poſſunt agere in ipſam voluntatem. Si autem ſint paſſiones rationales, ſubſunt rationi, ſeu voluntati: ſuntque imperfectiores actibus, quàm vt poſſint voluntatem ad agendum neceſſitare, vel ab agendo continere. Si enim paſſio delectationis vel gaudij, quæ eſt naturalior voluntati, non poteſt eius libertati flexibili præualere: multò minùs paſſiones contrariæ. Nam nec ipſa voluntas poteſt hanc ſuam libertatem flexibilem prædeterminare per vnum actum ad alium: vt patet ex variis noſtris propoſitis; ergo multominus per vllos habitus aut paſſiones. Quorum ratio elici poteſt ex ipſa eſſentia voluntatis libertatis, quæ plus afficitur ſibi ipſi, quàm ſuo corpori & toti: præfertque vſum liberum ſuiipſius vitæ corporali; ideoque potiùs cedit hac vita, quàm illo vſu ſui. Hinc paſſiones corporis & animi potius extorquent animam corpori, quàm vſum liberum voluntatis. Neque hic affectus eſt nũc minor quã naturalis: ſed vitiosè maior; quia naturaliter cederet maiori bono vel malo, nũc autem nonniſi ex gratia. Vt patet ex pertinacia hæreticorum, & quorùndam libertìnorum, pro abuſu ſuæ libertatis, contra omnia tormenta vſque ad mortem.

10. *B. Auguſt.* Semper accommodat voluntatem & Actiones Dei noſtræ libertati flexibili. Vt *Lib. 3. lib. Arb. cap. 9. & De ſpiritu & litt. c. 33.* Exemplo Heri ſeruos ſuos applicantis ad opus. *Vult Deus omnes ſaluos fieri: non ſic tamen vt eis adimat liber. Arb. quo vel benè vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur.* Quæſt. 18. in Exod. 7. *Quamuis quale cor quis habeat ad malum, ſuo fiat vitio: vt tamen huc, vel illuc moueatur, cauſis fit quibus animus propellitur: quæ cauſæ vt exiſtant, vel non, non eſt in hominis poteſtate; ſed veniunt ex occulta Prouidentia iuſtiſſima planè & ſapientiſſima, &c. Dicitur cor Pharaonis induratum: quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat.* Non ex priuatione libertatis flexibilis: ſed ex libero & pertinaci eius abuſu ad malum. Enchir. 100. *Miro & ineffabili modo, non fit contra Dei voluntatem, quod fit contra.* Lib. De Gratia, & libero Arb. cap. 5. *De magna, & efficaciſſima vocatione* S. Pauli cap. 16. Deus facit vt faciamus *præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Cap. 20. *Inclinat nos quo voluerit.* C. 21. *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum: vt per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, &c. Quid mirum ſi per Spiritum ſanctũ operatur in cordibus Electorum ſuorum?* Lib. De Correp. & gratia cap. 8. *Chriſtus rogauit pro Petro, vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem, &c. Delectabilem perpetuitatem, inſuperabilem fortitudinem.* Cap. 12. *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ: vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, &c. vt inuictiſſimè nolit.* Cap. 14. *Deus habet humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, &c. Magis habet in ſua poteſtate voluntates hominũ quàm ipſi ſuas.* Lib. De Prædeſt. SS. cap. 16. *Eſt in malorum poteſtate peccare: non autem vt peccando hoc, vel hoc faciant.* Ex quibus patet Deum non inferre nobis vllam neceſſitatem contrariã libertati flexibili: ſed ea vti potentiſſimè, ſapientiſſimè, & iuſtiſſimè; non tantùm permittendo, & relaxando, ſed etiam eorũ malitiam moderando: nec priuando bonos libertate flexibili, ſed eos dirigendo, inclinando, & adiuuando ad bonum vſum ipſius libertatis flexibilis. Quo auxilio voluntas non patitur vllam neceſſitatem ad bonum; ſed *inclinatur*, imò ipſamet fit in actu 1. & 2. liberrima, fortiſſima, inuictiſſima, perſeuerãtiſſima, &c. Ita vt Deus non agat in voluntatem niſi inclinando eius flexibilitatem ad bonum: ſed coagat cum ipſa efficaciciſſimè inuictiſſimè, &c. Cumque magis habeat in ſua poteſtate voluntates noſtras quàm nos ipſi: coutitur noſtris voluntatibus liberiùs quàm nos ipſi; ergo vtendo noſtra libertate flexibili, non eam frangit ſeu violat, ſed liberiùs & flexibilius eam flectit & reflectit ad vſum bonum, quàm nos ad malum.

11. Singuli Textus expreſſi ſupra, pro hac noſtra libertate flexibili, poſſunt ad hoc ipſum vrgeri. Vt ex Lib. 1. De Pecc. Mer. & Rem. cap. 39. *Peccatur non exertis aduerſus concupiſcentiam totis viribus voluntatis.* Lib. 2. cap. 3. *Si nolumus non peccamus, &c. ſed magis aliquando, & totis viribus opus eſt voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros Deus præuidit.* Cap. 15. *Neminem eſſe qui tantum velit, quantum res exigit, ante præcognitum eſt.* Lib. De ſpiritu, & litt. cap. 35. *Perfecta iuſtitia hominibus impoſſibilis non eſt: Fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei.* Vnde patet libertas flexibilis inter bonum, & malum, etiam in peccando: quia non deſunt voluntati vires maiores ad non peccandum, vel ad maius bonum, quàm ipſa adhibeat. Nec obſtat quod fortè vires maiores quas habet ſine gratia adhibere non poſſit: quia nec cum gratia adhibet tantas vires, quantas habet, & poteſt. Lib. 2. contra Fauſt. cap. 2. *Liberum Arb. quo vel benè vel malè viuitur, propter iuſtum iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Lib. 2. contra Fœlicem *Cap. 8. Probauimus eſſe lib. Arb. Deum autem eſſe eius iuſtum iudicem.* Lib. De ſpir. & litt. cap. 33. *Deus non adimit liberum Arb. quo vel benè, vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur.* Vnde patet libertas non tantùm à neceſſitate naturali, ſed ab omni contraria libertati flexibili: nec tantùm hæc libertas in potentia, ſed etiam in ipſo vſu actuali; nec

tantùm

tantùm ad bonum, vel ad malum diſiunctiuè, ſed coniunctim ad vtrumlibet, & ad alterum in actu, ad alterum ſimul in potentia flexibili. Vnde non tantùm iuſtè iudicabitur de peccato commiſſo: ſed etiam de bono omiſſo in peccando. *Lib. De duabus animabus*, *cap.* 13. Quid eſt, eandem animam *libera voluntate huc, atq; illuc ferri: hinc atq; hinc referri poſſe?* Quid eſt, *Lib.* 8. *Conf. c.* 8. *Semiſauciam hac atq; hac verſare ac iactare voluntatem?* Cap. 9. *Partim velle, partim nolle?* Cap. 10. *Nec plenè velle, nec plenè nolle? Diſtendi cor hominis cùm deliberatur quid potiùs eligat? Lib. De ſpiritu & litt. cap.* 3. Quid eſt *illa media vis quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt?* Epiſt. 106. Quid eſt illa *perfectio poſſibilitatis*, quam *B. Aug.* improbat vt ex *æqua lance inter bonum & malum*, non autem ex inæquali inclinatione? Quid, inquam, hæc ſingula, & omnia ſimul ſupponunt, aut profitentur: niſi quandam adhuc in nobis libertatem flexibilem inter bonum, & malum, vſque ad vſum actualem cum potentia flexibili ad oppoſitum?

12. De gratijs neceſſarijs, ſed inæqualibus, ad vſum libertatis flexibilis in bonū: ſub Titulo ſeq.

13. Ex inæquali libertate noſtra, non eſſentiali, ſed flexibili, poſt lapſum, & remiſſionem peccatorum: cum libertate Angelorum, & primorum Parentum ante lapſum. Vt *Lib.* 1. Operis imperf. in Iul. n. 48. *Multa ſunt quæ agunt homines mala, à quibus eſt eis liberum abſtinere: ſed nulli tam liberum eſt, quàm illi fuit qui à Deo conditus rectus, nullo prorſus vitio deprauatus aſtabat.* Et ſupra *col.* 334. 335. Libro etiam De dono perſeu. c. 7. *Non eſt in viribus liberi Arb. quales nunc ſunt, perſeuerare: fuerat in homine antequam caderet, &c.* col. 381. Vnde 1. *Retr.* 9. 13. 15. tam ſæpè diſtinguit inter primum peccatum *Adami*, ex illa perfecta libertate cauendi, & noſtra ex libertate imperfecta cauendi. Atqui *Adam* non potuit cauere peccatum niſi ex gratia actuali, vt ſupra *col.* 350. ac infra de neceſſitate gratiæ: & tamen habuit perfectam libertatem flexibilem, ſeu facilem ad bonum; ergo & nos imperfectam, quamuis ex ſe pronam ad malum, & inſufficientem à malo ad bonum. Cur enim *Adam* dicatur liberè & flexibiliter potuiſſe, quæ non poterat ſine gratia: nos autem non, quia minùs poſſumus ſine gratia? Cùm non poſſe plus minuſue ſine gratia, nil faciat ad poſſe ſimpliciter. Nec illa inſufficientia *Adami* perficiebatur maiori gratia actuali, quàm noſtra, ſed potiùs minori: nec noſtra nunc ſemper neceſſario determinatur ad bonum, vel priuatur gratiâ neceſſariâ contra malum. Vt titulo ſequenti.

14. Ex *Alenſi, S. Bon. & Scoto*, vt ſupra à *col.* 246. *ad* 251. Sed expreſſiùs ad hoc intentum, *Al. p.* 2. *q.* 29. *m.* 1. *a.* 1. negat liberum Arbitrium eſſe flexibile ad malum in Angelis bonis, ad bonum autem in malis: ergo ſupponit eſſe flexibile ad vtrumque in nobis. *Art.* 3. Docet libertatem à coactione, ſeu neceſſitate eſſe æqualem in omnibus: ſed à peccato & miſeria, eſſe maximam in Angelo bono, minorem in homine bono, minimā in homine malo, nullā in Dæmone. Atqui libertas à peccato eſt aliqua poteſtas cauendi peccatum: ergo hæc eſt in quolibet viatore. *Art.* 4. Docet animam eſſe conuertibiliorem à malo in bonum, quàm Angelum: ergo libertatis flexibilioris. *Art.* 5. Deum eſſe quidem potentiorem ex ſe ad ſuum actum: ſed Angelum & hominem eſſe æquè liberum à coactione ad ſuum actum. Ergo homo habet ſemper inferiorem aliquam libertatem flexibilem. *Art.* 6. Libertatem ad malum non eſſe ex potentia, ſed ex defectu potentiæ liberæ. Vnde patet non eſſe quidem de eſſentia libertatis: ſed defectuoſæ, qualis eſt noſtra. *Quæſt.* 31. De dilectione electiua, ſeu libera Angelorum: Ergo flexibili. *Quæſt.* 72. Liberum Arb. creaturæ rationalis eſſe ad bonum & malum. *q.* 73. *m.* 1. Eſſe potentiam eligendi pro libitu. *m.* 2. Non definiri liberum Arb. per poteſtatem ad malum: quia non eſt ad hunc finem. *m.* 3. *Art.* 3. Liberum dici potiùs à voluntate, quàm à ratione: quia hæc eſt domina ſuorum actuum. *Art.* 4. Dici liberum, à voluntate: arbitrium, à ratione; quia ad meritum, & demeritum requiritur cognitio & affectio. *q.* 74. *m.* 2. Liberum Arb non eſſe vllius creaturæ irrationalis. 1. Quia hæc habet formam determinatam ad materiam, & ad vnicum naturalem modum operandi, &c. 2. Quia non habet vim iudicandi accommodatè ad libertatem. 3. Quia agitur impetu Naturæ. Ergo libertas creaturæ rationalis eſt indeterminata. *m.* 8. Libertatem à coactione non poſſe minui, nec augeri. *q.* 75. *m.* 4. Cauſalitatem liberi Arb. eſſe principaliter ad actum eligendi: ergo inter malum, & bonum eligibile, verum vel apparens. *q.* 118. *m.* 1. Angelos bonos nunc adhuc mereri præmia accidentalia: Dæmones autem demereri pœnas accidentales, vſque ad iudicium; quia nunc libet ipſis adhuc abſolutè peccare; tunc autem, non niſi poſſent impunè. Non ſic animæ damnatæ, &c. *m.* 3. Dæmones peccare quouis motu liberi Arb. non naturæ. *Art.* 9. Eos magis magiſque demereri peccandō: quia eorum mala voluntas non fuit ab initio determinata actu ad hæc omnia mala; ſed actu incenditur ad ea. Ergo non peccatur demeritoriè de nouo: niſi ex libitu peccandi, & noua determinatione voluntatis, vel continua.

S. Bon. in 2. *diſt.* 7. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 7. Nemo excuſatur per neceſſitatem inductam: niſi pœniteat de inductione. Ergo poſt Baptiſmum & Pœnit. non imputatur. *Art.* 2. *q.* 1. Liberum Arb. non mutatur quoad eſſentiam, per confirmationem: ſed quoad perfectionem ſtatus, & actus. *Ad* 1. Vertibilitas eſt ei naturalis: non ex perfectione, ſed ex defectu vertibili. *q.* 2. *ad* 2. Poteſtas peccandi non eſt pars libertatis: ſed non eſt ſine libertate; vt nec peccare, eſt ſine vſu libertatis. Idcirco, continuatio peccati non excludit, ſed includit vſum liberi Arb. *Ad* 5. Impetus brutorum eſt ſine *retinaculo interiori*: Dæmonum autem non ſine potentia interiori retinendi, &c. *Diſt.* 24. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 1. Repugnare cuiuis creaturæ rationali liberum Arb. inflexibile ad malum ex ſua natura. *q.* 2. liberum Arb. hominis nunquam potuiſſe reſiſtere tentationi, ſine continuatione diuinæ influentiæ. Ergo cùm fuerit tunc à malo, & ad bonum, quamuis dependenter à gratia: cur non

Digitized by Google

etiam nunc? *q.* 2. *ad* 2. Eadem nunc ſunt naturalia in nobis quoad ſubſtantiam; ſed infirmata, vulnerata, & deteriorata. *Art.* 2. *q.* 3. Voluntatem naturalem, & deliberatiuam non eſſe diuerſas potentias ex ſolo diuerſo modo appetendi: ſed ex obiecto appetibili ſolo appetitu ſenſitiuo, vel rationali. *Diſt.* 25. *P.* 1. *a.* 1. *q.* 1. Liberum Arb. eſſe proprium ſolis rationalibus: ex cognitione, & electione propriorum actuum circa obiecta. *q.* 3. Liberũ Arb. eſſe dominium potentiæ ſuper actibus proprijs circa ſua obiecta: ad quod neceſſaria eſt reflexio rationis, & motio voluntatis. *Ad* 5. Actus liberi Arb. eſſe conſenſum, ſeu concordiam rationis, & voluntatis: & electionem ſeu iudicium rationis, & appetitum voluntatis. *Ad* 6. Libertatem eſſe rationis, & voluntatis coniunctim. *q.* 4. Liberum Arb. eſſe facultatem, ſeu facilitatem vtriuſque potentiæ coniunctim. *q.* 6. Inchoari à ratione, & conſummari in voluntate. *Parte* 2. *art.* 1. *q.* 1. Libertatem à coactione eſſe æqualem in omnibus: ſed inæqualem inter creaturas, & Deum in dignitate; & inter ipſas creaturas in poteſtate ſeruandi rectitudinẽ.] Qua verborum conſtructione exprimitur ſenſus obſcurus illius quæſtionis. *q.* 2. Liberum Arb. poſſe eſſe ad actus contingentes, & neceſſarios: circa obiecta contingentia, & neceſſaria, ſed vt deliberans, non poſſe eſſe niſi ad actus contingentes circa obiecta contingentia, & neceſſaria. *q.* 3. Liberum Arb. non eſſe commune Deo, & creaturis ad malum, niſi vt deteſtandum: imò nec vt liberum eſſe ad malum, ſed vt deficiens. *q.* 4. Liberum Arb. non poſſe cogi ad actum internum, ab vllo agente creato: ſed impediri ab vſu etiam interiori rationis, & libertatis. *q.* 5. Nec poſſe à Deo cogi, ſtante ipſa libertate. *Ad* 1. 2. 3. *Arg.* Deus non cogit immittendo affectiones: quia æquè voluntariè volo quod Deus immittit, quàm quod ex meipſo volo. *Ad* 4. Potentia obedientialis creaturæ non poteſt pati à Deo coactionẽ, aut violentiam:] quia eſt Deo obedientialis ad omnia; [ſed quæuis potentia ſpecialis, & naturalis excepta voluntate; quia illa eſt determinata ad vnum, *hæc vt pila, ſeu rota vertibilis ſine violentia.* *q.* 6. Liberum Arb. impediri quo ad vſum in pueris, dormientibus, furioſis: ex vnione animæ, & corporis, ante propriam, & perfectam operationem.

Scotus in 2. *diſt.* 7. *q. vnica* De libertate flexibili etiam dæmonum, à malo ad bonum ſaltem naturale, imò & morale ſaltem ex genere: contra omnem abſolutam neceſſitatẽ, & prædeterminationem voluntatis, à iudicio intellectus, vel à proprio actu vt irreuocabili. *n.* 14. *Angelus malus poteſt habere bonam volitionem naturalem, & ex obiecto: ſed non meritoriè, nec in ſenſu diuiſo, potentiâ propinquâ, ſed tantùm remota poßibilitate, &c.* n. 15. *In poteſtate Angeli non eſt meritoriè velle: quia non eſt in poteſtate eius habere gratiam, nec per conſequẽs vti gratia; nec etiam vti voluntate ſua cum gratia iſta.* n. 19. *Tunc videretur eodem modo impoßibile de peccatore viatore.*

Resp. *Potentia ordinata Dei non reſpicit actus particulares, &c. ſed leges vniuerſales. Talis eſt lex de damnatis, non autem de finaliter malis in via.* n. 20. *Obſtinatio poteſt dici à Deo deſerente, & nolente dare gratiam.* n. 21. *Non eſt negatio potentiæ actiuæ, niſi totalis, principalis, propinquæ, ordinatæ.* n. 24. *Videtur poſſe dici quòd non neceſſariò habeant vllum actum malum: ſed quòd poßint ſe ſuſpendere ab omni actu, vel potius habere actum non malum moraliter, &c. Probabile eſt tamen quòd non exeant in talem actum, ob vehementem malitiam.* n. 25. ad 3. *Poſſe peccare, non eſt pars libertatis: ſed vt defectibilis.* Diſt. 23. q. vnica ad 3. *Poſſe peccare, relatiuè ad actum vel defectum, non eſt pars libertatis: ſed poſſe abſolutè & fundamentaliter ipſum actum qui eſt peccatum* Diſt. 25. q. vnica De libertate ſeu poteſtate actiua voluntatis, determinandi ſeipſam ad agendum vel non: contra omnem determinationem à phantaſmate, obiecto, cognitione, vel ab vlla alia cauſa vt totali ſuorum actuum. n. 20. *Cauſa æquiuoca totalis eſt nobilior termino formali ſuæ actionis, non autem ſemper totali. Nam voluntas volẽs eſt nobilior ſua volitione, & ſeipſa nõ volente.* n. 22. *Volũtas vult contingenter: ergo non determinatur ad hoc ab vlla cauſa naturali, ſed ipſa determinat ſeipsâ. Nec indeterminatio, aut determinatio voluntatis poteſt eſſe ab intellectu; quia hic eſt ex ſe naturaliter determinatus. Quia omnis cauſa naturalis actiua eſt determinata ad vnum effectum: vel ſi eſt indeterminata non poteſt ſeipſam, aut aliam determinare. Dices iſta indeterminatio voluntatis eſt ex parte intellectus repræſentantis obiectum, vt fore vel non fore.* Contra. *Intellectus non poteſt determinare hoc fore, vel non fore: niſi de vno demonſtrando, de altero paralogizando; ergo ſi contingentia, quâ hoc poteſt fore, vel non fore, ſit ab intellectu dictante, nihil fieret à Deo contingenter, quia ipſe non paralogizat.* Item. *Intellectus agit naturaliſsimè: ex Aug. ſæpè. Dices Phil. diuidit naturam contra intellectum, & agens à propoſito: ergo intellectus non eſt cauſa per modum naturæ. Dico, quod diſtinguit agens per intellectum practicum, contra agens per naturam.* n. 25. Ad 1. *Obiectum non mouet niſi partialiter, vel non niſi metaphoricè, &c. Non eſt mirandum ſi gloſſatur authoritas Ariſt. Quãdo Authoritas Scripturæ gloſſatur mirabiliùs.* V. Eccli. 31. *Qui potuit tranſgredi* de quolibet ſancto: *& non eſt tranſgreſſus,* de ſolo Chriſto. *Ad* 4. *Potentia rationalis perfecta, cuiuſmodi eſt voluntas, quamuis ſit contradictoriorum, vel contrariorum, obiecto præſente poterit ſe determinare ad vnum illorum.* Diſt. 28. n. 5. *Poſſunt cauere ſingula occurentia: ergo omnia.* n. 7. *Potuit quis eſſe in puris naturalibus.* Ad 2. *Poteſt quis cauere ne reſiſtat gratiæ.* Diſt. 37. n. 6. Ad Quæſt. in diſt. 35. *Voluntas libera eſt debitrix eliciendi omnes ſuos actus ſecundùm præcepta Dei: & ideo quando diſcordat, caret iuſtitia actuali debita ineſſe tali actui.* Quæſt. 2. n. 8. *Si voluntas creata eſſet cauſa totalis, & contingens ſui velle: Deus non præſciret futura contingentia ex ſua immutabili determinatione ad illa. Nec Deus eſſet Omnipotens: quia non fieret quicquid vellet; nec poſſet impedire voluntatẽ noſtrã niſi eam violentando.* n. 14. *Quicquid Deus dat antecedenter, daret conſequenter ex ſe, niſi ſubeſſet impedimentum: dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta quæ ſunt in poteſtate voluntatis; & ideo ex parte ſua dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & daret conſequenter,*

quenter, ſi voluntas ex parte ſua rectè ageret, &c. Nec Deus prius natura cauſat, aut non quaſi ſine noſtra voluntate, ſed priùs natura .i. perfectiùs, in eodem tamen inſtanti etiam naturæ, &c. Nec Deus poteſt nobis eſſe cauſa peccandi: quia hoc ipſo non eſſet in poteſtate noſtra rectè agere, nec teneremur, &c. Nec ſubtractio gratiæ à ſolo Deo, ſine defectu noſtro, priuaret nos iuſtitia debita. Non enim ſumus debitores iuſtitiæ, niſi vt poſſumus eam non demereri, vel nos ad eam diſponere: ſed non poſſumus demereri priori aliquo peccato primam rectitudinem debitam actui; nec Deus poteſt eám ex ſe ſubtrahere. n. 22. *Omne peccatum eſt pœna: & vnum non poteſt eſſe pœna alterius.* Infra. *Vt priuatio gratiæ habitualis eſt pœna peccati prioris: ſic & priuatio gratiæ, & rectitudinis actualis. Sed hic modus videtur valde difficilis, &c. Ideo poſſet dici, quòd licet Deus quantum eſt ex ſe aſſiſtat voluntati ad actum ſequentem, vt ad priorem: defectus tamen actus ſequentis eſt pœna prioris, pro quanto quis ſe priuat bono ſibi maximè conueniente. Nec eſt ſimile de priuatione gratiæ, & rectitudinis actualis: quia Deus non dedit gratiam antecedenter, vt dedit rectitudinem, ideoque poteſt illam non dare conſequenter potiùs quàm hanc.* Diſt. 42. n. 5. *Eſt in poteſtate voluntatis auertere intellectum ab vno intelligibili ad aliud: ſed neceſſaria eſt prior aliqua cogitatio.* Infra. *Poſſunt eſſe ſimul imperfectæ cogitationes: in quarum vna & eius obiecto voluntas poteſt ſibi placere præ alijs; ſicq́; intendendo vnam, & remittendo alias, poſt diuertere intellectum ab vna ad aliam, &c. Poſſet etiam dici, quod voluntas habeat actionem immediatam ſuper intellectu: ſed hoc eſt difficilius.* Diſt. 43. De peccato ex malitia .i. ex nulla paſſione, & ignorantia: vel ex affectu mali ſub ratione mali, vel ex ſola libertate ad malum.

Difficultas 1.

EX Sacra Script. De Omnipotentia Dei in noſtras voluntates: de neceſſitate noſtra ad malum, impotentia ad volendum, cogitandum, dicendū bonum; de ſeruitute peccati, &c. Vt Prou. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumq́; voluerit inclinabit illud.* Pſal. 24. *De neceſſitatibus meis erue me.* Pſal. 84. *Conuerte nos, &c.* Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Ioan. 10. *Non poterant credere, quia dixit Eſaias: Excæcauit oculos, & indurauit cor eorum.* Ioan. 8. *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: ſi vos filius liberauerit verè liberi eritis.* Rom. 6. *Fuiſtis ſerui peccati, &c. Liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ, &c. Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ: nunc vero liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, &c.* Gal. 4. *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberauit.* Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc facio: ſed quod nolo malum hoc ago, &c.*

Resp. Hæc & ſimilia, quibus Hæretici abutūtur: non eſſe contra noſtram naturalem, interiorem, & flexibilem libertatem à neceſſitate & determinatione abſoluta voluntatis ad vnicum; ſed eſſe tantùm contra libertatem à neceſſitate, & ſeruitute exteriori, vel interiori, rationali, vel morali alicuius conſequentis, vel conſequentiæ, ſuppoſitionis, medij ad finem, difficultatis, virtutis obedientiæ, Religionis, Charitatis, vel vitij oppoſiti. Quo ſenſu, Rom. 6. *Cùm ſerui eſſetis peccati* .i. eius motibus obedientes: *liberi fuiſtis iuſtitiæ* .i. inobedientes, & rebelles. Gal. 4. *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, &c. qua libertate Chriſtus nos liberauit* .i. à timore ſeruili, & à graui difficultate ac impotentia reſiſtendi concupiſcentiæ, &c. *Rom.* 7. Vel de neceſſarijs motibus concupiſcentiæ ſenſitiuæ, vel de inefficacibus voluntatis. Nam, *inquit, Velle mihi adiacet: perficere autem non inuenio.* Sed quicquid ad rem, recurret infra ex *B. Aug.*

Difficultas 2.

EX accumulatis dictis B. *Aug.* quæ in eaſdem reſponſiones coincidunt. Vt 1. ex *Lib.* 1. *De libero Arb. cap.* 33. Vbi tribuit omne peccatum libidini: non libertati flexibili. 2. ex 1. *Retr.* 9. Niſi voluntas Dei gratiâ liberetur à ſeruitute qua facta eſt ſerua peccati, & vt vitia ſuperet adiuuetur, rectè pieque viui non poteſt à mortalibus. *Infra.* Etiam per ignorantiam facta quædam improbantur. 1. *Tim.* 1. *Pſal.* 24. Sunt etiam neceſſitate facta improbanda: vbi vult homo rectè facere, & non poteſt, *Rom.* 7. *Gal.* 5. *Infra.* Approbare falſa pro veris vt erret inuitus, & reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe à libidinoſis operibus temperare: non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Ad quam miſeriam pertinet ignorantia, & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis ſuæ: nec ab iſto malo liberatur, niſi Dei gratia. 3. Ex 1. *Retr.* 10. Dixi vſque adeo peccatum voluntarium eſt malū: vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntariū, &c. Sed de peccato quod non eſt etiam pœna peccati, &c. Quamuis & illa quæ à neſcientibus, vel coactis perpetrantur, non omnino poſſunt ſine voluntate committi. Quoniam & qui peccat ignorās, voluntate vtique facit quod putat eſſe faciendum. Et qui non ea quæ vult facit, *Rom.* 7. concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit quod vult; ſed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in eo non facit niſi quod vult, liber ſcilicet iuſtitiæ ſeruuſque peccati; & peccatum originale vocatur voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum. 1. *Retr.* 15. *in librum De 2. Animabus.* Dixi *cap.* 10. Nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum: quia peccatum originale nuſquam eſſe potuit niſi in voluntate qua commiſſum eſt, quando diuini præcepti eſt facta tranſgreſſio, &c. *Rom.* 7. Quod nolo hoc facio, &c. peccatum vocatur: quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt .i. ipſa concupiſcentia, cui quando bene viuitur non conſentit voluntas, &c. Peccatum autem quod nuſquam eſt niſi in voluntate: illud præcipuè intelligendum eſt, quod iuſta damnatio conſecuta eſt, &c. Quanquam & hoc peccatum quo conſentitur peccati concupiſcentiæ, non niſi volūtate committitur. Dixi *cap.* 15. Voluntas eſt animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non admittendum, vel adipiſcendum, &c. Vt ad illos referretur intentio, qui primi fuerunt origo mali, nullo cogente peccando .i. libera voluntate; quia & ſcien-

tes contra præceptum fecerunt, & tentator ſuaſit, non coëgit. Nam qui neſciens peccauit, nolens peccaſſe dici poteſt: quamuis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit; nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum. Quod enim ſi noluiſſet, non feciſſet, non coactus eſt facere. Quia voluit ergo fecit, etiamſi non quia voluit peccauit, neſciens peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit; *ſed voluntate facti, non peccati.* Quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit. Quiſquis autem ſciens peccat: ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, vtique volens peccat; quoniam qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere. Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta Iuſtitiæ: iam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati. Item, definitio peccati *cap.* 11. Eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod Iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere: vera eſt, quia id definitum eſt, quod tantùm eſt peccatum, non quod eſt etiam pœna peccati. Nam quando eſt & pœna peccati: quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate, niſi fortè ſi pia eſt, vt oret auxilium? In tantum enim libera eſt: quia in tantum liberata eſt, & in tantum appellatur voluntas; alioquin potius cupiditas, quàm voluntas nuncupanda eſt, &c. Quòd ſi quis dicat ipſam cupiditatem nihil eſſe aliud quàm voluntatem vitioſam: de verbis cùm res conſtet non eſt controuerſia facienda.] Quibus tribus *cap.* 9. 13. 15. videtur excipere quoſdam, & quædam peccata à libertate flexibili.

3. Vbicumq; agit de libertate eſſentiali, vt inflexibili, *col.* 246. 249. 4. In Epiſt. *Ad Rom.* Prop. 18. *Lib. Arb. perfectè fuit in primo homine: in nobis autem ante gratiam, non eſt lib. Arb. vt non peccemus, ſed tantùm vt peccare nolimus; gratia verò efficit vt non tantùm velimus rectè facere, ſed etiam poſſimus; non viribus noſtris, ſed liberatoris auxilio.* 5. In Epiſt. Ad Gal. cap. 6. *Id ſectabimur quod amplius dilexerimus: Si tantundem vtrumq; diligitur, nihil horum ſectabimur; ſed aut timore inuiti trahemur, aut ſi vtrumq; æqualiter etiam timemus, in periculo ſine dubio remanebimus, fluctu dilectionis & timoris alternante quaſſari.* 6. Quæſt. 40. ex 43. *Ex diuerſis viſis diuerſus appetitus animarum eſt: ex diuerſo appetitu, diuerſus adipiſcendi ſucceſſus; ex diuerſo ſucceſſu, diuerſa conſuetudo; ex diuerſa conſuetudine, diuerſa eſt voluntas. Diuerſa autem viſa ordo rerum facit: occultus quidem, ſed ſub diuina Prouidentia certus.* 7. Quæſt. 77. ex 83. *Multa ſunt peccata quæ patimur.* Ergo nonniſi ex quadam libertate paſſiua. 8. Lib. 8. Conf. cap. 5. *Lex peccati*, Rom. 7. *eſt violentia conſuetudinis: quâ trahitur, & tenetur etiam inuitus animus, eo merito quo in eam volens illabitur.* Cap. 9. *Vnde hoc monſtrum? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim: imperat animus ſibi, & reſiſtitur, &c.* Lib. 9. cap. 1. *De quàm imo; altoq; ſecreto euocatum eſt in momento liberum Arb. meum!* Ergo non videtur priùs habuiſſe vſum flexibilem: nec neceſſitas concupiſcendi comparatur conſuetudini æqualiter. 9. *Lib. De Natura boni, cap.* 32. Quòd Diabolus ſit puniendus pro iniqua voluntate nocendi Sanctis: ergo peccatur etiam demeritoriè, ex libertate inflexibili. 10. *Lib. contra Secund. cap.* 8. Voluntas peccando minùs minuſque viget: Ergo vſque ad nihilum. 11. *Lib. 9. in Gen. c.* 17. Spiritus vitæ qui creatus eſt habet quoſdam appetitus ſuos *determinatos* quodammodò: *quos etiam mala voluntas non poſſit excedere.* 12. Lib. De ſpiritu & litt. cap. 33. *Videamus vtrum huic ſatisfaciat quæſtioni, quòd liberum Arb. illa media vis eſt, &c.* Cap. 34. *Si quæſt. ſoluenda ſufficit, ſufficiat:* Ergo nil reſoluit, ſed proponit. 13. *De Natura & Grat. cap.* 12. B. Aug. fatetur, *leuia peccata multitudine irruentia non poſſe vitari.* 14. *Lib.* 5. *Ciu.* 9. Cicero dum vult homines facere liberos, fecit ſacrilegos, &c. Noſtræ voluntates tantum valent, quantum Deus eas valere voluit atque præſciuit: & ideò quicquid valent, certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt, ipſæ omninò facturæ ſunt; quia valituras atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt. Quapropter ſi mihi Fati nomen alicui rei adhibendum placeret: magis dicerem fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in poteſtate; quàm illo cauſarum ordine quem Stoici Fatum appellant, arbitrium noſtræ voluntatis auferri. 15. *Lib.* 14. *c.* 11. Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum: cùm vitijs, peccatiſque non ſeruit. Tale datum eſt à Deo: quod amiſſum proprio vitio, niſi à quo dari potuit, reddi non poteſt. 16. *Lib.* 22. *Ciu. cap.* 30. Nec ideo liberum Arb. non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt: magis quippe erit liberum, à delectatione peccandi vſq; ad delectationem non peccandi indeclinabilem, liberatum. 17. *Lib.* 1. *ad Bonif. cap.* 2. Liberum Arb. vſque adeo in peccatore non perijt: vt per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet.] Ergo non ex libertate, vt flexibili. 18. Lib. 1. Operis imperf. n. 92. Iulian. *Liberum Arb. & poſt peccata tam plenum eſt quàm fuit ante.* Aug. Non quod volo ago, &c. *Rom.* 7. quomodo ergo poſt peccatum liberum eſt? *num.* 98. *Iul.* Dicis eſſe liberam voluntatem: ſed vt malum tantùm faciat, &c. niſi ei fuerit impoſita neceſſitas volendi bonum. Definis ergo genus humanum per liberum Arb. nihil aliud quàm peccare poſſe. *n.* 99. *Iul.* Catholici .i. nos dicimus quòd ab initio vſque ad finem, ſine aliquo naturalium coactu, voluntas & ante Baptiſma in vno quoque delinquit: quæ illo ipſo tempore quo peccat, poteſtatem habet recedere à malo, & facere bonum, vt conſtet ratio libertatis. *n.* 101. *Aug.* Liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle .i. bonum & malum? Liber ergo Deus non eſt, qui malum non poteſt velle? *n.* 102. Nunquid Deus cogitur velle bonum, quia velle non poteſt malum? *n.* 105. Si neceſſitas dicenda eſt: beatiſſima neceſſitas. *n.* 106. Si neceſſitas nulla peccandi eſt, &c. quid, *Rom.* 7. Quod nolo malũ hoc facio?] Ergo *Iul.* inſtabat pro libertate flexibili omnium viatorum: *B. Aug.* pro ſola libertate eſſentiali. 19. *Enchir.* 30. Libero Arbitrio malè vtens homo; & ſe perdidit, & ipſum. Sicut qui ſe occidit,

vtique

vtique viuendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non viuit, nec ſeipſũ poteſt reſuſcitare cùm occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum Arbitrium. A quo enim quis deuictus eſt huic & ſeruus addictus eſt, 2. *Petr.* 2. Qualis quæſo poteſt ſerui addicti eſſe libertas: niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim ſeruit, qui ſui domini voluntatem libenter facit. 20. *Cap.* 105. Sic oportebat hominem fieri, vt bene velle poſſet, & male; nec gratis ſibi bene, nec impunè ſi malè: poſtea vero ſic erit, vt malè velle non poſſit. Nec ideo libero carebit Arb. Multò quippe liberius erit, quod ſeruire non poterit peccato. Neque enim culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt, qua beati eſſe ſic volumus, vt eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus. 21. *Lib. De gratia & lib. Arb. cap.* 17. Qui vult facere mandata Dei & non poteſt: habet voluntatem bonam, ſed adhuc paruam & inualidam. 22. *Lib. De corrept. & gratia cap.* 11. Deus noluit Adam eſſe ſine ſua gratia, quam reliquit in eius libero Arb. *Cap.* 12. Fortiſſimo dimiſit atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſeruauit, vt ipſo donante inuictiſſimè vellet bonum, & deſerere nollet, &c. *col.* 350. 351. 23. *Lib. De Prædeſt. SS. cap.* 16. Eſt in malorum poteſtate peccare: vt autẽ peccãdo hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non eſt in eorum poteſtate.] Ergo non habent libertatem à ſeipſa flexibilem, nequidẽ ad hoc vel illud malum. 24. *Lib. De dono Perſeu. cap.* 7. Vt *col.* 381. Poſt caſum autem autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque vt non recedat ab eo, &c. *col.* 381. Ergo non pertinet ad libertatem flexibilem. 25. *Libro De Perfectione iuſtitiæ cap.* 4. Pœnalis vitioſitas ex libertate fecit neceſſitatem, &c. *col.* 365. Quia peccauit voluntas ſecuta eſt peccantem, peccatum habendi dura neceſſitas: donec ſanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas; vt ſit etiam benè viuendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque neceſſitas. *Cap.* 6. Si vitari non poteſt, præterita voluntas hoc fecit, &c. Ibidem. 26. *Epiſt.* 89. *q.* 3. Libertas ſine gratia, non eſt libertas, ſed contumacia. 27. *Tract.* 41. Voluntas tua erit libera, ſi fuerit pia, &c. 28. *Serm.* 2. *De Verb. Apoſt. c.* 6. Magnas liberi Arb. vires homo cum conderetur accepit: ſed peccando amiſit. *Serm.* 10. *cap.* 3. O malum liberum Arb. ſine Deo. 29. *Serm.* 25. *De diuerſis cap.* 6. Paleæ illæ, ſeu mali non habent liberum Arb. 30. Vbicumque negat liberum no. Arb. eſſe, aut valere quicquam ad cauendum malum, vel agendum bonum, ſine gratia. Vt *Tract.* 5. *in Ioan.* Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum. *Tract.* 81. Sine me nihil poteſtis facere. Non ait parum, ſed nihil. *Lib. De corrept. & grat. cap.* 11. Liberum arb. ad malum ſufficit: ad bonũ autem nihil eſt. *Lib. De ſpir. & litt. cap.* 3. Neq; liberum Arb. quicquam niſi ad peccandũ valet. *Serm.* 15. *B. Aug. De verbis Apoſt. c.* 7. Eſt liberũ Arb. ſed nihil valet ſine Dei gratia] Ergo cũ ex ſe nihil valeat ab bonum: habet tãtùm flexibilitatem paſſiuam. 31. *B. Aug.* ſaltem fatetur quoſdã adhuc Viatores excæcari, & obdurati: priuatione omnis gratiæ etiam actualis, & libertatis flexibilis ad bonum. Vt ſupra in *Epiſt. ad Rom. Prop.* 62. Pharao obdurato corde obtemperâre non poterat. 32. *Epiſt.* 106. Contra poteſtatem voluntatis paribus momentis, ſeu ex æqua lance: quâ aliquantum ad non peccandum valeat. Vt & *S. Bern.* De gratia & libero Arbitrio.

Resp. *Ad* 1. Tribuit omnia peccata libidini: non vt neceſſariæ, ſed liberæ, & flexibili.

Ad 2. Ex 1. *Retr.* 9. 13. 15. Non excipit vlla peccata à quadam libertate flexibili etiam ad bonum, vel ad minus malum: nec explicat & applicat ſuas definitiones peccati, ſoli primo peccato; ſed *præcipuè*, 1. *Retr.* 15. Imò eas ſtudiosè accommodat omnibus peccatis, etiam cuiuſdam ignorantiæ, & neceſſitatis; & euidam libertati flexibili. Quod enim ait, Voluntatem ſine gratia Dei liberante eſſe ſeruam peccati: non eſt eam eſſe inflexibilem actiuè à malo ad bonũ, vel ad minus malũ; ſed ita à ſeipſa voluntariè inflexã, & peccato ſubiugatã, vt non poſſit ſine gratia Dei, imò nolit ſe reflectere ad bonũ. Peccata autem ignorantiæ, & neceſſitatis, ex *Rom.* 7. vel ſunt tantùm peccata materialia, ſic denominata à ſua cauſa, & effectu, vt ipſemet *Aug.* ibidem interpretatur; vel non ſunt ex ignorantia, & neceſſitate cauſaliter, ſed ex libertate flexibili, & à ſeipſa liberè & actualiter inflexa, quamuis comitante, vel conſequente aliqua ignorantia, & neceſſitate; vel non ſunt ex ignorantia. & neceſſitate in- inuincibili, & inculpabili, &c. Vt ipſemet *B. Aug.* ſatis explicat 1. *Retr.* 15. Si vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, &c. Non conſentit voluntas, &c. Peccatum quo conſentitur, &c. Quod ſi noluiſſet non feciſſet, non eſt coactus facere &c. Qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere, &c.] Sed peccatum ex ſola voluntate facti, non peccati, &c. Et cui reſiſti non poteſt: eſt etiam pœna peccati .i. ipſius ignorantiæ, & impotentiæ culpabilis, vel conſenſus prioris, & continuati in concupiſcentiã, non autem ſolius peccati orig. quamuis necdum remiſſi. quantominùs remiſſi? Vt *B. Aug.* exemplificat Lib. De 2. Anim. cap. 10. *An is peccaſſe videretur, de cuius dormientis manu ſcripſiſſet alius aliquid flagitioſũ? Quòd ſi nõ dormiẽtis ſed ſcientis manu, qui membris tamen cæteris vinctus atq; conſtrictus eſſet, quiſquam valentior aliquid ſimiliter ſcripſiſſet mali: vtrum quia id noſſet, vllo peccati nomine teneretur? Quid ſi dormiens ille iam ſciret quid alius de manu eius facturus eſſet, & de induſtria plus potius ne expergiſceretur, ſe ſomno dederet: num ei ſomnus quicquam ad innocentiam ſuffragaretur? Quod ſi & ille volens vinctus eſt: quid ei vt peccato careat illa vincula profuerunt?* Quæ omnia ex ſequentibus magis eluceſcent.

Ad 3. *B. Aug.* ſæpè quidem recurrit ad libertatem illam eſſentialem voluntatis in volendo & nolendo cùm vult, & quod vult, aut non vult: non tamen ad negandam & euertendam, ſed fundandam, & diſtinguendam libertatem flexibilem & variabilem viatorum, ab eſſentiali omnium, confirmatâ Beatorum, & obſtinata damnatorum. Nam vt proprietates non poſſunt eſſe niſi in & ex natura, nec natura creata ſine ſuis proprietatibus: ſic nec libertas flexibilis niſi in, & ex natura volun-

Digitized by Google

tatis creatæ, neque hæc ſine illa. Quid eſt enim libertas flexibilis voluntatis: niſi proprietas quædã voluntatis, vt ex nihilo creatæ, ac finitæ, ſicque defectibilis, & perfectibilis in modo proprio operandi? Quæ quidem in Beatis peruenit ad ſuam ſummam perfectionem: in damnatis, ad infimam imperfectionem; ſed in viatoribus eſt adhuc perfectibilis, & defectibilis. Nec tamen in Beatis, & damnatis eſt inuariabilis, ſed imperfectibilis. Neque *B. Aug.* vnquam ſtatuit libertatem Viatorum in ſola eſſentiali, vt inflexibili: quia ſtatus viæ eſt capax proficiendi & deficiendi, merendi, & demerendi, libertate flexibili. Cùm enim illam explicat per poteſtatem voluntatis faciendi *quod vult, & cùm vult, quorum primum eſt ipſum velle*, ſeu volendi cùm vult, & quod vult actu: non excludit, ſed includit eandem poteſtatem non volendi aut nolendi, cùm & quod non vult; nec negat, ſed ſupponit poteſtatem natura priorem ad volendum vel nolendum, cùm & quod vult, aut non vult. Nec reſtringit hanc poteſtatem ad vim & conatum indiuiſibilem & inuariabilem, plus minuſue volendi, aut nolendi. Nec denique ſiſtit tot & tam graues difficultates de veritate & proprietate libertatis, in hac ſola verborum ſuperficie: vt ſit *poteſtas voluntatis faciendi quod vult, & cùm vult*, quod dici poteſt in ſenſu compoſito de quolibet agente, poteſt agere quod agit, & cùm agit. Sed reſoluit in modum proprium moralem & imputabilem ſoli voluntati. Qui eſt, quòd non agat ex ſola poteſtate naturali cuiuſuis agentis ad omnes ſuas actiones & effectus: ſed ex poteſtate morali, ſeu dominio rationali, eliciendi, imperandi, vel continendi ſuos actus circa ſua obiecto cognita; quia & proprij actus ei proponuntur inter obiecta vt volibilia aut nolibilia, nonniſi per actus volendi aut nolendi, vt etiam volibiles & nobiles ab ipſa. Hinc meritò ei imputatur quòd benè vel malè agat: non tantùm quia flexibiliter agit, vt videntur etiam Bruta agere, aut agi; ſed quia Bruta nec cognoſcunt, nec appetunt ſuum proprium actum; ſed voluntas non agit niſi ſciat & velit agere aut non, ſeu nonniſi volendo aut nolendo proprium obiectum, actum, & effectum; nec vult aut non vult, niſi volendo, aut nolendo ſe velle aut nolle, &c. Vt ſupra *col.* 246. 249. 250. In quem etiam ſenſum *S. Bon.* ſupra *col.* 25. Sed hæc libertas eſſentialis, vt eſt prior lege poſitiuâ Dei, determinante certam retributionem extrinſecam omnibus meritis, & demeritis: ſic videtur eſſe prior omni ordine ad ſic merendum, vel demerendũ; nec ſubeſſe, aut dirigi illa lege poſitiua retributionis externæ, ſed ſola lege Dei æterna, & naturali. Quæ eſt, *vt omnia ſint ordinata*, 1. De lib. Arb. 6. *& vt omnis inordinatus animus ſit ſibi ipſi pœna* 1. Conf. 12. ordinatus autem, ſit ſibi ipſi laus .i. vt voluntas volens, aut nolens ordinatè, hoc ipſo perficiatur in ſe, & laudetur, ſeu approbetur ab omni recta ratione & voluntate: inordinatè autem volens, aut nolens, hoc ipſo deordinetur, confundatur, & improbetur ab omni recta ratione, & voluntate, præcipuè diuina. Hinc Adam, & Eua cùm eſſent peritiſſimi legis naturæ: dubitarunt tamen de illa prima lege pœnali, & extrinſeca peccato. Nec eſt impoſſibile, aut contra legem naturæ, ſeu lumen rectæ rationis, Deum nihil aliud bonis, aut malis retribuere: ſicut eſt impoſſibile Deum, & omnem rectam rationem, ac voluntatem ab ea participatam, non approbare bona, & reprobare mala, vt ſupra. Quâ obſeruatione vſus ſum, commentando in omnia Opera *B. Aug. Tom.* 2. *col.* 57. 58. 129. 130. 145. *à* 268. *ad* 274. & alibi ſæpè: ad conciliandum *B. Aug.* ſecum ipſo, & cum Sacris ſcript. Conc. & Cenſuris *Pij* 5. *Greg.* 13. *Vrb.* 8. in plures Prop. Domini Baij. Vt in 2. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium: ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.* In 20. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale: ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.* In 38. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* In 63. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* In 64. *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod neceſſariò facit.* Ad quam 64. pleræque referuntur: ſeu inhibentur, ne videatur neceſſariò peccari, etiam damnabiliter. Vnde patet in 1. non tantùm cenſurari partem poſteriorem, aut eius comparationem cum priore: ſed etiam partem priorem, ſeu quòd opus malum ſit *ex natura ſua mortis æternæ meritorium.* Tum quia includit omne opus malum, contra *Prop.* 20. Tum quia æquiparat moralia gratuitis. Tum quia non tantùm ſignificat aliqua eſſe digna tanta pœna, ſeu poſſe à Deo tanta pœna iuſtè puniri: ſed Deum id ex Iuſtitia debere, nec poſſe non ſic punire.

Ad 4. *Liberum Arb. perfectè fuit in primo homine*, vtique ad non peccandum: *in nobis autem ante gratiam*, vel habitualem, vel etiam actualem, *non eſt liberum Arb. vt non peccemus*, .i. non eſt tam perfectum, vt non peccemus vllo peccato, aut tam facilè poſſimus non peccare hoc vel illo; *ſed tantum vt peccare nolimus* .i. vel nullo peccato, vel non hoc aut illo; ſed nolitione inefficaci, ſiue naturali & vitioſa, ſiue ex aliqua gratia ad hoc ipſum nolle neceſſaria, nec efficaciori. *Gratia verò efficit vt non tantùm velimus rectè facere, ſed etiam poſſimus* .i. de gratia efficaci ſaltem ad velle, & neceſſaria ac ſufficiente ad poſſe, vel etiam efficaci ad perficiendum.

Ad 5. Non negat libertatem ſeu poteſtatem actiuam voluntatis ſe determinandi: ſed refert imperfectionẽ deliberationis, & reſolutionis, ac infirmitatem voluntatis, inter varios habitus, paſſiones, & actus proprios hinc inde agitatæ, quæ ſolet cedere inclinationi moleſtiori, aut delectabiliori.

Ad 6. Refert tantùm ordinarium proceſſum: ſine præiudicio libertatis. Nec comparat hæc omnia inter ſe æqualiter: ſed tantùm ſimiliter; referens tamen totum ordinem ad Prouidentiam diuinam, per diuerſa viſa præuenientia omnem vſum poſſibilem libertatis, vt ſæpe ſupra.

Ad 7. Videtur Problematicus, an peccari poſſit tantùm patiendo .i. ex ſola paſſione vitioſa animi: ſed ſupponit potiùs poſſe peccari; non vt peccato formali, ſed materiali, vel ex aliquo conſenſu voluntatis.

Ad 8. De violentia, coactione, & animo inuito tantùm moraliter. 1. *Retr.* 9. 13. 15. *Lib. ad Fortun. & ad Felicem*, ſupra. Nam propriè, & abſolutè, libro de 2. Animabus, cap. 10. *Voluntas eſt*

animi

Digitized by Google

animi motus cogente nullo. An erat difficilè videre, inuitum volenti eſſe contrarium, vt contrarium ſiniſtrum dextro eſſe dicimus, non vt nigrum albo? i. relatiuè, non abſolutè. *Ita inuitus, & volens ſimul eſſe quidem vnus animus poteſt* .i. diuerſo reſpectu; *ſed vnum atq; idem ſimul velle, & nolle non poteſt* .i. abſolutè, & ſub eadem ratione. *Inuitum ad faciendum, ad non faciendum volentem reperies. Omnis inuitus faciens cogitur, & omnis qui cogitur, ſi facit, non niſi inuitus facit. Reſtat vt volens à cogente ſit liber, etiamſi quis ſe cogi putet: & hoc enim modo omnis qui volens facit, non cogitur: & omnis qui non cogitur, aut volens facit, aut non facit* .i. Volens non poteſt cogi quà volens, ad volendum: ſed quà nolens eſt; nec nolens quà nolens cogitur ad nolendum, ſed ad aliquem actum aut effectum nolitum; qui tamen non poteſt fieri actu nolendi, ſed volendi. Nec hic actus eſt propriè & formaliter inuitus, nec coactus: ſed animus, & voluntas dicitur formaliter inuita & coacta; non tam ad ſuum actum volendi, aut nolendi, quàm ad aliquem effectum nolitum actu, vel habitu. Inuitus poteſt dici reſpectu ſolius obiecti noliti: coactus, nonniſi ad aliquod ab inuito faciendum, aut patiendum, contra propriam voluntatem, aut inclinationem voluntariam. Inuitus autem dici poteſt cogi. 1. Per ignorantiam, ex qua facit aut vult, quod alioquin non vellet. 1. *Retr.* 15. *Qui neſciens peccauit, nolens peccaſſe dici poteſt.* Niſi tamen ſciens, equidem peccaſſet. 1. *Retr.* 9. *Approbare falſa pro veris, vt erret inuitus, &c.* 2. Timore, dolore, & quouis obiecto contrario voluntati. Vt in *Epiſt. ad Gal.* 6. *Timore inuiti trahimur.* 3. Peruerſa libidine, & conſuetudine. Vt 1. *Retr.* 9. *& hic* 8. *Conf.* 5. Sed coactio tribuitur libidini, & conſuetudini, vt moleſta eſt: non autem vt delectabilis; quia delectabile vt tale, ſaltem appetitui intellectuali, non minuit, ſed potiùs auget rationem voluntarij. Vnde Tract. in Ioan. 6. *Niſi Pater traxerit eum, &c. Nolite cogitare inuitum trahi: trahitur animus & amore, &c. Trahit ſua quemq; voluptas: non neceſſitas, ſed voluptas. Lib.* 1. *Conf. c.* 12. Nemo inuitus benè facit. *Lib.* 7. *c.* 4. Non cogeris inuitus ad aliquid: quia voluntas tua non eſt maior potentiâ tuâ.] Nec videatur tam hìc, quàm libris contra *Fortunatum, & Felicem*, & lib. 1. Operis imperf. ſupra col. 344. n. 106. non comparari neceſſitatem peccandi ex concupiſcentia, cum conſuetudine, ad æqualitatem, ſed tantùm ad ſimilitudinem. Quia non eſt comparatio inter ea quæ ſunt diuerſi generis: ergo non compararet neceſſitatem concupiſcentiæ, & conſuetudinis, niſi vtraque eſſet eiuſdem generis moralis, ſeu grauis difficultas, quantumuis grauior reſiſtendi concupiſcentiæ, quàm conſuetudini acquiſitæ. Vt expreſſius *lib.* 2. contra Felicem, cap. 8. *Si voluntas eſt in peccando, natura non eſt quæ cogat: ſed ſi quid infirmitatis patiuntur qui non poſſunt implere quod volunt*, Rom. 7. *manifeſtum eſt hoc veniſſe de traduce primi peccati* Adam, *& de conſuetudine mala. Nam hodie libera voluntate faciunt homines conſuetudinem, quam cùm fecerint facilè ſuperare non poſſunt.* Vbi, *Si quid infirmitatis patiuntur*: plurimum diſtat à neceſſitate abſoluta. *De Traduce, & conſuetudine mala*: non tantùm comparat, ſed conflat vtramque in vnam maiorem difficultatem; ergo prior non eſt abſoluta, nec alterius generis. *Nam hodie, &c.* i. Si ſola conſuetudo à nobis acquiſita non poteſt facilè ſuperari: quantò difficiliùs concupiſcentia innata, conflata cum conſuetudine mala? *Ad cap.* 9. Reſpondet ipſemet *B. Aug.* ibidem: *Non eſt monſtrum, partim velle, partim nolle, ſed ægritudo animi; quia non totus aſſurgit veritate ſubleuatus, conſuetudine prægrauatus. Et ideo ſunt duæ voluntates: quia vna earum tota non eſt; & hoc adeſt alteri, quod deeſt alteri.* Ad lib. 9. *cap.* 1. Erat ergo & ante liberum Arb. ſed ſub tanta mole vitiorum: vt non poſſet aſſurgere ad ſtatum perfectum, niſi leuaretur; ſed benè ad actus aliquos imperfectos, de quibus ſupra.

Ad 9. vt ſupra ex *Al. q.* 118. Vel de finali tandem & publica punitione: non tantùm pro culpa Diaboli liberè inchoata; ſed eadem pertinaci libertate continuata, & in plures ac plures effectus culpabiles multiplicata. Cùm enim peccatum actuale primi Parentis nobis imputetur ad culpā, & pœnam originalem: quantò magis quilibet actus malus Diaboli eidem imputetur ad culpam actualem, & pœnam æternam, ex vi primæ libertatis flexibilis & pertinaciter ad malum proſtitutæ? Nam *Diabolus* longè diſtinctiùs, & liberiùs præuidit ac præuoluit omnes ſuos futuros malos actus ex illo primo, quàm *Adamus*. Cùm anima humana peccet etiam per omnes actus ſuos imperatos, & per aliquam neceſſariam continuationem actus eliciti: cur non Diabolus per omnes ſuas prauas voluntates, liberiùs procedentes à prima, quàm actus noſtri imperati ab elicito, vel huius continuatio ab initio. Nec obſtat quòd *B. Aug.* ſupra id neget de inobedientia *Pharaonis* obdurati. Tum quia eſt maior libertas, libido, ac malitia Dæmonum ad peccandum. Tum quia negat *Pharaoni* imputatam fuiſſe illam inobedientiam, ad quàm iam obduratus erat: non autem alia mala, inter quæ, vel maiora aut minora, erat adhuc flexibilis. Et ſic de Diabolo reſpectu primi peccati in quo obduruit, & aliorum inter quæ eſt adhuc flexibilis.

Ad 10. Voluntas peccando minùs minùſque viget: non tam minutione virium interiorum, quàm augmento & mole vitiorum; nec poteſt minui vſque ad nihilum virium ſuarum, niſi vſque ad nihilum ſuæ naturæ. Nec aliud intendit *B. Aug.*

Ad 11. Peſſimæ voluntates non poſſunt excedere quoſdam determinatos appetitus naturales: non tantùm alienos, ſed nec proprios; vt appetitum naturalem boni, auerſionem mali, &c. Imò nec poſſunt excedere quandam limitationem, & moderationem malitiæ ſuæ ab ipſo Deo: non tantùm circa effectus externos, ſed etiam circa actus internos. Vt infra.

Ad 12. Non reuocat in dubium an liberum Arb. ſit illa media vis, &c. quam pro certo ſupponit eſſe; ſed an fortè hæc ſufficiat ſoluendæ quæſtioni. Vt patet ex contextu.

Ad 13. Fatetur non poſſe caueri omnia: ſed ſingula. Quia non eſt obligatio ſpecialis vitandi omnia, niſi per ſingula. Nec neceſſitas aliquando peccandi

peccandi eſt pluſquam moralis, ſeu difficultas humano modo inſuperabilis. Nec eſt neceſſitas peccandi aliquando mortaliter, ſed venialiter: non tantùm quia venialia maiori multitudine irruunt ac obruunt; ſed etiam quia non requirunt tantam deliberationem ac libertatem, cuius defectu ipſa mortalia ex genere proprio, fiunt tantùm venialia. In quem ſenſum *B. Cypr.* Lib. de immortalitate. *Obſeſſa mens hominis, & vndiq; diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit, &c.* apud *B. Aug.* 2. contra Iul. cap. 8. *S. Hier.* ſupra *col.* 323. Poſſibilia præcepit Deus, fateor, &c. ibi. *col.* 326. Et nos dicimus poſſe hominem non peccare ſi velit, &c. ibi digniſſima relectione. Nec obſtat, ſed potiùs fauet *Scotus* noſter ſupra, *in* 2. *d.* 28. Quia non impugnat opinionem communem, de libertate cauendi ſingula, non omnia: ſeu de quadam neceſſitate morali peccandi aliquando venialiter, ex nimia difficultate conãdi ſemper vſque ad vltimum potentiæ, & nulla ſpeciali obligatione cauendi omnia ſimul, ſed tantùm ſingula, aut quæ ſimul occurrere, aduerti, & aliquando modo caueri poſſunt; ſed in ſenſu quo omnia ſimul occurrerent, aut plura quàm vllo modo aduerti aut caueri poſſent.

Ad 14. Cicero vt faceret homines liberos, fecit ſacrilegos: negando præſcientiam & prouidentiam Dei, ad ſaluandam libertatem hominũ. Cùm hæc ab illa non violetur: ſed ſuauiter conſeruetur, ac infallibiliter dirigatur. Nec *B. Aug.* vocat illam huius fatum: ſed potiùs, quàm fatum Stoicorum, vt patet ex textu. Quod autem *noſtræ voluntates tantum valent, quantum Deus eas valere voluit atq; præſciuit*: vel eſt eas non habere plus virium naturalium, quàm à Deo acceperint; vel non habere plus virium permanentium quàm Deus eis conſeruet; vel non habere plus virium auxiliarium, quàm Deus eis continuò tribuat, vel eis ab æterno decreuerit; vel non plus boni poſſe quàm Deus ab æterno præfinierit, imò nec plus mali quàm Deus permiſerit & limitauerit. De quibus in 1. De Prædeſtinatione, & Reprobatione: ac in 3. De gratia Chriſti efficaci.

Ad 15. *Tunc eſt verè liberum* .i. perfectè, & libertate morali à ſeruitute: ſine præiudicio alicuius libertatis naturalis & flexibilis, etiam in ſeruiendo vitijs. *Tale datum eſt à Deo: quod amiſſum, &c.* Vtique quale erat datum, ſeu quoad ſuam perfectionem: nec illud poteſt reddi niſi à Deo.

Ad 16. Liberatio ab omni delectatione peccandi, vſque ad delectationem indeclinabilem non peccandi, eſt perfectiſſimæ ac beatæ libertatis: nec tamen contra veram libertatem non peccandi; quia vt delectatio peccandi non neceſſitat abſolutè ad peccandum, ſic nec vlla delectatio non peccandi ad non peccandum. Sed illa indeclinabilitas eſt formaliter per fruitionem beatificam: cauſaliter ab ipſo Deo indeclinabiliter delectante, & vt ita dicam fruificante: flexibilitas autem ad peccandum, non eſt de eſſentia, nec de perfectione, ſed imperfectione voluntatis defectibilis viatorum.

Ad 17. Non vult peccari, amore peccandi, ſeu ipſius peccati: cùm hoc vix, aut ne vix amari poſſit; ſed tantum ex amore obiecti, & actus aut non actus proprij Qui hoc ipſo quo liberè fit, aut non fit, eius fieri aut non fieri placet voluntati. Nã non poteſt conſentiri à voluntate in ſuum velle & nolle: quin hoc ipſum ei placeat. Vnde prima ratio quæ reddi poteſt, ſoletque, liberè agendi, eſt quia ſic placet. De qua complacentia, & delectatione volendi & nolendi, poteſt intelligi *B. Aug.* cùm videtur tribuere totã vim volendi aut nolẽdi ſoli delectationi: non autem de quadam delectatione diſtincta, præuia, & motiua ad volendum vel nolendum. Nam multa volumus, nolumus & agimus, bona & mala, bene & male, ex ſolo motiuo timoris & doloris, ſine vlla delectatione motiua: ſed nihil liberè, ſine delectatione, complacẽtia, ſeu conſenſu volendi aut nolẽdi. Hinc *B. Aug.* per hæc: *Peccant maximè omnes qui cum delectatione peccant, &c.* vel excipit aliquos minùs peccantes, ſine amore peccandi; vel exprimit maximã cauſam peccandi, quia placet peccare, ſeu agere quod eſt peccatum; nec peccari poteſt niſi ſic placeat, ſeu niſi voluntas conſentiat non tantùm obiecto, nec tantùm ſenſui aut intellectui, ſed etiam propriæ libidini, ſeu libertati volendi vel nolendi quicquid libet.

Ad 18. Vt *ad* 3. Nec *Iul.* inſtat pro aliqua tantùm, ſed pro integra & æqua libertate naturali ad bonum, ac ad malum. Nec *B. Aug.* improbat omnia illa *Iuliani*: ſed quædam expreſsè approbat & perficit. Vt n. 99. *A quo homo incipit vti voluntatis arbitrio, & peccare, & non peccare poteſt: ſed alterum nonniſi adiutus à Deo, alterum propriâ voluntate.* Nec comparat noſtram libertatem, & quandam neceſſitatem peccandi, libertati & impoſſibilitati Dei non peccandi, niſi ad aliquam ſimilitudinem. Cuius maximam diſſimilitudinem ſic exprimit n. 106. *Cur non creditis tantùm ſaltem valuiſſe illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, vt vitiaretur vniuerſa natura humana: quantum valet nunc in vno homine ſecunda natura .i. conſuetudo?*

Ad 19. Perdidit liberum Arb. .i. primum ac perfectum, imò & liberum ſimpliciter, pro ſuo principali ſignificato, ſeu perdidit illam eius perfectionem: non autem omnem flexibilitatẽ propriam inter bonum & malum, vel magis minúſue. Vt patet ex ipſa ſimilitudine occidentis ſeipſum: qui vt non amittit ſubſtantiam corporis ac animi, ſed tantùm vitam; ſic peccando non perijt liberũ Arb. niſi quoad vitam gratiæ, & maiorem vim naturalem, de qua ſat ſupra. Nam vt *Iac.* 2. Fides ſine charitate comparatur corpori mortuo, ſeu ſine anima, quod tamen reuera manet corpus: ita hìc liberum Arb. poſt peccatum, ſine gratia corpori occiſo. Ergo vt fides ſic mortua, eſt vera fides: ita & liberum Arb. ſine gratia eſt verum liberum arb. quantumuis imperfectum. Reliqua ſunt de amiſſâ libertate morali à ſeruitute peccati: quamuis non ſine libertate naturali etiam flexibili, & liberè inflexa ad malum. Quæ non negatur per hæc: *Qualis quæſo, &c.* Sed potiùs ſupponitur, & vt vitioſa qualificatur. Nec alienatur à proprietate libertatis, per *liberam ſeruitutem* quia libertas vitioſa, eiuſque abuſus, eſt quædam etiam vitioſa liberalitas, ſeu prodigalitas ſuiipſius in ſeruitutem peccati.

Ad 20. vt *ad* 3. & 18. Imò dum tantùm diſtinguit inter libertatem flexibilem ad bonum ac malum, & futuram beatam ac inflexibilem ad malum: ſatis indicat libertatem viatoris fuiſſe ſemper & eſſe flexibilem ad bonum & malum. Nec *oportuiſſe ſic fieri hominem, &c.* reſtringit ad ſolum primum, ſed extendit ad omnem. Comparatio autem illa libertatis inflexibilis Beatorum ad malum, cum libertate *quâ Beati ſic eſſe volumus, vt non poſſimus velle contrarium:* non fit æqualiter, ſed ſimiliter. Nam certum eſt libertatem noſtram volendi beatitudinem, & nolendi miſeriam, eſſe ſaltem flexibilem contradictoriè, ſeu ab actu ad non actum, & è contra: imò videtur eſſe flexibilis contrariè, ſeu inter veras, & falſas, ſeu apparentes beatitudines ac miſerias. Hinc ſaltem patet veram libertatem non tantùm verſari circa media: ſed etiam circa finem vltimum ſaltem in communi.

Ad 21. *Qui vult facere, & non poteſt, &c.* i. perficere, vt *Rom.* 7. idque ex charitate meritoria, ad finem legis. Vt *habet voluntatem bonam, ſed adhuc paruam & inualidam:* ſic & libertatem ad bonum incipiendum, & perficiendum, per gratiã.

Ad 22. Deus reliquit gratiam ſuam in libero Arb. *Adæ:* vel vt in noſtro, vel pluſquam in noſtro; quia tunc erat maior vis liberi Arb. quàm nunc; & nunc maior vis gratiæ actualis, quàm tunc; vel tunc erat maior vis liberi Arb. quàm gratiæ, ad ea vtendum vel non; nunc autem eſt maior vis gratiæ ſaltem efficacis quàm liberi Arb. ad illud inclinandum. Hinc cap. 12. *Fortiſſimo.* i. Adamo vt tunc, *permiſit facere quod vellet:* non tamen ſine gratia neceſſaria & ſufficiente; *Infirmis autẽ.* i. nobis *ſeruauit* gratias efficaciores quàm illi, imò & quibuſdam ſaltem abſolutè efficaces. Vt *infra, & in* 3. De gratia Chriſti, ſeu per Chriſtũ.

Ad 23. Vt ſupra ad *Ad* 11. Deinde: *Non eſt in eorum poteſtate; ſed Dei diuidentis & ordinantis tenebras:* ſatis indicat quandam confuſam & quaſi infinitam malitiam potentialem peccandi, non poſſe totam ſimul prodire in actualem; nec ſeipſam moderari aut limitare ad hanc vel illam grauitatem, materiam, circumſtantias; aut vllum aborſum parere, niſi Deo relaxante, moderante, limitante, &c.

Ad 24. Non negat eſſe in viribus auxiliarijs liberi Arb. per gratiam: Nec ait fuiſſe in homine ante lapſum ſine gratia; ſed tunc fuiſſe ad hoc maiores vires naturales liberi Arb. quàm nunc, quamuis inſufficientes ſine ſpeciali gratia. *Quæ,* inquit, *libertas prima, quantum valuerit, apparuit in Angelis perſeuerantibus, &c.* nonniſi ex gratia; ſed quali ac quantâ, ſupra *à col.* 260. *ad* 267. *Poſt caſum autem hominis: nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, &c.* i. Non ſine conſenſu & cooperatione noſtri liberi Arb. vſque in finem: ſed nonniſi per maiorem gratiam, ſeu magis gratuitam, magiſque efficacem; imò & per ſolam gratiam finalem. Vt enim Deus ſine nobis operatur, præueniendo nos ad omne bonum incipiendum: ſic & ſine nobis, ſeu ſine vlla noſtra cooperatione ſolus finit & claudit hanc vitam & viam noſtram in ſtatu gratiæ; non caſu aut neceſſitate naturæ, ſed ſpeciali & maximâ gratiâ ſuæ prouidentiæ ſupernaturalis. Niſi quòd prima gratia præueniens non poſſit eſſe ex vllo merito aut diſpoſitione præuia: ſed hæc vltima & maxima beneficentia Dei gratuita, poſſit eſſe ex præuijs meritis de congruo. Vt patet *ex lib.* De dono perſeuerantiæ, cap. 6. *Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt: ſed cùm datum fuerit, amitti non poteſt.* De quo ſub prædeſtinitione, & gratiâ efficaci.

Ad 25. Intellige 1. De neceſſitate habendi peccatum commiſſum aut contractum, donec per gratiam Dei remittatur. 2. De communi neceſſitate morali aliquando peccandi. 3. De neceſſitate particulari alicuius ſuppoſitionis, compoſitionis, conſequentiæ, continuationis, & demerito perſonali. Hinc *Cap.* 6. *Si vitari non poteſt, præterita voluntas hoc fecit,* vtique necdũ per pœnitentiã reuocata: nam addit, *& tamen vitari poteſt; non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adiuuatur.*

Ad 26. *Quis me liberabit? Gratia Dei per* IESVM *Chriſtum*, Rom. 7. *Cur non dixit potiùs, per meum liberum Arb. niſi quia libertas ſine gratia, non eſt libertas, ſed contumacia?* Non quaſi nulla eſſet libertas: ſed vitioſa. Nam paulò ante dixerat, q. 2. *Liberum Arb. ideo innatur, quia non tollitur, &c. Niſi petiſſet, quantùm poſſet voluntas? Quia etſi poſſit antequam petat: quid ei prodeſt, niſi Deo gratias agat?*

Ad 27. Ibidem. *Noli libertate abuti ad liberè peccandum: ſed vtere ad non peccandum. Erit enim voluntas tua libera, ſi fuerit pia.* Illud de libertate vt flexibili: hoc de libertate à ſeruitute peccati.

Ad 28. Liberum Arb. peccando amiſit *magnas illas vires:* non autem ſeipſum, nec omnem ſuam vim naturalem. *Ad.* 29. *Liberum Arb. ſine Deo eſt malum:* non entitatiuè & actualiter; ſed potentialiter, defectiuè, & abuſiuè. *Ad* 30. *Paleæ,* ſeu Reprobi, iam vltimò euentilatæ: *non habent ampliùs liberum Arb.* ad vllum bonum; ſed de necdum finaliter euentilatis, ait *cap.* 5. *Qui fuit heri palea, ſi vult hodie ſit frumentum.*

Ad 31. Liberum Arb. ſine gratia *nihil eſſe, nihil poſſe, nihil valere, niſi ad malum* .i. moraliter, tam parùm ac nihil. Sic enim ſeipſum *Aug.* explicat 1. *Retr.* 15. *Quantùm eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate: niſi fortè ſi pia eſt vt oret auxilium?* i. quantillum. 1. *Retr.* 26. *in q.* 68. *Parum eſt velle, niſi Deus miſereatur.* Lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Liberum Arb. plurimum valet: imò eſt quidem, ſed in venundatis ſub peccato quid valet?* Lib. De perfectione Iuſt. cap. 2. *Parum eſt ad non peccandum voluntatis arbitrium, &c.* Epiſt. 143. ad Iulianum. *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det,* Sap. 8. *Aut ſi propter liberum Arb. aliquantum & ex illo; non tamen niſi ex illo.* Serm. 12. De verbis Apoſt. c. 3. *Pars aliquantum libera reſiſtit reliquijs ſeruitutis. Serm.* 15. *c.* 11. Totum ex Deo: non quaſi dormientes, non quaſi non conemur, &c. Vt & *lib.* 2. *De pecc. mer. & rem.* Non ſicut in lapidibus Deus ſalutem noſtram operatur in nobis. *De actis Pel. c.* 3. Qui agitur à Deo, agere vix intelligitur. Nec *c.* 6. *De dono perſeu. ſupra col.* 381. negat bonum fieri à nobis ex parte .i. cooperando: ſed vult totum eſſe à Deo, præueniendo, & eleuando vim natu-

naturalem ad idem opus bonum etiam ſupernaturale. Hinc conciliandæ ſunt quædam ſententiæ quaſi ex Aug. cum Cenſuris *Pij* 5. *Gregorij* 13. & nunc Vrbani 8. in ſimiles Baij. Vt in hanc 27. *Liberum Arb ſine gratia Dei adiutorio, nonniſi ad peccandum valet.* 28. *Pelagianus eſt error dicere, quod liberum Arb. valet ad vllum peccatum vitandum* Quæ videntur verbatim *B. Aug.* Sed vt elychnium ardens in candela lucet, emunctum fumat & fœtet: ſic & quædam ſententiæ contextæ, quaſi animantur & lucent ſenſu communi totius textus, quæ ſola præciſione quaſi emoriuntur, extinguuntur & malè olent. Vt illa 27. ex lib. De ſpiritu & littera cap. 3. præciſa à toto contextu: tum quia in contextu *Aug.* debetur ei ſenſus verus & Catholicus, non ſic extra. Tum quia ex contextu ſatis determinatur ad ſenſum Catholicum: quòd ex ſe non ſufficiat ad vllum bonum: (Id enim ſonat verbum valere;) non autem quin habeat aliquantulam vim naturalem cooperandi gratiæ Dei ad bonum, in quo ſenſu apparente cenſuratur. Nec hunc ſenſum aut cenſuram patitur illud *B. Aug.* Tract. 5. in Ioan. *Nemo habet de ſuo; niſi mendacium & peccatum, &c.* Non ſolùm quia eſt aſſumptum in *Canonem* 22. *Conc. Arauſ.* ſed quia nil aliud habere de ſuo .i. vt ex ſe, à ſe, & in ſe ortum; ſed nil aduerbialiter poſſe, negat quantillamcumque potentiam, ſeu vim naturalem cooperandi gratiæ Dei ad bonum. Quomodo autem eleuetur ad cooperandum, ſupra ſuam naturam: *Infra*, de Gratia. Præter alios ſenſus huius ſententiæ, præ illa.

Ad 31. *B. Aug.* non cenſet vllos viatores excœcari & obdurari ad omnia, pro toto reliquo ſuæ vitæ & viæ: ſed tantùm ad aliqua immediatè, vel fortè ad omnia pro aliquo tempore, imò aliquãdo finaliter ad ipſorum ſalutem. Vt patet ex *Tract.* 53. in *Ioan.* ſupra 372. *q.* 18. in *Exod. col.* 385. Et *Quæſt.* 14. *in Matt.* 13. Oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant, &c. *Marc.* 4. Ne quando cõuertantur. *Ioan.* 12. Excœcauit oculos eorum vt non videant, &c. An fortè non abſurdè dicimus quoſdam Iudæorum fuiſſe ſanabiles: ſed tanto ſuperbiæ tumore periclitatos, vt eis expedierit 1. nõ credere; & ad hoc fuiſſe cœcatos vt non credẽtes cũ cæteris deſperatis crucifigerent Chriſtũ, atq; ita poſt eius Reſur. conuerterentur? *Act.* 2. Nam quibus non profuit illa cœcitas ad conuerſionem? *Eſa.* 28. In alijs linguis loquar populo huic: & nec ſic me exaudient. Non diceretur, *nec ſic, &c.* niſi ad hoc fieret vt vel ſic exaudirent. Nam & medicamenta priùs affligunt, quàm ſanent.

Ad 32. Non contra libertatem ad malum, & aliquantùm ſeu paululùm ad bonum: ſed contra libertatem Pelagianam *paribus momentis*, ſeu ex *æquâ lance ad bonum & malum*, vel ſaltem difficulter ad aliquantũ bonum, vel denique aliquantùm ſeu aliquamdiu ad bonũ. Nam ex ſe, nec aliquamdiu, nec aliquantum boni poteſt: ſed aliquantum ſeu paululum poteſt cooperari gratiæ ad bonum. Vt patet ex his à Pelagio confeſſis: *Faciliùs impletur per gratiam bonum, facillimè ſine gratia fit malum*: & ex hoc illato *B. Aug. Profectò iſta poſſibilitas non æqua lance perpenditur.* Nec obſtat quod addit, *Sine gratia ad non peccandum nihil valet voluntatis arbitrium*: quaſi opponens hoc *nihil valere*, illi *aliquantum valere*. Quia *valere* ſimpliciter, ſignificat perfectionem ac ſufficientiam: ideoque *nihil valere* negat illum valorem ſimpliciter; ſed aliquantùm valere reſtringit illum valorem ad valdè parum, ſeu quaſi nihil.

Nec *S. Bernardus* aliud intendit toto ſuo admirabili opere, De gratia & libero Arbitrio: in quo profitetur ſe fuiſſe intimum diſcipulum *B. Auguſtini*, & condiſcipulum eiuſdem Veritatis. Sed quia nuper quidam Anonymus, ſub tranſperante Anagrammate *Ranutij Higati*, emunxit potiùs ex ſuo cerebro, quàm elicuit ex illo *S. Bern.* Libro, Commentarium mihi & alijs, ſed præcipuè proprio Authori iniurioſum: ne videamur Monomachi, vel Monachomachi, parcamus iniurijs; ſed corrigamus eius errores, & vendicemus ab eius commentis *S. Aug. S. Bern.* Immaculatã Conceptionẽ B.M.V. ipſamque Eccleſiam ac veritatem Catholicam.

In Librum S. Bernardi, De Gratia & libero Arb.

Exordium. *Loquente me coram, & Dei in me gratiam commendante, quod ab ipſa me in bono & præuentum agnoſcerem, & prouehi ſentirem, & ſperarem perficiendum, &c.* Ergo ex occaſione gratiæ ſpecialis Sanctorum, ad omnem gratiam neceſſariam. *Quid tu ergo, ait vnus, operaris? Aut quid mercedis ſperas vel præmij, ſi totum facit Deus?* Infra. *Quid agit liberum Arbitrium? Breuiter reſpondeo: Saluatur, &c. Deus eſt author ſalutis: liberum arbitrium tantùm capax, &c: Tam abſque conſenſu non poteſt eſſe accipientis*: non ſolum paſſiuè ſeu ſubiectiuè, ſed moraliter per conſenſum: *quàm ſine gratia dantis. Et ita gratiæ operanti ſalutem, cooperari dicitur liberum Arb. dum conſentit .i. dum ſaluatur: cõſentire enim ſaluari eſt.* Hinc, & ab exordio patet agi de conſenſu in gratiam præuenientem: qui non tantùm eſt ſalutaris, ſed etiam prima ſalus actualis, vitalis, & libera: cùm non poſſit eſſe conſenſus, niſi ſit ipſius voluntatis conſentientis, & hoc ipſo cooperantis. Sed cum quiuis vſus libertatis, ſit quidam conſenſus vel diſſenſus: non denominatur à ſenſu, ſed à ſententia, ſeu reſolutione & determinatione propria voluntatis, diſtinguiturque propriè ab aſſenſu intellectus. Quia intellectus & voluntas habent diuerſa motiua, & hæc diuerſum modum mouendi ad aſſenſum, & conſenſum. Nam intellectus noſter neceſſariò & naturaliter mouetur, ſeu determinatur à ſenſibus externis & internis, ab obiectis ſenſibilibus & intelligabilibus, varijs rationibus veris vel apparentibus, imò & ab ipſa fortè voluntate: ad aliquam primam apprehenſionem, vel aſſenſum, ſeu iudicium ſimplex, aut illatum, de aliquo obiecto propoſito. Voluntas autem non mouetur naturaliter, nec neceſſariò: ſed tantùm moraliter & finaliter, ſeu inclinatur ad conſentiendum ſuis motiuis. Quæ ſunt. 1. In nobis quidem, ſenſus interiores & exteriores, eorumque ſenſibilia. 2. Appetitus ſenſitiuus, & eius appetibilia: per ſympatiam, & radicationem in eadem anima. 3. Intellectus & omnes eius rationes intelligibiles,

Digitized by Google

ligibiles, veræ vel apparentes. 4. Habitus voluntatis, geniti ex actibus prioribus, inclinant ſeu facilitant ad actus ſimiles. 5. Paſſiones mediæ inter habitus & actus, quaſi titillant voluntatem ad eliciendos actus ſibi affines. 6. Ipſamet voluntas potentialis, & actualis, mouet ſeipſam non tantùm realiter, ſed etiam obiectiuè & finaliter: à non actu ad actum, vel ab vno ad alium, vt ab intentione ad electionem, & executionem; ex affectu proprio voluntatis ad ſeipſam, & ad ſuam in operando libertatem, præ omnibus motiuis ſibi extrinſecis, ſaltem naturalibus. Nec tamen hoc motiuo finali ſui ipſius neceſſitatur aut determinatur ad conſenſum: ſed vt Domina etiam ſui ipſius, liberè & flexibiliter determinat ſeipſam ad conſentiendum vel diſſentiendum actu, ſingulis, vel omnibus ſuis motiuis naturalibus ſimul, imò & ſibiipſi, ſeu proprio affectui ad ſeipſam, & ad liberum vſum ſui ipſius. Qui licet poſſit diſtingui in conſenſum & diſſenſum, ad alia motiua inter ſe oppoſita: conſiſtit tamen in ſolo conſenſu ad ſeipſam, ſeu ad proprium affectum. Hinc quiuis vſus actualis libertatis ei placet: imò hoc ipſo eſt conſenſus liber, quo placet conſentienti, &c. vt ſupra *col.* 249. 452.

7. Sunt motiua ſupernaturalia, ſeu gratiæ gratuitæ, & gratioſè inclinantes, facilitantes, & ſupplentes impotentiam voluntatis: cauſaliter, formaliter ſeu diſpoſitiuè, obiectiuè ſeu finaliter; & ſympaticè, ad conſentiendum Deo & eius gratiæ pluſquam ſibi ipſi, in obiectum & finem ſupernaturalem; ſine neceſſitate tamen abſoluta conſentiendi, aut impotentia diſſentiendi, vt infra ſub proprio titulo.

Aliud eſt voluntarius conſenſus, aliud naturalis appetitus, &c. Vbi conſenſus, ibi voluntas, ibi libertas eſt. Conſenſus .i. actualis, *eſt nutus voluntatis ſpontaneus* .i. vt *B. Aug. q.* 8. ex 83. *Eſt motus animæ ſpontaneus*, qui etiam 7. *in Gen. c.* 21. & alibi ſæpè dicitur *nutus* .i. quædam emicatio actualis, voluntatis potentialis. *Spontaneus*: non ex quauis inclinatione, vel impetu naturali; ſed ſolo proprio motu, libitu, ſeu placito rationali. *Conſenſus* virtualis, *eſt habitus animi liber ſui*. Non vt diſtinctus à potentijs: ſed eſt habilitas, ſeu facilitas pro libitu operandi. Vt *Al. p.* 2. *q.* 73. *& S. Bon. in* 2. *diſt* 25.

Voluntas eſt motus rationalis, & ſenſui præſidens, & appetitui. Habet quocumque ſe voluerit, ſemper rationem comitem, &c. non quod ſemper ex ratione, ſed nunquam abſque ratione moueatur, &c. Eſt verò ratio data voluntati, vt inſtruat illam, non deſtruat: deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei vllam imponeret; quo minùs liberè pro arbitrio ſeſe volueret, ſiue in malum conſentiens appetitui, ſiue in bonum gratiam ſequens, &c. Si, inquam, horum quodlibet, prohibente ratione, voluntas non poſſet: voluntas non eſſet. Vbi quippe neceſſitas, iam non voluntas, &c. Quid expreſſiùs pro libertate flexibili ad bonum vel malũ?

Talis conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium. Non incongruè dicitur liberum Arb. ipſe .i. conſenſus *liber ſui* .i. in conſentiendo, *propter*, ſeu per *voluntatem*; *ipſe iudex ſui, propter*, ſeu per *rationem*. Hinc noſter *Al. p.* 2. *q.* 73. *S. Bon. in* 2. *d.* 25. docent liberum Arb. eſſe voluntatis & intellectus coniunctim, ſed principaliter voluntatis: dicique liberum à voluntate, arbitrium à ratione; & conſenſum inter voluntatem & rationem, vel etiam inter voluntatem & appetitum ſenſitiuum. *Quia impoſſibile eſt de ſeipſa, ſibi non obedire: nemo quippe non vult quod vult, aut vult quod non vult: eſt etiam impoſſibile ſuâ priuari libertate. Poteſt quidem mutari voluntas: ſed nonniſi in aliam voluntatem; vt nunquam amittat libertatem. Tam ergo non poteſt priuari illâ, quàm nec ſeipſâ.* Hinc patet libertatem creatam non eſſe ex ſe inflexibilem, ſed flexibilem: non tamen niſi à non actu ad actum proprium, vel ab vno actu proprio, ad alium etiam proprium. Hic eſt enim ſenſus non compoſitus, & quaſi ridiculus: quòd *voluntas non poſſit non velle quod vult, aut velle quod non vult*; ſed quod non poſſit velle niſi actu proprio volendi, nec velle nolendo, nec nolle volendo, &c. quia hoc eſt contra eſſentiam voluntatis, & volendi. Vt ex *B. Aug. q.* 8. *ex* 83. *Si volumus, non alius de nobis vult*: ſeu noſtro actu volendi; ſed noſipſi .i. formaliter & totaliter. Nam Deus vult cauſaliter per nos, quod facit nos velle. Ex S. Script. *B. Aug.* & Conc. Arauſ. Can. 23. *Quando homines ita faciunt quod volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati: quamuis volentes agant quod agunt; illius tamen voluntas eſt, à quo præparatur & iubetur quod volunt.* Et ex ipſo *S. Bern.* ad Fratres de Monte Dei: *Amans ſeipſum de homine Deus, &c.* .i. etiam per hominem. *Hinc eſt quod inſanis, vel infantibus, & dormientibus, nihil quod faciunt imputatur: quia vt ſuæ non ſunt compotes rationis, ſic nec vſum retinent propriæ voluntatis, ac per hoc nec iudicium libertatis. Cùm ergo voluntas nihil habeat liberum niſi ſe: meritò non iudicatur niſi ex ſe, &c. Cuiuſmodi voluntarium liberumque conſenſum; puto eſſe quod ſolet liberum Arb. appellari: vt liberum referatur ad voluntatem, arbitrium ad rationem, vt* Al. *&* S. Bon. *ſupra. Infra.* De triplici libertate. 1. *A neceſſitate*, ſeu *naturæ*: *quæ propriè dicitur libertas arbitrij*. 2. A *peccato*, ſeu *gratiæ*, vel *conſilij*. 3. A *miſeria*, ſeu *gloriæ*, vel *complaciti, &c. Solus Chriſtus ſibi vendicat libertatem à culpa: non actu à miſeria, ſed potentia.* Hinc & aliunde ex *S. Bon. Rannutius* ſub finem ſui commentarij, *à pag.* 289. *ad* 296. captat occaſionem impugnandi Conceptionem Immaculatam B. MARIÆ Virginis: indignè explodendo quandam piam interpretationem *R. D. Angeli Manriquez*, primarij Doctoris ex Ordine Ciſtertienſi, in Academia Salamanticenſi; quod *S. Bern.* non neget Conceptionem B. M. V. quoad ipſam animationem, fuiſſe immaculatam; ſed quoad generationem corporis concupiſcibiliter. Quaſi hæc concupiſcibilitas in corpore non poſſit dici macula: cùm tam ſæpè ab *Apoſtolo* vocetur peccatum materialiter. Vel quaſi hæc ipſa verba *S. Bern. Solus Chriſtus ſibi vendicat libertatem à culpa*: non clarè reſonent ſuam expoſitionem, de vendicatione iure & virtute propriâ; deque libertate non liberata, ſed omnes liberante, & præ omnibus ſuam matrem propriam perfectiùs per præſeruationem, quàm per vllam aliam remiſſionem. Vt patet ex *B. Aug. lib.* 2. *Conf. cap.* 7. *Hom.* 23. ex 50. & alibi ſæpè de perfectiori remiſſione pec-

catorum per præſeruationem, quàm aliter. Sed *Ranutius* meretur potiùs cenſuras *Pij* 5. *Greg.* 13. *Vrb.* 8. contra *Prop.* 69. 70. *Baij*, & pœnas ipſo facto latas & publicatas à *Paulo* 5. contra omnes verbo vel ſcripto impugnantes Conceptionem Immaculatam B. V. M. quàm vllas alias rationes, probationes, aut reſponſiones.

Libertas à neceſſitate æquè Deo conuenit, & tam bonæ quàm malæ creaturæ rationali, &c. Nam vt conſenſus ad bonum per gratiam conuerſus, eo liberè bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntariùs efficitur, non inuitus pertrahitur: ſic ſponte deuolutus in malum, in malo tam liberum quàm ſpontaneum conſtituit, &c. Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiam fit captiuitas mentis: tam plena in malis quàm in bonis, ſed in bonis ordinatior; tam integra ſuo modo in creatura, quàm in Creatore, ſed in illo potentior, &c. Hîc *Ranutius* indignè conſpuit *S. Bern.* hoc reprobo commento pag. 52. *Siue Deus vult permanere bonus, neceſſariò hoc vult: ſiue creatura quæuis diligit Deum per gratiam, neceſſariò diligit; ſiue odit per concupiſcentiam, neceſſariò odit. Nihil enim iſtorum poteſt non facere, hoc ipſum quod facit, &c. Nam liberè nihilominus facit hoc ipſum quod neceſſariò ſic facit. Pag.* 152. Negat expreſsè omnem libertatem indifferentiæ inter bonum & malum, ſiue æqualiter, ſiue inæqualiter, vt contrariam toti Doctrinæ *S. Bern.* imò & Pelagianam. *Hac*, inquit, *Bernardi doctrina reyciuntur Pelagiani, eorumq́ reliquiæ: quorum hoc erat vnanime ſentimentum, indifferentiam ad rationem ſpectare libertatis Arbitrij. Pag.* 161. *Ex ſola libertate eſſentiali peccari poſſe, &c. nec aliter peccari quotidiè dicimus, & quidem demeritoriè, &c.* Quæ coincidunt cum impotentia ſeruandi mandata Dei. Quibus omnibus & ſingulis quid expreſſiùs contra cenſuras *Pij* 5. *Greg.* 13. *Vrb.* 8. in has Prop. D. Baij. 38. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* 52. *Definitiua hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur* Auguſtino, *cùm ſit* Pelagij. 63. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* 64. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.* Et in 39. 48. 49. 72. Quòd motus concupiſcentiæ neceſſitent ad conſenſum, vel ſint peccata ſine conſenſu. Imò & contra expreſſas definitiones ſacri Conc. Trid. ſeſſ. 5. Can. 5. *Manere in baptizatis concupiſcentiam, hæc S. Synodus fatetur: quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Chriſti* Iesv *gratiam repugnantibus, non valet. Hanc cùm Apoſt. peccatum appellat, S. Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, Anathema ſit.* Seſſ. 6. cap. 5. *Tangente Deo cor hominis, neq́ homo ipſe nihil omnino agit, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt: neq́ tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiā coram illo libera voluntate poteſt.* cap. 11. *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus ſub Anathemate prohibita voce vti debet: Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia.* Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis Arb. à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atq́ vocanti, quoad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat: neq́ poſſe diſſentire ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere; Anathema ſit, &c.* Can: 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, &c. Anathema ſit.* Can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, Anathema ſit.* Quo ſenſu rationabili poſſunt illa *Ranutij*, ab his Cenſuris & Anathemate excuſari? Cùm excludant omnem ſenſum excuſabilem: comparando noſtram neceſſitatem amandi, & odiendi Deum, neceſſitati ipſius Dei diligendi ſeipſum; ſi non æqualiter, ſaltem ſimiliter, ſub communi neceſſitate abſoluta, & impoſſibilitate aliter facēdi. Quid indignius, quàm eludere vim ac finem illius *Cap.* 5. *Can.* 4. per hunc ſenſum compoſitū, diuiſum aut conditionalē? Id eſt, poteſt diſſentire, ſi careat gratia conſentiendi, vel ſi velit actu diſſentire. Cùm velle diſſentire, ſit diſſentire: nec ſit opus carere gratia conſentiendi, ad diſſentiendū; & *Conc. Trid.* expreſsè agat de libero Arb. vt à Deo moto & excitato; deque conſenſu vel diſſenſu Deo actu excitāti & vocanti, *tangente Deo*; nec minùs definiat poſſe diſſentire ſi velit, quàm aſſentiri Deo excitanti. Quod enim ſubditur: *Sed velut inanime quoddam, &c.* Non eſt ratio definiendi priora; ſed condefinitur cum illis. Nec tamen intenditur ſenſus impoſſibilis: de aſſenſu & diſſenſu ſimul actu eidem; ſed de potentia etiam proxima diſſentiendi, cum actu aſſentiendi; quia potentia diſſentiendi, ſeu deficiendi à bono in Viatoribus, eſt ſemper proxima ex ſe, nec aufertur per gratiam ordinariam, & reſtituitur per eius priuationem. Hæccine eſſet digna, quin potiùs indigniſſima definitio tanti *Conc.* quòd *Liberum Arb. à Deo motum & excitatum poſſit diſſentire ſi velit.* i. ſi diſſentiat; vel ſi non habeat gratiam conſentiendi, nec poſſit conſentire? Cùm hoc idem eſſet ac definire agentem poſſe agere, & non potentem agere non agere. Nec hoc ſibi vult illa definitio liberi Arb. ex *S. Aug.* apud *Al. p.* 2. *q.* 73. *m.* 2. *art.* 2. *Eſt facultas rationis & voluntatis: qua bonum eligitur gratiâ aſſiſtente; & malum, eâdem deſiſtente.* Quia .i. ſine gratia ad eligendum malum, ſicut ad bonum: vel non quaſi deſiſtente gratiâ præſente vel priore, ſed non aſſiſtente ſeu præcauente; vel denique gratiâ cedente voluntati reſiſtenti, diſſentienti, aut nolenti conſentire. Non enim reſiſtit, aut diſſentit niſi gratiæ præſenti, & mouenti ad conſentiendum. Nec gratia actualis repugnat diſſenſui: niſi vt cauſa contraria effectui. Quòd ſi quo ſenſu compoſito, conditionali, eluſorio, & illuſorio excuſari poſſint ab hæreſi, imò & ab errore: non tamen à cenſuris & Anathemate, contra ipſos dicentes, ſeu vtentes tali verborum forma. Sed, inquit *Ranutius*, pag. 162. *Non ego id dico, ſed S. Bern. &c.* Contra. *Paulus* 5. & *Vrb.* 8. inhibent talium editionem, *ſub quouis prætextu commentandi quemlibet Doctorem, vel quauis alia occaſione.* Nec *S. Bern.* hîc aut vllibi fauet, ſed repugnat huic formæ loquendi, imò & ſenſui intento aut prætenſo. Nam ſupra expreſsè diſtinguit inter libertatem á neceſſitate, quàm ſolam appropriat

priat

Digitized by Google

priat libero Arb. & libertatem à peccato, & a miſeria: totoque opere profitetur voluntatem non poſſe priuati ſuâ propriâ libertate à neceſſitate; ſed poſſe æquè velle aut nolle, & vnam volitionẽ in aliam mutare; nec fore liberam à neceſſitate, ſi non poſſet velle bonum & malum, etiam contradicente intellectu. Imò hîc comparat ſuo modo libertatem noſtram à neceſſitate, ipſi libertati diuinæ. Nec fauet ſenſui prætenſo de gratia aut concupiſcentia neceſſitante volũtatem ad conſenſum: ſed libertati voluntatis ab omni neceſſitate conſentiendi aut diſſentiendi. Nam quod hîc ait de conſenſu per gratiam conuerſo, vel ſponte peruerſo: quaſi hoc ipſo ſit liber, quo non aliunde coactus, ſed voluntarius: ſimul explicat de libero ab omni neceſſitate extrinſeca voluntati, qualis eſſet neceſſitas à gratia vel concupiſcentia; & de neceſſario vſu vel abuſu continuo libertatis ad conſentiendũ vel diſſentiendum. Vt paulatim magis magiſque eluceſcet.

Quod autem homines ſolent conqueri, Volo habere bonam voluntatem, & non poſſum: nequaquam præſcribit huic voluntatis libertati, &c. ſed libertate à à peccato ſe carere teſtantur. Nam qui vult habere voluntatem, non vult niſi per voluntatem: quam vtramq; bonam habet, vbi habere vult. Bonum quippe eſt, quod vult: nec poteſt bonum velle niſi bona voluntate. Cùm autem non valemus quod volumus: ſentimus quidem voluntatem eſſe miſeram, non tamen amiſſam. Infra. *Velle ineſt nobis ex libero Arb. non etiam poſſe quod volumus: non dico velle bonum, aut velle malũ, ſed tantùm velle. Velle enim bonum, profectus eſt: velle malum; defectus; velle ſimpliciter, eſt quod proficit vel deficit.* Non quod poſſit eſſe velle, quin ſit alicuius obiecti: ſed vel quod poſſit eſſe obiecti indifferentis ſaltem in genere; vel poſſit præſcindi ab obiecto bono vel malo, vt æquè liberum in volendo vnum ac alterum; vel potius quod velle ſit præciſè liberum, quatenus eſt ſui ipſius velle. In hoc enim conſiſtit libertas, ſeu dominium voluntatis in ſuos actus: quod non operetur eos niſi volendo, & velit eos operando. Quo ſenſu facilè etiam ſaluatur aliqua cooperatio liberi Arb. ad ſuum proprium velle, vel nolle, quantumuis ſupernaturale ex gratia, obiecto ac fine ſupernaturali: quia velle & nolle vt ſic, non poteſt non eſſe propria volentis operatio. Quamuis enim à Deo infunderetur voluntati: non poteſt fieri eius vt volentis, niſi vt formaliter operantis; quia velle eſt ſaltem formaliter operari circa aliquod obiectum, quamuis ſeipſum. Infra.

Abſit vt voluntati tribuamus perfectionem ſui, Deo autem tantùm creationem: cùm longè melius ſit eſſe perfectum quàm creatum, & nefas ſit Deo minus tribuere quàm nobis Rom. 7. *Velle adiacet mihi: perficere non inuenio.* Quæ ratio eſt B. *Aug.* familiariſſima. Infra. *Adam tam poſt peccata, quàm ante ſemper tenuit inconcuſſam arbitrij, libertatem, &c. Corruit autem de poſſe non peccare, in non poſſe non peccare. Sola remanſit ad pœnam libertas arbitrij: per quam vtiq; cæteras amiſit; ipſam tamen amittere non potuit, &c. De tribus ergo libertatibus quas acceperat, abutendo ea quæ dicitur Arbitrij, reliquis ſeſe priuauit, &c. Quid glorioſius ei eſſe poterat, quàm ſi de ipſo diceretur,* Eccli. 31. *Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit, &c. Peccauit ex poſſe quod accepit: non tamen quia potuit, ſed quia voluit, &c. Quid ergo? Periit liberum Arb. quia non poteſt non peccare? Nequaquam, &c. Manet, etſi miſerum, tamen integrum.* Quod tam ſæpe inculcatum, non eſt contra *B. Aug. & Conc. Mil. Arauſ. Trid.* De libero Arb. per primum peccatum inclinato, attenuato, incuruato, læſo, corrupto, &c. Nec contra ſenſum communem de ſpoliato gratuitis, & læſo in naturalibus: quia hæc tantum quoad perfectionem volendi bonum; illa autem *S. Bern.* quoad ſolam poteſtatem volendi aut nolendi. *Neq; enim ad liberum Arb. quantum in ſe eſt pertinet, aut pertinuit poſſe, vel ſapere; ſed tantum velle, &c.* .i. non poſſe facere quod vult, niſi ipſũ velle quo vult. *Non ergo ſi potens aut ſapiens, ſed tantùm ſi volens eſſe deſierit,* .i. potens volẽdi *liberũ Arb. amiſiſſe creatura putanda eſt. Non dico, ſi velle bonum: ſed ſi velle deſierit. Vt ergo voluntas in bono & malo æquè perdurat: ſic & liberum Arb. integrum perſeuerat* .i. ad ſolum velle. *Quid mirum ſi iacens non valet reſurgere: quod ſtans in melius nullo ſuo conatu valebat proficere?* Infra. De imagine Dei in libertate Arb. ſed ſimilitudine in libertate Conſilij, & Complacitii, ſeu gratiæ & gloriæ. *Hinc fortaſſis liberum Arb. non patitur ſui defectum: quòd in ipſo potiſſimum Dei ſubſtantiua quædam imago impreſſa videatur. Diuinæ ſimilitudinis ſummum gradum ſummi Angeli tenent: nos infimum, Adam tenuit medium, Dæmones nullum.* Infra. *Damnati nollent puniri: nolunt igitur quod iuſtum eſt, &c. Non verè pœnitent: quia non tam dolent ſe ſibi vixiſſe, quàm hoc ipſum iam non poſſe.* Infra. *Nec Deus caret libero Arb: nec Diabolus: quoniam ille non poteſt eſſe malus, ex voluntaria firmitate; hic non poteſt in bonum reſpirare, ex obſtinata voluntate, & voluntaria obſtinatione* Intellige de libertate ab extrinſeca neceſſitate, in ò & ab intrinſeca vt oppoſita voluntati: nec æqualiter inter Deum, ad eſſe bonum; & diabolum ad eſſe malum, ſed tantum ſimiliter. Nam Deus eſt tã bonus e neceſſitate naturæ ſuæ: vt etiam velit eſſe bonus, nec poſſit non velle eſſe id quod eſt; ex ſumma & æquali perfectione volendi, ac eſſendi. Sed Diabolus cùm ſit ex natura ſua bonus, nec malus moraliter: voluit, & vult eſſe malus. Nec Deus eſt liber ad producendum actum volendi, ſed tantùm ad volendum formaliter actu improducto, & ad omnes effectus extra ſe: ſed Diabolus eſt liber ad malè volendum formaliter & cauſaliter, continuãdo pertinaciter eundem actum malum, & de alio in alium. Quæ libertas ad malum eſt ſimilior libertati Beatorum ad eundem actum bonum, & beatificum in æternum, & de alio bono ad alium bonum. Nec *S. Bern.* comparat noſtram libertatem cùm illis, ad ſolum bonum, vel ad ſolum malum, minimè autem ad vnicum aliquem actum: ſed tantùm præciſè ad volendum vel nolendum, ſiue bonum ſiue malum, ſiue bene ſiue male, ſiue hoc ſiue illud. Vnde & ſubdit. *Nemo putet ideo dici liberum Arb. quod æqua inter bonum & malum poteſtate aut facultate verſetur, &c. cùm cadere per ſe potuerit, non autem reſurgere. Ex eo potius liberum*

Arb. dicitur : quod ſiue in bono, ſiue in malo, æquè liberam facit voluntatem. Cùm nec bonus nec malus dici valeat, niſi volens. Tali ratione, non incongruè diceretur ſe ad bonum & ad malum habere æqualiter: quod vtrobiq, par ſit ei, non quidem in electione facilitas, ſed in voluntate libertas. Quæ non ſunt contra libertatem Viatorum vt flexibilem inter bonum & malum : ſed contra illam æqualitatem *Pelagianam*, ſeu poteſtatem æqualem volendi bonum ac malum, vel bene ac malè, aut difficiliùs volendi bonum ex gratia, vt ſupra ex *Aug. Epiſt* 106. Imò *S. Bern.* non tam hoc intendit, quàm libertatem volendi vt præciſam à perfectione boni, & defectu mali. Nec ſubſtituit hanc ſuam æqualitatem liberè volendi : niſi ad expreſſam diſtinctionem à perfectione volendi bonum, & defectu volendi malum, & ad tacitā excluſionem illius Pelagianiſmi; ſupponens ſemper tam ſæpè expreſſam flexibilitatem à non velle ad velle, ab vno velle ad aliud etiam oppoſitum, ad plus minuſue volendum vel conandum, imò & ad bonum vel malum benè vel malè volendum aut nolendum; non vt eſſentiali libertati, ſed propria libertati viatorum ad proficiendum vel deficiendum, merendum aut demerendum. A qua proprietate, non autem à ſola ſua eſſentia, libertas noſtra ſimpliciter denominatur : vt monui per totam meam Anatomiam ſeu commentarium in *B. Aug.* ad conciliendum eius Doctrinam cum ſacris Concilijs & Cenſuris: quòd *B. Aug.* ſæpè vtatur nomine libertatis pro eſſentiali, ſiue flexibili ſiue non; ſed ſacri Canones & cenſuræ vtantur & velint nos vti libertatis nomine ſimpliciter, pro libertate propria & ordinaria viatorum, vt flexibili inter malum & bonum, ſine neceſſitate abſoluta ad malum per concupiſcentiam, vel ad bonum per gratiam; non autem pro ſola libertate eſſentiali, niſi cum additione, ſeu expreſſione, & diſtinctione huius ab illa; quia Eccleſia poteſt & ſolet appropriare nomina rebus controuerſis, ad cauendam confuſionem & æquiuocationem hæreticorum. Cùm ergo *Lutherani* & *Caluiniſtæ* negent libertatem viatorum, non eſſentialem voluntati, ſed flexibilem inter malum & bonum : quia credunt concupiſcentiam neceſſitare nos abſolutè ad malum, & gratiam ad bonum: iure merito Eccleſia appropriat nomen libertatis ſimpliciter, libertati ab omni neceſſitate abſoluta, ſiue ad malum per concupiſcentiam, ſiue ad bonum per gratiam. Sed *Ranutius* contra hanc meam conciliationem nimis barbarè inuehitur à *pag.* 159. *ad* 160. & vltra. Vt pag. 161. *Falſiſſimum planè videtur, libertatem propriè dictam ab eo dici quod ſibi eſt accidentale, & non magis intrinſecum, & naturale : atq, ineptiſſimum fuiſſe Theologum oportet authorem, qui cum de libertate propria ſermo eſſet argumenti, ad impropriam ipſe detorſerit argumentum. Tam ſtolidus non fuit, &c.* .i. eius Author *S. Bern.* Sed ego, qui ita concilio *B. Aug.* Eccleſiæ: cùm ipſe *Ran.* potius mereatur talionem ineptiſſimi grammatici, tā graui ignorantia nominum, & denominationum communium, potiùs ab accidentalibus vt notioriqus, quàm ab eſſentialibus. Pag. 162. *Sed curæ mihi non eſt*, inquit, *qua via tandem effugies cenſuras. Debemus enim omnes eniti vt fugiamus, non ſolùm ſubdolè, ſed ſincerè.* Infra. *Contra hæreticos non eſt tuenda illa indifferentia arbitrij, ſed libertas. Hanc enim ipſi tollunt, non indifferentiam per ſe primo & directè. Vt de Caluino patet, qui liberum Arbitrium facit inſtrumentum inanime.* Quaſi verò hæretici negent libertatem eſſentialem volendi, aut ſacrum Conc. Trid. *Can.* 4. tantùm definiat hanc eſſe credendam, ſeu liberum Arb. non ſe habere tantùm paſſiuè vt inanimè quoddam in conſentiendo, vel diſſentiendo gratiæ : cùm priora æquè definiantur, imò hoc vltimum, quod ex ſe eſt ſatis euidens, non condefiniatur niſi ob priora. Nec Caluinus negat voluntatem noſtram ſaltem formaliter & vitaliter operari, conſentiendo : quod ſufficeret ad libertatem eſſentialem, vt in Deo ipſo; ſed tantùm negat à nobis elici actiuè, & liberè flexibiliter; quia putat à ſolo Deo infundi, vel determinari. Nec de alio libero Arb. ſunt Canones ſacri Conc. Trid. *Seſſ.* 6. quàm de quo *Cap.* 1. docuerat *liberum Arb. minimè extinctum eſſe, viribus licet attenuatū, & inclinatum*; vtique inter bonum & malum. Pag. 225. expreſsè fatetur ſe *laxaſſe calamum* in me, *vt apertè iniurioſum Auguſtino : extra ſtatutum ſibi patientiæ & modeſtiæ terminum.* Pag. 226. *Notet lector inſignem præſumptionem, & conſequentiæ malitiam* : directè ac expreſsè in me. Sed ab his, ad doctrinam & exemplar manſuetiſſimi Auguſtini, & melliflui, non fellifluì *Bernardi*.

Quod legitur Ioan. 6. *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Luc. 14. *Compelle intrare: nihil impedit; quia qui omnes vult ſaluos fieri*, 1. Tim. 2. *nullum iudicat ſalute dignum, quem ante non probauerit voluntarium. Hoc quippe intendit, cū terret : vt faciat voluntarios, non ſaluet inuitos; quatenus dum de mala mutat voluntatem in bonam, transferat, non auferat libertatem.* Ecce flexibilitatem etiā cooperatiuā. *Quanquam non ſemper inuiti trahimur.* Vt *Paulus Act.* 9. *Sponſa* Cant. 1. *Tentatus à propria concupiſcentia*, Iac. 1. Sap. 1. Rom. 7. *Conſentio*, inquit, *legi Dei, quoniam bona. Condelector, &c. Sed qui timore fidem verbotenus negare compulſi ſunt, &c.* Hinc ergo diſtinguit non inuitos ab inuitis : quòd illi trahantur delectatione, hi timore, & ſic de dolore. Hos exemplificat in S. Petro. *Nec in hunc perverſam amorem ſui, metus ille ſubitus compulit voluntatem : ſed eſſe conuicit, &c.* .i. in potentia defectibili, *non tamen*, inquit, *compulsā ad hunc defectum. Quatenus ergo Chriſtum diligebat, vim paſſa eſt illa voluntas, vt contra ſe loqueretur : quatenus verò ſeipſam, voluntariè conſenſit vt pro ſe loqueretur. Quid ergo ? Inuenta eſt cogi potuiſſe voluntas? Eſt planè : ſed ſi cogi ab alio potuit, quàm à ſeipſa. Quod ſi ſe ipſa coegit : vbi amittere, ibi & recipere viſa eſt libertatem.* .i. Non poteſt propriè cogi : quia nonniſi à ſeipſa, quod non eſt cogi. *Vim quippe quam ipſa ſibi intulit, à ſe pertulit &c. Compulſus eſt Petrus, quia voluit : imò non compulſus, ſed conſenſit, non alienæ potētiæ, ſed propriæ voluntati, qua mortem euadere voluit.* Ecce iterum libertatem flexibilem. *Eſt ſanè gemina compulſio : qua aut pati, aut agere contra propriam cogimur voluntatem. Paſſiua poteſt fieri abſq, conſenſu voluntario patientis; ſed actiua nunquam. Quod fit in nobis, ſiue de nobis inuitis, non eſt imputandum nobis. Quod*

Digitized by Google

ſit & à nobis, non ſine culpa eſt voluntatis. Velle conuincimur, quòd non fieret ſi nollemus. Eſt ergo compulſio etiam quædam actiua : ſed non habet excuſationem, cùm ſit & voluntaria. Infra. *Lex peccati originalis, & conſuetudo inolita, ſicut non nocent, ſed exercent non conſentientes : ſic non excuſant, ſed damnant conſentientes; vt nec ſalus nec damnatio ſine præcedenti conſenſu voluntario poßit haberi, &c.* Excipit ſolum peccatum originale, &c. Ergo confirmat libertatem à neceſſitate conſentiendi concupiſcentiæ : contra Commentum *Ramirij*, prorſus vt *Trid. Seſſ. 5. Can. 5.*

Hinc de gratia & meritis. *Conatus liberi Arb. ad bonum, & caßi ſunt ſi à gratia non adiuuentur, & nulli ſi non excitentur. In malum ſunt proni,* Gen. 8. *Proinde non ei à ſe, ſed de ſurſum à Patre luminum deſcendere merita putentur, &c. Non liberi Arb. ſed Domini eſt ſalus,* Pſal. 3. *Dei ſunt munera, tam noſtra opera, quàm eius præmia : & qui fecit ſe debitorem in illis, fecit & hos promeritores ex his.* Infra. *Deus homini benignè merita conſtituit : vbi per ipſum, & cum ipſo, boni quippiam operari dignanter inſtituit. Hinc coadiutores Dei, & cooperatores Spiritus S. promeritores regni nos eſſe præſumimus* .i. confidimus : *quòd per conſenſum voluntarium diuinæ voluntati coniungimur. Quid igitur? Hoc ergo totum liberi Arb. opus, hoc ſolum eius meritum, quod conſentit? Eſt prorſus. Non quod conſenſus,* vt in bonum ſalutare, de quo hìc expreſsè, *ab ipſo ſit,* originaliter, nec meritoriè : *cùm nec cogitare, quod minùs eſt quàm conſentire, ſufficientes ſimus ex nobis,* 2. Cor. 3. *Si ergo Phil. 2. Deus bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis. 1. Profectò ſine nobis. 2. nobiſcum. 3. per nos facit, &c. Nec primum, nec vltimum, ſed tantùm medium nobis reputatur in meritum* .i. velle bonum, & benè. Subdit quare. *Sola nempe interdum bona voluntas ſufficit, &c. Cauendum ergo ne hæc aut noſtræ voluntati tribuamus, aut Dei neceßitati, ſed ſoli gratiæ, &c.* i. originaliter & principaliter. *Ipſa liberum excitat Arb. cùm ſeminat cogitatum : ſanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; ſeruat, ne ſentiat defectum, &c. Quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroq; perficitur, &c. Non partim gratia, partim liberum Arb. ſed totum ſingula opere indiuidio peragunt.* Quàm perfecta cooperatio! *Totum quidem hoc, & totum illa : ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa* .i. Totum fit in libero Arb. vt in ſubiecto, conſentiente, & hoc ipſo cooperante : ſed totum ex gratia præueniente, cooperante, & perficiente. Rom. 9. *Non eſt volentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei. Non quaſi poßit quis velle, aut currere in vanum : ſed quod in eo à quo accipit & velle, & currere, debeat gloriari.* 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* Pſal. 113. *Non nobis Domine, non nobis, &c. Cæterum qui fecit quod ſaluaret : etiam dat vnde ſaluet. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam. Calix ſalutaris, Sanguis eſt Saluatoris.* 2. Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, &c. Si vel ipſa voluntas ab ipſo Paulo non eſt : quo pacto eam Coronam vocat iuſtitiæ? An quoniam iuſtè requiritur, quod vel gratis promittitur? Eſt ergo corona iuſtitiæ Dei, non ſuæ. Iuſtum quippe eſt, vt reddat quod debet : debet autem quod pollicitus eſt, &c. Cuius tamen ipſum Deus voluit habere conſortem, &c. cùm operum habere dignatus eſt coadiutorem* .i. *cùm fecit volentem, & ſuæ voluntati conſentientem. Itaq; voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum, &c. Deus igitur author eſt meriti : qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati. Alioquin ſi propriè appellentur, quæ dicimus noſtra merita, ſpei quædam ſunt ſeminaria, charitatis incentiua, occultæ prædeſtinationis indicia, futuræ fœlicitatis præſagia, via regni, non cauſa regnandi.*

Quorū pleraque ſunt expreſsè *B. Aug.* Vt de meritis noſtris, ex gratuita promiſſione Dei, *Lib. 3. De gratia & lib. Arb. cap. 16. in Pſal. 32. 109. Serm. 19. De verbis Apoſt. cap. 2. Epiſt.* 120. ad Honoratum, de gratia noui Teſtamenti, & alibi ſæpè de filijs promiſſionum Dei. Cui conſonat Doctor noſter Subtilis *in 1. d. 17. q. 3. In 3. d. 18. q. vnica & quodl. 17.* Imò præ omnibus eſt ipſius ſacri *Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 16. Abſit vt Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino : cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Verbatim ex Epiſt. *Cœleſtini* Papæ, *cap. 11.* Sic & quæcumque hìc de neceſſitate gratiæ.

Sed quæ de *Corona iuſtitiæ* quaſi ſolius Dei, non etiam *Apoſtoli*, & præcipuè de improprietate meritorum noſtrorum : videntur eſſe contra *Trid.* ſeſſ. 6. cap. 16. *Hæc eſt illa Corona Iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen ſibi aiebat Apoſtolus eſſe à Iuſto Iudice reddendam.* Et maximè contra Can. 32. *Si quis dixerit; hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita, aut ipſum per Dei gratiam & Iesv Chriſti meritum, non verè mereri augmentum gratiæ, &c. Anathema ſit.* Denique contra cenſuram *Pij* 5. in Prop. *D. Baij* à 1. ad 15. & 56. 57. 73. quarum aliquæ nimium tribuunt meritis ſtatus innocentiæ, aliæ nimis derogant noſtris.

Verùm ſatis patet ex textu, *Coronam* illam dici & eſſe *Iuſtitiæ* retributiuæ ſolius Dei, ex fidelitate promiſſionis : ſed merentes fieri à Deo huius ſuæ *iuſtitiæ conſortes*, ſeu participes; non tantùm eius effectum recipiendo, ſed ei etiam ad merita cooperando. Vt *B. Aug.* ſæpè, & ex ipſo ſacrum Conc. Trid. ibidem explicat de iuſtitia Dei, & noſtra; qua & ipſe iuſtus eſt, & nos actiuè iuſtificat, & nos paſſiuè imò & meritoriè iuſtificamur. De improprietate autē meriti, eò grauior eſt difficultas, quo plerique Hæretici hodierni non videntur negare hos fructus & fines bonorum operum, ſed tantùm proprietatem meriti & mercedis, ſeu præmij. Ne ergo poſſint abuti hoc quaſi fauore *S. Bern.* reflectendum eſt ad priora: quibus fatetur nos *Coadiutores Dei, Cooperatores Spiritus S. & Promeritores Regni*; ſed nonniſi ex gratia ſibi cooperandi, & gratioſa promiſſione præmij. Vnde non negat proprietatem meriti, niſi ex rigore iuſtitiæ : nec per hos fructus bonorum operum, excludit *veritatem meriti*, definitam á ſacro *Conc.* ſupra. Poſſunt enim eſſe verè merita ſub ratione communi meriti : & non eſſe propriè merita ſub aliqua ratione particulari. Imò poſſunt eſſe propriè merita, nec dici propriè & ſimpliciter

merita.

merita. Vt ſupra de libertate eſſentiali, & flexibili. Nam quia Hæretici hodierni nimium detrahunt veritati noſtrorum meritorum: Eccleſia poteſt & vult dici propriè & ſimpliciter merita. Nec obſtat illa clauſula finalis *S. Bern. Via regni, non cauſa regnandi*: Quia via non excludit, ſed includit etiam meritum, ſub communi ratione medij, & tēdentiæ ad finem. Nec negatio cauſæ ſimpliciter eſt negatio meriti: quia cauſa ſimpliciter eſt principalior ſuo effectu, meritum autē eſt potiùs minus ſuo præmio.

DE GRATIA, ET GRATVITIS ac Supernaturalibus.

EX Sacra Script. *Prou.* 12. Qui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino. *Eccleſ.* 7. Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit, &c. Inueni quod Deus fecerit hominem rectum, & ipſe infinitis miſcuerit ſe quæſtionibus. *Pſal.* 48. Homo cū in honore eſſet non intellexit. *Pſal.* 8. Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, &c. *Zach.* 12. Effundam ſpiritum gratiæ, &c. *Sap.* 4 Placens Deo factus eſt dilectus, &c. Placita erat Deo anima illius, &c. Gratia Dei & miſericordia in ſanctos eius. *Cap.* 8. Sciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum. *Cap.* 16. Nutrici omnium gratiæ tuæ deſeruiebant. *Luc.* 12. Aue gratia plena, &c. IESVS proficiebat gratia apud Deum, &c. *Ioan.* 1. Vidimus Chriſtum plenum gratiæ & veritatis, &c. De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt. *Ioan.* 3. Spiritus vbi vult ſpirat, &c. 15. Sine me nihil poteſtis facere. *Rom.* 1. Gratia vobis & pax à Deo. 3. Iuſtificati gratis per gratiam eius. 4. Ei qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. *Cap.* 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c. Gratia Dei, vita æterna. 7. Quis nos liberabit? Gratia Dei per IESVM Chriſtum. 11. Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia, &c. Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. 1. *Cor.* 4. Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? 1. *Cor.* 12. Nemo poteſt dicere Dominus IESVS, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, &c. idem autem ſpiritus. Hæc omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. 15. Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum. 2. *Cor.* 3. Non ſumus ſufficiētes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Cap.* 12. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. *Phil.* 1. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, &c. *Cap.* 2. Deus eſt qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.

Ex ſacro Conc. Trid. ſeſſ. 5. Can. 1. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatū Dei fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiā in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, &c. Anathema ſit.* Ex Cenſura Pij 5. in Prop. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 53. ſpecialiter in 76. *Falſa eſt doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine iuſtitia originali.*

Ex *S. Aug.* ſupra, à *col.* 256. *ad* 267. De gratia Angelorū & à *col.* 305. *ad* 388. Vt 1. *Retr.* 1. Argumēta Academicorū amouit à ſe, *miſerante & adiuuante Deo. Lib.* 3. *contra Acad. c.* 5. 6 Veritatē fauēte ac demonſtrante Deo inueniri poſſe. *Lib.* 2. *De ordine prouid cap.* 10. Diuinū auxilium latius quàm nonnulli opinantur officium clementiæ ſuæ per vniuerſos populos agit. *Lib.* 3. *De libero Arb. c.* 16. Ex eo quod non accepit, nullus reus eſt: Debet autem ſi accepit & voluntatem liberam. & ſufficientiſſimam facultatem. *Cap.* 19. Dicunt, ſi Adam & Eua peccauerunt, quid nos miſeri? &c. Nulli hominū ablatum eſt ſcire vtiliter quærere, &c. *col.* 353. 413. *Cap.* 15. Quo viſo quis tangatur, nō eſt in poteſtate, &c. *col.* 414. 1. *Retr.* 10. Omnes homines poſſunt ſe conuertere ad implenda Dei præcepta ſi velint.] Vtique per gratiam volendi. *Lib. De Magiſtro cap.* 12. Tantum cuique panditur veritatis: quantum capere propter propriam, ſiue malam, ſiue bonam voluntatem poteſt. 1. *Retr.* 13. Tales adiuuat Deus, &c. Non quaſi tantummodò tales adiuuet: cùm adiuuet etiam non tales .i. vt diligenter & piè quærant, tales autem adiuuat vt inueniant. 1. *Retr.* 15. Quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate: niſi fortè ſi pia eſt vt oret auxilium? *Lib. De* 2. *Anim. cap.* 6. 7. De gratia neceſſaria contra periculum errandi. 1. *Retr.* 22. In poteſtate hominis eſt mutare in melius voluntatem: ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, &c. *In Epiſt. ad Rom. Prop.* 62. Non imputabatur Pharaoni obdurato, &c. 2. *Retr.* 1. Laboratum eſt quidem pro libero Arb. ſed vicit Dei gratia. *Lib.* 1. *ad Simpl.* 2. Fiunt quædam inchoationes fidei conceptionibus ſimiles, &c. *Infra.* Noluit Eſau, & non cucurrit: ſed etſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adiutorio perueniſſet: qui etiam ei velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim præſtat Deus vt velimus, aliter præſtat quod voluerimus: vt velimus, & ſuum voluit eſſe & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quod autem voluerimus, ſolus præſtat .i. poſſe bene agere, & ſemper beatè viuere, &c. *col.* 359. *Lib.* 1. *Conf.* 7. Gratiæ tuæ deputo, & quæ non feci mala, &c. Vt & *Hom.* 23. *ex* 50. *Lib.* 3. 8. 9. De varijs motibus gratiæ ad conuerſionem tandem perfectam *B. Aug.* & *Lib.* 10. *cap.* 19. Da quod iubes, & iube quod vis, &c. vt *col.* 377. *Lib.* 22. *contra Fauſt. cap.* 8. Humana creatura per eam poſſibilitatem inſtauratur; per quam ſi voluiſſet non cecidiſſet. *Lib.* 9. *in Gen. cap.* 18. Habet Deus in ſeipſo abſconditas quorundam factorum cauſas: quas rebus conditis non

inſeruit

inſeruit; eaſque implet, non illo opere prouidentiæ quo naturas ſubſtituit vt ſint, ſed illo quo eas adminiſtrat vt voluerit, quas vt voluit condidit. Ibi eſt & gratia per quam ſalui fiunt peccatores, &c. vt ſupra *col.* 154. 233. 261. 363. 364. 389. 390. *Lib. De pecc. mer. & rem. cap.* 9. Deus dat etiam ſui Spiritus occultiſſimam fidelibus gratiam: quam latenter infundit & paruulis. *Cap.* 21. Valde paruum ſenſum habemus, ad diſcutiendam gratiam gratuitam, nullis præcedentibus meritis non iniquâ: quæ non tam mouet cùm præſtatur indignis, quàm cùm æquè indignis alijs denegatur, &c. *Lib.* 2. *Cap.* 5. Cur Deus illum adiuuet, illum non, illum tantùm, illum non tantum, iſtum illo, illum iſto modo: penes ipſum eſt, & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis, &c. Col. 308. 309. *Lib. De Spiritu & littera, Cap.* 27. Homines naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, *Rom.* 2. Qui enim hoc non faciunt, vitioſè faciunt, &c. Non quod per naturam negata ſit gratia, ſed potiùs per gratiam reparata natura, &c. *Cap.* 33. Deus vult omnes ſaluos fieri: non ſic tamen vt eis adimat liberum Arb. quo vel benè vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur, &c. 311. 312. 313. *Lib. De natura & gratia. Cap.* 26. Vt oculus ſanus, &c. ſic homo etiam perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ adiuuetur, non poteſt rectè viuere. *Cap.* 28. Deſerit aliquantulùm Deus vnde ſuperbis: vt ſcias non tuum, ſed eius eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe. *Cap.* 31. Spera in Deum, & ipſe faciet, *Pſal.* 36. Contra eos qui dicunt nos facimus .i. nos ipſi nos iuſtificamus. Vbi quidem operamur & nos: ſed illo operante cooperamur, quia miſericordia eius præuenit nos. Præuenit vt ſanemur, quia & ſubſequetur vt ſani vegetemur. Præuenit vt vocemur: ſubſequetur vt glorificemur. Præuenit vt piè viuamus: ſubſequetur vt cum illo ſemper viuamus; quia ſine illo nihil poſſumus facere. *Cap.* 36. Scimus quòd Virgini Mariæ plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum. *Cap.* 42. Neque de ipſa poſſibilitate contendo: vt cùm ſanata & adiuta hominis voluntate, poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in Sanctis proueniat, cùm charitas Dei diffunditur in cordibus, &c. *Cap.* 53. Non de illa gratia quæſtio eſt, quâ eſt homo conditus, ſed quâ fit ſaluus per Iesvm Chriſtum. Quid tantum de naturæ poſſibilitate præſumitur? Vulnerata, ſauciata, perdita eſt, &c. *Cap.* 70. Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt, &c. *Col.* 317. *Lib.* 2. *De Ciu. c.* 7. Quidam Philoſophi quædam magna quantum diuinitùs adiuti ſunt, inuenerunt: quantum autem humanitùs impediti ſunt, errauerunt. *Lib.* 5. *cap.* 9. Voluntates noſtræ tantum valent quantum Deus eas valere voluit, atque præſciuit, &c. *Cap.* 19. Conſtet inter omnes veraciter pios, neminem ſine vera pietate veram poſſe habere virtutem. Virtus quæ ſine vera pietate ſeruit hominum gloriæ, nequaquam Sanctorum exiguis initijs comparanda eſt. *Lib.* 12. *c.* 9. *&c. vt col.* 261. 262. *Lib.* 19. *cap.* 14. Ne ipſo ſtudio cognitionis mens humana in peſtem alicuius erroris incurrat: opus habet homo magiſterio diuino, cui certus obtemperet; & adiutorio, vt liber obtemperet. *Lib. De geſtis Pelagij, cap.* 1. Duo ſunt adiutorium genera: alia ſine quibus id ad quod adiuuant effici non poteſt, vt nemo ſine Dei gratia rectè viuit; alia quibus ſic adiuuamur, vt etiamſi deſint, poſſit alio modo fieri, &c. *Cap.* 14. *à col.* 316. *ad* 620. & alibi *inter* eius errores damnatur: *gratiam non ad ſingulos actus dari. Lib. De gratia Chriſti, cap.* 13. *&c. à. col.* 327. *ad col.* 332. *Lib. De peccato orig. cap.* 29. *vt col.* 332. 333. *lib.* 1. *De nuptijs & concup. cap.* 2. *vt col.* 333. 334. *Quæſt.* 44. *in Leuit.* 21. Sine ſanctificatione inuiſibilis gratiæ, viſibilia Sacramenta quid proſunt? *Lib.* 2. *ad Boniſ. cap.* 9. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo quæ non facit Deus vt faciat homo. *Cap.* 10. Propoſitum bonum adiuuat ſubſequens gratia: ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia, &c. *à col.* 334. *ad* 337. *lib.* 4. *contra Iul. cap.* 3. *vt lib.* 1. *operis imperfecti n.* 134. Debetur merces bonis operibus, ſi fiant: ſed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant, &c. *à col.* 342. *ad* 346. *Enchir.* 32. Reſtat vt totum Deo detur: qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia. Nolentem præuenit vt velit: volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. *Cap.* 114. Deus primum hominem in ea ſalute in qua conditus erat cuſtodire voluiſſet: ſi ad permanendum ſine peccato, perpetuam voluntatem habiturum eſſe præſciſſet, &c. *Col.* 346. 347. *Lib. De gratia & libero Arb. cap.* 1. 5. 16. 17. 20. 21. *col.* 348. 349. *Lib. De corrept. & gratia, Cap.* 1. 2. 11. 12. 14. *vt col.* 450. 351. *De perfect. Iuſt. vt col.* 565. *De continentia cap.* 1. *vt col.* 366. *De patientia cap.* 20. Pro nihilo ſaluos facies eos. *Pſal.* 55. Cùm gratia videtur meritis reddi, nec ſic deſinit eſſe gratia: quoniam id adiuuat, quod ipſa largita eſt. *Cap.* 26. Si quis non habens charitatem, &c. *vt col.* 366. *Epiſt.* 52. *ad Marcel.* vt *col.* 367. *Epiſt.* 89. *ad* 2. *quæſt.* Valet liberum Arb. &c. *col.* 367. *Et Epiſt.* 91. B. Innoc. *ad Patres Conc. Carthag.* Cùm pates nos ad reſiſtendum, non liberum Arb. ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium: neceſſe eſt, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur, &c. *col.* 276. *Epiſt.* 105. Reſpondent Pelagiani, gratiam ſine vllis meritis, eſſe ipſam humanam naturam, &c. 367. 368. *Epiſt.* 106. Si per naturam Iuſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, &c. *col.* 369. *Epiſt.* 107. vt *col.* 370. *Epiſt.* 143. *vt col.* 371. In Pſalmos: *vt* 371. 372. *Adde Pſal.* 77. Non eſt creditus cum Deo Spiritus eius, &c. Etſi aliqua credidit Deo, non tamen credidit in Deũ; non ex fide adhæſit Deo, vt ſanata à Deo, benè cooperaretur operanti in ſe Deo. *Tract.* 5. *in Ioan.* Si quid homo habet veritatis atque iuſtitiæ, ab illo fonte eſt, &c. *Tract.* 53. Obdurat Deus deſerendo, & non adiuuando: occulto iudicio, non iniquo. *Tract.* 55. Intereſt quibuſnam mens humana conſentiat: diuino auxilio vel deſerta per meritum, vel adiuta per gratiam, &c. col. 372. 373. *Serm,* 29. *De verbis Domini, & De verbis Apoſt.* vt *col.* 373. 374. *Hom.* 14. *ex* 50. Corona tibi eſt à Deo: opus autem abs te, ſed nonniſi ipſo adiuuante,

uante, &c. Cùm ergo Deus coronat merita tua, nihil coronat niſi munera ſua. *Hom.* 17. Nos promiſſionis filij ſumus, *Gal.* 4. Nemo dicat: Ego feci. Non enim promittit Deus, & facis tu, &c. *Hom.* 27. Vt *col.* 374. Sic & verbatim *Lib. Solil.* ex *Aug. cap.* 15. 16. Sed 25. Sperabam aliquando in virtute mea, &c. Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam: nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas: aderat facultas, non erat voluntas; quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem tibi confiteor, &c. Non eſt hominis velle quod poſſit, aut poſſe quod velit, vel ſcire quod velit & poſſit: ſed potiùs à te greſſus hominis diriguntur, illorum, inquam, qui non à ſe, ſed à te ſe dirigi confitentur. *Serm.* 88. *De tempore.* Nunquam Deus deſerit hominem: niſi priùs ab homine deſeratur, &c. de obduratione. *Lib. de Prædeſtinatione SS. & De dono perſeuer.* Vt à *col.* 376. *ad* 385.

Ex *Alenſi P.* 1. *à q.* 11. De inexiſtentia Dei per gratiam. *A q.* 24. *ad* 42. Sed expreſſius *P.* 2. *q.* 96. De adiutorio gratiæ in Adam. *q.* 97. De gratia ei ſuperaddita. *q.* 98. De cognitione Adam. *q.* 101. De ſpoliatione gratuitorum. *P.* 3. *q.* 11. & 12. De gratia Chriſti. *q.* 196. De gratia abſolutè. *q.* 70. De effectibus gratiæ. *q.* 71. De cognitione gratiæ. *q.* 72. De comparatione gratiæ cum virtutibus. In ſupplemento de virtutibus gratuitis. *P.* 4. *q.* 7. De gratia ſacramentorum nouæ legis. *q.* 58. De gratia pœnitentiæ.

Ex *S. Bon. in* 1. *diſt.* 7. De Miſſione Spiritus ſancti per charitatem. *d.* 18. De dono Spiritus S. *Diſt.* 40. De Prædeſtinatione. *Diſt.* 47. De efficacia voluntatis Dei. *In* 2. *diſt.* 19. De ſtatu innocentiæ. *Diſt.* 23. De permiſſione primi peccati. *Diſt.* 24. De potentia & gratia Adæ ante lapſum. *Diſt.* 26. De auxilio gratiæ. *Diſt.* 27. De gratia operante, & cooperante. *Diſt.* 29. De gratia Adami. *In* 3. *d.* 13. De gratia Chriſti. *In* 4. *diſt.* 1. De gratia ſacramentorum.

Ex Doctore Subtili. *in* 1. *diſt.* 17. De gratia charitatis. *Diſt.* 40. De Prædeſt. *In* 2. *d.* 19. & 20. De ſtatu innocentiæ. *d.* 26. De ſubiecto gratiæ in nobis. *Diſt.* 27. An gratia ſit virtus. *D.* 28. An liberum Arb. ſine gratia poſſit cauere peccata mortalia? *d.* 29. An iuſtitia orig. fuerit donum ſupernaturale? *Diſt.* 37. *q.* 2. An voluntas creata ſit cauſa totalis ſui velle? *In* 3. *d.* 13. De ſumma gratia ipſius Chriſti. *In* 4. *d.* 1. De creatione ipſius gratiæ ſacramentalis.

Quid, & quotuplex ſit gratia, quamq́ue neceſſaria, ſufficiens, aut efficax.

Reſp. Gratia poteſt dici quoduis beneficium Dei gratuitum, ſeu gratis datum: diuidique 1. in gratiam naturalem, vel ex natura rei, vel ad finem naturalem; & in ſupernaturalem, vel ex ſua propria entitate, vel ex modo, cauſa, ſine ſupernaturali; ſed hæc ſola dicitur propriè gratia, vt differt à natura & naturalibus ſupra, à *col.* 389. Poteſtque ſubdiuidi 2. In gratiam ſubſtantialem & æternam: quæ eſt Deus ipſe, ſeu eius voluntas vt ſummè gratuita, beneuola, ac benefica; & in accidentalem, ſeu in ipſa dona, & beneficia Dei gratuita, præterita, præſentia, futura ad tempus, vel in æternum, ex illa æterna Dei beneuolentia ac beneficentia. 3. In gratiam habitualem, ſeu permanentem: & in actualē, ſeu motionem auxiliarem & tranſeuntem. 4. In gratiam gratum facientem ſuum proprium ſubiectum, diſpoſitiuè, formaliter, vel meritoriè: & tantùm gratis datam, ſiue ad aliorum ſalutem potiùs quàm proprij ſubiecti, ſiue necdum gratificantem. Quo ſenſu tam hæc quàm illa poteſt eſſe habitualis & actualis. 5. In gratiam Præuenientem, ſeu excitantem, inſpirantem, vocantem, ſiue nobis Operantem i. qua Deus ante omnem voluntatis noſtræ conſenſum, conatum, vel vllam propriam diſpoſitionem, eam continet aut diuertit à quouis directè, vel indirecte contrario ſaluti; vel eadem ad aliquem liberum ac ſalutarem motum inclinat, obiectiuè ſeu finaliter per intellectum, vel cauſaliter per habitum, vel formaliter per aliquam paſſionem, diſpoſitionem, ſeu motū actualem & ſalutarem, vel ſimpaticè per appetitum ſenſitiuum, imò & fortè immediatè per ſeipſum ſeu per ſuam voluntatem: & in concomitantem, ſeu adiuuanté, vel cooperantem ad conſentiendum, & ſequendum, vel proſequendum primum illum motum ſalutarem; denique in ſubſequentem, proſequentem, vel perficientem opus bonum, vel totius viæ ac vitæ curſum ſalutarem, quæ eſt ſpecialiſſima gratia perſeuerantiæ finalis. 6. In gratiam Originalem Adami, pro ſe & ſuis poſteris: tum habitualem, tum actualem, tum ſanctificantem, tum ordinantem voluntatem, & ei ſubordinantem alias potentias; & in gratiam Chriſti, ſeu per paſſionem eius promeritam. De qua in 3. Sent. 7. In gratiam vt omnibus neceſſariam ad cauendam omnem ignorantiam, errorem, culpam, ac pœnam vt ſaluti contraria, & ad omnem vſum voluntarium ac ſalutarem animi vel & corporis in benè operando etiam moraliter: vt Sufficienté mediatè vel immediatè, ad completam potentiam illa cauendi, vel hæc faciendi: & vt Efficacem vſque ad aſſenſum, conſenſum, vel opus ſalutare; non ex vlla vi finita gratiæ inexiſtentis, nec ex ſola congruitaté naturali vllius cognitionis cum affectu, nec ex præſcientia futuri conſenſus ſub vlla conditione; ſed ex vi ſolius voluntatis diuinæ, inclinandi noſtras quouſque voluerit. Quarum nulla fuit aut eſt vlli ſtatui propria, nec eſt nunc omnibus & ſingulis communis: ſed omnibus ſaltem Chriſtianis propria culpa non demeritis eſt ordinaria gratia neceſſaria ad obſeruanda mandata Dei, ſine culpa mortali. De quibus omnibus & ſingulis ſucceſſiue.

1. *De Gratia ſupernaturali.*

S. *Aug.* ſupra. *Epiſt.* 105. & alibi ſæpe diſtinguit tantùm gratiam Chriſti, à naturali: vultque naturam & naturalia eſſe ex ſola propria Dei voluntate; ergo non videtur cenſere vllam gratiam Adæ ante lapſum fuiſſe ſupernaturalem. Nec Scotus videtur agnoſcere quicquam ſupernaturale, niſi denominatiuè à ſua cauſa ſupernaturali. Nec denique

Digitized by Google

niquè videtur vlla res aut cauſa ſupernaturalis, niſi Deus ipſe: quia reliqua omnia ex ſua natura ſunt inter ſe proportionata, & coordinata.

Reſp. Ex *col.* 389. 390. 391. 392. 393. 422. 423. 431. 432. & *B. Aug. Lib. de corrept. & gratia cap.* 11. Nec ipſum Adam Deus voluit eſſe ſine ſua gratia, &c. Hæc eſt prima gratia quæ *data eſt primo Adam.* Sed potentior eſt in ſecundo Adam. Si adiutorium ei defuiſſet: non vtique ſua culpa cecidiſſet. *Epiſt.* 106. Natura humana ſine Dei gratia non poterat cuſtodire ſalutem quam accepit, &c.] Expreſsè de gratia vt diſtincta à natura & naturalibus. Ergo non tantùm diſtinguit gratiam Chriſti à gratia naturali ſolius creationis: ſed etiam expreſsè à gratia Adami, vltra eius naturam & naturalia. Quæ quidem fuerunt qualia & quanta Deus voluit, quoad vim agendi & patiendi inter alia connaturalia: ſed voluntate ordinata, & accõmodata ipſi naturæ eſſentiali, & fini eius naturali. Nam ſiue Deus priùs creauerit Adamum in ſolis naturalibus, vel quoſdam ad ſolum finem naturalem: ſiue ſimul in gratuitis & ſupernaturalibus, & nonniſi ad finem ſupernaturalem: Deus voluit illa eſſe naturalia, hæc ſupernaturalia: quia illa his ſubijciuntur & ſupponuntur, ad finem ſeu perfectionem naturalem exiſtendi & operandi circa ſuum obiectum principale; hæc autem illa ſupponunt, vt perfectibilia ad finem ſupernaturalem, ſeu ſupra vim propriam & completam operandi, & ad illum finem perueniendi. Porro finis ſupernaturalis eſt viſio & fruitio Dei beatifica: quia Deus eſt obiectũ voluntarium, non influens naturaliter extra ſe, ſed tantùm per ſummam gratiam, ſummeque ſupernaturalem, ſeu ſupra omnem vim naturalem intelligendi & moralem merendi omnis creaturæ etiam poſſibilis. Finis autem naturalis eſt perfectiſſima cognitio & fruitio naturaliter poſſibilis: ſed toto genere imperfectior illa ſupernaturali. Hinc illa ſola eſt beatifica: quia excedit omnem vim naturalem intelligendi & appetendi; hæc autem non poteſt excedere, nec adæquare, quin poſſit in infinitum eſſe perfectior. Nec Scotus in 1. *q.* 1. Prologi. *In* 2. *Diſt.* 18. *in* 4. *d.* 43. *q.* 4. ſolùm denominat ſupernaturale à modo, cauſa, vel fine: ſed expreſsè diſtinguit inter ſupernaturalia in modo ſeu fieri actu, & in poſſibili; ſupponitque impoſſibilia ab omni cauſa naturali, aut connaturali, eſſe entitatiuè perfectiora omnibus naturaliter poſſibilibus. Idemque ſupponit denominans naturale, non ſolùm ab agente naturali, ſed etiam à ſubiecto: vt illa ſit forma naturalis, quæ eſt ab agente naturali, vel quæ naturaliter conuenit ſubiecto, ſeu ad quàm ſubiectum naturaliter inclinatur; ſed ſupernaturale non ſit tantum ſupra vim naturalem agentis, ſed etiam ſupra inclinationem naturalem ſubiecti .i. non ſupra omnem capacitatem poſſibilem, ſed ſupra omnem diſpoſitionem & exigentiam naturalem ſubiecti ab aliquo agente naturali, vel ab ipſo Deo vt auctore naturæ, & vices eius ſupplente, vt ſupra *col.* 409. Nec ideo Angeli ſunt entitatiuè ſupernaturales: quia quamuis non habeant ſubiectum naturale informationis; habent tamen ſubiectum naturaliter mobile, & quendam ordinem naturalem motoris ad corpora ab eis ſolis mobilia, & partis principalis contentæ ſub hoc vniuerſo. Vt ſupra *col.* 228. 229. 230. 231. Nec tamen omnia ſupernaturalia ſunt æquè ſupernaturalia; nec ita ſupernaturalia quin ſint etiam inter ſe connaturalia; vt fides, Spes, Charitas, gratiæ actuales, ac diſpoſitiones inter ſe. Nam influentia Dei actualis neceſſaria habitibus ſupernaturalibus, non eſt illis ſupernaturalis, ſed connaturalis: ſupernaturalis autem potentiæ naturali, & eius effectui. Sed gratia ſeu influentia Dei per ſe efficax, eſt maxima gratia: videturque ſola omnibus alijs gratijs ſupernaturalior; quia gratijs ſeu habitibus ſupernaturalibus ſufficit gratia actualis, vt neceſſaria ad inclinationem & actiuitatem talium habituum; ſed gratia ſeu influentia ex ſe infallibiliter efficax, eſt ſupra omnem actiuitatem poſſibilem creaturæ, ideoque videtur eſſe ſolius Dei ſeu voluntatis eius immediatè, aut radicaliter, per quæcumque media ſupernaturalia. Quæ quidem omnia Deus etiam inter ſe, & ad finem ſuum ſupernaturalem ordinauit: non tamen ea lege & neceſſitate ordinaria qua omnia naturalia inter ſe ſubordinauit; ſed dependenter à ſua gratia & voluntate efficaci, vt ſola eſſentialiter reſpectu omnium ſupernaturali. De quo plura in 3. de gratia Chriſti, & virtutibus ſupernaturalibus.

De Gratia habituali & actuali, gratificante & gratis data.

NEc *B. Aug.* Authores noſtri videntur eas ſic inter ſe cõcorditer diſtinguere. Nam *B. Aug.* vix agit de gratia habituali: ſed de actuali, ſeu ad ſingulos actus. *Alenſis, & S. Bon.* ſupra, videntur confundere gratiam actualem cum habituali; & gratis datam, cum diſponente ad iuſtificationem. *Scotus in* 1 *d.* 17. & alibi, videtur reuocare in dubium habitus gratuitos, nec ipſe exprimere gratias actuales.

Resp. *B. Aug.* ſæpè profitetur gratias inhærentes ac permanentes. Vt Lib de moribus Eccleſiæ cap. 6. *Si non placet vocare virtutem, niſi habitum ipſum, & quaſi ſapientis animæ qualitatem: oportet vt anima Deum ſequatur, vt poſſit ei virtus innaſci.* Cap. 11. *Virtus quæ ipſius animi noſtri rectiſſima affectio eſt: ſi in nobis eſt, ipſa coniungit Deo, &c.* Lib. 1. De pecc. mer. & rem. cap. 9. *Chriſtus ſuis, etiam paruulis infundit ſui ſpiritus occultiſſimam gratiam.* 1. *Retr.* 24. & 25. De gratia intrinſeca *qua remittuntur peccata, & reconciliamur Deo.* Lib. 8. Trin. 6. & *Lib.* 14. *cap.* 15. De impreſſione veritatis, iuſtitiæ, & virtutum à Deo in animas. *Quæſt.* 24. *in Leuit. De ſanctificatione inuiſibilis gratiæ. Tract.* 8. in Epiſt. Ioan. *Vt Imperator per ſuum exercitum, agit quod ei placet: ſic Chriſtus in mente noſtra per fidem vtitur virtutibus quaſi miniſtris ſuis, &c.* Sed quia Pelagius fatebatur remiſſionem peccatorum, quaſi per quandam gratiam intrinſecam & permanẽtem, quamuis nec ab eo ſatis expreſſam: expreſsè autem negabat neceſſitatem gratiæ actualis ad ſingulos actus bonos; ideo *B. Aug.* vt plurimum agit de hac gratia eiuſque neceſſitate.

Alenſis p. 1. q. 11. m. 6. *Deus eſt in paruulis baptizatis per gratiam gratum facientem: ſed necdum*

Digitized by Google

per gratis gratis datas. P. 2. *q.* 19. *q.* 96. *m.* 2. *q.* 97. *m.* 1. De gratijs gratis datis *Adamo*, reſiſtendi tentationi, & diſponendi ſe ad gratiam gratificantem. P. 3. *q.* 69. *m.* 1. 2. Diſtinguit gratiam per varias denominationes. Vt *m.* 2. *a.* 5. *Gratia gratis dans, eſt ipſa voluntas Dei : gratia gratis data, eſt quodlibet donum ſine meritis ; ſed propriè gratum faciens, eſt primum donum ſalutare, vel prima virtus fidei, vel primus effectus remiſſionis peccatorum* .i. Gratia ex ingrato gratum faciens, diſpoſitiuè, vel formaliter. *Art.* 6. *Gratia gratis data, & gratum faciens habentem, & gratum reddent opus eius ad beatitudinem* .i. Non quaſi ſit eadem : ſed triplex denominatio. *m.* 3. Diſtinguit eam per varios effectus præparandi & adiuuandi voluntatem. Inter quæ : *Gratia præueniens*, inquit, *ſumitur propriè pro gratis data, &c.* Sed non reſtringit diuiſionem gratiæ ad ſolam actualem : quia poſſunt eſſe habituales & actuales ; ipſæque actuales ſunt quaſi annexæ habitualibus, imò & pleræque ſolent eſſe ordinariæ, quaſi habitualiter præſentes. Vnde ſubdit. *Gratia dicitur præueniens, vt ſemper præſto eſt in habitu ad cauſandum bonam voluntatem, quamuis non ſemper cauſet actu ; dicitur operans, vt cauſat actu.* Art. 4. *Gratia ſeu Deus per gratiam operatur in nobis cogitare, velle, & exequi bonum.* Quæſt. 70. m. 2. art. 3. ad 1. *Excitatio in ſtatu peccati mort. eſt à gratia gratis data, ſeu diſponente, &c. In ſtatu autem gratiæ, eſt à gratia gratum faciente.* Quæſt. 73. De gratia gratis data. m. 2. *Eſt propriè donum infuſum rationali creaturæ ſine meritis : quantùm in ſe eſt diſponens ad ſalutem propriã, vel ædificationem aliorũ.*

S. Bon. vt plurimum de gratia habituali : ſed & de actuali, ſub nomine influentiæ Dei & gratiæ gratis datæ, quæ non deſit adultis ad obſeruanda mandata Dei, & quæ diſponat ad habitum vel vſũ gratiæ. Vt *d.* 26. 28. *art.* 1. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. 2. 3. *Diſt.* 29. De gratia Adami, non tantùm gratis data, ſed etiam gratum faciente. Ex quibus inter ſe collatis ſatis patet eos ſub gratia gratis data vt communi, ſignificaſſe etiam actuales : non tamen ita expreſsè ; quia vel ſunt annexæ habitibus ad ſuos actus, vel ad eos referuntur, ſeu diſponunt, & ſunt quaſi habituales, ſeu ordinariæ.

Scotus autem *in* 1. *d.* 17. non reuocat in dubium fidei, ſed ſolius rationis & experiẽtiæ, quin dentur habitus ſupernaturales, &c. Vt *in* 3. *d.* 37. *in* 2. *d.* 26. De ſubiecto gratiæ habitualis. *D.* 27. De eius diſtinctione à virtute. *D.* 28. De gratia præcipuè habituali, vt neceſſaria ad remiſſionem peccati. Sed *Diſt.* 28. & 35. 36. 37. ſpecialiter de gratia actuali ad cauendum malum, & rectè volendum.

De Gratia Originali.

NEc *B. Aug.* nec Authores noſtri videntur ſatis inter ſe, & cum Conc. Trid. ac cenſuris *Pij* 5. conuenire. Nam *B. Aug.* ſupra ſæpè exprimit gratiam originalem *Adami* : & paſſim ex culpa & pœna originali etiam infantium, ſupponit fuiſſe gratiam gratis datam, & gratificantem, cuius priuatione naſcamur in hac culpa & pœna. Sed aliquando videtur illam gratiam ſtatuere in ſola rectitudine naturali, ſub communi auxilio *Dei*. Vt *lib.* 11. *in Gen. c.* 10. Adam habebat in natura poſſe, & in poteſtate velle, & non conſentire ſuadenti : *Deo adiuuante* .i. quaſi connaturaliter ſecundùm illam poteſtatem. *Lib. De corrept. & gratia, cap.* 11. & *De dono perſeuer. cap.* 7. quaſi gratia perſeuerandi fuerit in ſola poteſtate, & libertate Arbitrij. *Alenſis p.* 2. *q.* 96. *m.* 3. & 2. Quaſi Adam fuerit creatus in ſola rectitudine naturali, vt ſufficiente ad diligendum Deum propter ſe, & ad reſiſtendum omni tentationi : per gratiam quidem gratis datam, ſed quæ non erat niſi *continua influentia conſeruatiua à prima cauſa.* De qua intelligit *B. Aug.* quaſi ex *lib. de vera innocentia*, quod nos legimus ad finem *Epiſt.* 106. ſupra. *q.* 97. *m.* 1. Fatetur eſſe verius, quòd *Adam* ante lapſum habuerit gratiam gratum facientem : ſed poſt primam creationem in naturalibus. Sic & *S. Bon. d.* 24. *art.* 1. De vi naturali reſiſtendi tentationi : per ſolam continuationem diuinæ influentiæ conſeruatiuæ. De qua etiam explicat eandem ſententiam *Aug.* ſub finem *Epiſt.* 106. quaſi ex *lib. de vera innocentia. Diſt.* 29 *a.* 2. Homo priùs fuit conditus in naturalibus, quàm in gratuitis. *Ad* 1. 2. 3. explicat creationem hominis *Recti*, & ad *Imaginem & ſimilitudinem Dei*, ſucceſſiuè. *Scotus in* 2. *d.* 20. Quòd ſinguli in ſtatu innocenti potuiſſent peccare : ſed non peccaſſent. niſi *Adam* priùs peccaſſet. *Diſt.* 29. Si iuſtitia orig. habuit effectum perfectæ tranquillitatis inter omnes potentias animæ : fuit donum ſupernaturale. De quo videtur dubitare. *Diſt.* 32. *n.* 9. Deus lege ordinaria ſtatuerat dare iuſtitiam orig. vt nunc creat animam in corpore organico : Ergo vt connaturalem. *Reſp.* vt ſupra, De gratia ſupernaturali. *Ad B. Aug.* vel ſub prima natura & naturalibus, continet etiam gratuita : non vt cum illis confuſa, ſed vt illis infuſa. Vel per auxilium Dei non intelligit connaturale ipſi ſubiecto, ſed gratiæ habituali, ſeu ſtatui illi ſupernaturali. Nec vult gratiam perſeuerandi fuiſſe in libero Arb. *Adæ*, quaſi nihil aliud fuerit : neque etiam illi ſubfuiſſe, nec gratiam actualem ei ſemper inhæſiſſe ; ſed non ei defuiſſe, niſi ipſe priùs deficeret. *Ad Alenſem, & S. Bon.* Præferunt quidem opinionem quòd *Adam* fuerit creatus in ſtatu naturali : ſed non ſine gratia actuali, nec diu ſine habituali gratificante, & gratis data ; qua vtique peccando ſe & omnes ſuos Poſteros priuauit. Nec videtur hoc contra ſacram Script. vel Conc. Trid. aut Cenſuras ſupra : quia Deum feciſſe hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem ſuam, indicat diſtinctionem, & illius ſuppoſitionem. Feciſſe etiam hominem rectum, vel ſupponit factum fuiſſe, vel poſſet tam intelligi de priori rectitudine naturali, quàm de perfectione gratuita. Nec *Trid. ſeſſ.* 5. *Can.* 1. & Cenſura *Pij* 5. in *Prop.* 76. fruſtra exprimit conſtitutionem primi hominis in ſanctitate, & iuſtitia, vt diſtinctam ab ipſa creatione. In qua Cenſura per *Iuſtitiam illam naturalem* intelligitur ipſa originalis gratuita : vel ſaltem naturalis primæ inſtitutionis inter potentias vt tunc rectè ſubordinatas. Sine qua etiam potuiſſet *Adam* primò creari, cum gratia actuali rectè nihilominus operandi: ex *Prop.* 26. & *B. Aug.* toto lib. 3. De libero Arb. Ad *Scotum*, per illud *Si*, non tam dubitat, quàm ſuppo-

Digitized by Google

ſupponit : per, *Vt nunc creat* ; non æqualiter, ſed ſimiliter. De quo ſupra & infra.

De Gratia Operante, &c.

NOn videtur ſibi ipſe *B. Aug.* in ea explicanda conſtare : multò minus *Al.* & *S. Bon.* Nam. *S. Aug. lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. Aliter præſtat Deus vt velimus, aliter præſtat quod voluerimus : vt velimus, & ſuum voluit eſſe, & noſtrum ; ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quod autem voluerimus, ſolus præſtat. Sed *lib. De gratia & libero Arb. cap.* 17. Vt velimus, Deus ſine nobis operatur : cùm autem volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur, &c. *Al. p.* 3. *q.* 6. *m.* 3. *A. t.* 2. De diuiſione gratiæ in Operantem & Cooperantem. *Art.* 3. in præuenientem & ſubſequentem. Neutra ſolutio videtur eſſe ad mentem *Aug.* ſupponitque eſſe tantùm differentes effectus eiuſdem gratiæ habitualis. *S. Bon. d.* 27. videtur idem ſupponere. Et *Art.* 2. *q.* 1. *ad.* 2. Diuiſio gratiæ in præuenientem & ſubſequentem, eſt penes effectus liberandi à malo, & ordinandi ad bonum. *Q.* 2. *ad* 3. Gratia vt cooperans, eſt ordinatiua virtutis. *Reſp.* Non eſt eadem diuiſio, & expoſitio gratiæ, *Lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. quæ *Lib. De gratia & lib. Arb. cap.* 17. ſed ibi ; *Aliter præſtat Deus vt velimus* .i. ipſum noſtrum velle cauſaliter ; non ſine nobis, ſed nobiſcum. *Quod autem voluerimus* .i. non actum noſtrum præteritum ; ſed noſtrum volitum præſens, & æternum ; *Deus ſolus præſtat* .i. inquit, *poſſe benè agere, & ſemper beatè viuere.* Hìc autem, *Vt velimus ſine nobis operatur* .i. *Vt*, finaliter, ſeu ad hoc *vt velimus*, *operatur ſine nobis*, quia præuenit & præmouet nos ad benè volendum, ante omne noſtrum meritum, conatum, & deſiderium benè volendi ; ſicque ſemper *ſine nobis* meritoriè aut diſpoſitiuè ; non tamen ſemper ſine nobis liberè vel actiuè, ſed aliquando per obiecta, motiua, vel motus quoſdam animi nobis prorſus improuiſos ac impoſſibiles, quaſi paſſiuè tantùm afficientes & allicientes animum ad aſſenſum vel conſenſum. *Cùm autem volumus, &c. nobiſcum cooperatur* : non tantùm ad actum vel effectum poſteriorem ; ſed in hoc ipſo velle, ad quod præmouit nos. Sic & *lib. De natura & gratia*, c. 31. *Operamur quidem & nos : ſed illo operante cooperamur ; quia miſericordia eius præuenit nos* .i. præueniendo nos, ſicque *operando ſine nobis*, facit nos operari, ſibique cooperari, à primo bono velle noſtro vſque ad vltimum.

Nec ſenſus *Alenſis* & *S. Bon.* ſunt alieni à *B. Aug.* ſed continent ipſum ſenſum *B. Aug.* & in illo continentur. Tum quia Deus eſt qui principaliter operatur, & cooperatur per ſuam gratiam, ſiue habitualem, ſiue actualem : Tum quia nunquam per habitualem, niſi ſimul per actualem ; Tum quia nunquam per actualem, niſi ſupplendo defectum habitualis, & diſponendo ſubiectum ad illam. Tum quia omnes hi ſenſus *Alenſis* ſunt veri : ergo nullus eſt alienus ab *Aug.* imò nec illi ignotus. Tum quia ex ipſa mente *Aug.* vt *Alenſis*, gratia præueniens propriè eſt gratis data .i. diſpoſitiua ad gratiam ſubſequentem, vt gratum facientem : & propriiſſimè, gratia præueniens eſt etiam gratia gratum faciens diſpoſitiuè, ad remiſſionem peccati, quia hæc eſt prima præuentio ; & gratia ſubſequens propriiſſimè eſt ad perfectionem boni, vltra remiſſionem peccati. Gratia *Operans* eſt qua bonum volumus .i. qua fit vt velimus : *Cooperans* eſt qua exequimur, non tantùm bonum aliud volitum, ſed etiam proprium bonum velle. Poteſt etiam dici gratia operans qua bonum facimus, cooperans qua malo reſiſtemus : quia plus eſt facere bonum, quàm tantùm cauere malum, & ideo illud plus Deo tribuendum. Sed optimè *Al.* identificat realiter, & diſtinguit quodam reſpectu. gratiam tam Præuenientem & Operantē, quàm Cooperantem & Subſequentem : Quod eadem gratia dicatur præueniens, vt ſemper præſto eſt in habitu .i. in potentia proxima inhærente, vel ipſius Dei aſſiſtente ; Operans autem, vt cauſat actu ; Subſequens, reſpectu præuenientis ; Cooperans, reſpectu liberi Arb. In quo vt recipiente, ſola gratia dicitur Operans, non illud huic cooperans : ſed vt liberum Arb. etiam agit per gratiam, dicitur cooperans gratiæ. De reliquis ſucceſſiuè.

Contra neceſsitatem gratiæ.

1. EX ſacra ſcript. Eccli. 15. *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui, &c.* Vt col. 425. Eccli. 31. Laudatur *qui potuit facere mala, & non fecit.* Deut. 30. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te, &c. ſed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Sic & Rom. 10. *Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo : hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.* Matt. 11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus leue.* Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Sed de conſilio caſtitatis ibidem : *Qui poteſt capere capiat.* Rom. 1. *Cùm cognouiſſent Deum : non ſicut Deum glorificauerunt.* Cap. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt.*

Ex *Conc. Trid. cap.* 11. De poteſtate & facilitate obſeruandi mandata Dei. Vt & *Can.* 6. 18. Et ex Cenſuris *Pij* 5. in Prop. 16. 22. 25. 27. 28. 34. 35. 36. 39. 48. 49. 52. 58. 59. 61. 65. 71. 72. 73. Vt à *col.* 283. ad 303. Quatenus negant omnē poteſtatem liberi Arb. ad cauendum malum, vel ad bonū morale : ſtatuuntque neceſſitatem peccandi, & impoſſibilitatem ſeruandi mandata.

Ex ipſo *B. Aug. Lib. De ſpiritu & littera cap.* 12. De illis, Rom. 1. *Sicut magna ingenia quærere perſtiterunt : ſic Deum inuenire potuerunt.* Infra. *Illis per creaturam cognitoribus Creatoris, ea ipſa cognitio nihil profuit ad ſalutem, &c.* Cap. 27. 28. Vt *col.* 311. 312. Lib. 5. Ciu. cap. 11. De virtutibus Romanorum : *quibus ſi Deus neq; hanc terrenam gloriā concederet, non redderetur merces bonis eorum artibus.* Lib. 8. De laude philoſophiæ Platonicæ cap. 9. *Plato non dubitat hoc eſſe philoſophari, amare Deum.* Cap. 19. *Cùm illi Philoſophi ingenia ſua contriuerint in requirendis rerum cauſis : iſti in Deo cognito repererunt.* Lib. contra mendacium cap. 15. *Reſtat vt intelligamus illis obſtetricibus*, Exod. 1. *pro humanitate & miſericordia redditam fuiſſe mercedem temporalem.* Ergo ob opus moraliter bonum :

quod ſi fuiſſet peccatum, potiùs fuiſſet puniendum, quàm remunerandum. *Quæſt.* 42. ex 83. *Non defuerunt qui iuſtitiæ ſuauitatem cum corporalibus omnibus laboribus, & propter ipſam iniurijs, ita compenſarent: vt ſequeſtrata ſpe futuræ vitæ iucundius præ amore veritatis torquerentur, quàm luxurioſi præ cupiditate ebrietatis epulentur.* Sic & lib. de patientia, cap. 26. vt *col.* 306. *Libris de Trin.* & alibi, de reliqua adhuc imagine naturali Dei in nobis. Vt *col.* 400. *Lib. De Immortalitate animæ & contra Secund.* De indefectibilitate animæ rationalis, & viriū eius vſque in nihilum. Vt *col.* 378. 404. *Lib. De perfect. iuſtitiæ, cap.* 19. vt *col.* 365.

Ex *Al. p.* 2. *q.* 30. De naturali dilectione Dei ab Angelis. *q.* 96. *m.* 1. *ad* 9. De poſſibili dilectione naturali Dei ſuper omnia, in ſtatu innocentiæ. *m.* 2. De poſſibili reſiſtentia naturali contra tentationes. *P.* 3. *q.* 69. *m.* 3. *a.* 2. *ad Arg. m.* 5. *a.* 2. §. 1. *Ad* 1. *art.* 3. De faciente quòd in ſe eſt. Vt *col.* 59. 60. 61.

Ex *S. Bon. in* 2. *d.* 18. De neceſſitate gratiæ. [*Art.* 2. *q.* 1. Gratia gratum faciens non præexigit diſpoſitionem gratiæ gratis datæ. *Ad* 4. *art.* Facere quod in ſe eſt poſitiuè ordinatum ad gratiam, diſponit ad eam: ſed facere quod in ſe eſt priuatiuè .i. quantum poteſt, ſed non ordinatum ad gratiam, non diſponit ad eam. *q.* 2. Liberum Arb. nec poteſt ex ſe cuilibet tentationi reſiſtere, nec cuilibet neceſſariò ſuccumbit. *Infra.* Eſt valde durum, quod in hoc ſtatu nulli poſſit reſiſtere: cùm habeat naturale iudicatorium, & quendam inſtinctum naturalem remurmurantem contra malum, nec ſit etiam in malo confirmatum. *Quæſt.* 3. Liberò Arb. relicto in puris naturalibus, per naturale iudicatorium, & inſtinctum, poſſet in aliquod bonum ex materia, vel aliqua debita circumſtantia, Deo ſibi cooperante vt alijs creaturis, &c.] Vt *col.* 131.

Ex Doctore noſtro Subtili *quæſt.* 1. *Prologi. In* 2. *d.* 18. *in.* 4. *d.* 43. & 49. De ſubiecto, obiecto, & fine ſeu perfectione naturali hominis. *In* 1. *d.* 17. *q.* 3. *n.* 28. ad 1. *Actus qui eſt meritum eſt in poteſtate mea, ſuppoſita influentia generali, ſi habeo vſum liberi Arb. & gratiam: non completio eius in ratione meriti, niſi diſpoſitiuè, ſed infallibiliter, ex ordinatione Dei; vt ad organizationem ſequitur animatio.* n. 29. *Quia appropinquat errori Pelagij; Deum acceptare naturam, & eius actum naturalem ad beatitudinem, & eius meritum, vel ſine merito: veriſimilius creditur, quod non acceptet niſi per habitum ſupernaturalem.* N. 33. ad 2. *Voluntas nuda poſſet amare obiectum cognitum: ſed nec meritoriè, nec beatificè.* In 2. *d.* 13. *q.* 9. De cognitione naturali Angelorum *d.* 7. *n.* 15. *An Viator poſſit habere aliquem motum attritionis ex puris naturalibus, exiſtente influentia generali, vel requiratur aliqua operatio ſpecialis.* De hoc *in* 4. *d.* 14. *q.* 2. *Diſt.* 33. De quadam beatitudine naturali defunctorum in ſolo originali. *In* 4. *d.* 14. *q.* 2. *Peccator in ſtatu peccati poteſt ex naturalibus conſiderare peccatum vt offenſiuum Dei, &c. Et poteſt voluntas illud deteſtari abſq; vllo neceſſario defectu morali ob ſtatum peccati, &c. q.* 17. De dilectione Dei naturali.

Ex tam irrationabili neceſſitate, & impotentia creaturæ rationalis.

Reſp. Ad ſacram Script. Vbique ſupponi gratiam aliquam. Vt *Eccli.* 15. *Ne dixeris, per Deum abeſt.* .i. per illum ſtat. *Deus ab initio conſtituit hominem, &c.* Ergo ſupponit primam hominis conſtitutionem, & gratiam ſaltem ſupplentem defectum naturalem liberi Arb. ad cauendum peccatum, in obſeruantia cuiuſuis præcepti diuini. Quâ gratiâ nec primus, nec reliqui homines priuati ſunt ob primam culpam orig. ſed gratijs originalibus, habitualibus, earumque actualibus; non autem neceſſaria ad ſupplendum ipſum ſolum defectum naturalem liberi Arb. ſed tantùm vitioſos. Vnde ſubdit: *Adiecit mandata* .i. non tantùm ante, ſed & poſt lapſum: ergo non niſi poſſibilia etiam poſt lapſum, per gratiam neceſſariam. Nec *reliquit eum in manu conſilij ſui*, quaſi ſine vlla gratia: ſed *conſtituit* ſeu poſuit & reliquit eum in tali ſtatu naturæ, & ſupplemento gratiæ ad hoc neceſſariæ. Eodem ſenſu, *Deut.* 30. *Mandatum quod tunc præcipiebatur*, & poteſtas illud obſeruandi, non erat *ſupra* Iudæos, nec *procul ab illis*: ſed *iuxta eos erat ſermo* mandati .i. ipſa *littera* legis, ad eam obſeruandam ſaltem *litteraliter* ſine peccato; non ſic autem ſpiritualiter, vel meritoriè ad ſalutem. Vel erat tam facilè, ac dicere & velle, &c. *Matt.* 11. *Iugum Chriſti ſuaue eſt, & onus leue*: præ lege antiqua *Moyſis* & naturæ; ex ſpeciali gratia Chriſti pro lege noua. Vt *col.* 349. 365. *Matt.* 19. Chriſtus tacitè approbat poteſtatem ordinariam obſeruandi mandata ſaltem litteraliter, ſed eam tribuit Deo ſeu eius gratiæ, non libero Arb. *Rom.* 1. *Cùm cognouiſſent Deum, &c.* Non ex ſolis viribus naturæ; ſed aliquo Dei auxilio gratuito, inter infinitos errores poſſibiles, & propè infinitas ſeductiones ab illa punctuali veritate. Hinc illa, *Ira Dei ſuper tales, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent* .i. ſibi appropriant, nec vtuntur ad ſuum finem, ſed abutuntur. *Deus enim illis manifeſtauit*: quamuis *per ea quæ facta ſunt*; non tamen vt per obiecta & motiua tantùm naturalia, ſed vt per inſtrumenta gratiæ, ſeu prouidentiæ Dei ſpecialis & gratuitæ, &c. *Rom.* 2. Gentes, vel conuerſæ, vel adhuc infideles, naturaliter quæ legis ſunt faciunt .i. vel adhuc ex aliqua inclinatione naturali & rationali, ſed non ſine gratia ſupplente ſaltem defectum naturalem; vel etiam ex gratia fidei; vel nec perfectè moraliter. *Rom.* 10. *Prope eſt verbum* fidei, *in ore tuo, & in corde tuo* .i. obiecta fidei, & gratia credendi. *Rom.* 14. *Quod non ex fide, peccatum eſt.* Non neceſſariò ex fide habituali, vel actuali perfecta; ſed ex aliqua ſaltem *inchoatione fidei*, ſeu vera aliqua cognitione gratuita. De quibus infra ex *B. Aug.*

Ad Conc. Trid. Hoc ipſo profitetur mandata Dei eſſe homini poſſibilia, per gratiam ad hoc neceſſariam: quò *cap.* 11. tam grauiter inhibet, ne quidem vocentur homini impoſſibilia; & tamen *Can.* 1. 2. & 3. tam perfectè definit neceſſitatem gratiæ ad omne verum & bonum ſaltem ſalutare, & contra omne malum oppoſitum. Quod enim ait, *Can.* 3. *Sicut oportet, vt iuſtificationis gratia conferatur*: non relaxat illam neceſſitatem gratiæ, ad ſolam iuſtificationem; ſed nec ad minimam diſpoſitionem, nec ab vlla maiori indignitate ad minorem, ſine aliqua gratia ſaltem minùs peccandi.

Digitized by Google

tandi. Nec *Can.* 6. definit homines poſſe peccare: quod eſſet ridiculum definire; ſed non neceſſariò peccare, ex impotētia non peccandi. Nec *Can.* 18. reſtringit poteſtatem obſeruandi mandata Dei, ad ſolos iuſtificatos: ſed ſaltem ad illos, quibus remiſſa eſt omnis culpa, & priuato gratiæ neceſſariæ, non ſolum ad ſupplendum defectum naturalem liberi Arb. ſed etiam vitioſum, ſeu peccando contractum.

Ad Cenſuras. Omnes illæ propoſitiones æquiſſimè cenſurantur. Quia vel negant libertatem ſeu poteſtatem moralem obſeruandi mandata Dei, & cauendi ſingula peccata occurrentia: contra illas expreſſas definitiones ſacri Conc. Trid. Vel negant infideles ante ſtatum fidei præueniri varijs gratijs, quantumuis remotè diſponentibus ad fidē aut iuſtificationem: contra expreſſam doctrinam eiuſdem *Conc. ſeſſ. 6. Cap. 5. & 6.* & contra anathema *Can. 7. 8.* Vel negant, aut protſus extinguunt liberum Arb. contra *Cap. 1. & Can. 5.* eiuſdem *Conc. ſeſſ. 6.* Vel quia tribuunt ſententias oppoſitas Palagio, eiuſque hæreſi. Ad quæ 4. motiua poſſunt omnes illæ Cenſuræ reuocari. Vt 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Non cenſuratur ad approbandum aliqua opera infidelium, aut virtutes Philoſophorum, quoad doctrinam vel praxim, ex ſolis naturæ viribus, ſine vlla gratia: ſed ad reprobandum quòd talibus non dentur aut datæ fuerint aliquæ gratiæ extra ſtatum ſeu habitum fidei, ad veram aliquam doctrinam & rectam praxim alicuius virtutis, ſeu operis eius. Vt ſupra & infra ex *B. Aug.* 27. *Liberum Arb. ſine gratia Dei adiutorio non niſi ad peccandum valet.* Non cenſuratur ad approbādū quòd ex ſolis naturæ viribus, imò in ſuo ſtatu vitioſo valeat, ſeu ſufficiat ad vllum opus bonū ſine peccato, ſed ad reprobandum quod liberum Arb. Viatorum quamuis vitioſum, ſit amiſſum, extinctum, mortuum, ſeu priuatum omni ſua vi naturali, vel etiam gratia ſupplente ſolum defectum naturæ ad non peccandum, ſed moraliter operandū. 28. Cenſuratur eodem titulo: & quia tribuit ſuum oppoſitum Pelagianiſmo. Reliquæ, aut pleræque meritò cenſurantur: quia negant potentiam moralem obſeruandi moraliter ſingula mandata Dei obligantia, per aliquam gratiam ad hoc neceſſariam: non tantùm vt poſſibilem, vel in Adamo amiſſam; ſed vt mediatè vel immediatè præſentem, ſaltem ad ſupplendum defectum naturalem liberi Arb. ſi non ad ſuperandum defectum vitioſum & voluntarium.

Ad B. Aug. De ſpir. & litt. 12. Comparat cognitionem Dei ex lege, & ratione ex creaturis: ergo ſicut illa eſt ex aliqua reuelatione; ita & hæc ex aliqua ſpeciali illuminatione, directione, & præſeruatione ab erroribus & fallacijs oppoſitis. Cùm *B. Aug.* tam ſæpè inculcet non eſſe in poteſtate noſtra *quæ viſa nobis occurrant*, vel *occurrentia moueant*, & alijs præualeant ad aſſenſum. *Cap. 26. 27. 28.* Præfert ſenſum *Rom. 2.* De gentibus ad fidem conuerſis: quòd hæ *naturaliter quæ legis ſunt faciāt*; non ſine gratia, ſed ex *naturâ per gratiam reparatâ*, ſine qua potiùs agit *vitioſè* quàm naturaliter. Nam profert tantùm alterum ſenſum ſub conditione, *Si*: à qua ſuſpenduntur omnia ſequentia, ideoque non poſſunt opponi alijs abſolutè dictis à *B. Aug.* Nec tamen hæc illis derogant: quia non agunt niſi de factis externis infidelium, quæ iuſta & laudabilia videntur; reuocando in dubium qua intentione & fine fiant. Nec illa, *Vix inueniuntur, &c.* ſupponunt talia inueniri, ſed totū ſub incerto recludunt ac ſuſpendunt. Quod ſi quæ moraliter perfecta inueniantur: nonniſi ex aliqua gratia ſupplente defectum naturalem, vel ſuperāte etiam vitioſum, &c. vt ſupra. Quam gratiam *B. Aug.* tam ſæpè ſupra profitetur dari etiam infidelibus, ad cauendos errores, & percipiendam veritatem: quanto magis ad opera moralia, ſi quæ ab infidelibus moraliter perficiantur? Hinc tribuit illis hîc & alibi ſæpè *mitiorem punitionem*: vel propter eadem opera vt minùs mala: vel *mitiorem* propter alia mala quā ſi & hæc mala eſſent. Comparat autem hæc bona moralia vt inutilia ad ſalutem æternam, cum peccatis venialibus vt non cōtrarijs ſaluti æternæ. Sed dum ſubdit, *Sine quibus bonis operibus moralibus difficillimè vita cuiuſlibet peſſimi hominis inuenitur*: ſatis indicat ſe non loqui de perfectis moraliter, quæ ſupra dixerat *vix inueniri.* Denique, cùm bona illa moralia vt talia non poſſint eſſe ſalutaria, non tantùm ad aliquod bonum ſupernaturale, ſed nec à malo culpæ vel pœnæ pluſquam naturali aut morali: non poſſunt prodeſſe ad minorem damnationem, niſi ex aliqua gratia ad hoc relatiua, vel referente. Nec *B. Aug.* vult reliquam imaginem naturalem Dei in nobis ſufficere ad vllum verum & bonum ſine vlla gratia: cùm tam ſæpè conqueratur de abuſu huius ipſius reliquæ imaginis naturalis Dei in nobis, ad varios errores & peccata. Vt ſupra *col.* 402. De operibus Romanorum, & obſtetricum, ipſe *B. Aug.* ibidem monet non fuiſſe moraliter perfecta: ſed ob aliquid boni moralis digna fuiſſe aliqua mercede temporali. Negat quidē ſæpe animam rationalem poſſe deficere vſque ad nihilū ſui & ſuarum virium naturalium: ſed vſq; ad inſufficientiam verè & rectè operandi, contra errores fallacias, & vitia præualentia. Refert patientiam mirabilem quorūdam infidelium, & hæreticorum, aut Schiſmaticorum, pro veritate, æquitate, & pro Chriſto ipſo: ſed & refert æqualem patientiam peſſimorum hominum, pro ſuis erroribus & vitijs. Ergo vel non refert illam vt purè naturalem, ſine vllo auxilio gratiæ, vt patet ex *col.* 366. vel non vt perfectam moraliter ab omni vitio interno vanæ gloriæ, pertinaciæ, & libidinis propriæ etiam in patiendo. Nihili autem facit ad cauſam de neceſſitate gratiæ, voluntatem & facilitatem naturalem nubendi: non quaſi moraliter & perfectè ad ſuum finem, abſque vllo defectu morali, ſine vllo auxilio gratiæ, cùm hoc ſit difficillimum; ſed naturaliter, iure ac more humano. Quod nec inquit, *prodeſt*: *niſi Deus prouidentia qua gubernat omnia, marem feminamq; coniungat*: quamuis ſolùm affectu coniugali, non ſine annexo defectu & vitio humano.

Ad Alenſ. De faciente quod in ſe eſt, &c. Vt in 4. *col.* 756. 757. ex illo eiuſdem Alenſis *P. 4. q. 68. m. 1.* Ad vlt. *Peccator in peccato non poteſt facere quod in ſe eſt, vt gratiam recuperet: quia hoc eſt conſentire gratiæ præuenienti, quæ nō eſt in eius poteſtate.*

Ad

Digitized by Google

Ad quem ſenſum omnia reliqua reuocanda ſunt. Vt *q. 69. m. 3.* art. 3. *Facere quod in ſe eſt, non præuenit gratiam meritoriè, ſed diſpoſitiuè.* m. 2. art. 3. *Deus dat gratiam facienti quod in ſe eſt : ex ſola liberalitate, ſed immutabiliter, &c.* Ad 5. *Si quis faciat quod in ſe eſt : ſequitur diſpoſitio diuini auxilij.* Ad 6. *Facere quod in ſe eſt : in quouis homine, eſt vti recta ratione, ſeu notitia Dei, ad eum orandum, &c.* Non tamen ſine gratia præueniente, hanc rectam rationem, & voluntatem orandi. Vt expreſsè etiam *q. 70. m. 2. Art. 3.* Ad 1. *Excitatio in ſtatu peccati mort. eſt à gratia gratis data, ſeu diſponente: quæ in fidelibus eſt fides informis, in infidelibus eſt ipſa recta ratio; quia licet hæc inſit naturaliter, tamen à Deo gratis datur, & mouet ad bonum gratis datum.* Nec *p. 2. q. 96. & 99.* De gratia *Adami*, excipit ſtatum innocentiæ ab hac neceſſitate gratiæ. Quamuis enim videatur tribuere naturæ in illo ſtatu vim diligendi Deum propter ſe, & ſtandi ac reſiſtendi, ſine noua gratia, cum *continua influentia Dei ſuſtentante :* hæc tamen neceſſaria *influentia* erat quidem connaturalis illi ſtatui, vt ſupernaturali, ſed erat gratia ſupernaturalis ipſi ſubiecto naturali. Et quamuis tantùm ſuſtentaret, & adiuuaret habitum ſupernaturalem : præueniebat tamen ſubiectum, ſeu intellectum & voluntatem naturalem, ſaltem per aliqua viſa & motiua congrua, quæ non erant in eius poteſtate. Nec aliter tribuit tunc vim naturalem amandi Deum propter ſe. Nam *q. 30.* De dilectione naturali Dei ab Angelis. *m. 1.* art. 2. *Dilectio naturalis eſt ſummi Boni propter diligentem : nec eſt media inter bonum & malum, ſed plus inclinat ad gratuitam, quàm vitioſam.* §. 2. *Natura poteſt diligere creaturam propter ſe : non tamen Deum propter ſe, niſi ex gratia; quia poteſt ex ſe deficere, non perfici, &c. q. 69. m. 1. a. 1. ad Arg.* Creatura rationalis non poteſt in finem ſuum ſupra ſe, niſi ex gratia. Sic & ad *S. Bon.* vt ſupra *col. 267. 269. & in 4. col. 730. 757. 758.* Nam *S. Bon. in 2. d. 28.* art. 2. *Gratia gratum faciens non præexigit diſpoſitionem gratiæ gratis datæ:* Quia id tantũ in adultis liberè indiſpoſitis. Ad 4. *Facere quod in ſe eſt poſitiuè ordinatum ad gratiam : diſponit ad eam.* Sed ſic ordinari non poteſt, niſi per aliquam gratiam actualem. Ad 5. *Vt comedere nihil eſt ad gratiam ſuſcipiendam:* ſic nihil aliud, niſi ex prima gratia. In quem ſenſum plura infra de ſufficientia gratiæ etiam præſentis. Sed *diſt. 3. p. 2. a. 3.* De dilectione naturali Angelorum. *q. 1. Tam homo quàm Angelus erat tunc habilis ad diligendum Deum propter ſe ſuper omnia.* Ad 2. *Motus hic differt à motu gratiæ, &c. ibi.* Quaſi contra *Al. p. 2. q. 30. m. 1. art. 2. §. 2.* Verùm *Al. q. 30.* agit de dilectione naturali Dei ab Angelis, ex ſolo principio intrinſeco naturali : *S. Bon.* ex gratia originali, vel actuali; cuius tamen motum diſtinguit à motu gratiæ gratificantis, vel per Chriſtum, vt & ipſe *Al. q. 96. m. 1. ad 9.* Hinc *S. Bon. 2. d. 3. a. 3.* non cenſet cõtra *Al.* quòd quis poſſit naturaliter eleuare ſe ſupra ſe, nequidẽ obiectiuè, ſine gratia actuali, vt infra. Idem *d. 28. art. 2. q. 2. Eſt valde durum, &c.* Q. 3. *Circumſcripto omni munere gratiæ & libero Arb. relicto in puris naturalibus, &c.* ibi. Sed infra recapitulando, ſe totùm exprimit, dicens inter alia. *Licet poſſet in aliquod bonum morale; vix aut nunquam faceret niſi malum, ob peccati orig. corruptionem, &c.* Nec illud, de perfecto bono morali. Vt patet ex eadem *quæſt.*

Ad *Scotum*, vt *in 4. col. 757. 758. 759.* Adde quòd vt creatura rationalis eſt nimis perfecta, quàm ab vlla cauſa ſecunda produci poſſit : ſic & eius finis ac perfectio maior eſt quàm vt à ſeipſa ſine gratia perfici poſſit. Hinc *Scotus in 1. d. 17. q. 3.* & alibi ſæpè comparat infuſionem gratiæ homini diſpoſito, infuſioni animæ corpori organizato: non æqualiter, ſed ſimiliter, vt ſupra *col. 409.* Vt ergo *in 2. d. 7. n. 24.* Dæmones quamuis poſſent *non exeunt in actum bonum moraliter ob vehementem malitiam* : ſic *S. Bon.* ſupra, de homine ſine vlla gratia; niſi quòd viatori poſſit adhuc dari gratia, non damnatis. Hinc non eſt credibile *Scotum* tribuiſſe naturæ vires ſufficientes cognoſcendi & amandi Deum moraliter, ſine vllo errore, aut defectu morali. Vt infra ſub ratione 3.

Ad rationes : Variæ referri poſſunt, ex *S. Aug. Al. S. Bon. Scoto*, ſupra; & plures inde excogitari. 1. Ex *S. Aug. lib. 3. De libero Arb.* Contra *Secund.* & *Alenſis, p. 2. q. 13.* Quia creatura rationalis eſt ex nihilo : ergo & defectibilis ex ſe in infinitum, à perfectione eſſendi & operandi, niſi per gratiam ſuſtineatur, præſeruetur, aut liberetur. Vt ſupra De Angelis, *à col. 260. ad 269.* Nec obſtat, quòd ſint indiuiſibiles, & naturaliter indefectibiles in eſſendo, ſicque videri poſſint in operando : id enim de indefectibilitate naturæ & potentiæ, non autem ipſius operationis, à ſuo obiecto, fine, & intrinſeca perfectione naturali per ignorantiam & errores, morali per vitia & peccata. Cùm enim ſint, habeantque vim propriam operandi, nec vllum contrarium ſibi præualens in eſſendo & agendo : nonpoteſt fieri naturaliter quin ſint, poſſint, & operantur; nec conſeruatio earum à Deo in eſſendo, aut concurſus Dei neceſſarius in operando, cenſetur eis ſupernaturalis aut gratuitus, ſed connaturalis & ex conſequenti debitus. Cùm tamen ex natura ſua ſint potiùs in infinitum defectibiles à perfectione naturali, & morali operandi, quàm perfectibiles in operando : non exigunt naturaliter motionem ſpecialem & concurſum Dei ad perfectionem operandi; ſed potiùs ſecundum earum defectibilitatem. Hinc omnis Dei motio & concurſus ſpecialis ad perfectionẽ : imò & omnis ſuſtentatio, eleuatio, & præſeruatio ab infinitis defectibus poſſibilibus, vel à peioribus, circa ſuum obiectum & finem, meritò cenſetur & eſt gratuitus, ſuoque modo ſupernaturalis, ſeu ſupra illam defectibilitatem creaturæ rationalis. Vt ſæpè *B. Aug. 2. Conf. 7. Hom. 23. ſupra.* Nec eſt par ratio de alijs creaturis, & cauſis ſecundis. Tum quia gratiæ non ſunt niſi gratis datæ, & capacibus eas grato animo recipiendi. Tum quia reliquæ cauſæ ſecundæ habent fines infimos, à quibus vix poſſunt ad inferiores deficere : ſed creatura rationalis habet finem ſupremum, à quo ad inferiores in infinitum deficere poteſt. Tum quia reliquæ cauſæ ſunt naturaliter determinatæ ad vnum eundemque modum agendi circa ſua ſubiecta, vel obiecta determinata, & præſentia:

ſed

Digitized by Google

ſed creatura rationalis eſt ex natura ſua indeterminata, ſuique ipſius liberè determinatiua ad operandum vel non, hoc vel illo modo, circa varia obiecta diſparata, imò & contraria, non tantùm per voluntatem, ſed etiam per alias potentias ob ea dependentes; ergo ſunt illis ex natura ſua defectibiliores, & dependentiores ab influentia Dei gratuita, ſibique ſupernaturali ſeu ſupra ſuam defectibilitatem. Tū quia reliquæ cauſæ ſunt tantùm defectibiles naturaliter: hæ autem etiam moraliter, & iuſtè imputabiliter, ad culpam & pœnam temporalem, & æternam; ideoque magnæ gratiæ eſt has præſeruare, aut liberare à tantis periculis.

Non quod tanta defectibilitas creaturæ rationalis in operando, nulla Dei prouidentia ſeu moderatione connaturali cohibeatur: cùm ex *B. Aug. 9. in Gen. 17. Spiritus creatus habeat ſuos appetitus determinatos, quos etiam mala voluntas non poſſit excedere*: & Lib. De prædeſt. SS. *In malorum poteſtate ſit peccare; non autem vt peccando hoc vel hoc faciant, &c.* ſed quòd ſola neceſſaria limitatio & moderatio ordinaria huius defectibilitatis, & cuiuſuis imperfectionis, ſit cōnaturalis; citra terminū autē ordinarium, cenſeatur gratuita & ſupernaturalis. Imò quia hæc defectibilitas creaturæ rationalis non eſt quaſi à perfectione communi ſuæ ſpeciei, quæ requireret prouidentiam Dei ordinariam ad conſeruationem ſpecierum: ſed eſt perſonalis ſingularum, ſine periculo ne hæc ſpecies, imò nec vllum eius indiuiduum naturaliter deficere poſſit à ſua propria exiſtentia & potentia; hinc non tam videtur eſſe prouidentia Dei connaturalis ordinaria & communis circa creaturam rationalem, quā libera, gratuita, & ſupernaturalis circa ſingulas. Niſi quod omnes ex natura ſua requirant conſeruationem perpetuam ad exiſtendum, & concurſum connaturalem ad operandum aliquo modo rationali: non tamē quo, nec quàm perfecto vel imperfecto, niſi ex aliqua gratuita & ſingulari circa ſingulos prouidentia Dei.

21. Ex eodem *B. Aug. Lib. 12. Ciu. 9.* & vbique cōtra Pelagiū, ſupponit creaturam rationalem non poſſe naturaliter ſeipſam perficere, ſeu facere meliorem quàm Deus eam fecerit. Non enim ſolùm eſt tam defectibilis, vt non poſſit ex ſe naturaliter ſiſtere, limitare, & moderari hanc ſuam tantā defectibilitatē: ſed eſt etiam tam perfectibilis, ſeu capax tantæ perfectionis, naturalis, moralis, & ſupernaturalis; vt ſicut non poteſt niſi à Deo immediatè fieri, ſic nec perfici, non tantum ſumma, ſed nec vlla perfectione, niſi ex aliqua gratia Dei. Quia ſi vt ſupra, non poteſt naturaliter ſiſtere, limitare, vel moderari ſuam tantam defectibilitatem: quantò minus perficere, vel promouere ſupra ſe tantam ſuam perfectibilitatem, ſeu capacitatem perfectionis? Vt ſupra *col. 262.* ex *B. Aug.* de Angelis. *Niſi Deus qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſe ipſo faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando auidiorem, &c.* Nec obſtat quòd quæ generantur imperfecta, naturaliter perficiantur, imò & ſeipſa perficiant, creſcendo, vegetando, ſentiendo: ſicque videantur creaturæ rationales ſeipſas naturaliter poſſe perficere, proprijs actibus, & habitibus intellectualibus, ac moralibus. Quia illa non perficiuntur ſubſtantialiter, niſi à ſuo generante, vel à cauſa ſecunda ſuperiore, vel à Deo ſupplente, vel ab aliqua anima ſibi ipſi corpus ſuū perficiente: imò nec perficiunt ſeipſa accidētaliter, niſi vi aliqua propria perfectiore; nec ſunt perfectibiliora, quàm ſint ab ipſo generante perfecta .i. maiori perfectione quā ſua propria naturali & connaturali, eaque determinata, & valde limitata. Sed creatura rationalis eſt ex ſe indeterminatè & illimitatè perfectibilis, ſeu capax maioris in infinitum perfectionis, naturalis, moralis, & ſupernaturalis: quamuis non ſubſtantialis, ſed accidentalis; neceſſariæ tamen ad proprium finem tali ſubſtantia meliorem ſeu perfectiorem. Qui non eſt ſola operatio intrinſeca, propria & perfecta talis naturæ, ſed etiam obiectum infinitè melius ſeu perfectius: ad quod & propter quod ſolum, eſt tota creatura rationalis, & omnis eius operatio; & à quo obiectiuè ac finaliter eſt tota illius perfectio .i. Creatura rationalis non non eſt digna ſua exiſtentia, potentia, conſeruatione, vel vlla influentia Dei, niſi propter illud obiectum vt finem, ſeu vt circa illud ſuo modo perfectè operetur. Nec ipſa eſt digna, nec capax circa illud perfectè operandi: ſed ipſum ſolum eſt dignum vt tales creaturæ ſint, poſſint, & circa ſe ſuo modo perfectè operentur.

Cùm ergo obiectum & finis creaturæ rationalis ſit infinitæ perfectionis obiectiuæ ac finalis, dignumque perfectione infinita cognitionis & amoris: hoc ipſo non niſi per gratiam dignatur finitè cognoſci, & amari à creatura rationali. Vnde *B. Aug. 1. Conf. 5. Quid tibi ſum vt amari te iubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mihi, minerisq; ingentes miſerias? Paruane ipſa eſt, ſi non amem te?* Deinde quòd Deus tantùm remittat de dignitate ac perfectione operationis ſibi debitæ à creatura rationali, nec plus obliget: non poteſt fieri niſi per aliquam eius gratiam. Denique cùm omnes ſint æquè capaces, nec poſſint ſinguli ſibiipſis eligere & præſtare certum gradum huius perfectionis: non poſſunt plus minuſue perfici cognitione & amore Dei, niſi gratuita Dei electione, diſtributione, & per aliquam gratiam executione. Neque hæc tantùm de perfectione ſupernaturali cognoſcendi & amandi Deū: ſed & morali, imò & naturali. Quia vt tam ſæpè *B. Aug.* inculcat, non eſt in poteſtate noſtra naturali aut morali, quæ viſa ſeu obiecta nobis occurrant, vel occurrentia moueant: imò naturaliter plus mouemur obiectis naturaliter & obiectiuè præſentioribus, magiſque proportionatis; ergo cùm nos ipſi ſimus nobis ipſis naturaliter & obiectiuè præſentiores & proportionatiores, facilius & libentiùs hinc mouemur, quàm obiecto & fine noſtro, quātò nobis meliore, tantò etiā ſupra nos obiectiuè & finaliter eminentiore, nobiſq; difficiliore. Hinc potiùs ab illo ſeu ab eius perfectione, non tantùm infinitā ſed & debita, & ad noſtrum captum remiſſa ac accommodata deficimus naturaliter & moraliter, quàm ab vllo obiecto inferiore: nec ad vllam illius veram cognitionem, aut amorem moraliter perfectum proficere poſſumus, niſi per aliquam gratiā; & conſequenter nec ad vllam veritatem naturalem aut bonitatem moralem, quæ non poteſt eſſe niſi à prima & ad illam relatiua.

Digitized by Google

Nec hinc confundimus omnia naturalia creaturæ rationalis, cum gratuitis: nec concurſũ Dei cõmunem & connaturalem creaturis etiam rationalibus, cum ſupernaturali. Sed diſtinguimus inter concurſum communem cum creaturis, vt ſunt creaturæ determinatæ ad certam perfectionem eſſendi & agendi: ab influẽtia Dei cõmuni in creaturas rationales in infinitum defectibiles ac perfectibiles; nec ex ſe capaces continendi propriam ſuam defectibilitatem, aut perficiendi ſuam capacitatem. Nec iterum hinc confundimus moralia cum gratuitis, nec influentiam Dei moralem, ſeu libertati creatæ accommodatam, cum ſupernaturali & ſupermorali: Sed ſupponimus libertatem creatam, non vitiatam, ſed naturalem, eſſe ad bonum vel malum, ad proficiendũ vel deficiendũ: ſicque ex ſe nõ requirere niſi influentiam Dei accommodatam, ſeu indifferenter ad vtrumque; ergo quæ reuocat à defectu, & promouet ac promonet perfectionẽ, eſt ſupernaturalis, & ſupermoralis.

3. Ex *B. Aug.* Lib. de vera Relig. *Cap.* 55. *Religet nos Religio vni Deo: quia inter mentem noſtram & veritatem nulla eſt interpoſita creatura.* Lib. 12. Conf. cap. 7. *Vnum feciſti propè te* .i. creaturam rationalem, *aliud propè nihil* .i. materiam primam. Et alibi ſæpè de perfectione creaturæ rationalis ſuper omnes alias, & ſub ſolo Deo, entitatiuè, obiectiuè, & finaliter. Ex quanta perfectione etiam naturali, ſequitur tanta neceſſitas gratiæ. Quia cùm non tantùm ſit tam defectibilis, & perfectibilis vt ſupra: ſed etiam tam perfecta, vt à ſolo Deo creari potuerit, ſolumque Deum habeat pro obiecto & fine perfectiore: non poteſt perfici per vllam creaturam non perfectiorem ſe, imò nec à ſeipſa, ſed à ſolo ſuo obiecto & fine, per aliquam eius cognitionem & affectionem tali obiecto vel fine dignam, gratam, vel ſaltem non indignam & contrariam. Nam cùm creatura rationalis ſit perfectior proprijs actibus, vel habitibus naturalibus & acquiſitis: non poteſt illis formaliter perfici, neceſſe per illos cauſaliter perficere, niſi vniendo ſe illi obiecto, & fini infinitè meliori ſe. Non poteſt autem ſe illi vnire, niſi eleuando ſe ſupra ſeipſam, hoc obiecto ac fine eam mouente, & vnionem terminãte. Non mouet inferiora ad ſeipſum cõnaturaliter, ex ſua vel illorum natura; ergo non niſi per gratiam, ſeu gratuita illorum eleuatione, & ſuppſius inclinatione. Nec obſtat quod *S. Bon. in* 2. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 3. concedat naturaliter poſſe *eleuare ſe ſupra ſe, obiectiuè*: quia, inquit, *non ſupra ſuum poſſe*. Capacitas autem animæ rationalis ad illam vnionem cum ſuo obiecto & fine, non eſt eius poſſe actiuè, nec diſpoſitiuè completè: ſed non niſi paſſiuè ad motum primum ſui illius obiecti, finis & cauſæ; actiuè autem, tantùm ad aliquam cooperationem. Nec Deus videatur poſſe à nobis naturaliter concipi & amari, ſub aliquo ſaltem conceptu confuſo: & perfectiùs ab anima ſeparata vel ab Angelo. Quia mens non vnitur, nec perficitur tali cognitione vel affectu obiecti: cùm ſit in ſeipſa perfectior, ſimilior, & propinquior ſuo obiecto & fini, quàm per talem cognitionem & affectum, eam potius diſſimilantem & ſeparantem, quàm aſſimilantem & vnientem. Nec talis cognitio aut affectio poteſt eſſe ſine defectu naturali, & morali: niſi ex aliqua gratia perficiente. Vt patet ex *B. Aug.* ſupra, toto libro *de vera Relig. Libro contra Adimantum, Libris contra Fauſtum, Libris Conf.* & pluribus contra Manichæos, & quoſlibet ſine aliqua illuminatione Deum nimis indigne concipientes, & conſequenter non tam Deum, quàm ſuũ proprium conceptum affectantes. Hinc *Lib.* 8. *Ciu.* vbi laudat Platonicos præ omnibus alijs Philoſophis, ab aliqua cognitione & amore Dei: vel id tribuit alicui gratiæ actuali, vt lib. 2. c. 7. & *Lib.* 19. cap. 14. ac alibi; vel retractatur inter nimias laudes Platonicorum 1. *Retr.* 1. 3.

Quæ non ſunt contra Scotum in Prologo, & in 1. *d.* 1. & 3. *in* 2. *d.* 28. *in* 3. *d.* 27. *quodl.* 17. & alibi ſæpè de quadam poſſibili cognitione & amore naturali Dei. 1. Quia *in* 2. *d.* 7. ſatis indicat dæmones poſſe bonum morale: ſed non velle nec facere. Ergo & ſic de poſſe naturaliter amare Deum, ſed nunquam ſic amare. Vt ſolet etiam dici de poſſe cauere quodlibet peccatum: ſed non cauere. 2. *D.* 28. expreſsè negat Gentes *Rom.* 2. benè vixiſſe ſine omni gratia. 3. *In* 3. *d.* 27. Reſtringit hoc poſſe *ſaltem ad ſtatum naturæ inſtitutæ*: vtique non ſine gratia. 4. *Quodl.* 17. Dubitat an dilectio illa naturalis differat entitatiuè à meritoria; ergo de illa vt ex gratia actuali, alioquin nulla ſubeſſet ratio dubitandi. 5. *Ex naturalibus cum communi influentia* .i. Ex ſolo principio intrinſeco naturali, cum ordinaria gratia actuali. Vt *in* 4. *col.* 757. 758.

Nec ſunt contra *col.* 421. 422. 423. De credibili perfectione naturali animæ ad ſuum finem naturalem: ſed ſecundùm *col.* 236. De periculo animi eo grauiore, quo perfectiore, deficiendi à ſuo obiecto & fine, ad ſeipſum: niſi aliqua gratia ſubleuetur. Quia naturaliter facilius & libentius vnitur & placet ſibi ipſi, quàm tendat & conetur ſupra ſe: niſi præmoneatur & ſubleuetur ab obiecto ac fine æquè cognito, incomparabiliter meliore ſe.

Nec denique ſunt contra Cenſuras *Pij.* 5. in *Prop.* 33. 35. 37. 58. 59. Baij, vt negantes & reprobantes amorem naturalem Dei, & diſtinctionem inter opera bona moraliter, & meritoriè. 1. Quia hæ non cenſurantur ad approbandũ dari de facto talem amorem purè naturalem, & talia opera moraliter perfecta ſine vlla gratia: ſed vel non eſſe naturaliter impoſſibilia; vel non eſſe tam ſeuerè reprobanda; vel dari ſaltem amorem Dei naturalem, ſiue inclinationem naturaliſſimam, ſiue primos aliquos motus, vel paſſiones naturales huius amoris; vel dari etiam motus naturaliter bonos ex obiecto; vel dari adhuc aliquam vim naturalem actiuam amandi Deum, non autem vt ſufficientem ad eius perfectionem moralem. Ne videatur natura rationalis, & liberum Arb. extinctum: nec tamen adhuc potens erigendi ſe hoc actu recto in Deum. Contra *Trid. ſeſſ.* 6. *Cap.* 1. & *Can.* 2. 3. 4. 5. Nam *Can.* 3. Si quis dixerit, ſine gratia præueniente hominem diligere poſſe *ſicut oportet, &c.* .i. debitè. Nec reſtringitur ad hæc, *Vt ei iuſtificationis gratia conferatur*: ſed refertur ad hunc finem, & fructum. Nec, *ſicut oportet* .i. ſupernaturaliter: quia hoc priùs ibi exprimitur per *gratiam*; eſſetque ridiculum, *Si quis dixerit ſine gratia Dei poſſe*,

Digitized by Google

poſſe diligi deum ſicut oportet .i.ſupernaturaliter, ſine auxilio ſupernaturali. Ergo, *Sicut oportet* .i. vt debetur moraliter, ex lege naturali diligendi Deum irreferibiliter. Cùm enim ex *Aug. lib. 1. ad Simpl. q.* 2. primæ *inchoationes fidei conceptionibus ſimiles*, & ex *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.* primum illud *initium diligendi Deum*, non ſit niſi ex gratia præueniente: non poteſt ſolis naturæ viribus elici vllus actus dilectionis Dei moraliter perfectus; alioquin diſponeret ad perfectiorem, ſicque ad iuſtificationem.

4. Quia creatura rationalis eſt finitæ perfectionis, naturalis, & moralis: nec eius intellectus aut voluntas eſt prima regula verè & rectè operandi; ergo naturaliter eſt defectibilis in infinitum, & ad ſingulos actus eſt obſeſſa pluribus periculis aberrandi à veritate & rectitudine debita, quàm vt poſſit ex ſe ſine vllo auxilio gratiæ omnia cauere, & centrum veritatis ac rectitudinis debitæ, collimando attingere. Quam, vt & primam licet Scotus in 2. *d.* 23. videatur improbare: eam tamen confirmat; ſed præfert eis authoritates SS.

5. Ex *S. Aug. lib. 12. Conf. lib. 22.* contra *Fauſt. cap.* 28. vt ſupra *Col.* 236. Eſt valdè dubium, imò potiùs impoſſibile, vllam creaturam rationalem eſſe poſſe naturaliter impeccabilem: ergo neceſſaria eſt ei ad ſingulos actus morales, aliqua gratia ad non peccandum. Quia ſi non eſt neceſſaria ad ſingulos actus: non poteſt ſtatui ad quos, ſeu ad quam difficiles, vel non. Cùm tanta neceſſitas non poſſit eſſe tantùm ex maiori, minoriue difficultate: ſed ex impotentia naturæ, ſeu inſufficientia creaturæ rationalis ad hoc, ſine gratia. Hinc *Pelagius* fuit etiam hæreſeos condemnatus: quòd neceſſitatem gratiæ reſtringeret ad ſolam difficultatem, aut facilitatem, cum, vel ſine gratia.

6. Ex *B. Aug.* & ſenſu communi Chriſtiano: quòd ſpecialis neceſſitas gratiæ pro hoc ſtatu noſtro, oriatur ex peccato originali. Non ex ſola priuatione aut defectu gratiæ originalis: ſed etiam ex minutione virium naturalium & rationalium. Vt ſupra *col.* 422. 423. 432. 433. 434. Id eſt, ex demerito primi illius ſtatus, non tantùm gratuiti, ſed naturalis, ac rationalis: meritoque lapſu ad ſolum ſtatum naturæ vegetatiuæ & animalis; ſubiugatâ rationali in ſeruitutem, ad finem ſolius vitæ vegetatiuæ, & animalis. Cùm enim *Adam* peccando liberè priuauerit ſe & ſuos gratiâ originali, & contraxerit ſtatum vitioſum concupiſcentiæ: demeruit ſibi ac ſuis non ſolùm gratias habituales, & actuales ſecundùm inclinationem habitualium; ſed fortè etiam ſiue gratiam, ſiue influentiam connaturalem ipſi ſtatui & fini naturali & morali hominis vt rationalis; ſeque fortè ac ſuos expoſuit ſoli conſeruationi & influentiæ Dei neceſſariæ ad vitam vegetatiuam, & animalem, ſecundùm concupiſcentiam peccato orig. relaxatam à fræno gratiæ originalis. Vt *B. Aug.* l. De pecc. orig. cap. 4. *Vltium hominis, natura eſt pecoris.*

7. Ex demerito omnium peccatorum perſonalium: quibus ſinguli homines fiunt indigni, vel indigniores omni gratia Dei; mortalibus quidem, omni gratia habituali, & actuali ad illam; venialibus autem, ſaltem gratia actuali ad proficiendum neceſſaria, vel fortè etiam ordinaria ad non deficiendum à ſtatu gratiæ habitualis, vel ad grauiora peccata. Ex *Eccli.* 19. Qui ſpernit modica, paulatim decidet. *Matt.* 24. Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum .i. ex hoc potiùs illud, quàm hoc ex illo. *Apoc.* 3. Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo, &c. Ex *B. Aug. lib. 8. Conf.* 5. *vt col.* 377. & vbicumque proteſtatur Deum neminem vnquam deſerere ſua gratia, non tantùm habituali, ſed nec actuali neceſſaria, niſi priùs ab homine deſeratur. Vt ſæpè ſupra, & infra, de gratia ſufficienti. Quod eſt æquiſſimum: quia peccans actu liberè acquirit ſtatum vitioſum, aut vitioſiorem, vel ſaltem deſerit perfectionem ſui ſtatus; ergo reddit ſeipſum indignum, vel indigniorem omni gratia conueniente ſtatui virtutis ac perfectionis. Nec tantùm demeretur moraliter, ſed & connaturaliter exigit à Deo influentiam communem, & connaturalem omnibus cauſis ſecundis, ſecundùm earum ſtatum & inclinationem naturalem, & habitualem.

8. Ex limitatione totius Naturæ ad coexiſtentiam, & concauſalitatem ſubordinatam omnium creaturarum inter ſe, ſimul, & ſucceſſiuè: ſub Deo non vt Creatore ſupernaturali; ſed vt Cauſa prima connaturaliter, lege ſua ordinaria conſeruante, mouente, cooperante, & ſupplente defectum cauſarum ſecundarum, ad ordinem & ſtatum eiuſdem vniuerſi. Ergo creatura rationalis non eſt de hoc ordine ac ſtatu naturæ, niſi ad præſidendum inferioribus, & rationabiliter conniuendum paribus: ſed ſuper toto hoc ordine ac ſtatu eminet, imperfectâ capacitate naturali ad ordinem ſupernaturalē, erga Deum vt ſuum principium, obiectum, & finem; ad quem tamen non poteſt ſe erigere, niſi eodem principio, obiecto, & fine eam mouente & ad ſeipſum eleuante. Vt *B. Aug. col.* 338. 339. *Al. p.* 2. *q.* 96. *m.* 2. *a.* 2. *ad* 4. *m.* 3. *a.* 2. *p.* 3. *q.* 69. *m.* 1. *a.* 2. *ad.* 2. & alibi ſæpè.

De ſufficientia Gratiæ.

NOn quidem omnibus, & ſingulis immediatè ad ſalutem æternam: ed ſaltem mediatè vel immediatè ad cauenda ſingula peccata actualia.

1. Ex ſacra Script. vt ſupra *col.* 425. Quæ ſupponit gratiam ad hoc neceſſariam: eamque ſæpè exprimit. Vt Prou. 1. *Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis ſpiritum meum, &c. quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, &c. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, &c.* Matt. 22. *Multi vocati, pauci electi.* Et vbicumque ſacra Script. monet peccatores ad conuerſionem ſaltem à peccatis: quæ ſupponit, imò offert gratiam ſaltem neceſſariam ad ea cauenda. Nam ſufficientia illa de qua 2. *Cor.* 12. *ſufficit tibi gratia mea*, eſt ſpecialis, ad perficiendam virtutem in ipſa tentatione: & inſufficientia illa, 2. *Cor.* 3. *cogitandi aliquid ex nobis quaſi ex nobis*, &c, *ſufficientia noſtra ex Deo*, non eſt præciſè ad cauendum malum, ſed etiam ad cogitandum bonum. Niſi quòd ſufficientia ad bonum morale, ſupponat eam ad cauendum malum morale.

2. Ex ſacris Concilijs, & Cenſuris Pontificijs, *Pij* 5. *Gregorij.* 13. *Vrbani* 8. *à col.* 276. *ad* 307. ſpecialiter *col.* 317. 319. *Quòd gratia Dei ad ſingulos*

actus detur : nunquam fuit reuocata in dubium ab *Innoc. Papa*, ſacris *Conc.* vel *B. Aug.* de gratia communi & neceſſaria ad cauendum quodlibet peccatum occurrens, niſi ex grauiſſimo demerito obdurationis : Sed ne id *Pelagius* ſubintellexiſſet de ſola gratia naturali, ſeu de vi rationali ac libera gratis data. Quod enim *B. Aug.* ſupra *col.* 307. *Epiſt.* 307. inter 12. credenda vel ſcienda recenſet. 3. *Gratiam Dei maioribus ad ſingulos actus dari.* 4. *Non omnibus dari* : refert 6. in iuſtum Dei iudicium : ergo nonniſi ex aliquo demerito non remiſſo, & quidem perſonali ; quia vel ex ſolo originali non priuamur gratia neceſſaria ad non peccandum actu, vel hæc per merita Chriſti etiam præuiſa videtur omnibus fuiſſe reſtituta. De quo adhuc infra, & propriè in 3. de Morte Chriſti pro omnibus, & ſingulis, aut non. Nunc autem cùm hæc fidei confeſſio, *gratiam ad ſingulos actus dari*, non reſtringatur ad ſolum bonum : cur non intelligatur ad cauendũ etiam in ſingulis actis peccatum ? Sed efficaciùs ex *Trid. ſeſſ. 5. Can.* 5. De gratia communi ſaltem baptizatorum, reſiſtendi concupiſcentiæ. *Seſſ. 6. Cap. 1. De libero Arb.* necdum *extincto* .i. ſaltem ad cauendum peccatum actu. *Cap. 5. Cùm dicitur : Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, Zach. 1. *libertatis noſtræ admonemur.* Atqui non eſſet libertas actualis ad conuerſionem actualem, ſine gratia ad hanc neceſſaria ; ergo illa ſupponitur. Nec obſtat, ſed fauet quod ſequitur. *Cùm reſpondemus : Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*, Thren. 3. *Dei nos gratiâ præueniri confitemur.* Vtique ante, vel cùm monemur; *Conuertimini ad me*; per gratiam præuenientem, *& conuertar ad vos*, per gratificantem. *Cap.* 11. Contra illam temerariam vocem : *Quòd mandata Dei ſint etiam iuſtis impoſſibilia. Can.* 5. 6. 7. 18. 25. Contra negantes liberum Arb. ſaltèm ad cauendum peccatum actu, &c. imò *Can.* 22. contra negantes poſſe iuſtum perſeuerare, ſeu non peccare actu *cũ auxilio Dei ſpeciali.* Quis enim dubitet poſſe, *ſi detur*? Ergo ſine dubio datur actu. Sic & ex omnib⁹ Cenſuris contra neceſſitatem peccandi actu, ſiue neceſſariò conſentiendo motibus concupiſcentę, ſiue non : Quæ ſupponunt gratiam aliquam neceſſariam ad non peccandum actu.

Ex *B. Aug.* ſupra, *col.* 464. 1. De gratia neceſſaria omnium Angelorum, & primorum Parentum, ad non peccandum actu : ſed de differentia inter Angelos & homines lapſos ; quod illi ſint priuati omni gratia non peccandi actu, hi autem non. 2. Ne qui videantur ex primo peccato orig. priuati omni gratia non peccandi actu : ipſe *Adam* fuit ſtatim à Deo monitus ad conuerſionem ; ergo nec ipſe priuatus gratia neceſſaria ad non peccandum actu, quanto minus eius Poſteri? Hinc *B. Aug.* ſemper diſtinguit excœcatos & obduratos ob grauiſſima peccata propria, à Reis ſolius culpæ & pœnæ originalis : quod illi meritò ſint priuati omni gratia non peccandi actu ; ergo non illi. 3. *B. Aug.* extendit gratiam ſaltem non tam peccandi, imò nec moraliter ſaltem errandi, ad omnes populos & infideles : ſi non ad eorum conuerſionem, ſalutem, & finem ſupernaturalem ; ſaltem rationalem & moralem. Vt patet ex tot dictis *B. Aug.* toties reſumptis ſupra, *col.* 417. 426. 427. 436. 464. 465. Ergo datur & illis quædam gratia ordinaria non peccandi actu : ſaltem ad mitiorem damnationem, vt ſæpè *Aug.* ſupra. Imò videtur data quædam gratia Philoſophis infidelium, ad corrigendos vel moderandos eorum errores, & vitia moralia. 4. *B. Aug.* tam ſæpè inculcat, neminem eſſe reum ex eo quod non accepit : & liberum Arb. ad bonum vel malum ſaltem moraliter, eſſe ſubiectũ iuſti iudicij Dei. Vt *lib.* 3. *De libero Arb. cap.* 16. *Lib.* 2. *contra Fauſt. cap.* 5. *Lib. De ſpiritu & litt. cap.* 33. & alibi ſæpè. Ergo ſupponit gratiam ordinariam non peccandi actu, ad iuſtum iudicium de peccatis actu. 5. Tam ſæpè ſupra de noſtro libero Arb. & infra de peccato actuali, inculcat non poſſe peccari actu, niſi ex aliqua libertate non peccandi actu : ergo ſemper ſupponit gratiam neceſſariam ad non peccandum actu. Nam primum peccatum *Adami* infert quidem iuſtè & neceſſariò peccatum orig. in omnes eius Poſteros : non tamen æquè neceſſariò peccata actualia Poſterorum; neque hæc poſſunt æquè imputari primo peccato *Adami*, ac ſingula noſtra peccata originalia illi imputantur. Ergo non æquè priuauit nos omnes gratia actuali neceſſaria ad non peccandum actu : ac priuauit nos ſtatu gratiæ originalis & ſanctificationis. 6. *B. Aug. lib. 9. in Gen. cap.* 18. *Natura deprauata recurſum per ſemetipſam non habet, ſed per gratiam Dei, &c. Neq; enim deſperandi ſunt homines, &c.* Non ſolùm totum genus humanum, de impoſſibili aut nunquam futuro reditu ad gratiam : ſed nec vllus deſperandus eſt ad non cauendum peccatum, ſed actu peccandum. Atqui deſperarentur ſi qui eſſent priuati gratia neceſſaria non peccandi actu, ex ſolo demerito originali : ergo nonniſi proprio demerito perſonali. 7. Idem, 2. *Retr.* 31 *in 6. quæſt.* contra Paganos, *Quod dixi : ſalus Religionis huius nulli vnquam defuit qui dignus fuit, &c. Non tanquam ex meritis ſuis, ſed ex vocatione.* Vbi, ſicut & *lib. De prædeſt. SS. cap.* 10. licet retractet omnia merita, & demerita conditionalia primæ vocationis : non tamen retractat quin aliqui minùs peccando, ſint minùs indigni conuerſione ad fidem ; ergo ex gratia aliqua infidelium non peccandi actu. 8. *Lib. De lib. Arb. cap. 19. Dicunt ſi Adam & Eua peccauerunt, quid nos miſeri fecimus? Nulli hominum ablatum eſt ſcire vtiliter quærere, &c.* vt *col.* 353. Quæ eſt expreſſima reſolutio huius cauſæ : nec à *B. Aug.* 1. *Retr.* 9. retractata ; ſed potiùs tacitè confirmata. Nec poteſt intelligi de motiuis tantùm naturalibus : tum quia ibi nimis expreſsè de gratia vincendi libidinem, de præſentia Dei vbique ad vocandum, docendũ, conſolandum, exaudiendũ, &c. Tum quia ad expreſſum finem ſupernaturalem. 9. Idem, 1. *Retr.* 15. *lib.* 10. *Conf. cap.* 29. *lib. De natura & gratia, cap.* 43. 69. & alibi ſæpè, docet peccatum caueri poſſe per gratiam præſentem, vel eam à Deo petendo. Ergo ſupponit gratiam ordinariam, ſaltem in fidelibus, petendi gratiam neceſſariam, in caſu difficili aut impoſſibili non peccandi. Vt interpretatur, & confirmat *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap.* 11. reſumens hæc verba Aug. *Deus impoſſibilia non iubet : ſed iubendo monet, & facere*

quod

quod poſſis, & petere quod non poſſis; addens, autem, & *adiuuat vt poſſis*. Vtique, *vt poſſis petere*. Fruſtra enim iuberet Deus facere, vel petere: ſi æquè deeſſet gratia petendi, ac gratia faciendi.

10. Idem vbique profitetur Deum neminem vnquam deſerere ſua gratia, niſi prius ab eo deſeratur. Vt *Lib. de natura & gratia cap.* 23. Si Pelag. reſpondeat Deum non cogere ad illa peccata, *Rom.* 1. quæ erant in pœnam propriorum peccatorum, *ſed dignos deſeri tantùm deſerere*: veriſſimè dicit.] Ergo de deſertione illorum *Rom.* 1. per priuationem gratiæ cauendi peccata, ex demerito proprio priorum peccatorum. *Cap. 26. Cùm Deus ad perfectum iuſtitiam deduxerit: non deſerit, ſi non deſeratur, vt piè ſemper iuſtèq; viuatur.* Ergo de continuatione gratiæ etiam actualis, ad piè viuendum. *Cap.* 28. *Deſerit aliquantulum Deus, vnde ſuperbis: vt diſcas ſuperbus non eſſe.* Ergo de priuatione alicuius gratiæ actualis: nec tamen neceſſariæ, ad indè corrigendam ſuperbiam. Lib. 13. Ciu. 15. *Anima non eſt deſerta vt deſereret: ſed vt deſereretur, deſeruit.* Vbi agitur de communi illa ſententia, *Morte moriemini, &c.* & de morte animæ, ſeu *deſertione à ſua vita, quæ illi Deus eſt*; non tam per gratiam habitualem, quàm per eius conſeruationē gratia actuali. *Lib.* 5. *contra Iul. cap.* 3. *De gratia & lib. Arb. cap.* 21. *quæſt.* 18. *in Exod. q.* 17. *in Matt.* & alibi ſæpè, de excœcatione, obduratione, *traditione in praua deſideria*, per priuationem gratiæ ordinariæ ad non peccandum. *Lib. De corrept. & gratia* Cap. 11. *Adam deſeruit adiutorium gratiæ Dei, & deſertus eſt.* Epiſt. 26. *Deus in malis oſtendit, quid ſine ſua gratia valeat liberum deſertoris Arb.* Tract. 34. *Si non à Deo facias caſum: nunquam à te ipſo faciet occaſum.* Tract. 55. *Mens humana diuino auxilio vel deſerta per meritum: vel adiuta per gratiam, &c.* Ergo de deſertione à gratia actuali. Serm. 88. De tempore. *Nunquam Deus deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur.* Serm. 214. *Cauet anima pia ne Deus illam deſertus deſerat.* Cōfirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. Cap.* 11. Sub titulo de obligatione & poſſibilitate obſeruandi mandata Dei: vtique per gratias actuales. *Iuſti ſe eo magis obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debent, &c. Deus namq; ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Non de ſola gratia habituali: ſed potiùs de actuali, vt neceſſaria ad conſeruationem habitualis. Quia non poteſt quis deſerere gratiam habitualem, niſi priùs peccato actuali deſerendo gratiam actualem, ſeu deficiendo à libertate & gratia non peccandi, ad actum peccandi.

11. Idem *Lib. de corrept. & gratia cap.* 11. ſupra, expreſſè docet ſine gratia neceſſaria ad perſeuerandum, nec Angelos, nec primos homines propria culpa labi potuiſſe. *Quia non erant talis naturæ, vt ſine diuino adiutorio perſeuerare poſſent.* Epiſt. 106. *Naturam humanam non potuiſſe perſeuerare in ſua prima integritate, ſine Adiutorio ſui Creatoris.* Ergo cùm iam multò minùs poſſimus non peccare actu quàm tunc, ſine gratia ad hoc neceſſaria: ſi hæc deeſſet, non peccaremus, nec poſſet nobis imputari ad culpam actualem, ſed tantùm ad originalem. Quia ſola gratia originalis Adami erat futura communis: gratiæ autem actuales ſunt, & fuiſſent ſingulis propriæ ac inæquales.

12. Idem Epiſt. 105. *Inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis, &c.* Tract. 89. *Si non veniſſem, peccatum non haberent, &c.* .i. ſuæ infidelitatis: *nunc autem excuſationem non habent*, ſaltē à toto, vt ibidem ſatis exprimit. Ergo neceſſaria eſt libertas actualis: Nec inexcuſabilitas à neceſſitate abſoluta contrahendi peccatum originale, & à neceſſitate morali peccandi aliquando actu, eſt ex reatu originis; ſed inexcuſabilitas à neceſſitate peccādi hic & nunc actu, eſt ex additamento propriæ voluntatis, ſeu ex proprio demerito gratiæ neceſſariæ ad non peccandum. Eſt autem aliqua excuſatio à peccatis ignorantiæ & neceſſitatis, ex impotentia ſciendi & cauendi: quia ſcientia & poteſtas Adæ, nobiſque per eum perdita, non poteſt nobis imputari ad culpam actualem, ſed tantùm ad originalem. Nec ſola libertas eſſentialis non peccandi niſi volendo, ſufficit ad peccandum demeritoriè & inexcuſabiliter: niſi ex aliqua priore, & propria ac perſonali libertate non peccandi actu, & ex virtuali eiuſdem continuatione, aut æquiualentia. Vt ſi quis ſine gratia actuali non peccandi tanta libidine peccaret: vt etiamſi haberet gratiam non peccandi, equidem vellet peccare; non tantùm de futuro conditionato, ſed de tali ac tanto affectu actuali peccandi. De quo infra, titulo de peccatis.

13. Idem ſæpiſſimè tribuit fidei & baptiſmo, non tantùm vim remittendi omnia peccata præterita, per gratiam ſanctificantem: ſed etiam futura, per gratiam actualem pro eis pœnitendi, deprecandi, vel ea cauendi. Vt in 4. *col.* 156. 157. 209. 210. & ex profeſſo *in* 3. De Fide. Ergo ſaltem Chriſtiani ſeu baptizati, & fideles, ex vi fidei & baptiſmi habent ordinarias gratias actuales, neceſſarias ad hūc ſtatum fidei & Chriſtianiſmi, ſeu ad obſeruanda mandata Dei & Chriſti, quæ in baptiſmo profitemur. Tum ex vi habituum ſupernaturalium, qui habent annexas gratias actuales neceſſarias ad ſui conſeruationem, & ad ſuas operationes. Tum ex vi ſpeciali fidei, quæ eſt radix totius vitæ Chriſtianæ. Tum ex ſpeciali regeneratione, & adoptione baptiſmali in filios promiſſionum Dei, ad hunc panem quotidianum gratiæ neceſſariæ. Tum quia gratia & charitas quæ per ſacramenta confertur, ex natura ſua, & intentione Dei dātis, eſt æterna, *Rom.* 6. Gratia Dei vita æterna. *Rom.* 11. Sine pœnitentia ſunt dona Dei. Ergo & ea conſeruat per gratias actuales ad hoc neceſſarias. Tum quia Chriſtus expreſſè promittit, *Ioan.* 6. Qui manducat hunc panem viuet in æternum .i. ex vi huius ſacramenti, & gratiæ ſacramentalis: ergo & ex vi regenerationis. Vt in 4. *Col.* 123. 124. & à *col.* 543. *ad* 553. Nec obſtat quod Chriſtiani tam ſæpè & grauiter peccent: quia non niſi contra directionem & inclinationem ſuæ fidei, & per eam, eiuſque gratias actuales ac ſacramentales inclinantur ad conuerſionem. Neque obſtat, ſed fauet, quòd ex *Aug. Lib. De gratia Chriſti cap.* 1. hæc fuerit confeſſio *Pelagij* ad *Innoc.* Papam. *Dicimus liberi Arb. poteſtatem in omnibus eſſe generaliter: ſed in ſolis Chriſtianis iuuatur gratia.* Infra. *In his quæ ad Chriſtum pertinent*

tinent Chriſti munitur auxilio. Cap. 37. *Si etiam ſine Deo homines oſtendunt quales à Deo facti ſint: vide quid Chriſtiani facere poſſunt, quorum in melius inſtaurata natura eſt, & qui diuinæ quoq; gratiæ iuuantur auxilio.* Quia nec *Innoc.* Papa, nec *S. Aug.* hæc improbauit: ſed tacitè approbauit; exigendo tantùm confeſſionem veræ gratiæ gratis datæ, & corrigendo *Libro annexo de pecc. orig. c.* 26. illud Pelagij, quòd *liberũ Arb. in ſolis Chriſtianis iuuetur gratia.* Non ſicut, *Pelagius*, inquit *Aug.* tempora diuidamus, dicentes *primùm vixiſſe iuſtos homines ex natura, deinde ſub lege, tertiò ſub gratia, &c.* Illi per fidem futuri, membra erant Chriſti .i. non erant ſine gratia. Nec denique nocent illa *S. Hier.* ſupra *col.* 325. *Scito baptiſmum præterita donare peccata, non futuram ſeruare iuſtitiam, &c. Si fieri poſſet vt aquæ baptiſmatis ſemper merſos tenerent: volitantia nos deſuper peccata non tangerent, Spiritus S. tueretur, &c.* Tum quia interponit, *Noſtrum eſt rogare, incipere, offerre quod poſſumus: Dei tribuere perficere, implere quod non poſſumus.* Ergo ex vi baptiſmi habemus gratiam orandi, incipiendi, offerendi, &c. Deinde *S. Hier.* agit ibi directè contra hæreſim *Iouiniani*, quòd baptizati non poſſint peccare: ſubditque neceſſitatem quandam moralem etiam baptizatorum aliquando peccandi, ſed non hoc vel illo actu, nec defectu gratiæ neceſſariæ ad non peccandum actu.

14. Ex aliqua voluntate Dei ſaluandi omnes 1. *Tim.* 2. quadam illuminatione omnium *Ioan.* 1. Deoq; omnium Saluatore, 1. *Tim.* 4. quouis ſenſu verificabili, vt placet *B. Aug. Epiſt.* 106. *Lib. De Spir. & litt. cap.* 33. Exceptis ijs quos conſtat Deũ nolle ſaluare finaliter à peccatis contractis. Ergo ſaltem per gratiam adultis neceſſariam ad non peccandũ actu, vel non amiſſam per culpam originalẽ, vel ob Chriſti merita præuiſa conſeruatam, aut reſtitutam. Hoc enim eſt etiam ſaluare à peccatis committendis, non contractis. De quo in 1. *De Prædeſt.* & in 3. De morte Chriſti pro omnibus.

15. Ex differentijs Auguſtinianis, inter gratiam prædeſtinatorum, & aliorum; filiorum, & ſeruorum; ſpei, timoris, & charitatis: quibus reguntur, vel aguntur. Vt ſupra *col.* 317. 366. 373. 374. Quarum aliqua nullis adultis deeſſe videtur ad nõ peccandum actu, niſi ex demerito proprio & perſonali obdurationis.]

Ex *Alenſi q.* 96. *m.* 2. Adam ante gratiam gratum facientem, habuit gratis datam, & ſuperinfuſam, &c. quæ erat continua influentia virtutis à cauſa prima, ſine noua gratia, &c.] Ergo cenſet gratiam actualem fuiſſe priorem gratia formaliter gratificante: & quidem ordinariam naturæ rationali, vel ſtatui illi originali. *q.* 97. *m.* 2. *art.* 4. Gratiæ ante & poſt lapſum fuiſſent inæquales inter perſonas vtriuſque ſtatus. *P.* 3. *q.* 6. 9. *art.* 2. *ad* 7. Deus ſemper nobis præſto eſt, offerens gratiam. *M.* 3. *a.* 3. Gratia dicitur præueniens, vt ſemper præſto eſt. *M.* 5. De faciente quod in ſe eſt, &c. vt ſupra: vtique ex gratia ordinaria præueniente ad credendum, vel orandum, &c. Nam *art.* 3. *ad* 6. Facere quod in ſe eſt in quouis homine, eſt vti recta ratione ad orandum, &c. ergo ex aliqua gratia gratia ordinaria orandi. *Ad* 4. Vt ſol etiam lucet ſuper oculo cæco, ſed eum non illuminat: ſic bonitas Dei, &c. ibi. *q.* 70. *m.* 5. *ad* 1. Homo poteſt ſemper eligere bonum, non facere, gratia aſſiſtente: vnde ſemper eſt poſſe, non ſemper facere, ex *Rom.* 7. Poteſt ergo homo per gratiam aſſiſtentem eligere bonum, & vitare quodlibet malum in ſingulari: ſed non in vniuerſali, &c.] Ergo ex ſuppoſitione, non autem ſub ſola conditione gratiæ.

Ex *S. Bon. in* 1. *d.* 48. *a.* 3. *ad* 3. Nullus eſt ita obſtinatus, &c. *in* 2. *diſt.* 28. *art.* 1. *q.* 3. Liberum Arb. poteſt implere omnia mandata quoad ſubſtantiam: ex ſola gratia gratis data, &c. *Ad* 1. Mandatum Dei non eſt ſupra nos, &c. quoad opus, vel per gratiam, quæ nemini deeſt. *Art.* 2. *q.* 1. Sine gratia adiuuante, & præparante, vix aut nunquam adulti reperiuntur. *Ad* 1. Conuertimini ad me, &c. *Zach.* 1. Hoc ipſo quo inuitat & vocat, exhibet homini aliquod donum gratuitum per quod excitetur. *Ad* 2. 3. Notitia & cupiditas veri & boni in communi, non ſufficit in particulari abſque omni dono gratuito. *Ad* 6. Deteſtari culpam vt offenſiuam Dei, &c. nunquam eſt ſine gratia gratis data. *Quæſt.* 2. *Ad* 5. Adiutorium gratiæ præſto eſt peccanti, ſi vellet ſuſcipere. *Quæſt.* 3. Liberum arb. poſſet in bonum morale: *Deo ſibi cooperante, vt alijs creaturis, &c. Sancti negant de bono ordinato ad ſalutem: vel nomine gratiæ intelligenda eſt gratuita Dei influentia, per quam cætera conſeruat & adiuuat vt compleant operationes ſuas.* Perfectio autem moralis in operando eſt ſupra vim naturalem, & defectibilitatem moralem creaturæ rationalis: Ergo & influentia Dei, ad cauendum culpam & pœnam, eſt ſupernaturalis. *Infra.* Quàm ſit neceſſaria hæc gratia gratis data. *D.* 23. *art.* 3. *q.* 2. De inæquali efficacia gratiæ ante & poſt lapſum: ſed nunc maiori indigentia.] Ergo non ſine prouidentia Dei in tanta neceſſitate.

Ex *Doctore Subtili in* 2. *d.* 7. Diſtinguit inter dæmones vt impotentes habendi gratiam, vel ea vtendi: & viatores vt potentes habendi aliquem bonum motum attritionis *ex puris naturalibus cùm influentia generali. Vt & in* 4. *d.* 14. *q.* 2. Ergo ſupponit hanc influentiam, vt gratiam aliquam viatorum, præ damnatis: non autem vt concurſum naturalem communem etiam damnatis. *D.* 23. Cenſet voluntatem creatam ex ſe non poſſe eſſe impeccabilem: ergo nonniſi præſeruari à peccato per gratiam neceſſariam ad non peccandum. *D.* 28. *Peccatum mort. non eſt niſi contra præceptum pro tunc poſſibile &c. Deus non obligat ad ſeruanda quæuis mandata ex charitate.* Infra. *Tenemur aliquando diligere Deum:* quod expreſsè ſupponit fieri poſſe *ab informi, diſponendo ſe ad gratiam ſibi oblatam, eiq; reſiſtendo vel conſentiendo. Ad* 1. *Gentiles* Rom. 2. *non bene vixerunt ſine omni gratia.* D. 32. n. 9. *Qui accepit voluntatem, & gratiam benè operandi, eſt debitor illorum bonorum operum.* Atqui omnes ſunt debitores non peccandi; ergo ex aliqua gratia non peccandi. *Ad* 2. *Arg. Omne peccatum actuale caueri poteſt.* D. 37. q. 2. n. 14. ad 1. *Deus ex parte ſua dedit antecedenter rectitudinem omni actui voluntatis: & daret conſequenter, ſi voluntas ex parte ſua rectè ageret.* Ergo Deus dat gratiam neceſſariam ad rectitudinem etiam moralem. Infra. *Deus non poteſt*

Digitized by Google

poteſt nobis eſſe cauſa aut ratio peccandi, ſeu deficiendi, &c. nec ſubſtractio gratiæ à ſolo Deo ſine noſtro defectu, priuaret nos iuſtitia debita, &c. Infra. *Vt priuatio gratiæ habitualis eſt pæna peccati prioris: ſic & priuatio gratiæ, & rectitudinis actualis.* Nec ſequentia reuocant connexionē gratiæ actualis, & rectitudinis actualis: ſed ſolam comparationem gratiæ habitualis, cum rectitudine actuali. *Nec eſt ſimile*, inquit, *de priuatione gratiæ, & rectitudinis actualis: quia Deus non dedit gratiam* .i. habitualem, *antecedenter, vt rectitudinem*, & gratiam actualem ei connexam ſupra; *ideoq́; poteſt illam* .i. gratiam habitualem *non dare conſequenter, potiùs quàm hanc* .i. quàm rectitudinem & gratiā actualem. *Diſt.* 41. Quòd non obligauerit nos ſub mortali aut veniali, ad omnia referenda in finem ſupernaturalem, nec in moralem, ob nimiam difficultatem. Ergo nonniſi ad quæ dat gratiam neceſſariam. *In* 1. *diſt.* 39. 40. 42. 46.47. De præſcientia, prædeſtinatione, omnipotentia, efficacia, permiſſione, & prouidentia Dei ex ſeipſo, circa omnia bona & mala, ad finem tandem ſupernaturalem. Ergo nonniſi per gratias præuenientes ad omnia mala cauenda, & bona facienda. Vt ibi ex profeſſo.

Difficultates.

1. EX libro *De gratia Chriſti* ſupra *à col.* 328. *ad* 331. vbi gratia illa vt communis, neceſſaria & ſufficiens ad ſolum poſſe, videtur eſſe ipſius *Pelagij* contra *B. Aug.* 2. Ex libro *De corrept. & gratia* ſupra, *à col.* 348. *ad* 350. vbi *cap.* 11. *&* 12. Adiutorium gratiæ diſtinguitur in id *ſine quo non, & per quod* Adam, vt & Angeli, perſeuerare poterat, *ſi voluiſſet*: & in id *Quo* ſolo nunc per Chriſtum ipſo facto perſeueratur. Quæ diuiſio gratiæ in ſe, & ſecundùm ſtatus, eſt prorſus contra gratiam vt nunc etiam communem, neceſſariam, & ſufficientem ad poſſe tantùm. 3. Ex *lib. De dono perſeu. c.* 7. *Poſt caſum hominis, Deus nonniſi ad gratiam ſuam pertinere voluit, &c.* vt *col.* 383.4. Talis gratia eſſet iam fruſtra: cùm nec habeat, nec poſſit reduci ad ſuum actum. 5. Talis gratia noceret ſcientibus & potentibus: nec tamen volentibus, aut facientibus quod ſcirent & poſſent. 6. Talis gratia eſſet quaſi neceſſaria ad peccandum: quia ſine ea peccari non poſſet. Imò videretur Deus per eam eſſe cauſa mali. Vt *B. Aug. De gratia Chriſti, cap.* 17. contra *Pelagium.*

Ad 1. *Reſp. B. Aug.* refert ex *Pel.* multa vera in ſano ſenſu, etiam communi, & Catholico: ſed falſis permixta, velut errorum latibula, ſecreto ſenſu *Pelagiano* infecta, & meritò ſuſpecta. Hinc *Lib.* 2. *De nuptijs & conc.* cap. 4. *Quæ veraciter & catholicè dicta ſunt: non ab illo catholicè dicta ſunt; quia non intentione catholici pectoris, &c.* col. 333. Lib. 4. ad Bonif, cap. 6. *Sine ſcrupulo acciperetur catholicè dictum: ſi non in bono propoſito meritum ponerent, &c. col.* 336. Sic & lib. *De gratia Chriſti.* Vt cap. 2. *Quiſquis aduertit, debet habere verba iſta ſuſpecta, &c.* Nec reprobat à vera gratia motus interiores animi à malo ad bonum, quibus non elicitur aſſenſus vel conſenſus actualis, aut non perfectus; ſed præter hanc exigit à *Pelagio* confeſſionem gratiæ etiam finaliter efficacis, & ſpecialis Prædeſtinatorum. Vt patet ex toto contextu ſupra, *à col.* 328. *ad* 332. & ſpecialiter ex *Conc. Mil. Can.* 4. vbi in hunc ſenſum definitur contra *Pelag. col.* 288.

Ad 2. *Reſp.* 1. *B. Aug.* ad varias difficultates variè diſtinxit gratias: ſed verbis non ſemper æquè diſtinctis. Vt *col.* 359. 477. Sed ad hoc propoſitum *lib. de geſtis Pel. cap.* 1. In adiutorium gratiæ *Sine quo aliquid effici non poteſt*: & *Quo fieri poteſt, ſed etiam alio modo.* Quæ diuiſio videtur eadem cum hac *De corrept. & gratia, cap.* 11. 12. *In adiutorium ſine Quo aliquid non fit*, non vt ſola conditione, ſed *per quod etiam fit*, vt *B. Aug.* ſaltem ſemel exprimit, cap. 11. *& in adiutorium Quo aliquid fit, &c.* vt *col.* 350. 351. Sed toto ſenſu & fine differunt: quia illa datur contra *Pel.* ad exigendam confeſſionem gratiæ *ſine qua non* poteſt caueri malum, vel fieri bonum; non autem ſolius gratiæ *Qua* poteſt caueri aut fieri, vel faciliùs, ſed etiam ſine illa ſaltem difficiliùs. Quam *Pel.* fatebatur: ſed illam negabat; verſaturq; vtraq; tantùm circa poſſe, ſeu perfectā potentiam, vel impotentiā. Hæc autem eſt quaſi illius gratiæ ſine qua non, ſeu neceſſariæ, ſubdiuiſio, in gratiam *ſine qua* nec fit, nec fieri poteſt, ſed *Per eam* fieri poteſt, non tamen fit actu: & in gratiam Qua non tantùm fieri poteſt, ſed etiam actu fit. Ita vt hæc *quâ fit*, non excludat illam *ſine qua non, & quâ fieri poteſt*: ſed ſupponat, vel ſaltem virtualiter contineat, & excedat in efficacia actuali reducendi ſeipſam, & ſui ſubiecti potentiam vſque ad ipſum actum perfectum. Nec *B. Aug.* hic vel alibi appropriat illam ſtatui ante lapſum, & hanc poſt lapſum: ſed illam exemplificat in *Adamo*, & Angelis malis ante lapſū; hanc in Beatificatis, ſeu in Beatitudine, *Quâ* quis actu fit beatus; non formaliter, ſed cauſaliter & actualiter .i. in ipſa beatificatione. Nam quæuis gratia neceſſariò eſt *quâ* formaliter, ſeu habet ſuum effectum formalem. Quod patet ex toto contextu ſupra *col.* 350. 351. Vt cap. 11. *Hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam*: ibi exemplificatur vt in ſuo primo ſubiecto; *ſed potentior eſt in ſecundo Adam*, vt in *Capite noſtro.*

Prima enim eſt qua fit vt homo habeant iuſtitiam, ſi velit: hic extenditur ad quemuis. Non quaſi, *ſi velit*, quouis modo: cùm tam ſæpè ſupra *col.* 246. & alibi, ſemper poſſit quis velle ſi velit: & 1. *Retr.* 10. *Omnes poſſint conuertere ſe ad implenda Dei præcepta, ſi velint*; ſed *ſi velit* perfectè, vtique ex illa gratia ſic volendi; quia ſic velle habere iuſtitiam eſt illam habere. Hæc ergo gratia qua quis poteſt, *ſi vult*, perficit potentiam volendi tam perfectè: vt ipſum velle ſit eſſe & habere in ſe quod vult, & ſit efficax extra ſe. Quo ſenſu hæc gratia poſt lapſum non eſt tanta, niſi cum gratia *qua*: vt patet ex *Rom.* 7. *Non quod volo, hoc ago: ſed quod odi, hoc facio. Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.* Non tam de facere & perficere extra ſe, quā intra perfectè velle. *Quis me liberabit? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* Patet etiam exemplo *S. Aug. Lib.* 8. *Conf. ſupra col.* 377. Non quod nulla nunc talis ſit: ſed non tanta comparatiuè inter facilitatē

habi-

habitualem illius ſtatus ſic volendi, & difficultatem vitioſam huius ſtatus. Hinc paulò ſupra: Deus dicitur *reliquiſſe illam gratiam Adæ in eius libero Arb.* non vt purè naturali, ſed vt affecto, perfecto, & inclinato gratia originali & habituali, ad bene vtendum hac gratia actuali. *Nec illa parua erat qua demonſtrata eſt potentia lib. Arb.* vt ſupra perfecti. *Nam tunc*, inquit, *dederat homini Deus bonam voluntatem:* Ecce liberum Arb. vt ſupra perfectum. *Dederat & adiutorium ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet:* ecce gratiam actualem neceſſariam ad perſeuerandum, & perfectè volendum. *Vt autem ſic vellet* actu: *in eius libero reliquit Arb.* .i. perfecto vt ſupra. *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini cùm primum facti ſunt defuiſſet: quoniam non talis natura facta erat*, quamuis tunc perfecta, *vt ſine diuino adiutorio* .i. actuali, *poſſet manere ſi vellet; non vtiq; ſua culpa cecidiſſent.* Quanto ergo minùs nunc ſine illo Viatores ſua culpa caderent: cùm ſine illo nunc minùs ſtare poſſint? Nec obeſt, ſed prodeſt quod ſequitur. *Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt.* Si de tali & tanto, ſeu ad perfectè volẽdum: eſt pœna communis peccati orig. Si de omni tali, eſt pœna peccati proprij & perſonalis. Quæ ſatis indicatur his verbis: *Nunc autem quibus deeſt, &c.* Ergo non de omnibus. *Quibus autem datur, &c.* Ergo aliqui- *Et tanto amplius datur:* Ergo aliquibus minor, alijs maior: *Vt non ſolum adſit illud ſine quo non, & quo poſſimus; verum etiam tantum ac tale ſit, vt velimus.* Quæ promiſcuè de nobis, non vt de ſingulis æqualiter: ſed de alijs & alijs ex nobis, vel de quibuſdam noſtrûm, quibus ſimul datur & gratia qua poſſunt perfectè, & qua volunt & perficiunt actu. Vt hæc verba indicant, *Tantum ac tale ſit* .i. idem ſit quo & poſſimus, & velimus. Cap. 12. *Nunc verò, Prædeſtinatis non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur: ſed tale vt & perſeuerantia ipſa donetur.* Ecce quid, quibus, & ad quid detur .i. ſolis prædeſtinatis datur gratia *qua*, ſeu efficax perſeuerandi actu finaliter, ſeu finiendi hanc vitam & viam in ſtatu gratiæ. Non enim illis ſolis, ſed omnibus qui iuſtificantur datur gratia efficax, *qua*, non tantùm formaliter, ſed cauſaliter & actualiter iuſtificentur. Et omnibus iuſtificatis datur aliqua gratia, *ſine qua non*, & *per quam* poſſint perſeuerare in ſtatu gratiæ *ſi velint*: imò & qua poſſint, non tam facilè & perfectè, ſed tamen benè velle, & benè volendo ad ſingulos actus non peccare, ſed in ſtatu gratiæ perſeuerare. Quia ſaltem poſſunt id deſiderare & orare: quod ipſum eſt benè velle, & diſpoſitio ſeu medium continuandi & perſeuerandi. Vt patet expreſsè & dogmaticè ex *Trid. ſeſſ. 6. Can. 22. Si quis dixerit iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe; Anathema ſit.* Non quaſi ſub conditione, aut dubio de gratia qua poſſit: ſed abſolutè de poſſe, ſed non ſine illa. Cũ enim non poſſit perſeuerare niſi obſeruando mandata, hæcque non poſſint obſeruari ſine gratia ad hoc neceſſaria: hoc ipſo quo *Can. 18. & Cap. 11.* definitur *Mandata Dei non eſſe ad obſeruandum impoſsibilia, ſaltem homini iuſtificato*: condefinitur hominem iuſtificatum habere ſpecialem gratiam actualem perſeuerandi in ſtatu gratiæ, obſeruando mandata Dei; & hæc obſeruandi, ſeu non peccandi mortaliter, ad perſeuerãdum in ſuo ſtatu gratiæ. Nec *Can. 18.* per hæc verba: *Iuſtificato & ſub gratia conſtituto, &c.* nil aliud ſignificatur quàm ſtatus gratiæ: qui non tantùm habet gratiam communem non peccandi actu; ſed ſpecialem ad perſeuerandũ in ſuo ſtatu. Non enim fruſtra *Trid. Can. 22.* expreſsè vocat hanc *gratiam ſpecialem*: ſed vt diſtinctam à communi, & ab illa *maxima perſeuerandi*, actu continuo, vel ſaltem finali. De qua Cap. 13. *Nemo*, inquit, *ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſsimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint: ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, &c.* Vbi exprimit gratiam illam *ſpecialem* iuſtorum perſeuerandi: *niſi ipſi illi gratiæ defuerint.* Et Can. 16. *Si quis magnum illud vſq; in finem perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum abſoluta & infallibili certitudine dixerit: niſi hoc ſpeciali reuelatione didicerit; Anathema ſit.*

Cauenda eſt ergo in illo contextu *B. Aug.* confuſio doctrinæ *cap. 11.* De gratia prima perſeuerandi in illo ſtatu: cum doctrina *cap. 9. 12. 13.* de gratia propria Prædeſtinatorum perſeuerandi finaliter; qua non tantùm poſſunt, ſed ipſo facto finaliter perſeuerant, ex vi Prædeſtinationis, & gratiæ omnium efficaciſſimæ. Qua vt Deus *ſine nobis* operatur vt velimus, ſeu præuenit nos ad volendum: ita etiam ſubſequitur ſolos Prædeſtinatos, eripiens eos in ſtatu gratiæ extra omnia pericula huius viæ & vitæ; ſæpè etiam ſine eorum ſcitu aut conſenſu actuali, non tamen ſine virtuali aut habituali. Vt patet ex illo *Sap. 4. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*: & ex *B. Aug.* toto libro De dono Perſeuer. ſupra, *à col. 380. ad* 385. Imò & ex hoc ipſo contextu, *Cap. 7. 8. 9.* De gratia propria Prædeſtinatorum, perſeuerandi finaliter. *Col. 349. cap. 10.* De gratia communi Angelorum, & hominum viatorum, qua potuerunt perſeuerare. Sed 12. Ciu. 9. ſupra *col. 260. 261.* de propria & finali Angelorum bonorum ſeu Prædeſtinatorum. *Cap. 11.* De prima gratia Adami, & ſpeciali iuſtificatorum, perſeuerandi in ſtatu gratiæ *ſi velint. Cap. 12. 13. 14. 15.* Iterum de gratia propria Prædeſtinatorũ, actualis conuerſionis, & perſeuerantiæ finalis. Sic enim expreſsè *B. Aug.* C. 13. *De his loquor, qui Prædeſtinati ſunt, col. 351.* Quantaq; ſit differẽtia gratiæ qua poteſt perſeuerari, & qua perſeueratur finaliter: patet in ipſo *Adamo*: qui potuit perſeuerare in primo ſtatu gratiæ, nec perſeuerauit; ſed perſeuerauit finaliter, *eductus à delicto ſuo, Sap. 10.* Quis autem credat, quòd nec *Adam*, nec Angeli mali antequam peccarent habuerint vllum vſum bonum actualem gratiæ, qua poterant cauere malum & facere bonum: ſaltem aliquantulùm reſiſtendo tentationi actu aliquo inefficaci; ſed tam ſubitò & abſolutè toto impetu ruerint in conſenſum? Cùm Angeli inter ſe pugnauerint: & Eua videatur aliquandiu reſtitiſſe, opponendo Diabolo præceptũ Dei. Ergo gratia *ſine qua non*, ſeu *qua poteſt fieri*, habuit & habet adhuc quoſdam effectus imperfectos: nec diſtinguitur à gratia *qua fit*, niſi vt perfectè. Nam vix poteſt eſſe gratia

Digitized by Google

gratia actualis in nobis, quin eliciat ex nobis aliquem actum ſaltem imperfectum: quantò minùs in *Adamo*, in quo nulla erat reſiſtentia vitioſa, ſed tanta inclinatio ad minimum motum gratiæ? Nec poteſt dici non fuiſſe actu in *Adamo*, ſed tantùm in potentia proxima ad actum, ſeu prompta & parata ad cooperandum volenti, non autem vt in nobis actualiter præueniens ad volendum. Quia *B. Aug. lib. 3. De lib. Arb. cap.25.* ex profeſſo docet nec tunc fuiſſe in poteſtate *Adæ* quo viſo ſeu obiecto tangeretur ac moueretur: ſed habuiſſe *viſum ex ſuperioribus præceptum Dei; ex inferioribus ſugeſtionem ſerpentis*, & vxoris, &c. & *Lib. 22. contra Fauſt.* cap. 28. *Humana creatura per eam poſſibilitatem inſtauratur, per quam ſi voluiſſet, nec cecidiſſet.* Atqui non potuit velle ſine gratia: ergo hæc poſſibilitas non eſt ſolius voluntatis, ſed etiam alicuius ſaltem ſimilis gratiæ volendi. Ergo quamuis non tunc, ſed nunc ſit nobis neceſſaria gratia non tantùm præueniens intellectum aliquo bono obiecto motiuo, ſed & voluntatem vitioſam aliqua bona affectione: fuit tamen ſemper neceſſaria aliqua gratia actualis præueniens ſaltem obiectiuè.

Hinc *Ad* 3. De gratia præueniente, & ſubſequente finaliter: quæ ibi exprimitur, *vt homo accedat, & non recedat à Deo.* Quæ tunc erant in viribus liberi Arb. perfecti gratià, non nunc: quia nunc non ſic reperficitur gratiâ orig. niſi vt gratificante Deo, non autem excludente inclinationem ad malum.

Ad 4. Non eſt fruſtra. 1. Quia habet ſuum ſaltem effectum formalem, afficiendi & perficiendi formaliter ſuum ſubiectum, ſeu potentiam rationalem. 2. Diſponendi etiam formaliter ad vlteriorem perfectionem. 3. Supplendi defectum bonæ, & affectum malæ inclinationis in potentia. 4. Continendi ſeu præſeruandi intellectum ab errore, vel grauiore, & voluntatem ab actu malo, vel peiore, ſaltem exteriore, moderando vim ac impetum malitiæ interioris. 5. Eliciendi etiam aliquos actus rationales, veros, & bonos: quamuis inefficaces effectus perfecti, diſponentes tamen ad perfectiores; niſi libidine aut malitia voluntatis præualente, imò & ſeipſam quaſi per hanc antiperiſtaſim intendente.

Ad 5. Talis gratia ex ſe non nocet, ſed tantùm prodeſt: niſi per antiperiſtaſim.

Ad 6. Nullatenus eſt ad peccandum, ſed ad non peccandum: quia ſine ea voluntas non poſſet non peccare actu; ſicque nec poſſet iuſtè condemnari pro culpa à qua ſe continere non potuiſſet. Nam vt *B. Aug. lib. 22. Ciu. 1. Lib. 2. contra Fauſt. 5. De ſpir. & litt. 33. Enchir. 105. De corrept. & gratia* 10. & alibi ſæpè: Deus dedit homini liberum Arb. electiuum boni & mali, ad iuſtitiam meriti vel demeriti, & retributionis Dei. Qui ne videretur pronior ad vltionem, quàm ad mercedem: ſicut non iudicauit dignum mercede æterna, niſi ex gratia & lib. Arb. ſic nec punitione pluſquã naturali, niſi peccet ex ſe ſolo, cùm ex gratia poſſet non peccare. Vt *B. Aug. Enchir. 106. Etſi peccatum in ſolo libero Arb. erat conſtitutum: non tamen iuſtitiæ retinendæ ſufficiebat lib. Arb. niſi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur.* Nec *B. Aug.* ex gratia non peccandi, ſed ex libero Arb. quaſi à Deo æquè dato ad malum ac ab bonum: infert, aut potiùs indicat poſſe inferri contra *Pelagium*, bona & mala fore æquè Dei ac noſtra. Sed è contra ex gratia non peccandi patet mala noſtra non eſſe Dei, nec liberum Arb. ab eo datum eſſe ad peccandum: cum illud gratiâ ſuâ reddat potens & inclinet ad non peccandum.

De efficacia Gratiæ.

NOn ab euentu, nec ex ſolo noſtro conſenſu, nec ex ſola entitate, qualitate, quantitate, congruitate, proportione gratiæ cum ſubiecto cui datur, vel cum eius affectu ſeu diſpoſitione naturali aut vitioſa: nec à quouis exceſſu gratiæ creatæ ſupra vim naturalem potentiæ naturalis, liberæ, aut vitioſæ, coagendi, vel reſiſtendi; nec ex præſcientia vllius futuri, poſſibilis, aut conditionati; ſed ex ſola voluntate Dei dantis, vt omnipotente cauſaliter, obiectiuè, finaliter, & ſympaticè, ad inclinandum omnes voluntates inferiores vt participatas, in infinitum vſque ad conſenſum; vel mediatè per gratias, motiuas, aut earum motus ſenſitiuos & rationales, intellectus & voluntatis, inter ſe, & ad eundem finem ſeu conſenſũ congruentes; vel etiam immediatè per ſeipſam, vt potentem quicquid poteſt per cauſas ſecundas potentiales, habituales, actuales, naturales & liberas.

1. Ex ſacra Script. *Gen.* 1. Dixit & facta ſunt. *Pſal.* 113. Omnia quæcumque voluit fecit. *Pſ.* 148. Ipſe dixit, & facta ſunt, &c. *Eſa.* 46. Omnis voluntas mea fiet. *Matt.* 8. *Marc.* 5. *Luc.* 5. Si vis, potes. *Matt.* 19. Apud Deum omnia poſſibilia ſunt, &c. *Heſter* 13. Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ. *Pſal.* 76. Dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi. *Pſal.* 79. 84. Conuerte nos Deus, &c. *Pſal.* 118. Inclina cor meum, &c. *Prou.* 21. Cor Regis in manu Dei: quocumque voluerit inclinabit illud. *Eſa.* 11. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. *Ier.* 13. Profundum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Egò Dominus. *Pſal.* 50. Cor mundum crea in me Deus, &c. *Eph.* 2. Creati à Deo in operibus bonis. *Eſ.* 26. Omnia opera noſtra operatus es nobis. *Ezech.* 36. Ego faciam vt in præceptis meis ambuletis. *Pſ.* 36. Spera in Deo, & ipſe faciet. *Sap.* 8. Attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. *Phil.* 1. Qui cœpit bonum opus, perficiet. & 2. Deus operatur in nobis velle & perficere. *Eph.* 1. Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, &c. Vt *col.* 197.

Ex ſacris *Conc.* & Cenſuris *à col. 276. ad. 305.* ſed ſingulariter *Seſſ. 6. Trid. cap. 5. & Can. 4.* De potentia reſiſtendi & diſſentiendi cuiuis vocationi Dei actuali.

Ex *B. Aug. lib. ad Simpl. q. 2.* *Cuius Deus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat, &c. Quòd ſi tanta poteſt eſſe obſtinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdureſcat auerſio: quæritur verum de diuina pœna ſit ipſa duritia? Cùm enim Deus deſerit, non ſic vocando, quomodo ad fidem moueri poteſt: quis dicat*

modum quo perſuaderetur vt crederet, etiam Omnipotenti defuiſſe? Vt col. 359. 360. Lib. 8. Conf. 7. Legi Rom. 13. ſtatimque omnis dubitationis tenebræ diffugerunt, &c. col. 377. Lib. 9. cap. 8. De conuerſione S. Monicæ. Tu Domine ad vſus tuos contorquens profunda torrentis, etiam de alterius animæ inſania ſanaſti alteram: ne quiſquam cum hoc aduertit, potentiæ ſuæ tribuat ſi verbo eius alius corrigatur quem vult corrigi. Lib. De gratia Chriſti cap. 13. Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt: certè ſic dicatur, vt altiùs & interius eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere, &c. Cap. 14. Omnis qui audiuit à Patre meo & didicit, Ioan. 6. non ſolum poteſt venire ſed venit ad me, &c. Vt col. 328. 329. 330. 331. 332. Quæſt. 18. in Exod. 7. Indurabo cor Pharaonis. Vtitur Deus benè cordibus malis ad id quod vult, &c. Verum etiam ſic accipi poſſit? Ego indurabo .i. quàm durum ſit demonſtrabo. Quæſt. 154. Miſerebor cui voluero, &c. Exod. 33. Vt col. 385. Enchir. 31. Gratia ſalui facti eſtis per fidem: & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, &c. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Cap. 32. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. Phil. 2. Non volentis, neq; currentis, &c. Rom. 9. Reſtat vt totum Deo detur, &c. vt cap. 346. Cap. 97. Quoties volui, & noluiſti? Matt. 23. Vbi ergo eſt illa Omnipotentia? An potius ea quoq; nolentes collegit ipſe quos voluit, &c. vt col 347. Lib. de gratia & libero Arb. cap. 1. Certum eſt nos velle, cùm volumus: ſed ille facit vt velimus. Certum eſt nos facere cùm facimus: ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati. C. 20. Script. diuina oſtendit omnes voluntates ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quò voluerit faciat inclinari. Cap. 21. Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum: vt per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, &c. Col. 348. 349.

Lib. De corrept. & gratia Cap. 8. Quid aliud rogauit Chriſtus pro Petro: niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimã voluntatem? Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam: ſed gratia potius libertatem, & vt perſeueret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem, &c. Cap. 12. Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ: vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter, ageretur, &c. Fortiſſimo permiſit facere quod vellet: infirmis ſeruauit vt ipſo donante inuictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inuictiſſimè nollent. Cap. 14. Non eſt dubitandum, voluntati Dei non poſſe reſiſti. De ipſis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult facit, ſine dubio habens humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. Ex 1. Reg. 10. 1. Paral. 11. 12. Magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas. Lib. De Præd. SS. Cap. 9. Hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia auferatur. Cap. 10. Cur non homo ſe potiùs voluntati Dei, quàm ſuæ committat? Vt col. 379. De dono perſeuer. Cap. 6. Tutiores viuimus, ſi totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Cap. 13. Non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum: ſed diuino ſubleuatur auxilio. Cap. 17. Non eſt cenſendum, tunc de ſua ſalute hominem deſperare: quando ſpem ſuam non in ſeipſo, ſed in Deo didicerit ponere. Cap. 22. Abſit à vobis ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere iubemini non in vobis, &c. An timendum eſt ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo: non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infelliciſſimus poneret? &c. Vt col. 384. Lib. De geſtis Pel. Cap. 3. Plus eſt agi, quàm regi: qui enim regitur aliquid agit, & ideo regitur vt rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur, &c. col. 317. Sic & col. 373. 374. Lib. 5. Ciu. 9. Voluntates noſtræ tantùm valent, quantum eas Deus valere voluit, atq; præſciuit. Vt col. 314.

Ex Alenſi diſt. 1. q. 24. m. 3. Res futuræ nullatenus ſunt cauſa præſcientiæ Dei. Quæſt. 25. m. 2. Diſpoſitio Dei eſt præſcientia omnium fiendorum vt fiant. Quæſt. 27. De fato. Quæſt. 28. De Præd. m. 3. Nec quoad præſcientiam, nec quoad gratiam eſt ex meritis. Quæſt 29. De Reprobatione. m. 5. art. 3. Obduratio eſt duplex. 1. Communis, ex culpa orig. 2. ſpecialis, ex contemptu gratiæ. Quæſt. 35. m. 2. Voluntas Dei eſt cauſa prima omnium bonorum. P. 2. q. 1. 2. 3. 4. 5. 6. De cauſa prima. Quæſt. 19. m. 2. ad vlt. Angelus conuerſus ad Deum per gratiam gratificantem, nõ fuiſſet auertibilis. Quæſt. 96. m. 1. ad 4. Eſt gratiæ captiuare affectum in obſequium Chriſti, diligendo: vt intellectum, credendo. Quæſt. 97. m. 2. art. 4. Gratuita fuiſſent excedentia & exceſſa, inter perſonas ante & poſt lapſum. P. 3. q. 96. m. 2. Gratia creata vt agens, eſt nobilior anima: ſed non vt eius diſpoſitio. Ad 7. Gratia creata eſt ſimpliciter finita quoad eſſentiam: ſed infinita comparatiuè ad increatam, & ad effectum gratificandi. m. 3. art. 2. ad 2. Gratia nunquam relinquit ſuum effectum, ſeu bonam voluntatem in arbitrio ſeu conſenſu liberi Arb. Art. 5. Non eſt alia eſſentialiter poſt peccatum, quam ante: ſed tantum accidentaliter; vt non eſt alia medicina poſt morbum quàm ante. q. 70. m. 4. Gratia nunquam compellit liberum Arb. paſſiuè. Ad Arg. Liberum Arb. non poteſt cogi coactione ſufficiente, ſed inducente.

Ex S. Bon. in 1. d. 38. q. 1. Præſcientia Dei eſt cauſa omnium bonorum. Quæſt. 2. Res præſcitæ non ſunt cauſa, nec ſine qua non, præſcientiæ Dei. D. 48. Nullus eſt ita obſtinatus, quin poſſit redire ad cor. D. 26. q. 2. Gratia eſt quid creatum, cum increato. Ad arg. Effectus gratiæ non ſunt tantùm à Deo vt principio effectiuo, ſed & per gratiam informantem. Quæſt. 6. Gratia eſt motrix liberi Arb. ſed gratia operans mouet vt influentia inſtrumentalis Dei; cooperans mouet illud diſpoſitiuè ad ſeipſum mouendum. Ad 1. Voluntas à Deo mota, vult ſic moueri, ſicque mouetur etiã à ſeipſa. Ad 3. Gratia mouet voluntariè voluntate Dei influentis, & liberi Arb. conſentientis. In diſt. 28. art. 1. q. 2. ad 1. Sub te erit appetitus tuus, &c. Gen. 4. .i. ad vitandam pœnam. Art. 2. q. 2. Decepit Pelagium quod liberum Arb. nunquam deſtituitur omni gratia gratis data: & ipſe poſſe gratiæ attribuit naturæ. D. 29. q. 2. Dona Dei ante lapſum fuiſſent efficaciora quoad promptitudinem voluntatis: nunc quoad difficultatem operis, &

probabiliùs

Digitized by Google

probabiliùs quoad magnitudinem charitatis .i. comparando ſtatum ad ſtatum, non ſingulas perſonas inter ſe.

Ex Doctore Subtili *in* 1. *d.* 17. *q.* 3. *a.* 12. De habitu ſupernaturali charitatis, vt cauſa principali actus, ad eius dignitatem & meritum: ſed de voluntate vt principali ad ſubſtantiam, intentionem, & moralitatem actus. Quia ex *B. Aug.* gratia inſidet voluntati, vt eques equo: & voluntas eſt quaſi eius pediſſequa. *Diſt.* 37. De Omnipotentia Dei. *Diſt.* 39. De Præſcientia Dei ex ſua ſola voluntate: non ex futuris contingentibus. *Diſt.* 40. 41. De Prædeſt. ex ſola voluntate Dei: non ex præuiſione futuri. *Diſt.* 42. De Omnipotentia Dei immediatè: non tam euidenti, quàm vel mediatè. *Diſt.* 46. De efficacia voluntatis Dei. *Diſt.* 47. De permiſſione Dei, an poſſit eſſe quoddam velle inefficax ſeu remiſſum.

In 2. *diſt.* 7. Quòd nec Dæmones neceſſariò malè velint.] Ergo nec viatores ex gratia neceſſariò benè. *Diſt.* 25. Quòd actus voluntatis non ſit ab alia cauſa totali: nec velle, ſit tantùm pati. *Diſt.* 29. Iuſtitia orig. continebat omnes potentias ordinatè: nec tamen neceſſitabat; ergo nec vlla gratia. *Diſt.* 37. *q.* 2. *n.* 8. Si voluntas creata eſſet cauſa totalis, & contingens ſui velle: Deus non præſciret futura contingentia ex ſua immutabili determinatione ad illa; nec eſſet Omnipotens, quia non fieret quicquid vellet, niſi violenter.] Ergo per gratiam ſit quicquid vult ſine violentia. *In* 4. *diſt.* 1. *q.* 1. Quòd Deus non poſſit quidlibet per quodlibet inſtrumentaliter: quodque cauſa prima non concurrat cum ſecunda influendo in eam, ſed in effectum communem; ſed inſtrumentum agendo recipiat influentiam ſeu motionem actualem, & formam per quam agat, &c. *col.* 208. 209.

Difficultates.

1. EX *col.* 304. 305. An liceat hinc tractare, vel edere.

2. An, & quomodo tanta efficacia gratiæ conſiſtat cum libertate eſſentiali & flexibili, & cum *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *& Can.* 4.

3. Quo ſenſu *Al. p.* 1. *q.* 17. tribuat fatum voluntati Dei, & neceſſitatem libertati. Angelus conuerſus ad Deum per gratiam non fuiſſet auertibilis, &c. Sit gratiæ captiuare affectum, vt intellectum, &c. Gratia creata ſit infinita comparatiuè ad infinitam, &c. Nunquam relinquat ſuum effectum in libero Arb. &c. Nunquam compellat liberum Arb. paſſiuè, &c?

4. Ex *S. Bon.* Quo ſenſu nullus ſit ita obſtinatus, quin poſſit redire ad cor, &c. Angeli boni conuerſi ſint ad Deum ſine gratia præueniente, &c. Gratia ſit quid creatum cum increato, &c. Cooperans moueat diſpoſitiuè?

5. Ex *Scoto.* Quo ſenſu charitas ſit cauſa principalis actus vt eſt ſupernaturalis: non vt eſt actus talis, tantus, & liber? Velle non ſit tantùm pati: an nec poſſit infundi & recipi tantùm paſſiuè? Cur Deus non poſſet præſcire ex ſe futura, niſi eſſet eorum Cauſa prima: nec aliter eſſet omnipotens niſi violenter? Cur non poſſit quidlibet per quodlibet ex ſua Omnipotentia?

Reſp. Ad 1. Non licet quidem hinc contendere cum Catholicis, ad præualendum opinione: vt patet ex textu & fine illarum inhibitionum, *ſupra col.* 304. 305. Sed neceſſarium eſt doctrinam Catholicam ſacri *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *& Can.* 4. contra hæreſes oppoſitas propugnare, & opiniones Catholicas cum ſacro *Conc. Trid.* conciliare. Porro hæreſes oppoſitæ contendunt ſolum Deum omnia in nobis bona & mala; vel ſaltem bona operari: noſque ad ea nihil actiuè, vitaliter, vel ſaltem liberè cooperari; nec poſſe diſſentire aut non conſentire Deo mouenti. Vt patet ex ipſo *Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *Can.* 4. 5. & ex *Bellarm. l.* 1. *De gratia & lib. Arb. cap.* 11. ex ipſo *Calu.* 2. *Inſtit.* 3. §. 7. 10. Variæ autem ſunt opiniones Catholicorum de efficacia gratiæ: ſed non æquè conformes doctrinæ *Conc. Trid.* multò minùs *B. Auguſtini.* Quarum tres refert *Bellarm.* ſupra *cap.* 12. 1. Eſt nimis aliena à ſenſu ſacræ Script. & *B. Aug.* quòd gratia ſolùm denominetur efficax ab effectu noſtræ cooperationis. 2. Videtur verbis eſſe affinis, non tamen ſenſu & intentione coaleſcit cum hæreſi: quòd gratia ſit efficax à reali determinatione voluntatis noſtræ ad ſibi aſſentiendum, & cooperandum libertate vitali & eſſentiali voluntati; non tamen flexibili, ſed ad aſſentiendum determinata, ſine poteſtate diſſentiendi aut conſentiendi tali præmotioni actuali. 3. Quòd gratia ſit efficax moraliter, mouendo voluntates noſtras obiectiuè, finaliter, & moraliter, vſque ad conſenſum. Sed quælibet harum habet varios ſenſus. 1. Quòd hæc efficacia ſit tantùm denominatio ab effectu. Vel quòd ſit à libero Arb. vt à cauſa principali reddente gratiam ex inefficaci aut inſufficiente coefficacem. Vel quòd ſit ex ſe ſufficiens ad ſuam efficaciam, ſeu coefficaciam, vt concauſa, in actu 1. Vel quòd ſit efficacior ad mouendum voluntatem, quàm omnes inclinationes & motiua oppoſita. Vel quòd ſit efficacior ipſa voluntate, ad actum communem. Vel quòd ſit efficacior mouendi ipſam voluntatem, ad actum communem: quàm ipſa voluntas reſiſtendi, aut continendi illum actum, vel auertendi ſe & concurſum Dei ab illo actu & obiecto ad aliud. 2. Quòd ſit efficax determinando voluntates noſtras: vel eas prædeterminando ab æterno, ad eorum certam futuritionem; vel etiam actu ad exiſtentiam actualem; ad ſolam entitatem actuum, vel ad eorum bonitatem moralem, vel etiam aut ſolùm ad ſupernaturalem; vel ad ſolum initium actuum, vel ad totam eorum continuationem & perfectionem; per formam aliquam intrinſecam & ſtabilem, ad hoc voluntati impreſſam ac prædeterminantem; vel per præmotionem actualem, neceſſitantem voluntatem ad conſenſum; vel per infuſionem paſſionis ſeu affectionis actualis, imò & fortè ipſius actus ſeu conſenſus actualis determinantis voluntatem formaliter ad operandum ſeu conſentiendum, ſiue formaliter tantùm, ſiue etiam actiuè illo conſenſu infuſo. 3. Quòd ſit efficax mouendo obiectiuè, finaliter, & moraliter, ſeu inclinando voluntatem: vel extrinſecè & negatiuè, auferendo motiua oppoſita,

Digitized by Google

poſita; vel poſitiuè, per ſua motiua obiectiua, & ſympatiam potentiarum eiuſdē animæ inter ſe, & cum ſuis obiectis, ſed ſuper omnia cum ſuo principio originali & fine; vel intrinſecè per habitus paſſiones, vel actus priores, perfectiores aut imperfectiores, ad poſteriores; vt per intentionem ad electionem, per amorem vnius ad odium alterius & è contra: vſque ad conſenſum actualem à Deo intentum; vel ex præſcientia Dei quantum quæuis voluntas, aut ſingulæ inclinandæ ſint vt conſentiant; vel cui aut quantæ inclinationi conſenſuræ ſint; vel ex ſola ſcientia conſenſus vt poſſibilis, impoſſibilis autem reſiſtentiæ infinitæ voluntatis creatæ, ſed ſuæ omnipotentiæ inclinandi eas in infinitum vſque ad præbendum conſenſum actualem.

Quæ tanta tàmque ſtudioſa fœcunditas ingeniorum Chriſtianorum in obſequium eiuſdem fidei catholicæ, videtur poſſe conciliari cum doctrina *S. Aug.* ipſiuſque ſacri *Conc. Trid.* non quatenus opiniones ſunt contradictoriæ vel contrariæ; ſed quatenus ſingulæ ad hanc fidei veritatem aliquid conferre poſſunt. Nam certum eſt. 1. Gratiam efficacem non ſolùm eſſe & denominari talem à ſua propria efficacia actuali: ſed poſſe condenominari à coefficacia & conſenſu liberi Arb. 2. Qualitatem, quantitatem, & vim intrinſecam gratiæ creatæ, ad aliquam eius efficaciam pertinere. 3. Poſſe dici efficacem, vel efficaciorem comparatiuè ad ſibi contraria minùs efficacia, vel ad voluntatem vt minùs efficacem eiuſdem effectus communis, vel minùs gratiæ reſiſtentem. 4. Hanc gratiam habere aliquam vim ſeu efficaciam mouendi obiectiuè, finaliter, moraliter, negatiuè, & poſitiuè, extrinſecè & intrinſecè, vt ſupra: ſeu inclinandi voluntatem ad conſenſum, remouendo contraria, & adhibendo omnia illa & plura motiua vſque ad conſenſum actualem.

Sed potiores difficultates ſunt. 1. An vlla gratia creata poſſit cauſaliter, formaliter, aut finaliter prædeterminare, determinare, condeterminare, vel inclinare voluntatem vſque ad conſenſum actualē, auferendo ei poteſtatem actualem diſſentiendi vel non conſentiendi. Videtur enim voluntas eſſe ſola cauſa creata aut creabilis ſui proprij conſenſus: & potentior ad conſentiendum vel non, quàm vlla cauſa creabilis ad eam determinandam, vel inclinandam vſque ad oppoſitum. Vt Scotus ſupra *col.* 182. 188. 189. 190. Hinc nec ipſa voluntas poteſt ſeipſam determinare per vllum actum priorem, ad poſteriorem: nec per vnum actum intentionis ad alium electionis, alium executionis; nec per vnum actum imperantem, ad alium ſibi ipſi imperatum; nec per vnum actum imperatum intellectui, ad alium ex ſe eliciendum; ſed eſt libera & indeterminata, ſuique ipſius determinatiua ad actus ſingulos, eorumque continuationem: non ad ſingularitatem, nec fortè ad eorum ſaltem inſtantaneam reuocationem. Vt patet ex propria experientia, & *B. Aug.* ſupra *Lib.* 8. *Conf.* & *Solil.*

2. An voluntas noſtra ſit prædeterminabilis ad proprium conſenſum actualem, ab ipſo Deo. Non quin Deus poſſit ipſi infundere etiā actum volendi & cōſentiendi: ſed an ipſa tali actu infuſo formaliter vellet & conſentiret, niſi operando; ſi non actiuè, ſaltem vitaliter & formaliter, liberè volendo & conſentiendo illo ipſo actu infuſo in eius obiectū, & in hunc ipſum actum, vel nolendo & diſſentiendo ab hoc actu & eius obiecto, vel eodem actu, vel alio reflexo. Nam vt *B. Aug. q.* 8. *ex* 83. *Si volumus, non alius de nobis vult.* Velle enim & conſentire, non tantùm eſt habere ſubiectiuè actum volendi & conſentiendi: ſed etiam eodem vitaliter & actualiter, ſaltem formaliter operari. Quamuis enim Deus ex *B. Aug. De corrept. & gratia* c. 14. *Magis habeat in ſua poteſtate voluntates noſtras*, potentiales & actuales, *quàm nos ipſi*: videtur tamen impoſſibile non ſolùm nobis, ſed abſolutè, velle ſeu conſentire tantùm paſſiuè, non operando actiuè, aut ſaltem formaliter, volēdo & conſentiendo.

3. Eſt propria fidei catholicæ. Vt vt ſit de poſſibili: an Deus actu per ſe, vel per gratiam actualē & creatam, prædeterminet, vel ita determinet voluntatem ad ſibi conſentiendum actu, vt auferat ei poteſtatem actualem diſſentiendi, vel non conſentiendi. *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 5. & *Can.* 3. Definit quòd non, ſine exceptione aut diſtinctione gratiæ inefficacis ab vlla alia: contra aliquam hæreſim toto illo *Can.* 4. expreſſam, vt ſupra *col.* 460. Ergo ſupponit aliquam hæreſim negantem liberum Arb. à Deo motum ita cooperari aſſentiendo Deo vocanti, vt poſſit diſſentire, &c. Cui hæreſi videtur nimis affinis opinio tribuens gratiæ efficaci vim determinandi voluntatem cauſaliter & formaliter, ad ſibi conſentiendum: auferendo, ſuſpendendo, vel ſiſtendo poteſtatem ſeu libertatem non conſentiendi, ſed diſſentiendi. Nec videtur ſatis excuſari aut diſcerni ab illa hæreſi, per ſolā libertatē vitalē & actualem conſentiendi, cum potentia remota diſſentiendi. Nam expreſsè condefinitur libertas diſſentiendi *ſi velit* .i. ſi libet ſeu liberè, non ſi vellet aut poſſet velle conditionatè. Quia nulla hæreſis poteſt eſſe tam inſana, vt neget poſſe diſſentire ſi diſſentiat, vel ſi poſſit diſſentire. Sed videtur poſſe excuſari vel diſcerni ab illa hæreſi, & reconciliari aut conciliari huic definitioni ſacri *Conc.* Conferendo hæc *cap.* 5. *Tangente Deo cor hominis, neque homo ipſe nihil omninò agit, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam abijcere poteſt, &c.* Cum Can. 4. *Si quis dixerit liberum Arb. à Deo motum nihil cooperari aſſentiendo Deo vocanti, quoad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, neq; poſſe diſſentire ſi velit, &c. Anathema ſit.* Quamuis enim idem ibi ſit *recipiendo aliquid agere*, quod hîc *conſentiendo cooperari*: & ibi *abijcere poſſe*, quod hîc *poſſe diſſentire*, poteſt tamen diſtingui receptio paſſiua, & paſſio etiam vitalis, ac neceſſaria illius motus diuini, ab eius receptione, vel reiectione actiua & morali, per conſenſum vel diſſenſum liberum. Imò etſi motus ille eſſet actus vel conſenſus infuſus: poſſet liberum Arb. nec illo, nec illi actiuè & moraliter conſentire, ſed ab eo diſſentire. Itaque facilè cointelligi poteſt, liberum Arb. determinari à Deo mouente, ad paſſionem etiam vitalem cuiuſuis motus: nec tamen neceſſitari ad conſentiendum illi motui, nec conſentiendo priuari libertate diſſentiendi. Nec tamen hîc definitur liberum Arb. à Deo motum, cooperando & conſentiendo

Digitized by Google

ſentiendo actu, poſſe diſſentire: ſed inter motum Dei & conſenſum ſuum poſſe eidem motui diſſentire. Non quin & ante motum Dei poſſet affectu & actu contrario diſſentire, & poſt ſuum conſenſum, ab illo ad diſſenſũ deficere: ſed quòd libertas flexibilis actualiter exerceatur conſentiendo vel diſſentiendo motui Dei actuali; ei autem conſentiendo ſeipſam determinet & exerceat actu in ſuo conſenſu, cùm ſola poteſtate deficiendi à conſenſu ad diſſenſum. Nec tantùm hîc definitur liberum Arb. poſſe diſſentire motui alicuius gratiæ creatæ: ſed ipſi Deo mouenti & vocanti quouis motu gratiæ ordinariæ. Quia Deus aliter mouet nos ordinariè ad ſibi conſentiendum: quam confirmet Sanctos in gratia & gloria; ergo non neceſſitat nos ad conſenſum ſicut illos.

Poteſt etiam cointelligi prædeterminatio aut determinatio à ſolo Deo, ad ſingularitatem, ad exercitium, ad entitatem, ad ſupernaturalitatem actus: cum noſtra libertate & determinatione ad ſolam ſpecificationem moralem, per conſenſum in obiectum & actum, cum poteſtate diſſentiendi, ſeu ab illo deficiendi. Quia quòd Deus prædeterminauit, & agit realiter, poteſt ſimul exequi obiectiuè finaliter & moraliter, inclinando nos ad liberè volendum idipſum quod Deus ex ſe voluit & realiter agit. Sed cùm definitio ſacri *Conc.* ſit tam expreſſa, & ad captum communem noſtræ fidei: Eccleſia ſapienter inhibet ne intricetur contentionibus inextricabilibus de prædeterminatione poſſibili aut impoſſibili cum libertate noſtra ordinaria; ſed facilè & moraliter cointelligatur cum efficacia gratiæ; ne varietas loquendi, & difficultas intelligendi videatur eſſe contra vnitatem & certitudinem fidei. Porro, non poteſt faciliùs & moraliùs cointelligi: quàm quòd efficacia gratiæ ſit, quidem ex ſe certa & ineffabilis: non tamen naturalis & neceſſaria, ſed moralis & noſtræ libertati ordinariæ accommodata. Ergo non eſt efficacia ſolius gratiæ creatæ: quia hæc non poteſt moderari ſeu accommodare ſuam actiuitatem noſtræ libertatis ſed eſt Dei mouentis nos liberè tam actiuè quàm paſſiuè, ſeu quantum ipſe vult, & nos volumus, ac facit nos velle; non neceſſariò, ſed liberè, inclinando liberum Arb. vſque ad conſenſum per motiua conuenientia, pluſquam inclinetur à motiuis contrarijs, vel à ſeipſo ad diſſenſum. Quæ inclinatio quantumuis augeatur, nunquam tranſit in neceſſitatem: nec ideo eius effectus moralis ſeu conſenſus futurus, eſt Deo incertus; nec tamen certus ex ſola præſcienta futuri; ſed ex ſua Omnipotentia & Voluntate inclinandi vſque ad conſenſum, per motiua conuenientia libertati. Vt patet ex tot locis ſacræ Script. & *B. Aug.* ſupra, de inclinatione cordium quouſque voluerit. Quo ſenſu morali reliqua omnia de facto intelligi poſſunt ac debent: quicquid ſit de poſſibili vel impoſſibili. De quo in 1. ſub Omnipotentia & efficacia voluntatis Dei.

Ad 3. ex *Al. p. 1. q. 27. m. 2.* De fato. *Al.* ex *B. Aug. 5. Ciu. 9. & lib. 4. ad Bonif. cap. 5.* explicat quidem fatum de ipſa voluntate Dei: cauendo tamen à nomine fati, & à neceſſitate fatali liberi Arb. non tantùm contra vim eius eſſentialem, ſed etiam flexibilem volendi vel nolendi. *P. 2. q. 19. m. 2.* Si Angelus eſt tam conſtans aut pertinax in proprio actu naturali: quantò conſtantior fuiſſet in ſua ad Deum conuerſione ex gratia etiam habituali? *Q. 96. m. 1.* Non vult æquè captiuari voluntatem per gratiam diligendi Chriſtum, ac intellectum per gratiam credendi; ſed ſuo modo .i. illam captiuitate & ſeruitute libera, hunc etiam neceſſaria. *Q. 97.* De maiori vel minori efficacia gratiarum ante vel poſt lapſum: non autem de ipſa efficacia abſolutè; niſi quòd ſupponat gratiam efficacem non eſſe propriam poſt lapſum. *P. 3. q. 69. m. 2.* ſatis indicat gratiam creatam non eſſe ex ſe efficaciorem libero Arb. ſed ex vi gratiæ increatæ ac infinitæ. *M. 3. Art. 3. ad 2.* Gratia operans nunquam relinquit ſuum effectum .i. primum motum in arbitrio voluntatis; quia præuenit ſuo primo motu omnem voluntatis conſenſum. *Art. 5.* Non eſt alia eſſentialiter poſt peccatum quàm ante, &c. quia nec noſtra infirmitas, nec meritum Paſſionis Chriſti mutat eſſentiam gratiæ. *§. 2.* Non eſt alia in adultis habitualis, quàm in paruulis: imò nec actualis annexa & parata. Vt patet ex *m. 4. & q. 70. m. 2.*

Ad 4. ex *S. Bon.* Nullus viator eſt deſertus ad ſemper. *Angeli boni ſunt conuerſi ad Deum ſine gratia præueniente*: vel habituali ſi in ea creati non ſunt; vel actuali, vt diſponente voluntatem, quæ ſatis erat diſpoſita. *Gratia eſt quid creatum cum increato*: Quia gratia habitualis eſt quædam vnio cum Deo; actualis, eſt inſtrumentum Dei. *Gratia cooperans mouet liberum Arb. diſpoſitiuè ad ſeipſum mouendum*: vt concauſa ad effectum communem. Reliqua illuſtrant etiam obſcuriora.

Ad 5. ex *Scoto. Vt in* 1. De præſcientia & Omnipotentia Dei: & in 3. De habitibus ſupernaturalibus. *Velle autem non eſt tantùm pati*: ſed ſaltem formaliter operari. Quod plus dicit quàm actus volendi: qui fortè poſſet eſſe vel etiam ineſſe ſine propria operatione ſubiecti. Reliqua de gratia efficaci in 1. ſub Prædeſtinatione Dei, & in 3. ſub gratia & meritis Chriſti, ac noſtris per gratias & merita Chriſti.

Difficultas reliqua.

QVòd *B. Aug.* ſupra videatur tribuere totam efficaciã gratiæ cuidam victrici, & inuincibili delectationi: cùm tamẽ delectatio ſit quædã animi affectio ac complacentia in obiecto vel actu proprios videaturque potiùs oriri ex actu, quàm actus ex illa. Vt patet ex 4. *ſent. col.* 940. Nec Deus minùs efficaciter & perfectè conuertat peccatores timore, ſpe, dolore, & triſtitia, quàm delectatione; quia hæc videtur plus vitiare actum amore proprio, quàm illæ.

Reſp. Ex *B. Aug.* De origine & diſtinctione paſſionum, ſeu affectionum animi. *Quæſt.* 36. ex 83. *Cùm Deus magis diligitur quàm animus, vt malit homo eius eſſe quàm ſuus: tunc verè animo ſummæ conſulitur, &c. Nutrimentum charitatis eſt imminutio cupiditatis: perfectio nulla cupiditas. Signum profectus eius, imminutio timoris: ſignum perfectionis, nullus timor. Deus ſolus timeri ſine*

amore non poteſt : quia initium ſapientiæ timor Domini, Prou. 1. *Nemo eſt quippe qui non magis dolorem fugiat, quàm appetat voluptatem.* Vt patet, inquit, in domandis feris, timore voluptati præualente. *Sed cùm ratio ſeruit cupiditati : vt homines non timeantur, ſuggerit latere poſſe commiſſa. Eò ſit vt homines quos nondum delectat pulchritudo virtutis, niſi pœnis à peccato deterreantur, & quod relant hominus Deo celari non poſſe conſtituant, difficiliùs domentur quàm feræ, &c. Iam verò cùm aliqua non peccandi conſuetudo, quod oneroſum eſſe putabatur, facile eſſe perſuaſerit : incipiat guſtari dulcedo pietatis, & commendari pulchritudo virtutis; vt charitatis libertas, pro ſeruitute timoris emineat.* Lib. De natura boni cap. 20. *In animo dolorem facit, voluntas reſiſtens poteſtati maiori : in corpore dolorem facit ſenſus reſiſtens corpori potentiori. Sunt autem mala ſine dolore peiora. Peius eſt enim gaudere de iniquitate, quàm dolere de corruptione. Melius eſt vulnus cum dolore, quàm putredo ſine dolore, &c.* Lib. 3. contra Petil. cap. 83. *Legibus non benè facere cogimini, ſed malè facere prohibemini. Nam benè facere nemo poteſt, niſi elegerit, niſi amauerit : quod eſt in libera voluntate. Timor autem pœnarum, etſi nondum habet delectationem bonæ conſcientiæ, ſaltem intra clauſtra cogitationis coercet malam cupiditatem.* Lib. 14. Ciu. 5. *Non ex carne tantum afficitur anima, vt cupiat, metuat, lætetur, & triſtetur : verùm etiam ex ſeipſa his poteſt motibus agitari.* Cap. 6. *Intereſt autem qualis ſit voluntas hominis: quia ſi peruerſa eſt, peruerſos habebit hos motus; ſi autem recta eſt, etiam laudabiles erunt. Voluntas eſt quippe in omnibus, imò omnes nihil aliud quàm voluntates ſunt. Nam quid eſt cupiditas, & lætitia : niſi voluntas in eorum conſenſionem quæ volumus ? Et quid eſt metus ac triſtitia : niſi voluntas in diſſenſionem ab his quæ nolumus ?* Cap. 7. *Recta itaq; voluntas eſt bonus amor: voluntas peruerſa, eſt malus amor. Amor inhians habere quod amatur, cupiditas eſt : id autem habens, eoq; fruens, lætitia; fugiens quod ei aduerſatur, timor eſt; idq; ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt.* Cap. 9. *Si Apathia ſeu impaſſibilitas Stoicorum eſt, vt ſine affectionibus viuatur quæ mentem perturbant : bona planè & maximè optanda eſt; ſed nec ipſa huius eſt vitæ, &c. Si Apathia illa eſt, cùm animum contingere non poteſt vllus affectus : quis hunc ſtuporem omnibus vitijs non iudicet eſſe peiorem ?* Non *quia durum aliquid, ideo rectum : aut quia ſtupidum eſt, ideo ſanum.* Cap. 25. *Dolor carnis, eſt tantum offenſio in carne, & quædam ab eius paſſione diſſenſio : ſicuti animæ dolor, quæ triſtitia nuncupatur, diſſenſio eſt ab ab illis rebus quæ nobis nolentibus acciderunt. Sed triſtitiã plerumq; præcedit metus in anima, non in carne: dolorẽ autẽ carnis non præcedit vllus quaſi metus carnis, qui ante dolorem in carne ſentiatur: voluptatem verò præcedit appetitus quidam qui ſentitur in carne, vt fames, ſitis, & libido.* Lib. De gratia Chriſti *Cap.* 13. Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt: certè ſic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cũ ineffabili ſuauitate credatur infũdere. *C.*26. Vbi nõ eſt dilectio, nullum bonũ opus imputatur. *In Pſal.* 77. Ex corde nullo modo fieri poteſt, quod formidine ſit pœnæ, non dilectione iuſtitiæ. *Ex ſerm.* 18. *De verbis Apoſt. cap.* 8. Timor gehennæ volentem peccare animum interiorem non ſinit, &c. Cuſtodiat te tamen timor iſte : dum non facis timendo, & veniat charitas. Timor id agebat ne faceres : charitas agit ne velis facere. *Serm.* 12. *cap.* 13. Timor ſeruus eſt charitatis : ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſeruus in corde tuo, & ſeruet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore iuſtitiæ. *Serm.* 15. *cap.* 6. Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit, &c. Concupiſcentiam tuam malam non amor tollit, ſed timor premit. *Serm.* 214. *De temp. Cap.* 1. Diſcat timere qui non vult timere. Timor non eſt in charitate 1. *Ioan.* 4. Si ergo habere non vis timorem : prius vide vtrum iam perfectam habeas charitatem.

Ex quibus inter ſe collatis ſatis patet differentia inter efficaciam timoris, & delectationis : quod timor ſupponat, aut non euincat concupiſcentiam, ſeu affectum habitualem, nec totam paſſionem actualem, imò nec fortè omnem actum inefficacẽ in oppoſitum; ſed delectatio euincat vſque ad ipſũ affectum contrarium. Hinc timor in operando minuit voluntarium : ſed delectatio auget. Porro ex *Scoto in* 4. *d.* 49. *q.* 8. Paſſio delectationis non eſt à voluntate, ſed ab obiecto : nec vnit obiecto, vt actus fruitionis. Licet autem oriri ſoleat ex obiecto, cum ipſo actu fruitionis : ab illo tamen ita diſtinguitur, vt poſſit etiam eſſe prior, & poſterior. Nam & obiectum præſens mouet voluntatem ad conſenſum actualem, per delectationem impreſſã, ex ſimpathia cum tali obiecto: & paſſio delectationis poteſt durare poſt ipſum actum; ſed ſolet eſſe maior cum ipſo actu perfecto. 1. Quia actus vnit & quaſi ſtringit obiectum ſubiecto, ſicque exprimit maiorem delectationem. 2. Ipſemet actus eſt etiam obiectum delectationis. 3. Delectatio eſt quidam fructus connaturalis actus boni : ad quandam remunerationem, & ad libentiorem continuationem, ac exercitium actuum bonorum; vt ſolent actus mali habere pœnam cõnaturalem annexam etiã in remediũ. 4. Ipſemet actus ſeu conſenſus liber, hoc ipſo quo liber eſt, libet, placet, & delectat. Hinc *B. Aug. De vera & falſa pœn.* monet ſẽper eſſe pœnitendũ, ſeu dolendum de peccatis, & de hoc ipſo dolore ſemper gaudendum : non tam paſſione gaudij, quàm ipſo actu libero & libenti. Et ſic fortè *lib.* 4. *Conf. cap.* 5. Quamuis fletus ſit res amara, & de obiecto triſti, delectat tamen ſeu placet flere, quando liberè & libenter flemus. Sed cauendum eſt ne paſſio delectationis ex actu vel obiecto quantumuis bono : nec ipſa delectatio actiua noſtræ libertatis in operando ex proprio libitu, ſit finis noſter bene operandi, ſeu ne benè operemur propter eam; quia ſic maius bonum actus & obiecti, referretur ad minus bonum delectationis. Delectatio ergo illa victrix ac inuincibilis cui *B. Aug.* tribuit tantam efficaciam ac perfectionem gratiæ : non eſt ipſa paſſio, nec actio noſtra vt nobis placens & delectabilis; ſed eſt obiectum digniſſimum tantã noſtra delectatione actiua & paſſiua : imo eſt ipſa delectatio actiua Dei, quæ per obiectum delectatione digniſſimũ, ſed principaliter per ſeipſũ delectat nos, nõ ſolũ paſſiuè ſeu paſſione delectationis, ſed actiuè ſeu vſque ad ipſum actum liberum,

vt

vt placentem, libentemque voluntati. Vt enim *B. Aug. Lib. De corrept. & gratia cap.* 12. exemplificat gratiam efficacem in ipſa beatitudine ſeu beatificatione, qua quis cauſaliter, ſed actualiter fit beatus: ſic & ſtatuit efficaciam gratiæ ad omnes actus perfectos, in victrici ac inuincibili delectatione, qua Deus ipſe obiectiuè ſeu finaliter, & poſitiuè, cauſaliter, & actualiter delecta: voluntatem ſuo proprio actu ſeu conſenſu libero, vt ſibimet libente ac placente.

Nec alio ſenſu ſæpè vocat hanc gratiam *diffuſionem charitatis in corda noſtra, fidem per dilectionem operantem, dilectionem delectationemq; iuſtitiæ* in benè operando: quàm vt talem motum primum actualem & efficacem vſque ad conſenſum. Qui tamen habet priores motus efficaces fidei ad actũ credendi, timoris ad actũ timendi, ſpei ad actum ſperandi: ſed omnes referuntur & terminantur ad motum efficacem perfectè volendi ſeu operandi, diligendo hanc ipſam perfectionẽ in bene operando, ob ſua motiua gratiæ, & præ omnibus ob Deum motorem, & omnis iuſtitiæ fontem ſeu originem. Vt patet ex *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.* De reliquis huius *Diſſ. in 4. col. 766. & in 3.* De virtutibus & vitijs, ſpecialiter, De Timore ſeruili.

DE PECCATIS.

Originali, Actuali, Mortali, Veniali, & Habituali.

ORiginale, materialiter eſt ipſa concupiſcentia: formaliter, vt priuata debita ordinatione gratuita. Omnes & ſingulos homines æqualiter afficit & inficit culpâ & pœnâ: ſolas animas intrinſecè, voluntates imputatiuè; ex ſolo primo demerito Adæ, & vnione contagioſa cum corpore inde concupiſcibiliter propagato. Peccatum actuale eſt defectus moralis & actualis cuiuſque, à debita rectitudine agentis rationalis in operando, ex conſenſu proprio & perſonali, actuali vel virtuali ipſius deficientis. Mortale, & veniale, non tantum differunt ex grauitate vel leuitate eiuſdem materiæ, aut ex perfectione vel imperfectione conſenſus: ſed toto genere malitiæ ex ſe dignæ, vel non, priuatione æterna gratiæ & gloriæ; ſed nonniſi lege Dei poſitiua ac libera ad eam condemnatæ. Poſt actum, reatus culpæ & pœnæ moraliter & quaſi habitualiter ineſt ſuæ cauſæ morali, ſubiectiuè, & obiectiuè.

Ex ſacra ſcript. *Gen.* 2. In quacumque die comederis ex eo, morte morieris. *Cap.* 4. Dixit Dominus ad *Cain*: quare iratus es? Nonne ſi benè egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. *Gen.* 6. Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra; & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, &c. *Gen.* 17. Infans 8. dierum circumcidetur in vobis, &c. Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit. *Exod.* 20. *Deut.* 5. Ego ſum Dominus Deus tuus, viſitans iniquitatem patrum in filios, &c. *Leuit.* 12. De lege purificationis & oblationis pro peccato, poſt partum filij. 3. *Reg.* 8. 2. *Par.* 6. Non eſt homo qui non peccet. *Iob.* 3. Pereat dies in quâ natus ſum, &c. *Iob.* 4. In Angelis ſuis reperit prauitatem, quantò magis hi qui habitant domos luteas? 25. Apud 70. Nemo mundus à ſorde, ne infans quidem vnius diei ſuper terram. *Pſal.* 50. In iniquitatibus conceptus ſum, &c. *Pſal.* 59. Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero. *Pſal.* 13. & 52. Omnes declinauerunt, &c. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. *Pſal.* 48. Homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis, &c. *Prou.* 24. Septies in die cadit iuſtus, &c. *Eccleſ.* 7. Non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet, &c. Deus fecit hominem rectum: & ipſe infinitis miſcuit ſe quæſtionibus. *Sap.* 1. Deus mortem non fecit, &c. Creauit enim vt eſſent omnia, &c. Iuſtitia enim perpetua eſt, & immortalis: impij autem manibus & verbis accerſiuerunt illam. *Sap.* 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, &c. *Eccli.* 15. Non dixeris, per Deum abeſt: quæ enim odit ne feceris. Non dicas, ille me implanauit: nõ enim ei neceſſarij ſunt homines impij, &c. *Eccli.* 31. vt col. 425. *Eccli.* 40. Graue iugum ſuper filios Adam, &c. *Deut.* 24. *Ezech.* 18. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filij, &c. *Matt.* 6. Dimitte nobis, &c. *Ioan.* 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. *Rom.* 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt. Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, &c. *Rom.* 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. *Rom.* 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, &c. Per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi. *Eph.* 2. Eramus naturâ filij iræ, &c. 1. *Ioan.* 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, &c. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus Deum, &c. Vt in 3. De morte Chriſti pro peccatis & peccatoribus: in 4. De Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ.

Ex ſacris Conc. *Africano, Paleſt. Mileu. Arauſ. Trid. ſeſſ. 5. & 6.* & Cenſuris *Pij* 5. ſupra *à col. 276. ad* 305. contra Pelagianos negantes peccatum orig. omnium, & quædam actualia adultorum. Imò & contra plures alias hæreſes nouas & antiquas, circa peccata: vt *Manichæorum*, quòd peccata nõ ſint à noſtro libero Arb. ſed à dæmone, vel à quodam malo principio; *Iouiniani*, quòd omnia peccata ſint paria, & quod baptizati non poſſint peccare, &c. *Beguardorum*, quòd perfecti in hac vita non peccent; *Wicleffi*, quòd omnia peccata reproborum ſint mortalia, nulla autem prædeſtinatorum; *Lutheri*, quòd quantumuis iuſti in omni bonó opere peccent, ſed nullum ſit peccatum mort. niſi incredulitatis; *Caluini*, quòd omne peccatum ſit mortale, ſed non imputetur Prædeſtinatis; & multorum Caluiniſtarum, vt & Anabaptiſtarum

tiſtarum, quòd proles fidelium non ſint reæ peccati orig. Sed contra *Beguardos* ſpecialiter *Conc. Vien.* ſub *Clem.* 5. Contra *VVicleffum*, Conc. *Conſtant. ſeſſ.* 8. Contra *Lutheranos, Caluiniſtas*, & *Anabaptiſtas, Conc. Trid. ſeſſ.* 5. & 6. Vt *in* 4. *De Sacram. Baptiſmi & Pœnit.*

Ex *S. Aug.* lib. 1. *De lib. Arb. cap.* 3.4. Conuenit inter nos omnia maleſacta non ob aliud mala eſſe, niſi quòd libidine .i. improbanda cupiditate fiant. *Lib.* 2. *cap.* 1. & 2. Non peccari niſi libero Arb. nec tamen Deum illud dediſſe ad peccandum, ſed ad benè agendum. *Cap.* 19. Malum eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad bona mutabilia. Quia non cogitur, ſed eſt voluntaria: digna & iuſta eam miſeriæ pœna ſubſequitur. *Cap.* 20. Motus ergo ille auerſionis, quod fatemur peccatum, quoniam defectiuus motus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt: vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites. *Lib.* 3. *cap.* 1. Motus ille defectiuus peccati, ſimilis eſt motui quo lapis deorſum fertur: ſed in eo diſſimilis, quòd lapis non habet in poteſtate cohibere motum quo fertur inferiùs; animus verò dum non vult, non ita mouetur. *Cap.* 15. Nemo debet quod non accepit. 16. Debet autem ſi accepit & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem. 17. Voluntas eſt prima cauſa peccandi. 18. Quis peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt? 20. Vt *Adam* meliores ſe gigneret, non erat æquitatis, &c. vt *col.* 352.353. *Lib.* 2. *De Geneſi contra Manich. c.* 14. Si ratio conſentiat, & quòd libido commouerit faciendum eſſe decernat: ab omni vita beata tanquam de Paradiſo expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamſi non ſubſequatur factum: quia rea tenetur in conſenſione conſcientia. *Lib. De vera Relig. cap.* 14. Voluntate peccatur, &c. *Cap.* 20. Vitium primum animæ rationalis eſt voluntas ea faciendi quæ vetat ſumma & intima veritas, &c. Vt *col.* 354. 355. *Lib. De* 2. *Anim.* vt *col.* 355. 356. Tres definitiones peccati. *Lib. De ſerm. Domini in monte. Cap.* 20. Sanctum eſt, quod violare nefas eſt: cuius vtique ſceleris & conatus voluntas tenetur rea, quamuis illud ſanctum naturâ inuiolabile maneat. *Lib. contra* Adimantum *Cap.* 27. Deus malum facit, quod non ipſi Deo malum eſt.] Quæ videtur eſſe propriè dicta culpa, vt eſt offenſiua Dei. *In Epiſt. ad Gal.* Væ peccatis hominum quæ ſola inuſitata exhorreſcimus, &c. *Q.* 26. *ex* 83. Alia ſunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria eſt virtuti, imperitia ſapientiæ, malitia bonitati. Quiſquis igitur nouit quid ſit virtus, & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare quid ſint peccata venialia: & quiſquis nouit quid ſit bonitas Dei, poteſt exiſtimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hìc & in futuro. *Q.* 30. Omnis humana peruerſio eſt, quod etiam vitiū dicitur, fruendis vti velle, atque vtendis frui. *Lib. De mendacio, cap.* 18. Non ex regula veritatis, ſed ex ſua quiſque cupiditate & conſuetudine metitur malum: & id putat grauius, quod ipſe amplius exhorreſcit, &c. Deſinunt eſſe peccata, quæ propter grauiora vitanda ſuſcipiuntur, &c. *Lib.* 1. *Conf. cap.* 7. Quis mihi commemoret peccata infantiæ meæ? *c.* 11. Tantillus puer, & tantus peccator. Iuſſiſti Domine & ſic eſt, vt pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus. *Lib.* 2. *cap.* 6. An libuit facere contra legem, vt mancam libertatem captiuus imitarer, tenebroſa Omnipotentiæ ſimilitudine? *Cap.* 7. Quid facere non potui, qui facinus gratuitum amaui? *Lib.* 3. *cap.* 8. Quæ ſunt contra naturam, vbique deteſtanda, atque punięda ſunt, &c. Violatur quippe ipſa ſocietas quæ cum Deo nobis eſſe debet: cùm eadem natura cuius ipſe eſt author, libidinis peruerſitate polluitur. Quæ autem contra mores hominum ſunt, pro morum diuerſitate vitanda ſunt: turpis enim omnis pars eſt ſuo vniuerſo non congruens, &c. *Cap.* 9. Sæpè ſe aliter habet ſpecies facti, & aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis. *Lib.* 10. De minimis reliquijs ſuorum peccatorum. *Lib.* 12. *cap.* 11. Hoc ſolùm à te non eſt, quod non eſt: motuſque voluntatis à te qui Es, ad id quod minus eſt; quia talis motus delictum atque peccatum eſt. *Lib.* 22. *contra Fauſt. cap.* 27. Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum, contra legem æternam. Lex verò æterna eſt ratio diuina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſeruari iubens, perturbari vetans. Vt & *lib.* 1. *De lib. Arb. c.* 6. *Cap.* 43. Ratio iuſtitiæ non tantùm quid factū ſit, verùm etiam quare intuetur: vt ex cauſis ſuis facta pendentia, libramento æquitatis examinet. *Cap.* 44. Culpandus eſt quidem *Loth*: non tamen quantùm ille eſt inceſtus, ſed quantū illa meretur ebrietas, &c. *Cap.* 47. Alia ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. *Cap.* 70. Animæ virtutis capaces præmittunt ſæpè vitia, quibus hoc ipſum indicent, &c. *Lib.* 26. *cap.* 3. Homo nil contra naturam facit, niſi cùm peccat. Qui tamen ſupplicio redigitur ad naturam. Ad naturalem quippe iuſtitiæ ordinem pertinet: vexant enim peccata conſcientiam. *Lib. contra Secund. c.* 11. Cùm animus ad corpus declinat, defectiuo appetitu quodammodo corporaſcit. Cùm iſti defectus voluntarij ſunt, peccata nominantur. *Lib. De ſpiritu & litt. c.* 36. Si eſſe non poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur: non iam culpæ deputandum eſt, &c. Peccatum hominis ex fide viuentis eſt, aliquando alicui delectationi illicitæ conſentire, etiam in iſtis leuioribus, &c. Vt autem alicui voci quæ audienda non eſſet, vel linguam accomodet; vel in ipſo corde ita cogitet, vt mallet licitum quod malè delectat, & per præceptum ſcitur illicitum. Etiam quippe iſta conſenſio eſt ad peccatum: quæ vtique fieret niſi pœna terreret. *Lib. De natura & gratia, cap.* 12. Approbat, leuia peccata ipſa multitudine irruentia, non poſſe cuncta vitari. *Lib.* 12. *Ciu.* 6. Cùm ſe voluntas relicto ſuperiore ad inferiora conuertit, efficitur mala: non quia malum eſt quò ſe conuertit; ſed quia peruerſa eſt ipſa conuerſio. *Cap* 7. Nemo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt, ſed defectio. *Lib.* 13. *cap.* 3. Fatendum eſt primos Parentes, ita fuiſſe inſtitutos, vt ſi non peccarent

nullum

Digitized by Google

nullum mortis genus experirentur: ſed eoſdem primos peccatores ita morte mulctatos: vt quicquid ex eorum ſtirpe naſceretur, eadem pœna teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis quàm quod ipſi erant naſceretur. Pro magnitudine quippe culpæ illius naturam damnatio mutauit in peius: vt quod pœnaliter præceſſit in primis, naturaliter ſequeretur & in naſcentibus cæteris. *Lib.* 14. *cap.* 12. Primum peccatum non ideo leue, quia in eſca factum eſt, &c. Præceptum tanto maiore iniuſtitia violatum eſt, quanto faciliore obſeruantia poſſet cuſtodiri. *Cap.* 13. In occulto autem mali eſſe cœperunt: vt in apertam inobedientiam laberentur. *Cap.* 15. Quia contemptus eſt Deus iubens: iuſta damnatio ſubſecuta eſt, &c. Quanta fuit iniquitas in peccando: vbi erat tanta non peccandi facilitas? *Cap.* 28. Fecerunt ciuitates duas amores duo: terrenam, amor ſui vſque ad contemptum Dei; cœleſtem, amor Dei vſque ad contemptum ſui. *Lib.* 16. *c.* 29. Diſſipauit Teſt. meũ Iſaac puer, *Gen.* 17. quando in Adam cum omnibus etiam ipſe peccauit. *Lib.* 21. *cap.* 27. Quæ ſunt peccata venialia: difficillimum eſt inuenire, periculoſiſſimum eſt definire: ego certè huc vſque ad eorum indaginem peruenire non potui, &c. *Lib.* 10. *in Gen. cap.* 14. Ipſa corporis affectio grauat animam, etiam corpore exutam: niſi cum in corpore eſt, expietur. *Lib.* 1. *De pecc. mer. & Rem. cap.* 9. Vt Chriſtus dat ſui ſpiritus occultiſſimum gratiam: ſic & Adam occulta tabe carnalis concupiſcentiæ tabificauit omnes de ſua ſtirpe venientes. *Cap.* 11. Regnauit mors ab Adam in eos qui peccauerunt, in ſimilitudinem præuaricationes Adæ, *Rom.* 15. .i. vt ei ſimiles crearentur: ſicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, dãnatoque damnati.] Græcè *Rom.* 5. Et in eos qui non peccauerunt, &c. .i. peccato actuali. *Cap.* 16. De aliqua, ſed mitiſſima damnatione puerorum morientium ſine Baptiſmo.

Lib. 2. *cap.* 36. An anima propagata, reatu qui ei dimittatur obſtricta ſit: an etiam non propagata, eo ipſo quo carni peccati aggrauanda miſcetur, iam ipſius peccati remiſſione opus habeat, &c. magna quæſtio eſt. *Lib.* 3. *cap.* 2. Vt eorum per quos paruuli renaſcuntur, iuſtitiæ ſpiritus reſponſione ſua traijcit in eos fidem: ſic eorum per quos naſcuntur caro peccati traijcit in eos noxam. *Cap.* 12. Quod 1. *Cor.* 7. ſanctificatus eſt vir infidelis in vxore, &c. alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt, &c. Quæcumque illa ſanctificatio ſit: non valet ad Chriſtianos faciendos & dimittenda peccata, niſi Chriſtiana inſtitutione & ſacramentis efficiantur fideles. *Cap.* 13. Si pupillis opem ferre præcipimur: quantò magis & paruulis necdum baptizatis? Quod dicunt ſine vllo peccato aliquos in hoc ſæculo vixiſſe, vel viuere: optandum, conandum, ſupplicandum eſt vt fiat; non tamen quaſi factum fuerit confitendum. *Lib. De peccato orig. cap.* 21. *Pelag.* Sine baptiſmo paruuli morientes, quò non eant ſcio, quò eant neſcio. *B. Aug.* Quia dicerere non audebat. *C.* 29. Quiſquis contendit naturam humanam non eſſe vitiatam in Adam: errat in ipſa regula qua Chriſtiani ſumus. *Cap.* 39. Obeſſet carnalis concup. etiam quòd ineſſet: niſi peccatorum remiſſio prodeſſet, &c. *Cap.* 40. Non ſolùm peccata omnia, &c. ſed etiam ipſa deſideria vitioſa, eodem lauacro Baptiſmatis purgantur, &c. Vitium hominis, natura eſt pecoris. *Lib.* 1. *De Nuptijs & Conc. c.* 23. Concupiſcentia quæ ſola Sacramento regenerationis expiatur, peccati vinculum regeneratione traijcit in poſteros, non eſt peccatum in regeneratis, &c. *Cap.* 24. Ex hac quæcumque proles naſcitur, originali eſt obligata peccato, niſi in Chriſto renaſcatur. *Cap.* 23. Dimittitur in Baptiſmo: non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. *Cap.* 26. Vt peccata actualia prætererunt actu, manent reatu: *Cap.* 27. Sic Concup. manet actu, præterit reatu. *Cap.* 11. Quid peccaſſet puer incircumciſus: ſi non eſſet orig. peccatum? Quomodo diſſipaſſet Teſt. Dei? Non de imperata Circum. ſed de ligni prohibitione. *Cap.* 27. Agit Concup. & quando non exhibetur ei cordis aſſenſus, mala deſideria. *C.* 28. Fallitur conſentiens, qui putat de ſe dici *Rom.* 7. *Cap.* 30. Lex captiuans *Rom.* 7. vel ſolam carnem, vel conans captiuare mentem. *Cap.* 31. Carnem appellat, vbi eſt quidam morbidus carnis affectus. *Cap.* 32. Hoc traijcit parens in prolem, quod ipſe natus eſt, non quod renatus. *Lib.* 28. *cap.* 17. Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen .i. vſque ad legem incluſiuè, &c. In ſimilitudinem præuaricationis Adæ, &c. qui eſt forma futuri. Cuius, niſi Chriſti? Et qualis forma, niſi à contrario? Ex vno delicto in condemnationem: gratia verò ex multis delictis, in iuſtificationem; quia non ſolùm ſoluit orig. ſed & cætera. *Omnes* autem, dixit: quia vt ſine Adã nullus ad mortẽ, ita ſine Chriſto nullus ad vitam. *Cap.* 28. *Iul.* Per quas rimas peccatum fingis ingreſſum? *Aug.* Quid quærit latentem rimum: cùm *Rom.* 6. habeat apertiſſimam ianuam? *Cap.* 33. *Iul.* Iſtos pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ab exordio reos definis? *Aug.* Cur ergo pro illis Chriſtus mortuus eſt, ſi non ſunt rei? *C.* 34. Magno illo primi hominis peccato natura noſtra in deterius commutata, non ſolum facta eſt peccatrix, verum etiam genuit peccatores, &c. Plerumque malæ valetudines parentum ingenerantur corporibus filiorum. Hoc autem peccatum, quia multo eſt grandius quàm iudicare poſſumus: ab omni naſcente trahitur, &c. Cuius rei mirabile exemplum creator in oliua & oleaſtro produxit. *Cap.* 35. Parcat paruulis, &c. Concedat *Ieſum* etiam paruulis eſſe *Ieſum*. *Quæſt.* 172. *in Exod.* Opera ex nobis ſine gratia, vel ſunt humana, vel cum peccato, vel cùm timore, non cum delectatione; & ideo ſeruilia, ſine requie. *Quæſt.* 24. *in Num.* Qui ſcientes faciunt quod non licet, vellent licere: vſque adeò ipſum peccare nemo appetit propter hoc ipſum; ſed propter id quod ex eo conſequitur. Hæc ſi ita ſe habent: non ſunt peccata nolentium, niſi neſciẽtium, quæ diſcernuntur à peccatis volentium. *Quæſt.* 25. Aliud eſt præcepta contemnere: aliud magni pendere, ſed aut ignarum contra facere, aut victum. *Quæſt.* 42. *in Deut.* Non morientur Patres pro filijs, nec filij pro Patribus: vnuſquiſque in peccato ſuo morietur. *Deut.* 24. *vt & Ezech.* 18. Quid eſt ergo *Exod.* 20? An hoc de filijs nondum natis propter orig. peccatum: illud de iam

 natis?

claudicatio : quærat verò an rem velit dicere, an actum, an rei potiùs qualitatem malam, qua deformis actus exiſtit. Sic & in homine : Animus res eſt, rapina actus eſt, auaritia vitium eſt.i. qualitas qua malus eſt animus, etiam quando nihil agit. *Cap.* 18. Qui natus eſt ex Deo, non poteſt peccare, &c. 1. *Ioan.* 5. Secundùm quod ex Deo nati ſumus, non ſecundùm quod ex *Adam. Cap.* 21. Non eſſet opus dicere, Dimitte nobis, &c. ſi nunquam aliquantulùm conſentiremus concupiſcentiæ. Si excepto Capite noſtro, aſſeruntur fuiſſe, vel eſſe in hac vita aliqui homines iuſti ſine aliquo peccato, ſiue nunquam conſentiendo deſiderijs eius, ſiue quia pro nullo habendum eſt quod pietati non imputat Deus: non nimis exiſtimo reluctandum. *Epiſt.* 49. Quem fortè inueneris infantem, non ex *Adami* concupiſcentia procreatum : ipſum dicant illi damnationi non eſſe obnoxium. *Rom.* 5. vt ſupra *lib.* 1. *De pec. mer. & rem. Adam eſt forma futuri*, .i. vel ipſius Chriſti, à contrario : vel quòd inflixerit ſuis poſteris formam mortis. *Epiſt.* 105. Inexcuſabilis eſt omnis peccator : vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis. Nam ſi excuſatio illa iuſta eſſet : non indè iam gratia, ſed iuſtitia liberaret. *Epiſt.* 144. Ianiter putat ſe victorem eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat, &c. Nam quantùm in ſe eſt, mallet non eſſe iuſtitiam peccata prohibentem, atque punientem, & ſi poſſet, auferret. Inimicus ergo iuſtitiæ eſt, &c. Amicus autem erit, ſi eius amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare : nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, ſed ardere. *Epiſt.* 154. *ad Publicolam.* De varijs caſibus conſcientiæ, ſpecialiter de peccatis ex ignorantia iuris vel facti. *In Pſ.* 31. Dicunt, Deus hoc voluit, fatum mihi ſtellæ meæ fecerunt, &c. Tolle iſtas excuſationes in peccatis. *Pſal.* 140. Cum libero Arb. me creauit Deus : ſi peccaui, ego peccaui. *Tract.* 89. *in Ioan.* 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent : Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, &c.* Siue non acceptaretur iſta excuſatio, ſiue acceptaretur : & ſi non vt ab omni damnatione liberentur; certè vt aliquantò leuiùs damnentur. *Epiſt.* 29. *vel lib.* 2. *B: Aug. ad S. Hier. in Iac.* 2. Qui offenderit in vno, factus eſt omnium reus. An fortè quia plenitudo legis eſt charitas, meritò ſit reus omnium, qui contra illam facit in qua pendent omnia? Cur ergo non dicantur paria peccata? An fortè quia magis facit contra charitatem qui grauiùs peccat, minùs qui leuius? Præter ea quæ *col* 425.426.427.436.437. De libertate humana: & 468. 469.470.476. à 481. *ad* 501. promiſcuè de neceſſitate & ſufficientia gratiæ. *In* 3. De innocentia *B. M. Virg.* Impeccabilitate Chriſti, morte eius pro peccatis, & de virtutibus & vitijs oppoſitis. *In* 4. De Baptiſmo, Pœnitentia, Iudicio, Purgatorio, Inferno.

Ex *Alenſi p.* 1. *q.* 9. De malo culpæ mortalis & venialis. *p.* 2. *q.* 16. *m.* 3. 6. De malo culpæ & pœnæ in hoc vniuerſo. *q.* 76. 77. De ſyndereſi, & conſcientia. *Q.* 100. Iterum de malo culpæ & pœnæ. *Q.* 101. De ſpoliatione gratuitorum. *Q.* 102. De vulneratione naturalium. *Q.* 103. De priuatione Modi, Speciei, & Ordinis, &c. per peccatum. *Q.* 104. De malo culpæ ex genere ſeu obiecto ſuo. *Q.* 105. De malo culpæ ex circumſtantijs. *Q.* 106. 107. De circumſtantia præcipua finis & intentionis. *Q.* 108. Quid ſit peccatum, & quotuplex. *A quæſt.* 109. *ad* 120. De peccatis, & pœnis Dæmonum. *Quæſt.* 120. De primo peccato primorum Parentum : eoque mortali & maximæ conſequentiæ, non malitiæ; quod & potuit eſſe veniale. *Q.* 121. De prima pœnâ mortis & alijs. *Q.* 122. De culpa & pœna orig. & eius æquitate. *m.* 10. §. 1. Paruuli in orig. puniantur *igne vt tenebroſo : non vt ardente.* A *quæſt.* 123. *ad* 188. De peccato actuali, Veniali, Mortali, & huius ac illius ſpeciebus : tanta copia doctrinæ, vt vix quicquam ſuppleri poſſit. *P.* 4. *q.* 69. De peccato vt obiecto Contritionis.

Ex *S. Bon. in* 2. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. De malitia Angelorum. *D.* 5. *a.* 1. De primo peccato Luciferi. *Art.* 2. De primo peccato Angelorum inferiorum. *D.* 6. De eorum lapſu & pœna. *D.* 7. *a.* 1. De eorũ obſtinatione & continua malitia, etiam actuali ac demeritoria. *D.* 21. De prima tentatione & lapſu hominis. *Art.* 3. *q.* 1. Primum peccatum *Adæ* non potuit eſſe niſi mortale. *q.* 3. Fuit grauiſſimum omnium humanorum. *D.* 22. De motiuo interno primi peccati, & aliorum; deque ignorantia excuſante, aut non. *D.* 13. De permiſſione primi peccati. *D.* 24. *q.* 2. De ſubiecto peccati venialis & mort. in ratione ſuperiori, inferiori, vel in ipſa ſenſualitate. *D.* 30. De culpa orig. *Art.* 2. *q.* 1. Non eſt ſola priuatio iuſtitiæ orig. ſed eſt neceſſitas & immoderatio concupiſcentiæ, ſeu concupiſcentia immoderata, habens annexam priuationem debitæ iuſtitiæ orig. *Q.* 2. Eſt ipſa etiam ignorantia, vt concupiſcentiæ iuncta. *D.* 21. De traductione peccati orig. eiuſque ſubiecto, ac cauſâ proximâ. *Art.* 2. *q.* 1. Anima non inficitur per ſolam vnionem cum corpore, vt propagato ex *Adam* : ſed etiam vt vitioſo ex generatione libidinoſa. *Q.* 3. Non inficitur ex ſola propagatione, ſed vt libidinoſa. *D.* 32. De remiſſione peccati orig. *Art.* 1. *q.* 1. Vt peccatum actuale eſt formaliter priuatio, quæ deletur infuſione gratiæ, ſed materialiter eſt pronitas ad actũ malum : ſic peccatum orig. eſt formaliter priuatio illius iuſtitiæ quæ deletur infuſione & compenſatione gratiæ; ſed materialiter, eſt concupiſcentia, quæ tollitur quoad reatum culpæ, ſed manet actu materiali. *Art.* 2. De concupiſcentia pœnali in affectu ſenſitiuo & rationali. *Art.* 3. De æquitate puniendi animam in tali corpore, eique imputandi culpam orig. *D.* 33. De æquali culpa & pœna originali omnium : ſed ſingulis propriâ, ex ſolo demerito primi Parentis. *Art.* 2. *q.* 1. Eſt æqualis formaliter & materialiter, quoad concupiſcentiam vt culpabilem. *Ad* 1. ex *Anſelmo.* Natura fit magis peccatrix per perſonam, .i. *homo, per hunc ſingularem.* Sic corrige errorem typographicum in noſtro contextu. *Art.* 3. *q.* 1. Paruuli morientes in ſolo orig. non puniuntur pœnâ ſenſibili ignis : ſed priuatione viſionis Dei, & vilitate loci infernalis. *Ad Aug.* Declinat à *Pelagio*, vt ſiſtat in medio. *Q.* 2. Eſt rationabi-

Digitized by Google

lius quòd non careant cognitione, ſed dolore, ſiue vlteriori defectu aut profectu.

Diſt. 34. De peccato actuali. *Diſt.* 35. De corruptione boni per pecc. *Diſt.* 36. De pœnis peccati. *Art.* 1. *q.* 1. Quoduis pecc. eſt pœna ſuiipſius. *Art.* 2. *q.* 1. Non poteſt eſſe ſine pœna comite *Diſt.* 37. De omni actione à Deo : ſed non vt mala. *Art.* 2. *q.* 1. *ad* 2. Deus paratus eſt omnes adiuuare. *Diſt.* 38. De fine & intentione agendi. *Diſt.* 39. De Conſcientia & Syndereſi. *Diſt.* 40. De bonitate & malitia morali, interiori & exteriori. *Diſt.* 41. De operibus bonis, malis vel indifferentibus : eorumque cauſa libera, & ſubiecto. Exponendo textum. *Non omnis actio infidelium eſt peccatum : ſed cum peccato. Art.* 1. *ad* 1. *q.* 3. Deus non obligat nos, vt ſemper omnia & ſingula referamus ad eum, ſed ſuo loco & tempore. *Ad* 1. Quæcumque facitis, 1. *Cor.* 10. vel eſt tantùm conſilium, vel præceptum nil faciendi contra ; vel finis omnium. *Ad* 2. De omni verbo otioſo, &c. *Matt.* 10. Id eſt, ad nihil vtili. *Ad* 3. Non eſt peccatum ſiſtere in creatura, abſque vlteriori tendentia, ex ſola infirmitate. *Art.* 2. De quadam neceſſitate peccandi venialiter in genere : non autem in vllo ſingulari. *D.* 42. De varijs peccatorum differentijs. *Art.* 2. De veniali & mort. *q.* 1. Non conueniunt in auerſione à Deo. *q.* 2. Non conueniunt in pœna æterna, niſi coniunctim in inferno. *Ad* 4. Non poteſt quis mori in ſolo veniali : nec Deus permittit vt ſic quis moriatur. *D.* 43. De peccatis in Spiritum Sanctum. *D.* 44. De potentia peccandi.

Ex *Scoto in* 2. *d.* 6. De primo peccato Angelorum. *D.* 7. De malitia continua & pertinaci Dæmonum. *D.* 21. De primo peccato hominis. *Q.* 1. Potuiſſet eſſe veniale. Mortale eſt contra præceptum neceſſarium ad finem : veniale, tantùm contra conſilium. *Adam* potuit agere, contra ſolum conſilium. *Q.* 2. Non fuit grauiſſimum. Peccatum *Euæ* fuit per ſe multò grauius. *D.* 22. Non fuit ex vllo priore errore, vel ignorantia facti, vel peccati : ſed cum aliqua comitante & ſequente. *D.* 23. Voluntas creata non poteſt eſſe impeccabilis. *D.* 30. 31. 32. De culpa originali, eiuſque contractione, & remiſſioue. *Q. vnica.* Dico quòd pecc. orig. non eſt niſi carentia debitæ iuſtitiæ orig. non autem ipſa concupiſcentia ſenſitiua, nec rationalis, niſi materialiter. *Infra.* Qui accepit voluntatem & gratiam benè operandi, eſt debitor bonorum operum quæ virtualiter continentur in illa gratia : & peccans frequenter non tantùm eſt reus illius gratiæ amiſſæ; quia tunc qui pluries & qui paucius peccarent æqualiter punirentur. Ergo videtur ſupplendum, *quòd ſit etiam reus bonorum operum debitorum ex illa gratia. Ad* 3. Debitum habendi iuſtitiam orig. eſt à Deo ſtatuente hanc legem. *Infra.* Carentia huius iuſtitiæ non fuit peccatum orig. in ipſo *Adam. Infra.* Si *Adam* non peccante, *Cain* peccaſſet : huius filij contraxiſſent peccatum orig. á *Cain.* [Quod videtur contra *diſt.* 20. *q.* 1. [Nulli reprobi tunc nati fuiſſent. *Q.* 2. Soli nunc electi fuiſſent tunc nati.] Sed hic ex alia ſuppoſitione. *D.* 33. De ſola pœna damni pro peccato orig. *Poteſt concedi quòd damnati pro ſolo orig. poterunt acquirere cognitionem, & aliqualem beatitudinem naturalem de Deo cognito in vniuerſali. Ad* 1. Reſp. *S. Bon.* quòd *Aug.* exceſſiuè loquatur, vt ſolent Sancti contra hæreſes. Aliter poſſet dici quòd punientur ſupplicio igni æterni in ſenſu diuiſo .i. quod eſt in igne æterno. *D.* 34. 35. 76. 37. Quid ſit peccatum ? An ſit á bono ? Cuius priuatio ? An ſit & pœna ? Et, an á Deo vel non ? *Quæſt.* 1. *n.* 6. Eſt formaliter priuatio rectitudinis moralis, & actualis, quæ deberet ineſſe actui. *Q.* 2. *n.* 13. Actus poſitiuus peccati eſt eius materiale, priuatio, formale : huius nulla eſt cauſa efficiens, ſed deficiens, &c. ibi. *D.* 38. De fine & eius intentione. *D.* 39. De Syndereſi, & Conſcientia. *N.* 4. Si Syndereſis habeat ſemper neceſſariò actum elicitum : non poteſt eſſe in voluntate ; ſed eſt in intellectu ipſe habitus principiorum, &c. ibi. *D.* 40. De bonitate morali actus ex obiecto, fine, & circumſtantijs. *Diſt.* 41. De actibus indifferentibus. *Videtur probabile dari, ſine vlla culpa veniali, quia Deus non obligauit nos ad tam continuam omnium relationem. D.* 42. De peccatis Cogitationis, Sermonis, & Operis : ſingulariter de culpa primæ cogitationis liberæ, ex complacentia libera voluntatis in illa præ alijs ſimul. *Diſt.* 43. De peccato in ſpiritum S. & ex malitia .i. ex affectu libero mali vt malum eſt, vel ipſius libertatis ad malum. *Diſt.* 44. De potentia peccandi. *Quodl.* 18. De plurali malitia morali, partiali ac totali eiuſdem actus, ex diuerſis motiuis : & differenti actus exterioris ſeu imperati, ab elicito ſeu interiori & imperante.

Difficultates.

1. *De peccato originali.*

QVòd *B. Aug.* nunc videatur illud traducere ex neceſſitate naturæ : nunc ex quodam Teſtamento ſeu pacto Dei cum *Adamo* & natura humana ; nunc ex maxima grauitate peccati *Adæ.* Nunc ſtatuat vel ſupponat illud eſſe ipſam concupiſcentiam, imò & eius motus, vt reos, ſeu imputabiles ad culpam & pœnam: nunc eſſe ſolum ſtatum vitioſum naturæ humanæ, vt priuatum gratie orig. nunc eſſe ipſam priuationem illius gratiæ. Nunc pro certo habeat eſſe vnicum, & æquale in omnibus & ſingulis, ex ſolo primo peccato *Adæ* : nunc ſeriò & grauiter dubitet an ſinguli poſteri non plus minuſue grauentur, & ſint rei pro peccatis ſuorum Parentum. Cùm tamen ſacra Script. *Gen.* 2. 3. 17. illud expreſsè referat in pactum legis poſitiuæ. *Deut.* 24. *Exod.* 18. iuſtificet omnes proles à peccatis ſuorum Parentum infra *Adamũ. Rom.* 5. Tribuat ſoli *Adamo.* Sicque videatur definire aut ſupponere *Conc. Milev. Arauſ. Trid. ſeſſ.* 5. *& Cenſuræ Pij* 5. *in Prop.* 38. 39. 45. 46. 47. 48. 46. 50. 51. 53. 54. 63. 64. 65. 69. 70. 71. 72. 73. *D. Baij.* Et *noſter Al. S. Bon. & Scotus* in his à *B. Aug.* diſſentiant : niſi quòd *S. Bon.* ei conſentiat primum peccatum fuiſſe omnium grauiſſimum, nec potuiſſe eſſe veniale. *Reſp.* 1. Ex *col.* 389. 390. 391. *B. Aug.* tribuit originem huius peccati cuidam conditioni & neceſſitati naturali, generandi ſibi

ſibi ſimile ſecundum principium generationis: nō quaſi ex eſſentia ipſius naturæ, ſed ex connaturali inſtitutione Dei. Vt ſicut Adam genuiſſet ſibi ſimiles in natura & iuſtitia orig. ſi ex ea genuiſſet: ſic & nunc generet ſibi ſimiles in ipſa concupiſcentia, ex qua & per quam eos generat. Hinc *Lib. 3. De lib. Arb. cap. 20.* Vt Adam meliores gigneret quàm ipſe eſſet, non erat æquitatis. Sed *Lib. 1. De pecc. mer. & rem. cap. 11. Lib. 13. Ctu. 3. Epiſt. 89.* & alibi ſæpè explicat & applicat illud *Rom. 5.* De ſimilitudine Adæ & forma futuri, vt ei creentur ſimiles, ſicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores: non quaſi æqualiter, ſed ſimiliter, nec eadem aut æquali neceſſitate, ſed ſimili. Nam Adam generat æquè homines: ſed non æquè peccatores ac ipſe, nec æque neceſſariò generat eos vt peccatores, ac vt homines. 2. Vt ſacra Script. *Rom. 5. 6. 7. 8.* & alibi ſæpè agit de peccato orig. quaſi de quodam vetere homine in nobis viuo vel mortuo, ſicquè ex quodam corpore peccati, & quadam eius anima ſeu vita in nobis .i. vel reatu necdum remiſſo quo quaſi viuit ad imputationem; vel conſenſu noſtro in eius motus, quo & ante remiſſionem quaſi viuit ad peccandum actualiter, & poſt remiſſionem ad hoc ipſum reuiuiſcit. Sic & *B. Aug.* meritò ſupponit & ſtatuit peccatum orig. in toto ſtatu vitioſo naturæ humanæ, vt priuato ordine debito iuſtitiæ orig. & maximè in concupiſcētia eiuſq; motibus, quibus ſenſibiliter viuit & ſentitur ſeu percipitur totus ſtatus vitioſus, ſeu vitium totius naturæ humanæ, eiuſque reatus ſeu imputabilitas ad culpam & pœnam, niſi remittatur gratia compenſante defectum, ſeu priuationem debitæ iuſtitiæ orig. eiuſque rectitudinis habitualis & actualis in natura noſtra & motibus eius. Qua gratia ſoluitur ſeu remittitur totum debitum ſeu obligatio habendi illam iuſtitiam ſeu rectitudinem: ſicque deletur totus reatus culpæ & pœnæ orig. qui cum ſit quaſi vita peccati orig. in nobis, hoc ipſo totum corpus peccati ſeu totus ſtatus & motus vitioſus naturæ humanæ emoritur. Sed vt corpus ſine anima habet adhuc ſuos motus naturales, ſed non vitales: ſic & vitium naturæ noſtræ habet adhuc ſuos motus vitioſos, ſed non culpabiles, niſi per conſenſum reuiuiſcant in peccata actualia. Quem eſſe ſenſum ipſum *B. Aug.* ſatis patet ex *Libro De peccato orig. cap. 39. 40. Lib. De nuptijs & concup. à cap. 23. ad 33.* De concupiſcentia eiuſque motibus ſeu deſiderijs vitioſis prætereuntibus ſeu remiſſis reatu, ſed non actu. Neque hinc eſſent tot peccata originalia quot ſunt vitia naturæ humanæ, & eius motus vitioſi: ſed totus ſtatus vitioſus eſſet vnicum pecc. orig. quaſi habituale, ad quod reuocātur omnes eius motus vitioſi, ſine conſenſu proprio & perſonali. Vt optimè *S. Bon.* ſupra docet ipſam ignorantiam eſſe etiam pecc. orig. Quo ſenſu omnes difficultates ex *B. Aug.* de peccatis ignorantiæ, infidelitatis, erroris & neceſſitatis inuincibilis ac inexcuſabilis, facillimè reſoluuntur de ſolo peccato orig. eiuſque vitijs partialibus & defectibus ac motibus actualibus, ex primo conſenſu Adami nobis imputabilibus ad ſolam culpam & pœnam orig. non autem actualē propriam & perſonalem, niſi ex aliquo conſenſu actuali proprio & perſonali. Nec mirum ſit *B. Aug.* ſæpe hoc ſenſu locutū fuiſſe, exemplo ſacræ ſcript. de pluribus peccatis in quibus concipiamur & generemur, eorumque motibus vitioſis: quia tunc vix baptizabantur pueri ante adultam ætatem, expertus varijs vitijs & motibus peccati orig. Quos *B. Aug. Lib. 1. Conf.* refert vt grauia peccata ſuæ infantiæ, & pueritiæ ante vſum rationis. Vt *Cap. 7. Quis mihi commemoret peccatum infantiæ meæ? Expiare ſe dicunt iſta matres atq; nutrices neſcio quibus remedijs.* Cap. 12. *Tantillus puer, & tantus peccator!* Quod eſt magnum ſecretum, & à paucis obſeruatum in tota doctrina *B. Aug.* Sicubi autem non poteſt exponi de his vitijs & motibus ante baptiſmum: nonniſi de peccatis materialibus poſt baptiſmum; nec de neceſſitate naturali vel abſoluta, ſed tantùm morali peccandi, nonniſi conſentiendo talibus motibus, cum aliqua libertate diſſentiendi in hac via & vita. A quo ſenſu *B. Aug.* nec ſacra *Conc.* nec vlla cenſura, nec *Al. S. Bon. aut Scotus* diſſentit. Sed Cenſuræ nolunt talia vitia & motus neceſſarios dici peccata ſimpliciter, nec contra legem: quæ non obligat ad non habendum & patiendum tales motus; ſed ad non concupiſcēdum ſeu conſentiendum. Nec *B. Aug.* vllibi dubitat quin ſit vnicum & æquale peccatum orig. in ſingulis, à ſolo primo peccato actuali Adæ. Vt patuit ſuprà ex *Q. 8. in Ioſue.* Sed an poſteri patiantur pœnas aliquas temporales pro peccatis parentum vſque ad tertiam vel quartam generationem: imò an ex demeritis Parentum non naſcantur proles vitioſiores quàm ex ſolo demerito Adæ. Nec in his aut vllo horum *Al. Bon. & Scotus* diſſentiunt: ſed omnes fatentur peccatum Adæ fuiſſe grauiſſimum omnium humanorum, non ex obiecto & genere proprio, ſed ex circumſtantia facilitatis inexcuſabilis ad non peccandum, & conſequentiæ ſeu damni à ſolo Chriſto reparabilis. Nec aliam grauitatem vrget *B. Aug.* Omnes etiam conſentiunt peccatum orig. conſiſtere in vitijs naturæ, & maximè in concupiſcentia ſaltem materialiter: non tantùm vt in ſubiecto proximo peccati orig. ſed vt in parte eius materiali, ſeu quaſi in corpore ipſius peccati, cuius quaſi forma ſit ipſa priuatio gratiæ orig. in natura humana vt rationali, & veritatis ac rectitudinis debitæ omnibus actibus & motibus ſuis.

2. *De Peccato Actuali.*

QVòd *B. Aug.* tam ſæpè ſtatuat illud in motu defectiuo voluntatis, à Deo ad creaturam; quaſi ex ſola libertate eſſentiali, vel ex ſolo affectu habituali, & conſenſu præteritò, aut futuro conditionali; nec videatur eximere Deum à peccato proprio vel ſaltem alieno, mouendo & concurrendo ad quoſdam actus ex obiecto proprio eſſentialiter, vel ſaltem neceſſariò malos etiam contra ſeipſū. Hinc *Al. S. Bon. Scot.* & plerique ſtatūt illud potiùs in priuatione rectitudinis moralis & actualis: quam Deus non debet voluntati ſibi ſubditæ, ſed hæc in agendo debet Deo. Verùm nec ſic ſoluunt hos nodos *Diff.* 1. Quis ſit ille motus vel priuatio, 2. Quæ auerſio à Deo. 3. Quæ libertas & conſenſus.

ſenſus. 4. Quomodo Deus non ſit cauſa peccati, mouendo & concurrendo ad actus per ſe malos.

Resp. *Ad* 1. Non eſt motus realis, ſed moralis: nec poſitiuus, ſed defectiuus; nec vllus effectus, nec effectio, ſed defectus, & potiùs defectio; non vt paſſiua, nec formalis in ſubiecto, ſed vt actualis ab agente moraliter deficiente, & ſeipſum ac proprios actus, ſiue exercitos ſiue exercendos, priuante debita Deo, ac ſibi & ſuis actibus rectitudine actuali & morali. Hinc idem motus moralis eſt & priuatio quaſi actiua, & æquè in omiſſione ac commiſſione; ſiue ex conſenſu poſitiuo, ſiue priuatiuo.

Ad 2. Hæc auerſio vel eſt ab ipſo Deo formaliter, vt ab obiecto & fine: vel virtualiter, à medijs ad illum finem neceſſarijs, qualia ſunt præcepta Dei. Vt optimè *Scotus* ſupra.

Ad 3. Sat ſupra, de neceſſaria libertate flexibili ſaltem viatorum, ad peccandum & demerendum: *à col.* 424. *ad* 466. *&* *à* 490. Excepta diff. de neceſſario conſenſu actuali, virtuali, habituali, interpretatiuo, præterito, præſenti, vel futuro, continuo vel interrupto, efficaci vel inefficaci, ſeu perfecto vel imperfecto, proprio vel alieno, ad peccandum. Inter quæ certum eſt. 1. Neceſſarium eſſe conſenſum proprium ad peccandum actualiter. 2. Neceſſarium etiam eſſe conſenſum vel diſſenſum actualem, poſitiuum vel priuatiuum, in omnem actum proprium quo quis peccare poſſit. 3. Non eſſe neceſſarium conſenſum actualem continuum: ſed ſufficere virtualem, ad peccandum actu aliquo continuato, vel pluribus inter ſe conſequentibus, ab illo conſenſu imperatis. 4. Verendum ne etiam iudicio Dei ſufficiat conſenſus interpretatiuus in futura propria vel aliena peccata, præuiſa vel præuidenda, & præcauenda, ſed permiſſa vel neglecta. Non quaſi ſola interpretatio ad hoc ſufficiat: ſed quod huic interpretationi ſubſit aliquis verus conſenſus interpretatus, ad illa. 5. Certum eſt non ſufficere conſenſum vel affectum habitualem, nec actualem futurum abſolutè vel conditionatè, ad peccandum actu. Tum quia alioquin peccatores continuò peccarent, & quidē ſimul pluribus in infinitum peccatis. Tum quia *B. Aug.* ſupra ſæpè reprobat contra Pelagianos imputationem præſentem peccatorum aut bonorū operum ſub conditione futurorum. Nec obſtat quod *Lib.* 3. *De conſenſu Euang. cap.* 2. interpretetur trinā negationē *S. Petri*, in primo motu timoris, vt ſufficiente ad tres negationes: quia non niſi ex conſenſu virtuali ad illas, vel ad tot, quot neceſſarias illi timori. Nec etiam obſtat quod *Lib. De bono coniug. cap.* 20. Tribuat conſenſui & affectui habituali S. Ioannis tantum meriti, quantum effectui S. Petri: quia non ex ſolo affectu habituali S. Ioannis, ſed ex actuali, qui potuit eſſe perfectior ex habitu & gratia perfectiori, ſine effectu, quàm in S. Petro cum effectu. Nec denique obſtat, quod tam ſæpè ſupra inculcat imputari ad peccatū tantam inclinationem voluntatis ad peccandum, vt vellet, vel faceret, ſi poſſet, vel auderet. Quia non de inclinatione tantùm habituali: ſed ſimul actuali, ſi inefficaci aut conditionali alterius effectus, ſaltē efficaci & abſoluta ſuiipſius. Nec de velleitate aut futuritione tantùm conditionali, ſed de volitione præſenti & actuali: quæ non poteſt, vel præ timore non audet exire in actum efficaciorem, vel etiam in effectum exteriorem. Vt in 4. *col.* 776. *&* *in* 3. *De timore ſeruili.* Nec *S. Bon.* per conſenſum habitualem, vt ſufficientem ad actum malum vel bonum, intelligit eum qui ſit in ſolo habitu ſeu affectu habituali ad cōſentiendū: ſed qui ſit ex tali habitu ſeu affectu; vel qui fuerit actualis, & quaſi habitualiter perſeueret in ſuo ſubiecto & effectib⁹, donec reuocetur. Quo ſenſu conſenſus habitualis eſt virtualis, vel ſaltem interpretatiuus. Vt in 4.

Ad 4. Vt noſter *Alenſis*, *S. Bon.* *&* *Scotus* ſupra. Deus nec peccat, nec eſt cauſa moralis peccati noſtri, mouendo & concurrendo ad vllum actū: non tantùm quia non debet nobis & noſtris actibus vllam rectitudinem; ſed quia dando nobis naturam rationalem, dedit ſimul antecedenter, ſeu decreuit & annexuit ſiue gratiam ſiue influentiam neceſſariam & paratam ad operandum rationabiliter, ſaltem ad non peccandum. Vt ſupra de ſufficientia gratiæ, & optimè *Scotus in* 2. *d.* 37. *q.* 2. Cùm enim creatura rationalis ſit à Deo, ad ſciendum & volendum verum bonum, ac nolendum verum malum: Deus decreuit ei motum ad hoc neceſſarium, non autem in contrarium naturæ rationali. Vt patet ex reliquijs luminis naturalis, & ſyndereſis ac conſcientiæ in nobis. Sed creatura rationalis liberè deficiendo à propria inclinatione naturali, ad actus vitioſos, rationi contrarios ac præualentes: demeritoriè & connaturaliter exigit à Deo motus primos & influentiam ſecundùm ſtatum ſuum vitioſum, quaſi ſecundùm alteram naturam, proprijs actibus malis in dies peiorem, vſque ad actus quaſi abortiuos & monſtruoſos, ſeu prorſus contrarios naturæ rationali; vt vſque ad ipſum odium Dei, ſub nulla fortè ratione mali nequidem apparentis, ſed ſub ſola ratione boni vt contrarij ipſi malitiæ nolenti. Cum ergo Deus non ſit Author monſtrorum naturalium: quantò minus moralium? Deinde vt *B. Aug. q.* 18. *in Exod.* *Vtitur Deus bene cordibus malis, &c. Et quamuis quale quis cor habeat ad malum ſuo fiat vitio, quod inoleuit ex Arbitrio voluntatis: ea tamen qualitate mala vt huc vel illuc moueatur, cauſis fit quibus animus propellitur; quæ cauſæ vt exiſtant vel non, non eſt in hominis poteſtate, ſed veniunt ex occulta prouidentia, iuſtiſſima planè, & ſapientiſſima.* Infra. *Hæ cauſæ de illis faciunt quales illos inuenerint iam factos proprijs vitijs, ex præterita voluntate.* Lib. De libero Arb. c. 21. *Potens eſt Deus operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum: Quorum malitiam non ipſe fecit, ſed aut originaliter tracta eſt ab ipſo Adam, aut creuit per propiam voluntatem.* Qua prouidentia Deus nec mouet nec prouocat malos ad malitiam actualem: ſed eam potiùs moderatur, & auertit, aut relaxat quò voluerit. Denique vt idem *B. Aug.* eodem cap. 21. *Agit Omnipotens in cordibus hominum malorū, etiam motum voluntatis eorum: vt per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit* .i. Vel vt ſupra, moderando, auertendo, relaxando quò ipſe voluerit. Vel etiam mouendo eos primis motibus paſſionū, ſecundum eorum malitiam habitualem & actualem: qui tamen motus iræ, odij, inuidiæ, &c. non

ſunt

Digitized by Google

ſunt peccata, niſi liberè tranſeant in actum, & conſenſum. Imò nec ſi eſſent actus imperfecti, vel etiam liberi ſola libertate eſſentiali, imputarentur in peccata actualia & demeritoria viatorum: niſi ex aliquo conſenſu actuali, virtuali, vel interpretatiuo, vt ſupra, cum aliqua poteſtate diſſentiendi. Nec enim minor, ſed potiùs maior libertas flexibilis neceſſaria eſt in nobis ad malum, quam ad bonum ex motu Dei. Quæ tamen libertas non tam conſiſtit in producendo etiam ſcienter actu, vel non: quàm in conſentiendo vel non, formaliter, in illum actum potiùs vt in obiectum, quàm vt in effectum; ſeu in vtendo formaliter vel non illo actu, volendo aut nolendo non ſolum eius obiectum, ſed etiam illum ipſum actum; non neceſſariò alio actu quàm eodē in ſeipſum reflexo. Ad quem vſum vel abuſum formalem actuum noſtrorum, Deus non concurrit formaliter: quia nec vult, nec non vult formaliter nobiſcum noſtris actibus, ſed nos ſoli illis volumus, vel nolumus. Ex *B. Aug. q. 8. ex 83. Si volumus, non alius de nobis vult.* Hinc patet quòd quicquid Deus agat in nobis cauſaliter, vel obiectiuè: nihil agit formaliter .i. nihil vult aut non vult formaliter. Cùmque malitia conſenſus noſtri conſiſtat in volendo vel nolendo actu proprio & formali: Deus non poteſt eſſe cauſa noſtræ malitiæ. Poteſt quidem eſſe, & eſt cauſa ſupernaturalis, & moralis noſtræ bonitatis actualis, intendendo & mouendo nos obiectiuè ac finaliter ad bonum: ſed non ſic malitiæ; quia hanc nec poteſt intendere, nec ſic nos ad malum mouere. Neque his obſtat quòd actus voluntatis ſint neceſſariò vitales, & ſui proprij obiecti: nec quòd quidam eorum ſint per ſe mali, ſeu ex obiecto proprio. Quia ſunt potiùs vitales formaliter, quàm cauſaliter: & quamuis ſpecificentur naturaliter ab obiectis; non tamen moraliter, ſed potiùs à libertate formali ipſius ſubiecti. Cùmque ſint entitatis abſolutæ, & realiter diſtinctæ tam à ſuis obiectis; quàm à ſuis ſubiectis: cur non poſſint ijdem formaliter variari, ſeu variè ac liberè exerceri; non tantùm cauſaliter, plus minùſue in eos influendo, ſed etiam formaliter ejs operando, vtendo, conſentiendo vel non, circa ſua obiecta?

De peccato mortali & veniali.

QVòd *B. Aug.* ſupra fateatur ſibi etiam eſſe impoſſibilem eorum inter ſe diſtinctionem. Vt *lib. 21. Ciu. c. 27.* Quæ ſint peccata quæ ita impediunt peruentionem ad regnum Dei, vt tamen Sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, *Luc. 16.* difficillimum eſt inuenire, periculoſiſſimum definire. Ego certè vſque ad tempus cùm inde ſatagerem, ad eorum indaginem peruenire non potui. Et fortaſſis propterea latent, ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata cauenda pigreſcat, &c. Nunc verò dum venialis iniquitatis, etiamſi perſeueret, ignoratur modus: profectò & ſtudium in meliora proficiendi, orationi inſtando vigilantiùs adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis Sanctos amicos cura non ſpernitur. *Enchir. 78.* Quæ ſint leuia, quæ grauia peccata, non humano, ſed diuino ſunt penſanda iudicio. *Lib. contra mendacium, cap. 18.* Sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat peierari. O vbi eſtis fontes lachrymarum? Quò ibimus ab ira Veritatis? *Tract. 1. in Ioan.* Multa leuia peccata faciunt vnum grande, &c. *Lib. 4. contra Iul. 4. Epiſt. 11. 19. ad S. Hier.* Negat dari opera media inter mortalia & venialia: ſupponens obligationē referendi omnia ad Deū. Contra Doctrinam & praxim Sacramenti Pœnit. Contra Cenſuras *Prop. 2. 20. 25. 59. D. Bay.* De peccatis mort. & ven. ex natura ſua: & de operibus infidelium, nec bonis nec malis, &c. & contra *Al. S. Bon. & Scotum ſupra.*

Reſp. *B. Aug.* non cenſet eſſe impoſſibilem diſcretionem venialium à mortalibus ex genere proprio, vel etiam ex circumſtantijs: ſed ex quantitate præciſa materiæ, & imperfectione conſenſus; ſeu quanta materia aut conſenſus ſufficiat ad mortale aut veniale; & præcipuè an ſit tantus vel tantillus in nobis vel alijs Hinc *Enchir. 78.* refert hoc potiùs ad iudicium diuinum: non ſolùm futurum aut ſecretum, ſed etiam in ſacra Script. indicatum. *Lib. autem contra Mend.* non improbat omnes regulas morales diſcernendi mortalia á venialibus: ſed periuria licita ab illicitis, cùm nulla ſint licita. Sed ipſe *B. Aug.* ſupra, tradat optimas regulas diſcernendi mort. à ven. 1. Ex ſacra Script. 2. Ex oppoſitione ad Virtutem, Sapientiam, & Bonitatem Dei. 3. Ex oppoſitione ad charitatem. 4. Ex libidine, non tam carnali, quàm ſpirituali, ſeu ex ſcitu & libitu proprio peccandi .i. ex maiori vel minori libertate, & affectu actuali ad propriam libertatem. Nec confundit peccata mortalia cum venialibus, niſi à venia etiam mortalium, vel à minori quorundam indignitate veniæ: ſed expreſsè diſtinguit quædam eorum toto genere, quædam ex materiæ grauitate vel leuitate, quædam ex perfectione vel imperfectione deliberationis & conſenſus. Nec vult plura venialia æquiualere vni mortali: ſed inclinare, & diſponere ad mortale, minuendo oppoſitionem voluntatis, & demerendo gratiam præſeruationis. Nec intendit omne peccatum actuale eſſe auerſionem à Deo formaliter, vt à fine acquirendo: nec virtualiter, à medijs ad illum neceſſarijs; ſed eſſe deordinationem, ſeu alienationem cuiuſuis actus moralis & obiecti eius, à Deo vt fine principali, ad inferiorem non ſubordinatum. Nam quæuis creatura eſt ad finem meliòrem ſe: ſed ſola rationalis poteſt & debet ſe & omnes quibus vtitur, ad illū actualiter, virtualiter, mediatè vel immediatè referre, non autem ad alium finem abuti. Hinc *B. Aug.* ſæpè ſtatuit omnem veram legem in illa omnium ordinatione: & omne peccatum in deordinatione ab illo ordine. Nec horum quicquam eſt contra doctrinam & praxim Confeſſionis Sacram, quia ad hanc ſufficit diſcretio moralis horum peccatorum. Vt *in 4. à col. 772. & 792.* Nec contra Cenſuras *Pij 5.* quæ ſupponunt differentiam inter quædam mortalia, & venialia, ex natura ſua: & inter opera moralia, etiam infidelium, ac meritoria fidelium; non tamen ſine omni gratia,

vel

ABSOLVTIO FINALIS

Ab omni ſcrupulo Inhibitionis.

CVm omnis editio doctrinæ, *de Auxilijs, ſeu de Gratia & libero Arbitrio*, ſit inhibita: *quouis prætextu commentandi, quauis occaſione agendi de concurſu cauſæ 1. cum 2. quouis modo directè vel indirectè, ſine ſpeciali facultate S. Sedis, vel Inquiſ.* vt patet ex hoc *2. col. 305.* Quo reliquo modo poteſt ab hac inhibitione excuſari editio huius Operis? *1. In 1. A col. 456. ad 526.* De Prædeſt. *2. In 2. col. 214. 215. 216.* De concurſu cauſæ 1. cum ſecundis. *3. A col. 259. ad 267.* Interpretatio *S. Aug. 2. Ciu. 9.* De inæquali gratia, ſufficiente & efficaci, inter ipſos Angelos, ad perſeuerandum. *4. A col. 425. ad 456.* De libero Arb. *5. A col. 456. ad 468.* Interpretatio contentioſa *S. Bern.* De Gratia & libero Arb. contra *Fanutium. 6. A col. 468. ad 513.* De omni Gratia, eiuſque neceſſitate, ſufficientia, & efficacia. *7. In 3. à col. 402. ad 421.* De Gratia Dei per Chriſtum. *8. In 4. à col. 759. ad 772.* De Contritione, vel Attritione ſufficiente cum Sacramento.

Reſp. *1.* Ex verbis, ſenſu, & fine expreſſo Legis, non inhibetur vlla Doctrina neceſſaria vel vtilis ad tuendam fidem expreſſam ſacri Conc. Trid. & Cenſuras Eccleſiæ, de Gratia & Libero Arb. contra hæreſes, & errores cenſuratos: ſed ſolæ deſuper contentiones inutiles & ſcandaloſæ, omneſque prætextus agendi contra legem, & quæcunque directè vel indirectè eò referuntur; non ex quauis ſuſpicione inſidiantis, ſed ex æquo iudicio legitimi Cenſoris. Porrò nihil noſtrum refertur ad illas Contentiones inhibitas: Sed expreſsè. 1. Ad Fidem, Timorem, & Spem ſalutarem fidelium ex ipſa Prædeſt. 2. Ad dependentiam eſſentialem cuiuſuis creaturæ à ſolo Deo. 3. Ad præferendam omnem Gratiam Dei libero Arb. in omni ſtatu: cùm ipſa prouidentia naturalis præferenda ſit omnibus cauſis ſecundis; vt ex Præf. totius Operis. 4. Ad fidem expreſſam ſacri Conc. Trid. De vſu actuali libertatis flexibilis in benè vel malè operando. 5. Ad reprobandam prætenſam neceſſitatem oppoſitam: vt in Prologo lib. 2. & Epilogo totius. 6. Ad fidem expreſſam Eccleſiæ, De neceſſitate gratiæ ad omnia vt ſalutaria, ſufficientia gratiæ ad libertatem à malo in bonum flexibilem, efficacia inclinandi non neceſſitandi voluntatem. 7. Ad maiorem Chriſti gloriã. 8. Ad ſenſum expreſſum Conc. *Trid.* & praxim Sacramenti Pœnitentiæ. De quibus refero me ad fidem publicam Cenſorum, & priuatam cuiuſuis æqui lectoris. Sed ſi quis *pro-Fanutiat*: vel nec vidit, nec audiuit eius expreſſiſſima Commenta, contra omnem vſum actualem libertatis flexibilis in benè vel malè agendo, & contra Concept B.V.M. ſine culpa Orig. vel non habet oculos, aures, aut vllum ſenſum, nec affectum Chriſtianum & Catholicum.

Reſp. 2. Ex publica conſuetudine, legis interprete, permittendi, & approbandi editiones totius Theologiæ, in hunc noſtrum ſenſum communem fidei ac Eccleſiæ, non autem in illum contentioſum & inhibitum.

Reſp. *3.* Ex neceſſitate ſpeciali inter regiones hæreticas, edendi liberè & promptè antidota hæreſum & errorum ſcaturientium.

Reſp. *4.* Ex hac noſtra neceſſitate notoria, & conſequente ab anno 1633. non autem ex vlla occaſione cõtentionis inhibitæ. De qua in *Abſolutione* noſtræ *Anatomiæ*.

Reſp. *5.* Ex ſpeciali examine, gratioſa acceptatione, & approbatione totius Commentarij noſtri in omnia Opera *B. Aug.* à S. D. N. *Innoc. 10.* Cuius ſola Doctrina promiſcua, ordine Scholaſtico hoc Opere recuſa, non eget noua approbatione.

Hæc ad noſtram Abſolutionem à Scrupulis: ſed nec ipſe *S. Aug.* fuit aut eſt liber ab obloquijs. Contra quæ *Cæleſtinus 1.* Epiſt. ſuæ cap. 2. *Nonnulli Catholico nomine glorigantes, Magiſtris noſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur.*

Quibus non deſpectis, ſed ſuſpectis: ſequamur IESVM inter Doctores, ſeu Veritatem mediam inter contendentes. Nec ab hac via media declinemus: quam continuo quadraginta annorum ſtudio *B. Aug.* triuimus, & hoc opere præuijs Maiorũ noſtrorum veſtigijs inſignimus; ne ſua antiquitate ſyluefcat, & ſemita nouitia ſubrepat. Quòd ſi quem mediando offendimus: veniam, & liberum tranſitum deprecamur.

Poſ-

Digitized by Google

Poſſet quidem hæc Abſolutio huic Operi ſufficere : ſed quia ad perfectiorem textum & ſenſum *S. Aug.* ſæpè ſupponit, ſeſeque refert ad noſtram *Anatomiam B. Aug.* eiuſque *Abſolutionem finalem* : cùm illa ſit, ſine hac, recuſa Pariſijs; ne cui hæc deſit ad conferendum, ſubſtituimus hîc tot quot huius pluſquam illius exemplaria nobis ſuperſunt; vt & noſtri, IESVS *inter Doctores.*

Correctio Typographica.

IN I. Col. 5. l. 2. dele *Si nummus*, vſque ad, Sed. Col. 133. l. 10. 11. 12. dele *i. viſio*, & muta, *hanc*, in, *illam*. A 196. ad 213. corrige numeros col.
Col. 227. *l. 2. 4 Communicabilis*, non, *incom.*
Col. 230. *l. 28. infinitus extenſiuè*, non, *finitis.*
Col. 237. *l. 58. Imperfectionis*, non, *perfectionis.*
Col. 238. *l. 18. totales*, non, *tales.*
Col. 265. *l. 9. tuæ, quæ*, non, *tua.*
Col. 268. *l. 21. Compoſſibilis*, non, *incom.*
Col. 272 *l. 40.* Dele, *ſi.* Col. 273. *l. 17. ſub*, non, *ſed. l. 32. Phil*, non, *Pſal. l.* 56. non, *in*, ſed, *non.*
Col 274. *l. 32. Immutabilitas*, non, *-tatis.*
Col 276. l. 9. *Deum*, non, *Deus.*
Col. 280. *l. 49. ob hoc.* 285. l. 34. *quòd*, non, *quaſi.*
Col. 286. *l. 55.* vel 56. Adde, *Viſio.*
Col. 291. *l. 41.* non, *obiecti*, ſed, *luminis.*
Col. 292 *l. 14.* Poſt, *cenſet*, dele, *ad.*
Col. 314. *l. 17.* Corrige *Nam*, in, *non.*
Col. 505 *l. 24.* Dele, *non.* 507. *l. 45. Deus*, nõ, *Deum.*
Col 508. *l. 32. Confidendi*, non, *-tendi.*
Col. 512. *l. 9. approbatur*, non, *approbat.*
Col. 519 *l. 26. naturalis*, non, *-li. l. 55. ſit*, non, *fit.*
Col. 524. *l. 60. Conſecutiua.* 611. *l. 20. præmiâ.*
Col. 525. *De Præſ. & Prædet.* Vt 2. à 506. ad 510.
Col. 641. *l.* 27. dele, . 642. l. 2. *quia*, non, *qui.*
Col. 671. *l. 42. ſubſiſtentiæ*, non, *ſubſtantiæ.*

IN II. Col. 124. *ſuperioris*, non, *inferioris.* 199. *l. 25. multò*, non, *nullo. l. 62. melius.*
200. *l. 62. minus*, non, *nimis.*
A 200. ad 209. corrige numeros col.
202. *l. 12. vniuerſitatis*, non, *diuerſ.*
203. *l. 37. finit*, non, *fint.*
210. *l. 5. incompletum*, non, *completum.*
211. *l. 13. reali*, non, l. 14.
217. *l. 55. creaturæ*, non, *creatori.*
223. *l. 45. Monol.* 27. nõ. 2. *moral.* 31. *Scot.* in 1. nõ 2.
228. *l. 10 hunc mundum*, non, *hanc.*
220. *l. 5. ſuæ*, non, *ſine.* 245. *l. 26.* non, ? ſed.
251. *l. 32. alios*, non, *alio.*
260. *l. 1. 2.* muta, *illi*, in, *huic.*
263. *l. 46. dote cedunt*, non, *docte cadunt.*
276. *l. 16.* non, *fuiſſe*, ſed *non fuiſſe.*
282. *l. 4.* non ſub *Innoc.* ſed ſub *Leone.*
283. *l. 9.* dele *non.* Sed totus ille textus, & ſequẽs *Trid.* eſt valde confuſus, & corrigendus ad exemplaria correctiora.
286. *l. 12. ſummam*, non, *ſumma in.*
305. *l. 62.* dele *ab.* 330. *l. 62.* cita 344. 431.
349. *l. 47.* dele *in.* 369. *l. 41.* dele, *ab.*
373. *l. 56. reſiſtit*, non, *deſiſtit.*
377. *l. 40. hominis*, non *nominis.*
333. *l. 40. præſcientia*, non, *præſ. entia.*
435. *l. 13. ei*, non *&*. 451. *l. 22. aliquo*, non, *aliquãndo.*
458. *l. 53. Bern.* non, *Bon.* 474. *l. 29.* Adde, *nec.*
487. *l. 9. premonet, ac promonet.*
490. *l. 40 ſed*, non, *ed.* 491. *l. 10.* non 6. ſed, *hoc.*
494. *l. 8.* nõ, *nec*, ſed, *Hæc.* 498. *l. 15. fieri poteſt*, nõ *ſit.*
509. *l. 37. infallibilis.* 510. *l. 60 ſummè*, non per æ.
518. ad 525. corr. numeros. 532. *l. 65.* non, *ex*, ſed *Ab.*

IN III. *Approb. 3. l. 8. fulcit*, nõ, *fulſit. l. 14. armis.* *Col. 6. l. 43.* non, *& tempore*, ſed, *non tempore.*
57. *l. 58. gratiâ*, non, *gratiæ, l. 60. Si non.*
58. *l. 1. Deus det. l. 39. Eſt ipſa anima nobilior, non vt eſt eius diſpoſitio.*
201. *l. 21. finito*, non, *infinito.*
204. *l. 19. creditur*, non, *videtur.*
207. *l. 17. poſitiua*, non, *paſſiua.*
209. *l. 25. optimum, &. l. 26.* dele *-mum &.*
210. *l. 57. integræ*, non, *lapſæ.*
214. *l. 63.* & 215. *l. 1.* muta *illius*, in, *huius.*
246. *l. 52. Nullo*, non, *Nulo.*
275. *l. 54. cur diſtinguerent, &c.*
436. *l. 46. principalis.*
600. *l. 30. amans. l. 32. humanum.* 542. *l. 59. effectu.*

IN IV. Sent. *Col. 2. l. 5. qua*, non, *aqua.* 27. *l. 61. ſubmiſſa.* c. 49. *l. 27.* dele, *non.*
A *col.* 89. ad 100. deeſt ſolus numerus.
118. *l. 58. inclinare*, non, *inclare.*
189. *l. 21. Principis*, non, *Principes.*
202. *l. 8. Infidelis per fidelem.* Non èc contra.
207. *l. 57. merendum*, non, *mærendum.*
217. *l. 25. contunditur*, non, *contenditur.*
221. *l. 50. imperet*, non, *impetret.*
232. *l. 48. fragantia*, non, *flagrantia.*
249. Corrige duos numeros.
251. l. 15. *Coph* hebraicè, non, *Phe.*
302. *l. 9.* Transfer, *Cum non eſſet, &c.* per *l. 29.* ad col. 303. poſt *l. 49.*
403. *l. 45.* dele, *non.* A 431. ad 448 Corr. numeros.
434. *l. 63. Eſſet corporalis, non ſpiritualis.*
445. *l. 61. proprios motus*, non, *proprias motus.*
478. *l. 11. non animat.*
756. *l. 26. ſine illa, nec hunc*, non, *ſine hac, nec illam.*
758. *l. 60. acquiſita*, non, *infuſa.*
759. *l. 23. imperfectione*, non, *perfect.*
770. *l. 55.* Adde : *Ergo eſt.*
849. *l. 65.* dele *nec.* & ſupple ex *col.* 844.

AB-

Digitized by Google

CONCILIATIO DILVCIDA OMNIVM CONTROVERSIARVM

quæ in Doctrina duorum ſummorum Theologorum S. THOMÆ, *& Subtilis* IOANNIS SCOTI *paßim leguntur.*

Per Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Dominum D. CONSTANTIVM SARNANVM S. R. E. Cardinalem.

Conciliationes ad Librum primum Sententiarm ſpectantes.

PRIMA CONTROVERSIA.

MAgnum diſcrimen eſt inter S. THOMAM & SCOTVM, de Deo, vt finis eſt, & de cognitione illius.

S. Thomas 1. p. quæſt. 1. art. 1. Et in eadem 1. *p. q.* 23. *art.* 1. Et *q.* 62. *art.* 1. Et *q.* 75. *art.* 7. *ad* 1. *arg.* & in 1. 2. *q.* 109. *art.* 5. Et in 3. *Sent. diſt.* 23. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 3. & alijs locis, dicit quòd Deus eſt nobis finis ſupernaturalis, & eſt naturaliter ignotus; & probat auctoritate *Iſaiæ c.* 64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ paraſti diligentibus te; alijs etiam rationibus.

Scotus q. 1. Prologi dicit, quòd Deus eſt finis nobis naturalis. Quòd autem Deus, vt finis, ſit nobis naturalis, probat tribus modis. Ex hoc habetur ex mente *Scoti*, quòd Deus ſit nobis naturaliter notus, & finis naturalis.

CONCILIATIO. Dicendum eſt, quòd aliud eſt loqui de potentia, quatenus eſt propenſa ad actum, & aliud eſt loqui de potentia, quatenus recipit actum ab agente ſupernaturali: ſi ſit ſermo de potentia quatenus eſt propenſa ad actum, ibi non eſt ſupernaturalitas: ſi ſit ſermo de potentia, quatenus recipit actum ab agente ſupernaturali, ibi eſt, & poteſt eſſe ſupernaturalitas. Vt homo naturaliter inclinatur ad beatitudinem, hic non eſt ſupernaturalitas: quòd autem homo actu ſit beatus, hic eſt ſupernaturalitas; quia recipit eam ab agente ſupernaturali. Similiter Deus eſt finis naturalis reſpectu inclinationis: eſt verò ſupernaturalis, reſpectu attingentiæ ipſius potentiæ. Et ſic nulla eſt diſſenſio inter *S. Tho.* & *Scot.*

2. CONTROVERSIA. *S. Thomas 1. p. quæſt.* 1. *art.* 1. in ſolutione principalis quæſtionis: & in 3. *lib. contra Gentiles, c.* 53. dicit, quòd homo ordinatur ad finem ſupernaturalem, ad quem ex ſe eſt indiſpoſitus: & vt paulatim ad illud diſponatur, neceſſaria eſt ſibi iſta cognitio ſupernaturalis tradita in ſacra Scriptura.

Scotus in Prologo 1. Sent. q. 1. dicit, quòd hæc ratio *S. Thomæ* eſſet efficax, ſi eſſet probatum, quòd homo ordinatur finaliter ad viſionem beatificam: cuius probatio pertinet ad 4. *lib. Sent. diſt.* 49. *q.* 4.

CONCILIATIO. Ordo demonſtrationis poſtulat, priùs demonſtrari, hominem ordinari ad Deum videndum, tanquam ad finem, cùm hoc ſit principium; quod voluit *Scotus*: ordo tamen doctrinæ poſtulat, vt hoc ſuppoſito ad poſterius procedatur: & hoc voluit *S. Thomas.*

Pro explicatione *S. Thomæ*, aduerte, intellectum noſtrum diſponi, & eleuari ad finem ſupernaturalem, & ad actum improportionatum, duobus modis accipi poteſt: vno modo, quoad actiuitatem. Et ſic verum dicit *S. Thomas*: nam impoſſibile eſt, aliquam potentiam eleuari ad finem ſupernaturalem, niſi diſponatur per aliquod ſibi confortans. Alio modo quò ad receptionem improportionati obiecti, vel formæ. Et hoc modo non eſt neceſſe, potentiam eleuari per aliquam diſpoſitionem ſupernaturalem.

3. CONTROVERSIA. *S. Thomas 1. p. quæſt.* 1. *art* 1. ſoluendo ſecundum principale dicit, quòd eadem concluſio, & diuerſæ ſcientiæ diuerſificantur per diuerſitatem mediorum. Vt eadem concluſio, nempè, terra eſt rotunda, poteſt probari ab Aſtrologo, Mathematico, & Naturali Philoſopho: non tamen dicitur eadem ſcientia: quia quamuis ſit eadem concluſio, eſt tamen diuerſa ratio probandi.

Scotus q. 1 *Prologi*, reprehendit *S. Thomam* quò ad illationem conſequentiæ: Nam licet Theologia ſit ſcientia ab alijs diuerſa, ex hoc tamen non ſequitur, quòd ſit neceſſaria.

CONCILIATIO. Modus ſoluendi eſt iſte, ſcilicet, Dato, quòd eadem concluſio: Terra eſt rotunda, probetur à diuerſis artificibus, eſt tamen notandum, quòd illa concluſio eſt tantùm materialiter eadem non autem formaliter.

Scotus ergo dicit, non eſſe neceſſariam Theologiam ad cognitionem illius concluſionis, abſolutè loquendo, non diſtinguendo de materiali, vel formali cognitione. *S. Thomas* verò loquitur de cognitione formali, quæ diſtincta eſt in Theologia, & in ſcientia naturali, etiam ſi ſit eadem concluſio.

Præterea dicendum pro explicatione *S. Thomæ*: Dato, quòd aliqua ſcientia tractet de omnibus ſcibilibus, vt eſt Metaphyſica, non ſequitur tamen propter hoc non eſſe neceſſariam Theologiam. Nam rationes ſunt in duplici differentia: quædam dicitur ratio vniuerſalis, quædam autem dicitur propria, & ex proprijs procedere. Metaphyſica tractat de omnibus entibus, ſub ratione

tamen

Digitized by Google

diſtinctio non eſt prima, ſed quare vna ſit naturaliter prior altera, hæc eſt ratio, quia iſta productio eſt talis, & illa talis.

Conciliatio. Diuinas emanationes ab inuicem diſtingui, poteſt intelligi duob' modis; vno modo primo, & hoc tripliciter: vno modo primo originatiuè, & hoc modo diſtinguuntur per principia producentia, & productiua. Alio modo terminatiuè, & hoc modo diſtinguuntur per perſonas productas: Alio modo formaliter, & ſic diſtinguuntur ſecundùm *Scotum*, ſeipſis. Secundo modo propriè, & hoc modo diſtinguuntur per prius & poſterius, ſiue per relationes oppoſitas, prioris & poſterioris. Et ſic S. *Thomas* & *Scotus* bene dicunt.

22. Controversia. S.*Tho.* 1.*p.q.*40.*art.*2.& *art.* 3. Et in 1. *diſt.* 26. *q.* 2. *art.* 2. Et de potentia *q.* 8. *art.* 3. Et *q.* 9. *art.* 5. *ad* 18. *arg.* dicit, perſonas conſtitui per relationes.

Scotus 1. *Sent. diſt.* 26. *q.* vnica, dicit, perſonas conſtitui per abſolutum, & non per relationem.

Conciliatio. Aliquid conſtitui in eſſe perſonæ per relationē, dupliciter poteſt intelligi: vno modo per relationem, tanquam per dans eſſe: & ſic ſola diuina eſſentia dat eſſe, relatio verò non. Secundo modo tanquam per dans eſſe incommunicabile, & eſſe ad: & hoc modo perſona conſtituitur in eſſe per relationem, ſecundùm S. *Thomam*: nam relationes in diuinis non ſunt inhærentes, ſed ſubſiſtentes, & ad aliud. *Scotus* verò problematicè locutus eſt.

23. Controversia. S.*Tho.* 1.*p.q.* 40.*art.*4. tenet, quòd proprietas conſtituit perſonam, non relatio.

Scotus tenet 1. *Sent. diſt.* 28. *quæſt* 3. quòd relatio conſtituit perſonam.

Conciliatio. Proprietas poteſt conſiderari duobus modis: vno modo, vt relatio: alio modo, vt eſt conſtitutiua perſonæ. Proprietas perſonalis Patris, & Paternitas, vt relatio, ſequitur generationem, vt eſt conſtitutiua perſonæ generationem præcedit. Proprietas poſitiua, vt eſt diſtincta à relatione, non conſtituit perſonam: ſed vt eſt eadem cum relatione, conſtituit perſonam. Similiter relatio diſtincta à proprietate poſitiua non conſtituit: ſed vt eſt eadem proprietati conſtituit perſonam, & hæc doctrina & diſtinctio eſt expreſſa S. *Thomæ* ibidem.

24. Controversia. S. *Tho.* 1.*p.q.*13.*art.*7. *in corp.* Et *q.* 6. *art.* 2. ad 1. *arg.* Et *q.* 28. *art.*1. in ſolutione ad 3. *arg.* Et in *q.* 45. *art.*3. ad 1. tenet, quòd nulla relatio realis poteſt eſſe in Deo ad creaturam: quia relatio realis non eſt ſine ordine: Deus autem non habet ordinem realem ad creaturam, quia eſt ſupra ordinem.

Scotus in 1. *Sent. diſt.* 30. *quæſt.* 2. tenet, relationes de nouo eſſe in Deo ad creaturas: eſſe tamen relationes rationis, non autem reales: nam eſt Dominus in tempore, verè & formaliter: ſed dominium eſt relatio rationis.

Conciliatio. Aliquid eſſe in Deo de nouo dupliciter intelligi poteſt: vno modo ſecundùm eſſe reale, & ſic negant S.*Tho.* & *Scot.* Alio modo ſecundùm eſſe rationis, & ſic concedunt, neque hoc negat S. *Thomas*, imo illud expreſſè affirmat in 1. *p. q.* 13. *art.* 7. ad finem articuli, & in ſolutionibus argumentorum, maximè in ſolutione 2. & 9.

25. Controversia: S.*Thomas.* 1.*p.q.* 37.*art.*2. dicit, quòd iſta propoſitio: Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, eſt vera: quia ablatiuus iſte conſtruitur in ratione effectus formalis, ſicut iſta propoſitio: Homo indumento veſtitur.

Scotus 1. *Sent. diſt.* 32. *q.* 1. dicit, quòd iſta propoſitio: Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, non eſt vera, eo quòd ablatiuus conſtruitur in ratione effectus formalis, & nec eſt propoſitio formalis. Vnde ſicut iſta non eſt vera: Ædificator ædificat ædificio (& tamen in ea ablatiuus conſtruitur in ratione effectus formalis) ſic iſta non erit vera propter conſtructionem formalem: Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.

Conciliatio. Iſta propoſitio eſt vera propter cōſtructionē in ratione effectus formalis impropriè, vel appropriatè, nō autem propriè, & formaliter: quoniam in diuinis non reperitur effectus formalis, neque inhærens, ſed tantùm ſubſiſtens. Cùm itaque iſta propoſitio in diuinis ſit vera impropriè, vel appropriatè, & non propriè, neque formaliter, ſequitur quòd vtrumque dictum poſſit probabiliter ſuſtineri.

26. Controversia. S.*Tho.* 1.*p.q.*14.*art.*13. Et in *art.* 9. præcedenti idem docuerat, & poſtea in *q.* 86. *art.* 9. Et in 1. *Sent. diſt.* 38. *art.* 5. Et de *Verit. q.* 2. *art.* 12. Et in *contra Gent. cap.* 67. aſſerit, quòd omnia quæ exiſtunt in aliqua temporis differentia, ſunt Deo ſecundùm propriam exiſtentiam, & actualitatem præſentia.

Scotus. 1. *Sent. diſt*, 39. contrariam ſententiam tenet: dicit enim, omnia eſſe præſentia Deo ſecundùm eſſe intelligibile, & obiectiuum: Nam futura contingentia non ſunt nunc actu in æternitate, nec Deo coexiſtunt.

Conciliatio. Dico quòd Deus per ſuā æternitatē ſine aliqua ſucceſſione ſui eſt omnibus præſens, ſed non ſine ſucceſſione rerum. Et ideo omnia quæ ſunt, fuerunt, & erunt, coexiſtunt in æternitate, & habent etiam eſſe continuum in mente diuina, Et ideo bene dicunt *Scotus* & S.*Thomas.*

27. Controversia. S.*Tho.* 1.*p.q.*23.*art.*5. tenet quòd præſcientia nō eſt cauſa vel ratio prædeſtinationis, ſed diuina voluntas, & miſericordia Dei.

Scotus 1. *Sent. diſt.* 42. *q.* vnica, tenet, quòd cauſa prædeſtinationis eſt diuina voluntas.

Hic non poſſum non afferre diſcordiam, quam inter Doctores Eccleſiæ, & Theologos inuenio, S.*Hieronymus*, S.*Chryſoſtomus*, & *Origines* expreſsè fatentur & aſſerunt, cauſam noſtræ prædeſtinationis eſſe præſcientiam bonorum operum noſtrorum, & bonum vſum liberi arbitrij. S. *Aug. cap.* 23. Retractationum ſuarum, in libro de prædeſtinatione. S. *Ambr.* Doctor Sanctus, Subtilis Doctor, *Franciſcus de Mayr* tenent cauſam noſtræ Prædeſtinationis eſſe diuinam voluntatem ſolùm, & diuinum propoſitum, & non bona opera noſtra. Cui opinioni videntur fauere verba Apoſtoli ad *Rom.*9. Iacob dilexi, quia illi ita placuit.

Modo ad argumentum *S. Thomæ* dicitur, quòd, licet ratio fruibilitatis, quæ eſt ſumma bonitas, ſit indiuiſè communicata; tamen præcipuè eſt abſtrahibilis ab vna, vel ab alia perſona. Et ſic viator poteſt frui eſſentia, quæ eſt in patre, non vt eſt in filio.

9. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* 1. *p.* *q.*82.*art.* 1. tenet, quòd voluntas apprehendens vltimum finem, neceſſariò eo fruitur, & non poteſt non frui.

Scotus in 1. *Sent diſt.* 1. *q.* 4. tenet totum oppoſitum, ſcilicet, dato, quòd voluntas apprehenderit vltimum finem, non tamen neceſſariò eo fruitur; quia nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas.

CONCILIATIO. Voluntas comprehenſoris duobus modis poteſt conſiderari; vno modo reſpectu obiecti: & ſic fruitur neceſſariò vltimo fine, & non poteſt non frui: non quòd natura voluntatis, quæ libera eſt, mutetur; ſed quòd deſit ab extrinſeco aliquid, quod auertere poſſit eam ab actu circa tale obiectum. Alio modo reſpectu ſui ipſius; & ſic non neceſſariò eo fruitur ab intrinſeco; quia ex natura ſua libera eſt. Vnde bene dicunt *S. Thomas*, & *Scotus*.

10. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* 1. *p.* *quæſt.* 2. *art.* 1. & de verit. *q.* 19 *art.* 12. ad 11. *arg.* & in 1. *diſt.* 3. *q.* 1. *art.* 2. & 1. contra Gent. *c.* 11. dicit quòd hæc propoſitio, Deus eſt, eſt per ſe nota in ſe, non autem in nobis.

Scotus in 1. *Sent. diſt.* 2. *quæſt.* 2. dicit quòd hæc propoſitio eſt per ſe nota nobis.

CONCILIATIO. *Sanctus Thomas*, & *Scotus* poſſunt conciliari data hac diſtinctione. Nam quando aſſerit *S. Thomas*, quòd hæc propoſitio non eſt per ſe nota nobis, conſiderat ipſam ex parte noſtri. *Scotus* conſiderat, quatenus vt in ſe habet rationem terminorum ſuorum, quibus cognitis diſtinctè eſt per ſe nota.

11. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* in *lib.* 1. contra Gentiles *cap.* 14. tenet, Deum non poſſe cognoſci primò affirmatiuè. Idem docet 1. *p. q.* 13. *art.* 10. ad 5 & *art.* 8. ad 2. & *q.* 12. *art.* 12. & *q* 84. *art.* 7. cuius fundamentum eſt via cognoſcendi; quæ duplex eſt, remotionis, & compoſitionis. De Deo non poſſumus habere viam compoſitionis; cum ſit ſimpliciter ſimplex: ſed tantum habemus viam remotionis; quæ eſt eadem cum via negatiua: & ideo primò negatiuè cognoſcitur.

Scotus 1. *Sent. diſt* 3. *q.* 2. tenet, Deum primò cognoſci affirmatiuè; cuius fundamentum eſt ex ipſo *Ariſtotele* 2. Perihermenias in fine; vbi dicit, quòd omnis negatio præſupponit affirmationem. Ergo primò Deus affirmatiuè cognoſcitur, quàm negatiuè: quia primò cognoſcitur, quòd eſt ens, antequam cognoſcatur quòd non ſit lapis.

CONCILIATIO. Cognitio duplex eſt; eſt prima an ſit: ſecunda quid ſit. In priori, præcedit affirmatiua: in poſteriori, negatiua. Et ſic concordes ſunt *S. Thomas* & *Scotus*.

12. CONTROVERSIA. *Scotus Thomas* 1. *p. q.* 12. *art.* 4. & *q.* 85. *art.* 1. & *q.* 84. *art.* 7. & *q.* 85. *art.* 5. & *art.* 8. ponit, obiectum intellectus noſtri eſſe quidditatem rei materialis.

Scotus in 1. *Sent. diſt.* 3. *q.* 3. dicit, primum obiectum intellectus noſtri, vt intellectus eſt, non eſſe quidditatem rei materialis, ſed ipſum ens: licet primum obiectum adæquatum pro ſtatu iſto ſit quidditas rei ſenſibilis.

CONCILIATIO. Notandum eſt, quòd obiectum intellectus aliud eſt terminatiuum; & ſic eſt ens in ſua maxima communitate: & ſic bene dicit *Scotus*. Aliud eſt motiuum; & ſic eſt quidditas rei materialis, vel ſenſibilis: & ſic bene dicit *S. Thomas*, & etiam *Scotus*: Nam eadem eſt quidditas rei ſenſibilis, & materialis, quò ad rationem motiuam; & differunt tantummod ſicut magis commune & minus commune. Nam Deus eſt aliquo modo ſenſibilis, non tamen eſt materialis.

13. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* 1. *p.* *quæſt.* 45. *art.* 7. & *q.* 93. *art.* 6. & clarius in 1. *Sent. diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 1. in *corp.* & ad 4. & *q.* 3. *art.* 1. ponit differentiam inter imaginem, & veſtigium: & dicit quòd imago repræſentat rem perfectè, quia repræſentat ſub ratione indiuidui veſtigium verò repræſentat imperfectè veſtigiatū ſub ratione confuſa, vel in vniuerſali.

Scotus eſt contrariæ opinionis 1. *Sent. d.* 3. *q.* 5. Nam ponit caſum, quòd ſit tantum vnum animal in Mundo, verbi gratia: vnus equus, & quòd non ſit poſſibile aliud indiuiduum illius ſpeciei, tunc veſtigium illius animalis non repræſentabit veſtigiatum ſub ratione confuſa; ſed ſingulari.

CONCILIATIO. In omni creatura eſt veſtigium: Nam in qualibet creatura ſunt hæc tria: Vnum, ſpecies, & ordo. Vnum repræſentat vnitatem primi principij, id eſt, Patrem: ſpecies repræſentat ſummam plenitudinem, id eſt, filium: ordo repræſentat ſummam beatificam dilectionem in operatione, ſcilicet, Spiritum ſanctum: non tamen in omni creatura reperiuntur iſtæ tres res realiter diſtinctæ. Probatur, quia in rebus ſimplicibus (ſicut ſunt accidentia,) non reperiuntur iſtæ tres res realiter diſtinctæ: Et per hoc poſſet probari opinio *S. Thomæ*, qui dicit, quòd veſtigium conſiſtit in tribus rebus diſtinctis, & non conſiſtit niſi in indiuiduis de prædicamento ſubſtantiæ, neque in vniuerſalibus conſiſtit veſtigium iſto modo. Nam ſecundum Metaphyſicos ſicut eſt deuenire in ordine entium ad vnum primum ens, ita eſt deuenire ad vnum infimum in illo infimo ente non reperiuntur iſtę tres res diſtinctæ. Et ſic patet, quòd in ſolis indiuiduis ſubſtantiæ erit iſto modo veſtigium. Quò verò ad controuerſiam conciliantur hoc modo. Nam veſtigium repræſentat veſtigiatum, per ſe quidem confuſè, & vagè: per accidens, & ab extrinſeco, diſtinctè, & determinatè. Et ſic ſunt concordes.

14. CONTROVERSIA *S. Thomas* 1. *p. q.* 41. *art.* 5. & in 1. *diſt.* 7. *q.* 1. *art.* 2. & *diſt.* 11. *art.* 3. & *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 2. ad 1. & de potentia *q.* 2. *art.* 2. & *art.* 5. tenet quòd eſſentia, vt eſſentia, eſt principium formale generationis filij.

Scotus in 1. *Sent. diſt.* 7. *q.* vnica, tenet, quòd

Digitized by Google

Conciliatio. Angelum poſſe eſſe in pluribus locis, hoc poteſt intelligi duobus modis: vno modo de poſſibili, reſpectu ſuperioris agentis, & ſic verum dicit *Scotus*. Alio modo de poſſibili, & reſpectu inferioris agentis, & bene dicit *ſanctus* Thomas.

6. Controversia. *Sanctus Thomas* 1. *p. quaſt.* 52. *art.* 3. in ſolutione principali. Et 1. *diſt.* 37. *quaſt.* 3. *art.* 3. Et in 4. *diſt.* 44. *quaſt.* 2. *art.* 2. *quaſtiunc.* 4. dicit duos Angelos non poſſe eſſe ſimul in eodem loco, quemadmodum duæ animæ non ſunt ſimul in eodem corpore.

Scotus tenet in 2. *Sent. diſt.* 2. *quaſt.* 8. poſſe eſſe plures Angelos in eodem loco. Nam legio Dæmonum fuit in eodem corpore, vt habetur Marci *cap.* 5. Ergo & Angeli.

Conciliatio. Angelos ſimul eſſe in eodem loco duobus modis poſſumus intelligere: vno modo potentia phyſica propria, & ſic verum dicit S. *Thomas*. Alio modo potentia ſuperiori, & ſic verum aſſerit *Scotus*.

7. Controversia. *Sanctus Thomas* 1. *p. q.* 53. *art.* 3. Et in 3. *p. quaſt.* 57. *art.* 3. ad 5. Et in 1. *diſt.* 37. *q.* 4. *art* 3. Et in 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 3. quæſtiuncula 3. aſſerit, quòd motus Angeli menſuratur tempore diſcreto, & in inſtanti moueri non poteſt.

Scotus 2. *Sent. diſt.* 2. *q.* 11. tenet, Angelos poſſe moueri in inſtanti.

Conciliatio Angel⁹ per totũ ſpatiũ corporeum in inſtanti moueri non poteſt, & hoc dicit S. *Thomas*. Terminum autem ſpacij quamuis diuiſibilem, Angelus in inſtanti occupare poteſt. Et hoc verum dicit *Scotus*. Vel ſic: Si ſit ſermo de motu organico, tunc non poteſt Angelus moueri in inſtanti, vt patet de Angelo in corpore aſſumpto. Si autem ſit ſermo de motu inorganico, tunc Angelus poteſt moueri, & motus poteſt eſſe in inſtanti.

8. Controversia. S. *Thomas* 1. *p. q.* 53. *art.* 2. Et 3. tenet, quòd Angelus poſſit moueri ab vno extremo in aliud extremum non tranſeundo per media.

Scotus 2. *Sent. diſt.* 2. *q.* 12. aſſerit, quòd Angelus non poſſit moueri ab vno extremo in aliud extremum, niſi tranſeundo per media.

Conciliatio. Eſſe in extremis ſine medio, duobus modis cõſiderari poteſt: vel potentia ſua, & ſic verũ dicit *Scotus*: vel potentia Dei, & ſic verum dicit S. *Thomas*. Secundò Angelus potentia propria poteſt tranſire de extremo ad extremum abſque eo quòd operetur in medio. Et hoc dicit *ſanctus Thomas*. Tamen non poteſt tranſire de extremo ad extremum abſque eo, quòd ſit præſentialiter in medio. Et hoc dicit *Scotus*. Tertiò dico, quod Angelus tranſit per media, ſi inter extrema, & media ſit ordo naturalis, & neceſſarius: ſi autem non; non.

9. Controversia. *Sanctus Thomas* 1. *p. q.* 2. *art.* 3. Et *quaſt.* 7. *art.* 1. Et *quaſt.* 39. *art.* 1. ad 3. Et *quaſt.* 47. *art.* 2. Et *q.* 75. *art.* 4. & 5. Et 3. *p. q.* 77. *art.* 2. Et in 3. *diſt.* 10. *quaſt.* 2. *art.* 5. ad 1. Et alijs multis in locis, dicit, indiuiduari ſubſtantias ipſas per materiam: nam multiplicatio eſt per materiam: ſed multiplicari, eſt ab alijs diſtingui. Ergo materia eſt principium indiuiduationis.

Scotus 2. *Sent. diſt.* 3. *quaſt.* 5. aſſerit, hæcceitate ſubſtantiam indiuiduari. Vbi *Scotus* probat, hanc propoſitionem eſſe veram multis rationibus.

Conciliatio. Multiplicatio eſt per materiã phyſicè. Et ſic verum dicit *ſanctus Thomas*: per hæcceitatem vero Metaphyſicè, & ſic verum dicit *Scotus*.

10. Controversia. S. *Thomas* 1. *p. q.* 50. *art.* 4. Et 2. Scripto *diſt.* 3. *q.* 1. *art.* 4. Et 2. contra Gent. *cap.* 39. Et de ſpiritualibus creaturis, *art.* 8. tenet quod plures Angeli non poſſunt eſſe ſub eadem ſpecie numeraliter diſtincti. Nam Angeli non ſunt compoſiti ex materia, & forma. Ergo impoſſibile eſt, duos Angelos eſſe vnius ſpeciei, vel ſub eadem ſpecie.

Scotus in *Sent. diſt.* 3. *q.* 7. tenet plures Angelos eſſe ſub eadem ſpecie. Nam omnis quidditas, quantum eſt de ſe, eſt pluribus communicabilis: Angelus eſt quidditas, vel natura. Ergo quantum eſt ex ſe, eſt pluribus communicabilis.

Conciliatio. Si ſit ſermo de neceſſitate, *Scot⁹* tenet firmiter, quod non ſit neceſſe, quod plures Angeli ſint ſub eadem ſpecie. Et in hoc conueniunt S. *Thomas*, & *Scotus*. Si ſit ſermo de poſſibilitate, ſunt diſcordes. Dicit enim *Scotus*, quod Angeli plures numero poſſunt eſſe ſub eadem ſpecie. Et S. *Thomas* dicit, quod non.

Vel ſic; Conueniunt S. *Thomas*, & *Scotus* in via Philoſophi, quia ſecundum Philoſophum: Omnis natura, quæ non habet materiam componentem, eſt neceſſaria: & ex ſe eſt hoc aliquid. Et propter hoc Angeli non ſunt plurificabiles in eadem ſpecie: ſed ſecundum veritatem, illa propoſitio eſt falſa: & *Scotus* ponens pluralitatem Angelorum ſub eadem ſpecie eſſe poſſibilem, loquitur Theologicè. Et S. *Thomas* illam negando loquitur philoſophicè.

11. Controversia. S. *Tho.* 1. *p. q.* 55. *art.* 1. Et *q.* 84. *art.* 2. in fine, dicit, quòd Angelus intelligit alia à ſe, non per eſſentiam ſuam, ſed per ſpecies concreatas. Idem habet in 3. *diſt.* 14. *art.* 1. quæſtiuncula 2. ad 1. *arg.* Itẽ in 1. *p. q.* 89. *art.* 1. & 3. Et in *q.* de veritate *q.* 8. *art.* 9. Et 2. cõtra Gẽt. *c.* 96.

Scotus 2. *Sent. diſt.* 3. *q.* 8. totum oppoſitum tenet, Angelum ſcilicet intelligere per eſſentiam ſuam, & non per ſpecies concreatas.

Conciliatio. Aut loquimur de cognitione perfecta, & quidditatiua: & tunc verũ dicit S. *Tho.* aut loquimur de cognitione in genere, abſtrahendo ab hac & illa, & tunc verum dicit *Scotus*: nam Angeli per ſuam ſolam eſſentiam aliqualem poſſunt rerum cognitionem aſſequi, ſed non perfectam, & integram, niſi accedentibus ſpeciebus.

12. Controversia. *Sanctus Thomas* 1. *p. q.* 56. *art.* 3. dicit minimè dari poſſe vnam ſpeciem in intellectu angelico repræſentantem diſtinctè diuinam eſſentiam. Nam nullum finitum poteſt repræſentare infinitum. At clarius & fuſius 1. *p. q.* 12. *art.* 2. ait quòd eſt impoſſibile, Deum poſſe videri viſione beatifica per aliquam creatam ſimilitudinẽ. Idem docet in 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 1. Et 3. contra Gent. *cap.* 59.

Scotus

Scotus 2.*Sent. diſt*.3.*q*.9.oppoſitum dicit,vbi affirmat,Deum benedictum ſua potentia abſoluta poſſe infundere ſpeciem quandam diuinæ eſſentiæ eam diſtinctè repræſentantem,ſicut S.*Paulo* in in hac vita communicata fuit ſpecies intelligibilis, diſtinctè repræſentans eſſentiam diuinam. Nam quod non implicat contradictionem ex parte rei, à Deo fieri poteſt: at nulla eſt implicatio contradictionis Ergo.Vide *Scotum quaſt.7.Quodl. art.2.*

Conciliatio Mediũ repræſentatiuum diuinæ eſſentiæ intellectui creato ſecundũ omni modam repræſentabilitatem obiecti non eſt poſſibile;ſed medium repræſentatiuum diuinæ eſſentiæ intellectui creato ſecundum capacitatem potentiæ creatæ eſt poſſibile.

13. Controversia. S.*Tho*. 1.*p.q*.55.*art*.3. Et 2 *diſt* 3.*q*.2.*art*. Et 3. contra Gent. *cap*.96. tenet,Angelos habere ſpecies,per quas omnia cognoſcunt:ſed illæ ſpecies repręſentant & vniuerſalia primò, & ſingularia omnia ſub illis contenta, vt ſpecies hominis hominem, & omnia eius indiuidua.

Scotus 2.*Sent.diſt*.3.*q*.10.tenet,Angelos habere ſpecies rerũ vniuerſalium, minimè verò ſingularia repræſentantes,ſed ſingularium cognitionem acquirere poſſe per ſpecies.

Conciliatio Dupliciter ſingularia cognoſci poſſunt: vno modo quantum ad quidſint:altero modo quantum ad an ſint.Si loquamur de priori cognitione, verum dicit S. T*homas*: ſi loquamur de poſteriori verum dicit *Scotus*.

14.Controversia *Sanctus Thomas* 1.*p.q*.62. *art*. 3. Et 2. 2. 5. *art*. 5. E in 2.*diſt*.9.*q*. 1. *art*. 3. quamuis in hoc vltimo loco vtramque opinionem affirmet eſſe probabilem,tenet,Angelos eſſe creatos in gratia: nam ſecundum *Auguſtinum* 12. de Ciuitate Dei *cap*.8.Deus fuit condens naturam,& largiens gratiam.

Scotus in *Sent.d*.4.*q*.1.tenet,Angelos non eſſe in gratia creatos.

Conciliatio Dupliciter intelligi poteſt, Angelos creari in gratia: vno modo vt gratia conſequatur naturam, ſicut conſequuntur potentiæ naturales.& hoc modo verum dicit *Scotus*.Altero modo,vt gratia ſit ex dono Dei gratuito infuſa naturis illorum.Et ſic verum dicit *ſanctus Thomas*.

15. Controversia.*S.Thomas* 1.*p.q*.63.*art*.5. Et de malo *q*.16.*art*.4. Et ſup.8. *cap. Ioan. lect*.6. dicit, Angelos non potuiſſe in primo inſtanti ſuæ creationis peccare.

Scotus tenet oppoſitum in 2..*d* 5.*q*.2.dicit enim, Angelos potuiſſe in primo inſtanti ſuæ creationis peccare.

Conciliatio.Modus conciliandi dupliciter. Vel loquimur de peccato cõmiſſionis,vel de peccato omiſſionis. De priori verum dici S. *Thomas*: de poſteriori *Scotus*.

Secundò. Vel loquimur de eo ex ſuppoſitione, nempè ſuppoſito quòd fuerit creatus in gratia: & tunc non potuit peccare, quia ſequeretur, ſimul eſſe in gratia, & in peccato: & hoc dicit S. *Thomas*. Vel loquimur ſimpliciter, & ſine ſuppoſitione: & tunc potuit peccare. Et ſic voluit *Scotus*.

16. Controvers'a S.*Thomas* 1. *p. q*.63.Et in 2.*Sent.diſt*.5.*q*.1.*art*.2.Et in *q*.16.de malo *art*.3. Et 3. contra Gent. *c*. 109.tenet, Angelum malum potuiſſe appetere æqualitatem Dei,non quoad eſſe Dei, & ſimpliciter, ſiue per æquiparantiam, ſed quoad beatitudinem, volendo eam indebitè.

Scotus 2.*Sent.di*.6.*q*. 1. dicit quòd Angelus potuit appetere æqualitatem Dei.

Conciliatio. Modus conciliandi eſt,quòd appetere æqualitatem Dei contingit dupliciter:vno modo appetitu abſoluto:& ſic bene dicit *ſanctus Thomas*: alio modo appetitu imperfecto, qui dicitur velleitas & ſic bene dicit *Scotus*.

17.Controversia. *Sanctus Thomas* 1.*p.q*.63. *art*.2. Et *diſt*. 5. *q*. 1. *art*. 3. Et *diſt*. 22. *q*.1. *art*. 1. Et 3. contra Gent. *cap*. 109. tenet, quòd peccatum primum Angeli non potuit eſſe aliud, quàm ſuperbia.

Scotus 2. *Sent. diſt*. 6. *quaſt*. 2. tenet, peccatum primum Angeli fuiſſe luxuriam: accipiendo nomen luxuriæ,non pro appetitu carnalis delectationis, ſed pro appetitu immoderato beatitudinis.

Conciliatio.Peccatum eſſe primum, duobus modis intelligi poteſt: vno modo omnino primum,& ſic fuit ſuperbia:& hoc dicit *ſanctus Thomas*,Aliomodo, immediatè primum conſequens: & ſic Angelus habuit alia peccata: & ſic verum dicit *Scotus*.

Vel ſic: Illud peccatum poteſt dici ſuperbia, prout fuit immoderatus appetitus obiecti delectabilis.. Angelus enim ſic fuit ſibi ipſi obiectum delectabile, vt ſeipſum dilexerit immoderatè.

18. Controversia. *Sanctus Thomas* 1. *p. quaſt*.64.*art*.2. Et 2.*diſt*.7. *q*.1. *art*.2. Et de malo *quaſt*.16.*art*.5.dicit,Angelos minimè reſilire poſſe à peccato.

Scotus 2. *Sent.d*.7.*q*.1. dicit,Angelos quoſlibet poſſe reſilire à peccato.

Conciliatio. Reſilire dupliciter: vno modo ratione ſui. Et ſic verum dicit *Scotus*. Alio modo ratione ſtatus infernalis: & hoc eſt impedimentum extrinſecum, non autem ex natura Dei.

19. Controversia. *Sanctus Thomas* 1.*p*. *quaſt*. 66. *art*. 1. Et multis alijs in locis quæ longum eſſet referre, tenet, materiam eſſe puram potentiam.

Scotus Sent.d.12.*q*.1.dicit materiam eſſe in potentia, & in actu.

Conciliatio. Primo modo, materia eſt pura potentia, reſpectu termini generationis: & ſic verum dicit *ſanctus Thomas*. At vt ſubiectum eſt, dicit actum, & ſic verum dicit *Scotus*.

Secundo modo, in ratione ſpeciei determinatæ eſt pura potentia,in ratione vero entis abſtracti, in qualibet ſpecie eſt actus.

20. Controversia. *Sanctus Thomas* 1. *p. quaſt*. 66. *art*. 1. tenet, materiam non poſſe eſſe ſine forma per quamcumque potentiam. Idem colligitur ex alijs locis S. T*homæ*: in quibus docet materiam eſſe puram potentiam.

Oppoſitum tenet *Scotus* in 2. *Sent. diſt*. 12. *quaſt*.

Digitized by Google

quæſt.2. Dicit enim materiam poſſe eſſe ſine forma, per potentiam diuinam: nam omne abſolutum poteſt eſſe ſine reſpectiuo.

Conciliatio. Materiam eſſe ſine forma, duobus modis poteſt intelligi: quantùm ad exiſtentiam perfectam, & in hoc verum dicit *S. Thomas*; & quantùm ad exiſtentiam imperfectam, & ſic verum dicit *Scotus*.

21. Controversia. *S. Thomas* 1. *p. q.* 77. *art*.1. Et in 1. *diſt*.3. *quæſt*. 4. *art*. 2. Et de ſpiritualibus creaturis *art*. 11. Et in quæſtione diſputata de Anima *art*. 12. & 19. Et quodl. 10. *art*. 5. tenet, quòd potentiæ animæ ſunt accidentia abſoluta, ſuperaddita eſſentiæ animæ, realiter diſtincta inter ſe, & ab anima.

Scotus in 2. *Sent. diſt*. 16. *q*. vnica, dicit potentias animæ identificari realiter cum anima.

Conciliatio. Duplex eſt realitas: eſſentiæ, & exiſtentiæ. De realitate eſſentiæ verum dicit *S. Thomas*: De realitate exiſtentiæ verum dicit *Scotus*.

22. Controversia. *S. Thomas* 1. *p. q.* 97. *art*. 1. tenet, corpus *Adæ* in ſtatu innocentiæ fuiſſe immortale.

Scotus in 2. *Sent. diſt*. 19. *q*. vnica tenet, quòd corpus *Adæ* in ſtatu innocentiæ fuit mortale.

Conciliatio. Corpus eſſe immortale duobus modis intelligi poteſt: vno modo ab intrinſeco, & quantùm ad principia naturæ, & in hoc verum dicit *Scotus*; quia corpus illud in ſe claudebat cauſas intrinſecas, quæ naturaliter inferunt mortem. Alio modo, quantùm ad principia extrinſeca ſuperaddita naturæ: & in hoc verum dicit *S. Thomas*. Et hæc expoſitio ſeu conciliatio eſt expreſsè *S. Thomæ* loco hîc citato. Et in 2. *diſt*. 19. *q*. 1. *art*. 4. Et de malo *q*. 5. *art*. 5.

23. Controversia. *S. Thomas* 1.2. *quæſt*. 89. *art*. 3. Et 2. *diſt*. 21. *quæſt*. 2. *art*. 3. Et de malo *quæſt*. 2. *art*. 8. ad primum. Et *quæſt*. 7. *art*. 7. aſſerit, quòd homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter.

Scotus in 2. *Sent. diſt*. 21. *quæſt*. 1. tenet, quòd *Adam* potuit in ſtatu innocentiæ peccare venialiter, abſque mortali peccato; quia potuit dicere verbum otioſum.

Conciliatio. Dico, quòd *Adam* in ſtatu innocentiæ potuit peccare venialiter ex genere actus: & ſic verum dicit *Scotus*; ſed non ex ſurreptione naturæ corruptæ. Et in hoc verum dicit *S. Thomas*.

24. Controversia. *S. Thomas* 1. 2. *q*. 9. tenet, quòd aliquid aliud à voluntate cauſat effectiuè actum volendi in voluntate. Et alijs locis ait, quòd mouetur ab obiecto, ab intellectu, ab appetitu ſenſitiuo, & à Deo glorioſo.

Scotus totum oppoſitum dicit, in 2. *Sent. diſt*. 25. *q. vnica*: quòd nihil aliud à voluntate eſt cauſa effectiua volitionis.

Conciliatio. Dupliciter actus voluntatis conſideratur: vno modo abſolutè in ratione actus: & ſic non à ſola voluntate effectiuè procedere poteſt. Altero modo in ratione talis actus, nempe volitionis, & actus liberi: & hoc à ſola habet voluntate. Illud dicit *S. Thomas*, hoc *Scotus*.

25. Controversia. *S. Thomas* in 2. *Sent. diſt*. 26. *art*. 3. Et 1.2. *quæſt*. 110. *art*. 4. Et in 3. *p. q.* 7. *art*. 1. Et *q*. 62. *art*. 2. Et de Veritate *q*. 27. *art*. 6. tenet, gratiam eſſe in eſſentia animæ immediatè, & non in potentia.

Scotus, 2. *Sent. diſt*. 26. *q. vnica*, tenet gratiam eſſe ſubiectiuè in voluntate immediatè, & non in eſſentia animæ.

Conciliatio. Gratia, prout dat eſſe ſpirituale, eſt in eſſentia animæ: prout verò inclinat ad eliciendum actum meritorium, eſt in potentia animæ.

26. Controversia. *S. Thomas* 1. 2. *q*. 81. *art*. 1. *in corp. & in ſol. arg*. Et *q*. 82. *art*. 3. dicit, quòd peccatum originale eſt fomes, & à carne contrahitur. Nam corpus quod corrumpitur aggrauat animam: ſed corpus corrumpi non poteſt, niſi infectione carnis. Ergo peccatum originale carne animam inficit.

Scotus, 2. *Sent. diſt*. 32. tenet, peccatum originale non ex carne eſſe contrahibile, vel contractum; ſed ex carentia iuſtitiæ originalis debitæ, quæ deberet ineſſe, & non ineſt. Ex *Anſel. cap*. 5. & 16. De caſu Diaboli.

Conciliatio. Peccatum originale animam inficere, dupliciter contingere poteſt: vel animam abſolutè, & immediatè, & hoc modo non; alio modo, mediante carne per ſeminalem rationem traducta, tanquam cauſa ſine qua non. Primum dicit *Scotus*: ſecundum *S. Thomas*. Vide hunc conciliandi modum apud *S. Thomam* loco citato.

FINIS LIBRI II.

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM,

Inter S. Thomam & Scotum, ſpectantes ad 3. Lib. Sent.

In quo tractatur de Re creata, & increata, id eſt, de Re habente duo, ſcilicet, naturam creatam, & increatam .i. de Chriſto.

PRIMA CONTROVERSIA.

Sanctus Thomas *lib*. 4. *contra Gent. cap*. 42. verſus finem. Et clariùs 3. *p. q*. 3 *art* 1. *ad* 2. & *art*. 7. Et 3. *diſt*. 1. *q*. 2. *art*. 5. dicit Filium Dei terminare dependentiam naturæ humanæ: quia continet perfectionem omnis creaturæ, & per conſequens, perſonæ humanæ.

Scotus in 3. *Sent. diſt*. 1. *q*. 1. *art*. 2. impugnata præcedenti opinione, dicit Filium Dei terminare dependentiam naturæ humanæ: non quia continet, ſed quia eſt independens.

CONCILIATIO. Duplex eſt ratio terminandi: vna proxima, & hæc eſt independentia verbi, vt dicit *Scotus*: Altera remota, & hæc eſt continentia omnis perfectionis; quia verbum independens non eſſet, niſi omnem contineret perfectionem. Et hoc dicit *S. Thomas*.

2. CONTROVERSIA. *S. Thomas 3. p. quæſt. 3. art. 7.* in ſolutione ſecundi argumenti aſſerit, Verbum potuiſſe aſſumere plures naturas: tamen diceretur vnus homo, ab vnitate ſuppoſiti; ſicut vnus ſciens, licet ſciret plures ſcientias.

Scotus in *3. lib. Sent. diſt. 1. q. 3.* tenet, Verbum potuiſſe aſſumere plures naturas: & ſi plures aſſumeret, plures homines denominatione extrinſeca diceretur; & verum eſſet dicere, Chriſtus eſt plures homines.

CONCILIATIO. Quantùm ad naturam, plures eſſent homines, vt dicit *Scotus*: Quantùm ad ſubſiſtentiam, vnus eſſet homo, vt dicit *S. Thomas*.

3. CONTROVERSIA. *S. Thomas. 3. p. q. 14. art. 3. ad 1.* Et *q. 27. art. 2.* Et *q. 31. art. 8. ad 2.* Et *3. diſt. 3. q. 1. art. 1. q. 1.* Et *quodl. 6. q. 5. art. 1.* dicit beatam Virginem in ſui conceptione maculam originalis peccati contraxiſſe.

Scotus oppoſitum dicit, in *3. lib. Sent. diſt. 3. q. 1.* tenet de poſſibili. In *diſt. 18. 3. lib.* tenet de facto in ſui conceptione non contraxiſſe peccatum originale: & ibi eſt locus proprius.

CONCILIATIO. Dupliciter peccatum originale contrahi poteſt: aut de facto, aut de debito. Et ſic B. Virgo non contraxit, vt dicit *Scotus*: aut ex debito ſolo, nempe niſi gratia præueniretur, contraxiſſet. Et ſic verum dicit *S. Thomas*. Chriſtus verò nec ex facto, nec ex debito contraxit.

4. CONTROVERSIA. *S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 5.* Et *3. p. q. 32. art. 4.* Et *3. diſt. 3. q. 2. art. 1.* Et *4. contra Gent. cap. 45.* in fine tenet, Matrem habere rationem paſſiui, & patrem rationem actiui.

Scotus in *3. lib. Sent. diſt. 4. q. vnica, & 15. q. quodl. art. 2.* dicit, Matrem concurrere actiuè ad generationem prolis.

CONCILIATIO. Principium actiuum duplex eſt: vnum quod magis agit, quomodo caliditas eſt qualitas actiua: alterum, quod minus agit, & propter hoc dicitur paſſiuum: quo modo humiditas etiam ſi agat, dicitur qualitas paſſiua. Quantùm ad formam ergo prolis, fœmina minùs agit, quàm vir, propterea dicitur principium paſſiuum. Et hoc dicit *S. Thomas*. Agit tamen, etiam ſi minus: & hoc dicit *Scotus*.

5. CONTROVERSIA. *S. Thomas 3. p. q. 17. art. 2.* Et *3. diſt. 6. q. 2. art. 2. c.* Et *quodl. 9. q. 2. art. 2. c.* tenet, quòd in Chriſto eſt vnum eſſe, & nulla exiſtentia ſubſtantialis ſit, niſi diuina.

Scotus in *3. Sent. diſt. 6. q. 1.* dicit, quòd in Chriſto ſunt plura eſſe: nam in Chriſto eſt vnum eſſe ſubſiſtentiæ, & plura eſſe exiſtentiæ.

CONCILIATIO. Idem tenet *S. Thomas*, in quæſtionibus diſputatis de vnione Verbi incarnati. Nam dicit, in Chriſto inueniri duo eſſe: vnum æternum, quod eſt eſſe principale ſuppoſiti: & vnum temporale, in quantùm Verbum factum eſt homo. Et hoc eſſe, eſt eſſe ſecundarium illius ſuppoſiti: quicquid dicat *Caietanus 3. p. q. 17. art. 2.* vbi aſſerit, quòd opinio *S. Thomæ* in quæſtione illa, vt retractata cenſenda eſt.

6. CONTROVERSIA. *S. Thomas* in ſuis *Quodl. Quodl. 1. art. 2.* Et *Quodl. 9. art. 4.* Et *3. p. q. 35. art. 5.* Et *3. diſt. 8. art. 5. ad 1.* tenet, in Chriſto vnicam eſſe filiationem.

Scotus in 3. lib. Sent. diſt. 8. tenet, in Chriſto eſſe duas filiationes. Nam alia eſt filiatio ad Patrem, alia ad Matrem: & vtraque eſt realis. Nam dicit in Chriſto eſſe plures relationes: vbi enim ſunt plura fundamenta, ibi ſunt plures relationes.

CONCILIATIO. In Chriſto eſſe plures filiationes dupliciter poteſt intelligi: vno modo ratione diuerſitatis fundamenti, & terminorum, & ſic concedimus: Alio modo ratione termini infiniti, & ſic eſt vnica relatio. Confirmatur: quia ſi non eſſent plures relationes, non eſſet filius Virginis. Et probatur. In Chriſto per Thomiſtas eſt tantùm vna relatio: vel illa eſt temporalis, vel æterna: ſi temporalis tantùm, ergo filius non eſſet filius in diuinis, quod eſt falſum. Si æterna tantùm: ergo non filius Virginis, quod eſt etiam falſum.

7. CONTROVERSIA. *S. Thomas 3. p. queſt. 16. art. 8.* Et *3. diſt. 11. quæſt. 1. ad 2. corp.* Et *diſt. 21. quæſt. 1. art. 3. ad 2.* Et *de Ver. quæſt. 29. art. 1. ad 1.* Et *4. contra Gent. cap. 48.* tenet, Chriſtum non eſſe dicendum creaturam: nam creaturam eſſe, dicit incipere eſſe. Quod repugnat ipſi Deo.

Scotus in *3. lib. Sent. diſt. 11. quæſt. 2.* tenet, potuiſſe Chriſtum dici, & de facto fuiſſe, ratione alterius extremi, creaturam. Nam mortale & immortale ita opponuntur, ſicut creatum, & increatum: ſed mortale & immortale dicuntur formaliter de Chriſto; ergo creatum, ergo creatura.

CONCILIATIO. Chriſtum dici creaturam poteſt intelligi duobus modis: vno modo ſimpliciter & abſolutè, & hoc modo non. Alio modo cum dictione reduplicatiua, & ſpecificatiua, tenta, & à parte prædicati poſita: & hoc modo ſic. Et ſic vterque concordatur, & hæc eſt etiam ſententia *S. Thomæ* in omnibus locis citatis: in quibus ſemper ait, non eſſe dicendum creaturam ſimpliciter; ſed cum illo addito ſeu reduplicatione, in quantùm homo.

8. CONTROVERSIA. *S. Thomas in 3. p. q. 7. art. 11.* Et *3. diſt. 13. q. 1. art. 2, quæſtiunc. 2. & 3.* Et *de Verit. q. 29. art. 3. c.* Et *1. diſt. 17. q. 2. art. 4. c.* & ad 4. Et *diſt. 44. art. 3. ad 2.* tenet, gratiam animæ Chriſti fuiſſe infinitam. Et in *2. 2. quæſt. 24. art. 7.* tenet, de charitate, poſſe augeri in infinitum.

Scotus in *3. lib. Sent. diſt. 13. q. 1.* Et *20. q. quolib. art. 1.* tenet, gratiam non poſſe ſic augeri, niſi deſtruatur natura eius: quia eſt determinata ad hoc eſſe, & quòd gratia animæ Chriſti fuit finita.

CONCILIATIO. Gratiam non poſſe augeri in infinitum, poteſt intelligi dupliciter: vel ex parte efficientis, & ſic non: vel ex parte ipſius gratiæ, propter repugnantiam ex parte naturæ; & ſic conce-

Digitized by Google

concedimus. Et gratia habitualis animæ Chriſti fuit finita in entitate : dicitur autem infinita; quia habet omne quod poteſt pertinere ad rationem gratiæ; & quia gratiæ aliorum eſt incommenſurabilis quoad habitum, quoad vſum, & quoad effectum. Et ſic non diſcordant.

9. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomam* 3. *p. quæſt.* 10. *art.*2. & 3. Et 3.*diſt.*24. *art.*2. *quæſt.*2. *c.* Et de Ver.*quæſt.* 20.*art.*4.& 5.*c.*Et *quol.*3.*q.*2. *art.* 1. *c.* Et 3. contra Gent. *c.* 56. Et 2. *diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 2.*c.* Et. *diſt.* 49. *quæſt.* 2 *art.* 5. dicit quòd anima Chriſti non potuit videre omnia, quæ videt Verbum. Nam nullus intellectus creatus videndo Deum, poteſt cognoſcere omnia, quæ Deus facit, vel poteſt facere, vt ipſemet dicit 1.*p.q.* 12. *art.* 8.

Scotus in 3. *lib. Sent.*. *diſt.* 14. *q.*2. & in *Quodlib. Quodl.* 14. & 15. *art.*2. principali tenet quod anima Chriſti videbat actualiter in Verbo omnia relucentia in ipſo Verbo. Et ſic concedit intellectum beatum vnica viſione videre infinita obiecta in eſſentia diuina relucentia; tamen ille intellectus non eſt infinitus, ſed finitus.

CONCILIATIO. Intellectus diuinus intelligit infinita in ſe, à ſe, & actiuè; quia eſt infinitus. Intellectus creatus beatus intelligit infinita actu : non tamen in ſe, quia in eſſentia; non à ſe, quia ab eſſentia volente; non actiuè, tanquam totale principium, quia ab eſſentia eleuatur ad talem intellectionem. Et ſic vterque poteſt concordari.

10. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* 3. *p. q.* 9.*art.*4.11.& 12. tenet animam Chriſti cognouiſſe omnia in genere proprio per ſpecies infuſas, & acquiſitas; & profeciſſe, quoad ſpecies acquiſitas, non infuſas.

Scotus 3. *lib. Sent. diſt.* 14. *quæſt.* 3. tenet, animam Chriſti cognoſcere res in genere proprio per ſpecies infuſas, ſed non per acquiſitas: & animam proficere quoad notitiam intuitiuam reſpectu creaturarum, non quoad ſpecies.

CONCILIATIO. Anima Chriſti cognoſcit res in genere proprio, etiam per ſpecies acquiſitas : Et hoc dicit *ſanctus Thomas*; ſed non neceſſario, & hoc dicit *Scotus*.

11. CONTROVERSIA. *S. Thomas* 3.*p.q.*18.*art.*1. Et 3.*diſt.*14. *art.* 1.*quæſt.*1.*quæſtiunc.*1. *Et diſt.*17. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.*1.*c.* Et de potentia *quæſt.*10. *art.*4. ad 13. Et 4. contra Gent.*c.*36. tenet, in Chriſto fuiſſe duas voluntates, vnam diuinam, aliam humanam.

Scotus in 3.*lib. Sent. diſt.* 17. *quæſt. vnica*, tenet, in Chriſto fuiſſe ad minus tres voluntates.

CONCILIATIO. Duas voluntates fuiſſe in Chriſto dupliciter poteſt intelligi : vno modo accipiendo voluntatem ſub ratione propria, & ſic dicit *ſanctus Thomas* : alio modo, accipiendo voluntatem pro appetitu ; & hoc modo ſunt tres, nempe appetitus intellectualis increatus, appetitus intellectualis creatus, & appetitus irrationalis, ſcilicet, ſenſitiuus: & hoc dicit *Scotus*, nec negat *ſanctus Thomas*.

12. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* in 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiuncula* 1. ad 4. Et de Veritate *quæſt.* 29. *art.* 3. ad 4. & 8. *art.* 5. ad 4. Et 3. *p. quæſt.* 48. *art.* 6. ad & clariùs *quæſt.* 1. *art.* 2 ad 1. Et 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 2. ad 1. Et *quodl.* 3. *q.* 2. *art.* 1. ad 3. tenet, meritum Chriſti eſſe infinitum, & habere quandam infinitatem ex dignitate Suppoſiti.

Scotus in 3. *lib. Sent. diſt.* 19. *q. vnica*, tenet, formaliter eſſe finitum.

CONCILIATIO. Meritum Chriſti eſſe infinitum poteſt accipi duobus modis : vno modo intrinſecè, & ſecundum rationem actus, & ſic verum dicit *Scotus* : alio modo denominatione extrinſeca, ſcilicet, quatenus habet relationem ad Perſonam vnitam, & ſic ſufficiebat pro infinitis, ſi infiniti eſſent homines : & ſic verum dicit S. *Thomas*.

13. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* in 3. *Sent. diſt.* 1. *q. art.* 2. ad 2. tenet hominem fuiſſe redemptum, & non Angelum : quia tota ſpecies hominis cecidit in vno parente; ſed non tota natura Angelica cecidit in vno Angelo, quia ſecundum eum Angeli differunt ſpecie.

Scotus in 3.*lib. Sent. diſt.*20.*q. vnica*, tenet, iſtam non eſſe rationem præciſam : nam homo alterius tentatione cecidit, ſcilicet, Diaboli; Angelus non, ſed propria voluntate ſolùm. Ideo debuit homo reparari, & non Angelus.

CONCILIATIO. *Sanctus Thomas* procedit philoſophicè, *Scotus* verò Theologice, neuter eſt contrarius. Immo *ſanctus Thomas* 1.2.*q.*80. *art.* 4. ad 3. eandem rationem aſſignat quam *Scotus*. Et 2. *diſt.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 2. Et in 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.*2. ad 2. hanc & alias quinque rationes aſſignat.

24. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas p. q.* 51. *art.* 3. Et 3. *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 2. *c.* & ad 4. dicit corpus Chriſti non fuiſſe conueniens putrefieri, vel incinerari: nam putrefactio cuiuſcunque corporis prouenit ex infirmitate naturæ illius.

Scotus in 3.*lib. Sent. d.* 21. *q. vnica* dicit, quòd nouo miraculo corpus Chriſti fuit præſeruatum à putrefactione.

CONCILIATIO. Corpus Chriſti fuit poſſibile putrefieri dupliciter : vno modo intrinſecè, & ſic verum dicit *Scotus*: Alio modo extrinſecè, & ſic verum dicit *ſanctus Thomas*.

25. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* in 3. *Sent. diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 1. Et *Quodl.* 2. *art.* 1. *Corp.* Et *quodl.* 3. *art.* 4 *c. fi.* videtur ſaluare Magiſtrum, aſſerentem Chriſtum in triduo fuiſſe hominem : & dicit Chriſtum fuiſſe hominem quoad conuenientiam nominis, & æquiuocè.

Scotus lib. 3. *Sent diſt.*22. *q. vnica* tenet, non fuiſſe hominem in triduo: cùm non habuerit animam vnitam corpori.

CONCILIATIO. Chriſtum fuiſſe in triduo hominem, duobus modis poteſt intelligi : vno modo propriè, & vniuocè; & ſic non fuit homo, vt dicit *Scotus*. Altero modo impropriè, & per ſinecdochen; & ſic fuit homo, vt dicit *ſanctus Thomas*. Tamen S. *Thomas* in 3. *p. q.* 50. *art.* 4. tenet cum *Scoto*.

16. CONTROVERSIA. *S. Tho.* 2.2.*q.*4.*art.*4. Et 3.*d.*23.*q.*2.*a.*4.*q.*1.*quæſtiunc.*2 *c.* Et de Verit.*q.*14. *art.*12.*c.* aſſerit vnâ tantùm eſſe fidem in homine.

Digitized by Google

Scotus in 3. lib. Sent. diſt.23.q. vnica, ponit duas fides: infuſam in baptiſmate, & fidem acquiſitam per auditum.

Conciliatio. Si loquamur de fide, quæ eſt virtus Theologica, & donum Dei, & quæ generaliter eſt in omni Chriſtiano, vna eſt; & hoc dicit S. *Thomas*. Si autem loquamur abſolutè de fide præter illam priorem: eſt etiam fides acquiſita, quæ non eſt in omnibus, ſed in adultis. Et hoc dicit *Scotus*.

17. Controversia. *S. Thomas in 3. Script. diſt. 33. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. c.* Et *1. p. q. 59. art. 4. ad 3* Et *1. 2. q. 61. art. 2.* Et *q. 66. art. 1. c.* Et *22. q. 59. art. 5. ad 2. & art. 9.* Et *4. diſt. 33. q. 3. art. 3. c.* Et *de Ver. q. 14. art. 4. c.* Et *de Ver. q. 1. art. 4.* Et *de malo. quæſt. 4. art. 5. ad 4.* tenet, virtutes morales Temperantiæ, & Fortitudinis non ſubiectari in voluntate, ſed in parte ſenſitiua.

Scotus in 3. lib. Sent. diſt. 33. q. vnica, tenet, virtutes morales ſubiectari in voluntate.

Conciliatio. Virtutes dupliciter poſſunt eſſe in appetitu: materialiter, & in ratione habitus; & ſic verum dicit *S. Thomas*. Altero modo formaliter, & in ratione virtutis: & ſic ſunt in voluntate, vt dicit *Scotus*.

18. Controversia. *S. Thomas 1. 2. q. 18. art. 2.* Et *12. q. 19. art. 1. & 2. corp.* Et *2. diſt. 36. art. 5. corp.* tenet, quòd malus actus, & bonus actus, in genere moris cauſatur ab obiecto.

Scotus in 3. lib. Sent. diſt. 38. q. vnica, tenet actus bonos, vel malos cauſari à voluntate.

Conciliatio. Actum bonum vel malum cauſari ab obiecto contingit dupliciter: vno modo initiatiuè, & ſic verum dicit S. *Thomas*: alio modo elicitiuè, & completiuè, & ſic verum dicit *Scotus*.

FINIS LIBRI III.

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM,

Inter S. Thomam & Scotum, ſpectantes ad 4. Lib. Sent.

In quo pertractatur de Sacramentis, quæ ſunt ſigna, & cauſæ gratiæ.

Prima Controversia.

S*Anctus Thomas 1. p. q. 45. art. 5.* Et *de Potentia. q. 3. art. 4. corp.* Et *1. p. q. 65. art. 3. c.* Et *q. 90. art. 3. c.* Et *1. Sent. d. 37. q. 1. art. 1. c.* Et *2. diſt. 1. q. 1. art. 4. c.* Et *2. contra Gent. cap. 21.* tenet, quòd creare ſit ſolius Dei: quia eſſe eſt effectus proprius Dei, & eſſe eſt terminus proprius creationis. Ergo ſolus Deus creat.

Scotus in lib. 4. Sent. diſt. 1. q. 1. idem tenet, cum S. *Thoma*, ſed differt ab ipſo in modo probandi: imò dicit, quòd illæ duæ propoſitiones aſſumptæ à S. *Thoma* ſunt falſæ.

Conciliatio. Dupliciter poſſumus loqui de ente: aut generaliter, vt complectitur creatum, & increatum; & ſic non eſt terminus creationis, vt dicit *Scotus*: aut vt complectitur ſolum ens creatum, & ſic eſt terminus creationis. Et ſic dicit S. *Thomas*.

2. Controversia. S. *Thomas 3. p. q. 66. art. 9.* Et in *4. Sent. diſt. 6. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1.* Et *4. contra Gent. cap. 50. & cap. 71.* Et *3. p. q. 49. art. 3. ad 2.* Et *q. 80. art. 10. ad 1. & 5.* Et *4. Sent. d. 2. q. 1. art. 2. ad 2.* Et *diſt. 12. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 2.* Et *diſt. 14. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. corp.* dicit, Baptiſmum iterari non poſſe, quia virtutem habet ex paſſione Chriſti.

Scotus in 4. Sent. diſt. 6. q. 7. aſſerit, quòd ratio S. *Thomæ* non concludit: quia pœnitentia virtutem habet à Paſſione Chriſti, & tamen eſt iterabilis; ſed inſtitutio diuina eſt ratio (inquit ipſe) irreiterabilitatis Baptiſmi.

Conciliatio. Secundùm S. *Thomam*, Baptiſma Chriſti eſt irreiterabile, quatenus per ipſum repræſentatur mors Chriſti, quæ non eſt iterabilis: ſed ſecundùm *Scotum* non eſt aliqua ratio prior irreiterabilitatis, niſi diuina voluntas. Vnde ſecunda ratio congrua irreiterabilitatis Baptiſmi eſt paſſio Chriſti: ſed ratio neceſſaria eſt diuina voluntas.

3. Controversia. S. *Thomas in 3. p. q. 63. art. 2.* Et *4. Sent. diſt. 4. q. 1. art. 1. corp.* tenet, characterem eſſe rem abſolutam in ſecunda ſpecie qualitatis reductiuè poſitam.

Scotus in 4. Sent. diſt. 6. q. 10. tenet, characterem non eſſe niſi relationem realem.

Conciliatio. Dico, quòd poteſt ſuſtineri vtraque opinio: videlicet, quòd ſit res abſoluta fundamentaliter, ſed probabilius, quòd ſit res relatiua formaliter. Itaque eſt quid abſolutum, prout imprimitur à Deo: eſt autem quid reſpectiuum prout eſt ſignum.

4. Controversia. S. *Thomas 3. p. q. 63. art. 4.* dicit, characterem non eſſe in eſſentia animæ, ſicut in ſubiecto, ſed in intellectu. Idem tenet in *4. Sent. diſt. 4. q. 1. art. 3. quæſtiunculis 1. 2. & 3.*

Scotus in 4. Sent. diſt. 6. q. 11. dicit, characterem eſſe in voluntate.

Conciliatio. Dico, quòd character eſt in intellectu, prout eſt obligatiuus ad ea quæ pertinent ad fidem: eſt autem in voluntate, prout eſt obligatiuus ad ea quæ pertinent ad potentiam executiuam. Vel eſt in intellectu mediatè, & in voluntate immediatè.

5. Controversia. S. *Thomas 3. p. q. 75. art. 2.* Et in *4. Sent. diſt. 10. q. 1. art. 1. ad 4.* Et *4 Sent. diſt. 11. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. corp.* Et *4. contra Gent. cap. 63.* Et *quodl. 5. q. 6. art. 1.* tenet, quòd Corpus Chriſti de nouo incipit eſſe ſub ſpeciebus panis, ſine ſui mutatione locali, non niſi per conuerſionem panis in ipſum.

Scotus in 4. Sent. diſt. 10. q. 1. dicit, Corpus Chriſti poſſe fieri illic præſens ſine conuerſione: ſed

Digitized by Google

ſed per reſpectum extrinſecùs aduenientem, quem habet ad illas ſpecies.

Conciliatio. Dicendum eſt, quòd *ſanctus Thomas* loquitur de facto, *Scotus* verò de poſſibili. Nam ratio intrinſeca formalis, & neceſſaria, quare corpus Chriſti ſit ibi præſens, eſt ille reſpectus: ratio vero extrinſeca, ordinaria tamen, eſt conuerſio.

6. Controversia. *Sanctus* Thomas *Quodl.* 1. *q.* 10. *art.* 2. *ad* 1. Et *Quodl.* 3. *art.* 2. *ad* 1. Et in 4. *Sent. diſt.* 44. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. ad 4. negat idem corpus eſſe poſſe ſimul in pluribus locis.

Scotus. in 4. *Sent. diſt.* 10. *quæſt.* 2. dicit. Quidquid non implicat contradictionem, poteſt Deus facere: ſed idem corpus eſſe in pluribus locis non implicat contradictionem; ergo fieri ab ipſo poteſt.

Conciliatio. Aut loquimur de potentia corporis naturali, ſeu aptitudinali: & ſic non poteſt per quamcunque potentiam extrinſecam eſſe ſimul in pluribus locis: quod dicit *ſanctus* Thomas. Aut loquimur abſolutè de potentia, ideſt, non repugnantia corporis: & ſic poteſt eſſe in pluribus locis; ſupernaturaliter quidem, ſed non contranaturaliter. Et hoc dicit *Scotus.*

7. Controversia. *Sanctus* Thomas 3. *p. q.* 77. *art.* 3. ad 3. Et 4. *Sent. diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. & 2. & *Quodl.* 9. *q.* 3. *art.* 5. ad 3. tenet, quòd accidentia in Euchariſtia agunt in virtute formæ ſubſtantialis.

Scotus in 4. *lib. Sent. diſt.* 12. *q.* 3. dicit, quòd accidens ſeparatum nullo modo poteſt eſſe principium alicuius actionis virtute ſubſtantiæ.

Conciliatio. Dupliciter contingit agere in virtute ſubſtantiæ: aut per motionem actualem ipſius ſubſtantiæ; & ſic accidens ſeparatum non agit in virtute ſubſtantiæ, vt dicit *Scotus*: Aut per motionem habitualem; & ſic agere poteſt, vt dicit *ſanctus* Thomas.

8. Controversia. Licet *Sanctus* Thomas 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 5. Et 4. contra Gent. *cap.* 66. Et *quodl.* 9. *q.* 3. *art.* 5. ad 3. teneat, omne quod generatur ex Euchariſtia, generari ex quantitate dimenſiua panis, & vini, tanquam ex materia: tamen in 4. *Sent. d.* 12. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4. tenet probabiliter, tranſmutationes paſſiuas fieri per reuerſionem materiæ à Deo de nouo creatæ.

Scotus in 4. *Sent. d.* 12. *q.* 6. dicit, in tranſmutatione paſſiua facta circa Euchariſtiam non redire ſubſtantiam, vel materiam.

Conciliatio. S. Thomas, quando probabiliter tenet redire ſubſtantiam, intelligit de ſubſtantia noua creata à Deo, quod etiam concedit *Scotus.* Quando verò *Scotus* dicit, in illis tranſmutationibus paſſiuis non redire ſubſtantiam, intelligit de ſubſtantia panis, & vini, quæ deſtructa fuit: quod etiam concedit *ſanctus* Thomas expreſsè.

9. Controversia. *Sanctus* Thomas 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. & 2. Et 87. *art.* 6. Et in 4. *Sent. diſt.* 14. *q.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. Et *diſt.* 19. *q.* 2. *art.* tenet, quòd poſt actum peccati remanet in peccatore priuatio gratiæ, quam ipſe vocat maculam peccati; & ab hac peccator dicitur formaliter peccator.

Scotus autem dicit in 4. *Sent. diſt.* 14. *q.* 1. non priuatione gratiæ, ſed ordinatione ad pœnam peccato correſpondentem, peccatorem dici, & eſſe formaliter peccatorem.

Conciliatio. Peccator formaliter initiatiuè dicitur à priuatione gratiæ, & hoc dicit *S. Thomas*: completiuè verò ab illa ordinatione Dei, & hoc dicit *Scotus*

10. Controversia. *Sanctus Thomas* in 4. *Sent. diſt.* 18. *quæſt.* 1. *artic.* 1. in ſolutione primi argumenti ſecundæ quæſtiunculæ dicit, quòd poteſtas conſecrandi & abſoluendi ſunt vna, & eadem, nempe character ipſe ſacerdotalis.

Scotus in 4. *Sent. diſt.* 19. *q.* 1. *art.* 3. tenet, totum oppoſitum: aſſerit enim, quod illæ ſunt diſtinctæ poteſtates, quarum vna poteſt eſſe ſine alia; ſed character ſacerdotij poteſt eſſe ſine illa poteſtate abſoluendi, quæ includitur in clauibus. Vnde non ſunt eædem poteſtates.

Conciliatio. Dicimus formaliter eſſe diſtinctas poteſtates, & hoc dicit *Scotus*: originaliter autem, ſeu radicaliter eſſe eaſdem; & hoc dicit *ſanctus Thomas*, vt patet ex illius verbis. Ait ſiquidem quòd eſt eadem poteſtas, ſed differt ſecundum rationem.

11. Controversia. *S. Thomas* 1. 2. *q.* 3. *art.* 4. Et in 4. *Sent. diſt.* 49. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. Et 1. *p.* 1. 26. *art.* 2. & 3. *corp.* Et 3. contra Gent. *cap.* 25. & 26. Et de malo *q.* 16. *art.* 6. ad 6. Et *quodl.* 8. *q.* 9. *art.* 1. *c. Et* 1. *Sent. d.* 1. *q. art.* 1. *cor.* ponit, beatitudinem noſtram conſiſtere in operatione intellectus eſſentialiter.

Scotus in 4. *Sent. d.* 49. *quæſt.* 4. tenet, noſtram beatitudinem conſiſtere in operatione voluntatis.

Conciliatio. Beatitudinem noſtram conſiſtere in intellectu poteſt accipi duobus modis: vno modo præſuppoſitiuè, & ſic bene dicit *ſanctus Thomas*: Alio modo completiuè, & ſic bene dicit *Scotus.*

12. Controversia. *S. Thomas* in 2. 2. *q.* 18. *art.* 3. *corp.* Et 1. *p. q.* 64. & 2. c. Et 1. 2. *q.* 5. *art.* 4. *cap.* Et contra Gent. *cap.* 62. 62. tenet, perpetuitatem, & ſecuritatem eſſe de eſſentia beatitudinis.

Oppoſitum dicit *Scotus*, in 4. *lib. Sent. diſt.* 49. *quæſt.* 6. Nam aſſerit perpetuitatem & permanentiam non eſſe de eſſentia beatitudinis.

Conciliatio. Duplex eſt beatitudo, intenſiua ſeu obiectiua, & extenſiua. Ad beatitudinem extenſiuam requiritur duratio, & permanentia; & hoc dicit *ſanctus Thomas*: non autem ad beatitudinem intenſiuam, & hoc dicit *Scotus.*

13. Controversia. *Sanctus Thomas* in 1. 2. *q.* 4. *art.* & 2. Et *q.* 3. *art.* Et in 4. *l. Sent. diſt.* 5. 49. *q.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 3. in fine, tenere videtur gaudium & delectationem eſſe de eſſentia beatitudinis.

Scotus. in 4. *Sent. diſt.* 49. *q.* 7. tenet, quòd Beatitudo ad ſui eſſentiam non requirit, nec delectationem

Digitized by Google

tionem nec gaudium : quia delectatio & gaudium ſunt paſſiones conſequentes beatitudinem.

CONCILIATIO. Beatitudo dupliciter poteſt conſiderari : vno modo completè, & perfectè; & de iſta eſt verum dicere, quòd gaudium eſt de eſſentia beatitudinis, & hoc dicit *ſanctus Thomas.* Alio modo ſumitur beatitudo incompletè, & imperfectè : Et de iſta verum eſt dicere, quòd gaudium non eſt de eſſentia beatitudinis, vt dicit *Scotus.* Immo *ſanctus Thomas* eſſentialem Beatitudinem in ſola viſione ponit: gaudium autem & delectationem tanquam conſequentia illam, vt ait *Scotus.*

14. CONTROVERSIA. *Sanctus Thomas* in 4 *lib. Sent. diſt.* 49. *quæſt.* 2. *art.* 6. Et 1. *p. quæſt.* 12. *art.* 4. *cap.* Et 1. 2. *quæſt.* 5. & *quæſt.* 62. *art.* 1. corp. Et 3. contra Gent. *cap.* 52. & *c.* 147. inquit, quòd beatitudo eſt mere effectus ſupernaturalis, & naturaliter haberi non poteſt.

Scotus eſt in oppoſitum, in 4. *lib. Sent. d.* 49. *q.* 8. vbi tenet, beatitudinem poſſe haberi naturaliter, & quòd eſt naturalis.

CONCILIATIO. Beatitudo poteſt conſiderari duobus modis : vno modo, prout comparatur ad actiuitatem totalem potentiæ; & hoc modo non poteſt haberi naturaliter, nec eſt naturalis, vt dicit S. *Thomas.* Alio modo, prout comparatur ad vim paſſiuam, & inclinationem naturalem potentiæ, & ad actiuitatem partialem quæ ſimul cum actiuitate ſupernaturalis agentis elicit actum beatitudinis. Et hoc modo poteſt haberi naturaliter, & eſt naturalis, & hoc dicit *Scotus.* Ad quam beatitudinem Deus ſua miſericordia, ac præcibus ſanctorum Franciſci, & Antonij poſt huius vitæ curſum nos perducere dignetur.

FINIS CONCILIATIONVM.

APPLICATIO.

QVæ quidem Conciliationes Doctrinæ, inter Doctorem Angelicum, & Subtilem, non omnes nobis probantur, imò quædam nec probabiles videntur : ſed in exemplum, & commendationem noſtrarum inter Doctores noſtros conciliationum, proponuntur, ac referuntur. Cùm enim nec Deus, nec vlla eius veritas, ſua vnitate ac ſimplicitate ſit cauſa vel occaſio vllius diſſenſionis, ſed pacis, 1. *Cor.* 14. ſingulique Doctores Catholici quaſi ex circumferentia veritatis, ſub diſtinctis & proprijs radijs rectis ad eius centrum ſtudioſè colliment: non ſunt contentioſis interpretationibus & opinionibus, contradictorijs vel contrarijs ab inuicem alienandi; ſed potiùs inter ſe, & eidem veritati intentæ, ſaltem inadæquatè conciliandi. Vt, ex *Rom.* 12. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet .i. Non ſola intentione ſtudioſas ſed etiam inadæquata participatione eiuſdem veritatis. Quod ſi hæ Conciliationes inter doctrinas tam diſcordes, non cenſentur inanes : ſed tanti viri ſtudio ac nomine, luceque ac lectione publica dignæ : Speramus has noſtras, vt faciliores, ſic & illarum comparatione lectoribus beneuolis probabiliores futuras.

Digitized by Google

CONCILIATIONES IN QVODLIBETA SCOTI,

Per R. P. HVGONEM CAVELLVM *Franciſcanum.*

IN *Quodl.* 1. *Concil.* 1. Diuidit ens primò .i. adæquatè: ſed variè, magis, minuſue propriè, vel communiter. 2. Exiſtentia, eſt de Eſſentia Dei: ſed 1. *d.* 8. *q.* 3. *n.* 29. Deus priùs eſt infinitus quàm hic exiſtẽs .i. noſtro perfectiori cõceptu. 3. Eſſentia Dei eſt prima ratio ſimpliciſſima eſſendi: ſed à nobis ſic incõceptibilis. 4. Natura intellectualis eſt de Eſſentia Dei: ſed potẽtia, eſt modus intrinſec⁹. Vide noſtrã *Concil.* 241. 363. 5. Deũ eſſe, eſt primum neceſſariorum: ſed velle hoc, eſt primũ contingentiũ. 6. Æqualitas in Deo eſt eſſentialis: vt opponitur notionali, non vt relatiuo. 7. Formalitates ſunt realitates, ſeu res; ſed ſecundũ quid. 8. Secunda intentio, eſt comparatio paſſiua obiectorũ: ſed actiua, potentiæ. 9. Deus vt vnus intelligit, & vult ad extra: ſed prius eſt trinus ad intra. 10. Pater prius origine nouit omnia: ſed non prius naturâ.

In Quodl. 2. *Concil.* 1. *Art.* 1. Quo aliquid eſt extra ſuam cauſam, eo primo eſt hoc .i. eo quo formaliter. 2. Dictio eſt prior Verbo: ſed in Deo ſolo prior eſt intellectio improducta. 3. Plura eiuſdem rationis, poſſunt eſſe infinita: ſed nec plures Eſſentiæ Dei, nec eædẽ Perſonæ. 4. In Deo ſunt duę proceſſiones quaſi ſpecie: ex ſuis principijs originatiuè; ſed ſeipſis formaliter. 5. Conueniens vni & repugnans alteri, præexigit vel facit primã diſtinctionem; vt hæcceitas. 6. Potentia generandi, vt abſoluta, eſt & in Filio: non vt proprietas Patris. 7. *S. Hil.* Filius nil habet niſi natum .i. naſcendo. 8. *Art.* 3. *n.* 25. Eſſentia & intellectus ſe habent vt principium vnũ, & æquè proximũ .i. in Deo; ſed in nobis intellectus vtitur obiecto, ſeu ſpecie. 9. Spiritus non producit niſi per intellectũ vel voluntatẽ .i. vitaliter: ſed vt omnia abſoluta, ſuiipſius ſpeciem. 10. Quicquid eſt in Deo, eſt de ſe hoc .i. re ipſa; ſed non conceptu noſtro.

In Quodl. 3. *Concil.* 1. *Art.* 1. Ens commune reali & rationis, eſt obiectum primum intellectus noſtri: ſed vt terminatiuum, non vt motiuum. 2. *Art.* 1. Ens rationis habet eſſe in intellectu, effectiuè; ſed in re, denominatiuè. 3. *Art.* 1. Contradictio non eſt intelligibilis .i. aſſentiendo; ſed ſolùm apprehendendo. 4. *Art.* 3. Inhærentia relationis inſeparabilis, eſt ipſi eadem realiter: ſed *Scotus* diſtinguit ſolas relationes realiter diſtinctas à ſuis fundamentis, in intrinſecùs, vel extrinſecùs aduenientes. 5. Quæ ſeparari nequeunt, ſunt idem realiter: ſed, niſi vnum eſſentialiter dependeat ab alio, vel ſint ſimul naturâ. 6. Nõ eſt mediũ .i. reale, inter ſubſtantiam, & accidens. 7. Priùs naturâ .i. in eſſendo ſine alio, vel cauſalitate, vel perfectione. 8. Idem eſt re, non conceptu, Patrem eſſe, & generare. 9. Nulla habitudo, nec mors deſtruit effectiuè. 10. Inhærentia ſimilitudinis, ſeipsâ inhæret .i. non aliâ. 11. Vna relatio fundatur in alia .i. proximè; ſed remotè nonniſi in abſoluto.

In Quodl. 4. *Concil.* 1. Relatio primæ Perſonæ eſt eius conſtitutiua .i. in vna ſententia; ſed in alia, ſupponit conſtitutam abſolutè. 2. Nulla negatio repugnat, niſi per poſitiuum; ſed ſecundùm quid in creaturis. 3. Reſponſio per aptitudinẽ non ſufficit: ſed per huius cauſam. 4. Paternitas ſola ratione differt à Patre vt Pater eſt: ſed ex natura rei formaliter, à Patre, vt Deus eſt. 5. Corpus completum, non partiale, habet indiuiduum ſui generis.

Ex Quodl. 5. *Concil.* 1. Perſonæ Diuinæ infinitæ: nõ ſunt plures infinitate. 2. Videtur problematic⁹, an poſſint produci infinitæ ſpecies in anima Chriſti. 3. *Generatio actiua, non eſt ſpiratio actiua*: quia abſtrahũt ab omni identitate. 4. Terminare dependentiam alterius, eſt perfectionis .i. independentiæ. 5. *Vt* 3. 6. In Deo non eſt niſi vnum infinitũ .i. reale & radicale; ſed plura formalia. 7. vt 1. *Quodl.* 1. 8. Deus eſt omnium mẽſura: ſed ſupra omne genus.

In Quodl. 6. *Concil.* 1. Æqualitas inter pares, eſt perfectionis: ſed eſt & inæqualitas perfectioris. 2. *Art.* 2. Ex abſoluto & reſpectiuo, non fit per ſe vnum: niſi ſuppoſito. 3. Non negat ex propria ſent. ſed aliena, Deum eſſe magnum, bonum, &c, ex naturâ rei. 4. Non demonſtrat Perſonas Diuinas propriè; ſed confusè, & ex Fide. 5. Æternitas non dicit perfectionem, vt eſt duratio: ſed vt infinita, tota ſimul. 6. *Art.* 1. *n.* 5. Bonum eſt paſſio entis: ſed quantum eſt ſolius entis abſoluti, & quidditatiui. 7. *Art.* 1. In Deo vna eſt æqualitas realiter; ſed plures formaliter. 8. Relatio realis eſt inter extrema realiter diſtincta: nec inter idem prorſus vt mouens, & motum. 9. Vt 1. *Quodl.* 10. Æqualitas & ſimilitudo in Deo eſt realis; ſed independẽs.

In Quodl. 7. *Concil.* 1. Deus eſt neceſſariò Omnipotens: ſed connotat contingentia. 2. Natura non poteſt eſſe ſine ſua operatione .i. aptitudinali. 3. 4. Viator poteſt habere conceptum diſtinctum Dei; ſed per gratiam. 5. 6. Omnipotentia Dei habet ſuum obiectum poſſibile, ab intellectu: nullum autem neceſſarium. 7. Vt 2. *Quodl.* 1. 8. Prima pars continui poteſt in ipſo produci, non extra. 9. 10. Omne neceſſarium demonſtratur per infinitatem, vel per definitionem.

In Quodl. 8. *Concil.* 1. Tres Perſonæ Diuinæ ſunt vnus idemque Creator; ſed filio appropriatur virtus Patris. 2. Motus à forma abſoluta, eſt ad abſolutam. 3. Vt 5. *Quodl.* 3. 4. De notitia noſtra practica, non Dei: niſi vt *q.* 4. *Prol.* 5. *Art.* 1. *n.* 6. Ratio proxima cauſandi in Deo, eſt intellectus vel voluntas, vel actus huius aut illius. 6. *Art.* 1. *n.* 13. Si notitia Dei eſt cauſa, &c. vt vult *Henr.* non autem quòd ſit. 7. *Art.* 1. *n.* 7. Et ſi Eſſentia Dei moueat obiectiuè, vt natura: voluntas liberè concurrit. 8. Verbum Dei non eſt verbum vllius creaturæ: ſed terminus naturæ aſſumptæ. 9. Relationes Diuinæ ſunt neceſſariæ, & infinitæ, identicè. 10. Eſſentia Dei terminat dependentiam omnis creaturæ, per ſuam voluntatem.

In Quodl. 9. *Concil.* 1. Homo, vt quid completum, eſt perfectior ſola Anima: ſed hæc independentior. 2. Accidens abſtractum minùs propriè eſt per ſe, quàm ſubſtantia. 3. *Art.* 3. *n.* 18. Vocat quoduis

totum,

Digitized by Google

totum; perfectum ſimpliciter: ſed non Theologicè. 4. *Art.* 2. *n.* 11. Species & ſenſatio fit in organo: ſed in anima, vt hæc differt ab obiecto. 5. *Art.* 3. *n.* 17. Anima dum vnitur accipit perfectum eſſe .i. ſubſiſtens & completum in ſuo toto, non in ſe. 6. Natura completa repugnat informationi; ſed non terminationi ad ſuppoſitum. 7. Proximum ſubiectum intellectionis caret materia. ſed *q.* 15. *de Anima* aliter, ex aliena opinione.

In Quodl. 10. *Concil.* 1. *Ad arg. in fine.* Corruptâ Euchariſtia, fit à Deo noua ſubſtantia: ſed in eam poteſt agens naturale. 2. *Art.* 1. *n.* 38. Deus poteſt cōuertere quidlibet in quodlibet: nec vllibi aliter niſi ex *Ariſt.* 3. Creatio animarū nō eſt miraculoſa.

In Quodl. 11. *Concil.* 1. Locatum non dependet à loco, vt à cauſa per ſe. 2. Quies menſuratur tempore imaginario .i. ceſſante omni reali. 3. *Art.* 3. Verius eſt ex *Scoto*, non numerari concretum, niſi & ſuppoſita. 4. *Art.* 4. Vbi non reſultat, niſi ex corpore vt in ipſo loco. 5. Vt 2. *Q.* 6. 6. Vbi, vt eſt terminus motus, non eſt per ſe diuiſibile; ſed vt eſt à quo, per quem, & ad quem. 7. *Scotus* videtur problematicus, an relationes differant à ſuis fundamētis. Sed ſi differant, dici poteſt quod quædam non poſſint cauſari à ſolo Deo immediatè, &c. Quodq; extrema poſſint eſſe ſine relatione: vt duo alba ſine ſimilitudine; homo generans & genitus, ſine paternitate & filiatione formali. 8. *vt* 7.

In Quodl. 12. *Concil.* 1. Dependere à Deo vt efficiente, & fine, non eſt dependere pluribus dependentijs eiuſdem rationis. 2. *n.* 15. Inſtantanea incipiunt per primum, & deſinunt per vltimū eſſe: permanentia, per primum eſſe, & primum non eſſe; ſucceſſiua, per primum, & vltimum non eſſe. 3. Deus poteſt operari ad extra in inſtanti, & in tempore. 4. 5. Eadem eſt exiſtentia & dependentia rei in fieri, & eſſe, à velle Dei.

In Quodl. 13. *Concil.* 1. A concretis infert per ſe primo abſtracta: in ſolis accidentibus. 2. Actus eſt prior potentia .i. ens actuale eſt prius poſſibili. 3, Cognitio ſenſitiua, non eſt niſi appræhenſiua. 4. Virtus materialis eſt abſoluta: ſed formalis eſt reſpectiua ad prudentiam. 5. Beatitudo eſt formaliter in fruitione: ſed obiecti viſi. 6. Non poteſt eſſe viſio terminata ad obiectum, niſi vt exiſtens; ſed poteſt à Deo cauſari ſine illo. 7. Relationes mutuæ, & non mutuæ, poſſunt variè fundari, & diſtingui. 8. Obiectum accipit eſſe per cognitionem: non reale, ſed rationis. 9. Definitio propriè, non eſt niſi vnius per ſe, & neceſſarij. 10. *n.* 2. & 1. *d.* 3. *q.* 7. Actio qua fit intellectio, poteſt dici *Intelligificatio.* 11. Viſio, & abſtractio, differunt ſpecie: ex diuerſis cauſis.

In Quodl. 14. *Concil.* 1. Notitia SS. Trin. vt ab homine, eſt naturalis; vt à Deo reuelata, eſt ſupernaturalis. 2. Fidei acquiſitæ cum infuſa, non poteſt ſubeſſe falſum; quia hæc illi præualet. 3. Vt 6. *q.* 11. 4. Intellectio eſſentialis in Deo, eſt prior volitione eſſentiali; notionalis, notionali. 5. Deus præuidet futura in ſuo decreto: ſed quaſi decerneret ex futuritione conditionata, contra mentem *Scoti in* 4. *d.* 49. *q.* 6. 6. Poteſt quis ex naturalibus ſe diſponeret ad Fidē infuſam: ſed nonniſi remotè, per acquiſitam auxilio gratiæ. 7. Voluntas Dei eſt ratio cognoſcendi Eſſentiam, à poſteriori. 8. Eſſentia Dei eſt primum eius obiectum, perfectione, & virtute. 9. Ens finitum eſt primum obiectum noſtrum proportionatum. 10. Ratio cognoſcendi diſtinctè, continet rem ipſam. 11. Non poſſumus pro hoc ſtatu naturaliter noſſe Deum, diſtinctè. 12. Notitia lapidis ab eo impreſſa, eſt eius verbum: ſed non à ſolo Deo cauſata. 13. Eſſentia Dei non eſt motiua noſtri intellectus; niſi vt volens.

In Quodl. 15. *Concil.* 1. Corpus non agit in ſpiritum: ſed realiter, & vt cauſa totalis. 2. & 3. Pater & Mater ſunt concauſæ ſubordinatæ: ſiue eiuſdem, ſiue diſtinctæ ſpeciei in cauſando. 4. Spiritus cauſat ſui ſpeciem: ſed abſtrahit ſpecies ſenſibilium. 5. Potentiæ diſtinguuntur per actus, & hi per obiecta: non in eſſendo, ſed in cognoſcēdo, à priori vel poſteriori; nec ſolùm, nec ſemper. 6. Deus nouit omnia, in ſeipſo motiuè: ſed ſingula in ſeipſis terminatiuè. 7. Eſt dubius an beatus eodem vel alio actu videat Deū & alia in Deo. 8. Item an eodem vel pluribus actibus poſſit ſimul ſcire infinita: ſed non vt Deus ex ſe & in ſe. 9. *vt* 2. 3.

In Quodl. 16. *Concil.* 1. Eſt perfectius operari neceſſariò: ſed in neceſſarijs. 2. Diſtinguens duo, nouit vtrumque, ſaltem confusè. 3. Qui dat formam, dat conſequentia: ſed neceſſaria, & mediatè. 4. Prius poteſt eſſe ſine poſteriori: ſed inter abſoluta, nec eſſentialiter ab inuicem dependentia; nec incluſa. 5. Eſt dubius an voluntas poſſit ſuſpendere omnem volitionem. 6. Eſt dubius an Deus neceſſariò amet creaturas in eſſe poſſibili. 7. Hîc *Art.* 1. *ad* 1. & *in* 4. *d.* 49. *q.* 10. *d.* 50. *q.* 2. tandem reſoluit, nec malum vt ſic eſſe volibile, nec bonum nolibile. 8. De libertate eſſentiali, & contingentiæ: deque oppoſita illi coactione, non quauis neceſſitate.

In Quodl. 17. Non eſt meritum niſi liberum: ſed ſaltem virtualiter, vt in tormentis Martyrum. 2. Eſt dubius, an meritum ſit in, vel ex charitate: ſed nullum eſt niſi ex aliqua gratia actuali. 3. Ens rationis eſt etiam à voluntate: ſed moralem non ab vllo ſenſu. 4. Charitas eſt forma virtutum: ſed nonniſi ad merendum. 5. Vt 2. *Quodl.* 14. 6. Non ſupponit; ſed ſolùm exemplificat Fidem & ſcientiam ſimul de eodem. 7. Amor naturalis, & charitatis, ſunt eiuſdem ſpeciei: ſed completæ, in eodem actu, minus ſupernaturali, quàm ſit ipſa charitas infuſa. Sic nos in 3. à *col.* 306.

In Quodl. 18. *Concil.* 1. Actus mali non ſunt niſi in, vel ex voluntate. 2. Veritas conſequens, eſt alia formaliter; ſed ex priori. 3. *Art.* 3. *n.* 16. Bonitas eſt reſpectus extrinſecus .i. ipſius actus ad rectam rationem; ſed intrinſecus, ad eſſentialia actus. 4. Triſtitia non eſt volūtaria .i. immediatè. 5. Culpa non eſt priuatio ipſius gratiæ .i. ex natura rei; ſed ex demerito. 6. Bonitas ex obiecto eſt prima; ſed ſub conditione libertatis. 7. Non reſoluit an idem actus poſſit manere, & fieri ex bono malus, vel è contra. 8. Malitia eſt formaliter priuatio: ſed eſt contraria, ex malo obiecto vel circunſtātia. 9. Actus bonus, non eſt neceſſariò ex tali habitu. 10. Veritas & falſitas ſiſtit in intellectu: ſed bonitas & malitia, tendit ad rem ipſam.

In Quodl. 19. *Concil.* 1. Vnio denominat vtrumq; extre-

Digitized by Google

extremum, eodem nomine: non eſt tamen relatio æquiparantiæ; quæ non denominat eodem modo. 2. In indiuiduis non eſt ordo prioris vel poſterioris eſſentialiter: ſed bene indiuidualiter, vel accidentaliter. 3. Non poteſt abſtrahi à conſtitutiuis Perſonarum Diuinarum conceptus vniuocus poſitiuus, ſed quaſi negatiuus: ens tamen eſt illis vniuocum prædicatum, nominatiuè, vel identicè; vt ſuis paſſionibus & vltimis differentijs. 4. Eſt *Scoto* probabile perſonam creatam, non autem diuinam conſtitui ſola negatione. 5. Filius Dei non eſt quid poſſibile, vt terminus potentiæ ad extra, oppoſitus neceſſariò: ſed poteſt dici quid poſſibile, vt terminus potentiæ productiuæ. 6. *Scotus* non negat omnem aptitudinem, ſeu inclinationem naturalem ad formas ſupernaturales: ſed ſolam inclinationem, vt ad perfectiones naturæ debitas. 7. Natura aſſumptâ habet inclinationem naturalem ad proprium ſuppoſitum: ſed minùs propriè, ad ſuppoſitum diuinum. 8. Perſonalitas Verbi eſt independens: nec tamen formaliter perfecta, ſed identicè, & negatiuè. 9. Requirit ſimul negationem actualis & aptitudinalis dependentiæ, ad completam rationem perſonæ. 10. Non quæuis negatio, ſed repugnantiæ, eſt ex aliquo poſitiuo.

In Quodl. 20. *Concil.* 1. Opera peccatoris, per aliquam gratiam actualem diſponunt ad ſalutem: ſed non ſunt meritoria ſine gratia gratū faciente. 2. Non vult propriè recipi pretium laboris ſpiritualis, vel intrinſeci; ſed ſolam ſuſtentationem ad hoc neceſſariam. 3. Cenſet quædam eſſe de iure naturæ, vt illi conſona: quæ non ſunt euidentia, neceſſaria, vel indiſpenſabilia. 4. Conſulit applicationem ſacrificij pro aliquo conditionatè, ſi Deo placet: non autem votum niſi abſolutè, vt Deo placens. 5. Sacerdos poteſt applicare Miſſam ſimul pro pluribus: non tamen quando ad illam obligatur vni ſoli.

In Quodl. 21. *Concil.* 1. *Bona fortuna eſt ſine ratione naturæ*, ex *Ariſt.* i. ex quodam impetu naturæ. 2. *Ariſt.* nunc tribuit fortunam effectui voluntatis, nunc intellectus, præter intentionem: ſed intelligit idem agens à propoſito, vt opponitur naturali. 3. Non ſic dicitur quis bene fortunatus ab vno aliquo fœlici euentu, vt bene meritus vno magnò merito. 4. Negat immortalitatē animæ demonſtrari poſſe: ſed non negat ratione attingi poſſe. 5. Nunc ait, ex *Platone*, nihil oriri ſine cauſa: nunc peccatum non habere cauſam efficientem; Sed hoc quoad formale, illud quoad materiale. 6. Vt *quodl.* 15. *Concil.* 6. 7. *Ariſt.* non ſibi ſatis conſtat de bona fortuna à Deo, mediatè, vel immediatè. 8. Ex *Ariſtotele* videtur impetus fortunæ eſſe immediatè à Deo in anima vel corpore, ſecundùm aliquam eius diſpoſitionē,

---

INDEX NOSTRARVM CONCILIATIONVM INTER ALENSEM, S. BON. ET SCOTVM, *cum* S. AVGVSTINO, *Sacris Conc. Decretis, & Cenſuris Eccleſiæ,*

1. COl. 206. 207. 208. De obiecto Theologiæ, totali vel partiali, proximo vel remoto, ex quo vt motiuo, de quo vt terminatiuo, per quod vt medium ſciendi Theologicè & Chriſtianè. Vnde Doctores noſtri facilè conciliantur: de Deo, & Chriſto, vt obiecto noſtræ Theologiæ.

2. *Ibidem.* De Theologia, non vt ſpeculatiua ad ſolam cognitionem: ſed vt tota practica, immediatè nonniſi ad aliquem affectum, ſed conſequenter ad effectum; non à fine vt poſteriore in executione, ſed vt priore in intentione; ſicque ab obiecto, non vt terminatiuo, ſed vt motiuo ad aliquam praxim circa ſe. Vnde ijdem facilè conciliantur, de Theologia, vt Sapientia, Affectiua, Practica, à fine, vel obiecto.

3. *Col.* 221. 222. 223. *in* 1. & *col.* 217. 218. *in* 2. De vniuocatione, æquiuocatione, vel Analogia inter Deum & creaturas: facilis conciliatio, per Vniuocationem logicam *Scoti*, eandem cum Analogia *Alenſis*.

4. *Col.* 221. 222. 223. De notitia naturali Dei, aut non, per ſe aut non, in actu 1. aut 2. certo vel non, neceſſario vel facili, ex natura integra aut vitiata: An, quid, qualis, vel quantus ſit, &c. Per quæ noſtri facilè conciliantur.

5. *Col.* 235. 236. 237. De diſtinctione perfectionum Diuinarum inter ſe, & ab ipſis Perſonis: non ſola *notione, intelligentia, connotatione, ratione* noſtra formali, ſed ſua propria obiectiua; ſicque *à parte rei*, ſeu *ex natura rei*, obiectiuè. In quo & ex quo noſtri facilè conciliantur.

6. *Col.* 227. 231. 237. 238. 239. *in* 1. & *à col.* 267. *ad* 277. *in* 3. De perfectione Dei, abſoluta & formali, non relatiua & perſonali: niſi fundamentaliter, & moraliter; vt *Alenſis* & *S. Bon.* ſæpè, de dignitate perſonali.

7. *Col.* 240. 241. 242. & 373 De intellectualitate eſſentiali Dei: ſed intellectu attributali, potiùs quàm modali.

8. *A col.* 248. *ad* 254. De ſimplicitate Dei: contra errorem *Gilberti Porretani*; nullatenus autem contra diſtinctiones formales *Scoti*, quæ ſunt etiam expreſsè ipſius *S. Baſilij*, *col.* 597. Quibus & fauet *Conc. Later.* contra calumniatores *Scoti*, vt tunc contra Abbatem *Ioachim*, pro *Petro Lombardo*.

9. *Col.* 266. *Diſſ.* 3. & *col.* 267. 268. *ad* 3. De æternitate Dei: non vt ſolùm negatiua; ſed poſitiua & abſoluta. Nec *Alenſis* & *S. Bon.* cenſent

 eſſe

Digitized by Google

eſſe intrinſecè menſuram formalem, ſed cauſalem æui & temporis ; & modum infinitum ſolius durationis diuinæ. Nec *Scotus* negat eſſe poſitiuam & abſolutam : nec tribuit eam ſoli exiſtentiæ; ſed vitæ diuinæ, & cuiuis perfectioni vt vitali. *Col.* 267. 268.

10. *Col.* 275. *diſſ.* 3. & *col.* 276. 277. *ad* 3. De immenſitate & vbiquitate Dei : non extenſiuè extra Deum, ſed intenſiuè intra ſeipſum, & terminatiuè ad omnia. Quo ſenſu facilè poteſt conciliari *Scotus* cum *Alenſi* & *S. Bon.* de Immenſitate & Vbiquitate Dei : non tamen per ſpatia imaginaria; nec ad Omnipotentiam, nec ex Omnipotentia. A *col.* 275. ad 278.

11. *A col.* 284. *ad* 298. De inuiſibilitate naturali Dei extra ſeipſum : viſibilitate autem per ſolam eius liberam voluntatem, ſine neceſſitate vllius medij. Nullatenus contra *Conc. Vien. Flor.* aut *Trid.* de viſione Dei immediatè, & lumine gloriæ. Deque viſibilitate, & fruibilitate Eſſentiæ Diuinæ ſine Perſonis, & vnius perſonæ ſine alia ſaltem non correlatiua. Ex diſtinctione obiectiua, ſaltem terminatiua, & motione libera Voluntatis Diuinæ. In quibus facilè conciliatur *Scotus* cum *Alenſi*, *S. Bon.* & ſecum ipſo. *col.* 296. 297.

12. *Col.* 313. 314. 315. 316. De propria vnitate Dei : non vt relatiua, aut negatiua ; ſed vt poſitiua, & abſoluta ſingularitate, ſimplicitate, vel integritate Dei in ſeipſo. Quo etiam ſenſu noſtri Doctores inter ſe conciliantur, & nos cum illis. *Col.* 313. 314. 315.

13. *Col.* 324. 325. 326. De veritate Dei obiectiua : non vt negatiua, aut relatiua ; ſed vt poſitiua & abſoluta, motiua vel terminatiua ſuæ cognitionis. In quem etiam ſenſum conciliantur. *Col.* 324. 325.

14. *Col.* 339. 340. 341. 342. 347. 348. 349. De bonitate Dei obiectiua : vt poſitiua & abſoluta, motiua, & irreferibiliter terminatiua omnis affectus ordinati. In quem conſenſum interpretamur noſtros Authores. *Col.* 339. 340. 341. 342.

15. A *Col.* 352. ad 376. De perfectione intellectuali, eſſentiali & attributali, potentiali habituali & actuali, formali & actiua, intellectus diuini. Deque eius Ideis, vel idæa diuina : remotè quidem pro ipſa eſſentia Dei, propinquè pro ipſo actu intelligendi, proximè pro primo eſſe cognito omnium poſſibilium, vel etiam volito futurorum ; non cum *VVicleffo*, ſed contra, vt & in 2. *col.* 205. Qua diſtinctione noſtri Doctores inter ſe conciliantur, *col.* 362. 363. 365. 366. 369. 370. 371.

16. A *col.* 376. ad 422. De perfectione etiam eſſentiali & attributali, potentiali habituali & actuali, formali & actiua, voluntatis Dei. Deque eius libertate eſſentiali ad omnem ſuam actionem, actum, & obiecta : ſed neceſſariò ad neceſſaria, contingenter ad contingentia. Sine periculo Cenſurarum *Pij V.* & *Gregorij XIII.* *col.* 413. 416. 417. Denique de nulla voluntate Dei affectiua ad vllam creaturam actualem vel poſſibilem: nec prorſus inefficaci aut ſolùm cōditionali; ſed mediatè vel immediatè efficaci. In quem ſenſum & conſenſum, *Alenſis*, *S. Bon.* & *Scotus*, à *col.* 395. ad 410. & à 412. ad 418.

17. A *col.* 422. ad 456. De Sanctitate ſeu Innocentia Dei ab omni poſſibili defectu morali, non ſolum proprio, ſed & alieno : deque omni perfectione obiectiua & formali virtutum moralium & Theologicarum, præcipuè charitatis. Denique de infinita eius beatitudine formaliore fruitionis actualis ſui-ipſius, quam viſionis, cum infinito fructu delectationis. Ex conſenſu noſtrorum Authorum inter ſe, & cum SS. PP. *col.* 421. 422. 435. 436.

18. A *col.* 514. ad 515. De Prædeſtinatione, ex ſolo proprio motu ac motiuo voluntatis Dei : ſed nulla reprobatione negatiua omnis gratiæ, niſi ex aliquo demerito proprio vel originali. In quo noſtri conciliantur. *col.* à 514. ad 522.

19. *Col.* 532. 533. 534. à 539. ad 542. De Omnipotentia Dei : vt perfectione poſitiua, abſoluta, infinita intenſiuè & extenſiuè; ſed non diſtincta formaliter à voluntate. Ex noſtris Authoribus inter ſe conciliatis. A *col.* 532. ad 535. & à 538. ad 544.

20. *Col.* 553. 554. De dominio Dei, etiam ab æterno.

21. A *col.* 663. ad 669. De dictione, & ſpiratione, vt actione non actu.

22. *Col.* 672. 674. 676. De conſonantia, aut coïntelligentia dictionum. *Non tres infiniti, æterni*, abſolutè : ſed relatiuè, coinfiniti, coæterni. Sic & duo coauthores ex *S. Hil.* conſpiratores ex *Al.*

In librum ſeu Partem 2.

1. *Conc.* De quodā eſſe obiectiuo ab æterno : non contra creationem ex nihilo ; nec pro errore *VVicleffi*, ſed contra. *Col.* 205. 210. 211.

2. De creatione actiua, interna & æterna Dei, vel externa & temporali. *Col.* 212. 213.

3. De Conſeruatione. *Col.* 203. 204.

4. De neceſſario primo motu, & concurſu cauſæ primæ, ad omnem actionem cauſæ ſecundæ. *Col.* 214. 215. 216.

5. De aliqua vniuocatione inter Deum & creaturas. *Col.* 217. 218.

6. De poſſibili vel impoſſibili creatione ab æterno. *Col.* 218. 219.

7. De poſſibili, vel non, creatione inſtrumentali. *Col.* 219. 220.

8. De natura Angelica purè ſpirituali & ſimplici, vel materiali, & cōpoſita, eiuſque diſtinctione ſpecifica vel numerali. A *col.* 235 ad 238.

9. De duratione & vita Angelica: an ſit mutabilis, diuiſibilis, menſurabilis, &c. A *col.* 238. ad 241.

10. De Intelligentia Angelorum. An ſit ſemper omnium vel aliquorum actualis, coæua, concreata, vel non. A *col.* 241. ad 245.

11. De voluntate, & libertate Angelorum. An ſit vel fuerit aliquorum impeccabilis, incōuertibilis, potuerit velle aut non primo inſtanti, ſit libera ad omnes actus, vel non. A *col.* 245. ad 251.

12. De alijs viribus & actionibus Angelorum : vt de locutione, motu per locum, aut non; deque cuſtodia puerorum in vtero, quaſi ad aliquem in eis actum rationalem. A *col.* 251. ad 256.

13. De bonis gratuitis, & malis oppoſitis Angelorum. A *col.* 256. ad 269. Sed ſpecialiter, an

fuerint

Digitized by Google

fuerint adiuti æquali, vel inæquali gratia. *Col* 260. An fuerint creati in gratia habituali, vel cum actuali, æquali, vel inæquali. An potuerint mereri & peccare primo inſtanti, vel non. *Col.* 267. 268.
14. De natura, & naturalibus, eorumque diſtinctione à gratia & gratuitis. Ex *B. Aug.* Cenſuris *Pij V. Al. S. Bon. & Scoto.* A *col.* 389. ad 393.
15. De anima humana, vt ſpirituali, eiuſque origine, ex traduce vel non, in corpore vel non. A *col.* 394. ad 399.
16. De veſtigijs & Imagine Dei. Quid ſint, & quomodo differant. Ex *B. Aug. Al. S. Bon. Scoto. Col.* 400. Conciliantur *Col.* 402. 403.
17. De immortalitate animæ humanæ: an & quoquomodo ſit demonſtrabilis, nec ne. A *col.* 403. ad 413.
18. De cognitione naturali animæ humanæ. Ex *S. Aug. Al. S. Bon. Scoto.* A *col.* 413. ad 421. Sine periculo cenſurarum in *Prop. Bayanas, col.* 421. 422. 423.
19. De voluntate & libertate aliqua eſſentiali, & flexibili, Viatorum, Beatorum, & Damnatorum. Ex Sacra Script. Sacris Conc. Cenſuris Eccleſiæ. *Col.* 425. 426. Ex *Aug.* à 426. ad 439. Ex noſtris Doct. à *col.* 437. ad 441. contra *Diff.* à *col.* 441. ad 451. Et ex *S. Bon.* à 436. ad 464.
20. A *col.* 464. ad 472. De gratia & gratuitis hominum: an, quid, quotuplex. Ex ſacra Sript. *Conc. Al. S. Bon. & Scoto*, conciliatis.
21. *Col.* 473. 474. De gratia, vt ſupernaturali, entitatiuè, vel non. Ex *B. Aug. Scoto*, conciliatis.
22. *Col.* 474. 475. De gratia habituali & actuali, gratificante & gratis data. Ex *Aug. Al. S. Bon. Scoto* conciliatis.
23. *Col.* 475. 476. De gratia originali. Ex *S. Aug. Trid.* Cenſuris *Pij V.* noſtriſq; Doct. conciliatis.
24. *Col.* 477. 478. De gratia operante & cooperante. Ex iiſdem conciliatis.
25. A *col.* 478. ad 490. De neceſſitate gratiæ. Ex ſacra Script. Trid. Cenſuris *Pij V. S. Aug.* noſtriſque Doct. conciliatis.
26. A *col.* 490. ad 500. De aliqua ſufficientia gratiæ: ex ſacra Script. SS. *Conc.* Cenſuris Eccleſiæ, *S. Aug.* noſtriſque Doct. conciliatis.
27. A *col.* 502. ad 513. De efficacia gratiæ. Ex ſacra Script. SS. *Conc.* Cenſuris Eccleſiæ, *B. Aug.* noſtriſque Doct. imò & omnibus Theologis Catholicis inter ſe ſuo modo *col.* 507. cōciliatis.
28. A *col.* 513. ad 524. De peccato, quid & quotuplex. Ex Sacra Script. SS. Conc. Cenſuris *Pij V. S. Aug.* noſtriſque Doct. inter ſe collatis.
29. *Col.* 524. 525. 526. De peccato originali: ex ijdem inter ſe conciliatis.
30. A *col.* 526. *ad* 529. De peccato actuali: ex iiſdem conciliatis.
31. *Col.* 529. 530. 531. De peccato mortali, & veniali: ex iiſdem conciliatis.
32. *Col.* 531. 532. De peccato habituali: ex ijdem conciliatis.

In librum, ſeu Partem 3.

Conciliatio omnium Theologorum ſimul, col. 255.
1. Specialis. *Col.* 261. 266. De cauſa finali, ſine qua non fuiſſet incarnatio.
2. *A col.* 267. *ad* 277. De Subſiſtentia & perſonalitate creata.
3. *A col.* 177. *ad* 285. De vnione poſſibili aut non, vnius vel plurium naturarum, eidem vel pluribus ſimul perſonis.
4. *A col.* 285. *ad* 293. De vnione hypoſtatica naturæ humanæ, ad Perſonam Diuinam.
5. *A col.* 293. *ad* 299. De cauſa, vel diſpoſitione huius vnionis.
6. *A col.* 299. *ad* 307. De communicatione idiomatum, ex hac vnione.
7. *A col.* 311. *ad* 329. De Maternitate B. V. Mariæ, Filiatione Chriſti, Coniugio & Paternitate *S. Ioſeph.*
8. *A col.* 329. *ad* 332. 336. 340. De ſumma perfectione ſingulari & naturali Chriſti, vt hominis.
9. *A col.* 340. *ad* 359. De eius perfectione ſupernaturali, & impeccabilitate: ex *Spiritu*, non *litera, Scoti.*
10. *A col.* 359. *ad* 402. De meritis infinitis Chriſti, pro nobis omnibus & ſingulis: noſtris etiam veris, ſed nonniſi ex meritis Chriſti, & promiſſione ſeu acceptatione Dei. De merito autem Chriſti per omnes eius actus, & ab ipſo primo inſtanti incluſiuè, conciliatur *Scotus* cum *Alenſi, col.* 376. 381. 382.
11. *A col.* 402. *ad* 411. De omni gratia Dei, per vel propter Chriſtum, ante & poſt lapſum.
12. *A col.* 411. *ad* 427. De adoratione Chriſti, & coadoratione omnium in eo contentorum, aut eum continentum, & repræſentantium.
13. *A col.* 427. *ad* 464. De Conceptione immaculata B. Mariæ V. ex ipſo *B. Aug. Bern. Alenſi, & S. Bon. col.* 443. 444.
14. *A col.* 464. ad 488. De Iuſtificatione per gratiā & charitatē, vt realiter eandem, *col.* 477. 482. 483.
15. *A col.* 488. *ad* 560. De vera fide, eiuſque vnitate, motiuis, ſignis, actibus, effectibus, neceſſitate, non ſufficientia ad ſalutem, nec ad quoduis opus bonum.
16. *A col.* 560. *ad* 567. De virtute ſpei, eiuſque obiecto, ſubiecto, actibus proprijs, & oppoſitis.
17. *A col.* 567. *ad* 606. De virtute charitatis, & quadam etiam dilectione Dei naturali: ex conſenſu noſtrorum Doctorum inter ſe, & cum *B. Aug.* ſacris Concilijs, & cenſuris Eccleſiæ, à *col.* 601. *ad* 606.
18. *A col.* 606. *ad* 618. De virtutibus moralibus, earumq; operibus etiam Philoſophorum infidelium: ex conſenſu noſtrorum Doctorū inter ſe, & cum *B. Aug.* ac cenſuris Eccleſiæ. *Col.* 614. 615.

In librum ſeu Partem 4.

1. *Conciliatio. A col.* 54. *ad* 60. De ſola cauſalitate morali Sacramentorum: ex conſenſu ipſius *Alenſi, col.* 58. 59. & *p.* 1. *col.* 78. *m.* 4.
2. *A col.* 60. *ad* 67. De nullo Sacramento in ſtatu Innocentiæ: nullo ex lege Moſaïca; ſed vno communi ſub lege naturæ, & altero proprio poſteris *Abrahæ*, vtroque collatiuo alicuius gratiæ. Ex conſenſu noſtrorum Authorum, & cum *B. Aug.* ſine vllo diſſenſu à *Conc. Flor.* Niſi quòd *S. Bon. d.* 1. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. videatur prius remedium legis naturæ tribuere ſoli fidei Parentum

INDEX,

ET CORRECTIO HVIVS OPERIS.

Per ſolos titulos *Alenſis*, *S. Bon. Scoti*, & Noſtros;
Ordine Doctrinæ, non Alphabetico; quia tanta copia & breuitas Doctrinæ vix patitur Indicem minutiorem.

Compendium primæ Partis Alenſis, *à Columna 1. ad 80. per ſolas Quæſtiones 74. ordinatiſſimè ſubdiuiſas in Membra, Articulos & Paragraphos, de pleriſq. ſcibilibus circa Titulum ſuæ Quæſtionis; ideoque vbi non exprimuntur, ſupponuntur.*

QVæſtio 1. per 4. Membra. *De Doctrina Theologica. Col.* 1.2.

Quæſt. 2. per tria m. *De cognoſcibilitate Dei, &c. col.* 2.3.4.

Quæſt. 3. per 3. m. *De Eſſentia Dei, &c. col.* 4. 5. Sed m.2. dele lineam 3. 4. ſicque corrige. *De naturali cognitione habituali Dei, & actuali à ratione ſuperiori: ſed errore & ignorantia ab inferiori.*

Quæſt. 4. per 3. m. *De incommutabilitate ſolius Dei, &c. col.* 5.

Quæſt. 5. per 3. m. *De ſimplicitate ſolius Dei. &c. col.* 5. 6.

Quæſt. 6. per 2. m. *De immenſitate ſeu infinitate ſolius Dei. col.* 6.

Quæſt. 7. per 2. m. *De immenſitate ſeu incomprehenſibilitate ſolius Dei. col.* 6.7.

Quæſt. 8. per 2. m. *De immenſitate, ſeu incircumſcriptibilitate ſolius Dei. col.* 7.

Quæſt. 9. per 5. m. *De localitate, ſeu vbiquitate Dei. col.* 7.8. M. 3. Ex textu integro, *Præſentialiter* .i. cognoſcibiliter, quaſi *Præ ſenſu.* M. 5. *Sacra humanitas ex vi vnionis poteſt eſſe ſub pluribus ſpeciebus conſecratis, &c.* Sed conciliatur in 4. *col.* 461.

Quæſt. 10. per 5. m. *De exiſtentia Dei in rebus omnibus, tribus modis, &c. col.* 8.

Quæſt. 11. per 6. m. *De inexiſtentia Dei per gratiam*: quomodo, quibus, per quam. *col.* 8. 9.

Quæſt. 12. per 10. m. *De æternitate ſolius Dei.* Quid ſit re, nomine, definitione, comparatione ad æuum, & tempus, &c. *col.* 9. 10. 11. M. 8. Ad 5. *Poſſibilia non potuerunt fieri ab æterno.* Ad 6. 8. *Actio creandi eſt ab æterno: ſed terminus eius habet initium.* Conciliatur in 2. *col.* 212. 218. 219.

Quæſt. 13. per 5. m. *De vnitate Entis, &c. col.* 11. 12. M. 3. differtur in p. 3. q. 11. M. 4. dele, *nunc autem.*

Quæſt. 14. per 6. m. *De vnitate Dei,* vt ſingulariſſima. *col.* 12.

Quæſt. 15. per 9. 2. *De veritate Dei*, & quacunque. *col.* 13.

Quæſt. 16. per 5. m. *De falſitate*, vt oppoſita, &c. *col.* 14.

Quæſt. 17. per 9. m. *De Bonitate Dei*: ſed & communi. *col.* 14. 15. M. 7. *De quadam notione naturali, & amore ſummi Boni.*

Quæſt. 18. per 19. m. *De bonitate creata*: ſingulorum & totius vniuerſi, in modo, ſpecie, & ordine naturali & morali. Deque bonitate per eſſentiam, & participationem

Quæſt. 19. per 8. m. *De malo oppoſito*: culpæ mortalis, & venialis, ac pœnæ. *col.* 18.

Quæſt. 20. per 5. m. *De potentia Dei*: vt communi ad intra, & extra. *col.* 19.

Quæſt. 21. per 4. m. ſed plurimos Art. & §. *De conditionibus potentiæ Dei* .i. ad extra: Vt, de Vniuerſitate, ſeu Omnipotentia, Infinitate, deque omni poſſibili, & impoſſibili. *col.* 20. 21. 22. 23. M. 3. Art. 6. *B. Virgo non potuit fieri melior quoad gratiam in ordine ad Conceptionem & Maternitatem Chriſti.* M. 5. Art. 4. Tribuit pietati opinionem *Gilberti*, quòd Deus abſolutè poſſet facere de corrupta incorruptam, de præterito non præteritum. Sed conciliatur in 1. *col.* 539. 540.

Quæſt. 22. per 6. M. *De fluxu ſeu participatione omnis potentiæ creatæ, à Diuina. col.* 23. 24.

Quæſt. 23. per 4. M. ſed plures Art. & § *De ſcientia Dei.* Quid ſit, quotuplex, quanta, per quid ſciat, quæ, an infinita, quo modo, deque eius Idæis, &c. *col.* 24. 25. 26.

Quæſt. 24. per 5. M. *De præſcientia Dei*: vt æterna, infallibili, immutabili, ſed nihil nocente libertati, & contingentiæ. *col.* 27. 28.

Quæſt. 25. per 5. M. *De diſpoſitione diuina* omnium futurorum ab æterno, in menſura, numero & pondere. *col.* 28. 29.

Quæſt. 26. per 8. M. *De prouidentia Dei.* An, quid, quomodo, quorum, per quid ſit: Deque varijs eius modis, effectibus, fide, & errore oppoſito. *col.* 29. 30.

Quæſt. 27. per 5. M. *De fato.* An, quid, quorum, per quas cauſas ſit, ſalua libertate. *col.* 30. 31.

Quæſt. 28. per 4. M. *De Prædeſtinatione.* Quid ſit nomine, ratione, re. Quorum ſit. An, ex qua cauſa. Quam efficax. *col.* 31. 32. 33.

Quæſt. 29. per 5. M. *De Reprobatione.* Cur vocetur præſcientia: quid ſit, qui eius effectus. *col.* 33. 34.

Quæſt. 30. per 6. M. *De electione Diuina.* An, vnde, ad quid, ſecundùm quid, tam ex parte

Dei, quàm noſtra, &c. *col.* 34. 35.

31. *De dilectione Dei ad creaturas in genere*, per 5. M. 1. An ſit eadem quæ inter Perſonas Diuinas. 2. An ſit ſumma. 3. An æqualis ad omnes. 4. Quid ſit. *col.* 35.

32. *De dilectione Dei ſpeciali ad creaturas rationales.* An ſit æqualis, vel inæqualis, &c. Per 4. m. *col.* 35.

33. *De libro vitæ.* per 4. m. 1. Quid ſit. 2. Cur ſic dicatur. 3. Quorum ſit. 4. Quomodo ſcribatur, deleatur, legatur. *col.* 36.

34. *De Voluntate Dei*, per 3. M. 1. An, & quæ ſit. 2. Quid. 3 Quorum. Corrige. *Non eſt omnium quorum eſt ſcientia & potentia. Col.* 36. 37.

35. *De cauſalitate voluntatis Dei.* M. 1. An ſit cauſa prima. 2. An omnium. 3. An ſit aliqua eius cauſa vel ratio. *col.* 37.

36. *De differentijs voluntatis Dei.* M. 1. De voluntate *Beneplaciti*, & quintuplicis *Signi.* M. 2. De efficacia *Beneplaciti*: deque voluntate *Antecedente*, & *Conſequente. col.* 37.

37. *De præcepto & prohibitione.* M. 1. An poſſit præcipere quæ non vult, & prohibere quæ vult. 2. An contra legem naturæ. 3. An contra ius morale decalogi. *col.* 38. 39.

38. *De permiſſione mali*, iuſtè, & cur. Per 3. M. *col.* 39.

39. *De impletione voluntatis Dei per opera Miſericordiæ, & Iuſtitiæ. M.* 1. An hæ ſint in Deo. 2. Vtra prior. 3. An vtraque ſit in omnibus operibus Dei, etiam in pœna æterna puerorũ. *col.* 40. 41.

40. *De conformatione voluntatis noſtræ cum Diuina*, & quomodo, &c. per 6. M. *col.* 42.

41. *De generatione Diuina.* M. 1. An ſit. 2. Quid. 3. Cuius ſit generare & generari. 4. De quo. 5. Quomodo. *col.* 43. 44. 45.

43. *De proceſſione Spiritusſancti.* M. 1. An ſit, 2. Cuius ſit. 3. Quomodo. 4. A quo. 5. Secundùm quid. *col.* 46. 47. 48.

44. *De veritate Perſonarum Diuinarum.* Quid ſint. 48.

45 *De earum numero*, per 7. M. *col.* 48. 49.

46. *De earum ordine*, naturæ vel originis, &c. per 8. M. *col.* 50.

47. *De earum æqualitate*, per 5. M. *col.* 51.

48. *De Nominibus Diuinis*: An & quomodo Deus nominabilis ſit, &c. 4. M. *col.* 51. 52. 53.

49. *De Nominibus eſſentialibus*, & pronominibus Dei. 5. m. *col.* 53 54.

50. *De Nomine Dei*, eiuſque ſingularitate & ſuppoſitione. 3. m. *col* 55. 56.

51. *De Affirmatiuis, & Negatiuis.* 2. M. *col.* 57.

52. *De conſequentibus naturam.* i. Attributis, Concretis & Abſtractis, per 4 m. *col.* 58.

53. *De reſpectiuis, Domini, Creatoris.* 4. m. *col.* 58. 59.

54. *De reſpectiuis, logicè & grammaticè, inter Perſonas.* 2. m. *col.* 60.

55. *De ſymbolicis, ſeu metaphoricis. col.* 60.

56. *De nomine Perſonæ:* eiuſque ſignificatione, definitione, communitate, ſuppoſitione, identitate, & conſtructione cum eſſentia. 7. m. *col.* 60. 61. 62. 63.

57. *De nomine ſubſiſtentiæ.* 3. m. *col.* 63. 64.

58. *De nomine Hypoſtaſis.* 7. m. *col.* 64.

59. *De nomine Patris*: perſonaliter & communiter. M. 3. *An Pater generet vt Pater, vt Deus, vel vt Deus Pater. col.* 65.

60. *De nomine Filij Dei*, vt perſonali, & ſi quibus communi, per 5. M. *col.* 65.

61. *De nomine Imaginis*: vt proprio vel communi, per m. 3. *col.* 66.

62. *De nomine Verbi*: eiuſque ſignificatione, proprietate, &c. per 3. m. *col.* 66.

63. *De nomine Spiritusſ.* An proprio, communi, & noſtro, per m. 3. *col.* 67.

64. *De nomine Doni*: an proprio, communi, ab æterno. 3. m. *col.* 67.

65. *De nominibus diſiunctiuis, partitiuis, & excluſiuis. Col.* 67. 68.

66. *De nominibus collectiuis, vt Trinitatis, Trini.* 2. m. *col.* 68. 69.

67. *De varijs nominibus appropriatis*: vt Potentiâ Patri, Sapientiâ Filio, Bonitate Spiritui S. 4. m. *col.* 69. 70. 71.

68. *De nominibus notionalibus.* 3. m. *col.* 72. 73. 74.

69. *De Innaſcibilitate Patris.* 5. m. *col.* 75.

70. *De notione principij*: communiter, eſſentialiter, & notionaliter. *Col.* 76. 67.

71. *De Miſſione communi inter Perſonas Diuinas* 4. m. *col.* 76. 77.

72. *De Miſſione actiua.* 4. m. *col.* 77. 78.

73. *De Miſſione inuiſibili paſſiua.* 5. m. *col.* 80.

74. *De Miſſione viſibili paſſiua.* 5. m. *col* 80.

Index Quæſtionum Alenſis P. 2.

1. *De cauſa prima in ſe*, eiuſque vnitate, &c. 2. m. *col.* 1. vt p. 1. q. 2. 3. 14.

2. *De prima eius cauſalitate*, triplici. 3. m. *ibidem.*

3. *De cauſa exemplari omnium.* 2. m. *Ibid.* vt p. 1. *q.* 22.

4. *De cauſa finali omnium.* 3. m. *Ibid.*

5. *De cauſa prima efficiente.* 3. m. *col.* 2.

6. *De cauſa prima in actu*, eiuſque actione creandi æterna, &c. 2. m. *Ibidem.*

7. *De tribus proprietatibus creaturarum*, menſurâ, numero, & pondere. 7. m. *col.* 2. 3.

8. *De Veſtigio Dei in creaturis.* 7. m. *col.* 3.

9. *De creatione paſſiua.* 10. m. *col.* 3.

10. *De creaturis in ſe.* 3. m. *col.* 4.

11. *De earum vnitate & multitudine.* 2. m. *col.* 4.

12. *De earum ſimplicitate & compoſitione.* 2. m. *col.* 4 vt p. 14.

13. *De earum mutabilitate.* 4. m. *col.* 4 5. M. 3. Non cenſet omnes animas eſſe propriè ſpirituales, quaſi non ex potentia materiæ, contra q. 60. m. 3. ſed non compoſitas, nec corruptibilis in partes. Vt *S. Aug. de Quantitate Animæ.* M. 4. An & quæ immutabilitas participabilis, ex natura & gratia ſimul.

14. *De duratione mundi*, 3. m. *col.* 5.

15. *De localitate creaturæ.* 3. m. *Ibid.*

16. *De pulchritudine Vniuerſi.* 6. m. *col.* 5. 6.

17. *De ordine Vniuerſi.* 5. m. *col.* 6.

18. *De perfectione Vniuerſi.* 6. m. *Ibid.*

19. *De Angelis in fieri.* 3. m. *col.* 7. M. 2. *Si Angelus fuiſſet creatus in gratia gratificante: per eam conuerſus ad Deum non fuiſſet auertibilis* .i. vix, &c.

20. *De ſubſtantia* .i. exiſtentia, eſſentia, perſonalitate; differentia Angelorum inter ſe, & ab anima. 6. m. *col.* 7. 8.

21. *De potentijs & actibus Angelorum.* 2. m. *col.* 8.

22. *De potentia eorum cognitiua.* 4. m. *col.* 8. 9. M. 2. *Patiuntur ab igne per eius ſpeciem intelligibilem.*

Digitized by Google

Intellectus Dæmonum dicitur phantaſticus: Non à phantaſia, ſed ab errore.
23. De cognitione matutina, & veſpertina. 6. m. col. 9.
24. De eorum obiectis, & medijs. 4. m. col. 9. 10.
25. De eorum prænidentia, aut non. 3. m. col. 10.
26. De eorum arcanis, & ſubtilitate naturali. 6. m. Ib.
27. De locutione Angelica. 7. m. col. 11.
28. De potentia motiua interiori .i. Synderesi & voluntate naturali. 2. m. col. 11. 12.
29. De eorum libero arbitrio, ratione, vi concupiſcibili, & iraſcibili. 3. m. col. 12.
30. De dilectione eorum naturali, Dei, ſui, noſtri. 2. m. Sed plures Art. & §. col. 12. 13. 14.
31. De eorundem dilectione electiua ſeu libera. 4. m. 16
32. De localitate Angeli, vel non. 3. m. col. 14. 15.
33. De motu Angeli, quomodo, &c. 3. m. col. 15.
34. De aſſumptione corporum. 7. m. col. 15.
35. Quid in eis poſſint. 4. m. col. 15.
36. De Miſſione Angelorum. 5. m. col. 16.
37. De eorum præſidentia inter ſe. 3. m. Ibid.
38. De reuelatione inter ſe. 3. m. Ibid.
39. De præſidentia & actione in ſenſus noſtros. 4. m. Ib.
40. In partem intellectualem animæ. 4. m. Ibid.
41. De cuſtodia Angelica. 6. m. col. 17. M. 4. Quaſi præſint paruulis in vtero, ad aliquem actum rationalem. De quo ibi.
42. De eorum miraculis, &c. 6. m. col. 17. 18.
43. De falſis miraculis, &c. 3. m. col. 18. 19.
44. De creatione corporalium. 4. m. col. 19.
45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. De creatione cæli & terræ, ac operibus ſingulorum. 6. Dierum, & Quiete, ſeptimæ. Col. 19. 20. 21. 22.
57. De multiplicatione. 58. De paradiſo. Col. 22.
59. De anima rationali: An, & quid ſit. 2. m. Ibid.
60. De cauſa materiali animæ, aut non. 3. m. col. 23.
61. De cauſis animæ rationalis: intrinſecis, & extrinſecis. 3. m. Ibid.
62. De ſimplicitate, perfectione, vnitate, creatione ſingularum animarum in ſuis corporibus: deq; earum æqualitate aut non, Imagine Dei, & ſubordinatione Vniuerſi. 5. m. col. 23. 24.
63. De vnione animæ ad corpus, immediatè, & qua diſpoſitione. 4. m. col. 24.
64. De vario modo eſſendi animæ, in toto corpore, in toto homine, & in partibus. col. 25.
65. De viribus animæ rationalis, earumque diſtinctione. 2. m. Ibid.
66. De vi animali 5. ſenſuum. 3. m. Ibid.
67. De ſenſibus internis. 4. m. Ibid.
68. De viribus motiuis: phantaſtica, concupiſcibili, & iraſcibili; deque ſenſualitate, vt eſt capax peccati venialis. 4. m. col. 26.
69. De parte rationali cognitiua: illiuſque varijs diuiſionibus. 9. m. Ibid.
70. De ſenſu animæ, & Angeli. 6. m. col. 27.
71. De triplici vi motiua rationali. 2. m. Ibid.
72. De libero arbitrio defectibili. Ibid.
73. Quid & quotuplex. 3. m. col. 27. 28.
74. In quibus ſit. 8. m. Ibid.
75. Ad quos actus, & circa quæ. 5. m. Ibid.
76. De Syndereſi. 4. m. Ibid.
77. De conſcientia. 5. m. col. 29.
78. De cauſa efficiente corporis Adam. 3. m. Ibid.
79. De eius cauſa formali, ſeu modo producẽdi. 3. m.
80. De eius cauſa materiali. 2. m. Ibid.
81. De eius cauſa finali. 3. m. col. 30.
82. De eius vnitate, & propagatione. 3. m. Ibid.
83. De eius veritate, & ſufficientia pro tota natura humana. 2. m. col. 30. 31.
84. De eius dignitate. 4. m. col. 31.
85. De eius animalitate, 2. m. Ibid.
86. De eius creatione. 2. m. col. 32.
87. De loco creationis, & tranſlationis in paradiſum. 2. m. Ibid.
88. De creatione corporis muliebris. 6. m. col. 32. 33.
89. De poſſibilitate naturæ humanæ. 5. m. col. 33. 34.
90. De vita, quid ſit, &c. 2. m. col. 34.
91. A quo ſit, &c. 2. m. col. 34. 35.
92. In quibus ſit. 7. m. col. 35. 36.
93. De mortalitate Adæ. 4. m. col. 36.
94. De modo tunc propagandi. 4. m. Ibid.
95. De prolibus tunc propagandis. 4. m. col. 37. M. 4. Puritas B. V. M. fuit qua maior nequit intelligi: ſed an nec fieri, non definio.
96. De 1. Adiutorio gratiæ in Adam. 3. m. col. 37. 38.
97. De gratia ſuperaddita, quali & quanta. 2. m. 39.
98. De perfectione cognitionis. 2. m. col. 39. 40.
99. De primo eius dominio. 3. m. col. 40. 41.
100. De malo. 9. m. col. 41. 42. Vt P. 1. q. 19.
101. De ſpoliatione gratuitorum. 2. m. col. 42.
102. De vulneratione naturalium. 3. m. Ibid.
103. De priuatione modi, ſpeciei, & ordinis. 3. m. col. 43. Vt p. 1. q. 19.
104. De malo culpæ, ex genere, ſeu obiecto. 4. m. Ibid.
105. Ex circunſtantijs. 4. m. col. 43. 44.
106. De intentione in genere. 3. m. col. 44.
107. De bona & mala. 3. m. Ibid.
108. De peccato. Quid ſit, &c. 2. m. col. 45.
109. De peccato Luciferi, &c. 11. m. col. 45. 46.
110. De peccato aliorum Angelorum. 8. m. col. 46. 47.
111. De ligatione Luciferi, quoad poteſtatem tentandi. 5. m. col. 47.
112. De ligatione eius quoad alia. 6. m. Ibid.
113. De obſcuratione cognitionis. 4. m. col. 48.
114. De pœna vermis, ſeu conſcientiæ. 4. m. Ibid.
115. De pœna voluntatis. 4. m. Ibid.
116. De pœna locali. 4. m. Ibid.
117. De tentatione Dæmonum: eiuſque varijs modis, remedijs, &c. 10. m. col. 48. 49. 50.
118. De eorum demerito præſenti. 3. m. col. 50.
119. De tentatione primorum Parentum. 9. m. col. 51.
120. De peccato primorum Parentum. 9. m. col. 51.
121. De morte, & alijs pœnis primi peccati. 10. m. 52.
122. De peccato originali. 10. m. per plures Art. & §. de eius pœnis præſentibus, & æternis. M. 6. Art. 7. §. 3. ad 1. Puritas B. V. M. fuit tanta, quanta decuit pro ſuo ſtatu. A col. 52. ad 56.
123. De peccato actuali. 2. m. 1. Quid ſit, per 8. §. 2. Quotuplex. col. 56. 57.
124. De peccato veniali. 10. m. per plures §. c. 57. 58.
125. De primis motibus. 11. m. 2. Omnis delectatio inordinata ex ſenſualitate, eſt motus primus & peccatum. Videtur contra cenſuram Pij V. in Prop. 72. col. 303. Sed Al. id cenſet de tali motu vt voluntario permiſſiuè: Nec contra cenſuram Pij V. ſed pro. Vt patet ex M. 6.
126. De otio, veniali, vel mortali, &c. 6. m. c. 59. 60.
127. De peccato mortali. Quid, quantæ malitiæ,

Digitized by Google

tiæ, &c. 7. m. col. 55. 56.
128. De delicto, in communi. 5. m. col. 60.
129. De delicto ex ignorantia: iuris vel facti, excuſante vel non, ſimplici, craſſa, affectata, vel inuincibili. M. 9. col. 60. 61. M. 8. §. 1. Puer captus à Saracenis, ſi fecerit quod in ſe eſt, illuminabitur à Deo, &c. Videtur tamen ex Aug. quod ſi non potuerit diſcere, non ignoret ſuo vitio, nec ſit condemnandus. Vt col. 413. 417. Concilia de puero baptizato faciente quod in ſe eſt ex gratia Sacramentali baptiſmi.
130. De omiſſione, veniali, mortali, &c. 10. m. c. 61.
131. De negligentia, veniali, & mortali. 9. m. col. 62.
132. De commiſſione: vt vna culpa, vel plures. 4. m. 62.
133. De peccato cogitationis. 5. m. col. 63.
134. De varia ſuſpicione. 8. m. Ibid.
135. De vario iudicio præſumptuoſo. 4. m. col. 63. 64.
136. De Acceptione perſonarum: Vt in beneficijs, electionibus, &c. 4. m. col. 64.
137. De peccato ex conſenſu, & conſcientia. 4. m. c. 64.
138. De peccato taciturnitatis. 3. m. col. 65.
139. De Mendacio. 8. m. col. 66.
140. De Contentione veniali, mortali, &c. 5. m. col. 66.
141. De ſcurrilitate, turpiloquio. 5. m. col. 67.
142. De multiloquio. 5. m. Ibidem.
143. De Iactantia: veniali, vel mortali. 4. m. Ibid.
144. De Adulatione: veniali, vel mortali. 6. m. c. 67. M. 6. Beneficium ſimoniacè impetratur adulatione.
145. De Contumelia, ſeu conuitio. 6. m. col. 68.
146. De detractione, mort. vel veniali, &c. 11. m. 68.
147. De maledictione. 8. m. col. 69.
148. De blaſphemia, tribus modis, &c. 7. m. Ibid.
149. De riſu, ludo, ioco: vt peccatis, vel non. 4. m. Ib.
150. De Irriſione: veniali, vel mort. 5. m. col. 70.
151. De ornatu veſtium, &c. 5. m. Ibid.
152. De 7. vitijs capitalibus. 3. m. Ibid.
153. De Superbia, eiuſque malitia. 13. m. Ibid.
154. De inani Gloria, eiuſque malitia. 11. m. col. 71.
155. De Inuidia, eiuſque malitia. 11. m. col. 72.
156. De Ira, eiuſque malitia. 12. m. col. 73.
157. De Acedia, eiuſque malitia. 11. m. Ibid.
158. De Auaritia, eiuſque malitia. 11. m. col. 74.
159. De Gula, eiuſque malitia. 11. m. col. 75.
160. De Ebrietate, eiuſque malitia. 10. m. Ibid.
161. De Luxuria, eiuſque malitia. 11. m. col. 76.
162. De filiabus vitiorum capitalium. 7. m. col. 77.
163. Diuiſio peccati, ex infirmitate, ignorantia, vel malitia. 3. m. col. 78.
164. De fornicatione ex infirmitate. 2. m. Ibid.
165. De adulterio ex infirmitate. 4. m. Ibid.
166. De peccatis inter coniuges. 4. m. Ibid.
167. De Stupro, eiuſque malitia. 4. m. col. 79.
168. De Raptu, eiuſque malitia. 4. m. Ibid.
169. De Inceſtu, & reſtrictione graduum. 4. m. c. 79.
170. De Sacrilegio Fornicario, votoque caſt. 3. m. 80.
171. De peccatis contra naturam. 3. m. col. 80.
172. De peccatis ex ignorantia. 6. m. col. 81. Vt q. 129. m. 3. Omnis actus malus ex ignorantia iuris naturalis, eſt peccatum in adultis.
173. De peccatis in Spiritum S. 6. m. col. 81. 82.
174. De deſperatione, eiuſque malitia. 8. m. col. 82.
175. De peccatis ex vario timore. 7. m. col. 83.
176. De peccatis ex amore proprio. 7. m. col. 83. 84.
177. De peccatis ex triplici concupiſcentia. 3. m. c. 84.
178. De Idolatria, vt orta & abolitia. 7. m. col. 84. 85.
179. De Iudæis tolerandis, &c. 4. m. col. 85.
180. De conuerſatione cum infidelibus. 4. m. Ibid.
181. De Hæreſi, & hæreticis. 13. m. col. 85. 86.
182. Schiſmate, & Schiſmaticis. 7. m. col. 86. 87.
183. De Apoſtaſia. 8. m. col. 87.
184. De varia diuinatione. 5. m. col. 87. 88.
185. De Sortilegio, eiuſque malitia. 11. m. col. 88.
186. De Hypocriſi, eiuſque malitia. 11. m. col. 89.
187. De Simonia, varijs modis. 7. m. col. 89. 90. 91. 92.
188. De varijs Sacrilegijs, 4. m. col. 92. 93.
189. De ſcandalo, actiuo, & paſſiuo. 8. m. c. 93. 94.

In Librum ſeu P. 3. Quæſtiones 82.

1. De lapſu, & reparatione naturæ humanæ. 7. m. col. 1.
2. De conuenientia Incarnationis. 13. m. col. 1. 2. 3.
3. De eius Prædeſtinatione 6. m. col. 2.
4. De actu, ſeu vnitione actuali. 7. m. col. 4. 5.
5. De co-aſſumptis pœnalitatibus. 3. m. col. 5. 6.
6. De conſtituto .i. Chriſto, an ſit aliquid vnum? Perſona, Hypoſtaſis, vel Indiuiduum. 3. m. col. 6. 7. 8. Linea 3. corrige, &, in non.
7. De vnione formali, &c. Vt q. 4. 6. m. 3. col. 8. 9.
8. De conceptione Chriſti. 3. m. col. 9.
9. De eius Sanctitate, & B. V. Mariæ. 4. m. c. 10.
10. De Natiuitate, & Filiatione Chriſti. 6. m. col.
11. De triplici Gratia Chriſti. 5. m. col.
12. De Gratia Vnionis, Capitis, & Singulari. 3. m. c.
13. De Scientia humana Chriſti. 7. m. col. 14. 15.
14. De Potentia humana impeccabili. 2. m. col. 15.
15. De Voluntate humana Chriſti. 2. m. col. 15.
16. De meritis Chriſti. 4. m. col. 16.
17. De Paſſione Chriſti, eiuſque valore. 5. m. c. 17. 18.
18. De vario eius fructu. 4. m. col. 18.
19. De morte, ſepultura, deſcenſu Chriſti. 5. m. c. 19. 20.
20. De Reſurrectione Chriſti. 3. m. col. 20. 21.
21. De Transfiguratione Chriſti. 9. m. col. 21.
22. De argumentis Reſur. Chriſti. 2. m. col. 21. 22.
23. De Aſcenſione Chriſti. 7. m. col. 22. 23.
24. De ſeſſione ad dexteram Patris. 4. m. col 23.
25. De aduentu ad iudicium. 5. m. col. 23. 24.
26. De lege æterna, & omnium ab ea. 9. m. c. 24. 25.
27. De lege naturali. 5. m. col. 25. 26. 27.
28. De lege Moſaica. 5. m. col. 27. 28.
29. De 10. præceptis decalogi. 2. m. col. 28. 29.
30. De primo, adorationis. 3. m. col. 29. 30.
31. De 2. Non iurandi. 5. m. col. 31. 32.
32. De 3. Sanctificandi Sabbatum. 6. m. col. 33.
33. De 4. Honorandi Patrem, & Matrem. 4. m. c. 33.
34. De 5. Non occidendi, 3. m. col. 34.
35. De 6. Non mœchandi. 8. m. col. 35. 36. 37.
36. De 7. Non furandi. 5. m. col. 37. 38.
37. De 8. Contra falſum teſtimonium. 6. m. c. 38. 39.
38. De 9. & 10. Non concupiſcendi. 4. m. c. 39. 40.
39. Explanatio Decalogi pro ſimplicibus. 5. m. c. 40. 41.
40. De legibus iudicialibus. De Iudice. 6. m. c. 41. 42.
41. De Perſona Rei. 5. m. col. 42.
42. De perſona Accuſatoris. 6. m. col. 42. 43.
43. De Teſtibus. 3. m. col. 43.
44. De Aduocatis. 3. m. Ibid.
45. De proceſſu iudicij. 7. m. col. 43. 44.
46. De legibus permiſſionis. 3. m. col. 44.
47. De legibus punitionis, Talionis, Belli. 5. m. col. 45.
48. De legibus circa perſonas. 4. m. col. 46. 47.

Digitized by Google

A 49. ad 60. Leges circa Poſſeſſiones, Contractus, Decimas, Primitias, Oblationes, Cæremonias, Harumq; Ceſſatio. à col. 47. ad 53 Vt in 4. 177.

A 60. ad 69. Lex euangelica: Contra Iracundiam, Concupiſcentiam, Iuramenta, Impatientiam Iniuriarum. Lex Beneficentiæ, Mutui gratuiti, Charitatis, rectæ intentionis. à col. 53. ad 57.

69. GRATIA, *An ſit, Quid, Quotuplex, In quo, A quo.* M. 2. *Ad* 6. Corrige. *Gratia creata vt agens, eſt ipsâ anima nobilior: non vt eſt ſola eius diſpoſitio.*

70. *De varijs effectibus gratiæ.* 5. m. *col.* 61. 62.

71. *Cognitio gratiæ, aut non.* 3. m. *col.* 63.

72. *Comparatio gratiæ cum virtutibus.* 4. m. *col.* 64.

73. *Gratiæ gratu datæ.* 3. m. *Ibid.*

74. FIDES *informis: Quid, ad quid, in quo ſit.* 9. m. 65.

75. SPES *informis.* 3. m. *col.* 57.

76. *Timor ſeruilis, vt donum Dei.* 4. m. *col.* 67. 68.

77. *Gratiæ gratis datæ pro alijs.* 4. m. *col.* 68.

78. FIDES *formata, eius actus.* 6. m. *col.* 68. 69.

79. *Obiectum fides.* 6. m. *col.* 71. 72. 73.

80. *Subiectum fidei.* 4. m. *col.* 73. 74.

81. *Certitudo, profectus, fundamentũ fidei.* 3. m. *col.* 74.

82. *Articuli, & Symbola.* 75. 76.

Collationes 106. de Virtutibus.

A 1. *ad* 25. VIRTVTIS *Exiſtentia, Neceſſitas, Excellentia, Cauſa efficiẽs, Formalis, Materialis, circa actiones & paſſiones, circa Bonum & Malum, Finalis in Patria, In Via. Delectatio, Quidditas, Definitio, Subiectum, Actus Viæ, Patriæ, vtriuſq; Obiectum, Cognitio, Diuiſio. A col. 77. ad 90.*

A 25. ad 28. VIRTVTVM *Theologicarum numerus, neceſſitas, denominatio. col. 90. 91.*

A 28. ad 46. FIDEI *ſignificationes, neceſſitas Formatæ, Quidditas, Re & Definitione, Actus, Obiectum, Subiectum, Certitudo, Profectus, Comparationes, Informitas, Articuli, tria Symbola, Sufficientia, Diſtinctio, & Expoſitio. A col. 91. ad 94.*

A 46. ad 57. SPEI *Quidditas, Res, Definitio, Merita, Subiectum, Actus, Certitudo, Obiectum, Anchora, Comparatio, Formatio, Informitas. à col. 94. ad 98.*

A 57. ad 76. CHARITATIS *Quidditas, Res, Definitio, Subiectum, Actus, Modus, Obiecta 4. diligenda, Præcepta, Laus, Excellentia ſupra cognitionem, Ordo inter obiecta, Profectus, Defectus, Perfectio, Effectus, Duratio præſens, & æterna.*

76. VIRTVTES *Cardinales in genere. col. 98.*

A 77. ad 89. PRVDENTIA, *Spiritus & Carnis. Comparatio, Definitio, Virtus eius, Subiectum, Actus, Medium, Obiectum, Comparationes, Species.*

Ab 89. ad 106. TEMPERANTIÆ *nomen, Definitio. Materia, Actus, Comparationes, Diuiſiones, Species.* SOBRIETAS, CASTITAS, VIRGINITAS, VIDVITAS, PVDICITIA, HONESTAS, MODERATIO, PARCITAS. *A col. 124. ad 129.*

Parte 4. Quæſtiones 114.

1. DE *Sacramentis in genere. col.* 35. 83. 113. 114.

2. *De Sacramentis legis naturæ. Ibidem.*

3. *Congruitas illius temporis. Ibid.*

4. *De Initio & duratione Eccleſiæ. Ibid.*

5. *De Remedio peccati orig. Ibid.*

6. *De Sacramentis legis ſcriptæ. col.* 36.

7. *De Circumciſione, vt Iuſtificante. col* 36.

8. *De Sacramentis legis gratiæ: quàm efficacia.* 36. 58.

9 *De Baptiſmo Ioannis. col.* 131.

10. *De Exorciſmo, & Catechiſmo Baptiſmali. c.* 132.

11. *Definitio Sacramenti Baptiſmi. col.* 132. 140.

12. *Inſtitutio Baptiſmi. col.* 132. 179.

13. *Intentio, materia, forma eius. col.* 73. 74.

14. *A quo habeat virtutem. col.* 133.

15. *Poteſtas baptizandi. Ibid.*

16. *Conditiones baptizantis. Ibid.*

17. 18. *Conditiones paruuli, & adulti baptizandi.* 133

19. 20. 21. *Character, & effectus cõtra malũ & ad bonũ.*

22. 23. *Cõparatio Baptiſmatum, & Sacramentalia.* 135.

24. *De Sacramento Confirmationis. Col.* 225.

25. 26. *Vtilitas generalis, & ſpecialis.* 120. 121.

27. 28. *Comparatio eius: & à quo, quibus miniſtrandũ.*

29. *De Sacramento Euchariſtiæ, quoad figuras.* 240.

30. 31. *Inſtitutio eius, & Vnitas.* 240. 244.

32. 34. *Materia eius. Col.* 240. à 484. 485. ad 490.

34. 35. *Efficacia & Forma Conſecrationis.* 240. 595.

36. *Poteſtas, vſus conſecrandi.* 240. 241. à 501. à 514.

37. *Tractatus de officio Miſſæ.* 241. 555.

38. *Effectus conſecrationis, ſeu Tranſubſtantiatio.* 241.

39. *Modi loquendi, de Tranſubſtantiatione.* 241. 404.

40. *Continentia, & cõtenta in Euchariſtia.* 241. à 404.

41. *Efficacia huius Sacramenti. c.* 241. 543. 545. 546.

42. 43. 44. *Fractio hoſtiæ.* 443. *Sacra Communio.* 525.

45. *Diſpoſitio, ſpiritualis, corporalis.* 241. à 525.

A 46. ad 51. Diſpenſatio, frequentatio, à quibus, quibus aut non. à *col.* 531. ad 535.

52. 53. *Communio, Conſecratio, actiua, paſſiua.* 534. 535.

54. POENITENTIÆ *Virtus, Subiectũ, Ordo, Effectus, Origo.* à *col.* 631. ad 636.

55. *Sacramenti Quidditas, Vnitas, Ordo.* à *col.* 636.

56. *Pœnitentia iterata, Publica, Ante vel poſt Bapt.*

65. *Pœnitentia mortalium, & venialium.* à 639.

66. *Partes pœnitentiæ Sacramentalis.* 642. 643.

67. *Contritio quid ſit, re, nomine, definitione.* 643.

68. *Quanta intenſiuè, & extenſiuè.* à 643. ad 646.

69. *De quibus peccatis.* 646. 647.

70. *De effectu iuſtificationis. col.* 648.

71. *De purgatione à reliquijs peccati.* 648. 649.

72. *De 4. neceſſarijs ad iuſtificationem.* 649.

73. *De ordine inter hæc 4. col.* 650. 651.

74. 75. *Differentia & origo Attritionis & Contritionis.*

76. *De Confeſſione Sacramentali. col.* 653. 654.

77. *De vſu: à quibus, quæ, quo modo, quando confitenda.*

78. *Cui, & ſub quanto ſigillo, ſeu ſecreto confitendum.*

79. *De poteſtate, & clauibus Eccleſiæ.* 661. 662. 663.

80. *Pro foro pœnitentiali: quoad culpam, & pœnam.*

81. 82. *Pro foro iudiciali, ad excommunicationem.* 666.

83. *De Indulgentijs. Quid, à quo, pro quibus, ad quid.*

84. *De Satisfactione: An, quæ neceſſaria, & quid ſit.*

85. *De eius vtilitate, in vel ex charitate.* 672. 673.

86. *De Reſtitutione: quid ſit, quando, quos, obliget.* 674.

87. *De tribus operibus ſatisfactorijs.* 675. 676.

88. 89. 90. *De Oratione, quid, quotuplex, ad quid.* 676.

A 91. ad 96. *Qui, quos, pro quibus, quomodo orent.* 678.

A 97. ad 105. *De Ieiunio: quid, quale, quomodo, quando.*

A 105. ad 114. *De eleemoſina, mendicatione, labore, pauperum, &c.* à 687.

Digitized by Google

Ex antiqua editione, poſt Indicem S. Bon.

C*Ap.*4. Errores 10. infra ex *S. Bon.* referẽdi. 3. 23. cõdẽnati à *Guilhelmo Epiſc. Pariſ.* 1240. Additis duobus. *Liber. arb. habet potentiam naturalẽ ad recipiendũ gratiam.* Falſum eſt: quia nolens non recipit eam. 2. *Quidam renatus nunquam fuit in gratia.*

*Cap.*5. Errores 13. condemnati à *Stephano Epiſc. Pariſien.* 1270. Vt, 3. *Voluntas hominis ex neceſſitate vult & eligit.* 8. *Anima ſeparata non patitur ab igne corporeo.* 9. *Liberum arb. eſt potentia paſſiua, &c.*

*Cap.*6. Art. 49. de Deo, condemnati à *Stephano Epiſc. Pariſ.* 1226. Vt, 14. *Deus non poteſt immediatè cognoſcere contingentia: niſi per aliam cauſam particularem & proximam.* 33. *Non poteſt in effectum cauſæ ſecundæ ſine ipſa.* 38. *Non poteſt indiuiduα multiplicare ſub vna ſpecie, ſine materia.* 40. *Non poteſt facere accidens eſſe ſine ſubiecto.*

*Cap.*7. Art. 26. De Angelis. Vt, 2. *Angelus vel anima ſeparata nuſquam eſt.* 16. vt 38. ſupra. 23. *Subſtantiæ ſeparatæ ſunt alicubi per operationem, &c.*

*Cap.*8. Errores 30. De anima. Vt, 5. *Anima ſeparata nullo modo patitur ab igne.* 8. *Nullo modo eſt mobilis ſecundùm locum.* 23. *Animæ nobiliores eſſent neceſſariò diuerſarum ſpecierum.* 30. *Anima nunquam moueretur, niſi corpus moueretur.*

*Cap.*9. Errores 21. De libero arb. 2. *Manente paſſione & ſcientia in particulari & actu, non poteſt agere contra eam.* 3. *Si ratio recta, & voluntas recta.* 4. *Voluntate diſpoſita, & mouente diſpoſito, impoſſibile eſt voluntatem non velle.* 7. *Appetitus neceſſariò mouetur ab appetibili.* 8. *Determinatur ab appetibili, vt materia ab agente.* 9. *Agens ex paſſione, agit coactè.* 10. *Poſt concluſionem de aliquo faciendo, voluntas non manet libera.* 11. *Voluntas hominis neceſſitatur per ſuam cognitionem, vt appetitus bruti.* 12. *Nullum agens eſt ad vtrumlibet.* 15. *Voluntas neceſſariò proſequitur creditum à ratione: non ex coactione, ſed natura voluntatis.* 18. *Scientia cõtrariorum ſolùm, eſt cauſa cur anima rationalis poſſit in oppoſita.* 19. *Anima nihil vult niſi mota ab alio.* 20. *Bonum fortius, mouet.*

*Cap.*22. Eror. 1. *Beatitudo non poteſt infundi à Deo.*

Cap. 25. Inter errores *Ioannis de Mercuria*, Ordinis Ciſter. 1347. condemnatos. 1. *Chriſtus voluntate creata aliquid voluit, quod nunquam debuit euenire.* 2. *Potuit dixiſſe falſum.* 3. *Qualitercunq; vult Deus, vult efficaciter ita eſſe.* 4. 7. 11. *Deus facit quod aliquis peccet, &c.* 13. *Anima Chriſti ſaltem per accidens poſſet odire Deum.* 14. *Vtens libero arb. nec potens reſiſtere, non peccat.* 15. *Eſt poſſibilis paſſio, cui voluntas cum gratia quacunq; ſine miraculo non poſſet reſiſtere.* 30. *Deus eſt cauſa peccati, vt peccatum eſt.* 38. 39. *Prædeſtinatus eſt quis ab æterno, propter ipſum bonum liberi arbitrij præſcitum.*

*Cap.*26. Art. 64. cuiuſdam *Nicolai de Vltricuria*, condemnati in Curia Romana 1348. Vt, 50. *Potentiæ nihil recipiunt ab obiectis, &c.* 53. *Quicquid deſideramus, aliquando adipiſcimur.* 54. *Furtum eſt aliquo caſu licitum, &c.* 60. *Deus poteſt præcipere creaturæ, vt habeat ipſum odio, &c.* 62. *Quilibet tenetur plus diligere proximum meliorem ſe, quàm ſeipſum.*

*Cap.*28. Art. 10. reuocati à *Fr. Dion. Soulechat*, Ord. FF. MM. *Auinione* in Curia Romana 1365. *Pariſijs* 1369. 1. *Lex amoris aufert omnem proprietatem, &c.* 2. *Diſpenſat duo pronomina poſſeſſiua, Meum & Tuum.* 3. *Facit omnia æqualiter communia, ac extrema neceſſitas.* 4. *Hanc dedit Chriſtus diſcipulis ſuis.* 5. *Actualis abdicatio omnium facit ſtatum perfectiſſimum.* 6. 7. *Chriſtus ſic abdicauit, &c.* 8. *Sola abdicatio animi, imperfectiſſimum oſtendit.* 9. 10. vt 7.

*Cap.*30. Inter alios *Art.* reuocatur: *quòd Deus ſit Deus ſecũdùm ſuum eſſe reale, non formale.* Item, *quod Deus afficiatur vel immutetur.* Item, *quod perfectus non plus diligat prædeſtinatum, quàm præſcitum, nec ſeipſum, quàm Diabolum.*

*Cap.*31. Inter Art. reuocatos à *F. Guidone* Ordinis Erem. *S. Aug.* 1354. 1. *Charitas quæ habitur, nunquam fuit vera.* 2. *Præſcitus, non poteſt mereri.* 3. *Homo meretur de condigno: ita vt Deus faceret ei iniuriam, ſi non redderet vitam æternam.* 4. *Si non eſſet liberum Arb. adhuc eſſet peccatum.* 5. *Meritum eſt à ſolo Deo, &c.* 6. *Deus aliquando ita præuenit viatorẽ: vt nunquam poſſit non mereri.* 7. *Eſt dare plures vnitates quæ non faciunt numerum.* 8. *In omni quod non eſt Deus, eſſentialius eſt non eſſe, quàm eſſe.* 9. *Poteſt quis eſſe ſine tempore in merito & peccato.*

*Cap.*32. Inter alios *Hæc eſt poſſibilis: Ieſus non eſt Deus*

*Cap.*33. Errores *Magiſtri ſent. In* 1. d. 17. *Charitas eſt Spiritus ſ.* In 2. d. 5. *Angeli non priùs, ſed poſtmeruerunt.* d. 30. *Nihil cibi tranſit in naturam humanam, &c.* In 3. d. 2. *Anima extra corpus eſt perſona.* d. 21. *Chriſtus poteſt dici paſſus, mortuus, & non, &c.* d. 22. *In triduo mortis fuit homo.*

In 4. d. 5. *Deus poteſt dare vim creandi & iuſtificãdi.* d. 13. *Præciſi ab Eccleſia, non poſſunt conſecrare.* Ibid. *Brutum non comedit verum Corpus Chriſti.* 19. *Sciẽtia eſt clauis.* 25. Epiſcopi Symoniaci & degradati non poſſunt conferre Ordines. d. 27. Maritus vxoris incognitæ à priori viro, eſt Bigamus. d. 33. Qui non poteſt vxorem putatitiam deſerere: excuſatur, &c.

Contra 28. *Art.* Magicos Pariſijs. 1518.

Cap. 1. *Contra* Errores *F. Ioannis de Monteſono*, Ordinis Prædic. condemnatos *Pariſijs*, eiuſque ad *Papam* appellationem, ſub prætextu quòd eſſent ex Doctrina *S. Thomæ*, approbata ab *Vrbano V.* & *Stephano Epiſc. Pariſ.* cùm tamen non ſit approbata in omnibus. Vt *p.* 1. *q.* 47. *a.* vlt. Non eſt poſſibile aliam terram eſſe, quàm hanc. *Ibid.* Impoſſibile eſt eſſe duos Angelos eiuſdem ſpeciei. Item plures albedines ſeparatas. *q.* 78. *a.* 3. 6. *De vnica forma ſubſtantiali in homine.* Vnde q. 62. concedit *non fuiſſe idem Corpus Chriſti mortuum, quod viuum.*

*Cap.*2. Error. 1. *Maior eſt vnio hypoſt. in Chriſto, quàm vnio trium Perſonarum in Deo.* 2. *Poſſet aliquis in puris naturalibus tantum mereri, quantum Anima Chriſti.* 3. *Poſſet & ſic beatifice Deum videre. A* 10. *ad* 14. Contra exceptionem B. V. M. à culpa Orig.

*Cap.*3. Variæ diſcordiæ inter *S. Thomam* in libros *Sent.* & in *Summa.* Vt 1. *ſent. d.* 11. *Art.* 4. *Pater & Filius poſſunt dici duo ſpiratores*: ſed p. 1. q 36. a. vlt. negat. *In* 2. *d.* 1. *Creatio inſtrumentalis poteſt cõmunicari creaturæ*: ſed *p.* 1. *q.* 45. *a.* 5. negat. *In* 1. Eſt pro: *in* 2. & 4. contra Concept. B. V. 3. *d.* 6. Excuſat *Magiſtrum*: *p.* 3. cenſurat. *In* 4. *d.* 38. *Papa poteſt diſpenſare in voto Caſt.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. negat.

Vnde ipſe *S. T. libro de concordia ſua*, ſupponit, & relinquit plura optioni lectorũ. *Infra.* Alij eius errores *lib.* 2. *contra gentes c.* 19. Abſoluta neceſſitas creaturæ. Aliquod neceſſe eſſe præter Deum, &c.

Index

Digitized by Google

PRoœmium.q.4.De materia,forma,fine,Authore.
Diſt. 1. Partitio materiæ in 4. libros Sent.
Art. 1. q. 3. De rebus vtendis, & earum vſu.
Art.2.q.1.De fruitione.A.3.q.2.De rebus fruẽdis.
Diſt. 2. De vnitate & Trinitate Diuina. col. 83.
Art. 1. q.4. An ſit vnus Deus, & tres Perſonæ.
Diſt.3.De Veſtigijs & Imagine Dei, vnius Trini. 84.
Art. 1. q. 4. De eius cognitione, ex veſtigijs.
Art. 2. q. 3. Ex Imagine Dei in noſtris potentijs.
Art.3.q.3. Ex eius imagine in noſtris actibus.
Diſt.4.De conſtructione Dei,cum Verbo generandi.85.
Art.1.q.4.De 4.modis loquẽdi,&ſuppoſitione Dei.
Diſt. 5. De conſtructione Deitatis cum eodem Verbo.
Art.1. q.2. Cum actiuo. Art.2.q.2. Cum paſſiuo.
Diſt. 6. De neceſſitate, aut voluntate generandi. 87.
Art.1.q.3. De modo generandi in Deo. Al. q.42. m.5.negat hos modos:ſed vt ſunt nobis naturales.
Diſt. 7. De potentia generandi in Deo. 87.
Art.1.q.4. An,quid, in quo ſit, &c.
Diſt. 8 De proprietatibus eſſentialibus Dei. 88.
Art.3.De Veritate,Immutabilitate,Simplicitate Dei
Diſt. 9. De generatione æterna Filij Dei. 89.
Art.1.q.4. An ſit, & diſtinguat Perſonas, &c.
Diſt.10. De proceſſione æterna Spirituſſ. 90.
Art.1.q.3. De modo procedendi.
Art. 2. q. 3. De proprietate Spirituſſ.
Diſt. 11. A quo procedat. col. 90.
Art. 1. q.2. An à Patre & Filio, vt vno principio.
Diſt.12. De differentia proceſſionis ab vtroq;. col.91.
Art.1.q.4.An ab vno priùs, immediatiùs, &c.
Diſt.13.Differentia proceſſionis à generatione. 92.
Art. 1.q.4. An vna ſit alia, vel differant realiter.
Diſt. 14. De proceſſione, & datione ad extra. col. 92.
Art. 1. q. 2. An ſit alia ab æterna.
Art.2.q. 2. An detur in propria perſona, & à quo.
Diſt.15.De miſſione & datione Filij. col.93.
Art.1.q.3. An & cuius ſit in Deo mittere& mitti.
Art. 2. q. 3 De eius miſſione viſibili & inuiſibili.
Diſt.16. De miſſione viſibili Spirituſſ. col. 94.
Art. 1. q. 3. Per charitatem: de qua, quid ſit, &c.
Art.2. q.4. De eius augmento, ſtatu, perfectione.
Diſt.18.De proprietate Doni. col.96.
Art.1. q. 6. An, & quæ ſit proprietas Spirituſſ.
Diſt. 19. De æqualitate, & totalitate in Deo. col. 96.
Art. 1. q.4. An, & quàm perſonæ ſint coæquales.
Art. 2. q.4. An & quæ ſit in Deo totalitas.
Diſt.20. De æqualitate & ordine Perſonarum.col.97.
Art.1.q.2.An ſint ęquales potentiâ,etiâ intenſiuè.
Art.2.q.2.An ſit inter eas ordo,originis,&naturæ.
Diſt.21. De vocibus excluſiuis. col. 97.
Art.1.q.2. Circa ſubſtantialia, ſubiectum,prædic.
Art.2.q.2. Circa relatiua, propria, & communia.
Diſt 22. De nominibus Dei. col. 98.
Art. 1.q.4. An ſit nominabilis, & quo modo.
Diſt.23.De nomine Perſonæ,Subſtantiæ, Eſſentiæ.98.
Art.1.q.3. An ſint Deo propria,quo ſenſu,& vſu.
Art.2.q.3. An nomen Dei, &c.poſſit numerari.98.
Diſt.24.De nominibus numeralibus,&partitiuis.c.99
Art.3. q. 3. De vno,duobus, tribus, Trino,Trinitate.
Diſt.25. De nomine Perſonæ diſtinctius. col. 99.
Art.1. q. 2. Quid ſit re, & definitione.
Art. 2. q.2. An ſit commune, & vniuocum.
Diſt.26. De Hypoſtaſi, & proprijs perſonalibus.100.
Art. 1. q. 4. An ſint, quid, ad quid, & quot.
Diſt. 27. De ſingulis proprietatibus. col. 100. 101.
Art.1. 4. De Notione Paternitatis, & Generationis.
Art.2.q.4.De nomine Verbi Dei, Adde Al. q.62.
Diſt.28.De alijs nominibus Perſonarũ Diuinarũ.c.102.
Art. 1. q. 4. De Innaſcibilitate, Improceſſibilitate
Diſt. 29. De nomine Principij: col. 102.
Art.1.q.2. De eius communitate,proprietate, &c.
Art.2. q. 2. De eius, & Spiratoris vnitate, &c.
Diſt. 30. De relatiuis Dei ad extra. col. 103.
Art.1.q.3.An dicat aliquid nouum reale,&per ſe.
Diſt. 31. De relatiuis inter Perſonas. col. 103.
Art.1.q.3. De æqualitate & ſimilitudine.
Art.2.q.3.De Imagine,deq; proprijs,&appropriatis.
Art.3. q.3. De vnitate inter ſe, vel cum creaturis.
Diſt.32.De Sapientia Patris, & dilectione,&c. 104.
Art.1.q.2. An & quo ſenſu diligant ſe Spiritu S.
Art.2.q.2.An Pater ſit Sapiens Sapiẽtia genita, &c.
Diſt.33.De differentia,& conuenientia in Deo.c.105.
Art.1. q.4. Inter Perſonas, Proprietates, &c.
Diſt.34.De idẽtitate Eſſentiæ cum Perſonis,&c.c.105.
Art. 1. q. 4. An & quid hæ illi addant, &c.
Diſt. 35. De ſcientia Dei in genere. col. 105. 106.
Art.1.q.5.De Ideis, an ſint in Deo vna vel plures.
Diſt. 36. De exiſtentia omnium in Deo. col. 106.
Art. 1. q. 2. An bona ſint in Deo ab æterno.
Art.2.q.2.An&quo modo ſint in Deo, vita,&verè.
Art.3.q.2.An&ſic mala ac imperfecta ſint in Deo.
Diſt.37.Quibus modis Deus ſit in omnibus.c.107.108
Art. 1. q. 2. An ſit in omnibus & vbique.
Art.2.q.2.An ſolus Deus ſit vbique,& ab æterno.
Art 3.q.2. An ſit in omnibus ęqualiter,quot modis.
Art.4. q. 3. De illocabilitate Dei.
Art. 5. De mutabilitate locali Angelorum.
Diſt.38.De Præſcientia Dei.c.108. Corrige titulũ.
Art. 1. q. 2. De cauſalitate præſcientiæ, &c.
Art. 2. q. 2. De neceſſitate præſcientiæ, &c.
Diſt. 39. De Perfectione Scientiæ Dei. col. 109.
Art.2.q.3.Quoad cognita,& modum cognoſcẽdi.
Diſt.40.De Prædeſtinatione,& Reprobatione.c.109.
Art. 1. q. 2. An Prædeſt. ſit æterna, & quid ſit.
Art.2. q.2. De illata neceſſitate, aut certitudine.
Art. 3. q. 2. De Electione, an & quid ſit.
Art.4.q.2. De Reprobatione,& obduratione,à quo ſit.
Diſt.41.De vtriuſque meritis,& modo ſciendi.c.111.
Art.1.q.2. De merito effectus,& ratione motiua.
Art. 2. q. 2. De modo ſciendi immutabiliter.
Diſt. 42. De Omnipotentia Dei. col. 111. 112.
Art. 1. q. 4. De omni poſſibili,& impoſſibili,&c.
Diſt. 43. De perfectione potentiæ Dei. col.112.113.
Art. 1. q. 4. An ſit infinita, & ad infinita, &c.
Diſt. 44. De modo faciendi hunc mundum. col.113.
Art.1.q.4. An potuerit fieri melior,&c. Al.p.12.
Art.2. q.1. An Deus ſemper æquè poſſit. Al.q.21.
Diſt. 45. De quidditate voluntatis Dei. c.113.114.
Art. 1. q. 2. An,quid, & quorum ſit.
Art.2. q. 2. An ſit cauſa prima & immediata.
Art.3. q.2. De voluntate Beneplaciti, & Signi.
Diſt. 46. De impletione voluntatis Dei. c.114.115.
Art.1.q.6. An velit omnes ſaluos fieri,mala fieri,&c
Diſt.47. De efficacia voluntatis Dei. col. 115. 116.
Art.1.q.4. An Beneplaciti, & Signi,etiam circa mala.
Diſt. 48. De conformitate voluntatis noſtræ.col.116.
Art. 1. q. 2. An ſit poſſibilis & iuſta.
Art. 2. q. 2. An & quo modo obligatoria.

Diſt.1. *De creatione & diſtinctione omnium. c.97.*
Art.1. q.2. De principio cauſali, & initiali.
Art.2. q.2. De vnitate huius principij immediatè.
Art.3. q.2. De ipſa creatione actiua, & paſſiua.
Art.4. q.2. De multitudine diſtincta creatorum.
Art.5. q.2. De ordine omnium ad finem.
Art.6. q.2. Diſtinctio Angeli ab anima rationali.
Diſt.2. *De creatione naturæ Angelicæ, in cælo. c.99.*
Art.1. q.3. De æuo ſeu duratione Angelica.
Art.2. q.3. Comparatio æui ad tempus.
Art.3. q.2. Natura, & influentia cœli empyrei.
Art.4. q.4. De loco Angelorũ, in quo, & quomodo.
Diſt.3. *De ſtatu naturali Angelorum.* à *col.* 100.
Art.1. q.3. De eorum ſimplicitate vel compoſitione. Non contra *Al.* Sed de ſolo eodem conceptu communi materiæ.
Art.2. q.3. De diſcretione perſonali, &c.
Art.3. q.2. De eorum malitia: an naturali, &c.
Art.4. q.2. De cognitione eorum naturali.
Art.5. q.2. De dilectione eorum naturali.
Diſt.4. *De ſtatu ſupernaturali creationis. c.*102.103.
Art.1. q.2. An in ſtatu Beatitudinis, vel gratiæ.
Art.2. q.2. An præſciuerint ſuum lapſum, vel non.
Art.3. q.2. De cognitione matutina, & veſpertina.
Diſt.5. *De lapſu malorum, & perſeuerantia bonorum.*
Art.1. q.2. De primo peccato Luciferi.
Art.2. q.2. De primo peccato aliorum.
Art.3. q.2. De perſeuerantia bonorum.
Diſt.6. *Differentia naturæ, & pœnæ inter malos.* 104.
Art.1. q.1. De ordine naturali *Luciferi* & aliorum.
Art.2. q.2. De loco eorum pœnali.
Art.3. q.2. De aliquo adhuc eorum ordine, & quo.
Diſt.7. *De eorũ obſtinatione, cognitione, poteſtate.* 105.
Art.1. q.3. De obſtinatione, quanta ſit, &c.
Art.2. q.3. De libertate malorum & bonorum.
Art.3. q.3. De cognitione Dæmonum.
Art.4. q.3. De poteſtate Dæmonum. q.1. Non negat productionem rerum quoad exiſtentiam, ſed quoad eſſentiam.
Diſt.8 *De aſſumptione corporum ab Angelis. col.*107.
Art.1. q.2. An habeant naturalia, vel aſſumant, &c.
Art.2. q.2. An aſſumant vera, humana, & vnde.
Art.3. q.2. An in eis exerceant actus vitales.
Art.4. q.6. An & quid poſſint in corpora & animas.
Diſt.9. *De Ordinibus & Miniſterijs Angelorũ. c.*109.
Art.1. q.9. An ſint ordines naturæ vel gratiæ, &c.
Diſt.10. *De Miſſione Angelorum. col.* 110.
Art.1. q.2. An boni mittantur, & qui.
Art.2. q.2. An ad nos inflammãdos & illuminãdos.
Art.3. q.2. De locutione Angelorum.
Diſt.11. *De Cuſtodia Angelica, col.* 111. 112.
Art.1. q.3. An & quorum ſint cuſtodes.
Art.2. q.3. De fine, & fructu cuſtodiæ.
Diſt.12. *De operibus 6. Dierum. col.* 112.
Art.1. q.3. De creatione Materiæ primæ.
Art.2. q.3. De eadem materia, vel non.
Diſt.13. *De opere Diei 1. Col.* 112.113.
Art.1. q.2. De creatione lucis.
Art.2. q.2. An lux ſit ſubſtantialis, vel accid.
Art.3. q.2. Quid ſit lumen. &c.
Diſt.14. *De opere Diei 2.3.4. Col.* 113. 114.
Art.1. q.2. De cælo, & firmamento.
Art.2. q.2. De figura, & dextro ac ſiniſtro cœli.
Art.3. q.2. De motu cæli.
Art.4. q.3. De ſtellis, & earum motibus.
Art.5. q.3. De earum differentia, & influentijs.
Diſt.15. *De opere Diei 5.6. & Quiete 7. c.*114.115.
Art.1. q.3. De productione animalium.
Art.2. q.3. De Ordine productionis.
Diſt.16. *De creatione hominis. col.* 115. 116.
Art.1. q.3. De Imagine Dei in homine.
Art.2. q.3. An in Angelo ſit perfectior.
Diſt.17. *De creatione Animæ & Corporis. col.* 116.
Art.1. q.3. De anima humana, vnde, & quando.
Art.2. q.3 De materia & cõplexione corporis Adæ.
Diſt.18. *De formatione mulieris, col.* 117.
Art.1. q.3. Quoad Corpus, vnde, &c.
Art.2. q.3. Quoad Animam, an ex *Traduce*, &c.
Diſt.19. *De ſtatu Innocentiæ. col.* 118.
Art.1. q.2. De Animæ immortalitate.
Art.2. q.1. De immortalitate Corporis.
Art.3. q.2. De immortalitate totius.
Diſt.20. *De propagatione hominum in illo ſtatu. c.*119
Art.1. q.6. An vt nunc, vel quo modo.
Diſt.21. *De Tentatione, & 1. culpa Adæ. col.* 120.
Art.1. q.3. Cur, per Serpentem, & Mulierem.
Art.2. q.3. De Tentatione carnis.
Art.3. q.3. An prima culpa potuerit eſſe venialis?
Diſt.22. *De motiuo interno illius primæ culpæ. c.*121.
Art.1. q.3. Quo affectu peiori, Adæ, vel Euæ.
Art.2. q.3. An ex ignorantia, & quæ excuſet.
Diſt.23 *De permiſſione primi peccati. col.* 122.
Art.1. q.3. De peccabilitate hominis, &c.
Art.2. q.3. De cognitione in ſtatu innocentiæ. Refert hîc Art. condemnatos ab Vniuerſ. Pariſ.
1. *Eſſentia Diuina in ſe non videbitur.* 2. *Vna eſt vt forma in Patre & Filio : non ſic in Spiritu S.* 3. *Spiritusſ. vt amor vel nexus non procedit à Filio.* 4. *Animæ glorioſæ non ſunt in cælo empyreo, nec corpora glorioſa erunt ibi.* 5. *Angelus malus nunquam fuit bonus.* 6. *Angelus poteſt eſſe ſimul in diuerſis locis, & vbique ſi velit.* 7. *Sunt veritates ab æterno, quæ non ſunt Deus.* 8. *Primum nunc, & creatio paſſiua, non eſt creator, nec creatura.* 9. *Qui habet meliora naturalia, neceſſariò plus habebit de gratia & gloria.* 10. *Dæmon nunquam habuit vnde ſtare poſſet, nec Adam.*
Diſt.24. *De gratia & potentia Adæ ante caſum.* 123.
Art.1. q.2. De libertate ante lapſum. Al. col. 27.28.
Art.2. q.4. De Portione ſuperiore, & inferiore.
Art.3. q.2. De peccatis partis ſuperioris.
Art.4. q.2. De peccatis partis inferioris.
Art.5. q.2. De peccatis ſenſualitatis.
Diſt.25. *De libero Arbitrio. col.* 125. 126.
Art.1. q.6. In quibus, & quid ſit.
Art.2. q.6. An ſit æquale, circa quid, nec cogi poſſit.
Diſt.26. *De auxilio gratiæ. col.* 127. 128.
Art.1. q.6. Quid ſit gratia, in quo, & ad quid.
Diſt.27. *De gratia vt virtute gratuita. col.* 128.129.
Art.1. q.3. De ea vt gratum faciente, &c.
Art.2. q.3. De ea vt meritoria.
Diſt.28. *De neceſſitate gratiæ. col.* 130. 131.
Art.1. q.3. Quæ, & ad quid ſit neceſſaria.
Art.2. q.3. De gratia gratis data, ad quid neceſſaria.
Diſt.29. *De prima gratia Adami. col.* 132. 133.
Art.1. q.2. De eius neceſſitate, & ad quid.
Art.2. q.2. De rei veritate, an & quam habuerit.
Art.3. q.2. An tot, tamque efficaces, quàm nunc.

Digitized by Google

Diſt. 30. *De peccato originali. col.* 133. 134.
*Art.*1.*q.*2. De vitio naturæ, ex ſeipſa, vel ex 1.culpa.
*Art.*2.*q.*2. An cõcupiſcentia & ignorãtia ſit culpa.
*Art.*3. *q.* 2. De vera generatione ex Adam, etc.
*Diſt.*31. *De Traductione peccati orig. col.* 135.
*Art.*1. *q.*3. De ſubiecto peccati orig.
*Art.*2. *q.* 3. De cauſa proxima, ex concupiſcentia.
Diſt. 32. *De remiſſione peccati orig. col.* 136.
*Art.*1. *q.*2. An per bapt. quoad culpã & radicem.
Art. 2. *q.*2. In quo ſit formaliter, & an à Deo.
*Art.*3. *q.*2. An iuſtè imputetur animæ, & cur.
Diſt. 33. *De eiuſdem origine, vnitate pœna. col.* 138.
*Art.*1. *q.*2. A ſolo Adamo, non à Poſteris.
*Art.*2. *q.*2. Eſt æquale formaliter, & vnũ ſingulis.
*Art.*3. *q.* 2. De eius pœna in pueris.
*Diſt.*34. *De peccato actuali. Col.* 139.
Art. 1. *q.* 3. A quo ſit, an ab aliquo bono, &c.
Art. 2. *q.* 3. An nihil ſit boni, nec in bono.
Diſt. 36. *De pœnis peccati. Col.* 140.
Art. 1. *q.*2. An vnum, ſit pœna alterius, &c.
*Art.*2.*q.*2. An culpa poſſit eſſe ſine pœna, & è cõtra.
*Art.*3.*q.*2. An pœnæ ſint à Deo.
Diſt. 37. *De actu malo. Col.* 141.
*Art.*1.*q.*3. An actio, & cõſeruatio omnis ſit à Deo.
*Art.*2.*q.*3. An actio mala, fortuna, falſa ſint à Deo.
Diſt. 38. *De fine & intentione. Col.* 141.
Art. 1. *q.* 4. De bonitate ex fine, & quo.
*Art.*2.*q.*2. De intentione, cuius ſit, &c.
*Diſt.*39. *De Conſcientia, & Synderesi. Col.* 142.
*Art.*1.*q.*3. Quid ſint, & ad quid obligent.
Art. 2. *q.*3. In quo ſint, & an corrumpi poſſint.
Diſt. 40. *De bonitate & malitia. Col.* 143.
Art. 1. *q.* 3. An ſit ex intentione.
Art. 2. *q.* 3. An augeantur operibus externis.
*Diſt.*41. *De operibus bonis, malis, & indiff. Ibid.*
*Art.*1. *q.*3 De hac diuiſione, & differentijs.
Art. 2. *q.*3. De peccato vt voluntario.
Diſt. 43. *De differentijs peccatorum. Col.* 145.
*Art.*1. *q.* 2. Voluntatis, & operis.
*Art.*2. *q.*2. Venialis, & mortalis.
*Art.*3. *q.*2. Auerſionis, & conuerſionis, &c.
*Diſt.*43. *De peccatis in Spiritum S. Col.* 146.
*Art.*1. *q.*2. Quid ſint pluſquam alia.
Art. 2. *q.* 2. An ſint grauiſſima, & irremiſſibilia.
Art. 3. Quot ſint, & quo modo, &c.
Diſt. 44. *De potentia peccandi. Col.* 147. 148.
*Art.*1. *q.*2. An ſit à Deo, & mala.
*Art.*2. *q.*2. A quo ſit poteſtas dominij.
*Art.*3.*q.*2. Quorum, & quanta ſit, &c.

Index in 3. S.Bonauenturæ.

*Diſt.*1. *De Incarnatione Christi. Col.* 129.
*Art.*1.*q.*4. De poſſibilitate incarnationis.
*Art.*2. *q.* 4. De congruitate: an occaſione peccati.
*Diſt.*2. *De natura aſſumpta, & quo ordine. Col.* 131.
*Art.*1. *q.*4. De congruentia naturæ aſſumptæ.
*Art.*2. *q.*3. De integritate naturæ aſſumptæ.
*Art.*3. *q.*3. De ordine aſſumptionis.
*Diſt.*3. *De origine carnis Christi. col.* 133.
*Art.*1. *q.*3. De Sanctificatione Matris.
Art. 2. *q.* 3. De eius Sanctitate.
*Art.*3.*q.*2. De Chriſti decimatione, aut non, &c.
Art. 4. *q.*2. An caro Chriſti fuerit ex Adam.
Art. 5 De perfectione Corporis Chriſti.
Diſt. 4. *De cauſa incarnationis. Col.* 135.
*Art.*1. *q.*3. An à tribus Perſonis Diuinis.
*Art.*2. *q* 3. An ex ſola gratia, vel etiam meritis.
Art. 3. *q.* 3. An à B.V.M. vt vera Matre.
Diſt. 5. *De aſſumptione actiua, & paſſiua. Col.* 137.
*Art.*1. *q.*5. De actiua, quid, cuius, de quo dici poſſit.
*Art.*2. *q.* 5. De paſſiua, cuius ſit, eſſe, & dici poſſit.
*Diſt.*6. *De hac vnione, & vnitate. Col.* 135.
*Art.*1. De vnitate ſimplici, & ſubſtantiali Chriſti.
*Art.*2.*q.*3. De perfectione huius vnionis, & vnitatis.
*Diſt.*7. *De veritate variarum enuntiationum. Col.*140.
*Art.*1.*q.*3. An Deus ſit, vel factus homo, & ecõtra.
*Art.*2.*q.*3. De prædeſtinatione Chriſti vt hominis.
*Diſt.*8. *De communicatione Idiomatum. Col.*141.
*Art.*1.*q.*3. An vtraque natura dici poſſit nata.
*Art.*2.*q.*3. De duplici natiuitate, & filiatione.
Diſt. 9. *De adoratione Christi. Col.* 142.
*Art.*1. *q.*6. Cui cultus latriæ exhiberi poſſit.
Art. 2. *q.* 4. An & quæ ſit virtus latriæ, duliæ, &c.
*Diſt.*10. *An ſit Perſona humana, & adoptio Christi.* 145
Art. 1. *q.*3. Non eſt humana: ſed an indiuiduum.
*Art.*2.*q.*3. Non eſt Filius adoptiuus: ſed nos, &c.
*Diſt.*11. *De creatione & conceptione Christi. c.*146.
*Art.*1.*q.*3. De Prædeſtinatione Chriſti, & noſtra.
*Art.*2.*q.*3. Non eſt creatura, nec incœpit eſſe, &c.
*Diſt.*12. *De genere, ſexu, impeccabilitate Christi.* 147.
*Art.*1. *q.*2. De congruo genere Adami.
*Art.*2. *q.*2. Quàm ſit impeccabilis.
*Art.*3. De congruo ſexu virili.
*Diſt.*13. *De gratia & profectu Christi. col.* 148.
*Art.*1.*q.*3. De eius gratia ſingulari, quæ, quanta.
*Art.*2.*q.*3. De gratia Capitis, quæ ſit, & in quos.
*Diſt.*14. *De Sapientia Christi. col.* 150.
*Art.*1.*q.*3. De cognitione Dei ab anima Chriſti.
*Art.*2.*q.*3 De cognitione omniũ in Verbo ſeu Deo.
*Art.*3. *q.*3. De alia cognitione infuſa, & acquiſita.
Diſt. 15. *De defectibus aſſumptis, col.* 152.
*Art.*1.*q.*3. An & quos aſſumpſerit, &c.
*Art.*2.*q.* 3. An ignorantiam, triſtitiam, iram.
*Diſt.*16. *De dolore Christi ſpecialiter. col.* 153. *Al.*17.
*Art.*1. *q.*3. De vero dolore corporali, &c.
*Art.*2. *q.* 3. De dolore ſpirituali.
*Diſt.*17. *De voluntate & oratione Christi. col.* 154.
Art. 1. *q.* 3. De eius voluntate diuina, & humana.
*Art.*2. *q.*3 De eius oratione & exauditione.
Diſt. 18. *De merito & præmio Christi. col.* 155.
Art. 1. *q.* 3. De eius merito à primo inſtanti, &c.
*Art.*2.*q.*3. De merito ſibi, & nobis.
*Diſt.*19. *De redemptione noſtra. col.*256.
Art. 1. *q.* 4. De Efficacia paſſionis eius.
*Art.*2. *q.* 2. De Redemptore, & Mediatore.
Diſt. 20. *De congruitate redemptionis. col.* 157.
*Art.*1. *q.*6. An non potuerit aliter fieri.
*Diſt.*21. *Circa mortem Christi. col.*158.
Art. 1. *q.* 2. De aliqua diſſolutione per mortem.
Art. 2. *q.* 2. De quo mortuo & impaſſibili.
*Diſt.*22. *De ſtatu Christi mortui. col.*159.
*Art.*1.*q.*6. An tunc fuerit homo, corpore & anima.
*Diſt.*23. *De fide quoad eſſentiam. col.* 160.
*Art.*1. *q.*5. De fide formata, quid, in quo, &c.
*Art.*2.*q.*5. De fide informi, quid, in quo, &c.
Diſt. 24. *De obiecto fidei col.* 162.

Digitized by Google

Art. 1. *q.* 3 De eius obiectis quoad rem.
*Art.*2. *q.*3. Quoad nos: an de noſtris viſis, ſcitis.
Art. 3. *q.* 2. De Articulis fidei, quid ſint, &c.
*Diſt.*25. *De ſufficientia, & profectu fidei. col.* 164.
*Art.*1. *q.* 3. Quæ credere ſufficiat ad ſalutem.
*Art.*2. *q.* 3. An, & quo modo fides creuerit.
*Diſt.*26. *De virtute Spei. col.* 165. *Al. col.* 46. 52.
*Art.*1. *q.*5. An ſit virtus gratuita, quæ, &c.
*Art.*2.*q.*5.Quis ſit affectus Spei,in qua vi,ad quid.
*Diſt.*27. *De charitate ad Deum. col.* 166.
Art. 1. *q.* 4. De habitu charitatis, vt *Al. Coll.* 77.
*Art.*2.*q.*6.De actu & modo eius.Vt *Al.Coll.*60.61.
Diſt. 28. *De charitate ad nos, & proximos. col.* 167.
*Art.*1.*q.*6.De diligendis,& non diligendis.*Al.*63.
*Diſt.*29. *De ordine charitatis. A.* 1. *q.*6. *Al. Coll.*68.
*Diſt.*30 *De perfectione charitatis.Art.* 1. *q.*6. *Al.*72.
*Diſt.*31. *De duratione charitatis.A.*3.*Al.Coll.*73.74.
*Diſt.*32. *De charitate Dei ad nos. col.* 168.
*Art.*1.*q.*6.An,quos,quantû,quomodo diligat.*Al.*
*Diſt.*33. *De* 4. *Virtutibus Cardinalibus.*
*Art.*1.*q.*6.Verbatim,vt *Al.Coll.*1.11.20.21.70.76.
*Diſt.*34. *De* 7. *Donis Spirituſſ. col.* 169.
*Art.*1.*q.*3.Comparatiuè ad virtutes.*Al.p.*3.4.*q.*72
*Art.*2. *q.*3. Quot ſint, & an in Beatis.
*Art.*3.*q.*3. De timore ſeruili,&informi.*Al.p.*3.*q.*76
Art. 4. *q.* 3. De timore gratuito, ſeu formato.
*Diſt.*35. *De alijs donis. Col.* 171.
*Art.*1.*q.*5. De ſex alijs, ſingulis.
*Diſt.*36. *De connexione virtutum. col.* 172.
*Art.*1.*q.*6. An&quàm ſint inter ſe connexę,&vitia.
Diſt. 37. *De præceptis decalogi. col.* 172.
*Art.*1.*q.*3. De eorum congruitate,& obligatione.
*Art.*2. De numero, ordine, & diſtinctione.
Diſt. 38. *De mendacio. col.* 137.
*Art.*1. *q.*6. Quid, quotuplex, quantum peccatum.

Index in 4. S.Bon. per diſt. 50.

1. *Diſt.De Sacramẽtis:quid ſint,à quo,quæ fuerint.*
*Art.*1. *q.*6. De eorum inſtitutione, efficacia, gratia, &c. *col.* 35. 54. 116.
*Art.*2. *q.*3. De remedio legis naturæ.*col.*37.61.
*Art.*3.*q.*3.De remedio Circũciſionis.*col.*36.63.
2. *Diſt. De Sacramentis nouæ legis.*
*Art.*1.*q.*3. De Baptiſmo *Ioannis. col.* 136.
3. *Diſt. De Sacramento Baptiſmi, &c.*
*Art.*1.*q.*3.Quid ſit,&quæ ad id neceſſaria *c.*136.
*Art.*2.*q.*3.De neceſſaria forma verbali.136.168.
*Art.*3.*q.*2.De neceſſaria&congrua materia aquę.
*Art.*4.*q.*2.de neceſſaria immerſione,vel aſperſione
*Art.q.*2.De abolitione legalium. 137. 179. 181.
4. *Diſt. De varia receptione Baptiſmi.*
*Art.*1.*q.*3.De recipiẽtibus dignè,quo fructu. 137
*Art.*2.*q.*3. De recipientibus fictè. 137.105. 106.
*Art.*3. *q.*3. De baptiſmo aquæ, flaminis, & ſanguinis. 137. 197. 212.214.
*Art.*4.*q.*3.De Baptiſmo paruulorũ.137.138.198.
5. *Diſt. De Miniſtris baptiſmi.c.*83.138 187.
*Art.*1.*q.*2.De poteſtate validè,vel licitè baptizãdi.
*Art.*2.*q.*2. De poteſtate baptizandi cum fructu.
*Art.*3.*q.*2.De poteſtate Dei,Chriſti,Miniſtri.138
6. *Diſt. De varijs obſeruandis circa Baptiſmum.*
*Art.*1.*q.*6.De non rebaptizãdis,&charactere.138
*Art.*2. *q.*2. De non baptizandis in vtero, &c.
Art. 3. *q.*2. De intentione neceſſaria. 74.
*Art.*4.*q.*2. De Catechiſmo & exorciſmo præuio.
7. *Diſt. De Sacramento Confirmationis.*
*Art.*2.*q.*3.De neceſſaria forma,materia,miniſtro.
Art. 2. *q.* 3. De efficacia gratiæ, cuius, quantæ.
*Art.*3.*q.*3.De eius vſu,&c. Vt *Al.*à *c.*220.ad 224.
8. *Diſt. De Sacramento Euchariſtiæ. col.* 240.
Art. 1. *q.* 3. De figuris huius Sacramenti.
Art. 2. *q.* 3. De inſtitutione huius Sacramenti.
*Art.*3.*q.*2.De forma conſecrationis panis&vini.
*Art.*4.*q.*2.De vnitate huius Sacramẽti.242.489.
9. *Diſt. De communione ſacramentali, & ſpirituali.*
*Art.*2.*q.*4.*Col.*242.537.538. ex *Al. col.*525.526.
10. *Diſt.De vero Corpore Chriſti in Euchariſt.*240.409.
*Art.*1. *q.*5. De vero eius modo exiſtendi.
Art. 2. *q.*4. De vi conſecrationis, & verborum.
*Art.*3.*q.*2. De modo inconceptibi.*Col.*242.410.
11. *Diſt. De hac conuerſione ex duplici materia.*
*Art.*1.*q.*6.Quid,in quid conuertatur, &c. 242.
*Art.*2. *q.*4.De duplici materia neceſſaria.490.
*Art.*3.*q.*2.De prima conſecratione Chriſti.242.
12. *Diſt. De Fractione ſpecierum, & Sacrificio.*
Art. 1. *q.*3. De accidentibus extra ſubiectum.
*Art.*2.*q.*3. De eorum actione extra ſubiectum.
Art. 3. *q.*3. De fractione, cuius ſit, & ad quid.
*Art.*4. De efficacia huius Sacramenti. 243.546.
*Art.*3. De eius neceſſitate,&frequentatione.243
13. *Diſt. De poteſtate Sacerdotali conſecrandi.*
*Art.*1. *q.*4. De eadem in bonis & malis,&c.
*Art.*2 *q* 2. Quaſi Chriſtus non ſit ſub ſpeciebus in vẽtre muris,ſed hominis.243.516.517.538.
14. *Diſt. De virtute & Sacramento pœnitentiæ.* 693.
Art. 1. *q.* 3. De virtute abſolutè. 693.
Art. 2. *q.* 3. De eadem comparatiuè, &c. 693.
Art. 3. *q.* 3 De iteratione pœnitentiæ. *Ibid.*
*Art.*4.*q.*4. De fructu pœnitentiæ iteratæ. *Ibid.*
15. *Diſt. De integritate pænitentiæ.*
*Art.*1.*q.*6. Nonniſi pro omnibus peccatis ſimul.
*Art.*2.*q.*4. De ſatisfactione in communi. *c.*694.
Art. 3. De modo ſpeciali ſatisfaciendi. 694.
16. *Diſt. De tribus actibus pænitentiæ.*
Art. 1. *q.* 3. De contritione ſeu compunctione.
Art. 2. *q.* 4. De ſummo eius dolore.
Art. 3. *q.*2. De eius duratione. 695.
Art. 4. *q.*2. De eius intenſione. 695.
*Art.*5. *q.* 2. De pœnitentia ante Baptiſmum.
*Art.*6. *q.*2. De Pœnitentia mortalium poſt,&c.
*Art.*7. *q.*2. De Pœnitentia venialium. *col.*695.
17. *Diſt. De iuſtificatione, & Confeſſione Sacramentali.*
*Art.*1.*q.*4.De 4. neceſſarijs ad iuſtificationem.
*Art.*2. *q.*4. De ordine inter illa 4. *col.*696.697.
*Art.*3. *q.*3. De inſtitutione Confeſſionis. 697.
Art. 4. *q.* 3. De obligatione confeſſionis. 697.
*Art.*5.*q.*3. Quibus confitendum, aut non. 698.
*Art.*2. *q.*3. Quæ ſint confitenda. 698.
18. *Diſt. De poteſtate abſoluendi, & ligandi.*
*Art.*1. *q.*2. De poteſtate clauium. 698.
*Art.*2.*q.*2.An abſoluẽdi à culpa in Sacram.678
Art. 3. *q.* 2. De Claui Scientiæ. *col.* 698. 699.
Art. 4. *q.*6. De Poteſtate Iudiciali. 699.
19 *Diſt. Quando, quibus, in quos dentur claues.* 699.
*Art.*1. *q.*3. An olim, & quibus nunc. 699.
*Art.*2.*q.*2.Quando, & in quo ordine dentur.699.

Art. 3.

Art.3.q.2. An in omnes, vel ſolos ſubditos. 699.
20. Diſt. *De pœnitentia vſque ad mortem.*
Art.1.q.6. De pœna Purgatoria poſt mortem.
Art.2.q.6. De Satisfactione & Indulgentijs.
21. Diſt. *De remiſſione ante & poſt mortem.*
Art.1.q.2. De remiſſione præſenti venialiũ. 700.
Art.2.q.2. De remiſſione culpæ poſt mortẽ. 701.
Art.3.q.2. De liberatione à purgatorio. 702.
Art.4.q.3. De modo confitendi. 702. 703.
Art.5.q.2. De Sigillo Confeſſionis. col. 703.
22. Diſt. *De reditu peccati, & Re Sacramenti.*
Art.1.q.2. De reditu culpæ vel pœnæ. 703.
Art.2.q.2. De Re, & inſtitutione huius Sacram.
Art.3.q.2. De pœnitentia fundamentali. 704.
23. Diſt. *De Sacramento Extremæ-Vnctionis.* 827.
Art.1.q.4. De eius inſtitutione, materia, forma.
Art.2.q.4. De eius diſpenſatione, à quo, in quo.
24. Diſt. *De Sacramento Ordinis.* Ab 835. ad 841.
Art.1.q.4. De Clericatu. col. 835. 836.
Art.2.q.4. De Ordine communi, & Sacramẽtali.
Art.3.q.4. De charactere ſingulorum Ordinum.
Art.4.q.4. De diſtinctione & numero Ordinum.
25. Diſt. *De poteſtate ordinandi, & ordinandis.*
Art.1.q.4. De poteſtate ordinandi, &c. c. 839.
Art.2.q.3. De capacitate ad Ordines. 840. 841.
26. Diſt. *De Sacramento Matrimonij.*
Art.1.q.3. De eius inſtitutione. col. 859.
Art.2. De eius ſignis, & efficacia gratiæ. 860.
27. Diſt. *Quid ſit, & quæ cauſa Matrimonij.* 861.
Art.1.q.2. Quid ſit, & quæ eius æthimologia.
Art.2.q.2. De cauſa Matrimonij. *Ibid.*
Art.3.q.2. De eius indiſſolubilitate. *Ibid.*
28. Diſt. *De conſenſu adhoc neceſſario.* 862.
Art.1.q.6. De vario conſenſu, quis neceſſarius.
29. Diſt. *De conſenſu coacto.* 863.
Art.1.q.3. An, & quis ſufficiat, vel non. 863.
30. Diſt. *De errore, voto, ſine contrario.* 864.
Art.1.q.3. An ſint contra valorem Matrimonij.
31. Diſt. *De tribus Bonis coniugij, ſeu Matrimonij.*
Art.1.q.3. An ſint honeſta, & neceſſaria. 864.
Art.2.q.3. An excuſẽt à copula, vt culpabili. 865.
32. Diſt. *De debito coniugali.* 865. 866.
Art.1.q.2. Ante, poſt votum, vel conſummationẽ.
Art.2.q.2. An vitiũ corporis, vel animi excuſet.
Art.3.q.2. An quouis tempore obliget, & liceat.
Art.4.q.2. De tempore celebrandi nuptias. 867.
33. Diſt. *De varijs legibus coniugij.* 867.
Art.1.q.3. De vnica vel pluribus vxoribus ſimul.
Art.2.q.3. De Virginitate. col. 868.
Art.3.q.3. De Repudio. col. 869.
34. Diſt. *De impedimentis matrimonij.* 869.
Art.1.q.2. An, quot, & quæ ſint. col. 869.
Art.2.q.2. An & quæ impotentia dirimat.
Art.1.q.2. An & quæ furia, vel inceſtus. 870.
35. Diſt. *De diuortio.* 870. 871.
Art.1.q.6. An, ex qua cauſa, & ad quid fieri poſſit.
36. Diſt. *De conditione & ætate.* 872.
Art.1.q.3. An & quæ conditio ſeruilis dirimat.
Art.2.q.3. An & quis defectus ætatis, &c. 872.
37. Diſt. *De Ordine, & Crimine.*
Art.1.q.3. An & qui ordines dirimant. 873.
Art.2.q.3. An & quod vxoricidium dirimat. 873
38. Diſt. *De impedimento voti.*
Art.1.q.3. De voto in ſe: quid ſit, &c. 874.
Art.2.q.3. An & quod impediat, vel dirimat. 174.
39. Diſt. *De diſpari cultu fidei.*
Art.1.q.4. An & quis impediat, vel dirimat. 875.
Art.2.q.4. An & quomodo matrimonium Infidelium ſoluatur. 876.
40. Diſt. *De impedimento Conſanguinitatis.* 876.
Art.1.q.3. An & quouſque impediat, vel dirimat.
41. Diſt. *De impedimento Affinitatis.* 877.
Art.1.q.3. An, quouſque impediat, vel dirimat.
42. Diſt. *De cognatione ſpirituali, legali, & 2. Nuptijs.*
Art.1.q.3. De cognatione ſpirituali, eiuſq; imped.
Art.2.q.3. De legali, eiuſque impedimento.
Art.3.q.3. De ſecundis Nuptijs, &c. 878. 879.
43. Diſt. *De Reſurrectione ad Iudicium.*
Art.1.q.6. De Reſurr. noſtra, & Chriſti. 915. 916
Art.2.q.2. De libris aperiendis ad iudiciũ. 916.
Art.3.q.3. De libris conſcientiarum. 916. 917.
44. Diſt. *De ijs quæ reſurgent, & pœnis inferni.* 918.
Art.1.q.2. An humores, capilli, vngues reſurgẽt.
Art.2.q.2. Quid de eadem carne duorum. 917.
Art.3.q.2. Qualia reſurgent corpora ſingulorũ.
Art.4.q.2. An ſit pœna inferni, æterna. 918.
Art.5.q.2. An ſit pœna veri ignis. 918.
Art.6.q.2. Actio ignis in Spiritus.
45. Diſt. *Varius ſtatus animarum poſt mortem.*
Art.1.q.3. Receptacula 4. animarum. 919.
Art.2.q.3. Suffragia noſtra pro defunctis.
Art.3.q.3. Suffragia Beatorum pro nobis. 920.
46. Diſt. *Mitigatio pœnarum poſt mortem, &c.*
Art.1.q.4. An in inferno, vel ſolo purgatorio. 921.
Art.2.q.4. Concurſus Iuſtitiæ, & Miſericordiæ.
47. Diſt. *Modus & ordo extremi iudicij.*
Art.1.q.4. Iudicaturi, & Iudicandi. 922.
Art.2.q.4. Ignis conflagrationis. 922.
48. Diſt. *Index, locus, & ſtatus mundi poſt.* 922.
Art.1.q.4. Poteſtas, forma Iudicis, & *hora illa.*
Art.2.q.4. Nouus ſtatus mundi futurus. 923.
49. Diſt. *Beatitudo futura.* 923.
Art.1.q.6. Quid ſit, in quo ſubiecto, actu. 923.
Art.2.q.5. Gloria corporum. 924.
Art.3.q.2. Dotes 4. corporales *col.* 925.
50. Diſt. *Status futurus, & præſens damnatorum.* 925.
Art.1.q.3. Malitia voluntatis.
Art.2.q.3. Excæcatio intellectus.
Art.3.q.3. Cognitio Animarum ſeparatarum.
Art.4.q.3. Vermis damnatorum. Epilogus. 926.

INDEX in 1. Scoti, per Quæſt.

IN *Prologum Magiſtri Sent. Quæſtiones* 4. c. 117.
1. De doctrina ſupernaturali neceſſaria viatori.
2. An ſit ſufficiẽter tradita in Sacra Script. 119. 20.
3. Per 4. An & quomodo *Theologia* ſit ſcientia de Deo.
4. Per 2. An ſit practica, & vnde. 124. 125. 126.
In Diſt. 1. Quæſt. 5. *à col.* 125. *ad* 128.
1. Quid ſit fruitio, & cuius obiecti. 125. 126.
2. An ſit vnica ratio fruibilis, vel plures. 126.
3. An fruitio ſit actus, vel delectatio. *Ibid.*
4. An volũtas neceſſariò fruatur ſuo fine. 126. 127.
5. An voluntas Dei fruatur, & quo. 128.
In Diſt. 2. Quæſtiones 7. *à col.* 128. *ad* 136.
1. An ſit ens aliquod infinitum.
2. An hoc ſit per ſe notum. 128. 129. 130.

3. An

Digitized by Google

3. *An ſit vnicus Deus.* 131.
4. *An cum hoc ſint plures Perſonæ Diuinæ.*
5. *An ſint tres, nec plures, nec pauciores.*
6. *An ſit aliqua producibilis.*
7. *An ſint in Deo duæ productiones.col.*133.*l.*11.12.
Muta, *hanc*, in *illam*.
*In Diſt.*3. Quæſtiones 9. *à col.*136.*ad* 147.
1. *An Deus ſit à nobis naturaliter cognoſcibilis.*
2. *An ſit noſtrum primum cognitum.*
3. *An ſit noſtrum adæquatum obiectum naturale.*
4. *An nulla veritas ſit nobis naturaliter cognoſcibilis.*
5. *An in omni creatura ſit in veſtigium SS.Trin.*
6. Per 5. *De memoria intellectuali, & intellectione.*
7. *An intellectus & obiectum ſint cauſa actus.*
8. *Vtrum ſit cauſa principalior.*
9. *An in mente ſit imago SS. Trin. & quæ.*
*In Diſt.*4. Quæſtiones 2. *col.* 147.
1. An ſit verum : *Deus genuit alium Deum.*
2. *An* hoc : *Deus eſt Pater, Filius, & Spiritusſ.*
*In Diſt.*5. Quæſtiones 2. *col.* 148. 149.
1. *An Eſſentia Diuina generet, vel generetur.*
2. *An Filius generetur de ſubſtantia Patris.*
*In Diſt.*6. Quæſtio vnica. *col.* 150.
1. *An Deus Pater generit Deum Filium voluntate.*
In Diſt. 7. Quæſt. vnica. *col.* 150. 151.
An potentia generandi ſit quid abſolutum, vel &c.
*In Diſt.*8. Quæſt. 5. *à col.* 151. ad 157.
1. *An Deus ſit ſummè ſimplex.*
2. *An aliqua creatura ſit ſimplex.*
3. *An Deus ſit in, vel ſub aliquo genere.*
4. *An & quæ ſit diſtinctio eſſentialium in Deo.*
5. *An ſolus Deus ſit immutabilis.*
In Diſt. 9. Quæſtio vnica. *col.* 157.
An generatio Filij in Diuinis ſit æterna.
In Diſt. 10. Quæſtio vnica. *c.* 157.
An Spiritus S. producatur per modum voluntatis.
*In Diſt.*11. Quæſt.2. *c.* 158.
1. *An Spiritusſ. procedat à Patre, & Filio.*
2. *An ſi non procederet ab eo, poſſet diſtingui realiter.*
*In Diſt.*12. Quæſt.2. *c.* 158. 159.
1. *An ſpirent Spiritum S. vt vnum principium, vel duo.*
2. *An Pater & Filius ſpirent vniformiter Spiritum S.*
In Diſt. 13. Quæſt. vnica. *col.* 160.
An productio Spiritusſ. ſit generatio.
*In Diſt.*14.15. Quæſtio vnica. 161.
An quælibet Perſona mittat, & mittatur.
*In Diſt.*16. Quæſt. vnica. *c.* 161.
An miſſio viſibilis conueniat Spiritui S.
*In Diſt.*17. Quæſt. 6. *à col.* 161. ad 168.
1. *An ſit charitas habitualis, & inhærens.*
2. *An habitus ſit principium actiuum actus.*
3. *An virtus ſit principium actiuum bonitatis in actu.*
4. *An tota prior Charitas corrumpatur, cum intēditur.*
5. *An prior Charitas ſit tota eſſentia poſterioris.*
6. *An augeatur per extractionem nouæ partis, &c.*
*In Diſt.*18. Quæſt. vnica. *col.* 166.
An Donum dicat proprietatem perſonalem Spiritus S.
In Diſt. 19. Quæſt.2. *c.* 167.
1. *An Perſonæ ſint æquales magnitudine.*
2. *An quælibet Perſona Diuina ſit in alia.*
*In Diſt.*20. Quæſt. vnica. *c.*168.
An Perſonæ ſint æquales in potentia.
In Diſt. 21. Quæſt. vnica. *c.*169.
An h.c i.t vera : *Solus Pater eſt Deus.*
In Diſt. 22. Quæſt.2. *col.* 169. 170.
1. *An Deus ſit nominabilis nomine ſuæ Eſſentiæ.*
2. *An Deus ſit propriè nominabilis à nobis.*
In Diſt. 23. Quæſt. vnica. 171.
An in Diuinis ſit propriè numerus.
*In Diſt.*25. Quæſtio vnica.171.
An Perſona in Deo dicat ſubſtantiam, vel relationē.
*In Diſt.*26. Quæſt. vnica. *à col.* 171. ad. 175.
De conſtitutiuo Perſonæ Diuinæ, relatiuo an abſoluto.
In Diſt. 27. Quæſt. 3. *col.* 175. 176.
1. *An Verbum creatum ſit intellectio actualis.*
2. *An Verbum Diuinum ſit proprium Perſonæ genitæ.*
3. *An dicat reſpectum ad creaturam.*
In Diſt. 28. Quæſt. 3. *col.* 176. 177. 178.
1. *An ingenitum eſſe ſit proprietas Patris.*
2. *An innaſcibilitas conſtituat primam Perſonam.*
3. *An conſtituatur relatione poſitiua ad ſecundam.*
*In Diſt.*29. Quæſt. vnica. 179.
De principio perſonali, notionali, eſſentiali.
In Diſt. 30. Quæſt.2. *col.* 179. 180.
1. *An aliqua relatio dicatur de Deo ex tempore.*
2. *An poſſit eſſe aliqua realis Dei ad creaturam.*
*In Diſt.*31. Quæſt. vnica. 180. 181.
An identitas, ſimilitudo, æqualitas, ſint reales in Deo.
*In Diſt.*32. Quæſt.2. *col.* 181. 182.
1. *An Pater & Filius diligāt ſe Spiritu S. Al.*71. *S.Bon.*
2. An *Pater ſit Sapiens ſapientia genita. Al.*70. *S.Bon.*
*In Diſt.*33. 34. Quæſt.3. *c.*182. 183.
1. *An Perſona ſit idem cum eſſentia.*
2. *An proprietas ſit idem cum Perſona.*
3. *An proprietas ſit idem cum Eſſentia.*
In Diſt. 35. Quæſt. vnica. 183. 184.
An ſint in Deo relationes æternæ, ad omnia ſcibilia.
In Diſt. 36. Quæſt. vnica. 184. 185.
An vt cognita à Deo, habeāt verè eſſe eſſentiæ. S.Bon.
In Diſt. 37. Quæſt. vnica. 185.
An Omnipotentia Dei *inferat Immenſitatem.*
In Diſt. 38. Quæſt. vnica. 185. 186.
*An ſcientia Dei ſit practica factibilium. Al.*24. *S.Bon.*
In Diſt. 39. Quæſt. 1. per 5. *à col.* 185. ad 189.
1. *An* Deus *habeat notitiam omnium exiſtentium.*
2. *An hæc* Dei *notitia ſit certa, & infallibilis.*
3. *An ſit immutabilis.*
4. *An ſit neceſſaria.*
5. *An ſit cum aliqua rerum contingentia.*
*In Diſt.*40. Quæſt. vnica. 189.
An prædeſtinatus poſſit damnari.
In Diſt. 41. Quæſt. vnica. 190. 191.
An ſit aliquod meritum Prædeſtinationis, & *Reprob.*
*In Diſt.*42. Quæſt. vnica. 191.
An poſſit probari Deum *eſſe Omnipotentem.*
*In Diſt.*43. Quæſt. vnica. 192.
An prima ratio impoſſibilitatis ſit ex parte rei.
In Diſt. 44. Quæſt. vnica. 192.
An Deus *poſſit res aliter facere, quàm ordinauit.*
*In Diſt.*45. Quæſt. vnica. 192. 193.
An Deus *ab æterno voluerit alia à ſe.*
In Diſt. 46. Quæſt. vnica. 193.
An voluntas Beneplaciti Dei *ſemper impleatur.*
*In Diſt.*47. Quæſt. vnica. 193. 194.
An permiſſio Dei *ſit aliquis actus voluntatis eius.*
*In Diſt.*48. Quæſt. vnica. 194.
An voluntas noſtra ſit bona, conformata Diuinæ.

Quæſtiones

Quodlibeta ad 1. *Sent.* à *col.* 193.

1. *AN Eſſentialia Dei ſint immediatiora Eſſentiæ.*
2. *An in Deo poſſint eſſe plures productiones, &c.*
3. *An relatio poſſit eſſe res, & ratio tantùm.*
4. *An 1. Perſona poſſit abſolutè conſtitui & diſtingui.*
5. *An relatio originis ſit formaliter infinita.*
6. *An æqualitas in Diuinis ſit realis.*
7. *An poſſit demonſtrari Deum eſſe Omnipotentem.*
8. *An Verbũ Dei habeat propriã cauſalitatẽ creaturæ.*
13. *An actus cognoſcẽdi, & appetẽdi ſint abſoluti, &c.*
14. *An anima poſſit naturaliter cognoſcere Trinit.*
15. *An intellectus poſſibilis ſit actiuus, vel paſſiuus.*

In 2. Sent. *Diſt.* 1. q. 5. à 149. ad 154.

1. *AN prima cauſalitas omniũ ſit in tribus Perſonis*
2. *An Deus poſſit aliquid creare.*
3. *An poſſit cauſari aliquid ab æterno.*
4. *An creatio, & relatio ad Deum ſit eadem creaturæ.*
5. *An Angelus & anima differant ſpecie.*

In Diſt. 2. Quæſt. 12. *à col.* 154. *ad* 160.

1. *An in exiſtentia Angeli ſit aliqua ſucceſſio.*
2. *An æuum ſit menſura realiter diſtincta ab Angelo.*
3. *An omnium æuiternorum ſit vnum æuum.*
4. *An operatio Angeli menſuretur æuo.*
5. *An Angelus ſit in loco.*
6. *An locus Angeli ſit determinatus, &c. col.* 156.
7. *An Angelus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis.*
8. *An Angeli poſſint eſſe ſimul in eodem loco.*
9. *An Angelus poſſit moueri continuè.*
10. *An Angelus poſſit ſe mouere.*
11. *An poſſit moueri in inſtanti.*
12. *An poſſit moueri ad diſtans non per medium.*

In Diſt. 3. Quæſt. 10. *à col.* 160. *ad* 167.

1. *An ſubſtantia materialis ſit ex ſe ſingularis.*
2. *An ſit de ſe indiuidua per poſitiuum intrinſecum.*
3. *An ſit indiuidua, vel indiuiduet per exiſtentiam.*
4. *An ſit indiuidua per quantitatem.*
5. *An ſit indiuidua per materiam.*
6. *An plures Angeli poſſint eſſe eiuſdem ſpeciei.*
7. *An poſſint ſe cognoſcere per ſuam eſſentiam.*
8. *An habeant notitiam naturalem diſtinctam Dei.*
9. *An non cognoſcant quidditates alias niſi per ipſas.*
10. *An poſſint proficere cognitione à rebus ipſis.*

In Diſt. 4. 5. Quæſt. 3. *col.* 167. 168.

1. *An Angeli priùs fuerin, quàm beatificati.*
2. *An prius meruerint quàm acceperint.*
3. *An fuerint Beati vel miſeri primo inſtanti.*

In Diſt. 6. Quæſt. 2. *col.* 168. 169.

1. *An mali potuerint appetere æqualitatem Dei.*
2. *An primum eorum peccatum fuerit ſuperbia.*

7. *Diſt. q.* 1. *De malitia Diaboli. col.* 170. 171.
8. *Diſt. q.* 1. *De aſſumptione corporum. col.* 171.
9. *Diſt. q.* 2. *De illuminatione & locutione Angelorũ.* 172
10. *Diſt. De Miſſione. col.* 173.
11. *Diſt. q.* 1. *De Cuſtodia Angelorum. col.* 173.
12. *Diſt. q.* 2. *De Materia* 1. *col.* 174.
13. *Diſt. q.* 1. *De luce & lumine. col.* 175.
14. *Diſt. q.* 3. *De cœlis. col.* 175. 176.
15. *Diſt. q. De Elementis, & Mixtis. col.* 176.
16. *Diſt. q. De Potentijs Animæ. col.* 177.
17. *Diſt. q.* 1. *De Anima Adæ.* 2. *De Paradiſo.* 177. 178.
18. *Diſt. q. De ratione ſeminali.* 178.
19. *Diſt. q. De ſtatu corporali Innocentiæ.* 179.
20. D. q. 179. 1. *An filij fuiſſent tunc ſtatim cõfirmati in iuſtitia.* 2. *An tunc illi ſoli fuiſſent geniti, qui nunc electi.* 3. *An tũc creuiſſet corpore & ſcientia, vt nũc.*
21. D. q. 1. *An primũ peccatũ hominis potuerit eſſe veniale.* 2. *An primũ pecc. Adæ fuerit omniũ grauiſſimũ.*
22. D. q. *An peccatum Adæ fuerit ex ignorantia.* 180.
23. D. q. *An voluntas creata poſſit eſſe impeccabilis.* 181
24. *Diſt. q. De portione ſuperiore & inferiore.* 181. 182.
25. *Diſt. q. De cauſa actus volendi.* 182.
26. *Diſt. q. De ſubiecto gratiæ.* 182.
27. *Diſt. q. An gratia ſit Virtus.* 183.
28. *Diſt. q. De vi liberi Arb. ſine gratia.* 183.
29. *Diſt. q.* 1. *De Iuſtitia originali.* 184.
30. *Diſt. q.* 2. *An, quorum, & quid ſit pecc. orig.* 184.
31. *Diſt. q.* 1. *Vnde contrahatur.* 184.
32. *Diſt. q.* 1. *An in Baptiſmo remittatur.* 184. 185.
33. *Diſt. q.* 1. *De pœna peccati orig.* 186.
34. *Diſt. q.* 1. *An peccatum ſit à bono.* Ibid.
35. *Diſt. q.* 1. *An ſit per ſe corruptio boni.* 187
36. *Diſt. q.* 1. *An vnum ſit pœna alterius.* Ibid.
37. *Diſt. q.* 1. *An poſſit eſſe à Deo.* 2. *A quo ſit actus.*
38. *Diſt. q.* 1. *De intentione.* 190.
39. *Diſt. q.* 1. *De Syndereſi.* 2. *De conſcientia.*
40. *Diſt. De bonitate morali actus.* 191.
41. *Diſt. q.* 1. *De actu indifferenti.*
42. *Diſt. q.* 5. *De duplici diuiſione peccati.* 192. 193.
43. *Diſt. q.* 1. *De peccatis in Spiritum S. q.* 2. *De peccatis ex malitia.* 194.
44. *Diſt. q.* 1. *De potentia peccandi.* Ibid.

Ex Qvodlibetis. 9. *An Deus poſſit facere Angelum informare materiam.* 11. *An corpus poſſit coexiſtere loco, ſine vbi in illo.* 12. *An ſit idem reſpectus creaturæ ad Deum creantem, & conſeruantem.* 13. *An actus cognoſcendi & appetendi ſint eſſentialiter abſoluti, vel relatiui.* 17. *An actus dilectionis naturalis, & meritoriæ, ſint eiuſdem ſpeciei.* 18. *An actus exterior, addat aliquid bonitatis, aut malitiæ.* 195.

In 3. *Diſt.* 1. Quæſtiones 5.

1. *AN fuerit poſſibile naturam humanam vniri Verbo.* 2. *An tres Perſonæ poſſint aſſumere eandem naturam.* 3. *An vna Perſona poſſit aſſumere plures naturas.* 4. *An ſuppoſitum creatum poſſit ſuſtentare aliam naturam.* 5. *An proprietas relatiua terminet hanc vnionem.* à 177. ad 181.
2. *Diſt. q.* 1. *An natura ſic vnita Deo, poſſit eo non frui.* 2. *An Verbum immediatè aſſumpſerit totam naturã.* 3. *An organizatio corporis præceſſerit.* 181.
3. *Diſt. q.* 1. *An Beata Virgo fuerit concepta in pecc. orig.* 2. *De Sanctificatione Corporis Chriſti.* 182. 183.
4. D. q. 1. *An B. V. verè fuerit Mater* Dei & *hominis.*
5. D. q. 1. *An natura diuina potuerit aſſumere humanam.* 2. *An perſona creata potuerit aſſumi.* 185.
6. *Diſt. q.* 1. *An in Chriſto ſit aliud eſſe Verbi, ab eſſe creato.* 2. *An Criſtus ſit aliqua duo.* 3. *Quæ opinio ex tribus ſit tenenda, &c.* 185. 186.
7. *Diſt. q.* 1. *An hæc ſit vera:* Deus eſt homo. 2. *An hæc ſit vera: Deus factus eſt homo.* 3. *An Chriſtus fuerit prædeſtinatus eſſe Filius* Dei. 186. 187. 189.
8. *Diſt. q.* 1. *An in Chriſto ſint duæ Filiationes.* 188.
9. *Diſt. q.* 1. *De latria Chriſti.* 189. 190.
10. D. q. 1. *An Chriſtus ſit Filius* Dei *adoptiuus.* 190.
11. *Diſt. q.* 1. *An Chriſtus ſit creatura.* 2. *An vt homo ſit creatura.* 3. *An incœperit eſſe.* 191. 192.

12. Diſt. q. 1. *An Chriſtus potuerit peccare*. 192.

13. Diſt. q. 1. *An potuerit ei conferri ſumma gratia poſſibilis. 2. An fuerit ei collata. 3. An poſſit ſummè frui. 4. An hoc ſine ſumma gratia*. 192. 193.

14. Diſt. q. 1. *An anima Chriſti potuerit perfectiſſimè videre Verbum. 2. An poſſit videre omnia in Verbo. 3. An & in genere proprio. 4. An ſic etiam nouerit omnia perfectiſſimè*. 193. 194. 195.

15. D. q. 2. *An in portione ſuperiori animæ Chriſti fuerit verus dolor*. Præclara de paſſionibus Animi. 196.

16. Diſt. q. 1. *An Chriſtus habuerit neceſſitatem moriendi. 2. An potuerit non mori ex vi paſſionis*. 197.

17. Diſt. q. 1. *De duplici voluntate Chriſti*. 198. 199.

18. Diſt. q. 1. *An Chriſtus meruerit primo inſtanti ſuæ Conceptionis. Quid ſit meritum, &c*. 199. 200.

19. Diſt. q. *De ſufficientia, & efficacia meritorũ Chriſti*.

20. Diſt. q. *An Paſſio Chriſti fuerit nobis neceſſaria*. 201

21. Diſt. q. *An Corpus Chriſti fuiſſet putrefactum*.

22. Diſt. q. *An Chriſtus fuerit homo triduo mortis*. 202.

23. Diſt. q. *An ſit neceſſaria fides infuſa*. 203. 204.

24. Diſt. q. *An ſtent ſimul fides, & ſcientia eiuſdè*. 205.

25. Diſt. q. 1. *De fide neceſſaria ante Chriſtum. 2. An fides ſupponat habitum infuſum voluntati*. 207.

26. Diſt. q. *An ſpes ſit alia virtus Theol*. 207. 208.

27. Diſt. q. *An ſit aliqua virtus Theol. charitatis*. 209.

28. Diſt. q. *An eadem ſit diligendus proximus*. 210.

29. Diſt. q. *De dilectione ſui ipſius poſt Deum*. 211.

30. Diſt. q. *An eadem ſit diligendus inimicus*. 211.

31. Diſt. q. *An charitas maneat in patria*. 212.

32. Diſt. q. *An Deus diligat omnia æqualiter*. Ibid.

33. Diſt. q. *De virtutibus moralibus, &c*. 213. 214.

34. Diſt. q. *De iiſdem, & Donis, Beatit. Fructibus*. 214.

35. Diſt. q. *De 4. Donis diſtinctè*. 215.

36. Diſt. q. *De connexione virtutum*. 216. 217.

37. Diſt. q. *De præceptis Decalogi, &c*. 217. 218.

38. Diſt. q. *De mendacio*. 218. 219.

39. Diſt. q. *De periurio*. 219. 220.

40. Diſt. q. *De lege noua, & veteri*. 220.

QVODLIBETO 19. An vnitas naturæ humanæ ad Verbum, ſit ſola illius ab hoc dependentia? *Reſp*. Nõ vtà cauſa, ſed vt à termino, &c. Vid. 1. q. 1.

Status controuerſiæ, de Conceptione immaculata B. V. M. à 221. ad 224.

IN LIB. IV.

1. Diſt. q. 7. *De Sacramentis in genere, indicãtur. A 2. ad 6. De Baptiſmo, indicantur*. 139.

7. Diſt. q. 5. *De Sacramento Confirmationis. q. 1. Quid ſit. 2. An ſit neceſſarium. 3. Quam ſit dignum. 4. An non poſſit iterari. 5. Sub qua pœna*. 224. 225.

Ab 8. ad 13. *De Sacramento Euchariſtiæ, indicantur*. 243. Sed reſumuntur infra.

8. *Diſt. q. 1. col. 265. q. 2. De forma conſec*. 489. q. 3. De *communione à ieiunis. col*. 539.

9. Diſt. q. *De communione in gratia*. 539. 540.

10. Diſt. q. 9. *De modo exiſtendi, & operandi Chriſti in hoc Sacram*. à *col*. 412. ad 420.

11. Diſt. q. 7. De *Tranſubſtantiatione, &c*. Supplendo ex Quodl. 10. 426. 432.

12. *Diſt. q. 6. De ſpeciebus conſecratis*. à 432 ad 446.

13. *Diſt. q. 2*. De *actione Dei, & Miniſtri*. 446. 447.

Quodlib. 20. De fructu & applicatione Miſſæ. 559.

14. *Diſt. q. 1*. De neceſſitate *Pænitentiæ*, & culpa poſt actum. 2. De *Pænitentia* virtute, *Contritione & Attritione*. 3. De triſtitia *pænitentiæ*. 4. De *Sacramento pænitentiæ*. à 704. ad 709.

15. *Diſt. q. 1*. De *Satisfactione*. 2. De *Reſtitutione*. 3. Bonorum corporis, & animi. 4. Famæ. à 709.

16. *Diſt. q. 1*. De tribus Partibus *Pænitentiæ*. 2. De remiſſione culpæ, & Infuſione gratiæ. 716. 717.

17. *Diſt. q*. De *Confeſſione* Sacramentali, &c.

18. *Diſt. q*. De *poteſtate clauium*. 720.

19. *Diſt. q*. An, quæ, cui, quãdo conferatur. 720. 721

20. *Diſt. q*. De *Pænitentia finali*. 722.

21. *Diſt. q. 1*. De Remiſſione venialium poſt mortem. 2. De *Sigillo Confeſſionis*. 722. 723. 724.

22. *Diſt. q*. An eædem culpæ redeant per relapſum.

23. *Diſt. q. 1*. De *Sacramento Extremæ-Vnctionis*. 829.

24. *Diſt. q. 1*. De *Sacramento Ordinis*. 841. 842.

25. *Diſt. q. 1*. De Pœnis Canonicis. 2. De ſexu, & ætate ad ordines. 843. 844.

26. *Diſt. q. 1*. De *Matrimonio*, vt à Deo. 879. 880.

27. *Diſt. q. 1*. Quid ſit, &c. 2. De conſenſu expreſſo.

28. *Diſt. q. 1*. De conſenſu pro præſenti. 881.

29. *Diſt. q*. De conſenſu non coacto. 881. 882.

30. *Diſt. q. 1*. De conſenſu non erroneo. 2. De *Matrimonio* inter B. V. M. & *S. Ioſeph*. 882. 883.

31. *Diſt. q. 1*. De tribus Bonis Coniugij. 883. 884.

32. *Diſt. q*. De reddendo debito coniugali. 884.

33. *Diſt. q. 1*. De *Bigamia*. 2. An & quæ impediat ordinationem. 3. De *Repudio*. 884. 885.

A 34. ad 42. De impedimentis, *Impotentiæ*, 885. *Adulterij*, 886. *Seruitutis*, *Ætatis*, 887. *Ordinis*, Ib. *Voti*, 888. *Diſparis cultus*, Ibid. *Cognationis carnalis*, Ibid. *Affinitatis*, 889. *Cognationis ſpiritualis*, Ibid.

43. *Diſt. q. 1*. De *Reſurrectione*, an ſit futura. 2. An poſſit noſci ratione naturali. 3. An poſſit fieri naturaliter. 4. An *Reſurrectio* ſit naturalis. 5. An ſit futura in inſtanti.

44. *Diſt. q. 1*. Quid, in quo, quæ reſurgent. 2. De cruciatu Spirituum ab igne. 3. Poſt Reſur.

45. *Diſt. q. 1*. De intellectione animæ ſeparatæ. 2. An poſſit aliquid noui cognoſcere. 3. An poſſit recordari præteritorum. 4. An Beati cognoſcant preces noſtras. 932. 933.

46. *Diſt. q. 1*. De iuſtitia Dei. 2. De miſericordia. 3. De earum diſtinctione. 4. De vtraq; ſimul. 934.

47. *D. q. 1*. De iudicio vniuerſali. 2. De igne ante 935.

48. *Diſt. q. 1*. De Chriſto Iudice. 2. De ſtatu mundi poſt Iudicium. *Ibid*.

49. *Diſt. q. 1*. De Beatitudine. 2. An immediatè perficiat eſſentiam, vel potentiam. 3. An conſiſtat in pluribus operationibus ſimul. 4. An ſit in actu intellectus vel voluntatis, & vtra potentia ſit nobilior. 5. An conſiſtat in actu fruitionis. 6. An ſecuritas ſit de eius eſſentia. 7. An etiam gaudium. 8. De natura capaci Beatitudinis. 9. De appetitu Beatit. 10. & omnium propter illam. 11. An poſſit acquiri ex naturalibus. 12. An in hac vita mortali. 13. De corpore impaſſibili Beatorum. 14. De agilitate. 15. De claritate. 16. De ſubtilitate corporum glorioſorum. à 936. ad 945.

50. *Diſt. q. 1*. De appetitu non eſſendi. 2. An ſit in damnatis. 3. An Beati videant eorum pœnas. 4. An pœna omnium ſit æqualis. 5. An Beatitudo omnium ſit æqualis. 6. An beatitudo corporum ſit æqualis.

Digitized by Google

IN communi. 1. Singulæ proponunt aliquem titulum principalem ordine Doctrinæ. 2. Recolligunt vndique Doctrinam noſtrorum Authorum circa illum titulum, & reliqua dubia. 3. Reſpondent ad omnia ſimul, aut diſtinctè, breuiter & laconiſè, per modum theſis. 4. Probant omnia ſimul, vel ſeorſim, ex ſacris Script. Symbolis, Conc. Cenſuris Eccleſiæ, Patribus, tribus noſtris Authoribus, & varijs rationibus, vel rationabili totius Reſponſionis, & ſingularum partium eius explicatione. 5. Opponunt & reſoluunt difficultates ex ſacris Script. Symbolis, Conc. Cēſuris, Patribus, noſtris Authoribus, & rationibus.

IN I. QVÆSTIO 1. *à col.* 917. *ad* 211.

An & quid corrigendum, ſupplendum, vel conciliandum ſit, circa doctrinam proemialem noſtrorum Authorum: de Theologia, eiuſq; diuiſione, obiecto, perfectione obiectiua, principijs, medijs, fine, & praxi.

R*Eſponſio.* In hac tota Doctrina nihil corrigi: ſed quædam facilè conciliari, recolligi, ordinari, & expreſſiùs ſuppleri poſſunt.

1. De nomine, re, & diuiſione Theologiæ: in *Myſticam, Poſitiuam, Scholaſticam,* &c *col.* 197. 198.

2. De neceſſitate, & vtilitate Theologiæ *Scholaſticæ:* Deque eius certitudine, ſeu conſequentijs, & medijs proprijs. 198. 199. 209. 210.

3. De Obiecto totius Theologiæ, & fundamento, ac commendatione *Myſticæ.* 199. 200. 201. 202. 205. à 277. ad 280. Et in 2. 424.

4. De Fine & praxi Theologica. 202. 203. *Difficultates* indicantur. *col* 33. n. 1. exceptâ, de ſufficientia ſacræ Script. 207. 208.

QVÆSTIO 2. *à col.* 211. *ad* 226.

De Eſſentia, Natura, Exiſtentia, & Eſſentialibus Dei.

R*Eſp.* Deus eſt neceſſariò & eſſentialiter Subſtantia, Spiritualis, Viuens, Intellectualis, Singularis, & exiſtens Eo ſenſu quo ſingula ibi explicantur, & conſequenter probantur, hicq; indicātur.

Quid Eſſentia, Eſſentiale, Natura, Exiſtentia, Subſtantia, Spiritualitas, Vita, Intellectualitas, Singularitas. 211. 212. 213. 218.

An & quomodo hæc omnia ſint formaliter eſſentia, de eſſentia, & eſſentialia Deo. 213. 224.

An & quo ſenſu Deus ſit, QVI EST. à 214. ad 218.

An tam ſit per ſe notum Deum eſſe, vt non poſſit cogitari non eſſe. *col.* 218. 129.

An & de quo conceptu Dei poſſit demonſtrari eſſe, à priori vel poſteriori. 219. 220.

Quid ſit ens per eſſentiam, & ens per participationem. 219. 220.

De nomine Dei Tetragrammato, ab eſſendo. 221.

An & quæ ſit vniuocatio inter eſſentialia Dei & noſtra. 224. 225. 226. Vt & *ſupra* 33. n. 3.

QVÆSTIO. 3. *à col.* 226. *ad* 242.

De infinita perfectione Dei.

R*Eſp.* Deus eſt infinitæ perfectionis actualis: vnicæ quidem, identicè, & eſſentialiter; pluriũ tamen modaliter & formaliter, illi propriarum, & coinfinitarum, in modo aliquo eſſendi, vel operandi; ſed nullius perſonalis, aut relatiuæ. 228.

Quid, & quotuplex perfectio: finita, infinita, intenſiuè, extenſiuè, ſimpliciter, ſecundùm quid. &c. 226

An, quæ, quanta, quotuplex perfectio Dei abſoluta tantùm & formalis, vel etiam relatiua & perſonalis. *col.* 228. 229. 230. 231. De diſtinctione formali obiectiua, non autem reali, nec ſolius rationis noſtræ formalis. à *col.* 237. ad 239. De nulla perfectione relatiua, & perſonali. 231. 237. 238. De non pluribus quàm tribus perfectionibus, & modis intrinſecis Dei: præcipuè de *Intellectualitate.* 231. à 239. ad 242. Vt & ſupra. 34. n. 7.

QVÆSTIO 4. *à col.* 242. *ad* 254.

De perfectiſſima Simplicitate Dei.

An, Quæ, Quanta ſit, &c. 241. 242.

R*Eſp.* Deus eſt perfectiſſimè ſimplex: per identitatem realem omnium in ſe. Simplicitas eius eſt ſolus modus intrinſecus vnitatis: nec differt adæquatè ab Infinitate, ex qua oritur immediatè. Nec obſtat, ſed potiùs fauet diſtinctioni formali & vniuocationi *Scoti. col.* 242. 243.

De tanta Simplicitate Dei, ex Sacris Script. Symb. Conc. PP. à col. 243. ad 246.

Ratio & explicatio ſingulorum 246. 247.

De diſtinctione formali *Scoti,* cum tanta Simplicitate Dei: fauente *S. Anſelmo,* nec repugnante *S. Bern.* à *col.* 247. ad 254. Vt & *ſupra* 34. n. 5. 8.

QVÆSTIO 5. *A col.* 253. *ad* 260.

De perfectiſſima Immutabilitate Dei.

An, Quid & quotuplex, &c. 253.

R*Eſp.* Deus ex ſua infinita perfectione, & ſimplicitate, eſt poſitiuè, contrariè, perfectiſſimè, infinitè immutabilis: modo intrinſeco toti perfectioni ac entitati Dei, ab alijs modis inadæquatè diſtinctio .i. Eſt tam ſtabilis in toto ſuo eſſe, & perfectione: vt ſit impoſſibile eum vllo modo, realiter vel moraliter, ab eodem ſtatu mutari. 253.

Ex Sacris Script. Symb. Conc. PP. præ omnibus *B. Aug.* De immutabilitate voluntatis, & ſcientiæ Dei. 254. 255.

Singula explicantur, & probantur ratione. 256.

De eadem immutabilitate Dei, etiam morali, in cognoſcendo, & volendo liberè & terminatiuè ad omnia. à *col.* 257. ad 260.

QVÆSTIO 6. *à col.* 260. *ad* 268.

De Æternitate Dei.

An, quid, cuius ſit in Deo, &c. à 259. *ad* 262.

R*Eſp.* Solus Deus eſt verè, & propriè æternus, poſitiuè, abſolutè, perfectiſſimè, & infinitè: modo intrinſeco ab alijs inadæquatè diſtincto, cuiuſlibet perfectionis Diuinæ vt vitalis, &c. 262.

Ex ſacris Script. Symb. Conc. PP. à 262. ad 265.

Ex ſenſu rationabili totius Reſp. 265.

Diff. Solutæ & conciliatæ. *col.* 266. 267. 263.

Vt & ſupra. *col.* 34. 35. n. 9.

Digitized by Google

QVÆSTIO 7. *à col. 268. ad 278.*

De Jmmenſitate & Vbiquitate Dei.

R*Eſp.* Deus eſt verè & propriè immenſus, & vbique: poſitiuè, abſolutè, & infinitè; modo intrinſeco à prioribus inadæquatè diſtincto, cuius perfectioni Diuinæ proprio. Quo Deus eſt ſibi-ipſi præſentiſſimus, & intimiſſimus: indeque ſufficientiſſimus ad terminandam omnium poſſibilium exiſtentium neceſſariam præſentiam ad ſe; abſque vlla tamen ſui extenſione extra ſe, multò minùs per ſpatia imaginaria. Vt ibi probatur & explicatur, hicque indicatur.

Immenſitas, & *Vbiquitas Dei. An, quid, quanta, cuius, ex quo, ad quæ ſit. col.* 268. 272. 273. *Eſt cuiuſuis perfectionis Diuinæ.* 273. *Non ex Omnipotentia, nec ad illam, ſed immediatè ex infinitate, & prior ipſa ſimplicitate.* 274. *Quomodo vbiq; per Eſſentiam, Potentiam, Præſentiam.* 267. 276. 277. 278. Difficultas & conciliatio indicatur. *col.* 35. n. 10.

QVÆSTIO 8. *à col. 278. ad 301.*

De Jncomprehenſibilitate, Inuiſibilitate, Ineffabilitate, & ſi quibus adhuc alijs modis intrinſecis Dei.

R*Eſp.* Solus Deus eſt Incomprehenſibilis, Inuiſibilis, & Ineffabilis: vno eodemque modo, intrinſeco, poſitiuo, & abſoluto, ab alijs inadæquatè diſtincto, infinitæ perfectionis obiectiuæ, tam vt fruibilis, quàm intelligibilis. Nec hæc infinitas eſt contra noſtram Beatitudinem viſionis, & fruitionis Dei, &c. Vt ibi probatur & explicatur, hicque indicatur.

Incomprehenſibilitas, Inuiſibilitas, Ineffabilitas Dei. An & quid ſint, poſitiuè, & abſolutè. An & quàm differant inter ſe, vel ab alijs modis. Sunt ipſa infinita intelligibilitas, & fruibilitas Dei, vt nobis ſupernaturalis, ſoli Deo poſſibilis, ac libera extra ſe. col. 277. 284. 285. *Quid ſit Comprehenſio, Viſio, Dictio, Fruitio Dei. col.* 286. 287. 288. 289. *Quo ſenſu & modo nobis à Deo poſſibilis, vel impoſſibilis: An nonniſi per habitum gloriæ & charitatis; vel etiam per ſolam influentiam actualem Dei. col* 278. 290. 291. 292. 293. Diffic. ſolutæ, & conciliatæ indicantur. *col.* 35. n. 11.

QVÆSTIO 9. *A col. 302. ad 317.*

De Vnitate Dei.

R*Eſp.* Eſt de Fide, & lumine naturali Deum eſſe vnum, ſeu vnicum, nec poſſe eſſe plures. Vnitas Dei non eſt ſolùm negatiua, aut relatiua: ſed priùs poſitiua, & abſoluta perfectio, ſingularitas, vel ipſa ſimplicitas Dei, &c. Vt ibi Dogmaticè, & Scholaſticè probatur, ac explicatur, hicque indicatur.

Vnitas, quid & quotuplex. An, & quæ ſit paſſio entis. 11. 12. 313. 314. *An & quæ propria Dei.* 301. 302. 310. 311. *An ſit Deo eſſentialis, modalis, vel attributalis: Differens à Singularitate & Simplicitate Dei, vel non.* 302. 303. 304. 405.

QVÆSTIO 10. *A col. 317. ad 330.*

De *Veritate* Dei *obiectiua, & falſitate.*

R*Eſp.* Optimè *Alenſis* ex *B. Aug.* &c. Non eſt tamen negatiua, nec neceſſariò relatiua: ſed etiam abſoluta, & infinita perfectio mouendi aut terminandi ſui-ipſius intellectionem; non tamen adæquatè diſtincta à perfectione intelligendi, &c. Vt ibi explicatur & probatur, hicque indicatur.

Veritas & *Falſitas, quid quotuplex. col.* 12. 13. 14. 325. 326. *Quæ Veritas Dei? An eſſentialis, modalis, attributalis, negatiua, relatiua, vel poſitiua, abſoluta, infinita. An & quàm diſtincta ab alijs Dei perfectionibus. col.* 317. 326.

QVÆSTIO 11. *A col. 330. ad 351.*

De *Bonitate* Dei *obiectiua.*

R*Eſp.* Bonitas entis non poteſt eſſe formaliter relatiua, nec abſoluta, &c. Bonitas perfecta, non eſt niſi entium abſolutorum, &c. Bonitas perfectior, eſt proportionata affectui rationali. Bonitas perfectiſſima, ſolaque fruibilis, eſt Diuina: vt infinita, ſuoque proprio affectui adæquata; ab Eſſentia formaliter diſtincta, ſed non adæquatè à perfectione volendi, &c. Vt ibi explicatur, & probatur, hicque indicatur.

Quid, quotuplex Bonitas, & malitia. col. 14. 15. 16. 17. 18. *Quæ ſit propria Dei. An nonniſi abſoluta, infinita, fruibilis. col.* 329. 341. 342. 343. *An ſit Deo eſſentialis, modalis, vel attributalis.* Ibid. *An ſit ratio fruendi, & quid ſit frui.* 342. 343. *An ſit motiua vel ſolùm terminatiua noſtræ fruitionis.* 250. 251. *An & quo ſenſu bonum ſit primum & proprium nomen Dei, præ alijs decem.* 347. 345.

QVÆSTIO 12. *A col. 351. ad 376.*

De *perfectione Intellectus* Diuini.

R*Eſp.* Deus eſt infinitæ perfectionis intellectualis, &c. Vt ibi explicatur, & conſequenter probatur, hicque indicatur.

Quid & quotuplex perfectio intellectualis. col. 351. *An hæc in Deo ſit infinita, eſſentialis, vel attributalis, potentialis, habitualis, vel ſolùm actualis; formalis, ſeu intelligendi formaliter, vel etiam actiua, ſeu dicendi ſuum Verbum. col.* 352. 363. 364. 373. *An ſit ſolius obiecti Diuini, vel etiam omnium ſcibilium, finitorum vel infinitorum: & vnde hæc & illa à Deo ſciantur, vt poſſibilia, vel futura. col.* 352. 364. 365. 371. *An, & quæ ſcientia ſimplicis Intelligentiæ, Viſionis, & Media, ſeu conditionata, vel futurorum ſub conditione.* 352 365. 375. 376. *An ſit Idæa vna vel plures, & quid in intellectu diuino. An ſit actus, vel obiectum, primarium vel ſecundarium, vt intelligibile, intellectũ, vel etiam volitum. col.* 352. 363. 364. 365. 366. 369. 370. *An ſcire Dei ſit ſolius intellectus, vel etiam voluntatis.* 368. *Diff.* ſolutæ vel conciliatæ indicantur. *col.* 35. n. 15.

QVÆSTIO 13. *A col. 376. ad 421.*

De *perfectione Voluntatis* Dei.

R*Eſp.* Deus eſt infinitæ perfectionis in volendo, &c. Vt ibi explicatur, & probatur, hicque indicatur.

Quæ, & quotuplex perfectio voluntatis Dei, vel modus volendi. 375. 378. 412. 413. *Volitio formalis, & ſpiratio actiua.* 378. 401. 402. *Affectus & efficacia.* Ibid. *Obiectum & motiuum ſolius affectus proprij, Deus ipſe.* Ibid. *Obiectum terminatiuum ſolius*

volun-

Digitized by Google

volũtatis efficacis, omnia poſsibilia vt abſolutè futura, vel non à 402. *Libertas eſſentialis ad omnia: flexibilis, ad ſola contingentia.* 373. 405. 406. à 414. *ad* 417. *Quid voluntas Beneplaciti, & Signi, Antecedens, & Conſequens.* à 407. 408. 409. 410. *An illa Signi, ſit vera & intrinſeca Deo: hæc Antecedens, ſit inefficax, conditionata.* Quorum pleraque etiam indicantur. *col.* 35. inter *Diſſ.* n. 16.

QVÆSTIO 14. *à col.* 422. *ad* 456.
De Sanctitate impeccabili, omniq; perfectione morali, ac Beatitudine Dei.

REſp. Deus eſt tam Sãctus & Beatus, vt ſit ipſa Sanctitas, & Beatitudo obiectiua, & formalis, &c. Vt ibi explicatur, & probatur, hicq; indicatur.

An & quàm ſit Deus Sanctus ſeu impeccabilis, moraliter perfectus, & beatus. 423. 424. 425. *&c.* *Quid ſit eius Sanctitas, perfectio moralis, & Beatitudo.* 423. 424. 425. 437. 438. *An Deus ſit ita verax & ſanctus, vt non poſſit eſſe cauſa, vel occaſio moralis vllius erroris, aut peccati ſeu defectus noſtri moralis.* 423. 436. 437. 438. à 445. *ad* 452. *An aliqua perfectio obiectiua formalis, ſingularum Virtutum, Moralium, & Theologicarum, ſit in Deo.* col. 423. à 438. ad 445. *Quæ ſit Beatitudo & Gloria obiectiua, & formalior Dei: An Viſio, vel Fruitio comprehenſiua ſui? An & quæ delectatio ad eam pertineat.* 424. 443. 444. *An Deus operetur omnia ex charitate propter ſe ſolũ.* 442. Et q. 13. col. 378. 404. Quorum pleraque etiam indicantur. *col.* 36. 36. inter *Diſſ.* n. 17.

QVÆSTIO 15. *à col.* 456. *ad* 525.
De *prouidentia communi: ſed ſpeciali quorundam Prædeſtinatione; aliorum Reprob.*
An, Quid, ad quid, propter quid ſint.

HÆreſes, & *iniuria* in B. *Aug.* à 455. ad 458. *Variæ opiniones Catholicæ.* 458. 459.

Sacræ Scripturæ ad intentum cumulatæ 459. 460.

Concilia, Decreta, Cenſuræ Eccleſiæ, & Patres, ad idem intentum per librorũ Compendia relati, præcipuè *Aug.* à *col.* 460. *ad* 491.

Doctores noſtri ad idem. 491. 492. 493.

Ex his Reſp. per 10. dogmatica contra hæreſes, & 4. ſcholaſtica vt probabiliora ex mente *S. Aug.*

Prædeſtinatio omnium & ſingulorum, ad totam gloriam & gratiã, ex ſolo proprio motu & motiuo voluntatis Dei: non autem ex vllis meritis proprijs, abſolutè vel conditionatè futuris & præuiſis. *A* 494. *ad* 499. Quid ſit Prædeſt. nomine, & re. 497.

Prædeſtinatio ante præuiſam culpam orig. à 499.

Difficultates ex ſacra Script. 506. 507. 508.

Difficultates ex *S. Aug.* à 508. ad 513.

Difficultas ex alijs Patribus: ſpecialiter ex *S. Ambr.* de libro proprio vel alieno. 513. Supple ad *S. Ambr. lib.* 5. *de Fide ad Gratianum, c.* 2. *Quos præſciuit & prædeſtinauit.* Rom. 8. *Non enim ante prædeſtinauit, quàm præſciret: ſed quorum merita præſciuit, eorum præmia prædeſtinauit* .i. In executione, non intentione, &c.

Difficultates ex noſtris Doct. à 514. ad 519.

De nulla Reprobatione, ne quidem negatiua, ab omni gratia & beatitudine, niſi ex aliqua culpa ſaltem originali præuiſa: ſed aliqua omnium & ſingulorum Angelorum gratificatione & beatificatione actuali, hominum autem ſaltem virtuali in *Adamo.* à 515. ad 518.

Terrores & conſolationes rationabiles fideliũ. à 519.

QVÆSTIO 16. *à col.* 526. *ad* 543.
De *Omnipotentia* Dei: *An, quid, quanta, circa quid ſit, aut non.*

EX Sacris Script. Symbolis, Patribus, Scholaſticis, à *col.* 525. ad 530.

Reſp. ad 1. & 2. Quid ſit certum ex fide, & lumine naturali. 530. 531.

Ad 3. 4. An ſit etiam potentia ad intra, vel ſolùm ad extra. 531.

Ad 5. An ſit infinita, & immediatè ſufficiens ad omnia poſſibilia. 531.

Ad 6. An ſit relatiua ad creaturas, & quas, vel earum abſolutè terminatiua. 532.

Ad 7. An & quã differat ab intellectu & volũtate. 532. 533. De poſſibili & impoſſibili. 534. 535.

Difficultas 1. De perfectione Omnipotentiæ. 535.

2. De Omnipotentia & efficacia cuiuſuis voluntatis Dei. 536. 537.

3. 4. 5. De poſſibilibus, aut impoſſibilibus, melioribus in infinitum. à *col.* 537. ad 541.

6. De connexione Omnipotentiæ, & Immenſitatis: differentia Omnipotentiæ, & Infinitæ: dependentia poſſibilium ab Omnipotentia. à 541.

QVÆSTIO 17. *à col.* 544. *ad* 556.
De *Titulis* Dei *relatiuis ad extra: eiuſq;* Do*minio immediato & mediato, Iuriſdictionis, & Proprietatis.*

EX varijs præconijs Sacræ Script. Symb. Conc. Patribus. *A* 544. *ad* 547.

De Iure belli. à 547. *ad* 550. contra bellorum motores. Ex noſtris Doctoribus *col* 551.

Reſponſio ad reliquas difficultates: præcipuè de Dominio Dei ab æterno, vel ex tẽpore. 552. 553. 554.

QVÆSTIO 18. *à col.* 555. *ad* 642.
Quænam ſint credenda de Deo *Vno, & Trino, ſeu de tribus Perſonis* Diuinis.

REſp. Quæ ſint credẽda. 1. Ex ſacræ Script. à 556.

2. Ex ſacris Symbolis & Conc. à 560. ad 568.

3. Ex antiquis, & SS. Patribus vſq; ad *S. Aug.* à 568.

4. Ex *S. Aug.* eiuſq; Poſteris. à 615. ad 629.

Recollectio 4. credendorum, & variarum Diffic. inter Arianos & Catholicos, circa Conc. *Nicænum*; Latinos & Græcos in Conc. *Flor.* à 622. *ad* 641.

QVÆSTIO 19. *à col.* 642. *ad* 668.
An & quomodo hæc Fidei myſteria ratione naturali inueſtigari, credibiliter proponi, & contra infideles ſuſtineri poſſint.

REſp. De neceſſaria reuelatione huius myſterij: ſed varijs rationibus probabilibus reuelati. Ex ſacris Script. Conc. Patribus, & Scholaſticis. à *col.* 642. *ad* 657.

Recollectio 13. rationũ probabilium. à 657. *ad* 661.

Difficultates rationabiles ſolutæ, vel etiam conciliatæ: præcipuè de *Verbo* mentali quid ſit. De *Intellectione, & Dictione*, ſeu actu intelligendi, & actione dicendi. Ex quo vt obiecto, vel termino formali *Verbum* Dei dicatur, &c. à 661. *ad* 669.

Digitized by Google

QVÆSTIO 20. à col. 669. ad 676.

An, quibus Verbis, & quo ſenſu, totum hoc Fidei myſterium profitendum ſit.

RESP. Ex ſacris Script. Conc. PP. noſtriſq; Doct. De nomine græco *Homouſij*. 669. 670.
De nomine græco *Hypoſtaſis*. 670.
De latinis, *Eſſentiæ, Exiſtentiæ, Quidditatis, Naturæ Subſtantiæ* 670.
De nominibus, *Singularis*, ſeu *Indiuidui, Suppoſiti, Subſiſtentiæ*, & *Perſonæ*. 670. 671. Vbi corrige ſæpè *Subſtantiam* in *Subſiſtentiam*.
De *concretis*, & *abſtractis, ſubſtantiuis*, & *adiectiuis*, an & quo ſenſu tres *Infiniti, æterni*, &c. 671. 672.
Difficultates, ex SS. PP. noſtriſque Authoribus in modo loquendi: vt de duobus *Authoribus*, & *Spiratoribus Spiritusſ*. à 673. ad 676.

IN II. QVÆSTIO I. à 197. ad 206.

Quid ſit Fide Chriſtiana credendum, de Creatore, Creatione, & Creaturis.

RESP. Quæ ſint de his credẽda. 1. Ex ſacra Script. 2. Ex ſacris Symb. & Conc cõtra varias hęreſes 3. Ex concentu SS. Patrum: ſed præ omnibus *B. Aug* à 198. ad 203. Quamq; hæc ſint credibilia. 4 Ex varijs conſequentijs Theologicis. 203. 204. 5. Ex miraculis. 6. Ex noſtris Doct. 7. Ex lumine naturali 8. Ex inſtinctu rationali ad cultũ Dei. 204
Obiectiones ſolutæ. 204. 205. Vt ſupra 36. in 13. n. 1.

QVÆSTIO 2. A col. 206. ad 221.

An, & quid Scholaſticè ſupplendum, vel conciliandum ſit inter noſtros Doct. & cum B. Aug. De Creatore, Creatione, & Creaturis.

RESP. Referendo *Doctrinam Scoti* in 4. q. 1. 4 q 5. De poſſibili aut non, creatione inſtrumentali per creaturam. à 206. ad 210.
Deinde, Conferendo & recolligendo ex noſtris Doct. 1. Quid ſit creatio. 2. Quàm ſoli Deo propria. 3. Vnde dicatur Creator. 4. An & quæ potuerint creari ab æterno. 5. Quid ſit creatura vt ſic. 6. Deũ non poſſe referri ad creaturas. Transfer hic, *reali*, ex linea 3. ad 2. 7. Quæ, quanta, & quotuplex ſit cauſalitas Dei in creaturas. 8. An & quid ſit annihilatio. 9. An & quæ ſint communia Deo & creaturis. *col.* 210. 211.
Obiectio 1. & explicatio, De Creatione. *col.* 211.
2. *De* creatis, & concreatis. 211. 212.
3. *De* actione creandi, æterna, vel non. 212. 213.
4. *De* Conſeruatione. 213. 214.
5. *De* Cauſa prima cum ſecundis. à 214. ad 217.
6. *De* vniuocis vel non inter Deum & creaturas.
7. *De* creatione ab æterno, vel non. 218. 219.
8. *De* Creatione inſtrumentali, aut non. 2 9. 220.
9. Aliæ 10. obiectiones promiſcuæ. 220. 221. Poſt 8. deeſt, *Alenſis*.

QVÆSTIO 3. A col. 221. ad 225.

De praxi, & fructu huius doctrinæ, de Creatore, creatione, & creaturis.

RESP. Per 4 fructus, ex ſacra Script. SS. PP. & noſtris Doct. *col.* 221. 222. 223.
Moralia ſacræ Script. & SS. Patrum, de nihilo creaturæ quoad eſſe & poſſe 12. modis moraliter explicantur, & à Scholaſticis diſcernũtur. 223. 224.
Tres alij fructus huius doctrinæ. 224.

QVÆSTIO 4. A col. 225. ad 228.

Quid de Angelis credendum.

RESP. Per 8. credenda, ex ſacris Script. Conc. & *Aug.* contra Philoſophos infideles, hæreticos, & magos. 225.
An ſit de fide vel non, aliquos, vel nullos Angelos eſſe corporeos. 225. 226. 227.
Obiectiones ſolutæ, ex ſacra Script. Synodo 7. & ratione. 227. 228.

QVÆSTIO 7. A col. 228. ad 269.

An, & quid ſupplendum, corrigendum, perficiendum, vel conciliandum ſit de Angelis, &c.

RESP. De perfectione doctrinæ noſtrorum Authorum: conferendo eam cum tota doctrina *B. Aug.* de Angelis, promiſcuè recollecta ex pleriſque eius libris. à *col.* 228. ad 235.
Doctrina diſtincta & collata inter noſtros Auth. cum *B. Aug.* 1. *De natura Angelorum*. à 235. ad 238.
2. *De duratione & vita Angelorum*. à 238. ad 241.
3. *De intellectu, & intelligentia Angelorum*. à 241.
4. *De voluntate & libertate Angelorũ* à 245. ad 251.
5. *De alijs viribus & actionibus Angelorum*. à 251.
6. *De gratia, & gratuitis, culpis & meritis, pœnis & proemijs Angelorum*. à 259. ad 260.
7. *De inæqualitate gratiæ*, ſufficientis & efficacis inter Angelos, ex ipſo *Aug.* 12. Ciu 9. & aliunde. à *col.* 260. ad 267.
8. *De concordia huius doctrinæ*. 267. 268. 269.

QVÆSTIO 5. A col. 269. ad 273.

De fructu, & praxi doctrinæ de Angelis.

RESP. Per 6. fructus. *col.* 269. 270. 271 *De* Fructu ſexto imitationis: per ſeptem virtutes, ſeu perfectiones Angelicas. 271. 272.

QVÆSTIO 7. A col. 273. ad 388.

Quænam ſint credenda, vel in fide cauenda, De Natura, Gratia, Meritis & Peccatis, Naturæ vel Animæ humanæ.

RESP. Per 6. credenda: contra varias hæreſes ſimul condemnatas à *Conc. Braccarenſi* 1. per Canones hîc relatos. *col.* 273. 274.
Dubium S. Aug. De Traductione animarum 275.
Credenda ſpecialiter, De libero arbitrio Gratia, Meritis & Peccatis hominum: ex varijs epiſtolis inter *Innocentium Papam*, & Patres *Conc. Carthaginenſis*, ac *Milen.* ipſiſque ſacris *Conc. Milenitano, Arauſ.* Epiſtola *Cæleſtini Papæ, Conc. Trid. ſeſſ.* 5. & 6. *Cenſuriſq; Pij V. & Greg. XIII. in* 76. Propoſitiones cauendas, & decretis *Clementis VIII. Pauli V. Vrbani VIII.* deſuper obſeruandis. Quæ omnia hîc fideliter referuntur. à *col.* 276. ad 306.
De certitudine doctrinæ B. Aug. hîc ex omnibus eius operibus relatæ, circa hæc credenda, vel cauenda, à *col.* 306. ad 388. Hoc ordine.
A *col.* 306. ad 309. Quæ ipſe *B. Aug.* expreſsè docet eſſe credenda, aut in fide cauenda.
A 308, ad 352. Viciniora Fidei ex libris contra Pelagianos. à 308. *ad* 352.

Digitized by Google

A 320. ad 328. Relato periculo *S. Hieronimi* à *Pelagianis*, ex fine libri *S. Aug. de Geſtis Pelagij*: interponuntur duo præclara Opera *S. Hier.* contra.
Col. 330 331. Referendo librum *B. Aug. de Gratia Chriſti*, in quo *cap.* 32. fit mentio cuiuſdam *libri Pelagij de ſua fide ad Innocentium Papam*, indeq; citatur quædam ſententia *de Baptiſmo*, verbatim reſumpta *Serm.* 91. inter Auguſtinianos: ſuſtinetur hunc Sermonem non eſſe ideo Pelagianum, contra cenſuram Anonimi *Rannrij*.
A *col.* 352. ad 354. Ex libris duobus Retract. ad confirmandam ſententiam finalem *B. Aug.*
A 364. ad 375. Ex non retractatis.
A 375. ad 385. Ex 2. Libris poſtremis, cõtra *Semip.*
Col. 385. *Supplementũ memoriæ*, quoad aliqua elapſa.
Col. 386. 387. 388. *De authoritate Doctrinæ S. Aug.*

QVÆSTIO 8. *A col.* 389. *ad* 531.

An & quomodo conciliari poſſint Doctores noſtri, &c.

1. RESP. De natura & naturalibus. à 388. ad 393.
2. *De* anima humana, eiuſq; naturalibus: præcipuè quid ſit, & quæ eius origo, aut Traductio. à 393.
3. *De Anima*, vt eſt Imago Dei, & de veſtigio. à 399.
4. *De immortalitate Animæ*, ex varijs rationibus *B. Aug.* noſtrorum Doct. & noſtris. à 403. ad 413.
5. *De cognitione naturali Animæ humanæ.* à 413.
6. *De volũtate & libertate humana*, &c. à 424. ad 441.
7. *Explicatio difficultatum.* à 441. ad 356.
8. *Cõmentarius in S. Bern.* de gratia, & libero arb. 456
9. *De gratia, & gratuitis. ac ſupernaturalibus.* 463.
10. *Quid & quotuplex* ſit gratia. 471. 472.
11. *De gratia vt ſupernaturali.* 472. 473. 474.
12. *Vt habituali, actuali gratificante, gratis data.* 476.
13. *De gratia originali.* 475. 476.
14. *De gratia operante, & cooperante.* 477. 478.
15. *De neceſſitate gratiæ.* à 478. ad 490.
16. *De aliqua ſufficientia gratiæ.* à 490. ad 500.
17. *De efficacia gratiæ.* à 502. ad 513.
18. *De peccato.* à 513. ad 524.
19. *De Originali.* 524. 525. 526.
20. *De Actuali.* à 526. ad 529.
21. *De Mortali, & Veniali.* 529. 530. 531.
22. *De Habituali.* 531. 532. De quibus plus. 36. 37.

QVÆSTIO 9. *col.* 532.

De praxi huius doctrinæ, ad fidem, humilitatem, &c.

QVÆSTIO 10. *col.* 532.

De creaturis corporeis. 532. relatiuè ad alia indicia doctrinæ copioſæ noſtrorum Authorum.

In III. Vt ſub Indice ante TOMVM II.

Supplendo ſequentia, ad ſingulas Quæſtiones.

AD *Quæſt.* 1. *De fide Chriſti.* Supple, de S. Script. Symbolis, Hereſibus, quæ ad finẽ *Præfationis.*

Ad Quæſt. 2. *De hac fide vt rationabili.* Supple expreſsè 1. plurimas rationes, & difficultates credẽdi: ſed omnes conciliatas ad faciliùs credẽdum. 2. Explicationem, ac diſtinctionem *ſubſiſtentiæ* propriæ, à natura ſingulari ſubſtantiali exiſtente. 257. 261.

Ad Quæſt. 3. *De cauſa finali, & fine Incarnationis.* Supple expreſſiùs, rationes & cõciliationes noſtrorum Authorum inter ſe. 261. & 266. & cum ſacra Script. ac *B. Aug.* à 263. ad 266.

Ad Quæſt. 4. *De ſubſiſtentia vel perſonalitate creata, eiuſq; ratione propria, & diſtinctione à natura, ſubſtantiali, ſingulari, & exiſtente.* Supple ex q. 3. eandem diſtinctionem: & ſingularem differentiam ac conciliationem inter *Al. S. Bon. & Scotum.* 274.

Ad Quæſt. 5. *De vnione hypoſtatica poſſibili, & actuali.* Indica diſtinctiùs Reſponſionẽ *de poſſibili.* 281. & de *Actuali.* 282. magnamque copiam doctrinæ, ante & poſt.

Ad Quæſt. 6. *De entitate, vnitate, & perfectione huius vnionis.* Indica diſtinctiùs, hanc vnionem eſſe relationem: ſed eo magis vnire, ac vniendo perficere, quo minùs in ſe perfecta, ſeu perfectio eſt, &c. cum magno cumulo doctrinę. à 289. ad 293

Ad Quæſt. 7. *De cauſa poſſibili vel actuali, reali vel morali huius vnionis.* Indica doctrinam ſingularem ex *Scoto*, de diſcernendis poſſibilibus & impoſſibilibus. *col.* 297. Deque poſſibili prædeſtinatione abſoluta Chriſti ante vllam Matrem præuiſam: & tamen executione per hanc. 298.

Ad Quæſt. 8. *De communicatione idiomatum ex vnione hypoſtatica.* Indica quàm ſapienter ſit inde loquendum. *col.* 302. Quamque hæ locutiones, & denominationes ſint propriæ. *col.* 303. 304.

Ad Quæſt. 9. *De Conceptione Chriſti, Maternitate B. V. M. & contagio ac Paternitate Ioſephi.* Indica 1. grauem illam quondam controuerſiam, & differentiam inter *Theotocon*, & *Chriſtotocon* .i. Deiparam, & Chriſtiparam. 307. 320. 2. Filiationem Chriſti naturalem, non adoptiuam Dei, conciliãdo diff. ex *Scoto*, & *Conc. Francfor. col.* 317. 318. 320. 3. Eandem Filiationem Chriſti ex tempore ad Matrem, quæ eſt ab æterno ad Patrem. Ex *S. Bon.* 312.

Ad Quæſt. 10. *De potentijs, habitibus, actibus, & paſſionibus humanis Chriſti.* Indica 1. Acta 6. *Synodi* contra *Monothelitas*, horumque ſtolidam pertinaciam. à *col.* 321. ad 329. Singulariter, *Macharij Patriarchæ.* 324. 325. & *Polichronij* phanatici. 328. 2. Grauiſſimam difficultatem de *Honorio Papa.* 328. 329. 335. 3. Difficultatem conciliandi 6. *Synodum*, cum *Conc. Mileu. Arauſ. Trid.* 333. 334.

4. De conformitate, non negatione voluntatis humanæ. 336. 5. De *Theandrica* ſeu *Dei-virili* operatione Chriſti. 336. 338. 6. De poteſtate & libertate naturali Chriſti, conſeruandi ſuum corpus immortale, impaſſibile, &c. 331. 332. 340.

Ad Quæſt. 11. *De perfectione ſupernaturali naturæ humanæ Chriſti.* Indica expreſſiùs. De perfectione ſupernaturaliſſima, & ſingulariſſima omnium poſſibilium, ſubſtantiali, & accidentali, reali & morali, Iuriſdictionis & proprietatis ſupra omnem creaturam etiam creabilem. Deque perfectiſſima eius impeccabilitate: non ſolùm ex ſumma & continua gratia, viſione, & fruitione Dei: nec ſolùm ex vnione hypoſtatica; ſed ex illa ſua perfectione ſubſtantiali & ſingulari. .i. Tam, imò plus eſt ex ſua ſingulari natura humana impeccabilis, quàm Angeli ſint immortales. 343. 344. à 355. ad 359. Conciliatio ſpecialis cum *Scoto.* 355. 356. 357.

Ad Quæſt. 12. *De meritis Chriſti, & noſtris.* Indica diſtinctè. *Quid de fide. col.* 364. 368. *De morte Chriſti pro omnibus & ſingulis.* à 369. ad 373. *An nihil pro Angelis.* 366. 373. 374. *Quanta merita Chriſti.* 366. à 375. ad 380. *Per quos actus.* 370. à 380. ad 384. 6. *De meritis noſtris, congruis, dignis, aut condignis.* 367. à 384. ad 402.

Ad

Digitized by Google

I E S V S, ſeu Veritas media, inter Doctores:

Audiens & interrogans eos, Luc. 2. *De gratia & Libero Arbitrio ex Doctrina B. Aug. acriùs contendentes: Ad pleraq; Richardi, & quædam Vincentij Lenis.*

1 QVà conſcientiâ, de re inhibita, vel modo ſaltem inhibito contendi poteſt? Si quo iure naturali, aut Diuino tuendi neceſſariam veritatem, vel famam violatam: cur non cum moderatione inculpatæ tutelæ? Ad quid, tam ſacra, tantoque ſtudio ac ingenio elaborata, conuitijs & inuectiuis cumulatis farcire, ſuoque fine fruſtrare? Cur de tantis eius arcanis, inconſultâ Primâ Veritate, vbique præſente ac præſidente? Vel ſi eâ conſultâ: vnde tam diuerſa eiuſdem oracula? Niſi quia, ex *B. Aug.* 10. *Conf.* 26. Vbique Veritas præſides omnibus conſulentibus te: liquidè tu reſpondes, ſed non liquidè omnes audiunt. *Lib. de Magiſtro, c.* 12. Tantum cuique panditur, quantum capere pro bona vel mala voluntate poteſt. 12. *Conf.* 25. Non nouerunt Moyſis ſententiam, ſed amant ſuam: non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt. *Infra.* Non itaque ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus pro altero infletur aduerſus alterum, 1. *Cor.* 4. Non ſic *Aug.* non ſic: ſed de talibus pietatis potiùs quàm ſcientiæ arcanis, etiam puerorum & idiotarum *mentes in Deum intentas*, ſeu pios affectus, *velut Oracula* conſulit, *lib. De Vita Beata.* 1. *De Ordine Prouid.* 11. 1. *Doct. Chriſt.* 1.

2. Quâ fide, abuti *Marte Gallico*, Vel Hiſpanico, *Armacani*, in odium vel fauorem huius doctrinæ: tamque ſacros calamos acuere ad pungendum, ſulphurare ad incendendum, & hoc quaſi philtro imbuere ad procandum hoſtiles & corriuales Regum ac Principum animos, inter ſe potiùs reconciliãdos?

3. Ad quid, Theſibus Louanienſibus inhibitis, Pariſienſes ſubſtituere; proque Cenſuris Sorbonicis nimis rigidis, anni 1560. potiùs quàm Pontificijs moderatis, 1567. contendere? Niſi ad illum rigorem huic moderationi præferendum: & ad eludendam ſacram illam inhibitionem, *Defendendi aut impugnandi Librum Cornelij Ianſenij, cui Titulus AVGVSTINVS, vel Theſes Patrum Societatis IESV*, Louan. Vt patet ex Collatione, & ſerie facti.

4. Quo Iure vel Iudice, ſine *Iuramento calumniæ*, vel contra, Iudicio publico inter tantos viros tam indignè agitur? Quo fructu reciproca illa criminatio hæreſeos, tamque ſtudioſa, & adæquata comparatio, non vnius aut alterius, ſed plerorumque Doctorum Catholicorum, antiquorum & recentiorum, in ſtatuenda quadam libertate eſſentiali, vel quadam contingentiæ ſeu indifferentiæ: cum ipſis Hæreſiarchis, eorumque hæreſibus, in neganda vera libertate, vel neceſſitate, prioritate, aut præferentia gratiæ? Niſi ad horum potiùs gloriam, quam illorum infamiam, nimis incredibilem: quaſi verò illi cum his ignoranter ſentirent, vel ſcienter conſpirarent.

5. Quo fine, Cenſuris reciprocis Fidem & Eccleſiam Catholicam coarctare: imò ſe inuicem inde proſcribendo, eam quaſi euacuare? Hoccine ad Maiorem Dei Gloriam, Vt in Nomine I E S V omne genu flectatur? *Phil.* 2. Captiuetur quidem omnis intellectus in obſequium Chriſti, 2. *Cor.* 10. & omnis lingua in confeſſionem regularem eiuſdem fidei: ſed laxiori vinculo, & ſub leuiori ac ſuauiori iugo pauciorum dogmatum; ſaluâ circumquaque rationis libertate ab omni ingeniorum tyrannide. Sufficiat fides *Sacri Conc. Trid.* De vera libertate, & neceſſitate, prioritate, ac præferentia gratiæ, ad obſeruanda Dei mandata, & aſſentiendum Deo vocanti, cum aliqua defectibili *potentia diſſentiendi. Profundiores autem quæſtiones, &c.* vt ait *Cæleſtinus Papa Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap.* 11. non ſint dogmaticæ, ſed ſcholaſticæ, & Auguſtinianæ. Nec ideo negligantur aut improbentur, vt curioſæ & contentioſæ: ſed vt fidei cognatæ, ad eius veritatem ſtudioſè conſerantur, & monitu Apoſtoli, *Epheſ.* 1. ac *Auguſtini* 2. *Retract.* 1. piè referantur, ad laudem, gloriam, & victoriam gratiæ Dei, præ libertate arbitrij.

6. Tandem ergo, magno omnium voto, ad *Auguſtinum* Arbitrum, vel ſaltem ſuipſius interpreteni: ſed cur ſub tot præcautionibus, proteſtationibus, exceptionibus, declinationibus, & quaſi Appellationibus. 1. Ab *Auguſtino* ad Eccleſiam. 2. Ab eo quaſi vnico, ad plures Patres. 3. Ab eius Nomine & Fama, vt Hæreticis nimis familiari, & ab eis affectata. 4. Ab eius doctrina, vt in multis ab ipſomet Retractata. 5. Quaſi ab eius nimio in Pelagianos impetu, & exceſſu? Niſi ex aliqua diffidentia Cauſæ propriæ, vel Doctrinæ aut Perſonæ huius Arbitri, ſeu Aſſeſſoris: ad pedes tamen ſui IESV, inter omnes contendentes æquiſſimi.

7. *Contra* 1. Reijcit Eccleſia hanc Appellationem ab *Auguſtino*, vt Aſſeſſore ſuo: cuius non tantùm Perſonam, ſed & ſelectiorem Doctrinam, vt *ſuam* Canonizando, ſeu in Canones fidei referendo, reliquam ei cognatam conſecrauit. Hinc ſacrum Conc. Florent. Seſſ. 7. *Auguſtinum illuſtriſſimum Latinorum Doctorum quinta Synodus conſecrauit.* Hæc autem: *Sequimur*, inquit, *per omnia S. Auguſtinum, & ſuſcipimus omnia quæ de rectâ fide & condemnatione Hæreticorum expoſuit.* Cœleſt. Papa ad Epiſc. Galliæ. c. 1. *Auguſtinum S. Recordationis virum nunquã ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit.*

8. *Contra* 2. Plus deferendum eſt ſententiæ ſolius Iudicis & Aſſeſſoris, ex authoritate, & cognitione totius cauſæ inſtructæ: quàm tot quot alijs Iuriſperitis. Sic & in tota huius cauſæ circumferentia, plus ſoli *Auguſtino* quàm reliquis: quantò magis ei cum omnibus ſuis ſucceſſoribus, & multis coæuis ac prædeceſſoribus?

9. *Contra* 3. Non eſt ſuſpecta familiaritas reciproca Medici cum Ægris, Chriſti cum Publicanis, Confeſſarij cum Reis mortis, potiùs quàm cum alijs: ſic nec *Auguſtini* cum Hæreticis. Nec eſt quòd hi inde glorientur: niſi vt quidam de porrecta ſibi manu Regis ad colaphũ, vel Reus de alloquio Iudicis. Cedendus ne eſt hoſtibus armorum vſus, vel Hæreticis vſurpatoribus, nomen & fama Veritatis, Chriſti, ſacræ Script. Fidei, & Eccleſiæ Catholicæ? Cur ergo Doctrinæ Auguſtinianæ? An quia *Ioannes Wiclef*, teſte *Waldẽſi*, affectabat, & eâ ſua re is denominabatur *Ioannes Auguſtini*: hæc, aut ſimilis denominatio cauenda? Quin potiùs, cum re ipſa æmulanda, præoccupada, recuperanda, extorquenda, reuindicanda eſt.

10. *Contra* 4. Vt Reuiſio Cauſarum, & *Exceptio firmat regulam*: ſic Retractatio Auguſtiniana, vt correctoria paucorum & leuiorum, diſtinguit quidem à Canonica; ſed vt iterata Tractatio, & vltima Manus-Impoſitio, omnia non correcta, ſed huc uſque viſu & laude publica Eccleſiæ celebrata confirmat, & eximit ab vlteriore, vt ſacrilega, Ozæ 1. *Reg.* 5. manus impoſitione. Qui enim tantilla iu-

Digitized by Google

nioris ætatis, Senex tam ſtudioſè & ſeuerè correxit: nec grauiora præterijt, nec corrigendo grauiùs errauit. Hinc, De Dono perſeu. c. 25. *Qui non intelligunt*, inquit, *orent vt intelligant: qui verò errare me exiſtimant, diligenter conſiderent, ne ipſi errent.*

11. *Contra* 5. Sed nil manſuetudine & modeſtiâ *B. Aug.* indignius, nil Eccleſiæ Dei pernicioſius illo ſtupido ignorantiæ refugio, ad nimium in Pelagianos impetum & exceſſum. Hoc enim eſt totam *B. Aug.* authoritatem eneruare: & *Caluino l. 3. Inſtit. c. 3. l. 4. c. 14.* ad vnicum *Auguſtinum* prouocanti, vel victoriam cedere, vel eandem pro libitu calumniam ſuggerere. Si enim id prætendi poteſt de *B. Aug.* iam ſene, non ad populum hyperbolicè declamante, nec feruentiùs coram diſputante: ſed maturiùs docente, ſcribente, retractante: quid de Iuniore cum alijs hæreticis contendente? Hinc *Cœleſt. Papa ad Epiſc. Galliæ c. 2.* merito improbat eos *qui Catholico nomine gloriantes, Magiſtris noſtris*, inquit, *tanquam neceſſarium loquendi modum exceſſerint, obloquuntur*. Et quamuis *cap. 11.* diſcernat dogmatica à *profundioribus quæſtionibus* ad fidem non neceſſarijs: nec illas tamen, inquit, *audemus contemnere*. Quanto minùs nos vllam *B. Aug.* doctrinam deſpiciamus: ſed vt ſupra captum noſtrum ſuſpiciamus. Hic exceſſus perfectionis, ſupra neceſſariam fidem, & charitatem, ac captum noſtrum, tribuendus eſt *Beato Aug.* nullus autem impetuoſus & vitioſus, niſi ab ignaris & blaſphemis tam vitæ quàm doctrinæ eius. Quales etiam ſunt qui eodem impetu pueros ſine baptiſmo defunctos à *B. Aug.* putritos eſſe criminantur.

12. Vt qui circa incidentia & impertinentia tergiuerſantur, de cauſa principali diffidunt: ſic & qui circa faciliora & expreſſiora *Beati Aug.* protereuunt; negando eum tribuere voluntati quandam poteſtatem moralem, & libertatem eſſentialem, ſeu proprium modum operandi cùm vult, ſi vult, quando vult, nonniſi velit, actu potiùs elicito & in ſeipſum reflexo, quàm imperatis; & in hac doctrina ſæpè vti nomine voluntatis pro ipſo actu volendi vel nolendi? Quid enim frequentius? *l. 1. de lib. Arb. cap. 12. l. 3. c. 3. 1. Retr. 22. 2. Retr. 1. 5. Ciu. 10. De ſpiritu & litt. 31. De Natura & Gratia 46. Enchir. 105. Toto Opere perfecto & imperfecto contra Iul. vt huius lib. 1. num. 101.* De libertate Voluntatis Dei etiam circa ſeipſum, & indefectibili Beatorum etiam ad actum beatificum? Quid expreſſius illo ſenſu *quæſt. 8. ex 83. Moueri per ſe animam ſentit, qui ſentit in ſe eſſe voluntatem. Nam ſi volumus, non alius de nobis vult. Et iſte motus animæ ſpontaneus eſt: hoc enim ei tributum eſt à Deo, &c.* Nec hæc poteſtas voluntatis *faciendi .i. volendi cùm vult*, eſt identicè confuſa, ad libertatem inepta, à *Pio 5. & Greg. 13.* inhibita, aut vllis primis motibus violatur. Sed 1. eſt proprius modus operandi voluntariè, nonniſi proprio motu, ſiue volendi ſiue nolendi, ſeipſo tamen volito circa quoduis volibile aut nolibile: diſtinctus ab omni modo naturali. 2. Eſt libertas ab omni coactione: quid autem liberius quàm non poſſe cogi, ſeu agi, niſi volendo ſeu conſentiendo, & ſaltè formaliter cooperando? 3. Non inhibetur *Prop. 38.* ſub illo *Voluntario, neceſſario & libero*: nec *Prop. 63.* ſub illa *Libertate naturali, inuiolabili*: cùm hæc ſit eſſentialis, oppoſita neceſſitati naturali; vel non vt hîc expreſsè diſtinguitur, ſed vt confunditur cum illa ordinaria vt ſufficiente *ad peccandum etiam damnabiliter*, *Prop. 64.* Ne hæretici hac confuſione & æquiuocatione ad ſuas latebras abutantur. 4. Motus primi, vel non ſunt formaliter ipſius voluntatis, vel nonniſi vt eſt natura, vel non ſunt niſi paſſiones inuoluntariæ, vel & ipſi ſunt eſſentialiter liberi. Sed ad cauſam principalem, ſeu ad grauiores difficultates: ſaluâ ſemper integritate & concordia totius doctrinæ Auguſtinianæ. Quia iudicio & affectu Salomonis ſeu Sapientiæ, *3. Reg. 3.* præſtat eam integram cedere, quàm diſtrahendo lacerare.

13. *Difficultas* 1. An hæc libertas eſſentialis ſufficiat ad bonum & malum morale: vel ad hoc neceſſaria ſit etiam libertas accidentalis indifferentiæ? Inter tot pro & contra: Vt Ieſus *Luc. 4.* cur non & eius veritas per hoc medium illapidata tranſeat? Lege æterna ſufficit libertas eſſentialis ad bonitatem & malitiam moralem, laudabilem, vel reprehenſibilem, & dignam ſuo gaudio, vel pœna inſeparabili, poſitiua & priuatiua. Ex *B. Aug. l. 1. de lib. arb. à cap. 6. ad finem*: De lege æterna, *vt omnia ſint ordinatiſſima*; De morali ordinatione ac inordinatione hominis, nonniſi propria voluntate; De pœna intrinſeca malæ voluntatis, ſubijci propriæ libidini; De Bono & gaudio intrinſeco bonæ voluntatis, malo autem & damno priuationis eius. Vnde infert *cap. 12. Vides igitur in voluntate noſtra eſſe conſtitutum, vt hoc vel fruamur vel careamus tanto & tam vero Bono? Quid enim tam in voluntate quàm ipſa voluntas ſita eſt?* Quæ eſt prima huius libertatis apud *B. Aug.* expreſſio. Hinc & 1 *Conff. 5. Quid tibi ſum, vt amari te iubeas à me: & niſi faciam mineris ingentes miſerias? Parumne ipſa eſt ſi non amem te.* Cap. 12. *De peccante meipſo iuſtè retribuebas mihi: Iuſſiſti enim & ſic eſt, vt pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus, &c.* *De Natura boni c. 32.* De pœna futura Diaboli pro iniqua voluntate nocendi iuſtis. 12. *Ciu. 1. Quam magna ſit laus Beatorum adhærere Deo?* Tract. 53. in Ioan. *Laus eſt voluntatis Diuinæ ſeipſum negare non poſſe.* Ne autem hæc laus videatur communis omni perfectioni: quis non aliter laudet Bonitatem Dei moralem, quàm naturalem? Quis non deteſtetur malitiam damnatorum, non naturam? Quis non imputet actum proprium, ſcienti & volenti illum?

Sed lege Dei poſitiua, & inter Viatores ordinaria, neceſſaria eſt ad merendum gratiam & gloriam, aut pœnam hac lege determinatam, aliqua etiam libertas accidentalis ſeu contingentiæ: non vt perfectior, ſed imperfectior, ex defectu Intellectus in proponendo, & Voluntatis in eligendo, adhuc moraliter defectibilis & perfectibilis in via; nec quaſi libertas Indifferentiæ Pelagianæ, ſeu *æquæ-lancis* ad bonum & malum, vt *Epiſt.* 106. ſed proniùs ad malum. *Ex B. Aug. l. 3. de lib. arb.* 18. 1. *Retr.* 15. *De duabus animabus cap. 13. Cur nunc in malam partem, nunc in bonam mutat aſſenſio? Hoc eſt ſignum vnius animæ: quæ liberâ voluntate huc atque illuc ferri, hinc atque hinc referri poteſt. Cap. 14. vt & contra Fœlicem ad Fortunatum*, De libertate pœnitendi. Contra *Secundinum cap. 19. Voluntas habet in poteſtate conſentire, vel non, &c.* 8. Conff. 8. *Semi-ſauciam hac atque hac verſare voluntatem. Lib. 1. De pecc. mer. & rem. cap. 39. & De ſpiritu & litt. cap. 35.* De peccato non exerendi vires voluntatis. *Ibid. cap. 33. De vi media liberi arbitrij, conſentiendi, aut diſſentiendi. De natura & gratia cap. 67.* De poteſtate reſiſtendi. 12. *Ciu. 6.* De duobus æquè tentatis, quorum vnus conſentit, alter non. 22. *Ciu. 1.* De libero arb. Angelorum & hominũ, ad vſum vel abuſum. *Lib. 1. ad Bonif. cap. 2. & lib. 2. cap. 5. lib. 1. Imperf.*

Digitized by Google

perſ. n. 48. De amiſſa tantùm libertate perfectiore Paradiſi : non autem hac imperfecta, defectibili & perfectibili. *Serm.* 10. *de verbis Apoſt.* De aliqua adhuc libertate reſiſtendi, &c.

Diff. 2. An vel quæ ſint peccata Ignorantiæ, Neceſſitatis, Coactionis, & quaſi Nolentium? ex 1. *Retr.* 9. 13. 15. *& alibi.* Ieſus *Ioan.* 20. ianuis clauſis ſtetit in medio ſuorum: Quid ſi & eius Veritas omnia penetrans in hoc medio conſiſtat? Non ſunt hæc omnia, nec ſemper eiuſdem generis : ſed quædam, vel eadem, nunc ſunt tantùm peccata materialia ; vt motus concupiſcentiæ ſine conſenſu in Regeneratis, ex *lib. de pecc. orig. c.* 39. 40. *lib.* 2. *de Nupt. & Conc. c.* 23. 24. 27. 33. *l.* 1. *Retr. c.* 13. 15. *Conc. Trid. Seſſ.* 5. Nunc ſunt ipſum peccatum originale, vel eius quaſi partes & motus, etiam ſine cõſenſu in necdum regeneratis. *Ibidem.* Nunc ſunt quædam peccata actualia, ſine cognitione aut volitione actuali : ſed non ſine virtuali, ſeu præcognitione & præuolitione ; non ſolùm Adami, ſed propria & perſonali. *Ibid. & l. de* 2. *Anim. c.* 10. Nunc ſunt peccata actualia alicuius ignorantiæ, neceſſitatis, coactionis, & nolitionis : non totalis, abſolutæ, culpabilis, & cauſalis ; ſed partialis, conditionalis, moralis, pœnalis, & concomitantis. Nunc ſunt ipſa ignorantia ac neceſſitas voluntaria & culpabilis. Nunc ſunt ex tali ignorantia & neceſſitate potiùs accuſante quàm excuſante. Nunquam tamen eſſe poſſunt ex aliqua neceſſitate naturali, aut coactione intrinſeca, nec ſine aliqua poſſibili & virtuali præcognitione ac præuolitione propria *facti* : ſed aliquando *peccati*, ſeu Iuris ſiue naturalis ſiue poſitiui, inexcuſabiliter ignorati ; quia illa ſunt contra ipſam libertatem eſſentialem, hoc nec contra accidentalem ſeu contingentiæ. Imò nulla vnquam ſunt ex vlla ignorantia aut neceſſitate, quamuis concomitante : ſed ex aliqua, non ſolùm remota, aut habituali, ſed perſonali & actuali voluntatis malitia .i. libidine ſaltem ad ſeipſam ſeu actum proprium, præualente omni notitiæ affectioni aut difficultati oppoſitæ. Ex *B. Aug. l.* 1. *de lib. arb. c.* 3. *&* 4. De omni peccato non aliunde eſſentialiter *quàm ex quadam animi libidine.* Sed ex quâ generali, & omnibus præualente? Niſi ex abuſu illius libertatis eſſentialis, volendi cùm vult ſeu libet .i. ex affectione huius propriæ libertatis & operationis præ omni alio obiecto. Vt 2. *Conf.* 6. An libuit facere contra legem, vt mancam libertatem captiuus imitarer, tenebroſâ Omnipotentiæ ſimilitudine? Quamuis hæc malitia poſſit augeri ex libertate accidentali contingentiæ.

Diff. 3. An ad libertatem peccandi neceſſaria ſit poteſtas, aut gratia ſufficiens non peccandi, ſed benè agendi? Lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Quis peccat in eo quod caueri nullo modo poteſt? Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur,* Pſal. 24. 1. Tim. 1. *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda : vbi vult homo rectè facere, & non poteſt.* Rom. 7. Gal. 5. *Sed hæc omnia ſunt hominum ex illa damnatione venientium. Nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura : nulla iſta peccata ſunt, &c. Sed approbare falſa pro veris, vt erret inuitus, & non poſſe à libidinoſis operibus temperare : non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Cùm autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur : de illa in qua homo factus eſt loquimur.* Lib. de natura & gratia c. 67. *Agnoſco verba mea : poteſt peccatum caueri, ſed opitulante illo qui non poteſt falli.* 1. Retr. 9. *In his, &c. quia Gratia Dei commemorata non eſt, putant Pelagiani me ſuam tenuiſſe ſententiam : ſed fruſtra hòc putant. Voluntas quippe eſt quâ peccatur & rectè viuitur : quæ niſi gratia Dei liberetur, & vt vitia ſuperet adiuuetur, rectè pieq; viui à mortalibus nõ poteſt. Quod beneficium Diuinum niſi eam præueniret, iam meritis eius daretur, & non eſſet gratia, quæ vtique gratis datur.* Lib. 3. de lib. arb. c. 16. *Ex eo quòd non accepit, nullus Reus eſt : debet autem, ſi accepit & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem.* Cap. 19. *Dicunt ſi Adam & Eua peccauerunt, quid nos miſeri fecimus, &c? Rectè fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm vero vbique ſit præſens, qui multis modis auerſum vocet, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem, &c. Non tibi deputatur ad culpam quòd inuitus ignoras ; ſed quòd negligis quærere quod ignoras, & volentem ſanare cõtemnis, &c. Iſta tua propria peccata ſũt. Nulli enim hominũ ablatum eſt ſcire vtiliter quærere, &c. Quod ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere non poteſt : dicuntur peccata, quia de illo peccato originem ducunt.* Vt lingua denominatur, &c. De vera Relig. c. 14. *Peccatum adeò eſt voluntarium malum : vt nullo modo ſit peccatum, niſi ſit voluntarium.* 1. Retr. 13. De peccato, *quod eſt vel non eſt etiã pœna peccati. Quamuis & quæ à neſciẽtibus, vel coactis perpetrantur, non omninò poſſunt ſine voluntate committi, &c.* Lib. *De* 2. *anim. c.* 12. De peccato inexcuſabili per aliquem ad hoc ſcienter & voluntariè ſopitum aut vinctum : quamuis tunc impotentem reſiſtendi. 1. *Retr.* 15. *Peccatum non poteſt eſſe ſine voluntate Facti : ſed ſine voluntate peccati, &c. Quando eſt etiam pœna peccati : quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate, niſi fortè, ſi pia eſt, vt oret auxilium? Lib. contra Secund.* De defectu morali liberi arb. ex proprio conſenſu, & defectibilitate ex nihilo. *Lib.* 1. *de pecc. mer. & rem. c.* 3. *&* 29. *De Spiritu & Litt. c.* 31. *&* 35. De peccato, defectu adhibendi vires voluntatis: quamuis Deus adiuuet aut non, quos vult & quantum vult. *De natura & gratia c.* 42. *Deus impoſſibilia non iubet : ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Addit Trid. Seſſ. 6. c. 10. *Et adiuuat vt poſſis. Lib. de pecc. orig. c.* 40. *Lib.* 1. *de Nupt. & Conc. c.* 23. De motibus vitioſis non imputatis ad peccatum, in Renatis. *Lib. de Corrept. & Gratia cap.* 11. Expreſsè de neceſſaria gratia non peccandi, primo Homini & Angelo, ad primam culpam poſſibilem : non autem poſt, ex demerito primæ culpæ. *Lib. de perfect. Iuſtitiæ cap.* 6. De culpabili defectu charitatis : *ſiue vitari poſſit, ſiue non,* defectu præſentis vel præteritæ voluntatis. *Epiſt.* 105. *Inexcuſabilis eſt omnis peccator : vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis ; quia ignorantia nolentium intelligere, peccatum eſt ; impotentium autem, pœna peccati, &c. Nam ſi excuſatio illa iuſta eſſet : non inde gratia, ſed iuſtitia liberaret.* Vt & c. 3. de gratia & lib. arb. *Sed in Epiſt. ad Rom. Prop.* 62. *& lib.* 22. *contra Fauſt.* 44. *De excuſatione Pharaonis iam obdurati, ab inobedientia : & Loth ebrij, ab inceſtu. De natura & gratia c.* 23. 26. 28. *l.* 13. *Ciu. c.* 15. *l.* 5. *contra Iul. c.* 3. *l. de gratia & lib. arb. c.* 23. *de correp. & gratia c.* 11. *Epiſt.* 106. *Tract.* 34. 55. *in Ioan. Serm.* 88. *&* 214 *de temp.* Quòd Deus neminem vnquam deſerat, niſi priùs ab eo ipſo deſertus. Quod Trid. Seſſ. 6. c. 11. reſumit ad probandum obligationem & poſſibilitatem obſeruandi mandata Dei, per gratiam actualem.

EX tanta velut nubium denſitate, varia pugnantium monſtra illudunt : ſed intima & media

Veritas

Digitized by Google

Veritas coruſcans, interlucet. Quòd forte ad peccandum ex ſola libertate eſſentiali contra ſolam legem æternam, nec ſit, nec vnquam fuerit neceſſaria vlla gratia non peccandi: ſed ad peccandum actualiter contra legem Dei poſitiuam, ex libertate indifferentiæ, neceſſaria ſit vnicuique aliqua gratia actualis non peccandi, donec eam proprio peccato demereatur; ad peccatum autem originale eiuſque motus, non ſit, ſed fuerit primo Parenti neceſſaria gratia ad oppoſitum. Qui tamen motus non ſint vlli imputabiles ad peccatum actuale abſque vllo vnquam proprio conſenſu: ſed ſolis necdum regeneratis, ad idem peccatum originale, donec remittatur. Hinc enim videntur omnia tam inter ſe, quàm cum ſacro Concilio Trid. & Cenſuris Pontificijs conſtare. Nec obſtat cap. 11. De corrept. & gratia: quia agitur ibi de gratia neceſſaria ad ſtandum, & non cadendum ab illo primo ſtatu innocentiæ, ex aliqua ſaltem determinatione legis poſitiuæ. Nec illa excuſatiò Pharaonis & Loth: quia vel nonniſi à peccato contra aliquam determinationem legis poſitiuæ; vel non à toto, ſed à tanto; vel non à virtuali, ſed à formali & actuali.

Diff. 4. De gratia Sufficiente & Efficaci.

In tanta caligine, *Medius noſtrum ſtat Chriſtus, Ioan.* 1. ſeu eius Veritas & Gratia, *quam neſcimus:* ſed certâ fide credimus, dari & ineſſe multis; *& niſi Reprobi ſimus,* 1. *Cor.* 13. experimur pios motus intellectus, & voluntatis; nunc inde aliquem aſſenſum, hinc conſenſum perfectum aut imperfectum elicientes; nunc prorſus nullum, ſed quadam cordis antiperiſtaſi inde ſubitò reſultantes. Quòd hi vel non ſint naturales, vel nunquam gratiæ ſufficientes, ſed ſemper alicuius diſpoſitionis aut ſaltem ſuiipſius efficaces: nec ſatis conſtat cum ſacra Script. *Prou.* 1. *Act.* 7. nec cum *B. Aug.* ſupra & infra, nec cum ſacris Conc. nec cum ſenſu & experientia SS. & confundit cauſam cum effectu, ſeu Deum cum ſua gratia, vel cauſalitatem efficientem cum formali, vel efficaciam cum ſufficientia. Sic enim nunquam fuiſſet, aut eſſe poſſet actu gratia ſufficiens: quin & efficax potentialiter, & actualiter formaliter, ſeu ſeipſa afficiens, diſponens, & actuans potentiam. Ne ſit ergo vana cõtentio: ad verba & ſenſum *Aug.*

Libro primo *ad Simplic.* Quid illa *vocatio non congrua multorum, & congrua paucorum Electorum,* ex *Matt.* 22. niſi non efficax, & efficax? Sed quo ſenſu *non congrua,* ſeu *qua vocati moueri non poſſint,* ſit ſufficiens: niſi de motu actuali, defectu voluntatis, non gratiæ. Vt *l.* 2. *De pecc. mer. & rem. c.*3. *Si nolumus, non peccamus, &c. ſed aliquando totis viribus opus eſt voluntatis, quas nos non adhibituros Deus præuidit.* An & congruitas ac efficacia gratiæ, ex præuiſo ſaltem conditionatè conatu noſtro? Nequaquam: ſed ex Decreto Prædeſt. per congruitatem vocationis intellectualis, cum bono affectu ſeu gratia voluntatis. Vt patet 1. Ex 2. *Retr.* 1. De victoria gratiæ Dei in hoc Libro. 2. Ex his verbis: *Soli benè affecti ſequuntur vocationem.* 3. Ex frequenti relatione ad ſolam miſericordiam Dei. 4. Ex nulla congruitate naturali vnius præ alio. 5. Ex modo poſſibili vocandi quemlibet conguè. *Si tanta poteſt eſſe obſtinatio, vt contra omnes vocationis modos obdureſcat: an non ſit de pœna Diuina?* Infra. *Quis dicat modum perſuadendi etiam Omnipotenti defuiſſe?* 6. Quia tandem negat omnem diſpoſitionem naturalem ad hanc vocationem: ergo & præfuturitionem conditionalem.

L. De Spiritu & Litt. .i. de Gratia ſolius legis, cognitionis, & timoris: vel etiam fidei, charitatis, & operationis.

L. De gratia Chriſti: non tantùm doctrinæ exterioris, & interioris; ſed & coniunctæ charitatis; nec tantùm poſſibilitatis, ſeu cuiuſdam ſufficientiæ, ſed & voluntatis ac operationis. Vbi *cap.* 11. 12. 13. præfert efficaciam charitatis, inefficaciæ reuelationis & ſapientiæ etiã Apoſtoli, 1. *Cor.* 12. quia hæc ſuberat periculo vanitatis, & egebat remedio humilitatis ac charitatis. Vnde patet efficaciam non conſiſtere in gratijs ſeu motiuis intellectualibus.

L. 12. *Ciu.* 9. *De ampliori adiutorio Angelorum bonorum, quàm malorum:* non quo illi formaliter beatificati ſint; ſed præ his *ad beatitudinẽ adiuti ſint.*

L. De correpṭ. & gratia cap. 10. 11. 12. De duplici adiutorio Dei. 1. *Sine Quo non, & per Quod* perſeuerari poteſt. 2. *Quo actu* perſeueratur. Vt *ſine alimentis non poſſumus viuere: ſed Beatitudine beatificamur.* Vel pro actione ipſa beatificandi, vel ad ſolam ſimilitudinem. Hinc præcipuè de gratia ſufficiente & efficaci: quaſi illa ſola fuiſſet ante lapſum, hæc ſola poſt; ſed potiùs vtraque ante & poſt. Quia non videtur hîc adæquatè diſtingui totus ſtatus gratiæ ante lapſum, à ſtatu poſt: ſed inadæquatè; vel quoad ſolam gratiam perſeuerandi; vel inter gratiam illam Adami ante lapſum, & Prædeſtinatorum, non aliorum, poſt lapſum. Quis enim credat Adamum non habuiſſe vllum actum bonum ante lapſum: vel nullos niſi prædeſtinatos habere vllam gratiam perſeuerandi? Cùm multi non prædeſtinati ſint regenerati: qui non poſſunt priuari omni gratiâ perſeuerandi ex demerito peccati originalis, eis perfectè remiſſi. Nec potuerunt Angeli boni finaliter perſeuerare niſi gratia efficaci perſeuerantiæ, vt actu eorum viam terminante, & eos actiuè beatificante: ſed dicuntur ſteliſſe ſeu perſeueraſſe continuando in ſtatu gratiæ, *viribus liberi arbitrij:* vt tunc perfecti, & conſtantis ex natura & gratia; vel noniſi dependenter à gratia ſufficiente, vt diſponente, ab efficaci vt perficiente.

L. De gratia & lib. arb. à cap. 9. *ad* 20. De gratia magis minuſue efficaci vel inefficaci. *A cap.*20. vt & *De corrept & gratia cap.* 14. *De Omnipotentiſſima poteſtate Dei inclinandi corda omniũ quò voluerit: quia magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.* Vnde pendet tota efficacia gratiæ: non cogendo, ſed inclinando; finirè quidem per gratias finitas; ſed in infinitum ſuâ infinita voluntate, ſicque infallibiliter vſque ad conſenſum.

Diff. 5. De prima Prædeſtinatione Auguſtiniana: non ex præuiſione abſoluta, vel conditionata vllius meriti aut demeriti; ſed ex proprio motu & prima intentione ac perfectione Voluntatis Dei ad extra; quamuis executiuè per præuiſionem peccati originalis, & electionem ac liberationem ex illa maſſa perditionis. 1. Quia 1. *Retr.* 13. ſupponit ſine peccato originali *naſcituros fuiſſe homines vſq; ad numerum certum Sanctorum, quem Deus prædeſtinauit.* Non autem vt *Bellarm.* interpretatur, *prædeſtinaſſet.* 2. Quæſt. 68. ex 83. 2. *Retr.*31. *l. De geſtis Pelagij cap.* 17. *l. De Prædeſt. cap.* 10. Expreſsè præſupponit aliquam dignitatem Prædeſtinatorum præ alijs, ad eorum præ alijs electionem & liberationem ex maſſa perditionis. 3. *Cap.* 15. 16. & alibi ſæpè comparat omnes Prædeſtinatos, vt vnum Corpus & Ciuitatem, cum Chriſto vt eorum Capite, & exemplari prædeſtinationis: Ergo eadem ſimul prædeſtinatione & intentione totius ſimul operis perfecti, non autem vt Corpo-

ris

Digitized by Google

ris aut Capitis trunci & monſtruoſi. 4. *Cap.* 17. & alibi ſæpè *in Eph.* 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem: vtique præuiſam, quia omnia propter electos; ergo ante præuiſionem peccati orig. 5. Non voluit Deus creare homines, niſi intendendo aliquorum ſaltem perfectam Beatitudinem: non priore aliqua intentione inefficaci, cuius nunquam meminit *Aug.* ſed ſæpè negat in Deo eſſe poſſe; ergo prædeſtinatione aliquorum efficaci, aliorum autem ad illos relatione etiam efficaci, vel ad aliquam beatitudinem inferiorem. Ex diſcipulis *B. Aug.* & Doctoribus Scholaſticis, eorumque rationibus, ad maiorem Dei, & Chriſti gloriam, ac exemptionem B. MARIÆ Virginis à communi maſſa perditionis.

Diff. 6. Pro quibus Chriſtus mortuus ſit? Opptimè B. Proſper *Cap.* 9. *ad obiect. Gallorum*, & *c.* 9. *ad obiect. Vincent.* & *Conc. Trid. Seſſ.* 6. *cap.* 3. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt. Non omnes, Illi vtique.* Hinc *B. Aug. l.* 2. *De Nupt. & Conc. cap.* 33. 34. 35. & alibi ſæpè, contendit contra Pelagianos pro baptizandis omnibus paruulis: ex morte Chriſti pro omnibus, & ex IESV Saluatore omnium, maximè fidelium, 1. *Tim.* 4. *Enchirid.* 63. Solùm excipit Angelos, pro quibus Chriſtus mortuus non ſit. Nec obſtat, quòd ex *l.* 2. *De Adulter. Coniug. cap.* 15. *Non omnis homo ſit Sanguine Chriſti redemptus*: quia ad eſſe *Redemptorem omnium*, & *pro omnibus mortuum*, ſufficit hic eius officium, affectio, & intentio agendi & patiendi pro omnibus, quamuis conditionatè, & relatiuè ad prædeſtinationem Dei: ſed ad *Redemptū eſſe* ſimpliciter, neceſſariùs eſt effectus ſeu participatio Redemptionis, etiam ſimpliciter ſeu integrè. Nam vt B. *Aug.* ſæpè tribuit gratiæ Dei præſeruationem à grauiori culpa & damnatione: ſic & tribui poteſt redemptioni Chriſti. Quòd ſi Deus ex perfectione infinita, non poſſit voluntate Diuina inefficaciter & conditionatè velle ſalutem omnium & ſingulorum: quâ potiùs quàm ſuâ propria voluntate humana? Ex *B. Aug. ſæpè in Pſal.* 150. *Matt.* 23. 1. *Tim.* 2. Nec obſtat quòd 21. *Ciu.* 14. *Tract.* 107. 108. 109. neget orandum eſſe pro reprobis, aut Chriſtum oraſſe pro mundo, ſed pro Electis ex mundo, vel vnquam oraſſe fruſtra: quia nec orandum eſt abſolutè pro reprobis, nec orauit pro vanitate mundi, nec vnquam ſine fructu meriti, & ſatisfactionis; ſed ſi orauit conditionatè pro tranſitu Calicis ſui, cur non & pro omnium ſalute?

Diff. 7. An potuerit homo ſine vllo peccati demerito creari in hoc miſero ſtatu corporis & animi? *Reſp.* Non in ſtatu culpæ aut pœnæ, vt fatetur *Baius* in ſua Apologia, nec quoad naturam humanam propriè dictam .i. primæ inſtitutionis, quæ includit ſtatum gratiæ originalis, ex *Aug.* 1. *Retr.* 10. *& alibi.* nec fortè quoad priuationem omnis gratiæ, vel ad finem ſupernaturalem neceſſariæ, vel ſaltem ad moderationem aliquam miſeriæ; nec ex potentia ordinaria; ſed ex potentia abſoluta, quoad quālibet miſeriam ſeu imperfectionem corporis & animæ, ſaluâ vtriuſque & totius hominis eſſentiâ. 1. Quia *B. Aug.* paſſim monet omnes rerum naturas dependere à voluntate Dei: non tantùm in exiſtendo, ſed in ratione talis naturæ. 26. *contra Fauſtum* 8. *l.* 6. *in Gen.* 13. *&* 15. *l.* 8. *c.* 23. 24. 25. *l.* 9. *cap.* 15. 17. 18. *& alibi.* 2. Quia *l.* 3. *de lib. arb. c.* 20. 1. *Retr.* 9. *De dono perſeu.* 11. ſupponit hominem potuiſſe primò creari in ſtatu ignorantiæ & difficultatis. 3. Paſſim profitetur peccatum originalem eſſe maximum fidei myſterium: ergo non poteſt vllâ certâ ratione conuinci. 4. Quia Deus de facto creauit homines & Angelos defectibiles & incertos ſuæ perſeuerantiæ: ergo & miſeros. 5. Deus non creauit plurimos creabiles: ergo potuit & poteſt creare in quocumque ſtatu ſaltem meliore ipſo nihilo, ex *B. Aug.* 2. *De lib. arb.* 6. 7. 8. Sed 3. *De lib. arb. cap.* 23. *Quæſt.* 82. ex 83. *Epiſt.* 28. *ad Hier. l.* 3. *contra Iul. cap.* 3. 4. 5. *l.* 1. *&* 2. *Imperfecti*, negat poſſibilem creationem Innocentum in ſtatu miſero: niſi ſub aliquo ſenſu huius reſponſionis, & vel ad meritum proprium aut alienum, vel ad finem aliquem communē & vltimū gloriæ Dei.

Diff. 8. An hæc *Prop.* 25. ex inhibitis à *Pio.* 5. ſit Auguſtiniana: *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adiutorio nonniſi ad peccandum valet*? Videtur expreſſa *l. De ſpiritu & Litt. cap.* 3. & alibi, *Nec liberum arbitrium quicquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via, & niſi delectet & ametur*: Sed non eſt expreſſa, nec identica; quia præter varias & veras expoſitiones, *Non valere niſi ad peccandum*, negat quantillumcumque valorem ad aliud; ſed, *non valere quicquam niſi, &c.* negat tantùm valorem ſufficientem ad quicquam aliud. Quamuis autem ex *B. Aug.* fortè ad nihil aliud valeat ſeu ſufficiat: non tamen nihil, ſed *parùm, aliquantùm, quaſi nihil*, vt ſæpè exprimit *Aug.*

Diff. 9. An hæc *Prop.* 25. ex inhibitis, ſit Auguſtiniana: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*? Videtur & hæc expreſſa 15. *Ciu.* 22. *l.* 4. *contra Pelag.* 3. *Quicquid boni fit: ipſo non recto ſine peccatum eſt, &c.* Sed nec eodem ſenſu, nec iiſdem verbis, nec æquiualentibus: quia, *Omnia opera Infidelium eſſe peccata*, includit etiā naturalia, & motus indeliberatos, imò & diſpoſitiones ad primam Fidem habitualem, contra Trid. *Philoſophorum virtutes eſſe vitia*, condemnat omnem eorum doctrinam & mores: cùm *B. Aug.* expreſsè dicto *cap.* 3. *&* 2. *Ciu.* 7. eorum opera bona ac virtutes tribuat gratiæ Dei. Vnde ſenſus *Aug.* eſt, eorum opera moralia & virtutes abſque vllo auxilio gratiæ, eſſe peccata & vitia.

Diff. 10. Quo ſenſu *l. de gratia & lib. arb.* 20. 21. 22. Deus *inclinet* ad bonum & malum, *agendo etiam motum voluntatis eorum*? An præter permiſſionem ſeu relaxationem ad malum, poſſit etiam immediatè inclinare ad bonum & malum infundendo actum ex ſe indifferentem, ſed bonum vel malum ex vſu vel abuſu, non tam actiuo quàm formali & vitali voluntatis, ſeu auerſione vel conuerſione formali à vero vel falſo malo, ad bonum? Cùm vſus libertatis ſit potiùs formalis circa obiectum, quā cauſalis ad actum: nec actus ſit liber niſi vt cum obiecto ſuo præcognitus & præuolitus; omneſque noſtri actus ſint plus in poteſtate Dei quàm noſtra, vt ſupra.

Diff. 11. An peccari poſſit ſolo affectu naturali, vel habituali, vel actuali ſub ſola conditione futuro, vel actu exiſtente ſine vlla aduertentia mali, aut poteſtate vel gratia abſtinendi: ſed ex tanta libidine voluntatis, vt præualeat aduertentiæ & gratiæ ſufficienti, quæ poſſet ineſſe? Ita videri poteſt, ex 3. *De conſ. Euang.* 2. *De bono coniug.* 20. *De Virg.* 44. *l.* 1. *ad Bonif.* 9. *Serm.* 15. *in Apoſt.* Sed cum *B. Aug.* toties conuincat *Pelag.* non poſſe vlli imputari bona aut mala poſſibilia, ex ſola noſtra imperfectione, occaſione, vel conditione futura: illa ſunt intelligenda de affectu actuali, inefficaci, vel efficaci ex ſe, & ex perfectione aut libidine affectus habitualis.

Diff. 12. Quid *B. Aug.* de Prædeterminatione aut Præfinitione omnium? 5. *Ciu.* 9. Voluntates noſtræ tantum valent quantum eas Deus valere voluit, &c.] Sed exequitur per gratias efficaces ad vſum noſtræ libertatis. Prædeterminat ergo fortè actus liberos quoad futuram ſubſtantiam & bonitatem: condeterminat quoad exiſtentiam, non malitiam.

Digitized by Google

Digitized by Google

IESVS INTER DOCTORES.

SEV VNITAS FIDEI, ET ECCLESIÆ ROMANÆ.

Contra nouam Synopſim, & Scholia cuiuſdam Samuelis Des-Maretz, *Profeſſoris hæreſeos,* Grœningæ : *in Catechiſmum anonymum de Gratia & Libero-Arbitrio.*

NOn ad captandam vllam occaſionẽ huius contentionis inter Catholicos inhibitæ : ſed ad vendicandam totam Eccleſiam & Fidẽ noſtram ab eius calumnijs & blaſphemijs. 1. In Deũ, vt Authorem omnium peccatorum :quoſdam ad ea reprobando, cogendo, vel abſolutè neceſſitãdo; ſiue proprio motu,ſiue in pœnã peccati originalis.2.In Chriſtum, ſeu Sacrã Euchariſtiã,vt ſummum Idolum noſtrum.3.In Sãctos,& eorum Imagines,vt noſtra minora idola. 4.In *S.Aug.*vt authorem harum blaſphemiarum,noſtræque diſſenſionis.5.In totam EccleſiamRomanam, vt idololatram, & Pelagianam. 6.In Papas ſeu Vicarios Chriſti, vt Tyrannos Doctrinæ,& huius idololatriæ ac hæreſis:ſed nominatim in *Pium V.* vt impium Pelagianiſmi protectorem.7.In omnesTheologos Eccleſiæ Romanæ : quaſi potiores ſtudio *S. Auguſtini* tandem ab errore Concilij Trid. de Gratiâ & Libero Arbitrio,ad reformationem Caluinianam conuerſi ſint, eodemque ſtudio & gratiâ ab Idololatria Euchariſtiæ Sanctorum &imaginum conuertendi;reliqui autem ſint Idololatriæ ac Pelagianiſmi profeſſores.

Quâ velut cacophonia infernali,&choræâ promiſcuâ calumniarum ac blaſphemiarũ, prouocat oẽs Theologos ad poſt ſe ſaltãdum,ſeu eum ſequẽdo perſequendum: ſed noſtrâ Epiſtolâ Apologeticâ,velut prõpto antidoto,præmonui,tantum,tãq;cõuictum impoſtorem non eſſe dignum vllâ fide humanâ,vel reſponſione Maiorum.Vt patet ex hoc teſtimonio eius, qui ſuâ Authoritate,zelo fidei,&celebri doctrinâ hunc ipſum impoſtorẽ ad fugã infamem redegit.

IOANNES A CHOKIER

Canonicus Vicarius Generalis Leodienſis, Abbas Secularis Eccleſiæ Viſetenſis : Omnibus præſentes noſtras litteras viſuris vel audituris Salutem.Cùm is ſit hæreticorum genius,vt non tantũmodò ſanæ doctrinæ non acquieſcat, verùm etiam illam quibus poteſt fraudibus ac machinationibus conuellat : Hoc vnum ſatagente diabolo , vt per eiuſmodi homines , è fidelium cordibus vera ac Catholica fides eradicetur, & omnium malorum execranda parens hæreſis inſeratur.Sanè cùm ad nos fama referente peruenerit, quemdã Samuelem Des-Marets, *olim quidẽ Traiecti ad Moſam prætenſum Verbi Miniſtrũ,nunc verò Groeningæ Profeſſorem,edidiſſe nuper Noua quadã Scholia contra prætenſum noſtrorum Catechiſmũ : Ne ſub hac larua incautos quoſdam Catholicos decipiat , & hæreſeos virus imprudentibus tanto periculoſiùs propinet, quantò occultiùs ſolitis ſuis fucis, & artibus. Hiſce palam faciẽdum, & quemlibet ſalutis ſuæ ſtudioſum ſaluberrimè monendum duximus:dictum* Samuelem Des-Marets *eſſe eundem ipſiſſimum, qui ab annis circiter 18. in Oppido Traiectẽſi edidit falſiſſimum Catechiſmum ſub noſtro & RR.PP.Societatis IESV nomine, fraudibus, impoſturis,& hæreſibus refertiſſimum ; Item falſiſſimum quoddam Mandatum legendi Biblia vernacula, ſub nomine Ser.mi pro tunc Epiſcopi Leodienſis.Quarum quidẽ longè atrociſſimarum falſificationum, & impoſturarum publicè accuſatus idem* Samuel Des-Marets, *& velut conuictus, Traiecto ad vitandam infamiam publicam exceſſit. Ne itaq; ſimilibus in poſterum falſitatibus, & impoſturis graſſetur, minuſq; prudentes ſolitis mendacijs circumueniat, & in errorem inducat : Hoc publicum veritati teſtimoniũ dandum cenſuimus. Hac decima Ianuarij Anno Domini 1653.*

IOANNES A CHOKIER DE SVRLET
Can.cus ac Vicarius Generalis Leod.

Cùm ergo tantus Impoſtor ſit tam ambitioſus contendendi cum noſtris Maioribus:non dignentur eum ſua reſponſione ; ſed relegent ad ſuos *Minores* Exorciſtas, ſeu ad noſtros in eum exorciſmos renouãdos & proſequẽdos.Nam ab anno 1633. cùm à Miniſtris hæreſeos prouocatus , à Legato Apoſtolico monitus , & ab Ordinario Leodienſi miſſus, toto triduo Lymburgi publicè contra illos tam imperitos quàm pertinaces contendiſſem : Pſeudo-Miniſtro Lymburgenſi *Hottonio* defectu memorię ſuas tritas calumnias pręlegente, tandemq; cum ſuis complicibus quaſi in publicum memoriæ & iudicij deliquium lapſo,& inducias deprecante: ne viderentur ſola memoriâ,ſed totâ cauſâ defeciſſe; Conferentiâ ex actis Notariorum fideliter editâ,hunc ipſum *Samuelem Des-Marets* tuncPſeudo-MiniſtrumTraiectenſem humaniter inuitaui, ad modeſtè proſequendũ

Digitized by Google

cauſam ſuorum Complicum. Sed anno reciprocandis cum eo epiſtolis elabente, interim *Hottonius* Ludgunum Batauorum profectus, conſultis ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe, ijsdemque obſtetricantibus, edidit Apologiam abortiuã mendaciorum contra fidem publicam actorum Lymburgenſium à ſuo noſtroq; Notario exceptorum. Hic autem *Samuel Des-Marets*, nequiſſimo genio tumidus, noſtra epiſtolari velitatione ictus, crepuit medius: & vt nomine ac re *Borborita*, vel *Coprophorus*, ex cordis ac oris ſui cloaca euomuit quandã in me Monachomachiã; ſed potiùs Theomachiam, Chriſtomachiam, Agiomachiã, Iconomachiã, Hieromachiã, Automachiã.

Ad quorum deteſtandam perfidiam, & nequitiam diabolicam: experto Lymburgi eorum abuſu meæ modeſtiæ, neutrum cẽſui dignum vlla reſponſione humana; ſed acribus Exorciſmis, in *Hottonium* quidem gallicis, in *Maretium* autem latinis. Quibus *Hottonius*, vt *Ebion* ſeu ſenſu pauper, conuincitur tantæ ignorantiæ: vt non capiat diſtinctiunculam inter inuocationem Dei à nobis immediatè, vel mediatè per Sãctos; cõparetq; ſuam Eccleſiam Catholicam inuiſibilem, *Vniuerſalib⁹ Porphirianis*. O fabuloſum Gygis annulum: quo ſibi Eccleſiã nunc viſibilẽ, nunc inuiſibilẽ deſponſant! Sed hic *Samuel*, ſyriacè *Elymas*, cõuincitur tantæ imperitiæ in doctrina *B. Aug.* quam oſtentat, vt neget libros tres *de Gratia & Libero Arb.* eſſe contra Manichæos, librum autem *de Cura pro mortuis* vel apicem cõtinere pro inuocatione Sanctorum; tantæ contradictionis cum articulis ſuæ pſeudofidei, vt videatur coruus in *Papegey* ſeu *Papiſtam* conuerſus; tantæq; perfidiæ & nequitiæ, vt ei hæc 4. Stigmata inuſta ſint.

1. In præfatione. Quòd fuerit exorciſatus ſeu toto regno Francorum proſcriptus, ob poſtremam conſpirationem Rupellanam, ab eo cum alijs Pſeudo-Miniſtris conſignatam: teſte hiſtoriã rebellionis illius anno 1622. *Pariſijs* edita. *2. pag. 22. 23.* Quòd, vt fertur in Epiſtola ſub nomine *S. Syrilli* ad *S. Aug.* diabolus ſe transfiguraſſe in formam cuiuſdam *Syluani* Archiepiſcopi Paleſtinæ: ſic & nequiſſimus *Mareſij* genius ſeſe trãsfigurauerit in Sereniſſimũ quondã *Ferdinandum Archiepiſcopum Colon. & Epiſcopum Leod.* edito ſub eius nomine mandato ad omnes ſubditos, legendi libros S. Scripturæ, & alios quos ipſe priori edicto inhibuerat. Nec potuerit hanc ſuam impoſturam diſſimulare: quin inde gloriatus ſit in Dedicatoria ſuæ *Monachomachiæ*, patrocinando impoſtori, vtiq; ſibiipſi, cumq; commendando vt reformatorem prioris Edicti. *3. pag. 332.* Quòd ementito prælo ediderit quendam Pſeudo-Catechiſmum, eiuſq; Scholia, ſub nomine R.^mi^ Vicarij Leodienſis, & Ieſuitarum, vt ſupra. *4. pag. 334.* Quod ipſe eiuſque complices, ex illo Genio qui fuit homicida ab initio, *Ioannis 8.* in vindictam ſuæ conuictionis & confuſionis *Lymburgenſis*, accuſauerint me apud *Status* attentatæ proditionis eiuſdẽ vrbis; eorundemq; *Statuum* decreto, per milites emiſſarios ſæpè diuq; ad mortem perſecuti ſint. De quo tamen, & à quo periculo, Deus me per illos ipſos emiſſarios præmonuit & præſeruauit. Ad quorum Stigmatũ inuſtionem *Elymas* quaſi leproſus, vel ſui Genij charactere inſenſibilis, hucvſq; obmutuit.

Quamuis interim plurimis eum Opuſculis ſtimulauerim: Deinde integrâ *Anatomiâ S. Aug.* Deniq; *Collatione totius Theologiæ, &c.* Nunc autem, eius *Cerbero*, ſeu cerebro quaſi 18. annis ſopito, vel lambendo ex *Lethe* fluuio, omnium priorum oblito, ad nouam Synopſin & Scholia euigilans: ſuo in noſtros latratu, ſuſcitat nos ad refricandam ei noſtrorum exorciſmorum memoriam. Quorum primo exorcizatur vt Energumenus illius Diaboli, qui *Matt. 4.* ab illa ſua Chriſtomachia ſeu pugna cum Chriſto tunc Protomonachum agente, pertinaci vltionis libidine *Antonios, Hilariones*, aliorumque Monachorum duces perſecutus, tandẽ etiam noua in me alioſq; gregarios Monachos *Monachomachiã* hunc ſuum *Elymam* magum, ſeu inuerſum *Samuelem* inflauit. Ibidem exorcizatur vt Gallus criſtatus nõ chriſtianus: qui ſuccinct⁹ lumbos ſuos inſolentiſſimè graditur præ foribus Eccleſiæ; & ex eius ſterquilinio ſeu excrementis, ſibi ac ſuis ſtercoratum pabulum roſtro vnquibuſque exquirens, nobis velit nolit tubicinem agit, ſeu ſacras vigilias ac excubias pro Dei Eccleſia canit. *Ibid.* Neſcio quæ Pythoniſſa vt *1. Reg. 18.* nobis hunc Pſeudo-Samuelem ſuſcitauerit, &c. Quæ quidem breuiter recolenda duxi: tum ne videar in eum exceſſiſſe, vel excedere moderationẽ inculpatæ tutelæ; tum ne videar vllo prætextu inhibitas inter Catholicos contentiones attentaſſe, ſed ſolã, directã in hereticos intentione.

Quàm

Quàm verum & ratum eſt illud *Apoſt. 1. Cor. 11.* Oportet hæreſes eſſe: vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Nam vt *B. Aug. Lib. de vera Relig. cap. 7.* Eccleſia Catholica omnibus errantibus, vtitur, &c. Vtitur enim Gentibus, in materiam operationis ſuæ: Hæreticis, ad probationem doctrinæ ſuæ; Schiſmaticis, ad documentum ſtabilitatis ſuæ; Iudæis, ad comparationem pulchritudinis ſuæ &c. *Cap. 8.* Vtamur etiam illo Diuinæ Prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent: cùm autem foris ſunt, plurimum proſunt &c. vt ſupra.] Sic & nos ad probationem noſtræ in fide vnitatis & conſenſionis, vtamur ipſis Maretij calumnijs oppoſitis. Quibus hæc inter alia præfatur. *Gratulemur*, inquit, *nobis, quod qui tantopere crepant ſuam ſub vno Capite vnionem, ac Proteſtantibus ſua diſſidia obijciunt: de grauiſſimis inter ſe Religionis capitibus acerrimè confligentur.* Quæ ſub noſtra præfat. Apologet. Tomi I. in omnia & ſingula *B. Aug.* opera, ſic præuenimus. [Ad calumniam & recriminationem diſſenſionis inter Theologos noſtros Catholicos, quaſi pro & contra doctrinā *B. Aug.* Non eſt hic Author diſſenſionis, ſed pacis. Eſt enim velut Arca fœderis, ſeu confœderationis: cui progredienti omnes certatim acclamant illud *4. Reg. 2.* Pater mi, Pater mi, Currus Iſrael & auriga eius! Currus vtiq; velut doctrinæ triumphalis, quem vndiq; Theologi Catholici honorarijs acclamationibus comitantur: circa quem haſtiludia honoraria exercent; & vtrimq; quaſi ſeries militum oppoſitæ, non hoſtiliter, ſed honorariè explodunt. Audiunt Philiſtini noſtri, vt *1. Reg. 4.* & peiori, ſed fœliciori nobis omine, interpretantur, geſtiunt, exultant: quaſi de inteſtina inter nos ſeditione, & quorumdam ex nobis ad ipſos, aliorum ad Pelagianos defectione. Sed ſi vel minimum in Eccleſiam inſultum fecerint: experientur hanc non eſſe inter nos ſeditionem, ſed tantùm armorum in ipſos luſtrationem, & exercitationem; non gladijs acutis, ſed retuſis; non glandibus ſolidis, ſed vel ſolo puluere ſeu crepitu verborum, vel ſolius chartæ, ſeu probabilium opinionum exploſione &c. Nec obſtant quorundam inter ſe quaſi criminationes, & recriminationes hæreſum oppoſitarum: quia non ſunt feriæ accuſationes; ſed tantùm prouidæ & cautæ monitiones, mutuæq; præmonitiones, contra vel minima hæreſum pericula &c.]

Ne tamen *Pſeudo-Samuel* contendat hāc inter noſtros diſſenſionem non eſſe ſcholaſticam, nec ſolùm circa doctrinā *B. Aug.* ſed Summorum Pontificum, Cōciliorum, ac totius Eccleſiæ Romanæ, ſicq; & contra vnitatem fidei noſtræ: conuincamus eum verbis expreſſis ſuæ calumniæ. Quibus, vt vulpes contra nos cum Proteſtantibus concaudata, à quibus tamen plurimùm in prætenſa fidei reformatione diſſidet, exprobat quidem nobis eadem quæ nos illis diſſidia: ſed fatetur noſtram profeſſionem vnitatis fidei & Eccleſiæ, ſub eodem Capite, ſeu Vicario Chriſti. Qua confeſſione ſeipſum conuincit calumniæ, & inuoluit contradictione. Cùm enim omnes Theologi Eccleſiæ Romanæ in hac ipſa diſſenſione profiteantur & obſeruent illam vnionem, ſubmittendo ſe iudicio Eccleſiæ & Vicarij Chriſti: hoc ipſo cōſeruant veram vnitatem formalē, imò & materialem, fidei. Omnes enim profitentur hanc eandem materiam fidei *.i.* verum vſum noſtræ libertatis, cum neceſſitate gratiæ. Omnes profitentur eandē deſuper doctrinam ſacræ Script. Sacrorum Conc. Summorum Pontificū, totiuſq; Eccleſiæ. Omnes deſuper conſulunt, & pro ſe inuocant interpretem *S. Auguſt.* Qui cum *Lib. 3. Doctrinæ Chriſt. cap. 27. 32. Lib. 12. Conf. cap. 11.* & alibi, doceat ſacras Scripturas habere tot veros ſenſus, intentos etiam à Spiritu S. quot non contrarij certæ fidei, excogitari poſſunt: cur doctrina ſacrorum Conc. Summorum Pontificum, ipſiuſq; *S. Aug.* non poterit habere plures veros ſenſus diſparatos? Quos cum Theologi in eiuſdem Fidei & Eccleſiæ obſequium excogitant, ſuumq; alijs præferunt, vel etiam ſenſum aliorum reprobant: non violant vnitatem Fidei; ſed ſuum obſequium præ alijs Eccleſiæ commendant. Quamuis autem ſubeſſet vnicus ſenſus fidei: poteſt tamen varijs modis à Theologis explicari. Vt & hoc, & pleraq; Fidei noſtræ myſteria explicamus. *In 1. Quæſt. 19.* De myſterio SS. Trin. *In 2. q. 8. à col. 500.* De hoc ipſo Myſt. *In 3. q. 2. col. 255. 256. 257.* De myſterio Incarnationis Chriſti. *In 4. q. 5. à col. 450.* De varijs modis explicandi myſterium Euchariſtiæ.

Digitized by Google

QVidam ergo, in obſequium eiuſdem Fidei & Eccleſiæ, conantur, tam inter ſe, quàm cum SS. Scripturis, concilijs, Cenſuris, Patribus, & vera ratione conciliare, noſtram neceſſitatem abſolutam in omni ſtatu, veræ gratiæ Dei infuſæ & inhærentis, ad noſtram coram Deo iuſtificationem, veræq; gratiæ actualis ſaltem adiuuãtis, ſed & in ſtatu naturæ lapſæ præuenientis, nec ſolùm vt ante lapſum ſufficientis, ſed per ſe efficacis ad ſingulos actus bonos, non ſolùm perfectos, ſed & imperfectos, vſq; ad minimum motum ſeu conatum, & contra ſingulos defectus oppoſitos: Cum vera noſtra adhuc ſuperſtite libertate actiua, non ſolùm eſſentiali, nec tamen ad bonum vel malum æquali, nec ad vtrumlibet diſiunctiuè indifferenti, ſed ſucceſſiuè volubili, cooperandi cuiuis gratiæ Dei actuali, eidemque vel priùs obiectiuè, vel poſt ſucceſsiuè diſſentiendi, ſeu reſiſtendi; ſiue ex communi & eſſentiali ſubordinatione, dependentia, & prędeterminatione cujuſuis cauſæ ſecũdę à Prima, ad omnem actionem & effectum; ſiue ex ſpeciali, ſolius liberi arbitrij creati; ſiue ex primo lapſu originali, & defectu à ſua prima perfectione connaturali & gratuita.

Conſtat enim ex citatis, & à nobis relatis, *in I. à col. 404. ad 417.* de libertate Dei: *in II. col. 245. 246. 249.* de libertate Angelorum: *à col. 424. ad 467.* de libertate humana: *in III. col. 381. 382.* de libertate Chriſti: perfectiſsimam Dei libertatem non eſſe ad eliciendum aut variandũ vllum actum, nec ad bonum vel malum morale, ſed ad ſolum bonum, & ad quoſuis effectus diſiunctiuè, & ſucceſſiuè; imò & fortè ad ipſum vnicum actum ſuæ voluntatis, quantumuis neceſſarium, eſſentialem, & notionalem. Conſtat, perfectam libertatem Beatorum, nec eſſe ad bonum vel malum, nec à bono ad malum: ſed ad ſingulos actus bonos, & inter varios diſiunctiuè vel ſucceſsiuè. Conſtat, libertatem peſsimam Damnatorum non eſſe etiam inter bonum vel malum, nec à malo ad bonum: ſed ad ſingulos actus malos, & inter varia mala, æqualia vel grauiora, diſiunctiuè vel ſucceſsiuè. Conſtat, libertatem Chriſti, quantumuis meritoriam, non fuiſſe ad bonum vel malum: ſed ad ſolos & ſingulos actus optimos, vel etiam inter plura bona, eorumue modos aut circumſtantias, diſiunctiuè vel ſucceſsiuè. Deniq; conſtat vera ratione, omne agens liberum per voluntatem, habere ſuum proprium modum agendi liberè, oppoſitum modo agendi naturali, ſeu omnium agentium naturalium.

Non poteſt ergo vlla voluntas priuari ſuo illo modo agendi liberè, nec redigi ad modum oppoſitum agendi naturaliter, ſeu ex determinata neceſſitate naturali. Sed nullus eſt modus agendi liberè quo priuari non poſsit, niſi in volẽdo & nolẽdo: ergo in hoc cõſiſtit modus ille agendi liberè. De quo ſæpè *S. Aug.* Vt *lib. 1. de libero Arb. cap. 12. lib. 3. cap. 3.* Nihil tam in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt: ea enim prorſus mox vt volumus præſto eſt. *Infra.* Nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate: Porro quia eſt in noſtra poteſtate, libera eſt nobis. *1. Retr. 32. & 2. Retr. 1.* Id dicimus eſſe in poteſtate noſtra, quòd cùm volumus facimus: vbi priùs & maximè eſt ipſum velle &c. *5. Ciu. 10.* Neceſſe eſt, vt cum volumus, libero velimus arbitrio, &c. *Quæſt. 8. ex 83.* Si volumus, non alius de nobis vult: & iſte motus animæ ſpontaneus eſt &c.

Quæ tam ſupra, quàm toto Commentario noſtro in *S. Aug.* interpretamur de modo proprio agendi liberè, volendo & nolendo non ſolum obiectum volitum & nolitum, ſed etiam ipſum actum volendi & nolendi; non alio & alio actu in infinitum, ſed eodem ſupra ſeipſum reflexo. Prout optimè explicat *S. Anſel. Lib. de libero Arb.* à nobis relato *in I. col. 393. 394. cap. 5.* Omnis volens, ipſum ſuum velle vult. *Infra.* Vt cum mentitur, vult ipſum ſuum mentiri: ſic cum vult mentiri, vult ipſum ſuum velle. Et *S. Bern. Lib. de libero Arb.* à nobis relato & commentato, *in 2. à col. 456. ad 408.* Aliud eſt voluntarius conſenſus, aliud naturalis appetitus. Vbi conſenſus, ibi voluntas, ibi libertas eſt. Conſenſus, eſt nutus voluntatis ſpontaneus. *Infra.* Quia nemo non vult quod vult, aut vult quod non vult: eſt impoſſibile ſua priuari libertate. Poteſt quidem mutari voluntas: ſed nonniſi in aliam voluntatem, vt nunquam amittat libertatem. Tam ergo non poteſt priuari illa, quam nec ſeipſa.] Neq; hæc poteſtas volendi ſuum proprium actum, cenſenda eſt naturalis, vt eſt potentia intelligendi: ſed moralis, libera, & imputabilis ad bonitatem

Digitized by Google

tem & malitiam moralem, imò & meritoriam; ſiue poſſit ſimul diſiunctiuè aut ſucceſſiuè alios actus, vel abſtinere ab hoc, ſiue non. Tum quia intellectus eſt plus paſſiuus,& minùs actiuus, quàm voluntas. Tum quia intellectus non habet vllum dominium ſui actus, ſeu intelligendi quia vult, vt voluntas volendi : ſed mouetur ſolo appetitu naturali, & determinatur ab obiecto. Tum quia libertas imputabilis ſolet exprimi per primam cauſam intrinſecam & modum agendi, ex propria voluntate, proprio motu, proprio libitu. Qui cùm poſſit eſſe tantus, aut etiam maior, ſine poteſtate ſe continendi, aut aliò diuertendi: cur ille ſine hac non eſſet imputabilis? Hinc *B. Aug. Lib. 1. de libero Arb. cap.33. Lib.22. ſiu. cap.30. Lib.1. ad Boniſ. cap. 2.* & alibi ſæpè, tribuit omnem bonitatem moralē cuidam bonæ delectationi,ſeu beneplacito voluntatis;omnemq; malitiam, cuidam eius libidini, ſeu proprio libitui. Imo ipſum *Trid.ſeſſ.6. can.5.* definit eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere : ſine vllâ mentione poteſtatis abſtinendi, ſeu benefaciendi. Nec *can. 4.* ad libertatem conſentiendi Deo per gratiam moucnti, exigit poteſtatem diſſentiendi, niſi conſequenter, *ſi velit* .i. ſi poſt conſenſum libet diſſentire. Si quæ autem ſubſit neceſſitas peccandi, ex priuatione gratiæ ad oppoſitum neceſſariæ : non eſt neceſsitas naturalis,nec abſoluta, nec antecedens, nec inculpabilis, quæ ſola eſſet contra cenſuras Eccleſiæ; ſed vitioſa, conditionata, conſequens, culpabilis, ex ſuppoſito vel compoſito abuſu actuali, vel virtuali ipſius libertatis.

Quæ tota doctrina plurimum differt ab omni hæreſi, non ſolùm formali, ſeu pertinacia, ſed etiam materiali. 1.Quia profitetur veram gratiam infuſam, inhærentem & permanentem, vt neceſſariam ad noſtram iuſtificationem formalem : veramq; gratiam actualem adiuuantem & præuenientem vt neceſſariam ad primam & omnem noſtram diſpoſitionem ſalutarem. Cùm Pelagiani, Lutherani, & Caluiniſtæ tribuant omnem Dei gratiam vel ſoli beneficio connaturali, vel ſoli extrinſeco fauori ac imputationi. Contra totum *Concil. Mileuit. Arauſ. & Trid.ſeſſ.6. can.1. 2. 3. 9. 10.11.* & alibi. 2. Profitetur veram adhuc libertatem & cooperationem noſtram, cum gratia quantumuis neceſſaria & efficaci : cùm Lutherani & Caluiniſtæ eam abiurent & deteſtentur vt figmentū Diaboli, contra *Trid.ſeſſ.6.can.4. 5.*& alibi.

3.Tribuit ſoli Deo primā cauſam & originem omnium bonorum naturalium, & ſupernaturalium : ſoli autem noſtræ libertati, ſeu eius abuſui, cauſam & originem defectiuam omnium malorum. Cùm Lutherani & Caluiniſtæ conblaſphement Deum eſſe æquè authorem omnium malorum operum,ac bonorum : ex vi prædeſtinationis &reprobationis cogendo quos vult ad bona vel mala opera; vt paret ſibi in illis materiam & oſtentationem miſericordiæ; in his, iuſtitiæ vindicatiuæ. Contra *Trid.ſeſſ.6.can.6.* poſt *Arauſ.ca n.25.* Aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus; ſed etiamſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis Anathema dicimus.]

Ne quæ tamen vmbra Pſeudo-Samuelis hìc appareat, nec vlli ſuis præſtigijs illudat : diſſoluamus eas renouatis exorciſmis. Vt enim Diabolus transfigurat ſe in Angelum lucis, vel in formam ſimilem humanæ, excepta ſemper aliqua deformitate qua diſcerni poſſit. Vtq; vulpes naturali ſtratagemate cum canibus ſe confundunt, eorumq; latratus imitantur : ſic & Samuel inuerſus præſtigiari ſolet, quaſi collatrando inter canes Eccleſiæ, ad aliquam eorum confuſionem; & fingendo formam aliquam doctrinæ ſimilem Catholicæ aut Scholaſticæ, ſed nunquàm ſine cauda, cornibus vel vnguibus hæreticis quibus facilè diſcerni poſſit. Da ergo gloriam Deo Samuel: an non hac tua Synopſi & Scholijs agas vulpeculam inter canes Eccleſiæ? An non te quantum potes trāſfigures in formam doctrinæ humanæ, ſeu rationabilis, imò & in ſpeciem pietatis; diſſimulata illa tua tuorumq; negatione veræ gratiæ infuſæ, negatione veræ libertatis noſtræq; liberæ cooperationis cum gratia, & horribilis illius in Deum blaſphemiæ? A quibus ſi tandem ratione verecundante reſipuiſti: non glorieris noſtros ad te tuoſúe defeciſſe; ſed fatearis te à tuis Maioribus in Conc. Trid. deſuper conuictis & condemnatis, ad noſtros profeciſſe.Præſtaret tamen ex *S. Ambr. libro de fide contra Arrianos c.1.* hæreticos à fide Eccleſię procul diſtare:quàm nimia doctrinę ſimilitudine vix diſcerni poſſe.

Quàm

Digitized by Google

Quia non accedunt ad nos, vt in eandem nobiſcum fidem coaleſcant: ſed vt ſub ſola aliqua fallaci ſimilitudine ſecretiùs & perniciofiùs inſidientur. Hinc vt ſolent exercitus hoſtiles: ſic & meritò Eccleſia, non ſolo ſano fidei ſenſu, ſed & proprijs verborum ſymbolis ſe ſuoſq; ab omni hæretico ſenſu diſcernit. Qua Dei & Eccleſiæ prouidentia, ſi quo expreſſiore ſenſu, vel verborũ formâ, hæc fidei noſtræ profeſſio ab omni hæreſeos & erroris ſimilitudine ac periculo diſcernenda, & præſeruanda cenſeatur: quis noſtrûm de tanta Eccleſiæ cura, tantoq; fidei noſtræ ſtudio & cultu non gratuletur? Quis non libenter captiuet intellectum & ſenſum proprium in hoc Chriſti & Eccleſiæ obſequium? Quis non libenter repueraſcat: vt inter Eccleſiæ Matris infantes collactaneos, condiſcipulos, & quaſi coraulos ſeu ſymphoniacos, eodẽ ſimul lactepaſcatur, eadem lingua & quaſi grãmatica fidei imbuatur, eodem concentu fidẽ profiteatur? Sed *Elymas*, noſtros ſua ſuorumq; pertinacia, & contẽtione tumultuaria metiẽs, fruſtra calamo ſuo acuto & ſulphurato eoſdẽ inter ſe ſtimulare ac incendere conatur: fruſtra eis ſuum fomitẽ ſupponit: fruſtra totum ſui genij ac Behemoth halitũ profundit; imò potiùs ſtimulatos in ſeipſum prouocat, totamq; flammam, fumum, fauillã & cineres ſibi in proprios oculos ſufflat.

Nec deeſt Eccleſiæ aliorum ſtudium & obſequium, ad conciliandam noſtram etiam libertatem alicuius indifferentiæ, ſed inæqualis, inter bonum vel malum, benè vel malè, moraliter & meritoriè operandum, vel non: cum gratia neceſſariò adiuuante & præueniente, ad ipſum primum & omnem motum noſtrum ſalutarem; ſiue ſolùm ſufficiente, defectu conſenſus liberi arbitrij; ſiue etiam efficaci, vel à ſolo effectu conſequente, vel ab efficacia liberi arbitrij conſentientis & vtentis, vel à coefficacia partiali gratiæ, vel à potiori eius efficaciâ actuali aut futura, quàm voluntatis ad eundem actum, vel quàm ſit aut futura ſit eius reſiſtentia, & quæuis intrinſeca vel extrinſeca oppoſitio; non ab incerto, nec à neceſſario, ſed infallibili euentu, ex certa Dei præſcientia nullius boni ſalutaris, ſed mali oppoſiti ſine ſua gratia, omnis autem talis boni non ſolùm poſſibilis, ſed & futuri per gratiam congruentem & decretam cuidam diſpoſitioni aut conditioni noſtræ voluntatis.

Cui conciliationi Cerberus *Martij* allatrat triplicem calumniã Pelagianiſmi. 1. Quòd deferat libero noſtro arbitrio plus efficaciæ ad bonum, quàm gratiæ. 2. Quòd deferat ei primum motũ, & vſum, ſeu determinationem, & prædeterminationem ipſius gratiæ ad bonum. 3. Quòd ei deferat priorem aliquam diſpoſitionem vel conditionem naturalem, ad certam gratiam congruentem, & conſenſum futurum.

Sed compeſcatur hoc exorciſmo. Obmuteſce, vel da gloriam Deo: te non videre, ſed inuidere, nihil ſubeſſe mordendum, nec vmbram vllius Pelagianiſmi apparere, niſi in tuo cerebro vel *Cerbero*. Non enim plus efficaciæ defertur libero arbitrio, quàm gratiæ, ad ipſam actuum bonitatem: ſed ad ſolam eorum entitatem vitalem. Nec defertur ei primus motus: cùm neceſſariò præmoueatur ſaltem obiectiuè ad vtendum gratia; non illam mouendo aut præmouendo, determinãdo aut prædeterminando, ſed ſeipſum condeterminando ad cooperationem eiuſdem effectus. Cùm enim gratia ſit ex ſe, ſeu ex natura gratiæ, ad ſolum bonum eiuſq; exercitium partialiter determinata: non poteſt à noſtro libero arbitrio determinari; ſed ipſa inclinat liberum arb. vt ſeipſum condeterminet ad effectum determinatum gratiæ. Nec deniq; defertur libero arb. vlla prior & certa diſpoſitio aut conditio naturalis, ad primam vel vllam gratiam, vt ei congruentem & infallibiliter conferendam: ſed ſupponitur, vel illam bonam diſpoſitionem aut conditionem à Deo gratis prouiſam, non eſſe niſi entitatiuè naturalem; vel illam gratiæ congruitatem, non eſſe illi diſpoſitioni aut conditioni connaturalem, ſed gratuitam, ex aliquo Dei decreto gratuito, imo & ipſius Chriſti merito; vel non conferri infallibiliter ob vel ad talem diſpoſitionem ſeu cõditionẽ. Quorum aliquo ſenſu, non eſt Pelagianũ, Facienti quod in ſe eſt, Deum non negare gratiam. Nec prouidẽtia ſpecialis alicuius gratiæ, ſeu fauoris extrinſeci, ad bonũ aliquod ſalutare, vel contra malum oppoſitum, cenſenda eſt connaturalis, & ſuſpecta Pelagianiſmi: cùm pro talibus gratijs tota Eccleſia, ipſeq; *B. Aug.* ſæpè Deum deprecetur, eiq; gratias agat; ſed ſola diſpoſitio purè naturalis ad gratiam, ipſaq; formalis iuſtificatio per ſolum fauorem extrin-

Digitized by Google

extrinſecum Dei, & imputationem iuſtitiæ Chriſti, ſine vlla intrinſeca participatione.

Sed ſi nec tota hæc, nec illa tota conciliatio placeat Eccleſiæ: non poteſt diſplicere ſtudioſa & obſequioſa vtriuſq; intentio. Si non placet illa ſola libertas eſſentialis, vt ſucceſſiuè inter mala & bona volubilis: nec illa tanta neceſſitas, & neceſſitatio gratiæ efficacis, eiuſq; priuatio in ſolam pœnam cuiuſuis peccati, quantumuis quoad culpam remiſſi: neq; tamẽ hæc ſemper libertas proxima, ad bonum vel malum, benè vel malè agendum, cum influentia actuali, vel præſentia continua gratiæ neceſſariæ & ſufficientis; neq; hæc vnquam dependentia prouidentiæ & gratiæ Dei à noſtro libero arbitrio, ſed ècótra; neq; vlla conditio naturalis liberi arbitrij, ſiue præuia, ſiue abſolutè vel conditionatè præuiſa, vt neceſſaria, aut infallibilis ad gratiam, vel ad certam eius efficaciã. Quid ſi Iesvs inter Doctores, ſeu veritas fidei noſtræ in medio cõſiſtat: nulla extremorũ negatione, ſed ſola vtriuſq; participatione, & certiorum ab incertis diſcretione?

Non poteſt enim ſine libidine contradicendi negari, quin ſacræ Script. Concilia, cẽſuræ Eccleſiæ, Patres, ipſeq; *B. Aug.* ſæpè ſupponant & tribuãt omnibus adultis, ſaltem baptizatis & iuſtificatis, aliquam gratiam neceſſariam ac ordinariam obſeruãdi mandata Dei, & cauẽdi ſingula peccata. Vt patet *in 2. à col. 424. ad 468. & à 478. ad 502.* Quibus adde ſacras Scripturas tribuentes Baptiſmo ſeu gratiæ Baptiſmali non ſolũ liberationem à peccato habituali, ſed etiã à ſeruitute .i. neceſſitate peccandi, ſeu cõcupiſcentiæ motibus conſentiendi, *Rom. 6. 7. Gal. 5.* Vnde & can. 25. Conc. Arauſ. *Credimus quod acceptã per Baptiſmũ gratiã, omnes baptizati, Chriſto cooperante & auxiliante, quæ ad ſalutem pertinent poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Vbi, *Chriſto cooperante* .i. abſolutè & ordinariè, non conditionatè, vt paulò poſt, *ſi voluerint &c.* Alioquin non ſoli baptizati & iuſtificati: ſed omnes idem poſſunt, ſi Chriſtus eis auxilietur. Sic & *Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. can. 18. 22.* idem expreſsè definit ſpecialiter de homine iuſtificato: idq; ex ſpeciali ſeu ordinario auxilio gratiæ baptiſmalis. Nec obſtat, ſed fauet, quòd *B. Aug. Lib. de gratia Chriſti cap. 28. 29. 31. 33. 37. Et lib. de peccato orig. cap. 26.* referat fuiſſe confeſſionem *Pelagij*, quòd ſoli Chriſtiani iuuẽtur gratia, Quia *B. Aug.* improbando ſolã hanc ſimulationem veræ gratiæ, eiuſq; negationẽ omnibus alijs: hoc ipſo approbat aliquam ſpecialem ſeu ordinariam gratiam Chriſtianorum. Nec etiam illa *S. Hier. Lib. 3. Dial.* ad Cteſiphontem. *Scito Baptiſmum præterita donare peccata, non futuram ſeruare iuſtitiã &c. Si fieri poſſet vt aquæ baptiſmatis ſemper merſos tenerent: volitantia nos deſuper peccata non tangerent.* Quia hæc expreſsè dirigit contra hæreſim Iouiniani: quòd baptizati non poſſint peccare &c. Nec deniq; experientia oppoſita in baptizatis: quia hæc gratia non eſt experimentalis; poſſuntq; ei reſiſtere, imò & eam paulatim, fortè etiã peccatis venialibus, demereri. Vt in 4. *Quæſt. 10.* De Sacramentis in genere, & *Quæſt. 1. & 2.* De Sacramento Baptiſmi.

Non poteſt etiam ſine pertinacia negari, quin eædẽ ſacræ Scripturæ, Concilia, Patres, & præ omnibus *B. Aug.* minẽtur, & proteſtẽtur quoſdam peccatores aliquando à Deo deſeri, excœcari, indurari, tradi in reprobũ ſenſum, ad peccata etiam grauiſſima: non tam in pœnam ſolius peccati originalis, quàm magnæ alicuius malitiæ actualis; nec per vllum impulſum aut motum Dei ad peccandum, ſed per ſolam relaxationem cõcupiſcentiæ ad omne malũ proſtitutæ, & per priuationem gratiæ ordinariæ, vel etiam ad continendum neceſſariæ. Vt patet ex Quæſtione noſtra 14. in 1. De Sanctitate Dei. Quoſdam autem præ alijs gratia efficaciori præueniri, adiuuari, protegi, imò & confirmari: nulla abſoluta neceſſitate, ſed ſola certa & infallibili eorum directione, & inclinatione. Cùm enim voluntas ex nihilo creata, ſit ex ſe in infinitum defectibilis, ſed & per gratiam perfectibilis: nullo violento aut neceſſario impulſu, ſed proprio pondere, ſeu libitu, in infinitum deficit, niſi à Deo eleuetur, vel cõtineatur. Nec tamen eſt infiniti, vel tanti ponderis, ſeu reſiſtentiæ, quin à Deo, & ad Deum, vt ad obiectum, & finem ſuum etiam ſupernaturalem, ſine vlla violentia aut neceſſitate, per gratiam actualem inclinari poſſit. Quia cùm gratia actualis ſit actio Dei gratuita, & quodam ſaltem modo ſupernaturalis: poteſt omnem reſiſtentiam voluntatum noſtrarũ infallibiliter ſuperare; non eas neceſſitãdo, ſed in infinitum vſq; ad ipſum cõſenſum inclinãdo. Quæ & quãtacumq; inclinatio, nõ poteſt tranſire in abſolutam neceſſitatem, cùm ab ea diuerſa ſit.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus hoc medium coaleſcere poſſe videtur: ad iuſtam noſtrorum actuum imputationem, ſemper neceſſariam eſſe aliquam libertatem actualem, ordinariè indifferentem, ſed aliquando ſaltem eſſentialem: non, niſi ex graui demerito, ſine gratiâ neceſſariâ ad non peccandum; ſed ordinariè cum tali gratiâ actuali, nunc ex ſe efficaci, nunc ex defectu noſtro inefficaci. Quæ tamen nec eſt inutilis: ſed ad perficiendam potentiam, vel ad primum aliquem motum bonum, vel ad coercendam, & minuendam, vel probandam, coûincendam, humiliandam, & conuertendam malitiam. Siue hæc gratia actu influat, ſiue ſolùm nobis præſto ſit, ſi velimus .i. ſi libeat, ſeu placeat velle. Vt in 1. *col: 409. 410. 460. 496. 497. 498. & ſupra, 12.*

Sed quid ſibi vult *Mareſi*[9] ſub finem? *Si ea eſt Papæ infallibilitas quæ iactatur: cur tamdiu homines ſuæ communionis retinet in ſuſpẽſo, & maximi momenti quæſtiones indeciſas relinquit?* Nunquid & ipſe vult Papæ diſcipulus fieri? Nequaquam: ſed ex nequitia diabolica, poſt tot anonyma fruſtra ſuis ſuorumûe ſecretis impoſturis afflata, anhelat ad aliquam definitionem Papalem; vt prætenſo zelo doctrinæ Auguſtinianæ, cõciliet ſibi complices ſuæ pertinaciæ.

Verùm vt *Cœleſt. 1. Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ. c. 1.* Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, nunquam ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit, &c. *c. 2.* Nonnulli qui Catholico nomine gloriantur, Magiſtris noſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint obloquuntur, &c. *c. 11.* Profundiores difficiloresq; partes incurrẽtium quæſtionum ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere, &c.]

Sic & Deus prouidebit, ne pars Doctrinæ *B. Aug.* quæ nimis eſt ſupra ſenſum ſeu captum communem, ab Eccleſiâ canonizetur: ſed præ omnibus non canonicis ſuſpiciatur. Nec vlla eius integra ſentẽtia ab Eccleſiâ reprobetur: ſed ſoli quidam trunci Indices, à vero & integro ſenſu ſeduces. Nec eſt neceſſarium aut cõſultum, ad concordiam Theologorum, omnia definire: nec ad inſtantiam hæreticorum, ſemel definita & cõdemnata ad nouum Papæ vel Synodi examen reuocare. Vt patet ex ipſo *B. Aug. lib. 4. ad Bonif. c. 12.* Nunquid congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? Quaſi nulla hereſis, niſi Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimæ inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, &c. Verùm iſtorum ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur: vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniã Domino eis reſiſtẽte peruertere nequeũt, ſaltem commouere conantur: cùm potiùs vigilantiâ paſtorali, vbicumq; iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, &c.]

Nihil tamen me peius afficit, quàm quòd inter alia præfatur. *Adimminitem Sedis Anti-Chriſtianæ ſeu Romanæ ſubuerſionem has cõtrouerſias omnino ſpectare &c. Si doctiſſimi viri eadẽ diligentia conferant Auguſtinum in Quæſt: de Tranſubſtantiatione, quã in cõtrouerſijs de gratia: receptæ apud ſuos opinioni haud ægrè valedicturos &c.* O inſẽſatiſſime *Galatarum*, quis te faſcinauit? Niſi Princeps tenebrarum, qui ipſa ſplendidiſſima luce *S. Aug.* te excœcauit. Cuius hic vnicus radius, noſtræ Anatomiæ ſtudio reflexus, diſſipat omnes veſtri vltimi refugij tenebras. Vt enim *B. Aug.* tract. 95. in Ioan. *Hũc Chriſtũ .i. talem Chriſtum non erant viſuri Apoſtoli*: Sic & in *Pſal. 98. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis &c* .i. non tale. Sed vt tunc erat idem verus Chriſtus: ſic & nunc idem Corpus Chriſti. Quod eſt *Hoc* realiter, & demonſtratiuè ad fidem: & non eſt hoc apparenter, ſeu demonſtratiuè ad ſenſum.

Apoſtrophe ad Maretium.

Cùm noſtros Catechiſmos affectes: vtinam, mi *Samuel*, non exorcizandus, ſed ſub aliquo lucido gratiæ interuallo catechiſandus fores. 1. Quæ ſit gratia credenda? *Reſp.* Non eſt ſola influentia amoris Dei, vt prætendis: ſed omne beneficium Dei gratuitum & ſalutare, externum & internum, habituale & actuale. 2. Quæ ſit noſtra Libertas credenda? *Reſp.* Eſt quædam poteſtas moralis, benè vel malè volendi & agendi, aut non: ex propria electione, abſq; neceſſitate aliunde illata & determinata. 3. Vnde ſit hæc libertas? *Reſp.* Ex aliqua adhuc vi rationis & voluntatis: ſed neceſſariò præueniẽda & adiuuanda per gratiam, ad omnia ſalutaria, & præſeruanda ab oppoſitis. 4. Quorum ſit hæc libertas & gratia? *Reſp.* Eſt quædam communis adultorum, à neceſſitate determinata peccãdi: ſed ſpecialis & ordinaria Chriſtianorum, & iuſtificatorum; niſi eam demereantur. Crede hæc, *Samuel*, & caue ab agnitæ veritatis impugnatione.

Digitized by Google